VENERABILIS PATRIS D. LUDOUICI BLOSII MONASTERII LAETINSIS...

Louis : de Blois, Antonius : de Winghe

LVDOVICI
BLOSII
OPERA.



ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI. M.DC.XXXII.
CVM PRIVILEGIIS CÆSAREO ET DVORVM REGVM.

D. O. M.

HOMINI-DEO VIRGINIS FILIO
VIRGINI HOMINIS-DEI MATRI
VOLVMEN
LVCVBRATIONVM SVARVM
DICTATVM, DITATVM, DOTATVM, DONATVM
A
QVADRIGA VIRTVTVM
DEVOTA MYSTICÆ THEOLOGIÆ CONTEMPLATIONE
BENEVOLA MORVM MANSVETVDINE
SVBMISSA ANIMI HVMILITATE
DISCRETA CORPORIS MORTIFICATIONE
GLORIÆ DEI
ANIMARVM BONO
PIETATI INSTRVENDÆ
FIDEI ADSTRVENDÆ
SVAVIS ET AMABILIS
BONÆ VOLVNTATIS AVCTOR FAVTORQ.
LVDOVICVS BLOSIVS
ABBAS LÆTIENSIS
APPLAVDENTIBVS ET ALLVDENTIBVS
AD LIBRORVM TITVLOS ET INSIGNIA
SANCTIS ANGELIS
ΔΟΞΟΛΟΓΙΚΩΣ ΚΑΙ ΕΝΔΟΛΟΓΙΚΩΣ
OFFERT, DICAT, CONSECRAT.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICAE ACADEMIÆ COLONIENSIS.

ADMODVM R^DO RELIGIOSISSIMOQ.
LITTERIS ET VIRTVTIBVS ORNATISSIMO
PATRI AC DOMINO
ANTONIO DE WINGHE,
CELEBERRIMI ORDINIS S. BENEDICTI
LÆTIENSIS IN HANNONIA MONASTERII ABBATI
DECANVS CETERIQVE CONCILII S. FACVLTATIS THEOLOGICÆ
ALMÆ VNIVERSITATIS COLONIENSIS DOCTORES
SALVTEM ET FELICITATEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

MERVIT immortalem facti memoriam, Tullio teste, princeps orbis Senatus, quòd summâ arte & elegantiâ elaboratum Mineruæ signum, clarissimo in loco Ciuitatis, ad Sapientiæ commendationem dedicatum, sed ventorum inde vi turbineque deiectum, decreto suo censuerit, maximâ populi frequentiâ ac solemni religione suum in locum restituendum. Maius profectò est, Venerande PRÆSVL, & ad immortalem nominis tui vitam præstabilius, institutum hoc tuum, quòd R^di ac piissimi P. LVDOVICI BLOSII, prædecessoris quondam tui, doctissimas lucubrationes, communi temporum atque infelicium librariorum laborantes vitio, non tuâ modò prouidentiâ, nouis typis ac formis, pristinum in splendorem dignitatemque restituas, sed & eruditis notis & commentationibus illustratum, tamquam rediuiuum spirantemque BLOSIVM orbis in theatrum repræsentes. Non poteras, scilicet, disertâ

magis

magis testificatione Orbi terrarum persuadere, infulâ te istâ tuâ LÆTIENSI dignum, cùm vel vno hoc sapientissimo consilio, plus tu illi ornamenti, quàm poteras accepisse videri, concilies. Atque vt videas laudibus te tuis ornari, non onerari alienis; dictis BLOSIVS ipse annuit, qui, si quid rerum cælestium animus diuinare noster potest & opinione consequi, è cælo empyreo despectans, nouæque velut accessione lucis hilaratus, tibi ceu sospitatori suo grates habet; cuius beneficio in scriptis ipse suis, abstersâ mendorum tristi facie, puluerosaque vetustate, vetera in subsellia locumque dignitatis reuehitur. Applaudit easdem tibi grates Chorus omnis mentium Religiosarum, quotquot Asceticis vsquam conditi sodalitiis, mundi alterius luminumque diuinorum contuitu pascuntur. Quibus omnibus BLOSIVS vnus est, omnium vice, Magister, Medicus, Consolator præsentissimus. Ille & malignas animi noctes ac nebulas dispellere: ille aperire malè latentia, claudere diffluа, salubri percellere & mœrore & gaudio, oculorum suscitare fontes, eademque per vestigia in odorem vnguentorum præuolantis Sponsi rapere: ille restitantes impellere, moderari currentes, solari lassos: ille faces diuinas accendere, & sanctis inflammare desideriis: ille cælestes conciliare nuptias, immortalis denique Sponsi amplexibus beare. Neque verò Monasticis dumtaxat cancellis circumscribenda vtilitas Tractatuum huius tanti viri, qui positus Belgicæ totius quadam in Pharo; ad omnem Christianæ Reipub. partem illustrandam firmandamque sese firmissimam velut arcem Religionis, omnium genere armorum instructam, aduersus nefarias Nouatorum molitiones obiecit. Stillat enimuerò, stillat etiamnum laureatus BLOSII victorque calamus, veteratorum illorum perduelli sanguine, qui auorum nostrorum memoriâ Ecclesiæ Orthodoxæ muros instauratâ sunt ausi machinatione quatere. Quâ quidem tempestate, cùm nouæ ab inferis hæresum laruæ in campum audacter ingrederentur ad sacrorum nostrorum fidem atque auctoritatem labefactandam, tum BLOSIVS noster, primos inter Ecclesiæ bellatores classicum cecinit, sustulit signum, acerrimis hostes scriptis exagitauit, errores redarguit, argutias & inexplicabiles in Religionem fraudes iugulauit. Virent exinde &

tuâ, Reuerende admodum COENOBIARCHA, procuratione lætiùs etiam perennant, BLOSIANIS in Polemicis laureæ ipsius illustrium triumphorum indices, quæ æternâ viriditate florentes, commendationem & Tibi & ipsi parient sempiternam.

Proinde monumenta LVDOVICI BLOSII non libera modò à dogmatibus morum Fideique disciplinæ aduersis, sed & saluberrima Religiosorum Ascetarum amuleta, & aggeres Catholicæ veritatis censenda sunt. Quæ si Ecclesiæ Principes, si Religionis nostræ sacrorumque administri diligentiùs peruolutarint; næ illi saturi rerum Asceticarum iuxtà ac Polemicarum notione, & vtiles fient sibi, & omnibus Catholici nominis hostibus metuendi.

Ita vnanimi calculo sentiebamus & sanciebamus; Tuæque venerabili Paternitati ac religioso Cœtui tuo sempiternam felicitatem beneuolè imprecamur. Coloniæ Vbiorum, Anno M. DC. XXXI. die XX. Octobris.

Ex mandato S. Concilij Duodecemuiralis Theologici,

HENRICVS NEEL *eiusdem Facultatis Decanus pro tempore subscripsit.*

Locus sigilli.

APPRO-

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICAE VNIVERSITATIS INGOLSTADIENSIS.

Hæ Notæ ad quædam Blosii dicta, sunt eruditæ, ac sanctæ Fidei bonisque moribus consonæ: denique dignæ quæ iuxta tantum vitæ Mysticæ spiritualisque Magistrum, quantus est Blosivs, legantur. Ipse verò Blosivs, ita illustratus, edetur non tantùm bono eorum qui vitam Mysticam sequuntur, & in eâ duce peritissimo & tutissimo opus habent, qualis est piissimus hic Abbas; verùm etiam bono publico ipsius Ecclesiæ.

Ita nomine & auctoritate Facultatis Theologicæ, Vniuersitatis Ingolstadiensis, censeo XXVIII. Octob. an. M. DC. XXXI.

Osvvaldvs Coscanvs *Societatis* Iesv *eiusdem Facultatis Professor, & pro tempore Decanus.*

Locus sigilli.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ ACADEMIÆ DVACENSIS.

Cvm R. D. Lvdovici Blosii, piissimi doctissimique viri, & quondam religiosissimi Lætiensis Monasterij Abbatis, Opera, nunc aliquot eiusdem Auctoris Meditationibus aliisque nonnullis aucta, additis etiam toto Opere nouis Capitum summariis, & marginalibus ac variis aliis annotationibus multùm illustrata; hacque ratione, studio & auspiciis R. D. Antonii de Winghe, Abbatis post Blosivm tertij, ac Monachorum Lætiensium,

tiensium, nouæ impressioni præparata, atque ab iisdem censuræ iudicioque nostro subiecta fuissent: Nos Decanus ac ceteri S. Facultatis Theologicæ in Almâ Vniuersitate Duacensi Magistri & Professores, perlectis examinatisque suprà dictis tam Meditationibus quàm Capitum summariis & annotationibus, censuimus primò, memoratas iam Meditationes, tamquam eiusdem Auctoris legitimum opus, ac reliquis eius scriptis in pietate ac doctrinâ & stylo conformes, cum illis prælo dignas esse: deinde iudicauimus, & illa summaria & prædictas annotationes nihil continere sacræ doctrinæ aut bonis moribus repugnans; sed vtraque docta esse ac pia, & deuoto pioque Lectori commoda vtiliaque futura, tum ad alia plura, tum præcipuè ad faciliùs pleniusque intelligenda & penetranda obscuriora quædam & sublimiora mysteria, qualia solent in Mysticæ Theologiæ Scriptoribus occurrere, & minùs exercitato Lectori non rarò difficultatem parere. Denique ipsa laudatiss. mem. D. BLOSII Opera iam anteà sæpiùs approbata & euulgata, atque in varias linguas translata, ac doctorum piorumque hominum manibus trita, & grauissimorum Scriptorum Encomiis celebrata; nunc sic aucta, adornata & illustrata, tamquam verè pia doctaque, atque Ecclesiæ Christi & inprimis piis ac deuotis & Religiosis vtilissima futura, prælo dignissima censuimus. In quorum Fidem præsentes Facultatis nostræ sigillo, ac propriâ D. Decani & Notarij signaturâ communiri fecimus.

Actum Duaci, in plenâ S. Facultatis congregatione die XXIV. Iulij, M. DC. XXVIII.

GASPAR NEMIVS, *S. Theologiæ Doctor & Regius Professor, ac S. Facultatis Theologicæ Duacensis pro tempore Decanus.*

Henricus Vsselinx, S. Facultatis Theologicæ Notarius, de mandato Eximiorum DD. Decani ac reliquorum subscripsi.

Locus sigilli.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII CAESAREI.

FERDINANDVS II. *Diuinâ fauente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus Diplomate suo sanxit, nequis* Venerabilis Patris D. LVDOVICI BLOSII Monasterij Lætiensis Ordinis S. BENEDICTI in Hannoniâ Abbatis Opera, curâ & studio R.D. ANTONII DE WINGHE Abbatis & Monachorum eiusdem Monasterij aucta, ornata, illustrata, *intra Sacri Romani Imperij fines, simili aut alio quouis typo vel formâ, siue in toto siue in parte, recudere aut alij recudenda dare, vel alibi etiam impressa, adducere, vendere, aut distrahere, clàm vel palàm, citra voluntatem & consensum Balthasaris Moreti intra decennium à primâ editionis die computandum audeat vel præsumat. Qui secùs faxit, præter librorum confiscationem, pœnâ decem marcharum auri puri mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Viennæ,* XXXI. *Ianuarij,* M. DC. XXXI.

Signat.

FERDINANDVS.

Ad mandatum S. Cæs. Maiest. proprium.

Philippus à Stralendorff. Ioan. Walderode.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII
REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS IV. *Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus & Potentissimus Belgarum Princeps Diplomate suo sanxit, nequis* Venerabilis Patris D. LVDOVICI BLOSII Monasterij Lætiensis Ordinis S. BENEDICTI in Hanonniâ Abbatis Opera, curâ & studio R. D. ANTONII DE WINGHE Abbatis & Monachorum eiusdem Monasterij aucta, ornata, illustrata, *intra duodecim annos præter voluntatem Balthasaris Moreti vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressa, in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venaliáve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione Librorum & aliâ graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* XXIX. *Martij*, M. DC. XXXII.

Signat.

Steenhuyse.

SVMMA PRIVILEGII
REGIS CHRISTIANISSIMI.

LVDOVICVS XIII. *Franciæ & Nauarræ Rex Christianissimus Diplomate suo sanxit, nequis per vniuersos Regnorum suorum fines*, Venerabilis Patris D. LVDOVICI BLOSII Monasterij Lætiensis Ordinis S. BENEDICTI in Hannoniâ Abbatis Opera, curâ & studio R. D. ANTONII DE WINGHE Abbatis & Monachorum eiusdem Monasterij aucta, ornata, illustrata, *intra decennium præter voluntatem Balthasaris Moreti excudat, aut ab alijs quàm ab ipso excusa diuendat. Qui secùs faxit, præter librorum confiscationem, quingentorum florenorum illatione mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis in Prætorio S. Germani* XVII. *Iulij*, M. DC. XXXI.

Signat.

Petit.

ABBA-

ABBATIS ET MONACHORVM LÆTIENSIVM AD PIVM ET AMICVM LECTOREM PRÆVIA ALLOCVTIO DE LVDOVICI BLOSII OPERIBVS AVCTIS, ORNATIS, ILLVSTRATIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

Noua huius Editionis scopus.

INSTITVTVM nostrum, pie LECTOR, in hac nouâ Editione Operum D. LVDOVICI BLOSII optimi Patris nostri fuit, non tantùm vt auctiùs & correctiùs, verùm etiam vt ornatiùs, clariùs & distinctiùs excuderentur. Fuit hic namque non solùm Pater, sed & Præceptor noster ac Magister: cuius dulcissimum nomen in æternâ apud nos est benedictione: cuius lacteâ melleâque doctrinâ in stadio hoc Regularis vitæ, quod decurrimus, nutrimur, consolidamur, refocillamur: cuius cælestia monita nocturnâ diurnâque manu versamus. Quò magis enitendum nobis fuit, vt talis Operum eius Editio lucem aliquando aspiceret, quæ & nos & alios iuuare posset, vt salutaria tam pij Magistri monita pleniùs clariusque comprehenderentur intelligentiâ, firmiùs infigerentur memoriæ, & ardentiùs inflammarent voluntatem; atque ita per quotidianas actiones familiariùs ad mentem manumque sese offerrent.

Nihil igitur in hac Editione ostentationi datum voluimus, sed vtilitati dumtaxat consultum, tum communi omnium, tum peculiari Fratrum nostrorum sub eâdem sancti Patris nostri BENEDICTI

Regulâ militantium; quos passim scimus per vniuersas Europæ Prouincias BLOSII Ascetica, vt spiritui BENEDICTINO maximè conformia, auidissimè ac iucundissimè legere.

ARTICVLVS II.

Quadruplex huius Editionis vtilitas.

FRuctum animarum ex hac Editione vberiorem consequi nos posse existimauimus, si, adhibitis in tenuitatis nostræ subsidium amicorum nostrorum, tum in scholasticâ tum in mysticâ Theologiâ versatorum, consiliis & auxiliis, singulorum Librorum fabricam & scopum intuentes, ipsos deinde in suos quasi artus & membra diuideremus; ac tandem singula membra siue capita & sectiones in suas iterùm subdistinctiones seu paragraphos maiores, numerosque minores, iuxta materiæ varietatem & exigentiam partiremur, præfixis ad capitum & sectionum initia summariis analyticis, iisdemque ad oras marginum iterùm per loca sua respersis, quæ primo statim intuitu indicarent legenti, quid ibi contineretur, & quidpiam quærenti, quo id loco reperiretur.

Primò, hoc pacto tædium, quod ex non interrupti sermonis prolixitate Lectori subinde solet obrepere, leuandum putauimus.

Secundò, simplicioribus, qui non statim per se inter legendum animaduertunt quid præcipuum, quid accessorium in quolibet Tractatu sit; aut quomodo cohæreant inuicem præcepta, rationes, praxes & industriæ, succurrunt notulæ breues aut ad marginem, aut sub textu adiunctæ, quibus de singulis admonentur.

Tertiò, analyticæ istæ periochæ siue summulæ singulorum Capitum quibus illa distribuuntur in partes, præcepta, rationes, ac causas, quæque ostendunt quam inter se singula connexionem aut disiunctionem habeant, ingentem detegunt vim Aphorismorum ac Documentorum spiritualium, quantam aliàs nemo in iis inueniri suspicaretur.

Quartò, inseruiunt eædem summulæ ac notæ iis instruendis ac dirigendis, qui in Theologiæ mysticæ arcanis nondum plenè exercitatos sensus habent; quíve ea quæ ad hanc scientiam Sanctorum doctrinamque cælestium affectuum pertinent, vel omnino non capiunt, vel ex parte tantùm, aut aliter quàm oportet.

ARTICVLVS III.

Catalogus Operum LVDOVICI BLOSII *chronologicus.*

QVia in hac Operum BLOSIANORVM Editione ab ordine temporum, quibus Opuſcula quæque ab Auctore ſcripta fuere aut in lucem emiſſa, nonnumquam propter materiæ ſimilitudinem recedendum putauimus; Lectori non ingratum fore credidimus, ſi hoc loco ipſum temporum ordinem, ac quaſi natales eorum annos præmitteremus. Illud eò fecimus libentiùs, quòd IACOBVS FROIVS noſter (qui primus Opera omnia BLOSII in vno volumine iuncta edidit) etſi eumdem ordinem ſecutum ſe fuiſſe exiſtimet (prout videre licet in eius Præfatione) non tamen per omnia eum eſt aſſecutus. quod ſaltem in *Conclaui animæ fidelis* patet: cui locum tribuit longè ante *Pſychagogiam*; cùm BLOSIVS ipſe in Epiſtolâ, quæ eſt ſub finem *Conclauis*, ſuadeat illi cui ſcribit, vt Pſychagogiam in manus ſumat, quam dicit ſe ſuperioribus annis collegiſſe ex Sanctis AVGVSTINO & GREGORIO.

Et quidem etiamſi BLOSIVS primò omnium in adoleſcentiâ ſuâ *Comparationem Regis & Monachi* ex Græco D. CHRYSOSTOMI Latinam fecerit, nos tamen (quòd eius Opuſculi non tam auctor fuerit quàm interpres) cum ARNOLDO WION, ANTONIO POSSEVINO, & aliis, primum eius fetum ſeu opus numerabimus *Speculum Monachorum*, quod edidit BLOSIVS ſub nomine DACRYANI Abbatis (qui non eſt alius à BLOSIO, vt Articulo VI. & VII. demonſtrabitur) excudente Bartholomæo Grauio Louanij in 4. anno 1538. 1538.
qui erat octauus circiter Abbatialis præfecturæ. Idem *Speculum* ſecundò recudi curauit ab eodem Grauio anno 1549. in 8. adiecitque *Epiſtolam duodecim Documentorum* ſub eodem nomine DACRYANI, cum *breuibus Appendicibus ad ſingula Documenta*: quas *Appendices* fuſiores poſteà reddidit, & *Documentis* iiſdem iterùm ſubiunxit in *Enchiridio paruulorum*; præmiſsâ inſuper præfatiunculâ, quæ in ſecundâ *Speculi* Editione deeſt: & *Documenta* variatis ſubinde verbis, aliter in vnâ quàm in alterâ Editione apparent. Subiecit huic Editioni ſecundæ *Rhythmicam ſalutationem ad* IESVM & MARIAM: eidemque præfixum eſt priuilegium Cæſaris, datum anno 1538. in quo dicitur hoc *Speculum* à RVARDO TAPPERO Louanienſis Academiæ Cancellario viſitatum & permiſſum.

Canonem vitæ ſpiritualis ſcripſit anno 1539. vt videre eſt in eius 1539.
Præfatione ad Cardinalem QVIGNONIVM. Eumdem *Canonem*, adiectis *Epitome Vitæ Chriſti ex quatuor Euangeliis*, *Cimeliarchio pia-*

rum precularum, Medullâ Psalmodiæ, & *Officio breui Horarum de* IESV *&* MARIA, iterùm edidit (sed sub titulo *Paradisi animæ fide-*
1540. *lis*) anno 1540. per Guilielmum Montanum Antuerpiæ in 8. RVARDO TAPPERO & aliis Theologis approbantibus. Seorsim deinde *Canon vitæ spiritualis* auctus & expolitus anno 1549. in 8. prodiit Louanij apud Grauium, adiecto ad calcem *Iubilo amantis animæ*. Huic Editioni præfigitur aliud Cæsaris priuilegium anni 1549. quo dicitur tam *Canonem* istum quàm sequentes quatuor libellos, *Cimeliarchion* scilicet, *Enchiridion, Psychagogiam* ac *Collyrium* ab eodem RVARDO TAPPERO visitatos esse & approbatos. Hanc *Canonis* Editionem iterauit in 12. Wolfgangus Ederus Ingolstadij, anno 1585. addiditque *Endologias, Preces*, & *Meditationes ad septem dies hebdomadæ accommodatas*.

Cimeliarchion valdè diuersum à priori in lucem emisit BLOSIVS,
1549. excudente Grauio anno 1549. in 8. Reiectis enim in alium librum, quem pòst scripsit, & *pias Preculas* inscripsit, plerisque primæ Editionis *Endologijs*, alias nouas *Endologias* ac deuotas *Orationes* substituit, & sub finem ante *Precationem ad* IESVM *Psalmum* CXVIII. interseruit, diuisum in XXII. octonarios, tamquam XXII. vt ait, breues Psalmos: quem etsi nos in hac Editione, IACOBVM FROIVM secuti, vt satis notum, omisimus; Epigraphen tamen Psalmo à BLOSIO præfixam Lectori exhibere voluimus; quia pia est, & ab iis qui Psalmum illum toties in Officio diuino recitant seriò expendenda. Est igitur hæc:

Psalmodia miræ suauitatis miræq; virtutis, in cuius singulis penè versibus anima fidelis verba sua amanter ad Deum dirigit, & gratum miscet cum eo colloquium, per legem, mandata, præcepta, testimonia, vias, iustificationes, iudicia, eloquia, & similes dictiones, quæ in ipsâ Psalmodiâ frequenter repetuntur, vt intelligatur lex dilectionis, & amabilis Dei voluntas.

In fine huius *Cimelarchij*, sic innouati, ita loquitur Auctor: *Hîc finem Cimeliarchio Precularum piarum imponimus. Statuimus enim, si Deus concesserit, breuì scribere Enchiridion paruulorum, in cuius calce etiam Precationes & Doxologias aliquas adijciemus.*

Enchiridion paruulorum, eo ipso anno 1549. quo promisit, præstitit & publicauit per Grauium in 8. libris duobus: quorum prior habet *Epistolam* XII. *Documentorum*, sub nomine DACRYANI, nonnihil variatis verbis à primâ Editione, cum vberrimis & deuotissimis Appendicibus: posterior præcipuè versatur in præparatione ad felicem mortem. Huic Editioni in fine addita fuit à BLOSIO hæc Conclusio Opusculi: *Qui precandi laudandiq; Deum studio impensius*

pensiùs delectatur, si ei ista minùs sufficiunt, habet totum Psalterium Dauidicum, habet & alias Orationes atque Doxologias eximias à Patribus conscriptas. His immorari poterit secundùm gratiam sibi cælitus concessam. Nos quoque nuper edidimus Cimeliarchion piarum precularum: in cuius calce posuimus precationem vnam ad IESVM *singulariter vtilem his qui ad profectum virtutum contendunt, & huic subiecimus alteram continentem Commendationes quotidianas.* Quam conclusionem quia in posterioribus Editionibus Auctor sustulit, & in Editione Froij ac sequentibus desideratur, nos in textu reponendam non iudicauimus.

Prodiit eodem anno 1549. *Psychagogia* ex sanctis Patribus collecta, excudente Bartholomæo Grauio Louanij in 8. hanc pòst in 12. impressit vidua Martini Nutij anno 1560.

Collyrium hæreticorum paullò pòst euulgauit BLOSIVS, & excudit Grauius anno 1549. in 8. in cuius præfatiunculâ aliquot à se editos libellos enumerat, his verbis: *Edidimus autem ista: In adolescentiâ vertimus è Græco libellum Diui Ioannis Chrysostomi, in quo Rex cum vero Monacho comparatur. Posteà diuersis temporibus scripsimus Canonem vitæ spiritualis, Cimeliarchion precularum, Enchiridion paruulorum, Psychagogiam ex Augustino & Gregorio beatissimis Pontificibus collectam, ac postremò istud Collyrium. Quæ Opuscula nostra incompta & inuenusta vt in æternam gloriam Dei cedant, vehementer optamus: atque ea iudicio Ecclesiæ Apostolicæ, correctioniq́; Patrum Orthodoxorum libenter submittimus.*

Adiuncta *Collyrio* tunc fuit *Comparatio Regis & Monachi*, quam ex Græco D. CHRYSOSTOMI Latinè reddiderat D. BLOSIVS adolescens anno 1527. Nicolai Clenardi Græcæ linguæ peritissimi litteris eruditus. Dedicauit eam nobili adolescenti Ioanni Molembasio, quicum in studiorum curriculo adoleuerat.

De hoc *Collyrio* (vt de aliis Controuersiarum Fidei à BLOSIO feliciter ac fortiter pertractatarum argumentis) obseruationem nostram inueniet Lector ad Sectionem decimam, quæ *Defensio Fidei* inscribitur.

Sacellum animæ fidelis circa annum CHRISTI 1549. lucem aspexit. Complectitur autem *Tabellam spiritualem, Preculas pias,* huc ex primâ *Cimeliarchij* Editione (vt superiùs diximus) translatas, *Endologias ad* IESVM *&* MARIAM, *Dicta quorumdam Patrum verè aurea,* & *Medullam Psalmodiæ.* Hanc *Medullam Psalmodiæ* priùs in *Paradiso animæ* euulgatam sub Græco titulo *Myelodochij*, pòst nonnihil à BLOSIO immutatam, & huic *Sacello* dedicatam, tandem hac Editione ad veterem sedem *Paradisi animæ fidelis* reuocauimus.

1551. *Institutionem spiritualem conscriptam esse à* BLOSIO *anno* 1551. constat ex Epistolâ præfixâ ad FLORENTIVM DE MONTE: quam obseruet Lector plenam esse zeli pietatis & doctrinæ BLOSIANÆ contra deprauatos mores hominum indeuotorum, & impudentem peruicaciam hæreticorum. Coniuncta est *Institutioni Appendix ex Joanne Thaulero & alijs:* item *Exercitium piarum precationum cum Endologijs: Apologia* etiam *pro Joanne Thaulero contra Eckium*, laudata à Cardinale BELLARMINO libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & ab ANTONIO POSSEVINO in Apparatu, dum agunt de IOANNE THAVLERO.

Excusa fuerunt hæc omnia iunctim Louanij ab Antonio Mariâ Bergagne in 8. anno 1553. visa priùs & admissa à PETRO CVRTIO Pastore S. Petri, pòst Brugensium Episcopo.

1553. *Breuis regula Tyronis spiritualis* impressa est cum *Institutione* præcedenti anno 1553. & iterùm separatim in 16. ab eodem Bergagne anno 1555. additis *Pijs aliquot exercitijs*, & XIII. *Præceptiunculis*; approbante eodem PETRO CVRTIO.

1555. *Consolatio pusillanimium*, quæ est vera panacea curandis omnibus animorum afflictorum & desolatarum conscientiarum ægritudinibus, prodiit apud Martinum Nutium anno 1555. in 12. addita est *Consolationi Paraclesis ex Scripturis desumpta:* quam ex *Paradiso* huc BLOSIVS ipse transtulit. *Consolatio* iterùm excusa est anno 1559. eadem formâ apud Martini Nutij viduam.

Margaritum spirituale in lucem exiit Louanij in 8. per Ioannem Waem anno 1555. continet verò *Epitomen Vitæ Christi ex quatuor Euangelijs*, longè copiosiorem eâ quam in *Paradiso* antè collocauerat BLOSIVS; *Explicationem Dominicæ Passionis* ferè ex Thaulero collectam; *Farraginem vtilissimarum institutionum*; *Articulos Vitæ Christi*; *Igniariolum diuini amoris*; *Exercitiola quadam diuinarum precationum*; *sex Psalmos miræ suauitatis & virtutis.*

1558. *Conclaue animæ fidelis* (in quo reperiet Lector *Speculum spirituale, Monile spirituale, Coronam spiritualem, Scriniolum spirituale*) prodiit Antuerpiæ anno 1558. Rursum ibidem anno 1564. apud viduam Martini Nutij in 12.

1562. *Faculam illuminandis hæreticis & ab errore reuocandis* prætulit, & extremo partu quadriennio ante mortem in lucem protulit BLOSIVS anno 1562. edente Petro Zangrio Louanij in 12.

Ecce tibi, pie Lector, per annos XXIV. fecunditatem egregiam LVDOVICI BLOSII Abbatis nostri: qui licet tum publicis Ecclesiæ & Patriæ rebus, tum priuatis nostri Monasterij in meliorem formam restituendi curis, tum aliis impedimentis distractus esset, tam

varia

varia nihilominùs in animarum vtilitatem Opuſcula, ſeu Aſcetica, ſeu Polemica, Deo inſpirante & adſpirante euulgauit.

Hæc Opuſcula ſeorſim ſuis temporibus edita, veluti membra diſiecta in vnum corpus collegit primus omnium BLOSII Operum in vno volumine iunctorum euulgator IACOBVS FROIVS, Confrater noſter, BLOSII diſcipulus, qui ſemper à nobis cum gratæ memoriæ commendatione nominandus eſt, quique deinde Haſnonienſium Abbas fuit. Nec edidit tantùm, ſed & variis Capitum argumentis ac notulis aliiſque ornamentis illuſtrauit, vt in ſuâ Præfatione teſtatur. Impreſſit autem Louanij Ioannes Bogardus anno 1568. in folio, biennio poſt pium Auctoris ab hac vitâ tranſitum, approbante LAVRENTIO METZIO S. Theologiæ Licentiato, eo qui deinde Siluaducenſis Epiſcopus fuit.

Poſteà Coloniæ anno 1572. & 1589. apud heredes Materni Cholini iterùm in folio eadem BLOSII Opera prodierunt. Rurſum in 4. ibidem apud Bernardum Gualterum anno 1606. 1615. 1618. & 1625. Denuò in 4. 1622. Pariſiis apud Societatem minimam. Denique Auguſtæ Vindelicorum 1626. tomulis quinque in 12. apud Andream Apergerium, edente & recenſente D. Romano Hay Ordinis noſtri in Sueuiâ Monacho, cui etiam gratias debemus & agimus ob inſignem operam in adornandâ iſtâ commodâ BLOSII noſtri Editione nauatam, quâ & nos ſubinde in hac noſtrâ vſi ſumus.

Habent & iſtam laudem hæc Opera, quòd variis variarum gentium linguis, Germanicâ, Belgicâ, Hiſpanicâ, Italicâ, Gallicâ, Anglicâ, tranſlata ſint. Vnde facilè patet, quanto omnium gentium applauſu ac fructu ſint excepta. Quid? quòd annis paucis ſexies ac ſæpiùs ſermone Hiſpanico recuſa ſunt? Neque intra Europam aut feruor hic ea legendi ſtetit, aut fructus. In ipſas Indiarum Prouincias nauigauit. Illuc enim, vt Viri cuiuſdam venerabilis, ex noſtri Ordinis Hiſpanienſi Congregatione, grauiſſimo teſtimonio didicimus, frequentiſſima BLOSIANORVM Operum exemplaria tranſmiſſa ſunt: numquam tot tamen vt ardentiſſimam fidelium deuotionem ſatiarent.

ARTICVLVS IV.

Opera BLOSII *in decem Sectiones digeſta.*

A Chronologicâ Operum BLOSIANORVM diſpoſitione IACOBVS FROIVS non multùm receſſit, & ordinem temporum in quo Opuſcula ab Auctore ſcripta & edita credebat (vt in Epiſtolâ eius liminari videre licet) ſequendum putauit; etſi in vno alteróve vel ipſe vel Typographus nonnihil erraſſe videatur. Nos in

hac Editione materiæ similitudinem & aptam rerum connexionem spectantes, (seruatâ tamen quantum licuit temporum catenâ) Opuscula omnia BLOSIANA in Sectiones decem capitales diuisimus, nouem videlicet Asceticas, quæ spiritualia documenta complectuntur, vnam Polemicam, quæ Controuersias Orthodoxæ Fidei aduersus nostri temporis hæreticos disputatas continet, hac serie:

ELENCHVS OPERVM BLOSIANORVM HAC NOVA EDITIONE IN SECTIONES DECEM DISTRIBVTORVM.

ASCETICÆ SECTIONES IX.

SECTIO

Qui titulus est nouus, & continet tres partes; duas antiquas (olim etiam, viuente BLOSIO, iunctim impressas) in quibus DACRYANI nomen ab Auctore substitutum; & tertiam nouam ex chartis BLOSIANIS eductam, quæ hactenus lucem non aspexit.

Sub quo titulo, etiam nouo, comprehenduntur partes tres à BLOSIO pro Catholicâ Ecclesiâ aduersus temporis nostri Nouatores conscriptæ; quarum duæ priores olim in lucem emissæ fuerunt, tertia nunc primùm euulgatur.

Hæ sunt partes decem Operum BLOSIANORVM, quæ à nobis sic digestæ, auctæ, ornatæ, illustratæ, Deo fauente, & amicis iuuantibus,

tibus, ex Officinâ Plantinianâ prodeunt. Harum Partium Sectiones aut Diuisiones in Capitum ac Paragraphorum aliorumque membrorum minutias si quis videre desiderat, in calce Operum Indicem Librorum singulorum & Capitum inueniet.

ARTICVLVS V.

Obseruationes Typographicæ pro hac Editione.

EXponemus, pie Lector, quid à nobis gestum sit in concinnandis ad nouam hanc Editionem BLOSII nostri Operibus.

I. In primis Architypographo Regio Balthasari Moreto amico nostro tradidimus integrum omnium BLOSII Operum textum. Exemplar autem totum & varias eius Lectiones tum ad BLOSIANA M.SS. tum ad correctissima hactenus impressa Exemplaria recensuimus, & lectionem, quam optimam iudicabamus, prælo obtulimus.

II. Quamuis BLOSIVS in multis Opusculis, quæ collectanea sunt ex Patribus tum veteribus tum recentioribus, verba Auctorum & sententias, nullâ ipsorum aut veritatis iniuriâ, transfert, omittit, interponit; quod sæpè deprehendimus conferendo citationes eius cum fontibus ipsis, tamen nihil mutandum iudicauimus: quandoquidem bonâ Auctorum ipsorum pace potuit BLOSIVS verba & sententias eorum aptare & variè transferre ad suum institutum, partibus hinc inde deductis, & pro materiæ quam tractabat occasione non in diuersos aut contrarios sensus, sed iuxta mentem Auctorum in vnam doctrinam stabiliendam conflatis. Quod nec illaudabiliter nec sine exemplo fecit, cùm & Ecclesia ipsa in Officiis diuinis isto modo sæpè vtatur verbis ac sententiis Scripturæ sacræ (cuius rei exempla aliquot producit FRANCISCVS SILVIVS in Epistolâ dedicatoriâ libelli de Statu hominis post peccatum) & S. THOMAS AQVINAS in aureâ suâ Catenâ verba sanctorum Patrum eodem quo BLOSIVS modo sæpè produxit.

III. Textum BLOSII totum & omnes eius Præfationes ac Interlocutiones maiusculo charactere imprimi curauimus. Pauca tamen quæ BLOSII non sunt, eodem charactere, nescio quo errore, interposita, breuiter hîc (ne quis fallatur) indicanda censuimus. Sunt autem hæc: pag.371. *Pius & venerabilis.* pag.428. *Monotessaron.* pag.621. *Cùm Monile.* pag. 651. *Huic Speculo.* pag. 739. *Dominus & Saluator.*

IV. Capitum argumenta quæcumque à BLOSIO in libris, ipso viuente editis, adscripta fuerunt, religiosè retinuimus: quæ pius Lector inueniet in *Institutione*, & *Appendicibus*, & in *Collyrio hæreticorum*. Cetera vel à IACOBO FROIO accepimus, vel ex nobis adscripsimus.

Addi-

Addidimus passim (vt Art. II. dictum est) vbi erat opus, summaria numeris distincta in principio Capitis ac Diuisionis, quæ deinde ad marginem suis locis iterauimus. In CHRYSOSTOMO *de Comparatione Regis & Monachi*, quia stylus non materia spectabatur, pro eiusmodi summariis Græcum textum apposuimus. Deinde variis locis ad marginem, & in fine Paragraphorum vel Capitum, minutulo & diuerso à marginalibus summulis ac numeris charactere, citationes varias, illustrationes, Auctorum similes sententias, confirmationes, practicas obseruationes, ac monitiones adiecimus. Quæ quia non semper iterantur, vbi in diuersis Libris BLOSIANIS eædem locutiones & occasiones occurrunt, rogatos volumus, eos qui deinceps aut Latinâ aut vernaculâ vllâ linguâ seorsim Opusculum aliquod edere cogitabunt, velint tum ex hisce Prolegomenis, tum ex aliis Libris hac Editione per tales Notas illustratis, in illud separatum Opusculum referre: quod apponi necesse non videbatur quamdiu in toto corpore hærebat. V.

Scripturæ sacræ verba, quando erant ipsissima Vulgatæ Editionis verba, in textu BLOSIANO diuerso charactere edidimus, & Capitum numerum margini apposuimus: quando verò Scripturæ sententia non suis verbis citabatur, contenti fuimus Capitum numerum ad marginem signare. VI.

In *Consolatione pusillanimium* BLOSIVS nullâ Capitum diuisione vsus fuit. Nos Capita pro materiarum varietate distinximus, nec quidquam tamen in ordine variauimus, vnico & breuissimo S. AVGVSTINI loco excepto, qui incipit, *In libro tuo*, ex Psalmo CXXXVIII. quem oportuit, ob materiæ similitudinem, ex quarto superiùs Paragrapho veteris Editionis in Caput Editionis nostræ decimumsextum transferri. VII.

Speculum Monachorum, sub DACRYANI nomine à BLOSIO editum, perpetuò & non interrupto textu à capite ad calcem decurrebat. Nos, qui & in Monasterio nostro quotidie illud per distinctas partes ex præscripto BLOSII legere publicè solemus, & in Hispanicâ Ordinis nostri Congregatione per diuisos octo partibus Paragraphos legi solere accepimus, *Speculum* vniuersum non in Capita, sed in Diuisiones octo partiti sumus: voculam hanc Diuisionum retinentes, quòd ea nobis & nostris sit familiarior. VIII.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

DACRYANVS, *seu* Speculum Monachorum, *Liber* BLOSIO *vero Auctori assertus.*

OPuscula duo sub alieno DACRYANI Abbatis nomine ipse BLOSIVS euulgauit, *Speculum Monachorum*, & *Epistolam* XII. *Documentorum*, quæ priori *Enchiridij* libello legitur; prudenti consilio, infrà proponendo. quod tamen nonnullis, doctis aliàs piisque viris, erroris occasionem dedit, vt reuerà crederent Libellos illos non ab ipso BLOSIO, sed ab alio quodam antiquo DACRYANO, qui ante annos octingentos vixerit, profectos.

Et nos quidem hactenus errorem hunc patienter tulimus; tum, quòd eum nullo certo argumento nullâve satis idoneâ coniecturâ nixum, speraremus vltrò in fumum abiturum; tum, quòd nobis sufficere crederemus, constare Monasterio nostro, BLOSIVM eorum Libellorum esse genuinum Auctorem; tum denique, quòd ad communem Ordinis nostri gloriam satis esse putaremus, si BENEDICTINO saltem Abbati tribuerentur. Iam verò quando vniuersa Opera BLOSIANA aucta & illustrata Typis Plantinianis committimus, & periculum superesse animaduertimus, ne leuis paucorum error omnes trahat, & in communem euadat opinionem; néve nos, dum tacemus, consensisse videamur; necessariò duximus ea Opuscula parenti suo BLOSIO breuiter asserenda: *Speculum* quidem hoc Articulo sexto, *Epistolam* autem sequenti. Quod à nobis certè potiori iure quàm ab aliis fiet, qui vel vnà cum BLOSIO viximus, & omnia ad eum spectantia certiùs nouimus, vel ea à Senioribus nostris accepimus: vnde id etiam fore sperauimus, vt faciliùs apud æquum Lectorem fidem inueniremus. Primùm quidem argumenta proponemus stabiliendæ sententiæ nostræ, inde contrariam opinionem euertemus; tertiò denique rationes adferemus, cur BLOSIVS noster sub illo adscititio DACRYANI nomine latere voluerit.

Primum igitur sententiæ nostræ fundamentum sit ipse titulus, qui in primâ Louaniensi Editione apud Bartholomæum Grauium anno 1538. huic Libello ab ipsomet BLOSIO præfixus fuit, *Speculum Monachorum à* DACRYANO *Ordinis sancti* BENEDICTI *Abbate conscriptum, antehac numquam excusum.* Ex quo titulo hæc eruuntur. Primò, si alium à se DACRYANVM BLOSIVS agnouisset, expressisset sanè ex quibus membranis aut è quâ Bibliothecâ nouum Opus antiqui Scriptoris eruisset, quo ille loco, quo

co, quo tempore vixiſſet; quibus moribus, quâ ſcribendi auctoritate fuiſſet; tum vt incognito Scriptori auctoritatem conciliaret, tum ne quid de eius nomine detraheret. Secundò, exſtaret exemplar à BLOSIO repertum: magnâ enim curâ membranæ veteres, etiam poſtquam à typis lucem aſpexerint, aſſeruantur; indubiè id aliquando ab aliquo Seniorum noſtrorum viſum fuiſſet, vel ſaltem aliqua eius audita mentio. Nam vt alicui veniat in mentem ſuſpicari, conſultò à BLOSIO ſuppreſſum aut laceratum autographum, non patitur nota illa BLOSIANA modeſtia & candor: neque videmus cuius conſilij eſſe potuiſſet, eius Auctoris autographum obſcurare, cuius in Editione nomen expreſſum eſſet. Tertiò, non facilè vir modeſtus BLOSIVS *Speculum* anteà numquam excuſum aſſeueraſſet, niſi id eius Opus fuiſſet. Nam aliena Opera in veteribus membranis inuenta rarò vir ſapiens edet quaſi anteà numquam edita, quòd ſemper incertum ſit, an ea alibi extent. De ſuis ferè tantùm Operibus quis tutò teſtari poteſt, ea iam primùm lucem aſpicere. Quartò denique, ante BLOSII tempora nulla omnino DACRYANI Abbatis mentio vſquam reperitur; neque modò à quoquam oſtendi poteſt, vbi ille ſeptingentis annis ante BLOSIVM delituerit. Certè HERIBERTVS ROSWEYDVS Societatis IESV, vir in Eccleſiaſticâ veterum Patrum hiſtoriâ tantopere verſatus, ſæpè nobis affirmare ſolitus eſt, ſeſe nullum vmquam ante BLOSIVM DACRYANI nomen vllo in libro reperiſſe. Ac mirum ſanè eſſet, ne nomen quidem DACRYANI tot tamque accuratis Ordinis noſtri Scriptoribus agnitum fuiſſe: inprimiſque IOANNEM TRITHEMIVM, qui tanto ſtudio Ordinis ſui Auctores, alioſque viros illuſtres collegit, eius ne nomẽ quidem vſpiam reperturum fuiſſe, in nobiliſſimis præſertim tot Monaſteriorum Germaniæ monumentis, quæ necdum hæreſis diſſiparat, ſi vmquam DACRYANVS aliquis, & tam eximij Libelli Auctor extitiſſet. Ex his omnibus rectè cõficimus, nullũ alium à BLOSIO DACRYANVM *Speculi* parentem agnoſci debere.

Secundo loco perſuadet opinionem noſtram ſtyli ratio ſeu ſcribendi character, quæ veluti certa dignoſcendorum Auctorum Regula plerumque à peritis hominibus adhibetur. Toto *Speculo* diffuſus eſt mellitus ille ſuccus ſpiritus BLOSIANI, cuius id proprium ſemper fuit, apis inſtar mel ſuum ex Auctoribus velut è floribus exſugere, & Operibus ſuis infundere. Vt alibi paſſim, ita & in *Speculo*, amabili quadam & dilucidâ methodo ex THAVLERO & aliis familiaribus ſibi Auctoribus varia Documenta ſeligit, eaque more ſuo in Aſceticorum locorum communium formam normamque redigit. Certè qui BLOSII Libellis aſſueuerit, ſtatim eum latentem in *Speculo*, ſed ſuâ ſe dulcedine prodentem agnoſcet.

Tertiò, ad sua ipse Statuta modumque lenioris obseruantiæ nostræ BLOSIVS in hoc *Speculo* suo manifestè respicit: vt cùm de Monachorum honestis recreationibus & inambulationibus, deq; sobrietate in cibo ac potu agit. quæ eadem & iisdem subinde verbis in Statutis habentur. Exemplum accipe è multis vnum. In *Speculo* Diuis. 1. num. 3. dicitur: *Si vini potum intemperanter vltra mensuram vnius scyphi affectas, præsertim quando rectè vales, cereuisiamq; aut alium potum conuenientem sufficienter habes, Monachus non es.* In Statutis verò cap. 14. *Vinum vltra mensuram vnius scyphi absque necessitate non administretur, vbi cereuisia principalis potus est.* Sic eodem modo alia nonnulla in *Speculo* præcepta reperies nostræ Lætiensium consuetudini ferè propria: vt intelligas nobis ea primùm fuisse à BLOSIO conscripta.

Quartò demum, constans & indubitata semper fuit inter Seniores omnes inde à BLOSIANIS temporibus Monasterij nostri traditio, & etiamnum est, non alium esse aut fuisse vmquam DACRYANVM, nisi BLOSIVM nostrum. Quod inter alios maximè Abbatem nostrum nouissimum D. NICOLAVM LE FRANCQ p.m. studiosissimum BLOSII discipulum, sæpè testantem ac protestantē audiuimus. Quæ ratio à nullo iusto Iudice contemnenda est, cùm ius fasq; negent perpetuā longi temporis possessionē ob leues paucorū coniecturas abiudicari debere.

His aliisque rationibus adducti viri doctissimi, expuncto DACRYANI nomine, genuinum hunc fetum BLOSIO nostro asseruerunt. Inprimisq; GREGORIVS ALFARVS Abbas Ordinis nostri Congregationis Hispanicæ, in suâ BLOSIANORVM Operum vernaculâ translatione, solius BLOSII nomen *Speculo Monachorum* præfixit. Et ARNOLDVS WION lib. 2. Ligni vitæ capite 17. dicit idem *Speculum* sub nomine DACRYANI Abbatis à BLOSIO compositum, vocatq; primum eius Opus. Deniq; ROMANVS HAY, Operibus BLOSIANIS pulchrè in quinque partes distinctis, in suâ ad Lectorem Præfatione asserit, *Speculum* esse genuinum proculdubiò BLOSII partum. Ex quibus perspicuum est, non domesticorum tantùm affectu, sed externorum etiam prudenti iudicio Librum hunc BLOSIO nostro vindicari.

Stabilitâ breuiter sententiâ nostrâ, quantum satis esse putauimus, sequitur, vt iis occurramus qui contrà sentire visi sunt. Quatuor hactenus omnino videre licuit, qui *Speculum* non BLOSIO dandum, at DACRYANO decernerent: quos hoc loco subteximus, ne cuiusquam auctoritatem aut argumenta declinasse videamur.

Primus eorum fuit MARGARINVS BIGNÆVS, qui Tom. 5. Bibliothecæ veterum Patrum Editionibus posterioribus ante *Spiritualis vitæ Documenta* DACRYANI sic scribit: *De* DACRYANO *nihil habemus, quàm fuisse ipsum Monachum S.* BENEDICTI. *Vide* POSSEVINVM *in*

Ap-

Apparatu sacro. Eadem repetit Tom. 9. eiusdem Bibliothecæ in Indice Alphabetico: in Indice verò Chronologico adscribit eumdem DACRYANVM octauo sæculo. Rursum præfato Tom. 5. ante *Speculum Monachorum* DACRYANI, hanc præmittit Censuram: *Dicendi character finisq́, similis Libelli huius & Epistolæ præcedentis, tum & alia nonnulla, mouent me, vt putem hunc esse* DACRYANI *Abbatis potiùs quàm* BLOSII; *maximè verò quòd* FROIVS, *qui hunc postremum inter* BLOSII *Opera curauit excudi, in Epistolâ dedicatoriâ dicat, illum pro fetu legitimo non agnitum ab ipsomet* BLOSIO, *vt qui non solus, etsi præcipuus, eius esset parens.* Hæc MARGARINVS.

Secundus ANTONIVS POSSEVINVS in *Apparatu sacro* in DACRYANO hæc habet: DACRYANVS *Abbas Ordinis sancti* BENEDICTI *scripsit Speculum Monachorum: quod primò excusum est Louanij apud Bartholomæum Grauium, anno* 1538. *Quin & scripsit spiritualis vitæ Documenta, quæ vnà cum eodem Speculo exstant Tom.* 4. (sed corrigendum est, *Tom.* 5.) *Bibliothecæ sanctorum Patrum* BIGNÆI, *Edit.* 2.

Tertius, IAÇOBVS GAVLTERIVS in Tabulâ suâ Chronologicâ, DACRYANVM adscribens octauo sæculo, loquitur in hunc modum: DACRYANVS *Abbas Ordinis S.* BENEDICTI, *qui Monachorum Speculum scripsit, & vitæ spiritualis Documenta, quæ extant Tom.* 5. *Bibliothecæ SS. Patrum. De eo vide & Tom.* 9. *eiusdem Bibliothecæ Patrum in Indice Chronol. sæculo octauo, &* POSSEVINVM *in Apparatu sacro.*

Quartus deniq; NICOLAVS YVELINVS Theologus Ebroicensis, Gallicus DACRYANI Interpres, in frontispicio suæ Translationis dicit, *eam à se factam ex Latino* DACRYANI *Abbatis Ordinis S.* BENEDICTI, *qui floruit ante* 700. *vel* 800. *annos.* Et rursum post Epistolam suam dedicatoriam: *De* DACRYANO *Abbate,* inquit, *vide* ANTONIVM POSSEVINVM *Societatis* IESV *in Apparatu sacro, & Tom.* 5. *sacræ Bibliothecæ veterum Patrum. Floruisse dicitur octauo sæculo.*

Hos solos inuenimus, qui alium à BLOSIO DACRYANVM affirment. Sunt illi quidem veniâ digni, quòd primâ *Speculi* Editione DACRYANVM vnum, at BLOSIVM nullum legerint: refellendi tamen sunt, ne quà veritati desimus. Auctoritatem nihil moramur, nam ipsimet eam eleuant, dum MARGARINVS POSSEVINVM, POSSEVINVS MARGARINVM allegat, GAVLTERIVS & YVELINVS vtrumque; apertè testati, nullo certo duce se tendere. POSSEVINVM etiam nobiscum sentire iam ostendemus. Quamuis enim primâ fronte loco citato fauere BIGNÆO videatur; nihil tamen minus reperies, si rem penitiùs introspexeris. Nam id ibi solùm asserit, *Speculum Monachorum, & vitæ spiritualis Documenta* à DACRYANO esse conscripta; quis autem DACRYANVS ille fuerit, BLOSIVS ne an alius à BLOSIO, non

attingit: tantùm credidit, DACRYANI nomen, quod Bibliothecæ Patrum insertum legeret, in *Apparatu* suo non omittendum, nullâ factâ sæculi mentione. Tomo verò secundo *Apparatus sacri* in LVDOVICO BLOSIO, vbi particulatim singula eius Opuscula recenset, primo loco ponit *Speculum Monachorum sub nomine* DACRYANI, eumque vocat non genuinum tantùm, sed & *primum* BLOSII *fetum*. POSSEVINVS ergo iam noster est. GAVLTERIVS autem & YVELINVS solâ MARGARINI auctoritate contenti, prætereà nihil probant. Cum solo nobis itaque MARGARINO iam res est.

Primò testatur MARGARINVS, *de* DACRYANO *nihil habere se, quàm fuisse ipsum Monachum S.* BENEDICTI. Rectè; ita enim in primâ *Speculi* Editione legit non Monachum eum tantùm, sed & Abbatem: ita nos quoque vltrò fatemur, DACRYANVM Auctorem *Speculi* fuisse Ordinis S. BENEDICTI Abbatem; non tamen veterem aliquem, at modernum BLOSIVM. Porrò si nihil aliud de DACRYANO MARGARINVS inuenit, quâ auctoritate vel ratione potiùs octauũ ei sæculum quàm septimum aut nonũ aut quodlibet aliud assignauit?

Pergit MARGARINVS: *Dicendi character finisq; similis Libelli huius & Epistolæ præcedentis, tum & alia nonnulla, mouent me, vt putem hunc esse* DACRYANI *Abbatis potiùs quàm* BLOSII. Perperàm omnino MARGARINVS coniecit ex simili *Speculi* & *Epistolæ* charactere, *Speculum* veteris alicuius DACRYANI esse, non BLOSII. Id vnum rectè concludere potuit, eumdem *Speculi* & *Epistolæ* Auctorẽ esse, quod & nos asserimus; *Speculum* & *Epistolam* veteris alicuius DACRYANI esse, concludere inde non potuit, cùm nullum veteris DACRYANI opus à MARGARINO conspectum sit, cuius character cum *Speculi* & *Epistolæ* charactere conueniret. Potiori iure nos suprà collegimus, hæc Opuscula BLOSII esse, quòd ea cum ceteris eius OPERIBVS suauissimâ styli similitudine conspirent. Quod de dicendi charactere respondimus, de pari quoq; *Speculi* & *Epistolæ* fine dicendum est: verisimiliter ex eo sequitur, vnum & eumdem vtriusq; Libelli Auctorẽ esse, non autem vtrumq; ad veterem aliquem DACRYANVM potiùs pertinere quàm BLOSIVM. Nostra potiùs inde sententia roboratur, quòd aliàs sæpè BLOSIVS simili fine (qui in *Speculo* & XII. *Documentis* legitur) suas Epistolas terminare sit solitus: sic claudit eam Epistolam, quam in Vitâ cap. 5. reperies, ad D. IO. MEVRISSIVM: *Vale, & ora pro me Dominum.* Sic alteram ad FLORENTIVM ante *Institutionem vitæ spiritualis: Vale mi* FLORENTI, *& in tuis orationibus mei memor esto.* Sic complures alias M.SS. quæ in Monasterio nostro asseruantur.

Addit MARGARINVS, alia nonnulla ipsum mouisse. Donec ea protulerit, nobis ea refellendi onus non incumbit.

De-

Denique credit, FROIVM ipsum BLOSII discipulum, & Operum eius editorem, pro se stare; ait enim, *Speculum pro legitimo fetu ab ipsomet* BLOSIO *agnitum non fuisse, vt qui non solus, etsi præcipuus eius esset parens.* Absit, MARGARINE, vt filius matris nostræ pugnet contra nos: Confrater noster FROIVS semper vnà nobiscum sensit, vni BLOSIO *Speculum* adscribendum; & eam mentem liquidò satis expressisse visus est in Operum Elencho verbis istis: *Speculum Monachorum* DACRYANO *hactenus inscriptum*, quasi insinuet BLOSIO potiùs deinceps inscribendum. & clariùs ad eiusdem *Speculi* titulum *Speculum Monachorum à* DACRYANO *vel potiùs à* LVDOVICO BLOSIO *sancti* BENEDICTI *Abbate conscriptum.* Quòd autem dicat, *Speculum* à BLOSIO pro legitimo fetu non agnitum; id eò dicit, quòd BLOSIVS id Opus, licet suum, sibi tamen adscribi noluerit, ob rationes paulò pôst attexendas. Demum dum FROIVS BLOSIVM vocat *Speculi* præcipuum parentem, quî potuit manifestiùs pro nobis sententiam dicere? Quis enim Operis alicuius Auctor est, nisi præcipuus eius parens? Negat autem solum eum *Speculi* parentem, quòd multa BLOSIVS ex THAVLERO, aliisque familiaribus Asceticæ Magistris collegerit, quibus *Speculum* suum instrueret, atque adeò ex variis S. BERNARDI illius veri suorum temporum DACRYANI seu Lacrymatoris Opusculis, nominatim ex *Formulâ honestæ vitæ*, & eo libello quem eodem titulo *Speculum Monachorum* inscribit. Cuius etiam exordium BLOSIVS imitatus videtur: vbi enim BERNARDVS incipit, *Petis à me Frater charissime*; ibi & BLOSIVS inchoat, *Petis à me dilecte Frater* ODO.

Confutatis igitur in hunc modum leuibus paucorum contrà sentientium coniecturis veriùs quàm argumentis, manet inconcussa sententia, *Speculi* Auctorem extra septa nostra Lætiensia quæri non debere, nec vsquam vllum esse diuersum à BLOSIO DACRYANVM.

Restat vltimo loco, vt succinctè d quiramus, quæ potissimùm causæ BLOSIVM impulerint, vt suppresso suo nomine fictitium sibi DACRYANVM quasi *Speculi* parentem substitueret. Scimus quidem id neque nouum neque mirum esse, vt insignes Auctores sub alieno nomine delitescant. Sic olim eximius & pius Scriptor nostri Ordinis suo *deuotarum Contemplationum libro* IDIOTÆ nomen imposuit. Sic illustris Ecclesiæ Pater SALVIANVS Massiliensis, aureis illis *ad Ecclesiam Catholicam libris* TIMOTHEI seu *diuinæ gloriæ Zelatoris* nomen dedit: sic alij non pauci: vt temerarium sit illicò alienos fetus credere, vbi alienum nomen adspexeris. Verùm quia id à cordato viro sine causâ fieri non decet; huius BLOSIANI facti rationes duas potissimùm indicabimus, quas & à senioribus nostris accepimus,

Humilitatem eius, & Prudentiam. Etenim visum ei fuit in Domino, *Speculum* in Capitulari Agendâ post S.P.N. BENEDICTI *Regulam* legendum præscribere (sicut etiamnum ex eiusdem præscripto quotidie legitur) tamquam aptissimum acroama & incitamentum ad mores Monachorum suorum iuxta priscam Monastices puritatem formandos. Humilitatis igitur fuit, nomen supprimere, & omnem arrogantiæ notam fugere, quam ægrè se credebat euasurum, si Opus suum suo nomine inscriptum publicè se viuo legi præciperet. Quod de suis Opusculis fieri magnus GREGORIVS Epistolâ ad IOANNEM Subdiaconum Rauennæ seuerè vetuit. Fuit & Prudentiæ: *Idcircò enim abscondi & latitare omnibus modis voluit* (vt in simili de se dicit SALVIANVS, Præfatione librorum suprà citatorum) *ne scripta quæ in se habent plurimum salubritatis, minora forsitan fierent per nomen Auctoris.* Erat enim tum BLOSIVS non admodum prouectæ ætatis, nec multò antè creatus Abbas. Paris fuit Prudentiæ, scripto nouo DACRYANI nomen, quod antiquitatem redoleret, ac conciliaret auctoritatem, apponere: vnde fore sperabat, vt illud certiùs suorum vulnera persanaret, velut ab aliquo veterum Ascetarum paratum antidotum; ac minùs illi molestè ferrent à mortuo Magistro sua vitia vellicari.

Ex innumeris verò nominibus quæ seligi potuissent, lamentabile DACRYANI nomen placuit, quod Latinâ voce *Lacrymatorem* sonat: erat enim ei propositum, corruptos Monachorum sæculi sui mores copiosis lacrymis deplorare; & cæleste Numē longo fletu dies noctesque propitiare. Verè DACRYANVS, & verè amarus Lacrymator BLOSIVS! qui imposito sibi Coadiutoris onere, nondum Abbas, collapsam Monasterij sui malignis illis temporibus disciplinam cum gemitu circumspiciens, sic ad suum quondam in Nouitiatu Magistrum Louanio scribebat: *Sæpè quidem lacrymor, sæpè oro ante conspectum Dei*, &c. Iterùm cùm iam adiuuante Deo Monasterium nostrum in religiosam obseruantiam erexisset, neglectum alibi spiritum & languentia perfectionis desideria complorabat: *Dolendum profectò est* (inquit in Præfatione ad *Sacellum animæ*) *multos non solùm ex his qui in sæculo viuunt, verùm etiam ex his qui in Monasterijs habitant, & sacræ Religionis habitum gerunt, studia pietatis salutiferaq́; abnegationis paruipendere atque abijcere. O rem sanguineis lacrymis deflendam!* Et in *Epistolâ* ad FLORENTIVM: *Omni profectò lacrymarum fonte deflendum est, quòd tam pauci hodie sint, qui se totos ad iucundissimum illud bonum, quod Deus est, conuertant.* Sæpè aliàs BLOSIVS noster in eiusmodi se lacrymas effundit; vt liquidò videas eum non temerè, sed ex affectu suo DACRYANI sibi nomen assumpsisse.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Epiſtola XII. Documentorum *ſub* DACRYANI *nomine hactenus edita*, BLOSIO *vindicatur*.

PLeraque eorum quæ præcedenti Articulo attulimus, vt BLOSIO *Speculum* aſſereremus, & omnem alienũ DACRYANVM excluderemus, huc quoque ſpectare prudens Lector intelligit; & ex iis quoq; confici, Auctorem *Epiſtolæ Documentorum* XII. præter BLOSIVM, nullum eſſe. Paucula tamen huic loco propria peculiariter obſeruanda ſunt.

Primò, Si non eſſet BLOSIVS huius *Epiſtolæ* parens, ſed alius aliquis DACRYANVS, numquam eâ modeſtiâ vir tantum ſibi poteſtatis arrogaſſet in aliena monumẽta, vt diuerſis Editionibus ordinem & verba mutaret, truncaret, augeret, vt non ſemel ab eo factum notamus. Exempli gratiâ, in primâ Editione Documentum ſextum ita ponit: *Omnibus viliorem indignioremq́; te exiſtima, omnibus te ſubiÿce, omnibus propter Deum inſeruire deſidera.* Id in Editione ſecundâ variauit hoc modo: *Numquam alicui te præferas, numquam aliquem contemnas, omnium viliſſimum indigniſſimumq́; te exiſtima.* Rurſum decimo Documento Editionis ſecundæ, pro *benignus & beneuolus* ponit *benignus & affabilis*; & adiungit *de nullius ſalute deſperans*, quod in Editione primâ deſideratur. Sunt & alia iſtiuſmodi nonnulla. Quis vmquam vir modeſtus in alienos Libros tantam ſibi licentiam arrogabit?

Secundò, Quantumcumq; BLOSIVS in iis Opuſculis, quibus alienum nomen dabat, magnâ circumſpectione ſe tegeret, vix tamen hîc euadere potuit, quin ex aliquâ parte ſe proderet. Cùm enim primâ Editione *Enchiridÿ* ſubieciſſet ad calcem *Concluſionem*, è quâ Lector prudens & attentus facilè obſeruare potuiſſet ſub DACRYANI velato nomine non alium DACRYANVM latere quàm BLOSIVM, quod ipſe vehementer nolebat; aliis Editionibus, vt tutiùs latere poſſet, totam *Concluſionem* illam ſuſtulit. Quâ re, quamuis minimè volens, apud iudicioſos homines magis ipſe ſibi perſonam detraxit.

Tertiò, Suum quoque morem hîc retinuit BLOSIVS, dum varia ex aliis, & quidem poſteriorum ſæculorum Aſceticis Auctoribus, tranſſcribit. Pleraq; enim *Documenta*, *Epiſtolæ* huic ſubnexa, verbis nonnihil interdũ immutatis, apud THAVLERVM variis in locis ſparſim reperiuntur, in *Epiſtolis*, *Inſtitutionibus*, & alibi; nonnulla quoque in RVSBROCHIO & SVSONE; quæ ille in XII. *Documenta* digeſſit, ſub nomine DACRYANI euulganda; eademq; mox additis *Appendicum* ſuarum gloſſis ac veluti commentariis, auctiora reddidit. Nam & ipſe THAVLERVS verus fuit DACRYANVS ſiue temporis ſui *Lacrymator*, ex cuius lacrymis Collacrymator noſter BLOSIVS hæc vitæ ſpiritualis monita conflauit.

Nec verò mouere quemquam debet, quòd BLOSIVS in Præfatiunculâ ad *Enchiridion* ſcribat *nactum ſe fuiſſe ſpiritualem Epiſtolam* D. DACRYANI *Abbatis*. Cùm enim decreuiſſet alium ibi ſe ſimulare quàm eſſet, debuit eâdem perpetuò viâ quâ cœperat inſiſtere, & ſe à ſeipſo ſeu BLOSIVM à DACRYANO ſecernere. Licet aliàs etiam noſtra non incongruè nanciſci dicamur. Hæc habuimus, benigne Lector, quæ pro auitâ noſtrâ hereditate tuendâ, & pro BLOSIO in verum *Speculi Monachorum* & *Epiſtolæ* XII. *Documentorum* auctorem aſſerendo, proferenda duximus. Oramus & obſecramus, vt ex æquo nobiſcum & pro nobis ſententiam pronuntiare velis; ne temerè de longâ bonæ Fidei poſſeſſione deturbati eſſe videamur.

PERORATIO *ad beneuolum piumq́ue Lectorem.*

AD extremum obteſtamur te, benigne LECTOR, vt hunc qualemcumq; laborem noſtrum in adornãdâ Operum dulciſſimæ memoriç Patris noſtri BLOSII Editione, non alio quàm publicç vtilitatis pietatiſq; promouendç ſtudio ſuſceptum, eo affectu admittas, quo offerimus; eo fructu atq; emolumento, quo optamus, vtare. Tantillum operç iure merito à nobis exegit, cùm officij noſtri ratio, quâ de ſingulis optimè mereri, omniumq; ſpiritualibus cõmodis nos inſeruire par eſt; tum gratitudo in Deum, cuius munere tam mellifluum ſalutaris viæ ductorem ac bonæ voluntatis præconem, tot tantiſq; ſolidiſſimæ doctrinæ, ſuauiſſimæ facundiæ, diuinarum illuſtrationũ, ſenſorumq; myſticorum dotibus exornatum, nobis conceſſum gratulamur; tum deniq; in optimum Parentem ac ſapientiſſimũ Magiſtrum, ſingularis cultus ac veneratio. Et ſanè ſi æquum omnes cenſent, progenitoribus ob caducã & ærumnoſam vitam, Magiſtris pro tenui incertæ ſcientiæ cõmunicatione, omnem honorem atq; obſequium deferri; nemo non fatebitur, longè potiorem reuerentiam obſeruantiamq; amantiſſimo Parenti noſtro BLOSIO à nobis deberi, qui ſpiritali quadam generatione mẽtes noſtras in ſortem filiorum Dei traductas, cæleſtis ſapientiæ præceptionibus formauit. Quam etiam ob cauſſam, ne quà meritis tanti viri laudibus obſtitiſſe videremur, Vitæ eius narrationem à quodam Ordinis noſtri Doctore Theologo, amico ac familiari noſtro, pro ſuo in BLOSIVM affectu concinnatam, huic Editioni præfigi (prout ipſe rogauerat) non grauatè permiſimus. Illuſtrium deinde atque eruditorum virorum de BLOSII Vitâ ſcriptiſque elogia ſubiunximus. Quæ omnia, vt ad maiorem DEI DEIPARÆq; Virginis & S.P.N. BENEDICTI gloriam cedant, ex animo vouemus. Lætiis, SS. PLACIDI & ſociorum (qui primitiæ fuerunt Martyrum Ordinis noſtri) ſacris feriis, v. die Octob. anno Dominicæ Incarnationis M. DC. XXXI.

VITA
VENERABILIS DOMINI
LVDOVICI BLOSII
ABBATIS
EX
MONASTERII LAETIENSIS
ARCHIVIS
ET
ALIIS DOCVMENTIS
AC
TESTIBVS FIDE DIGNIS
CONCINNATA

A QVODAM

S. THEOLOGIÆ DOCTORE

ORDINIS S. BENEDICTI.

APPROBATIO VITÆ ET OPERVM R. D. LVDOVICI BLOSII.

VENERABILIS *Patris D.* LVDOVICI BLOSII, *Abbatis Latiensis Ordinis S.* BENEDICTI, *Vitam, & Opera omnia in* X. *Sectiones curâ & studio R.D.* ANTONII DE VVINGHE *Abbatis & Religiosorum eiusdem Latiensis Monasterij nouo schemate digesta, aucta atque illustrata, cum Prolegomenis, Elogijs, Summarijs, & varijs Notis subinde appositis, perlustraui, approbaui, & magno Ecclesiæ atque animarum bono in lucem emittenda iudicaui: non solùm quia nihil in eis apparet, quod sanæ doctrinæ aut bonis moribus aduersetur; sed quia idem pijssimus* BLOSIVS *præcedenti sæculo inter primos seu Asceticæ pietatis, seu Mysticæ vnionis, seu aduersus hæreticos Controuersiarum Magistros ac Doctores numerandus, euulgatis hoc modo Vitâ & Operibus, duplex adferet Lectoribus emolumentum: Vitæ videlicet tam piæ ac religiosæ exemplis, & Librorum tam deuotè ac doctè (singulari Dei gratiâ assistente) scriptorum præceptis: quibus perspicuè omnes agnoscant, sanctum illum virum ac* Speculi Monachorum *verum Auctorem* BLOSIVM *ita vixisse vt scripsit, & ita scripsisse vt vixit. Datum Antuerpiæ, anno Salutis* M.DC.XXXII. XXXI. *Ianuarij.*

Gaspar Estrix, S. Theol. Licentiatus, Canonicus & Plebanus Ecclesiæ Cathedralis Antuerp. Librorum Censor.

REVE-

REVERENDIS IN CHRISTO PATRIBVS AC DOMINIS RELIGIOSISSIMIS SVB REGVLA S. P. BENEDICTI DEO FAMVLANTIBVS EIVSDEM REGVLAE PROFESSOR PERPETVAM FELICITATEM.

CVM ab exordio religiosæ conuersationis meæ, adeoque ab ipso tirocinio in Ordine S. P. N. BENEDICTI plurimum spiritualis alimenti hausissem ex scriptis Asceticis venerabilis Patris LVDOVICI BLOSII, magno incensus fui desiderio eius Vitam & res præclarè gestas propiùs ac penitiùs cognoscendi. Neque enim dubitabam, quin præclara totius Vitæ eius actio, & quasi rediuiua forma, acriores mihi ad virtutem stimulos adderet, cui vel muta præcepta, & adumbrata scriptis imago tantum amoris adhuc tironi instillasset. Initâ itaque cum Lætiensibus Monachis familiaritate, nihil habui antiquius, quàm vt à religiosissimis illis Patribus de venerabilis BLOSII moribus ac sanctâ conuersatione inquirerem: quæ postquam summâ cum animi mei voluptate cognoui; primùm mirari cœpi, tam præclaras eximij huius Patris actiones, tamdiu nimiâ propè filiorum modestiâ occultatas: tum verò enitendum putaui pro viribus, vt abrupto inutili eorum silentio, tantum Ordinis nostri ac Belgij decus meritâ gestorum laude clarescceret: non satis arbitratus eius dignam memoriam ab interitu & obliuione vindicari, siue scriptis Libris, pietate ac diuino spiritu refertis, qui passim circumferuntur, ac piorum teruntur manibus; siue insigni illo elogio, quod, exhibito à Lætiensibus argumento, AVBERTVS MIRÆVS adornauit; nisi etiam historica vitæ sanctioris narratio accederet, cùm publico bono, tum priuato emolumento eorum qui haustis à Librorum eius lectio-

lectione salutaribus documentis, plus animi & vigoris ad imitandum conciperent, inspectis in Auctore ipso virtutum exemplis. Tardiùs enim multò animos hominum haustæ auribus præceptiones solent permouere, quàm quæ oculis ipsis conspecta sunt exempla.

Quapropter constitui, quæ ex variis Lætiensis Monasterij Scriptis, & fidâ relatione seniorum Patrum (quorum nonnulli ipsius BLOSII fuêre alumni) aliisque veracibus testimoniis, ac monumentis certissimis didici, in vnum colligere, & publico dare: sperans non ingratum hunc meum laborem iis fore, qui piissimi huius viri instructionibus, magno spiritualis profectus incremento, perfruentur. Et quamuis indecorum videri possit, vt infimus & imperfectissimus Monachus summi & perfectissimi exemplar, non satis dignis coloribus adumbratum, palàm omnibus spectandum exhibeat; spero tamen huic meæ contentioni ac studio facilè ignoscendum, tum ab iis censoribus qui puriore oculo alienas actiones iudicant; tum præsertim à Deo, qui non tam opus ipsum, quàm sincerum, quo suscipitur, affectum, solet intueri. Neque aspernabitur, vti confido, conatum hunc meum, sed pro suâ benignitate efficiet potiùs, vt cupidis religiosæ perfectionis, & BLOSIANÆ virtutis æmulis, non inutilis ingratúsve reddatur. Hanc autem opellam meam, venerandi Patres ac Domini, vobis potissimùm inscripsi, quò maiorem in mentibus vestris orexim excitarem, ad gustanda, & identidem ruminanda pia venerabilis BLOSII Scripta; quæ in assequendo propiùs Regulæ nostræ spiritu; ceteris, quæ hactenus prodiere in eamdem Regulam lucubrationibus, peritissimorum eiusdem Interpretum iudicio, longè antecellunt.

Vos verò etiam atque etiam rogo, vt quidquid affectus meus non tam lambendo perpoliuit, quàm parturiendo effudit, id pari candore æqui boníque consulere, & apud Deum mei memores esse dignemini.

VITA

VITA VENERABILIS DOMINI LVDOVICI BLOSII ABBATIS LAETIENSIS.

CAPVT PRIMVM.

Ortus, Patria, Parentes.

NATVS est LVDOVICVS BLOSIVS ex antiquâ & illustri BLOSIORVM & BARBANSONIORVM stirpe, Pontifice Maximo IVLIO II. MAXIMILIANO I. Imperatore, anno Domini M. D VI. ineunte Octobri, in eo Prouinciæ Leodiensis pago, qui non procul ab Hannoniæ oppido Bellomonte situs, *Donum-Stephani*, vernaculè *Donstienne* appellatur, castro maternæ ditionis. BLOSIANAE porrò familiæ stemma (quod vulgò DE BLOIS) ab illustrissimis Maioribus, Blesensibus videlicet & Campaniæ Comitibus, Galliâ vniuersâ & vtraque Britanniâ nominatissimis, genus longo ordine deducit. BARBANSONIA autem domus, & excellentissimos Principes numerat, & inter principes domos in Belgicâ Nobilitate censetur. Ex hoc vtrimque perillustri sanguine LVDOVICVS patrem habuit ADRIANVM BLOSIVM, GERARDI BLOSII Iumignij Toparchæ ex MARGARITA HENNIN filium, Iumignij quoque & Warelarum insuper Toparcham, qui PHILIPPO AVSTRIACO Regi Hispaniarum eius nominis primo, ac Belgicarum Prouinciarum Principi à Consiliis simul & Cubiculis fuit: matrem CATHARINAM BARBANSONIAM IOANNIS BARBANSONII filiam, & pagi *Donstienne*, LVDOVICI natalibus magis exinde nobilitati, heredem ac Dominam. His parentibus, non minùs virtutis gloriâ quàm generis splendore claris, ortus BLOSIVS, ad omnem domesticæ pietatis exercitationem à teneris vnguiculis educatus est. Ex eodem lectissimorum coniugum parentum suorum thoro habuit LVDOVICVS fratres germanos quinque, GVLIELMVM, CAROLVM, RICHARDVM, ADRIANVM, GERARDVM: sorores quatuor, MARGARITAM nempe & ANTONIAM Andanenses ad Mosam, FRANCISCAM ac CATHARINAM Monasterienses ad Sabim in agro Namurcensi Canonicas. Fratres domesticæ nobilitatis gloriam, tum bellicâ armorum laude, tum fide erga Principes inconcussâ, tum officiis in Rep. præclarè obitis illustriorem reddiderunt. GVLIELMVS natu primus serenissimæ Hungarorum Reginæ MARIAE AVSTRIACAE, Belgij pro fratre suo CAROLO Cæsare Gubernatrici, à Consiliis & domesticis Officiis fuit, ac Regij stabuli Præfectus; ADRIANVS, & militares ordines duxit, & Auesnas primùm, deinde etiam Carolomontem, RICHARDVS Bellomontem, limitanea Gallis Belgij oppida, insigni in Principem fide gubernarunt. Atque ADRIANI quidem proprium illud decus memoratur, cùm sæpè cum hostibus congressus sit,

numquam eum pedem retulisse, sed semper eis terrori fuisse; suis ita carum, vt eum milites sui Patrem passim appellarent. CAROLVS Leodij in celebri D. LAMBERTI Ecclesiâ Canonicus & ad D. MARTINI Præpositus fuit. RICHARDVS aulæ & mundanarum curarum pertæsus, abdicatis honoribus, priuatus Lætiis apud fratrem extremos vitæ annos religiosè exegit. LVDOVICVS verò quam à Maioribus generis claritatem acceperat, eam calcato mundi fastu per humiles & abiectas CHRISTI consiliorum vias ambulando, vitæ innocentiâ, cælestium rerum meditatione, Religiosorum statutorum obseruantiâ, Asceticorum librorum pietatem atque eruditionem spirantium elucubratione, præclaro denique virtutum splendore, & filiorum sanctorum spirituali stemmate, vt in toto vitæ decursu ostenditur, variè illustrauit. Fratribus etiam sororibusque ad vnicam & veram virtutis nobilitatem sequendam exemplo præiuit. Nam vt reliquos prætermittam, FRANCISCA natu minima, sed virtutum æmulatione maxima, vt sanguine ita & animo germana LVDOVICI soror, fratrem suum spiritalis vitæ ac viæ patrem ducemque secuta, mundi pompis ac vanitatibus nuntium remisit, ac relicto etiam propter amorem IESV CHRISTI Canonicatu humilitatem ac solitudinem prætulit, æternæque se virginitati consecrauit. Vt verò fratris sui piis adhortationibus tantò opportuniùs liberiusque frui posset, quantò à turbâ semotior esset, facultatem petiit & impetrauit, vt sibi liceret in cubiculo Lætiensis castri (id aquis cinctum & à Religiosorum claustro seiunctum, non procul ab Ecclesiâ, belli temporibus securitati, pacis excipiendis hospitibus seruit) seorsim viuere, ibique ad finem vsque vitæ soli Deo, sub fratris sui directione, vacare. Quam solitudinem adeò tenerè & arctè complexa est, vt decem totos annos, quibus fratri superuixit, aliò pedem non extulerit, quàm ad Oratorium Lætiense, quotidianis precibus persoluendis; vbi cauendis oculorum ac mentis diuagationibus, pluteo vndequaque concluso (quem frater eius rei gratiâ erigendum curauerat) se continebat, Deumq; precabatur. Hanc qui videret ab ore fratris & magistri pendentem discipulam, quod de sororibus Sanctorum NAZIANZENI, BERNARDI, THOMAE AQVINATIS fraternâ institutione ad pietatem formatis, accepimus, iucundâ memoriâ recoleret, & verè felicem tali fratre FRANCISCAM diceret, eamq; vt olim S. BENEDICTO SCHOLASTICAM, B. M. GVNTARDO primo Lætiensium Abbati HILTRVDEM, ita LVDOVICO spiritualem alumnam, & nobilissimarum virtutum heredem à DEO datam prædicaret.

Hæc pauca ex multis de domo & sanguine LVDOVICI prætermittenda non videbantur. Quamuis enim laus veræ Nobilitatis propriâ virtute comparetur, nec alienâ gloriâ cuiusque felicitas aut magnitudo metienda sit: non parum tamen dignitatis LVDOVICO accedit, tum quòd calcato sæcularis Nobilitatis fastu, humilem in Religione, CHRISTI exemplo, vitam elegit; tum quòd fratribus sororibusque suis ad nobilitatem animi, præclaris virtutibus sectandam, quà doctrinæ monitis, quà vitæ exemplis facem præluxit.

CAPVT II.

Educatio. Apud CAROLVM *Principem commoratio. Ad Religionem vocatio.*

NOBILITATEM sanguinis à parentibus acceptam, egregiâ indole, ac præclarâ educatione multò BLOSIVS reddidit illustriorem. Ornatus namque iis erat animi dotibus ac corporis, quæ non stirpis dumtaxat splendori augendo,

gendo, sed & sorti, ad quam diuinitus destinabatur, mirificè congruebant. Mores candidi & suaues; ingenium docile & ad diuinam humanamque scientiam capessendam factum. Super omnia in eo eminebat lenitas quædam animi & mansuetudo, quam cum lacte matris imbibitam, vel potiùs è cælo haustam, in omnem deinceps vitam conseruauit. Quibus ille rebus id assequebatur, vt omnibus quibuscum familiariter ageret, charus acceptusque esset. Nemo erat qui pueri indolem propiùs inspiceret, qui non illustre aliquid de eo in posterum præsagiret.

Domesticæ educationis apud parentes singularis sollicitudo & cura fuit, vt ad pietatem inprimis ab ipsâ infantiâ instrueretur. Deinde vt ad honorum gradus ac titulos, quos ei perillustres spe ac voto designabant, faciliùs posset pertingere, ad aulam CAROLI Belgarum Dynastæ (qui deinde quintus eius nominis Romanorum Imperator fuit) proficisci iubent, vt sub tanti Principis tutelâ & fauore, pueris honorariis adscriptus, ad altiora munera aditum sibi paulatim aperiret. Commorantem in aulâ suâ CAROLVS, præclarâ eius indole ac moribus placidissimis delectatus, insigni complexus est beneuolentiâ; quam reliquâ omni deinde ætate retinuit, pietatis eius ac doctrinæ singularis præclarâ opinione mirificè auctam, quam & multis est argumentis testatus. Eum enim iam Abbatem factum sibi ab Eleëmosynis esse iussit: eoque, cum dulcissimæ sanctitatis veneratione, & familiariter in spiritualibus animæ negotiis vtebatur, & ad grauia Reip. negotia priuatim cum in consilium adhibebat, & libros eius Asceticos libenter lectitabat, & illustriores Ecclesiasticæ dignitatis infulas offerebat. Gratiæ nempe omnis, quâ apud Cæsarem prouectâ iam ætate valuit plurimùm, illo pueritiæ contubernio prima iacta sunt fundamenta.

Teneram igitur ætatem BLOSIVS in aulâ CAROLI Principis inter illustres ephebos transegit, illis artibus moribusque imbutus, quibus generosus quisque adolescens ad gloriam niti, & nobilium parentum expectationi respondere debet. At verò parentum cogitationes splendidas magis quàm salubres de LVDOVICO, quem ex aulicæ fortunæ tirociniis in gloriam tantâ nobilitate dignam abiturum sperabant, ad meliora consilia conuertit Deus; atque consuetis aulicæ iuuentuti exercitationibus, ac bellicis rudimentis occupato, hanc Crucis complectendæ, calcandi mundi, Religionis ineundæ, ad cælum adspirandi præclaram occasionem obiecit. Luculentam in capite plagam accepit, incerto quidem casu, sed Dei prouidentiâ iam tunc omnia ad salutem BLOSII multorumque aliorum disponente. Curando vulneri dum Chirurgus artem manumque impendit, ferro hiatum pertentans, deprehendit plagam sanari non posse nisi per incisionem dilataretur. Quâ de re cùm BLOSIVM monuisset, & vt id vellet ac pateretur facilè persuasisset, ex eo sciscitatus est, quâ figurâ vellet cicatricem induci: *Volo*, ait LVDOVICVS, *Crucem Burgundicam*. Ita factum fuit, non sine adstantium atque ipsius adeò BLOSII præsagio; qui per piam allusionem quodammodò de vitæ mutatione vaticinans, se hoc velut stigmate Crucis inustum in perpetuam IESV CHRISTI crucifixi seruitutem addicendum dixit: vt, qui per lusum iocumque Crucem acceperat, Crucem deinde suam sponte & seriò tolleret, CHRISTVMque in Cruce fixum sequeretur. Ex hoc sanè velut nouæ vitæ symbolo sancta sua consilia auspicatus est, vanitatem cum pietate, & iugum diaboli cum iugo CHRISTI commutandi. Mox enim ab hoc vulnere capitis curato vitale cordis vulnus accepit; & gaudium mundi in tædium, honoris desiderium in fastidium, Math. 16. Marc. 8. Luc. 9.

 diui-

diuitiarum copia in nauseam versa est: cumque amarescerent illi terrenæ deliciæ, alias sibi in Religiosæ vitæ paradiso voluptates quærendas, & à CAROLI castris ad CHRISTI vexillum, Crucisque militiam, transeundum esse, Deo inspirante, decreuit. Felix omnino capitis vulnus in BLOSIO, quod pectus sanctis Dei consiliis aperuit. Honorum igitur opumque fluxarum, ac voluptatum contemptor, annum agens vitæ decimumquartum, spes & cogitationes suas ad sæculi fugam, & Religionis ingressum, ab aulicâ vitâ transtulit; vel in hac suâ à teneris conuersione S. P. N. BENEDICTI imitator, qui, (teste S. GREGORIO MAGNO) *ab ipso pueritiæ suæ tempore, quo temporaliter liberè vti potuisset, despexit iam quasi aridum mundum cum flore; & eum quem quasi in ingressum mundi posuerat, retraxit pedem.*

Lib. 1. Dialog. cap. 1.

CAPVT III.

Tirocinium vitæ Cœnobiticæ in Monasterio Lætiensi: eiusdemque Monasterij descriptio.

CVM hæc nouæ ac spiritualis vitæ consilia diuinitus immissa cepisset BLOSIVS, non diu, quod potissimùm Cœnobium ingrederetur, deliberauit: nam & parentum voluntate, & quod ob viciniam patriæ ei notius esset, Lætiense illicò delegit, in quo sese nouus pugil religiosis institutis spirituali tirocinio erudiendum traderet. Nec verò in primâ illâ adolescentiâ aduertere potuit mores illius Monasterij tunc minùs religiosè compositos; tum quia non est illi ætati propria illa prudentia, tum quia multa eiusmodi in meliorem partem ab externis vertuntur.

Certè docuit optimus euentus, diuinâ BLOSIVM manu in hac electione ductum fuisse, vt paulò pòst domesticis illius Monasterij malis mederetur: quod deinde ab ipso Religiosæ vitæ exemplis, & conditis præstantibus regularis disciplinæ Statutis, additis varijs tam domui quàm Ecclesiæ ornamentis, scriptis toto orbe euulgatis, ac postremò venerandi corporis illic depositi exuuiis, mirificè est illustratum. Huius Monasterij descriptionem, in gratiam multorum, qui fortè de solo nomine illud nouerunt, & quia ad Vitæ BLOSIANAE nonnullam illustrationem faciet, hac occasione hîc proponere, nec iniucundum Lectori nec inutile fore putaui.

LAETIA ergo, vel *Lescia* antiquo vocabulo (quo etiam S. BERNARDVS Epist. 316. vsus est) vernaculâ Gallorum voce *Liessies*, quod lætitiam ferè obsoletâ vel corruptâ nonnihil voce sonare videtur, aut lætitiæ (quasi *Liesse-icy* diceretur) sedem, locus est in finibus Hannoniæ, agro Galliæ, qui *Theorascia* dicitur, conterminus, *Helpræ* fluuio impositus, siluis ferè in ambitu & colliculis in modum coronæ cinctus. Nongenti propè anni numerantur, ab Heroicis illis PIPINI Gallorum Regis temporibus, quando vir illustris WIBERTVS DE PICTAVIA Comes, Regi percharus, *pertæsus inuidiæ*, vt Annales Lætienses loquuntur, *quæ contra eum in aulâ Principis ardebat*, Lætiensem illum locum, tamquam honorarium donatiuum ab eodem Rege postulauit, & impetrauit; in quem veluti portum ab aulicâ iactatione, tranquillitati priuatæ pietatique consulturus, cum dulcissimâ coniuge ADA nobilissimi Gallici stemmatis feminâ, & liberis familiaque, se subduceret. Eâ causâ inibi Monasterium Religiosis viris S. P. N. BENEDICTI Regulam professis exstruxit, & S. LAMBERTI Tungrorum Episcopi, non ita pridem Martyrum coronâ donati

nati nomine inſcripſit & honoribus conſecrauit. Hoc Cœnobium, WIBERTVM cum illuſtriſſimâ vxore ADA conditorem; B. M. GVNTARDVM WIBERTI & ADAE filium, Abbatem primum; S. HILTRVDEM GVNTARDI ſororem, dotatricem, iucundiſſimâ memoriâ ſanctitatis, cum benedictione agnoſcit, & cum gratiarum actione veneratur. Hæc eſt illa HILTRVDIS Lætienſium Patrona, quæ repudiatis HVGONIS Burgundiæ Principis nuptiis, è parentum domo ad tempus profugit, & relictâ ibidem ſorore ſuâ vnicâ, BERTA nomine, quæ HVGONI nuberet, ſuam ipſa virginitatem illibatam CHRISTO ſponſo, ab Epiſcopo Cameracenſi ritè velata, conſecrauit. Quia verò Virginibus latere tutiſſimum didicerat, ſolitudinis amore habitationi ſuæ delegit humilem cellulam Oratorio Religioſorum contiguam; in quâ per annos ſeptemdecim recluſa, diuinis officiis & ſanctis contemplationibus cæleſtem vitam in terrâ duxit, & feruentibus fratris ſui GVNTARDI ſancti Abbatis adhortationibus deſideria bonorum æternorum in ſemet accendit, donec vocante Sponſo ad eum feliciter migrauit: Sanctorum catalogo Faſtis Eccleſiaſticis ad XXVII. Septembr. adſcripta.

Hoc fraternæ pietatis erga ſororem exemplum, ſicut olim à S. P. N. BENEDICTO & S. SCHOLASTICA acceptum GVNTARDVS in S. HILTRVDE æmulatus eſt, ita nuper in FRANCISCA LVDOVICVS (quod mox diximus) innouauit. Extant autem apud Lætienſes non moritura ſanctæ familiæ & de Cœnobio à ſe fundato tam præclarè meritæ monimenta. Nam ſanctiſſimi parentes, piâ & ſanctâ donatione hereditariâ, omnem poſſeſſionem ſuam, BERTA ſine liberis defunctâ, filiæ HILTRVDIS fidei commiſerunt; eâ lege, vt poſt mortem ipſa ex teſtamento paterno Abbatiam Lætienſem vltimis tabulis heredem ſcriberet. Hoc teſtamentum illi ipſi parentes, HILTRVDI ſuperſtites, in filiæ ſepulchro, non procul à cellulâ iam dictâ, condi & aſſeruari voluerunt: quibus deinde vitâ functis, pientiſſimus filius GVNTARDVS Abbas, parentauit; ſeruatâ ad amuſſim vltimâ eorum voluntate, pietatem ſpirante, quâ iuſſerant in Eccleſiæ limine, ſeu porticu, ſua corpora condi; tum quòd ſe reputarent indignos, qui interiùs humarentur, tum quòd ſperarent eâ ratione ſe plus auxiliarium precum à tranſeuntibus & calcantibus fidelibus (monumento tacitè admonente) obtenturos. Demum ipſe B. GVNTARDVS, ſanctiſſimè vitâ functus, religioſiſſimorum Fratrum manibus in medio Oratorij ſepultus eſt.

His incunabulis, his fundatoribus in Domino gloriatur LAETIA natam ſe & educatam. Quæ deinde piâ poſteritatis diligentiâ *ſacro & inæſtimabili Reliquiarum theſauro* aucta atque ornata, non tam cenſuum aut fundorum amplitudine, vel dominiorum auctoritate, vel ſubſtructionum pompâ, quàm parſimoniæ vectigalibus, diſciplinæ regularis, & religioſæ hoſpitalitatis laudibus, commodiſſimis denique ad vſum vitæ monaſticę officinis & habitationibus (quarum omnium præcipuum ſplendorem ac decus venerabili BLOSIO debet acceptum referre) inter celebres Hannoniæ Abbatias computatur. In hanc, Deo duce & auſpice, ingreſſus LVDOVICVS annos natus XIV. & à R. D. ÆGIDIO GIPPO (qui tum Lætienſibus Abbas præerat) ſuſceptus, veterem hominem exuens, ac nouum induens, aſſumpto ſacro Religionis habitu in tironem attonſus eſt Octobris die XXV. anno ſalutis XX. ſupra ſeſquimilleſimum; & expleto Nouitiatus anno, ſolemne Religionis votum emiſit. Rom. 6. Epheſ. 4. Coloſſ. 3.

Erat quidem tunc Monaſterij Lætienſis diſciplina non parum labefactata:

ſed nimirum GIPPVS, vir ætate grauis, moribus laudabilis, ſtatim vt LVDOVICVM vidit, & in eo pariter inſignem illam cum bonâ educatione indolem, atque emicantes quoſdam ex vultu & verbis inhabitantis iam tum Spiritus ſancti, & feruentioris zeli igniculos obſeruauit, velut Angelum à Deo deſtinatum complexus eſt: animo quaſi præſagiens illum fore, qui aliquando labentem Monaſterij diſciplinam, quam ipſe ſenio fractus reſtituere cùm vellet non poſſet, poſt ſe clauum tenens, erigeret & reſtauraret. Quâ ſpe fretus, ſurculum illum in Paradiſo Lætienſi plantatum, & S. P. N. BENEDICTI habitu à ſe donatum D. IOANNI MEVRISSIO, qui tunc probatâ virtute Monachus tironum Magiſter erat, peculiaris culturæ curâ rigandum educandumque commendauit. Sub hoc Magiſtro ea vitæ religioſæ LVDOVICVS fundamenta iecit, quæ deinceps, in tantam, quantam deſcribemus, virtutum molem aſſurrexerunt.

CAPVT IV.

Poſt Tirocinium, ſtudia litterarum in Academiâ Louanienſi.

CVM ab ipſis conuerſionis exordiis toto animi impetu BLOSIVS, gratiâ Dei ſingulariter adiuuante, & ſeruum ſuum ad opus, ad quod electus erat, ſenſim præparante, in omne religioſæ perfectionis ſtudium incubuiſſet, è tirocinio prodiit, perfectam religioſarum virtutum in ſe formam exprimens; vnde iuuenes in æmulationem, ſeniores in admirationem, æquales in venerationem, omnes in ſui amorem rapiebat. Quid? quòd D. MEVRISSIVM, tirocinij ſui Magiſtrum & Directorem, deinceps ſemper præconem habuit & laudatorem, cùm fateretur in perfectionis ſtadio ſeſe procul à BLOSIO anteuerti. De quo MEVRISSIO non eſt hîc ſilentio prætereundum, libenter ipſum ſeſe ſuo tironi ac diſcipulo ſubdidiſſe; illoque Abbate conſtituto, Oeconomi ac deinde Prioris officio functum in omnibus Abbati ſuo vſque ad annum M.D.LV. quo mortuus eſt, obtemperaſſe; atque adeò per XXV. totos annos diſcipulum ſui tironis in ſcholâ ſpirituali, ſicut de B. ROMANO & S. P. N. BENEDICTO olim factum legimus, exſtitiſſe.

In hoc etiam per triennium tirone tantam perfectionem conſiderans Abbas ÆGIDIVS, magna omnia & ſibi de eo promittebat, & ab aliis præſertim prouectioribus narrari lætus audiebat. Intereà nil de ſe ſentiebat BLOSIVS, nil de ſe ſtatuebat, totum ſeſe diuinæ prouidentiæ gubernandum committebat, ad omnia promptus & alacer ſeruiebat Lætiis Domino in lætitiâ & ſanctitate, totum ſe diuinis rebus impendens. Sed aberat magnum pietatis ornamentum & præſidium virtutis, eruditio. Quamobrem ÆGIDIVS Abbas pro ſuâ prudentiâ iudicauit ſatius fore, ſi virtutem BLOSIVS litterarum ſcientiâ ad multorum deinde vtilitatem perpoliret ornaretque. Eum igitur regulari diſciplinâ probè initiatum, bonarum deinde litterarum ornamentis perficiendum, ex Lætienſi Monaſterio ad Louanienſem Academiam ablegauit. Mater bonarum artium, & diuinæ atque humanæ ſapientiæ Athenæum Louanienſis Academia inter plurimos & præſtantiſſimos Theologiæ ſacræ Magiſtros numerabat RVARDVM TAPPERVM, & IOANNEM DRIEDONEM, & alios, quibus magno ſuo bono familiariter vſus eſt BLOSIVS. Habebat etiam illis temporibus *Louanium* inter illuſtres Philologiæ ac humanæ litteraturæ Profeſſores NICOLAVM CLENARDVM, Hebrææ, Grææ & Latinæ linguæ peritiſſimum: quo inprimis Magiſtro BLOSIVS liberalibus artibus ſeſe impen-

Pſal. 99.

impendens, non mediocrem Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ linguæ ſcientiam aſſecutus eſt. Teſtantur hoc Libelli varij, quibus titulos Græcos appoſuit, vt videre eſt in *Cimeliarchio*, *Endologijs*, *Doxologijs*, *Pſychagogiâ*, & aliis. Idem oſtendunt in Monaſterio & in templo ſparſim appenſæ inſcriptiones Græcâ linguâ, ex cognitione rarâ Græcarum litterarum depromptæ. Eſt etiam perpetuum monimentum progreſſus in Græcis litteris ſub CLENARDO Magiſtro, inſignis illa tranſlatio Opuſculi aurei S. IOANNIS CHRYSOSTOMI, quod inſcribitur *Comparatio Regis & Monachi*: quam Louanij ſtudiis litterarum incumbens, anno ætatis vigeſimo primo, ex Græcâ Latinam reddidit. Extat illa inter BLOSII Opera, dedicata generoſo Adoleſcenti, quo tunc familiariter vtebatur, IOANNI DE LANOY MOLEMBASIO: quem deinde CAROLVS V. Imperator (cui à Cubiculis fuit, ſicut & poſteà PHILIPPO eius filio) in Ordinem Equitum Aurei velleris, ob eximiam vitæ integritatem generiſque antiquam dignitatem adſcripſit anno M. D. XLV.

Ne verò inter Academicas exercitationes & doctrinæ ſtudia, pietatis ſtudium, vt ſolet, intepeſceret, aut aliquâ ſæcularis ſocietatis contagione inficeretur; quidquid à litterarum Gymnaſio temporis ſupererat, id totum animi culturæ conſecrabat. Proinde quos ſanctiore vitâ Deo coniunctos animaduertebat, cum illis arctam inibat familiaritatem, ab illorum ore pendebat, illis ſe tractandum regendumque committebat, illam ſemper curam ducens antiquiſſimam, vt ex Academiâ ad Abbatiam ſanctior potiùs quàm doctior reuerteretur.

Quid verò in omni illo Academico elegantiorum litterarum curſu BLOSII adoleſcentis quæſiuerit labor & induſtria, & quid religioſis viris in Academiâ ſtudiiſque doctrinæ maximè ſpectandum ſit, monita illa tantò pòſt in Statutis data, de ſpiritu inter litterarias exercitationes conſeruando, ſatis ſuperque commonſtrant; in quibus illud præclarum exſtat, quo cauendum præcipit, ne ſcientia inflet verbis iſtis memoriâ dignis: *Sic permittimus* [Fratres] *pro tempore vel ætate dare operam politioribus litteris, vt tamen per illarum ſtudium labem ſuperbiæ & vanæ gloriæ in ſe non traijciant, ſed omnia ad honorem Dei purè referant. Alioquin præſtat Monachos idiotas eſſe quàm elegantes: vtilis ſatis eſt ſimplicitas, per quam meliùs conſeruatur humilitas.*

Eódem ſpectat quod alibi præcipit: *Si quis viſus fuerit omnino ad vanitatem dare operam politioribus litteris, & propter earum ſtudium curam pietatis deſerere, impediatur arceaturque à vanâ & damnabili occupatione.* Sicut & illud, quo Magiſtrum litterarum (ſi fortè pro iunioribus aut rudioribus earum ſcientiâ imbuendis morum Magiſtro addatur) his inſtruit verbis: *Huiuſmodi libros eis prælegat, ex quibus cum litterarum peritiâ vel pietatem diſcere, vel certè non diſcere vanitatem aut iniquitatem poſſint.* Reddens deinde Statuti cauſam; *Niſi*, inquit, *iuuentus, quæ exercetur in litterarum ſtudijs, freno timoris Domini contineatur, facilè amore eloquentiæ correpta, illectaque dulcedine, curam pietatis deſeret; & effecta veluti Ethnica, ac ſine Deo, abibit in vitiorum præcipitium.* Quàm autem perfectè, quod aliis præſcripſit, & tam ſedulò commendatum voluit, aſſecutus ſit ipſe BLOSIVS, pia doctaque eius Opuſcula ſatis ſuperque loquuntur. Et quidem, ex illo Chriſtianæ ſubmiſſionis ſpiritu profecta videtur illa ſtyli moderatio, quam in Operibus eius aduertimus, in quibus etſi puram terſamque Latinitatem minimè refugiat, ab elegantibus tamen & mollibus illis verborum quaſi lenociniis abhorret. Nihil in eius lucubrationibus aut tumidum aut inſolens, nihil quod ſæculi vanitatem redoleat (quæ paucorum

Scriptorum est gloria) vt in *Canonis* sui *spiritualis* Præfatione de se præclarè non minùs quàm modestè dixerit, *se aliquid dicere facundè nec posse si vellet, nec velle si posset.*

CAPVT V.

In Abbatis sui ÆGIDII GIPPI *Coadiutorem assumitur.*

MVLTVM omnino debet Monasterium Lætiense ÆGIDIO GIPPO Abbati suo, vel eo nomine, quòd BLOSIVM in Coadiutorem, futurumque successorem suum, assumpserit. Impares enim humeros sentiens tantæ moli sustinendæ septuagenarius iam ac pænè decrepitus, veritusque ne minùs idoneus sibi deinde substitueretur, tempori de creando successore cogitauit. Ideoque diuino, vt res docuit, instinctu, re cum Deo primùm, deinde cum senioribus & melioribus Monachis collatâ, salutis anno M. D. XXVII. BLOSIVM in socium auxiliatoremque sollicitudinis æquè ac dignitatis adoptauit. Quâ in adoptatione nemo dubitabit Dei spiritum interuenisse, qui considerare volet BLOSIVM ætate infimum, vocatione ferè postremum, necdum Sacerdotij dignitate initiatum, nullis Cœnobij muniis perfunctum, rei ignarum & inuitum, ac studiorum causâ absentem, non ex Abbatis dumtaxat voto, sed Monachorum etiam suffragio ac voluntate, electum fuisse sui Abbatis Coadiutorem. Quantum verò iam tum à Prælaturâ omni Christianæ submissionis amantissimus BLOSIVS abhorreret, & quàm iustis momentis formidabilem illam animarum curam ponderaret, litteræ ipsæ, quas ad Tirocinij sui Magistrum D. MEVRISSIVM Louanio dedit, abundè testantur. Hic enim, discipulum olim suum, nuntio hoc mœroris pleno deiectum, etiam atque etiam suadendo hortandoque, ne præpostero humilitatis amore hanc sarcinam, Dei voluntate, tanto Lætiensis Cœnobij bono, ceruici imponendam abijceret aut detrectaret, in spem bonam erexerat. Sic verò in litteris suis BLOSIVS loquitur, vt videas adolescentis animum senili prudentiâ; maturâ virtute, spiritu diuino plenissimum.

LVDOVICVS *humilis seruus* CHRISTI *charissimo Confratri* D. IOANNI MEVRISSE *omne gaudium in cælo accipiendum.*

Benè fecisti, dilecte Dei, qui me filium tuum spiritualem, quem anxium esse cognoueras, quantum per litteras fieri potuit, es consolatus. Ego, quod possum, tibi gratias ago: Deus autem gratiam reddere dignetur, nam hoc non possum. Charissime Frater, ego D. Abbati contradicere nec volo, nec possum, cui manum in professione dedi, in quem
Psal.72. *voluntatem meam omnem transtuli. Inutile* CHRISTI *iumentum sum: quidquid oneris mihi imponetur, non remurmurabo: perferam, si possum; si non possum, succumbam sub onere. Melius erit cum obedientiâ sub pondere opprimi, quàm sine obedientiâ Deum inimicum habere. Sed vtinam ministerium istud, ad quod destinor, nihil haberet in se molestiæ, præter onera, labores, angustias ac miserias! non solùm non refugerem, sed etiam vehementer desiderarem ipsum, cùm per hæc cælum inueniri sciam. Ecce autem præter hæc periculis etiam est refertum; periculis, inquam, non corporis, sed animæ. Quid quæso profuit fugisse sæculum, dum ad sæculum iterùm redire com-*
Psal.24. *pellor? Iure igitur cum David clamare debeo:* Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt. *Augent interim dolorem pariter & metum, mores Monasterij, quos à Regulâ* P. N. BENEDICTI, *& breuiter ab omni Religione multùm alienos esse & audio, & ipse reipsâ didici, cùm isthic viuerem. Quis autem sum ego, vt illos corri-*
gere

gere possim? Sæpè quidem lacrymor, sæpè oro ante conspectum Domini, vt ipse suam Congregationem ad meliorem vitam & pœnitentiam conuertere dignetur. Sed mea peccata impediunt, quò minùs exaudiri merear. Tuum igitur est, charissime Confrater, hac in parte diligentem te exhibere circa orationis studium, ne fortè Deus multitudine (quod absit) peccatorum offensus, à Congregatione istâ faciem suam penitus auertat. Sed hæc hactenus.

Habes, dilectissime Frater, quid timeam, habes & quare timeam. Non ministerium recuso, sed propter ministerij periculum angor. Spero tamen quia Dominus meus IESVS CHRISTVS, *qui cor contritum & humiliatum non despicit, mihi in omnibus aderit, & maximè si tu pro nobis assiduè depreceris. Ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. Vale, & ora pro me Dominum. Louanij, pridie Kalendas Augusti, anno* M. D. XXVII.

Tuus humilis Confrater

F. LVDOVICVS BLOSIVS.

CAPVT VI.

Reuocatur ex Academiâ. In Lætiensium Abbatem eligitur.

QVOD piè prudenterque BLOSIVS detrectauit, noluit pertinaciter excutere. Os enim Domini consulenti visum fuit, ad Dei gloriam, Lætiensium vtilitatem, multarum animarum salutem fore, si collum iugo Domini submitteret, & oblatos non quæsitos honores, eosque magnis difficultatibus implexos, propter amorem Dei & obedientiæ obseruantiam, admitteret. Lætiensis igitur Coadiutor omnium consensu electus, anno sequenti, qui erat eius sæculi vigesimus octauus, legitimè approbatus est ætatis suæ anno XXII. professionis Monasticæ septimo. Louaniensem nihilominùs commorationem, eo titulo auctus, per biennium tenuit, donec anno trigesimo postridie Kalendarum Martiarum, ÆGIDIVS GIPPVS Abbas Lætiensium XXXIII. iam septuagenarius, cùm annis supra triginta præfuisset, in Domino mortuus est, Lætiis in Choro sepultus. Vbi quidem imago GIPPI, piè ante B. VIRGINEM in genua procumbentis, ad ingressum Chori à BLOSIO collocata, memoriam illius in benedictione renouat; sed nil adeò, quàm quòd talem Lætiensibus designauit successorem. Cuius rei gratiâ posteritas omnis, quæ BLOSII Abbatis tum libris, tum monitis, tum exemplis ad æternam salutem proficiet, cum dulcissimâ recordatione æternum debebit GIPPO gratitudinis & venerationis monimentum.

Ex vmbrâ igitur in puluerem, Louanio Lætias reuocatur BLOSIVS: postque iusta funebria GIPPO impensa, in eius locum subrogatus, duodecimâ Iulii eiusdem anni M. D. XXX. Prælaturæ possessionem, ex more & ritu, accepit.

Tres deinde idem ille annus continuos dies habuit & BLOSIANIS honoribus illustres, & gratiarum diuinarum copiâ vberes, quos suaui recordatione Lætienses prosequuntur. Dies est Nouembris mensis vndecimus, quo Sacerdotio inauguratus est; duodecimus, quo sacræ Hostiæ primitias Deo immolauit; decimus tertius, quo in magnâ Procerum vtriusque Ordinis coronâ ritè consecratus pedum Abbatis pastorale accepit, & in album Lætiensium Abbatum numero XXXIV. (non quidem à primâ Cœnobij fundatione, sed ab illius post Nortmannorum cladem reædificatione ac Monachorum reductione) adscriptus est.

CAPVT

CAPVT VII.

Vt se primis Prælaturæ annis gesserit.

BLOSIVS, onere regendi Monasterij suscepto, satis gnarus non ad otium & delicias, sed ad curas laboresque vocatum se; primùm statuit sibi non parcere, nihilque omittere, quod ad tantum munus ritè diligenterque obeundum, aut eorum qui sibi commissi essent salutem promouendam, pertineret. Verùm in re ancipiti non satis ei erat expeditum decernere, quò potissimùm curas mentemque converteret: perpendebat enim ex virorum sapientum consilio, interdum tempori seruiendum esse, & permagni interesse, quid quis primùm aggrediatur: ne si quid agat ordine præpostero, in ipso statim meditati operis limine impingat, & propositum scopum minimè assequatur. Fluctuanti igitur & creberrimis precibus insistenti, diuinum Numen adfuit; & cui desiderium instaurandæ regularis disciplinæ iniecerat, rationes quoque ad id opportunas suggessit. Primùm itaque in hoc sibi maximè incumbendum censuit, vt grauiores Monasterij abusus, qui partim temporum calamitate, partim Superiorum conniuentiâ, partim humanæ fragilitate naturæ, in mores Religiosorum irrepserant, opportunè tolleret, & deformatam disciplinæ Monasticæ faciem sensim pristino nitori restitueret. Arduum sanè ac molestiæ plenum opus moliebatur, cui perficiendo parum ab ætate, recentissimè susceptâ dignitate, nec ita longo religiosæ conuersationis spatio, accederet roboris atque auxilij: cùm præsertim multorum mores, longâ iam annorum quasi præscriptione corroborati, obsisterent. Quæ omnia, ceteraque eiusmodi, etsi præsentiret animo, nihilominùs perstitit in proposito, confisus, Deum, qui hanc ei piam mentem dederat, auxilia efficacia subministraturum; prouisurumque, ne iunior ætas (quæ plerumque minorem habere consueuit auctoritatem) contemneretur, aut quidquam ad rem præclarè cogitatam impedimenti afferret: eaque de causâ vitam, quam hactenus inculpatam & innocentem traduxerat, nouis ac feruidioribus virtutum actionibus studuit exornare; vt fieret forma gregis, & præclarum Religiosæ conuersationis suis omnibus seipsum præberet exemplum: rectè iudicans, Abbatis apud subditos auctoritatem, non tam ab ætate, & annorum numero, quàm ab exactâ instituti obseruatione pendere. His etsi vsus bonis artibus, sollicitus ac prouidus Pastor, non potuit tamen ipsis statim principiis suos ad ea quæ vellet inducere. Cùm enim natura ipsa procliuis sit in sua commoda, non facilè flectuntur in meliorem partem assueta licentiæ ingenia. Vnde non defuerunt qui ferrent iniquiùs, concessa sibi à tot annis liberioris vitæ solatia iam subtrahi; ab his enim quibus quis assueuerit, vix potest sine magno sensu doloris auelli. Quare BLOSIVM rogare singuli, vt se consuetis hactenus moribus deinceps quoque viuere sineret.

Non parum hoc pij Patris mentem cruciabat; nec ideò tamen salubris consilij cogitationem abiecit, sub mole gemere potiùs, quàm cedere paratus; & difficiliores exordiorum morulas, felicioris in posterum successus argumenta interpretans. Tolerat ergo fortiter quidquid contrà obijcitur, molestias omnes exsorbet, multa dissimulat, tempusque suis consiliis in effectum deducendis opportunum præstolatur; periti naucleri imitatus industriam, qui si ventos minùs secundos nactus fuerit, non ideò ad iners otium & turpem quietem deflectit, neque etiam eò dirigit nauigij cursum, quò vis illorum maior

maior impellit, sed vt tempestati obsecundet, vela obliquat, & quà licet, auras captat; fluctus etiam quos non potest frangere, eludit, vt, quò tendit, tandem aliquando perueniat. Sic sanè BLOSIVS nonnihil in suscepto reformationis negotio cunctandum ratus, dum se quorumdam contumacia frangeret; interim ingenij vela in obliquum tendit, & (quod in eiusmodi dubijs facere consueuerat) diuinæ bonitati supplex accidit, sinum mentis Deo pandit, supplicatque, vt quos suis tam iustis monitis habeat minùs obsequentes, emollire velit, inspirato melioris vitæ desiderio. Quod vt faciliùs obtineat, secretas & soli Deo notas ab oculis lacrymas elicit, voti sui testes. Ab his solatium quærit & auxilium. Has cum S. BERNARDO arma sua, quibus repugnantes suorum animos expugnet, nuncupat. Epist. 131. Hæ sunt illæ lacrymæ, quibus ab ipso conflatum est *Speculum Monachorum:* quod prudenti sanè consilio iam tum meditabatur, & anno postquam in Abbatem inauguratus est octauo in lucem edidit, & germanis S. P. N. BENEDICTI filiis, Lætiensibus maximè, spectandum proposuit, suo dissimulato nomine, & DACRYANI, quod Latinè *Lacrymatorem* sonat, ad illa tempora peropportunè assumpto.

CAPVT VIII.

Primordia disciplinæ restaurandæ impediuntur. BLOSIVS, *per belli Gallici tumultus, cum suis Athum fugere cogitur.*

DVM hunc in modum lacrymis & orationibus intentus, restaurandæ regulari disciplinæ inuigilat BLOSIVS, non alio ferè quàm bonæ voluntatis & pij conatus fructu, dici vix potest, quàm graues animi molestias & internos conflictus, his primis à suscepto regimine annis, subditorum imperfectionibus tolerandis pertulerit: neque tamen arreptam semel propositi constantiam deposuit vnquam, aut in eo persequendo factus segnior; quin potiùs ex obiectis sibi difficultatibus, auctis generosæ mentis & diuinæ charitatis igniculis, totâ animi contentione in hoc vnum operam industriamque conuertit, vt media exquireret, quibus ad religiosioris disciplinæ puritatem amplectendam, reluctantem suorum voluntatem magis magisq; impelleret. Accendebat illum impositi officij consideratio, & optimi Pastoris CHRISTI voluntas, commendantis oues suas, ne deuiantes à recto Religionis tramite negligeret. Vicit tandem patientia, & Dei benignitas, afflicti famuli sui sanctos conatus piasque lacrymas respiciens, quorumdam discipulorum animos ad subeundum sanctioris vitæ institutum inflexit. Incredibili sanè voluptate Patris optimi mentem hæc diuinæ bonitatis miseratio perfudit. In spem igitur successus melioris erectus, cùm suis iam ipse votis quasi præsentibus blandiens meliora sibi sponderet, ecce tumultus bellici sub annum Domini millesimum quingentesimum trigesimum septimum inter CAROLVM V. Cæsarem & FRANCISCVM I. Francorum Regem exorti, incendij miserabilis fumos atque fauillas in Belgij fines populabundis excursionibus intulerunt, & speratos iam reformationis progressus penitus abruperunt. Hæc ex antiquo sæpè deplorata Lætiensium calamitas est, vt ad illos, in belli Gallici tumultibus, primus semper rumor timorque perueniat. Igitur turbulentis belli temporibus iam iam imminentibus, tantus Lætienses, & inter eos Abbatem BLOSIVM, qui suis magis quàm sibi timebat, metus inuasit, vt plerique Monasterio (aliquot ad eius custodiam remanentibus) cedere, & quò cuique tutissimum visum esset,

esset, alij aliò fugere & dilabi cogerentur. BLOSII decessor GIPPVS domum vnam montibus Hannoniæ, alteram Athi, ad quas Lætienses bellorum periculis Cœnobio pulsi perfugerent, à fundamentis olim exstruxerat. Ad hanc Athensem domum BLOSIVS, vt suæ suorumque saluti ac Monasterij incolumitati per absentiam consultum iret, vnà cum tribus aliis Lætiensibus Monachis (quos melioris vitæ ardor accenderat) non quasi ad exilium, sed velut ad bonæ spei promontorium confugit. Sed quis in hac temporum calamitate non continuò irritos omnes pij Patris conatus censuisset? Ast hoc nimirum diuinâ prouidentiâ gerebatur, vt & BLOSII merita maius incrementum acciperent, & opportunitas ineundæ reformationis, ab omnibus Lætiensibus vnanimiter amplectendæ, melior (vt sequentia declarabunt) pararetur. Deo enim solemne est, tunc maximè suorum fauere sanctis conatibus, quando res omnino deploratæ videntur.

CAPVT IX.

In domo Athensi rigidiorem disciplinam suis præscribere meditatur.

FORTVITA BLOSII ad Athensem domum fuga destinatum diuinæ gratiæ asylum aperuit. Hîc enim opportunitatem iterùm captare constituit eius, quam iam animo designârat, strictioris disciplinæ in Monasterij mores introducendæ, vt, quod à plenâ Lætiensium Congregatione extorquere non potuerat, vt per reformationem collum suaui iugo Domini perfectiùs subderent, hoc cum tribus illis, quos secum abduxerat, & in suam traxerat sententiam *vnius moris in domo* socios, velut nouæ obseruationis prælusores, inchoaret. Psal. 67. Sanctis hisce cogitationibus Numen diuinum fauere videbatur, cùm semina, quæ Dux & Magister spiritualis sapientiæ BLOSIVS iaciebat in trigeminis vno animo discipulis, radices agere, & nouæ vitæ formam præ veteri adolescere animaduerteret; redeuntibus etiam aliis quibusdam Fratribus, quos huc illuc fuga distraxerat, in eiusdem vitæ contubernium. His felicibus principiis lætior factus BLOSIVS, tranquillæ in Domino vitæ, & nullis deinceps belli tempestatibus perturbandæ gratiâ satius fore duxit, si relictâ Lætiensi tam periculosâ & inquietâ per bella Gallica habitatione, & in Prioratum (qui paucorum sedes esset) conuersâ, Monachos Lætiis Athum transferret, & ibi securum de nouo Monasterium exædificaret. Non intempestiuum ipsi videbatur, vt delectu habito, quos suis nutibus minùs obsequentes cerneret, illos in Prioratu nouo Lætiensi, aliisque locis viuere suis moribus sineret: quos verò melioris vitæ amantes, & ad normam exactioris disciplinæ flexibiles experiretur, eos intra Athensis Monasterij noua septa sub suâ curâ & tutelâ reclusos, nouis etiam cælestis vitæ præceptis informaret. Sic nimirum quos semel sacro suo igne Spiritus sanctus afflauerit, numquam ipsi sibi faciunt satis, donec ad ea peruenerint quæ in eo vitæ genere, quod sibi proposuerint, putantur esse summa. Hoc spiritu animatus BLOSIVS, & ardentissimo pectoris sui æstu aliorum vires metiens, apud animum suum statuit exactam S. BENEDICTI Regulam in toto rigore suo sibi suisque in hac domo Athensi ad amussim seruandam indicere, abiectis atque repudiatis omnibus omnino dispensationibus atque relaxationibus, quas in illum vsque diem aduersus eius obseruantiam, vel subditorum consuetudo,

vel

vel blanda Superiorum indulgentia, inuexerat. Et ficut cum tribus illis optimæ voluntatis Religiosis in Athensi domo, periculi faciendi gratiâ, arctissimam Regulæ obseruantiam auspicatus fuerat, ita cum reliquis ad nouum Monasterium accessuris deinceps viuere decreuit. Quippe nihil ei ita arduum videbatur, quod non se perficere posse, Deo auctore, speraret. Hæc prima & certissima fuerunt venerabilis Abbatis BLOSII consilia, viuere nimirum ad nudæ Regulæ præscriptum: quod ab iis, quos eadem quæ ipsum ardoris flamma accenderet, non difficile fore arbitrabatur. quæ sine dubio etiam suis omnibus posteris obseruanda præscripsisset, nisi contrarium ab ipso Cæsare CAROLO V. consilium, & alia, vt sequentia Capita declarabunt, obstacula interuenissent.

CAPVT X.

Obsistit rigidiori disciplinæ Monachorum quorumdam tergiuersatio, & æmulorum inuidia.

CONSTAT tam veterum quàm recentiorum historiarum monumentis, neminem fuisse vmquam res præclaras ad Dei gloriam & animarum salutem aggressum, quin repentè vel humanæ mentis socordia, vel peruersa æmulorum inuidia oblatrarit. Testis est S. P. N. BENEDICTVS, quem in Occidentis oras cogitantem noua Religiosæ vitæ Statuta inuehere, in ipsis principiis non sæculares modò, verùm etiam in Ecclesiasticâ dignitate constituti tum Sacerdotes tum Monachi, inuidiosè dictis factisque, etiam veneno propinato, persecuti sunt. Quare mirum videri non debet, si magnus S. BENEDICTI discipulus & imitator BLOSIVS, eamdem cum illo repugnantiæ & inuidiæ aleam, sub ipsâ statim strictæ obseruantiæ BENEDICTINAE in mores introducendæ exordia, subierit. Visus enim quibusdam suorum nimius is vitæ rigor, & quam capesseret austeritas, humanis viribus, maximè posterioribus hisce sæculis, parum accommodata; iis præsertim, qui laxioribus iam moribus assueuissent. Taceo aliorum quorumdam, qui post tumultus bellicos Lætias se receperant, voces ex dolore natas: hi libertatem honestam in turpem seruitutem verti, illi solatia corporis à Monasterio ablegari, quidam inueteratam per tempus immemorabile laxamentorum consuetudinem, per exactam Regulæ obseruantiam iam abrogari, alij alia dictitabant, quæ faciliùs cogitantur quàm scribuntur.

Inuidit etiam sanctis hisce primordiis cacodæmon, qui vt olim aduersus S. P. N. BENEDICTI fausta principia malignum quemdam Sacerdotem FLORENTIVM excitauerat; ita etiam contra BLOSII pietatem, audaculum nescio quem Religiosæ cuiusdam familiæ alumnum (Ordinis nomen de industriâ reticendum iudico) suscitauit, qui in publicis ad populum concionibus aduersus sanctam hanc vitæ rationem rabiem suam bilemque effudit, BLOSIVM ipsum BLOSIIque filios clarâ voce nouitatis aucupes, hypocritas, ambitiosos, rigidæ austeritatis ostentatores, aliaque velut è plaustro triuiali conuitia, è suggestu sacro proiecit. Siluit quidem ad hæc dicteria, patienterque tulit hominis proteruiam verus S. BENEDICTI æmulator BLOSIVS: sed non tulerunt leuissimam concionatoris, vel conuitiatoris potiùs, dementiam grauissimi & prudentissimi auditores quidam, qui ad Superiorem Ordinis detulerunt, vt famosam concionem reuocare, palinodiam cantare, & pœnam ob atrocissimæ iniuriæ noxam pendere eum iuberent. Ita factum: &

punitus quidem ille fuit, sed non emendatus, neque ab inuidiâ discessit; quin ipsâ pœnâ factus improbior, vindictam addere decreuit. BLOSIVM enim & socios, quos palàm lædere non poterat, aut non audebat, persequi clanculùm decreuit; & iniurias, quas nullas acceperat, vlciscendi furore inflammatus, nocte intempestâ tubos & canales BLOSIANAE domus perfringendos curauit: vt quos deinceps prohibebatur linguæ petulantiâ lacessere, eos quoad posset rerum temporalium damnis afficeret. Et hæc quidem pij Patris BLOSII, qui similia machinamenta maligni dæmonis arte & instigatione fieri non ignorabat animum, à suscepto semel proposito, tantum abest vt deterruerint, vt potiùs ad speranda meliora excitarint.

CAPVT XI.

Atho Lætias Imperatoris CAROLI V. *iussu reuertitur, & de mitiori vitæ ratione suis præscribendâ cogitat.*

EXVLTABAT in spiritu BLOSIVS, varijs licet contradictionum procellis agitatus, quòd aliquos saltem è suis haberet suæ voluntatis & consilij in hac viuendi rigidâ ratione, ex integro Regulæ BENEDICTINAE præscripto, sectatores; & sperabat eorum numerum cum boni Dei auxilio paulatim auctum iri. Verùm dum hæc in domo Athensi aguntur, & positis fundamentis eius consuetudinis, quam ibidem pius Abbas instituere cogitabat, iam in opus aliquousque progressus esset, Monachi qui in Lætiensi Monasterio remanserant, vel eò etiam tranquilliore tum Republicâ & deferuescente bellorum æstu se suaque contulerant, veriti ne si diutiùs Athi BLOSIVS subsisteret, suâ fortassis vecordiâ domus Lætiensis in posterum fieret desertior, felicibus Abbatis sui auspiciis, apertâ fronte, obstiterunt. Positi namque inter duo extrema, hinc apud se Lętiis disciplinæ solutæ laxam licentiam videbant, atque ex eo Monasterij antiqui ruinam exitiumque timebant: inde verò si Athi apud Abbatem suum tantum pondus strictioris vitæ, quantum ex illis principiis coniicere poterant, in humeros attollerent; ob nimiam austeritatem, perseuerandi desperationem præsagiebant. Eam ob rem, medium consilium viamque quæsiuerunt, & inuenerunt. Per supplicem libellum à CAROLO Cæsare impetrauerunt, vt ad Lætiensem habitationem ex Athensi perfugio BLOSIVS cum suis postliminio redire iuberetur: promissione interim factâ, si de inchoatæ Athi disciplinæ rigore nonnihil remittere, & ad moderatam aliquam viuendi normam reducere velit, se in eius fore potestate; paratosque, ad legum suarum præscriptum in posteros vsque durabile, vitam moresque componere. Ad inexpectatum hoc Cæsaris mandatum obstupescere BLOSIVS, & nonnihil primùm commoueri, dolereque, si tam fausta melioris vitæ primordia tam citò in fumos & ventos abirent: paulisper deinde hærere, nec satis secum ipse statuere, præstaretne angustum, quem iam cœperat, callem insistere; an verò, quò plures sibi ad eamdem vitæ societatem adiungeret, à seueriore instituto aliquantulùm deflectere; neque enim rationum argumenta & momenta deerant, quæ in vtramuis partem inclinarent. Re igitur & secum & cum Deo communicatâ, satius & è Dei honore magis fore tandem credidit, si & suorum qui Lætiis remanserant consilio, & Imperatoris mandato (quod excutere difficulter poterat) persuasus Atho Lætias cum suis reuerteretur, facturus deinde quod optimum ad Dei gloriam & ad Fratrum suorum salutem

salutem iudicaret. Nihil autem alicuius momenti inchoare solebat, nihil mouere, nisi aduocatâ è cælo Dei Sapientiâ. Et quamuis id taceremus, pientissimæ tamen illæ & feruentissimæ orationes in hunc finem ab eo compositæ, quæ in libris BLOSIANIS passim exstant, abundè hoc testantur. Certò præterea sibi persuadebat verus humilitatis amator, humanam sapientiam pendêre à Diuinâ, & os Domini, per os hominum loqui, & oracula pandere. Quocircà ne sua solius consilia secutus in hac vitæ mitioris introducendæ cogitatione id quod minùs pium esset, eligeret, aut amissâ diuinæ prouidentiæ cynosurâ in breuia & syrtes abriperetur imprudens; diuinâ atque humanâ prudentiâ, quasi duabus anchoris sese firmandum censuit, oratione, dico, & aliorum consilio; suosque Lætienses certos reddidit, quandoquidem eos, Deo auctore, laxiorem iam antiquæ licentiæ tramitem deserere paratos reperiret, se quoque procul dubio aliquid de inchoato illo seueriôris vitæ genere remissurum, si viri graues, qui doctrinæ virtutisque præstantiâ conspicui essent, & arcanorum Spiritus sancti mysteriorum periti, postquam ad eos de totâ re esset relatum, ita faciendum in Domino iudicarent. Hæc benigna pij Patris promissio Lætienses, austerioris illius vitæ rigore priùs deterritos, vehementer recreauit.

CAPVT XII.

Sapientum virorum consilio, & aliarum Congregationum exemplo, moderatam viuendi rationem assumit.

LAETIAS ergo reuertitur BLOSIVS: ac fusis primùm feruentissimis ad Deum precibus, cùm deinde super tanti ponderis negotio non paucos & doctrinâ & pietate insignes viros in consilium adhibuisset, atque ab eorum tandem vnanimi suffragio & consensu retulisset, nullum violentum perpetuum esse, moderata plus in posterum firmitatis promittere, generosis animis non semper corporis vires respondere, adeoque videri maiorem suorum (quorum commodis & saluti maximè studere deberet) quàm sui feruoris rationem habendam esse, aliaque ad moderationem persuadendam idonea; hæc ita accepit vir in Dei placitum resignatus, atque si ab ipsomet Deo pronuntiata essent: & in eam tandem sententiam se deduci passus est, vt suum illud strictioris vitæ desiderium secundùm exactum Regulæ BENEDICTINAE præscriptum, quo alioqui maximoperè tenebatur, charissimorum filiorum suorum in mediocria propendentium votis postponendum putaret. Neque enim timendum esse aliquod erroris periculum in disciplinæ mitioris proposito capessendo, quod sapientibus & piis viris approbantibus, imò & ipso Deo auctore susceptum videretur. Quo factum, vt præcipuum Regulæ S. P. N. BENEDICTI in corporis afflictatione rigorem aliis relinquens, qui maiori austeritati se pares crederent, moderatum ipse viuendi modum suis Lætiensibus præscriberet. Et verò non desunt testimonia, quibus probemus non minorem hac in re apud homines laudem, quàm meritum apud Deum consecutum esse BLOSIVM. Sunt enim qui meminerunt, eum à Reuerendissimis Episcopis aliisque prudentibus viris mirificè collaudatum fuisse, quòd alienæ prudentiæ magis quàm suæ innitendo, impetum spiritus sui, ad districtum disciplinæ rigorem impellentis, alieno consilio reuocari, & ad durabiliorem temperatæ vitæ rationem reduci passus sit; remque eo consilio præstitisse cùm

 Deo

Deo ipsi magis honorificam, tum sibi suísque magis salutarem, quòd plus rationi quàm feruori indulsisset.

Porrò non est necesse commemorare quàm plurima exempla, tum eorum, qui cùm summum rigorem professi essent, moderationem aliquam adhibendam, communi Ordinis iudicio, ipsâ etiam approbante Sede Apostolicâ, censuerunt; tum eorum, qui ab ipso sui exordio moderatius vitæ institutum sibi, cum magnâ orbis Christiani approbatione, delegerunt. Sentiebant nimirum præstare, vt aliquid potiùs imbecillitati humanæ concederetur, quàm exiguo pòst tempore non sine suo dolore cernere plurimos, qui difficultate victi labori succumberent: omnes quidem rigida illa vitæ instituta suspicere & admirari, non multos suscipere; plures æmulari, paucos imitari posse. Satius ergo esse eam viuendi normam proponere, cui nemo se subducere possit: cùm alioqui rigida & austera viuendi instituta, quando relaxari incipiunt, in dissolutionem non raró conuertantur. Hanc BLOSIO mentem fuisse in suis *Statutis* condendis, nemo prudens dubitare poterit.

Ceterùm *Statuta* hæc BLOSIANA, ac præclaram quæ ab iis existit in Lætiensi Cœnobio disciplinam, tum alij dignitate & prudentiâ conspicui, tum præsertim MAXIMILIANVS A BERGIS Illustrissimus Cameracensis Archiepiscopus commendauit, Epistolâ hac triennio ferè ab obitu BLOSII scriptâ, post peractam eiusdem Cœnobij visitationem;

MAXIMILIANVS A BERGIS, *Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus & Dux Cameracensis, Comes Cameracesij, Sacri Romani Imperij Princeps, &c. Reuerendo in* CHRISTO *Patri Domino Abbati, Priori, & reliquis Religiosis Latiensis Monasterij, nobis immediatè subiecti, Ordinis S.* BENEDICTI, *Salutem in Domino.*

Quamquam compertum habeamus, disciplinam omnem Monasticam iam dudum apud vos in eum constitutam ordinem esse, labore, studio, & vigilantiâ felicis recordationis D. LVDOVICI BLOSII, *vltimò defuncti Abbatis vestri cùm primis Religiosissimi atque deuotissimi, vt non immeritò vestræ Congregationis bonus odor latè penetret, ac longè diffundatur, cùm propter prædicti Domini insignem pietatem, tum verò etiam propter laudabilem eius imitationem, quam retinetis; vt isthinc etiam reformandæ Religionis rationes sumpserint viri quàm plurimi, iíque iudicio non vulgari: noluimus tamen, etiamsi nihil apud vos corrigendum arbitraremur, visitationem facientes nostræ Diœcesis, vos prætergredi; sed præsentem nacti opportunitatem, inter Abbatiales Ecclesias, hanc primùm aggressi sumus, completâ visitatione nostræ ciuitatis Cameracensis, vt ex illâ in alias aliquid reportemus melioris ordinis, institutionis, obseruationisque Monasticæ, vt benemeritis laudibus prosequamur virtutem vestram; saltem ea vobis tradamus obseruanda decreta,* PAVLI *Apostoli exemplo, quæ instituta atque ordinata sunt à Patribus.* Deinde post pauca de Concilij Tridentini Decretis, quæ huc non pertinent, prosequitur: *Monemus & obsecramus in Domino nostro* IESV CHRISTO, *vt quâ fieri potest diligentiâ aduigiletur ab omnibus, sed maximè à Superioribus, à quibus horum exigetur ratio, ne disciplina regularis, ab illo suo laudabili gradu, vllâ ratione in vobis declinet, aut deficiat; quæ vt hucusque honori fuit & laudi*: & cetera quibus Lætienses ad STATVTORVM BLOSIANORVM diligentem obseruantiam exstimulat.

CAPVT

CAPVT XIII.

Præparandis suorum ad reformationem animis, à se conscriptum Speculum Monachorum *sub* DACRYANI *nomine legendum proponit.*

IN eam igitur sententiam, piorum & eruditorum virorum consilio adductus BLOSIVS, vt temperatum viuendi modum, relicto rigidiori, assumeret; eam tandem, quam per nouem circiter primos Prælaturæ suæ annos regularis disciplinæ restaurationem variè multumque apud se meditatus fuerat, totque lacrymis ac votis expetierat, aggressus est. Principiò verò illam viuendi rationem, quam animo iam conceperat, in aliquam formam & ordinem per *Statuta* scripto redigi oportere existimauit: tum vt res durabilior esset, tum vt maiori cum prudentiæ pondere ac iudicij maturitate conficeretur. In quod non minùs præclarum quàm laboriosum opus dum diligenter incumbit, priùs tamen quàm illa ipsa *Statuta* perficeret, aut suis Monachis obseruanda traderet; salubri prorsus & sapienti consilio, *Speculum Monachorum* DACRYANI, iam à se, Lætiensibus minimè consciis, conscriptum, & eo ipso tempore opportunè typis excusum, in loco, vt vocant, Capitulari quotidie prælegendum curauit. Quod quàm prouidè ab eo excogitatum fuerit, rei exitus comprobauit. In hoc enim suo DACRYANO, neglectam tunc & penè collapsam in suo Monasterio & alibi priscæ asceseos disciplinam, multis deplorat pius Lacrymator. Illum certè quisquis diligenter euoluerit, clarè velut in speculo BLOSIANAE mentis intuebitur, quàm ardentibus vir ille desideriis æstuaret regularis obseruantiæ, quâ parte collapsa videri poterat, in pristinum vigorem restaurandæ. Quia verò in isto *Speculo*, velut in reformationis præludio, præuiam quodammodò languentibus Fratrum suorum animis medicinam exhibebat; scitè atque prudenter, vt faciliùs in eorum animos velut ignotus sese insinuaret, sub alienó sed specioso DACRYANI venerandæ quasi antiquitatis nomine, salutis monita propinauit. Hoc enim Religiosis viris non parum à priscâ disciplinâ digressis propositum Opusculum, velut *Speculum* mentibus deturpatis fuit, ex quo suos ipsæ næuos conspicerent, & conspectos mundarent; & ægris velut antidotum, per quod restaurationis desiderio magis ac magis inardescerent, atque ad eam amplectendam efficaciùs disponerentur. Hæc autem si suo nomine Lætiensibus legenda in regulari Capitulo præscripsisset, aut omnino ab illis neglecta fuissent, aut certè non ita profundè affectibus eorum insinuata adhæsissent. Ceterùm si quis aureum illum libellum attentè perlegerit, fateri cogetur, cælestibus omnino charismatibus affluere debuisse pectus illud, ex quo tanta deuotionis dulcedo profluebat. Siquidem quæ ibi de cuiusdam Fratris anonymi profectu humiliter, sed valdè asseueranter, mysticus iste DACRYANVS narrat, de ipsomet BLOSIO accipienda esse, constans est Lætiensium assertio.

CAPVT XIV.

Confirmatum à PAVLO III. *temperatum viuendi modum quibus considerationibus induxerit.*

SATIS superque iam Lætienses mentis suæ næuos in illo DACRYANI *Speculo* conspexerant, & ad eos mundandos apprimè ferebantur, cùm BLOSIVS in omnem suorum posteritatem conseruanda *Statuta* perpoliuit, & diu cogi-

tatæ atque in animo delineatæ restaurationis fundamenta iecit. Quæ deinde Religiosis suis volentibus ac lubentibus (paucis admodum, quibus needum antiquæ cõsuetudines planè displicebant, exceptis) anno Domini M.D.XXXIX. promulgauit, & ab illis per posteros in hanc vsque diem (Dei gratiâ iuuante, & Prælatorum vigilantiâ) sanctissimè obseruanda curauit. Deinceps, cùm per sex circiter annos magno spiritus gaudio ac fructu horum *Statutorum* obseruantia apud Lætienses in mores inducta & recepta fuisset; PAVLVS III. Pontifex Maximus nouum illum viuendi modum iuxta Regulam S. BENEDICTI per *Statuta* BLOSIANA temperatam, sexto Idus Aprilis, anno quinto & quadragesimo post sesquimillesimum, per Bullam ad hoc plenissimè datam & consignatam, Apostolicæ Sedis auctoritate approbauit confirmauitque. Ceterùm præter rationes iam antè allatas, quibus, vt Regulam S. BENEDICTI per *Statuta* sua temperaret, adductus fuit BLOSIVS, considerationes ei aliæ non defuêre. Animaduertebat enim vir diuinus, formam illam *Statutorum* ad maiorem Dei gloriam & vberiorem Lætiensium vtilitatem fore, quæ, remisso nonnihil externo Regulæ BENEDICTINAE rigore, illis olim temporibus & regionibus percommodo, ita temperaretur in externis potissimùm laboribus, vt cùm non abhorreret à communibus pietatis exercitiis, ob accommodam illam rigoris moderationem durabilior esset, nec dispensationibus quærendis obnoxia. Imò quò plus animo excolendo, quàm corpori frangendo, operæ poneret; eò etiam accuratam in celebrandis diuinis Officiis diligentiam, tantoperè à S. P. N. BENEDICTO commendatam, & ab ipso BLOSIO Lætiensibus præceptam (cùm veluti anima Religionis sit) minùs aut impediret aut retardaret. Has autem pias considerationes pro temperatæ reformationis formâ & vtilitate habuisse BLOSIVM, nulli poterit esse dubium, qui ipsummet pro se loquentem audire voluerit. Illas enim vti à Spiritu sancto acceperat, ita & in schedam manu suâ prudenter retulit. Audiat ergo eum benignus Lector, & pro se modestè, & pro suorum *Statutorum* introductione neruosè disserentem in hunc modum:

Quàm facilis & à rigidâ austeritate alienus sit noster viuendi modus, patet ex Statutis nostris, & ex Bullâ PAVLI *Papæ* III. *qui eumdem viuendi modum ex certâ scientiâ approbauit confirmauitque. Hæc autem viuendi ratio, & mitißima reformatio, ideò istis temporibus recepta atque introducta est, vt transgressiones meliùs vitentur, & Religionis integritas maiori cum promptitudine animi ab omnibus Fratribus seruetur, commodiusque perduret; dum scilicet necesse non est aperire ianuam crebris relaxationibus, & declinare ab institutis susceptis. Sanè qui à Deo trahuntur, & quibus Deus dat fortitudinem, poßunt conuenienter apud nos moderatam austeritatem amplecti, & abstinentiam sectari: velut si quis, dum Fratres bis in die reficiunt, parcè admodum ad honorem Dei cœnet; aut alioqui à multis, quæ sensualitas inordinatè appetit, abstineat, & exercitia aliquantulùm rigida propter Deum assumat. Qui inter nos inuenit se alacriorem ad seruiendum Deo, dum manducat, potest continenter manducare, si ex Instituto manducare licet. Rursum qui inuenit se paratiorem ad spiritualia dum non manducat, potest non manducare. Siue illud, siue istud fiat, si purè ad honorem Dei fit, Deo gratum est. Igitur Cœnobiticus noster viuendi modus non idcircò contemni debet, quòd sit mitis ac facilis; maximè cùm vera sanctitas & perfectio non propriè consistat in magnâ vitæ austeritate, sed in verâ mortificatione & resignatione sui, in verâ humilitate & charitate, cordisque munditiâ. Aliàs beatißima Virgo* MARIA *Mater Dei non fuisset perfecta, quæ nusquam legitur tenuisse exteriùs singularem vitæ austeritatem, sicut* S. IOANNES BAPTISTA *tenuit. Profectò, qui pia*

corda

corda habent, & pro suâ salute attenti diligentesque esse volunt, possunt etiam apud nos commodissimè proficere in sanctis Virtutibus, & placere Deo: vbi scilicet innumeris malorum occasionibus præcisis, deuotissimæ lectiones quotidie recitantur. Nam qui gerunt corda sæcularia, dura, superba ac peruersa, vbique occasionibus benè viuendi abutuntur; & siue in miti, siue in seuero sint Ordine, salutem suam miserè negligunt, &c.

Hactenus pro se & pro suis *Statutis* BLOSIVS. Vbi obseruandum est, alia ibidem addi à BLOSIO, quibus grauissimis verbis vetat, ne quisquam Successorum, per quamcumque speciem aut causam, in istâ, quam tradidit, vitæ ratione, quidquam immutet, eò quòd crederet nihil in eâ inueniri adeò difficile, quod vel delicatissimus quisque obire non posset. Ne tamen soli suo iudicio innixus fuisse in hac moderatâ viuendi ratione præscribendâ videretur, alium producit insignem Religiosæ vitæ Pædagogum FLORENTIVM Carthusianum (qui aureos libellos de *Institutione vitæ Christianæ* scripsit) ex quo pauca iam dictis suis considerationibus planè conformia desumit, quibus & eamdem schedam suam obsignat. *Vnde* (inquit in eâdem schedâ BLOSIVS) *in 28. Cap. 4. lib. Institutionis vitæ Christianæ legimus hæc verba:*

Pro certo habeas, statum tuum, in quacumque Religiosâ ac laudabili societate approbati Canonis positus sis (vbi tria Religionis vota substantialia, puta Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis seruantur) æquè à Deo institutum, Deoque gratum esse, vt quemlibet alium Ordinem Monasticum, quantumuis ille seuerior ac perfectior habeatur; poterisque in eo non minùs placitam, aut fortasse gratiorem Deo vitam viuere, quàm in alio multò asperiori: atque ita ex consequenti, poteris etiam maiorem (si tamen ipse voles) parare tibi cumulum meritorum vitæque perfectionem, quàm alius in quamlibet rigido vitæ instituto. Fieri planè potest, vti & fit, vt in remissiore aliquo vitæ Monasticæ genere & Ordine homines interim sanctiores perfectioresque inueniantur, quàm in sublimi ac valdè aspero.

Et 24. capite eiusdem libri (prosequitur BLOSIVS) *verba ista habentur:*

Tibi persuadeas, cunctos Ordines Monasticos non nisi vnum esse Ordinem, quod ad scopum, essentiam, & rem ipsam attinet; quandoquidem omnes ex Deo profecti sunt, atque ad exemplum Vitæ CHRISTI, *& Discipulorum eius, instituti accommodatique. Dubium non est, quin ex Dei gratiâ, in mitiori vitæ Monasticæ genere, non modò æquè perfectè & sanctè obsequi & placere Deo queas, quàm in alio aspero valdè; verùm etiam gratiorem (si velis) Deo impendere famulatum, & sanctior perfectiorque fieri, ac maiora tibi merita conflare possis. Et reuerà (quæ hisce temporibus humanæ vt plurimùm naturæ debilitas est) tutiùs fortasse fuerit, in mitiori viuere Ordine, quàm plus satis seuero ac intolerabili.*

Et concludit BLOSIVS: *Hæc ibi. Quæ quidem* (inquit) *verba, cùm à viro illuminatissimo Deoque coniunctissimo scripta sint (vt prudenti Lectori clarissimè liquet) non debent ab aliquo paruipendi.*

Habes igitur, benigne Lector, pias pij BLOSII considerationes, in quibus non modò posterioris æui viros Asceticâ pietate illustres (ex quibus ille FLORENTIVS tam eleganter pro BLOSIANA moderatione locutus est) auctores fautoresque habuit, sed etiam priscorum exempla ac monita secutus est. Namque S. PACHOMIVS tot millium Monachorum Pater ac Legislator, cùm *Statuta* commentando rationes cum Deo in oratione poneret, Angelicâ manu, velut alter mitissimus MOYSES in desertó, tabulas Regularum cælitus accepit, in quibus illa leguntur BLOSIANIS considerationibus quàm simillima. Illis enim verbis Angelus Domini de præceptis dandis, præcepta dat PACHOMIO, sicut Spiritum sanctum BLOSIO dedisse confidimus: *Singulis* (inquit

Angelus) *iuxta vires suas edere concedas & bibere, & pro modo vescentium laborare compellas; & neque comedere modestè, neque ieiunare prohibeas. Validioribus quidem & comedentibus validiora opera, leuiora verò infirmioribus & abstinentibus imponas.* Cùm verò de numero duodenario Diurnarum, Vespertinarum, Nocturnarumque Orationum, tamquam perexiguo & facili nimiùm ac molli leuique onere Tabennensibus suis imposito, apud Angelum dictatorem suum, feruens magnis ardoribus, queri videretur PACHOMIVS; ita respondit Angelus, vt videatur pro BLOSIANIS *Statutis* præfari:

Has constitui (inquit) *quas possent infirmiores absque labore perficere. Ceterùm qui perfecti sunt, hac lege non indigent. Apud se namque in proprijs constituti cellulis orare non desinunt, qui puritate mentis & diuinâ contemplatione pascuntur.* Quid conformius aut accommodatius cælestis ille genius ad BLOSIANAE mentis considerationes effari potuisset?

CAPVT XV.

Exemplo suis prælucet.

QVOD TIMOTHEO suo, ceterisque Præsidibus animarum ac Pastoribus, inculcat Apostolus, vti inter oues suas non annorum multitudine, sed virtutum magnitudine commendari studeant; id à BLOSIO, canitie potiùs morum quàm annorum venerando, obseruatum in istâ suâ vitæ Monasticæ re-
1.Tim.4. stauratione animaduertimus. *Exemplum esto fidelum in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* Proinde exemplum vitæ, doctrinæ verbo addidit; breuissimum iter ad perfectionem discipulorum existimans, si præiret vita docentis. Quoniam illa demum eloquentia consensum extorquet auditoribus, vbi manus Oratoris à linguâ non discrepat. Nihil autem BLOSIVS omnino dicendo docendoque monstrauit, cuius ipse in moribus suis ac vitâ non expresserit viuum exemplar. Neque enim (quod de sanctissimo Patriarchâ
Lib.1.Dialog.c.36. nostro BENEDICTO Magnus affirmabat GREGORIVS) potuit aliter docere
Deut.32. quàm vixit. Igitur in primis *sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans*, ad cælum solemque ascendere, & alas ad volatum sublimiorem concutere exemplo suo docet: ita BLOSIVS dum ad cælestem vitam filios suos subleuari vehementer exoptat, ad delicias diuinas in spiritualibus exercitationibus captandas, & ad vires animi pro futurâ restauratione colligendas, prior ipse in sublime conspicuo virtutum omnium prouolauit exemplo. Igitur boni Pastoris instar, non pedo tantùm oues suas & potestate vrgebat, sed pedibus & exemplo præibat, quibus præerat. *Statuta* vniuersim sua rigidissimè ante alios ipse obseruabat: ad Officia diuina, ad communem refectionem, ad omnem denique solemnem Conuentus actionem, non tam accedebat quàm præcedebat, quantum per occupationes, ægritudines, hospitúmve illustriorum interpellationes, licebat. Eiusdem virtutis fuit, obitis maturâ iam ætate S. IGNATII Fundatoris Societatis IESV spiritualibus exercitiis, suos ad rerum diuinarum amorem, eademque pietatis munera frequentanda, exemplo prouocasse; vti latiùs Cap. XVII. commemorabitur.

Ea verò consuetudo BLOSII Abbatis ad *Statutorum* obseruationem præeundi suis, ad posteros ab eo ducta in hanc vsque diem manauit. Vt enim in BLOSIO, ita mos inualuit in Successoribus, exemplo subditos ad Religiosæ vitæ studium animandi. Neque lucerna hæc BLOSIANAE reformationis super candelabrum posita, Lætiensibus tantùm & domesticis, sed externis etiam ac remo-

remotioribus præluxit. Voluit enim gloriosæ memoriæ CAROLVS V. Cæsar Maximus iuxtà ac Pientissimus, BLOSII præ ceteris operâ vti in reformandis nonnullis per Belgium Ordinis nostri Monasteriis; in quibus optimo successu, quà prudentiâ, quà morum suauitate, quà salutaribus monitis, Regularis disciplinæ obseruantiam restituit BLOSIVS.

CAPVT XVI.

Sacræ Lectionis frequentatio.

AD Pietatem animis inserendam, nutriendam, augendam, duas res maximi momenti esse censebat BLOSIVS: Lectionem videlicet spiritualium librorum, quâ Deus nobis loquitur, & Orationem, quâ nos Deo familiari sermone coniungimur.

In lectione principem locum dabat Scripturis sacris, quod passim eius monimenta testantur, vt illud D. HIERONYMI de NEPOTIANO elogium non minùs verè de BLOSIO vsurpari possit, quòd *lectione assiduâ & meditatione diuturnâ pectus suum Bibliothecam fecerat* CHRISTI. Scripturis succedebat assidua sanctorum Patrum lectio, GREGORII præsertim & AVGVSTINI. Neque minùs ei familiares erant illi Theologiæ mysticæ Coryphæi, THAVLERVS, SVSO, RVSBROCHIVS, vt quiuis vel leuissimè versatus in BLOSIO facilè videt. Denique suauissimè sapiebant ei cælestes illæ deliciæ, quibus sanctarum quarumdam mulierum Opera perfusa sunt: GERTRVDIS inprimis, & CATHARINAE SENENSIS, & MECHTILDIS & BIRGITTAE. In quibus euoluendis tanta fuit eius & tam auida diligentia, vt de eo TILMANNVS BREDENBACHIVS S. Theologiæ Doctor in Epistolâ nuncupatoriâ ad *Insinuationes diuinæ pietatis* S. GERTRVDIS à se editas anno M. D. LXXIX. ita scribat: *Vnde & factum, quòd doctissimus & pientissimus Abbas* LVDOVICVS BLOSIVS, *mihi olim familiariter notus, duodecies in anno libros hosce æstuantissimo affectu euoluerit, sicut ex intimi cuiusdam eius relatione cognoui.* Idem testatur vir religiosissimus IOANNES DE CASTAÑIZA Ordinis nostri in Hispaniis Abbas in suo ad easdem Reuelationes Prologo.

Quam verò Lectionem spiritualem ipse crebrò & iucundè vsurpabat, Lætiensibus suis seriò commendauit; & præter priuatam pro cuiusque pio affectu vsurpari solitam, tribus maximè temporibus frequentandam publicè, & suis præcepit, & ipse accuratè obseruauit.

Primò, vt ad mensam toto tempore quo Religiosi corpus cibo reficiunt, spirituale Lectionis alimentum animæ præbeatur. Quam publicam Lectionem tanti faciebat, vt illius gratiâ, quantum per hospites licebat, refectorio communi maximè recrearetur. Quoties enim ea non erat hospitum dignitas, aut cognationis affinitas, vt ipse cum iis accumbere cogeretur; illos Oeconomo Religioso humaniter ac perbeneuolè tractandos commendabat, ipse verò ad desideratam Religiosæ mensæ lectionem sese conferebat. Quamquam & ad hospitalem Abbatis mensam, ex deuoto & ad captum hospitum vtili nec iniucundo libello, per certum aliquod spatium, legi iubebat. Sed illam videlicet Conuentualem (quam vocant) Lectionem, vt sibi magis propriam, auidiùs appetebat.

Secundò, vt priusquam à meridie in commune colloquium ad honestam animi relaxationem Religiosi prodeant; ad locum Capitularem conuocatis per semihoram deuoti & spiritualis Auctoris liber prælegatur, vnde hauriant quod mox in sanctis & religiosis inter se sermonibus effundere possint.

Tertiò

Tertiò denique, vt per quartam horæ partem omnibus ad Oratorium conuenientibus, antequam Completorium inchoetur, in fine diei pia ac deuota de Vitâ & collationibus Sanctorum lectio præmittatur.

Pro quâ spirituali lecturâ ad vsum fructumque pietatis adsciscendâ facit, quod BLOSIVS mandauit, ne in communi aut priuatâ Bibliothecâ fas sit librum vllum reperiri, à quo Fratrum sincera pietas possit ad noxiam aliquam aut sæcularem vanamque curiositatem detorqueri. Illud etiam cauit, ne in Lectione spirituali fucata verborum vanitas, sed solida animi pietas quæratur; idque aureis hisce verbis commonefecit:

Porrò ipsos Fratres monemus, ne verborũ elegantiam in negotio spirituali intempestiuè requirant: non quòd damnemus sermonis ornatum, sed quòd improbemus Monachorum quorumdam peruersum iudicium, quibus nihil sapit, nihil arridet, nisi quod eleganter dictum est. Et mox cùm docuisset, *per Scripturas verbis simplices & doctrinas humiles internæ vitæ profectum acquirendum*; ista subdit: *Ab eis tantò longiùs Spiritus sanctus recedit, quantò ipsi ab innocenti simplicitate veráque humilitate magis sunt alieni. Oportet verum Monachum sic esse affectum, vt nihil scire desideret, nihil se scire existimet, nisi* IESVM CHRISTVM, *& hunc crucifixum. Quòd si alia scire desiderat & laborat, ad hoc tantùm desiderare debet, vt in scientiâ* IESV CHRISTI *sanctâque pietate magis proficiat.*

CAPVT XVII.

Oratio, & ex eâ profecti Ascetici libelli.

POST sacram Lectionem, altera est pietatis nutrix, deuota Oratio. Vtramque BLOSIVS ardenter amauit, vtramque dulcissimo affectu complexus est: quem vel ideò beatum Abbatem nominare possumus, æquè atque ipse beatos Monachos appellat, qui lectioni & orationi dediti sunt, suis illis *Statutorum* verbis: *Beati sunt Monachi illi, qui in sacræ Lectionis & piarum Precum exercitijs sanctas suas recreationes & delicias constituunt, eoque pacto suum solantur exilium, quousque hinc euocati percipiant ea quæ Deus illic præparauit diligentibus se.*

Beatissimus sanè suo ipsius calculo renuntiatur BLOSIVS, qui in *sacrâ Lectione & pijs Precibus* sanctas suas recreationes & delicias constituebat. Ad IESVM dilectum votorum suorum facillimè & libentissimè longo pietatis vsu à quibusuis occupationibus subitò se reuocabat, & cum eo in suauissimis complexibus deliciabatur. Hîc ardebat, hîc æstuabat, hîc se recreabat: hinc & suas iaculatorias orationes, & libellos pios, internæ fornacis velut scintillas, emittebat. In oculis enim & manibus omnium sunt euulgati ab ipso libelli: quorum nonnullos appello, qui id luculentè testantur. Quid enim est aliud vox Græca *Psychagogia*, quàm *Animæ recreatio*? quæ meris deliciis ex cælestis Paradisi gaudiorum contemplatione animam perfundit. Vt verò perspicuè videamus, non aliter BLOSIVM iucundissima perpoliendæ Pietatis ornamenta accepisse, quàm puellam vanitatis instrumenta; intrandum est in *Conclaue animæ fidelis*, vbi & *Speculum* inuenies, & *Monile*, & *Coronam*, & *Scriniolum*, & *Cimeliarchium*, seu *Ornamentorum arculam*, vt nihil ad ornandæ animæ apparatum desiderare possis.

In illâ classe deliciosorum libellorum etiam ponendum est *Sacellum Animæ fidelis*, in quo modi viæque omnes aperiuntur ad ineundam cum Deo amoris familiaritatem; cuius in titulo illud legitur elogium: *Hic libellus res pretiosas ingen-*

ingentemque thesaurum continet. *Margaritum* etiam *spirituale*, ne animæ sui vniones desint: quod ex piis considerationibus vitæ & mortis Domini nostri IESV CHRISTI velut gemmeâ catenâ contextum est, in cuius Præfatione ita exclamat: *Beata prorsus anima illa, quæ amabilem vitam & passionem dilecti* IESV CHRISTI, *tamquam pretiosum margaritum, in scrinio memoriæ suæ semper reconditam habet, & vbique secum circumfert. Dici non potest, quantum vtilitatis adferat deuota & frequens meditatio, vel lectio vitæ Domini* IESV. *Medulla* denique *Psalmodiæ sacræ*, quam *Doxologijs* Dauidicorum verborum propè ducentis producit, hoc præfixo titulo: *Medulla Psalmodiæ sacræ, cuius singula verba gemmis pretiosiora, & nectare suauiora, piam sanctamque animam mirificè exhilarabunt.* Actum agerem, si ex libris pientissimis, ex quibus orbis terrarum BLOSIANAM exsuxit Pietatem, docere vellem, quo in pretio, quibus ipse in deliciis Asceticos precatoriosque, Pietati promouendæ feliciter accommodatos, libellos habuerit. Fuit omnino BLOSIVS, vt in reliquâ omni vitâ, sic in excolendâ pietate atque conscientiâ curandâ, & dulcissimæ tranquillitatis & tranquillissimæ dulcedinis amantissimus. Percurrat, qui id videre volet, *Psychagogiam*, & *Consolationem Pusillanimium*. Hæc sunt duo velut vbera magnæ matris & nutricis omnium Misericordiæ Dei, quæ filiolos suos lactat dulcissimâ spe tum remissorum in hac vitâ peccatorum, tum possidendorum in alterâ præmiorum. Ex quibus duobus veluti fontibus, anima pia BLOSII cælestis gaudij copiâ cum altissimâ & suauissimâ conscientiæ pace redundabat.

Porrò quantâ BLOSIVS diligentiâ, quanto fructu in illis suis Asceticis exercitamentis versatus sit, & quasi volutatus, non est necesse aliunde discere: ipse de se nihil minùs cogitans testimonium dicit, dum velut de alio Fratre sibi noto, reuerà autem de seipso (quæ antiqua Lætiensium traditio est, & prudens Lector facilè coniiciet) refert in *Speculo Monachorum*, benè notum sibi Fratrem, suauissimis adspirationibus & eiaculatoriis precibus, ad omnem rerum, temporum negotiorumque opportunitatem, cum CHRISTO Domino deliciantem; & mox subdit: *Satis autem scio, quia idem ipse Frater ex continuatâ frequentiâ huiusmodi sanctæ Adsceseos grandem consolationem & eximium laboris fructum consecutus est.* Similia habet de noto sibi Fratre in conclusione *Enchiridij* primæ editionis, quæ deinde sequentibus editionibus sustulit; veritus nempe, ne nimiùm ipse se proderet: affirmat eo loco, *notum* sibi *quemdam pietatis cultorem, qui* omnes orationes in eodem Opusculo positas *quotidie (si non impediebatur) ore proferendo, vel mente ruminando, studiosè complebat, ipsasque memoriter tenebat, vt temporis ac loci opportunitate habitâ posset diu suauiterque citra libri adminiculum rebus diuinis animum intendere.*

Vide suprà Cap VII. in fine. & XIII.

Ex illâ purâ mente conuersationem continuam in cælis habente prorumpebant subinde per diem illæ voces, quas ibidem BLOSIVS illi Fratri sibi noto adscribit: *O Domine Deus meus! ô Creator & Redemptor meus! ô spes mea, & refugium meum! ô dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ! ô salus mea & summum atque vnicum bonum meum! quando immaculatus ero coram te? quando ardenter diligam te? miserere mei*, &c.

Denique ait BLOSIVS de illo Fratre, id est, de semetipso (vt meritò interpretamur) *etiam totam vitam suam iuxta præcepta Epistolæ* editæ sub nomine D. DACRYANI *Abbatis* in supradicto Enchiridio positæ *diligenter instituere nitebatur. Ex quibus exercitijs se plurimùm in spiritu profecisse asserebat, immensas benignissimæ Dei liberalitati gratias agens.*

Tam profundus Asceta non poterat esse etiam Deiparæ Matris non eximius cultor;

cultor: de quâ veritate si quis ambigat, consulat *Endologias* affectu in Virginem Matrem & amore plenissimas.

Neque in vno BLOSIO omnis hæc stetit Pietas: voluit benignus Pater id bonum filiis suis esse commune. Quos vt penitiùs in cellam vinariam, id est, in Orationis secreta pelliceret, hoc insigni stratagemate pleno prudentiæ atque humilitatis vsus est.

Eminebat per id tempus in hoc spiritualis Exercitationis Magisterio sanctus IGNATIVS LOYOLA Societatis IESV Fundator, & post eum, ex eius disciplinâ Socij, qui nuper in Belgium venerant; nec ita multò pòst, adnitente cum aliis viris Principibus BLOSIO, Diplomate Regio admissi sunt. Apud hos humilis Abbas, post exactos in Prælaturâ annos viginti, Louanij se abdidit, vt inter primos spiritualibus Exercitationibus excoleretur. Testantur id Annales Societatis ad annum Domini M. D. LIII. cum hac honorificâ BLOSII mentione: *Inter ceteros qui se Louanij ad Societatis orandi commentandique disciplinam salutariter exercuerunt, primas tulit* LVDOVICVS BLOSIVS *Abbas Lætiensis, vir suis scriptis ac monumentis, nec minùs virtutum memoriâ nobilis.* Non egebat tum quidem illo BLOSIVS, licet efficacissimo ad pietatem excitamento; tamen & sibi profuit, & vero suos (quod maximè volebat) exemplo traxit. Ita BLOSII factum interpretatus est R. P. QVINTINVS CHARLART Belga, Romæ S. Theologiæ Professor, vnus de primis Societatis IESV Patribus, qui in Belgium ex Italiâ missi sunt. Is super hac re ita Româ scribit ad Abbatem BLOSIVM XXIII. Octob. M. D. LIII.

Reuerende in CHRISTO *Pater, audiueram quidem vestram Paternitatem Louanium venisse non ita dudum pro faciendis exercitijs nostræ Societatis: sed vbi ad nos peruenerunt* D. IOANNES BOVCQVIAV *&* IACOBVS *vester quondam fidelis in Domino seruus, rem ita se habere ab ipsis accipiens, non potui non congratulari in Domino V. P. quæ tantum se demittere voluerit, vt Societatis nostræ tyrocinium subire & experiri non sit dedignata; non tam pro se, sat scio, quàm vt alios tali suo exemplo ad id alliceret & prouocaret. Quod sanè virtutis, charitatis inquam eximiæ opus, quantis efferam laudibus nescio. Proinde tacere, & illud sedulò mirari magis expedit, quàm hisce chartis illud non ad viuum depingere.*

Extat ipsius BLOSII Epistola ad R. P. ADRIANVM ADRIANI Societatis IESV Lætiis anno M. D. L. scripta, eius & pietatis index certissima, & sacrarum meditationum Lætiensibus ab VRSMARO GOISSONO Bellomontano, eiusdem Societatis Presbytero, traditarum testis. Ea sic habet:

IESVS.

Gratiam habeo, Domine mi, charitati vestræ, quòd me dignata sit commendare precibus Institutoris & Superioris vestri. Hoc mihi optatissimum & ingens beneficium est. Spero enim, Dominum Deum, propter illum, & vestras orationes, mihi propitium futurum. Puto D. VRSMARVM *vobis per litteras indicasse, exercitia quædam tradita esse nostris iuuenibus. Vtinam hoc factum fuisset ante annos* XX! *ita enim cum Senioribus multò meliùs fortè ageretur. Laudamus benignissimum Deum, qui per vos istam rationem nos docuit. Ex eâ & ipsius Dei honor & salus animarum, vti confido, consequetur.* D. VRSMARVS *modò abest à Monasterio, rediturus ante quatuor dies. Benè valete in Domino* IESV. *Lætijs, postridie Animarum.*

Fuêre verò his exercitiis ad ardentiorem pietatem exculti, præter ipsum BLOSIVM, Monachi omnino decem, vt ex schediasmatis, quæ etiamnum Lætiis asseruantur, videre licet.

Neque

Neque ita priuatis precibus ac meditationibus deditus erat BLOSIVS, vt non eodem animi ardore diuinum Officium, quod à Communitate ex Regulæ BENEDICTINAE præscripto publicè peragitur, assiduè frequentaret. Constat ex seniorum relatione, eum diuinis Officiis Sacrificiisq; publicè obeundis præsentem se semper stitisse, & pensum sacrum vnà cum Monachis persoluisse: quod Parentis optimi apud successores Abbates hactenus exemplum valuit, vt Religioni sibi ducant, si diuinis laudibus cum ceteris non interfuerint.

Affirmabat, tametsi grauissimis Reipublicæ necessariisque causis vel Principum mandato à Monasterio abiret, tamen ægerrimè ferre se, quòd tantisper, dum abesset, dulcissimis illis deliciis, quibus in communi Fratrum Psalmodiâ perfruebatur, priuari cogeretur.

Ceterùm in precationum meditationumque exercitio minùs amabat vehementes impetus, aut erumpentem foras deuotionem; malebat (quantum id in eius situm erat potestate) suauiter & sine strepitu liquefieri. Hinc, siue diuinum Missæ Sacrificium celebraret ipse, siue Sacerdoti celebranti adesset, modestiâ corporis ad venerationem compositi, dulci tranquillitate, clausis oculorum fenestris, quasi Deum intus alloqueretur, sensim sine sensu mente eleuabatur. Qui coràm obseruarant seniores, Angelo quàm homini similiorem prædicabant.

CAPVT XVIII.

Exhortationes Lætiensibus datæ.

ORACVLVM est Diui PAVLI TIMOTHEVM alloquentis, quem ad procurandam gregis sibi crediti salutem armabat & animabat. *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Hoc BLOSIVS velut sibi datum monitum auidè arripuit. Totus enim lectioni, exhortationi, doctrinæque deditus, animos Lætiensium filiorum ad omnem pietatem suauiter induxit, legendo, hortando, docendo. 1.Tim.4.

Optandum quidem esset posteritati, vti BLOSIANIS illis, vt amore ardentissimis, ita dulcedine fluentissimis, viuæ vocis exhortationibus, quibus ille suos ad complectendam arcteque stringendam Religiosæ disciplinæ obseruantiam incitabat, frui perpetuò liceret: sed quoniam id nefas est sperare, nunc illud saltem agendum, vt in piam gratamque memoriam reuocentur identidem, quæ calamo BLOSIANO expressa viuunt adhuc, & in animis Lætiensium filiorum magno fructu hortando docendoque paternâ voce clamant. Nonnullæ ab eo traditæ ac litteris mandatæ *Exhortationes* hactenus in abdito Lætiensis Monasterij recessu latuerunt: nunc tres ex iis, quæ violentâ quadam suadâ omnes omnino Religiosos pertrahere possent ad ardens perfectionis studium, in publicam lucem producentur. Publicandi consilium fuit, tum vt vita BLOSII sic euaderet illustrior, tum vt bono animarum publicè consuleretur, tum denique vt studiosus huius Asceticæ à BLOSIO introductæ restaurationis obseruator intelligeret, quanto adiumento fuerit in animis Lætiensium Spiritus sancti in BLOSIO loquentis impulsus, ad arripiendam auidè & strictè complectendam nouam viuendi sub BLOSIANIS *Statutis* formulam. Harum *Exhortationum* prima est dulcissimus ille *Statutorum Prologus*, in quo brachiis quibusdam inflammatæ charitatis venientes ad Monasticen tirones suauissimus Pater amplexatur, dicens:

BEATI, *quibus* IESVS *interiùs loquitur, dicens:* Venite seorsum in de-

fertum locum. *Beati, inquam, quos Dominus ex mari magno & spatioso, ex innumeris periculis huius sæculi, ad portum Monasticæ conuersationis transfert: vbi vita verè quieta & secura agitur: vbi tranquillitas, pax & gaudium spiritus abundat: vbi sine curâ & occupatione rerum transeuntium homines sancti die noctuque Regi sæculorum liberè famulantur. Quorum videlicet vnica sollicitudo est, vt per inuictum obedientiæ propositum, per orationum iucundam assiduitatem, per lectionis sacræ melliflua exercitia, per lacrymarum sanctarum dulcia baptismata, ipsi summo Deo placeant. In congregatione Monachorum regulariter viuentium omnia plena pietate, omnia plena suauitate. Hîc fragrantia omnigenarum virtutum gratiosè spirat: hîc rosæ charitatis igneo rubore flammescunt: hîc lilia castitatis niueo candore splendescunt: hîc violæ humilitatis imis florentes locis, etiam cælos ipsos lætificant. Nusquam hîc tumultus, nusquam confusio locum habet: vociferationes & litigia procul hinc exulant, vbique grata quies & amica solitudo. Hîc fortissimi Athletæ in arenâ spiritualis conflictus inuisibiles hostes quotidie superant, & seipsos vincunt. Ad quod nimirum beatum spectaculum Angeli promptissimè aduolantes,* CHRISTI *milites mirificè confortant: fitque, vt ipsi Angeli in cælo habitantes, cum hominibus in terris; & homines in terrâ degentes, cum Angelis in cælis, mutuâ familiaritate versentur. Beati itaque sunt, qui tempestatibus mundi superatis, in tutum amœnumque portum sanctæ Religionis se recipiunt, vt ibi reliquum vitæ suæ in seruitio Dei cum gaudio transigentes, inæstimabile præmium Regni cælestis aliquando percipiant, & sine fine lætentur.*

Post dulcem illum PROLOGVM, *Exhortationum* altera Græco nomine & titulo insignita ΠΡΟΓΝΩΡΙΣΤΙΚΗ, Latinè PRAECOGNITIO, ideò sic dicta, quia Tirones, qui in consortium Monasterij Lætiensis inscribendi inuestiendique accedunt, in ipso aditu, priusquam vel ad habitum ipsum Monasticum admittantur, veluti in quodam Gymnasij prælu dio ac rudimento, seriò instrui, quasique præmoneri solent, ac plenâ notitiâ eorum antè informari, quæ in Monasticâ deinceps exercitatione agere ac pati eos oportebit: sic autem orditur:

Quando ad nos aliquis venit, vt in militiam CHRISTI *assumptus, Monasticæ conuersationis habitum suscipiat, etiamsi senior, eruditus, nobilis, aut alioqui in aliquâ dignitate constitutus sit, antequam inuestiatur, ista* SCRIPTVRA PROGNORISTICA *de verbo ad verbum ei tradatur:*

CHARISSIME, *si in societatem nostram assumi, & nobiscum in Monasterio viuere,* CHRISTO*que Domino seruire desideras, oportet in primis, vt opere compleas, quod dicit Saluator:* Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. *Si igitur paratus es propter Deum omnia dimittere, & teipsum verè abnegare; si paratus es penitus relinquere tuas voluntates, & frangere, quantum in te est, tuas vitiosas inclinationes, ac passiones; si paratus es viriliter abrenuntiare omnibus sæculi pompis, voluptatibus & illecebris; si paratus es cum Dei adiutorio relinquere omnem superbiæ fastum, ac quælibet humilia simpliciaque amplecti; si paratus es propter amorem* CHRISTI *sustinere increpationes, iniurias, tentationes, variasque corporis & cordis molestias atque pressuras; si inquam paratum te sentis ad omnia huiusmodi complenda ac toleranda, securus Monasticam conuersationem assumere potes, confidens de benignissimâ Dei misericordiâ: alioquin, si non es paratus ad omnimodam tui derelictionem, non expedit vt Religionem irreligiosè ingrediaris. In Monasterio, non tuo sed alieno arbitrio viuere, & in omnibus humilem obedientiam exhibere debebis. Quando aliquid tibi præcipietur secundùm Deum, & sanctæ Religionis conuenientiam, oportebit vt illud sine contradictione aut murmure perficias. Quando optabis quiescere, fortè fatigaberis laboribus: quando ad subli-*

sublimia te præparabis, fortè deijcieris ad infima: breuiter, quando hoc vel illud facere volueris, fortè dicetur tibi vt aliud facias; & in omnibus adniti debebis, vt promptissimè sequaris voluntatem præcipientis. Neque aliquando dicere poteris: In his paratus sum obtemperare, sed in illis obtemperare nolo. Oportebit vt simpliciter obtemperes in omnibus quæ rationabiliter præcipientur, & quæ non sunt in se mala, vel sanctæ professioni contraria. Tu quidem diuersas tribulationes & difficultates frequenter senties in huiusmodi confractione voluntatum & inclinationum tuarum; sæpè diabolus, sæpè caro, vel homines verum Dei timorem non habentes, tibi suggerent, vt murmures & contradicas; sed necesse erit te patienter perseuerare in sancto proposito, & pessimas suggestiones repellere. Non iam tibi licitum erit, superflua delicataque intempestiuè requirere; non erit licitum, inhonestis dissolutionibus, vel ceteris remissioris vitæ ineptijs vacare; sed relictâ prorsus lubricitate & vanitate mundi, relictâ latâ viâ sæcularium, debebis per arctam & laboriosam pœnitentiæ viam ingredi omnibus diebus vitæ tuæ. Debebis simplicitatem, vel etiam penuriam rerum necessariarum sustinere, frequenter ieiunare, perpetuam castitatis integritatem seruare; orationibus, meditationibus, sacrisque lectionibus insistere, taciturnitatis & silentij disciplinam obseruare, vitam à sæcularium consortio abstractam ducere, Monasterium rarò egredi, nullam omnino rem, quantumuis modicam, proprietariè habere, puritati cordis iugiter studere, sola cælestia quærere, die & nocte infatigabiliter officio ministerioque Diuino assistere, siue sit æstus, siue frigus; denique omnibus, quæ sanctæ Religioni conueniunt, fideliter adhærere; & omnia quæ eidem Religioni contraria sunt, prudenter reijcere. Quòd si timore Dei relicto, aliquando (quod absit) inceperis negligenter viuere, vel etiam superbiâ inobedientiâ, murmurationibus, atque contradictionibus, Superiorem ceterosque Fratres conturbare aut grauare; scire debes, quia districtè omnino punieris. Verumtamen non te absterreant supradictæ difficultates; sed tu de te prorsus diffidens, in Domino IESV *omnem tuam fiduciam repone. Ipse enim confirmat debiles, & iacentes erigit; ipse aspera reddit plana, & amara conuertit in dulcia. Ipse ea quæ hominibus importabilia videntur, non solùm facillima, sed etiam iucundissima per suam gratiam efficit. Ipse est qui dixit:* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. *Aditus viæ salutaris plerumque angustus, tristis & difficilis est; sed posteà crescente amore diuino, cordeque per charitatem se dilatante, cum inenarrabili gaudio perficitur iter mandatorum Dei. Ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

Tertia ex BLOSIANIS pro feruentiore disciplinæ regularis obseruatione suasoriis illa est, quam filij Lætienses, vt verè est, ita PATERNAM EXHORTATIONEM à venerabili BLOSIO Parente optimo sic dictam vocant & venerantur. Est autem *Epilogus commonitorius*, quem *Statutis* suis velut coronidem subtexuit his verbis:

Filij charissimi, qui sanctæ conuersationis habitum suscepistis, qui suaue iugum Domini subijstis: hortor, moneo, & oro vos in visceribus IESV CHRISTI, *vt memores vocationis vestræ omnem iniquitatem fugiatis, vanitatemque contemnatis. Inspicite mundum vniuersum attentiùs, videte quomodo crescat & decrescat, quomodo nihil in se stabile contineat: sed sicut puluis qui à vento spargitur, sic euanescat ipse, & concupiscentia illius. Perpendite quia vita præsens, vapor est ad modicum parens: considerate quia omnis caro fœnum, & gloria eius sicut flos fœni, qui mox decidit & marcescit. Hæc cogitate, & mentes vestras sursum erigentes, relictis caducis rebus ad ea properate quæ finem non habent. Cognoscite filij, cognoscite felicitatem vestram. Ecce vos elegit Dominus in hereditatem sibi: vos è periculis & multiplicibus laqueis huius*

sæculi eduxit: vos è mari turbulentissimo assumptos, in portum tranquillissimum, in paradisum amœnissimum, in sanctæ Religionis Monasterium transtulit: vt ibi diebus ac noctibus quasi agniculi sine maculâ stetis in conspectu eius, parati videre desiderabilem faciem illius. Sanè non fecit taliter omni nationi, non omnibus tantam beneuolentiam ostendit. Grati igitur estote tam amabili Domino: seruite corde perfecto tam dulci Sponso animarum vestrarum. Recordamini Sanctorum Sanctarumque Dei, qui ante multa tempora vos in Monastico proposito præcesserunt: veniat vobis in mentem, quomodo ipsi, despectâ prorsus vanitate mundi, sub regulari disciplinâ Deo purè & integrè militauerunt. Obsecro, filioli, amici Dei, coheredes CHRISTI, *qui in nouitatem vitæ spiritualis regenerati estis, qui optimam partem elegistis, currite incessanter post vestigia Agni candidissimi, nolite tardare in amore* IESV CHRISTI. *Ipse sit dulcedo animarum vestrarum, ipse sit consolatio peregrinationis vestræ, ipse sit suaue condimentum omnium laborum vestrorum. Hunc mentibus illibatis astringite: ad hunc diebus ac noctibus suspirate: hunc sedulò quærite in libris, in oratorio, in claustro, in refectorio, in horto, in cellulâ, in lectulo, & vbicumq; versamini, donec inclinentur vmbræ & aspiret dies, donec misera hæc vita finem capiat, & initium sumat æterna. Cœnobium vobis veluti gratum quoddam sepulchrum facite, in quo paululùm quiescatis, quousque resurgentes appareatis cum* CHRISTO *in gloriâ. Sit vobis crux vel modico tempore relinquere sancti loci tranquillitatem, relinquere dulces complexus eius, cui animæ vestræ desponsatæ sunt. In solitudine Monasterij habetur* IESVS, *in turbis sæculi amittitur. Vitate igitur mundi strepitus: declinate superflua cum sæcularibus consortia: vt per omne vitæ tempus cum* IESV, *& cum eius Genitrice* MARIA *viuentes atque colloquentes, ad æternam gloriam pijs* IESV *&* MARIAE *cultoribus præparatam aliquãdo transferri mereamini. In Dei seruitio sacris lectionibus, orationibus, vel meditationibus, charas vestras delicias constituite. Gaudete & exultate in spiritu, quòd ad famulandum Regi æterno estis segregati. Estote diligentes in diuinis Officijs: ea non ex aridâ quadam consuetudine, sed ex sincerâ charitate studiosè peragite. Omnia ipsorum diuinorum Officiorum verba sacratissima, quæ Spiritus sanctus dictauit, integrè & cum reuerentiâ, religiosis vocibus pronuntiate & cantate: certò credentes, nec minimam quidem syllabam, nec vnius notulæ cantum, nec modicam inclinatiunculam ibi perire; si spiritus vester vigil, si intentio recta, & affectus purus fuerit. Qui possunt Deo liberiùs intimiusque vacare, gratias agant ipsi Domino, & alios non despiciant: qui verò vel opportunitatem vel gratiam non habent, vt multùm insistant particularibus precibus aut contemplationibus; studeant saltem communibus Dei laudibus, atque orationibus vel lectionibus, libenter & deuotè intendere. Spiritualem profectum diligite: & quidquid illum in vobis impedire sentitis, solerter vitate. Rursum admoneo vos, filij lucis, abstinete à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam: abstinete à vino multo: abstinete ab amaris voluptatibus huius sæculi. Ambulate in sacræ Religionis obseruantijs, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, & cognoscentes quæ sit voluntas Dei. Regulæ vestræ & Statutorum vestrorum (quæ facillima mitissimaq; sunt) integritatem seruate illibatam, quantum in vobis est. Horrete proprietatis labem damnabilem: nolite dare in vobis locum diabolo. Vinculum pacis, vnionem spiritus, dilectionis affectum semper inter vos seruate. Nam sine his, Monasterium in quo viuitis, non poterit esse sanctorum Angelorum habitaculum: sed erit malorum spirituum domicilium. Ergo charitatem habete: hanc, quasi modò geniti infantes, sine dolo sectamini: nulla inter vos murmuratio, nullum odium, nulla detractio, nulla pertinax suspicio, nulla inuidia diu locum vnquam habeat: vt in domo Dei, non nisi quæ pacis sunt, appareant. Cum omni mansuetudine & dilectionis affluentiâ alter alterum portet, alter alterius defectus (quantum in se est) toleret, alter alterum iuuet, alter alteri compatiatur, alter alterum moneat.*

Junio-

Iuniores reuereantur & honorent seniores: similiter qui seniores sunt, ipsos iuuenes diligant, eosque ad puram sanctæ Religionis obseruantiam tam exemplo quàm verbo animent. Voluntatem propriam vnusquisque frangere, & eam ad Superioris arbitrium cum spirituali gaudio flectere studeat: atque ea quæ iubentur, mox sine contradictione expleat. Fugite tumorem præsumptionis & arrogantiæ, Deo odibilem. Fugite vanæ gloriæ præcipitium: amate cognosci à solo Deo, nesciri à ceteris. Diligite subesse potius quàm præesse; & discere magis quàm docere: quia hæc est voluntas Dei, hæc est sanctificatio vestra. Sic sic vitam vestram instituite, sic mundum, sic diabolum, sic carnem, sic naturam ipsam vincite, vt super vos humiles, quietos, & trementes verba Domini, Spiritus sanctus requiescat. Non autem perturbemini, neque sitis nimiùm pusillanimes, si aliquando grauamini in proposito Monastico; si animi lassitudinem, & cordis ariditatem in seruitio Dei sentitis; si tentationum molestijs, & tribulationum pressuris affligimini: sed estote constantes, & per breuem laborem, breueque tædium, ad æternæ beatitudinis gaudia festinate. Adhuc modicum, & cessabunt omnia tristia: adhuc modicum, & transferemini in requiem gloriamque sempiternam. Tunc gaudebitis pro diebus quibus vidistis mala, & ossa vestra sicut herba germinabunt. Tunc consolabitur vos Dominus sicut mater consolatur filios suos; & in Ierusalem consolabimini. Tunc mirabitur & lætabitur & dilatabitur cor vestrum, quando videbitis decorem illius sanctæ Ciuitatis: quando facie ad faciem contemplabimini Deum deorum in Sion: quando possidebitis quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quæ bona nobis omnibus præstare dignetur IESVS CHRISTVS *Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.*

CAPVT XIX.

Oeconomica rei familiaris administratio.

DOMVS Religiosa Lætiensis ita à maioribus constituta fuit, vt in illâ nec pro officinis commoditas, nec pro claustro securitas, nec pro habitatione amœnitas admodum desideraretur. Multa nihilominùs adiecit BLOSIVS: multa etiam cogitauit, quæ moriens vel affecta vel delineata reliquit. Non ingratum erit fortassis Lectori, si quod nuper euenit, licet non magni admodum momenti, ad rem tamen, quâ de hîc agimus, accommodatum, subnectam. Ichnographiam seu planam descriptionem tum Templi in longum producendi, tum Dormitorij in commodiorem vsum refingendi, velut Ideam præclari operis, sibi BLOSIVS curauerat. Mors, ne descriptionem in opus educeret, intercessit. Successores deinde BLOSII cùm Dormitorij formam ad solatium Monachorum iam in melius immutassent, & de Templi fundo prolongando conclusissent, ecce tibi in illam ipsam fortè fortunâ oblatam inciderunt delineationem BLOSIANAM, magno gaudio, quòd consentientibus cum BLOSIO consiliis, ignari quodammodò, vltimam boni Patris voluntatem illis veluti codicillis expressam eâdem formâ ac descriptione compleuissent. Prudens omnino & pium fuit BLOSII consilium, vt cùm Lætienses Monachi strictâ admodum clausurâ detenti, in apertum publicúmve raró prodeant, hoc iucundiùs illo suo voluntario carcere clauderentur, quò, præter illam interiùs iunctam cum Deo familiaritatem, exteriùs etiam domus, cellæ, porticus, horti, aliaque commodiori amœnitate exhilararent. Hoc consilio, præter Conuentus hortum communem, amœnum satis ac spatiosum, muris hinc & inde clausum, eaque parte quâ prata siluosósque colles adspicit,

Helprâ fluuio alluente irriguum, priuatos hortulos in singula suorum capita adornari mandauit. Hîc tempus Religiosæ laxationis, horis pomeridianis illi deputatis, honestè traducunt, vel hortuli culturâ alióve opere manuum, vel honestis colloquiis & inambulationibus, vel harmonico Musicæ cantu, vel piarum denique rerum lectione aut commentatione. Ne tamen ex priuatorum hortorum cultu, vsu ac fructu aliquid Religiosa puritas paupertásve detrimenti capere posset, prouidus Pater in *Statutis* suis ita cauendo, prospexit: *Quamuis non improbemus, vt Fratres pro honesto solatio & exercitio teneant hortulos, arbores, violaria, & similia: non tamen talia aliquis habeat tamquam propria, sicut nec quidquam aliud.*

Præter hos Monachorum singulares hortulos, maiusculum fundum horto Conuentus contiguum, non procul à Prælatorum habitatione muro clausit, & hortum Abbatis relaxationi destinatum esse voluit.

Ad quod consilium fatebatur BLOSIVS eâ se mente adductum fuisse, vt si quis fortè ex Abbatibus venturis, non tam frequenti quàm ipse sacrorum studiorum voluptate caperetur, haberet saltem, vnde seorsim ab aliis, vtili illâ atque iucundâ animi corporísque quiete & relaxatione perfrueretur.

Deuotioni hîc quoque vel fouendæ suæ, vel alienæ excitandæ studuit. Nam supra hortuli huius, atque exiguæ quæ isthic visitur porticus, ostia ac fenestras, scriptæ BLOSII iussu visuntur breues hæ pientissimæque ab eo excogitatæ sententiæ:

PVLCHRITVDO FLORVM CETERARVMQ. CREATVRARVM RAPIAT COR IN ADMIRATIONEM ET AMOREM DEI CONDITORIS.

AMOENITAS HORTI IN MEMORIAM REDVCAT DECOREM PARADISI.

NON VANITATI, SED PIETATI HIC LOCVS DICATVS EST.

FACESSANT HINC QVAE DEO DISPLICENT. QVAERANTVR CAELESTIA.

DOMINE DEVS, QVAM ADMIRABILIS ES!
DELECTASTI ME IN FACTVRA TVA; ET IN OPERIBVS
MANVVM TVARVM EXVLTABO.

LAVDANT VOLVCRES CAELI DEVM, VT HOMO EVM EX ANIMO LAVDET.

Ex his apparet, BLOSIVM in domesticæ rei procuratione hoc spectasse, vt ex temporalibus æterna, & ex corporalibus spiritualia lucra atque commoda reportaret. Qui etiam, ne in rei familiaris cõpendio cęlestium rerum atq; diuinarum iactura fieret, magnoperè se cauisse semper, tũc præclarè testatus est, quando de litibus non facilè suscipiendis ita decreuit: *Quantum ad facultates & externa bona Monasterij attinet, sollicitè prouideatur, ne lites propter illa nimis facilè aduersus aliquem suscipiantur. verumtamen ea rationabiliter custodiantur & defendantur. Sanè honestius est concordiam per arbitros vel oblatam amplecti, vel etiam non oblatam quærere, quàm leuiter causas agere. Sed & præstat interdum sustinere modicam iacturam rerum temporalium, prudenter silendo, & in Deo sperando, quàm magnum pati dispendium internorum, pertinaciter pro externis litigando. Igitur externis interna, caducis æterna semper præferantur: maioráq; cura habeatur spiritualiũ quàm temporalium.*

Enimuerò in accumulandis opibus, & augendis Monasterij censibus, cùm plurimùm eâ in re polleret, minimùm laborauit. In re domesticâ magnum vectigal Parsimoniam dicebat. Hoc vectigal est, quo solo BLOSIVS diuites post se reliquit Lætienses. Cetera quidem ob paupertatis amorem parcus, &

ad rem

ad rem attentus; sed vbi Dei gloria & animarum salus, ac bona Monasterij existimatio, honestæque Fratrum tum in morbo tum in sanitate consolationes exigebant, non parcebat sumptibus. Profusiones verò omnes in comessationem, & donaria ob inuestitiones, professiones, encænia, sacrificiorum primitias, tum vt paupertati consuleret, tum ne illorum dierum sacram & spiritualem solemnitatem violarent, abrogauit. Passim in aliis accuratus œconomiæ obseruator, nullâ tamen in re auarus sordidúsve fuit.

CAPVT XX.

Res sacra, & Dei Sanctorumq́; honores aucti. Reliquiæ ornatæ.

QVI tam erat in sartis tectis religiosæ suæ familiæ conseruandis ornandisque strenuus, non poterat non Ecclesiæ sacrarumque rerum ornatum singulari curâ complecti. Ac sanè tam præclara exstant eius in Dei Sanctorumq́; cultu amplificando monimenta, vt quisquis ea etiamnum in Ecclesiâ Lætiensi spectauerit, fateri cogatur, Dauidicam eum sententiam, quam sacris Templi parietibus inscripsit, cordi suo profundiùs insculpsisse: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Psalm. 25. Hic est ille decor, hæc illa maiestas domus Dei, quæ cernitur in diuinorum Officiorum Sacrificiorumque statis ac solemnibus cærimoniis deuotâ grauitate & graui deuotione obeundis, in Gregoriano cantu clarè, lentè, sonorè, & per congrua interualla siue respirationes, distinctè atque articulatè celebrando, in omni denique opere Dei, cum interno sapore & externâ modestiâ ritè decenterque peragendo. Hanc piam maiestatem & BLOSIVS laudabiliter instituit, & posteri in hunc vsque diem conseruant.

Post Officia diuina, sacra ædificia ad Dei Sanctorumque gloriam illi cordi ac curæ fuerunt. Hîc elegans, hîc exactus, hîc largus & exundans fuit. Hîc pompam cum venustate, materiam cum arte, maiestatem cum pietate certare volebat, ad Basilicam Dei Diuorumque extruendam, exornandam, locupletandam. Videmus inter cetera ædificia, à BLOSIO monimentum, augustam Chori molem: vbi præter cetera ornamenta stat eodem curante Chori ara princeps, in quâ ex candido marmore assurgit tabula, quæ perelegantì Vitruuianæ Architecturæ symmetriâ, per dispositos columnarum ordines, exhibet mysteria passionis & mortis Saluatoris nostri, statuariâ arte sculpta, quæ nemo sine venerabundâ admiratione intuetur.

Porrò in Reliquiarum sanctarum honorem ita BLOSIVS incubuit, ac si cetera negligeret. Erexit in primis sacellum Sanctorum corporibus, sacrisque ossibus ac Reliquiis, cum veneratione, munditiâ, securitate recondendis. Quas autem Reliquias superiorum annorum Abbates partim ab Henrico Orientis Imperatore, partim à Theodoro Ierosolymorum Patriarchâ, aliisque Episcopis & Principibus viris testatissimas acceperant, eas ipse pulcherrimâ serie digessit, lipsanothecis ex auro & argento inclusit, gemmis & pretiosis lapidibus exornauit: titulos membranæ suâ manu inscriptos singulis affixit. Ne ij tamen diuturnitate temporis interirent, aut ex sacris ossibus, quibus affixi erant, decidentes, dubiam eorum fidem facerent; successores lamellis eos argenteis incidendos curarunt. Luculentum hunc sanctarum Reliquiarum thesaurum, tum modernus Abbas, qui viginti iam annos ei Monasterio præfuit, piâ curâ ac sollicitudine insigniter amplificauit; tum ceteri Lætienses tanto

 studio

ſtudio & veneratione, inde à BLOSIANIS temporibus propagato feruore cuſtodiunt, vt quidam magni nominis Epiſcopus aliique ſingulares viri affirmare non dubitauerint, *Sanctorum Reliquias nullibi libentiùs quàm Lætijs commorari.*

Tranſtulit quoque ad Lætienſe Monaſterium BLOSIVS ſacrum S. ETTONIS Epiſcopi & Confeſſoris Hiberni corpus. Nam cùm ſanctæ illæ exuuiæ eidem Monaſterio donatæ anno Domini M. C. LXII. approbante NICOLAO Cameracenſi Epiſcopo, in Oratorio Prioratus iuris Lætienſis, in Doni-Petri pago ſiti, vnico ab oppido Aueſnenſi milliari, à multis retrò annis conſeruatæ fuiſſent, & frequenter ob Gallicos tumultus eas BLOSIVS cogeretur ad ſecuritatem Montes tranſmittere; veritus, ne tandem aliquando in hoſtium poteſtatem deuenirent, prudenti conſilio, à PAVLO IV. Pontifice Maximo facultatem impetrauit, eas Lætias transferendi: atque accepto Pontificio illius conceſſionis diplomate, dato Iulij XXII. M. D. LV. (perruptis conſtanti animo variis grauibuſque difficultatibus, quas Doni-Petri incolæ, & Aueſnenſis Dynaſta, ne iis deſtituerentur, obiiciebant) re ipſâ ſolemniter tranſtulit anno M. D. LVI. Iulij XXV. cùm die præcedente, bonâ Reuerendiſſimi Epiſcopi Chalcedonenſis MARTINI CVPERI Suffraganei Cameracenſis veniâ, Montibus (vbi tum aſſeruabantur) in Oratorio domus Lætienſis ſeparari curaſſet caput à reliquo corpore, & diſtinctâ thecâ concludi.

Vniuerſim porrò laborauit piè & vtiliter BLOSIVS in Sanctorum honoribus variè amplificandis: texuit catalogos, fidem adſtruxit, gloriam publicauit, vitæ meritis & obſequiis coluit, & moribus æmulatus eſt. Sunt in ſchediaſmatis BLOSIANIS nonnulla, piè & doctè annotata, quæ ſtabiliendæ Reliquiarum ſacrarum fidei & augendæ venerationi faciant. In quibus quærendis, eruendis, obſeruandis multus erat BLOSIVS. Quâ in re præclara eſt illa eius de ſacris Reliquiis Conſtantinopoli allatis annotatio; quam in ſcriptas à ſe chartas retulit iſtis verbis: *Mirari ſolent plerique, quomodo ex Conſtantinopoli vrbe Græciæ Reliquias Prophetarum, qui in Iudæâ ferè omnes ſepulti fuerunt, acceperimus. Sed mirari deſinent, ſi perpenderint quid beatus* IOANNES CHRYSOSTOMVS *Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ſtatim in initio cuiuſdam Homiliæ, quam de Eliâ Prophetâ conſcripſit, dicat; ſic enim ait: Olim quidem Iudæorum populus gloriabatur quòd Prophetas poſſidebat: & erat ſanè Prophetarum peculiaris agricultura. Nunc verò hæc ipſa gloriatio ab eis per Eccleſiam ablata eſt. Ecce enim apud nos & ipſa Prophetarum ſunt corpora. Siquidem ſterili populo haudquaquam conuenit, vt Prophetas agricolas adhuc habeat: neque decet vt apud illos adhuc ſeruentur Prophetæ, qui Deum, quem iſti prædixerunt, crucifixêre. Rurſum nonnulli vix credere poſſunt, nos veras beati* IOANNIS BAPTISTAE *habere Reliquias, aſſerentes, eas olim à Paganis penitus concrematas. Qui ſi hiſtorias exactè perlegiſſent, facilè agnoſcerent, plurima ipſius beati* IOANNIS *ſacratiſſima oſſa, dum à Gentilibus concremarentur, collecta & ſublata per fideles Chriſtianos fuiſſe. Sic enim capite* XXVII. *vndecimi libri hiſtoriæ Eccleſiaſticæ legimus: Iuliani temporibus, velut relaxatis frenis, efferbuit in omnem ſæuitiam feritas Paganorum. Ex quo accidit, vt apud Sebaſten Palæſtinæ vrbem ſepulchrum* IOANNIS BAPTISTAE *mente rabidâ & funeſtis manibus inuaderent, oſſa diſpergerent, atque ea rurſum collecta igni cremarent, & ſanctos cineres pulueri immixtos per agros & rura diſpergerent. Sed Dei prouidentiâ factum eſt, quoſdam de Jeroſolymis ex Monaſterio* PHILIPPI *hominis Dei orationis illuc causâ per idem tempus veniſſe. Qui cùm tantum nefas humanis quidem manibus, ſed ferinâ mente fieri viderent, mori gratius habentes quàm huiuſcemodi piaculo funeſtari, inter eos qui*

oſſa

ossa ad exurendum legebant mixti, diligentiùs, in quantum res patiebatur, ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus vel insanientibus subtraxere, & ad religiosum Patrem PHILIPPVM *venerandas Reliquias pertulere.*

CAPVT XXI.

Tranquillitas animi, Mansuetudo, Charitas.

VT liquoribus omnibus tranquillum & suaue innatat oleum, ita BLOSII suauissimi virtutibus omnibus dulcedo quædam tranquillitasque superfluebat charitatis. Cuius quidem tranquillæ charitatis & dulcis mansuetudinis, tum in gestis, tum in scriptis, viuum semper exemplar BLOSIVS fuit.

Est hæc porrò charitas, mansuetudo, ac lenitas fundamentum ac basis totius BLOSIANAE vitæ, doctrinæ & Asceseos. Hæc mansuetudo, instar dulcissimi lactis è calamo BLOSIANO, velut ab vbere nutricis promanat, ac per omnia Opuscula eius leniter & suauiter fluit. In hac mansuetudine fundauit consolatoriam illam *Bonæ voluntatis* toties in libellis suis inculcatam doctrinam. In hoc lenitatis ac mansuetudinis spiritu totam illam suæ temperatæ vitæ & *Statutorum* œconomiam dictauit, suosque Lætienses ad exactam *Statutorum* eorumdem obseruantiam, non velut seruos seueritate ac minis, sed vt filios amore ac mansuetudine induxit.

Hoc denique spiritu à Lectore Scriptorum suorum impetrat, vt per suauem *introuersionem* securè & suauiter cum pinguedine deuotionis diuinis Pietatis officiis sacrificiisque orando, cantando, meditando assistat; cum proximis verò, absque turbatione vel amaritudine loquendo, agendo, viuendo, conuersetur. Magistrum Tironum in *Statutis* BLOSIVS hortatur, vt sit humilibus & obedientibus discipulis tamquam pius Pater vel pia Mater. At si fortè cum duris duriusculè agendum, memor sit inter corrigendum castigandúmve misericordiæ ac mansuetudinis. *Vulneribus*, ait, *indisciplinatorum, non vinum tantùm, sed etiam oleum infundat, vt curentur.* Pius nempe & commiserationis visceribus plenissimus Samaritanus BLOSIVS, non olei minùs quàm Luc. 10.
vini suorum vulneribus & infundebat ipse, & ab aliis infundi volebat. Hanc in verbis factisque, hanc in lætis & tristibus, hanc in filiorum suorum virtutibus atque vitiis mansuetudinem inconcussâ semper animi tranquillitate seruauit.

Nemo illum audiuit acerbè verbis errata corrigentem: vnde passim familiares ei erant istæ increpandi formulæ ad illos Monachos, qui aberrauerant à rectâ viâ, quasi alium alloqueretur: *Domnus N. fecit quod non debuit, patietur quod non volet.* vel, *Domnus N. fecit quod voluit, patietur quod non volet.* Eodem lenitatis spiritu etiam conuentuales famulos, aliosque domesticos suos corripere consueuerat; admonentis potiùs & exhortantis, quàm reprehendentis aut obiurgantis vultum ac verba assumens, hac ferè formulâ: *An non posses paullò maiore modestiâ hoc vel illud facere?* aut, *Non posses rem tam facilem curare diligentiùs?*

Tranquillitas animi in modestiâ vultus & suauitate sermonis velut in speculo lucebat. Omni horâ molles erant ad illum aditus. Nemo audiuit eum elato sermone motus animi prodentem: nemo in eo vultum amarum aut gestum vehementem adspexit. Nemo fuit cui non libenter & promptè sui conueniendi copiam faceret; nec ille vmquam aut sine mansuetæ consolationis remedio mœstum à se Fratrem remisit, aut gestu nutúve vllo declarauit molestas

lestas sibi interuenire, solatia in afflictionibus ab optimo Patre poscentium, interpellationes.

Quòd si aliquando ita vsu veniret, vt in querelis apud eum exponendis perturbati animi non obscura signa aliquis ederet, non ipse magnopere commouebat se, sed vultu ad serenitatem composito humanè ac peramanter, Obsecro, aiebat, mi Frater, vt tantisper abeas à me dum redeas ad te: & cùm motus ille deferbuerit, mox ad me redi. Nunc enim, donec nonnihil animus conquiescat, nec tu quod ad pacem conciliandam faciat prudenter petere, nec ego quod in rem sit fructuosum consilium suggerere possum.

Habitabat secum, & quietis deliciis apud animum suum perfruens nullo tumultu euocabatur foras, aut à se exibat; in dissimillimis occasionibus semper sibi similis, & in mediis negotiorum turbis suæ solitudini præsens. Nihil erat quod non lenitate suâ velut tenuissimus ligni vermiculus constanter perrumperet, atque perficeret; & (quæ laus nec exigua est, nec omnium in Dignitate positorum) ita mansuetâ suâ lenitate vtebatur, vt neque de auctoritate lenitas, neque de lenitate auctoritas quidquam detraheret.

Dicenda agendaque priùs intra se prudenti mansuetudine ad trutinam reuocabat, quàm diceret agerétve: ne quod dictum factúmve imprudentiùs elaberetur, quod vel aliis vel sibi dolorem animique pœnitudinem adferret.

Præceps consilium paci ac mansuetudini inimicum & retractationi affine iudicabat: magnas res magnâ cunctatione perficiebat; eò feliciùs, quò lentiùs. Magni momenti negotia, vel supplicationes in re graui seu à Fratribus seu ab aliis oblatas, non in eodem vestigio expediebat; sed benignè accipiens, moram apud se considerandi & consilia cogitandi postulans, intereà abire, & dum maturè deliberasset, ad se redire iubebat. Redeuntibus, quod diu meditatus erat, palàm edicebat; & quod optimum factu iudicasset, constanter statuebat. Interdum etiam, quæ statuisset, scripto tradebat, laudabili more: sic enim & se tranquilliùs imperare, & subditos securiùs parere vsu magistro didicerat.

Asseruant Lætienses nonnullas autographas BLOSII manu schedulas eiusmodi monitorias, quibus tunc maximè vtebatur, quando in officiis aut officinis aliquid desiderabat obseruari diligentiore curâ, aut extra publica reprehensionis loca cum aliquo seueriusculâ castigatione priuatæ monitionis agendum iudicabat: ne videlicet verbis mensuram lenitatis suæ excederet, rem scripto transigebat.

CAPVT XXII.

Hospitalitas.

CHARITATI, quam modò diximus, & mansuetudini comes erat insignis illa BLOSII Comitas & Vrbanitas in excipiendis BENEDICTINVM in morem hospitibus, quâ & domi excelluit, & foris bonum odorem & amabilem famam Pietatis ac Charitatis longè latéque diffudit. Optimum mensis condimentum piam apponebat affabilitatem; & admirabili planè Eutrapeliâ modestè hilaris, religiosè vrbanus, sobriè liberalis erat. Sermones etiam si qui præter decorum inferrentur, vel suauiter præcidebat, vel ingeniosâ pietate solerter ad Dei laudem aut salutiferum documentum inflectebat: eâ gratiâ & dexteritate, vt illi ipsi, qui offendi potuissent, aut non aduerterent, aut si aduerterent,

terent, tamen taciti gauderent, quòd tam suauiter manu BLOSII à sermonibus futilibus ad vtiles abducti essent.

Quamuis Paupertatis singulariter amans, sumptibus tamen hac in parte parci nolebat; singulari semper iudicio circumspiciens, quid eâ in re dignitatem hospitum, quid suam deceret. Neque credebat vnquam vllum hospitum numerum oneri fore, sed eum grato animo inter Dei beneficia numerabat. Hinc aliquando nata est illa festiua eius querela. Aliquantulo tempore hospitibus domus eius & mensa caruerat: ibi tum BLOSIVS versus ad vnum ex Conuentualibus (vt vocant) famulis, quicum ob probitatem & candorem pia aut familiaria subinde miscebat colloquia; Quid hoc est, inquit, ANSELME? (id famulo nomen erat) an nostri obliuiscitur Deus, an irascitur, qui nos iam tanto tempore in hospitibus non inuisit? Vnde coniicere pronum est, quo vultu hospites exciperet, qui in hospitibus Dominum se credebat amplecti; vt minimè mirum sit BLOSIANAM humanitatem linguis hominum scriptisque celebratam. Testis sit TILMANNVS BREDENBACHIVS S. Theologiæ Doctor, Scriptorque non ignobilis. Is in Epistolâ ad Fratres suos, quam *Fasciculo sacrarum precationum* ex BLOSII Operibus concinnato præfixit, ita de eodem loquitur: *Erat*, inquit, *Reuerendus Pater D.* BLOSIVS *spiritu penè Angelico, moribusque suauissimis, admirabilique erga omnes beneuolentiâ præditus, sicuti tu, mi Frater* THEODORICE *(qui vnà mecum olim cum ipso Reuerendo Patre* BLOSIO *familiariter aliquot diebus conuersatus es) meminisse consueuisti, asserens te nec grauiorem vmquam virum vidisse venerando illo D.* PETRO HOMPHAEO, *Decano quondam Embricensi, nec suauiorem ac mansuetiorem R. D.* BLOSIO. *Qui vtinam multos sibi haberet similes Cœnobiarchas, Clericorumque ac Religiosorum Antistites & Præfectos, qui veræ pietati ac religioni, suorum animis instillandæ, parem operam tam paterno moderatissimoque affectu impenderent: vtique magnâ & penè potissimâ sui parte reflorescerer Ecclesia Catholica. Hac enim vnicâ ratione & viâ sacratissimum diuini Spiritus vnguentum, quo præ participibus suis imbutus est* CHRISTVS *Dominus, à capite* CHRISTO *flueret in barbam, in membra dignitate & auctoritate* CHRISTO *proxima, ac deinde in oram totius vestimenti, in vniuersum gregem Dominicum: suoque voto potiretur Apostolus, vt pro decem millibus pædagogorum in* CHRISTO, *haberemus multa millia Patrum. Benedictus Deus, qui replens in bonis desideria suorum, multis adhuc in locis facit eminere suaque Ecclesiæ prælucere sidera salutaria; quantumcumque rumpatur satan, ringantur hæretici, & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.* Hæc ille de BLOSIO. Cuius grauissimi doctissimique viri testimonium, eò maioris faciendum, quòd non ad adulationem (quippe annis quatuordecim post piam BLOSII mortem) sed ad memoriam & admirationem virtutis, quam in BLOSIO oculatus testis notauerat, scriptum fuit.

CAPVT XXIII.

Castitas & Munditiæs.

FLOREM illibatæ Castitatis, quem ex vtero matris nascens BLOSIVS in mundum intulit, in aulicâ licentiâ viuens, seruauit; moriens deinde, integrum intactumque in terræ tumulum secum detulit. Tuendæ verò Castitatis sex illi potissima præsidia:

Primum, *Singularis in cibo potuque temperantia*: sine quâ virtus nulla inter tot hostes tuta esse potest: in quâ eximium se omnino BLOSIVS præstitit, & maxi-

maximum Castitatis præsidium collocauit. Nam etiam ad mensam de spiritu magis quàm corpore saginando sollicitus, singulas cibi buccellas (vt ipse loquebatur) in CHRISTI sanguine intingebat.

Cùm monitum illud S. HIERONYMI de Temperantiâ semper ante oculos haberet, *Venter mero æstuans facilè despumat in libidinem*; tum grauissimis verbis matrem luxuriæ, laxam scilicet vini liberamque potationem, ac comessationes omnes, clancularias etiam, à suis relegauit: quâ de re districtissimè seruandâ ita Successores compellat: *Hic, hic*, ait, *summoperè vigilet Prælatus, si cupit vt Religio sancta honestè seruetur*. Et in paternâ exhortatione ad filios, *Admoneo vos*, inquit, *filij lucis, abstinete à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, abstinete à vino multo, abstinete ab amaris voluptatibus huius sæculi.*

In vino hospitibus propinando liberalis, non prodigus. Æquales haustus, & violentas ingurgitandi se inuitationes execrabatur; illamque consuetudinem pestem perniciosissimam appellabat, quam diabolus inuexisset in orbem terrarum. Scitum est, quòd viro magno, inuitanti vt pari haustu bibendo responderet, & ni faceret, se calicem vino plenum in sinum illius effusurum minitanti, fortiter ac facetè respondit; *Malle sibi sinum fœdari quàm conscientiam.*

Secundum Castimoniæ præsidium, *Fuga periculorum*; quam toties tum monitis suis tum exemplis inculcat S. HIERONYMVS alijque Patres.

Eâ de causâ frequenter in *Statutis* BLOSIVS velut duo Religiosæ castitatis propugnacula commendauit, silentij & solitudinis amorem. Colloquia, deambulationes animi gratiâ (quæ ipse *Spatiamenta* vocat) aliasque relaxationes, vel parcè suis indulsit, vel ita temperauit, vt effusos cachinnos, cantilenas profanas, omnes denique lusus indecoros, in quibus aut cursu, aut iactu, aut alio inhonesto gestu corpus vehementiùs agitandum, aut Monastica indumenta vel exuenda vel inconcinnè componenda essent, interdixerit. Prætereà non solùm segregauit à Monastico claustro mulierum consortia, sed etiam virorum liberum & promiscuum impediuit accessum. Vnde extra Regularis colloquij tempora in Conuentualibus locis tranquilla apparet & venerationis piæ plena, veluti Eremi solitudo.

Et quia de mulieribus sermo incidit, tantam in earum congressu, minimis etiam in rebus, circumspectionem adhibendam esse censuit; vt forsitan alicui rerum spiritualium minùs perito nimiùm meticulosus & religiosus videri possit. Sic enim in *Instructionibus & monitis ad Abbates successores* (quæ codicillis quibusdam, vti ipse vocat, complexus est) agens de violariis floribus, & similibus quæ Monachi solent in hortulis suis excolere, hæc subdit: *Neque enim conuenit, vt Monachus nimis facilè porrigat & offerat manu tale quidpiam alicui feminæ. Prorsus verò detestabile est, vt talia à Monacho mittantur ad mulieres, vel puellas, ex animi leuitate & sensuali amicitiâ.*

Hæc eadem *Fuga periculorum* etiam causa est, ob quam suos è Prioratibus, in quibus magnis omnino periculis Religiosa puritas exposita erat, ad securum Monasticæ custodiæ perfugium reuocauit.

Tertium, *Custodia oculorum*: quæ velut clausa capitis galea facilè omnes excutit aduersarias Castitati oppugnationes. Quâ in re BLOSIANA modestia tam singulariter emicuit, vt oculorum ac vultus compositione, totoque corporis habitu, passim intuentes ad Castitatis amorem accenderet. Non ignorabat videlicet ab oculis malè custoditis lædi Castitatem. Hanc ob causam, cùm ante oculos Religiosorum virorum mulieres apparere periculosum iudicaret, studuit, quantum fas esset, earum conspectum à suis remouere. Ea

propter

propter cùm anteà in horto Conuentuali, in quem Monachis certis horis pomeridianis patet accessus, mulieres fœno spargendo, cumulando, plaustris imponendo operam ponerent, cauit in antedictis codicillis ne deinceps id fieret, his quæ sequuntur verbis: *Herba horti Conuentualis ex meâ ordinatione solet demeti, verti, exsiccari, atque in plaustro poni per viros vel iuuenes, non autem per mulieres aut puellas; maximè illis horis quibus Fratres spatiari possunt in horto: etiamsi pluris constet hoc facere per masculos quàm per feminas. Præstat enim pati damnum aliquod in crumenâ quàm in animâ.*

Quartum, *Corporis castigatio.* Floridam animi Castitatem in carnis maceratione velut lilium inter spinas efflorescere asserebat: quâ in re duo BLOSIVS obseruatu digna gessit. Inprimis quòd in primâ suâ rigidæ obseruantiæ reformatione, extremum, quod in S. P. BENEDICTI Religiosâ familiâ esse potest, corporis macerandi exercitium sectatus sit. Deinde cùm consilio potiùs alieno quàm proprio desiderio inductus à primo illo rigore recederet, non tamen illud singulare Castitatis scutum, carnis macerationem, à se reiecit; sed varias corporis mortificationes subiuit ipse semper, & subeundas esse docuit: & ad hoc inprimis laborando contendit, vt vnà cum moderatis corporis mortificationibus prauæ animi cupiditates frangerentur, & velut duplici illo auxilio duplex Castitati tuendæ accederet adiumentum.

Quintum, *Pietas animi.* Carnis enim voluptates aiebat amarescere & mori, vbi spiritus deliciæ dulcescere & viuere videntur. Nutricem etiam Castitatis appellabat *Pietatem:* cuius ex vberibus quantum BLOSIVS & turpitudinis odium & Puritatis amorem exsuxerit, scripta illius vniuersa abundè loquuntur. Per assiduam cum Deo familiaritatem, quam ipse in mysticæ suæ Asceseos libris *Introuersionem* non incongruo vocabulo nominat, aiebat omnia exteriora sensuum oblectamenta flaccescere. Hanc familiaritatem cum Deo quantò pluribus & ardentioribus adspirationibus incendebat, tantò se magis in amore creaturarum refrigescere sentiebat.

Sextum, *Munditiés externa.* Nam Castitatis internæ index, imò & tutela quædam est illa externa, & à sanctis Castitatis amatoribus magnoperè semper adamata *Munditiés:* in quâ BLOSIANAE Castitatis mirificè nitor ac decor eluxit. Si quid in cellis Fratrum inuenisset, non dicam sordidum nimis, sed minùs decorè compositum, ostendebat id sibi displicere; cùm diceret, animi & corporis, internam & externam munditiam, dextras iungere, & pari passu ambulare debere; & ad exemplum S. BERNARDI, paupertatem amandam esse, non sordes. Erat BLOSIO maximè cordi in facie & manibus ingenua munditiés, in veste decens paupertas; in cubiculo & omni supellectili priuatim, publicè in culinâ, refectorio, hospitali mensâ ac domo, in templo, in omnibus elegans ac nitida rerum facies, spirans vbique castam munditiem & mundam Castitatem. Hoc sibi, hoc aliis dictabat; hoc posteri auidè acceptum constanter tenuerunt. Vnde in sacrario, templi atque altaris supellectili, ac præsertim Reliquiarum custodiâ, tam exquisiti tamque illibati nitoris sollicitudo.

CAPVT XXIV.

Magnanimitas. Aduersorum tolerantia.

MILITIAM esse vitam hominis super terram, affirmabat sanctus Iob Propheta. Hæc militia constantes & magnanimos pugiles requirit aduersus eos hostes, qui nullas pacis conditiones, ac ne inducias quidem cum ho- cap. 7.

mine, quamdiu viuit, habere possunt. In hac militiâ Monasterium stadium seu campum vocabat BLOSIVS, in quo magno animo, contra *spiritualia nequitiæ in cælestibus*, quotidie est Monachis in mortificationis bello capitaliter decertandum.

Ephes. 4.

Neque minori fortitudine ea mala toleranda sunt, quæ etiam Dei famulis quotidie à bellorum fortunæque casibus obueniunt. Spectaculum illustre Deo & Angelis exhibuit in calamitatibus, quibuscum luctatus est, sustinendis ac superandis, inuictam nimirum constantis animi magnitudinem. Quater intra vnum & viginti annos, perturbatâ bellis Republicâ, infestos hostili populatione expertus est Francos; semel anno post sesquimillesimum trigesimo septimo, quando sub tempus inchoatæ reformationis sui Monasterij Athum profugere compulsus est: rursum post sexennium, quando hinc & inde media Lætia Malbodiensis vrbis & Terlonensis arcis, vt alia taceam, fumos ac fauillas ab incendio Gallico in viciniâ conspexit: iterùm post nouennium, quando direptum dirutumque est Terlonium: denique post sexennium, quando effractis portis Franci Monasterium Lætiense diripiendo populandoque vastarunt.

Inter has quidem Reipublicæ ac priuatæ peracerbas calamitates ingens vbique perturbatio, & fortunarum iactura fuit: ipse verò BLOSIVS nullâ re aduersâ passus est animi sui constantiam frangi, serenitatem obscurari, tranquillitatem perturbari.

In omni calamitate perfugium à tempestate tutum aiebat fiduciam in Deum, illud vsitatum crebrò iterans: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum.* In hoc refugio tutissimè latebat: ad hoc, velut ad portum, nauem è fluctibus subducebat.

Psal. 90.

Magnanimitas BLOSIO ex eo etiam constans & inuicta fuit, quòd vera bona à falsis, à caducis æterna, externa fortunæ ab internis animi prudentissimè segregaret, & sua singulis momenta ita apponeret, vt vera damna ea sola existimaret, per quæ animorum felicitas aut beatitudo perderetur. Cùm Franci in Hannoniam populandi ardore & bellicis furiis effusi agrum Lætiensem fœdè vastassent, aduersus eos cum militaribus aliis patriæ copiis suas duxit ADRIANVS BLOSII frater, & incredibili virtutis ac fortitudinis gloriâ Francum militem fudit fugauitque. Re præclarè gestâ, cùm exultabundi narratores BLOSIO & Lætiensibus seruatis gratularentur, atque ADRIANO ob illustrem victoriam virtute partam velut in triumpho applauderent; abstinuit vnus inter omnes ab omnibus lætitiæ signis edendis BLOSIVS, sed alta ex imo ducens suspiria, *Non est*, ait, *non est Christiani pectoris gaudere, vbi tantum Christiani sanguinis funditur; & leuem breuemque victoriam, tot animarum æternus fortè sequitur interitus.* O diuina vox, & digna Christiano homine! qui cetera, immotus, solis animarum damnis concutitur.

Eamdem animi magnitudinem in RICHARDI atque ADRIANI charissimorum sibi fratrum morte aliàs prætulit. Erat ille LVDOVICI rebus solatio, domesticus conuictor; hic etiam præsidio, vt fortem alioqui virum ea concutere iactura potuisset. At stetit animo vultuque immotus BLOSIVS: neque quidquam questus, Dei potiùs niti prouidentiâ, quàm humani auxilij fiduciâ perrexit.

Possem istiusmodi alia nonnulla producere; sed nihil æquè BLOSIANOS animos & inuictum robur testari potest, quàm tot ab eo superatæ & exhaustæ diffi-

difficultates, dum primùm regularis disciplinæ reformationem inuexit. Nonnullos è suis expertus est minus obsequentes, quosdam etiam proteruos ac repugnantes, vt suprà diximus; at omnes constantiâ vicit, & acerrimum quemque repugnantium inuictâ patientiâ tandem flexit.

CAPVT XXV.

Liberalitas in pauperes. Opum honorumq́ contemptus.

MAGNANIMITATIS pars est, pecuniarum pro Dei gloriâ, aut proximi vtilitate, contemptus: & vt parui animi est, amare pecuniam; ita animi prorsus magni est, pecuniæ detrimentum facere, vt CHRISTVM lucrifacias. Mirè erga semetipsum arctus & parcus BLOSIVS, erga alios variè inopes liberaliter propensus; & lata viscera charitatis omnibus aperiens, nomen PATRIS PAVPERVM suo merito inuenit. Semper ab eleëmosynâ pauperibus impensâ hilarior redire solitus, alios etiam ad misericordiæ opera hortabatur. Extat ab eo monitum aureum, Successoribus relictum his verbis: *Non regnet in viris Deo dicatis plura conquirendi perniciosa cupiditas, quæ in multis Congregationibus disciplinam Religionis sæpiùs euertisse cognoscitur. Non etiam regnet turpis illiberalisque tenacitas; sed eleëmosynæ iuxta Monasterij facultates cum charitate fiant. Nam quæ supersunt Monasterijs, non tam ipsorum Monasteriorum, quàm pauperum bona sunt.* Quod verbis scripsit, rebus fecit: CAROLVS V. Imperator cantharum BLOSIO metalli pretio & artis elegantiâ spectabilem donauerat. Hunc mox vt accepit, dono dedit Ecclesiæ Chimacensi, quæ magnam istis temporibus ex hostili vastatione iacturam fecerat, ratus magis sese Deo placiturum liberaliter alienam calamitatem subleuando, quàm munus à tanto Cæsare acceptum apud semet domi seruando.

In angustiis rei domesticæ magno animo dilatabat erga egenos charitatem. Pauperum omnium quidem, maximè verò eorum qui in viciniâ propè domestici essent, primam gessit curam. Illos œconomis, vt abundantiùs iis prospicerent, enixiùs commendabat. Hoc in *Statutis* passim inculcat, hoc in mores induxit. Hoc, quantum permiserunt non adeò magnæ Lætiensium facultates, ita radices egit, & à BLOSIO in immensum excreuit, vt nunc passim, & meritò, Lætiense Cœnobium, *Pauperum asylum* nuncupari videamus.

Paupertatem, quam in aliis miserando & affatim donando subleuabat, ipse sibi gratissimam adsciscebat. Pauperem vitam, & procul ab opulentis honoribus remotam, amabat. Opes honoresque sponte oblatos, strenuè auersabatur, mundi fastum magnanimâ demissione calcans atque pessumdans. Imò quantùm nonnulli ambiunt dignitatum titulos prehensando, tantùm ipse deprecando auersabatur.

CAROLVS Cæsar BLOSIVM aliquando è Lætiensi, minore illâ videlicet Prælaturâ, ad maiora & splendidiora honorum culmina euehere, sed frustrà, molitus est. Nam Archiepiscopatum Cameracensem ab Imperatore sibi destinatum BLOSIVS magnanimiter demisseque recusauit: quod ipsum familiari ioco MAXIMILIANVS A BERGIS, vir minimè ambitiosus, postquam ceruices tanto oneri subdidisset, BLOSIO exprobrare solitus est, quasi verò æquum esset, BLOSIVM, vt suæ quieti ac priuatæ consolationi consuleret, tam formidabile onus in debiliores humeros transferre. Sic ille de se vt prudenter & amicè, ita submissè & candidè iudicabat.

Obtulit etiam BLOSIO Cæsar Abbatiam opulentiorem S. MARTINI Tor-

naci, vt eam cum suâ Lætiensi, quod bono Ecclesiæ verteret, commutare vellet: sed memor quod est à S. AMBROSIO pronuntiatum, carere omni ambitione religiosam deuotionem, tantoque futura maiora pericula, quantò celsior fuerit dignitas; eam sibi numquam passus est obtrudi. Hanc enim vt à ceruicibus suis excuteret, Bruxellam Cæsari supplicatum iuit, & impetrauit. Cùm autem nouo & inusitato ambitus modo in palatio Cæsaris ad amoliendam à se S. MARTINI Prælaturam versaretur, occurrit res non indigna narratu: fortè in Principem quemdam virum è Cæsareis Optimatibus non vltimum incidit, qui cùm BLOSIANA gratiâ obligatum se iudicaret, ratus fore occasionem gratitudinis declarandæ, si BLOSIO apud Cæsarem (cui gratiosus esset in primis) opem operamque offerret, promptum se paratumque addixit, si quid ambiret, & suâ apud Cæsarem commendatione vti vellet. Tum BLOSIVS, vt res erat, animi ægritudinem declarauit ob Sancti MARTINI Abbatiam si eam adire cogeretur; velle se magis sorte modicâ, quæ inter filios Lætienses obtigerat, & iam tranquillè atque hilariter in Domino possidebatur, consenescere Lætiis, quàm nouos honores cum nouis oneribus suscipere; proinde rogare se, vt si gratiam rependere vellet, fauorem in hac Abbatiâ repudiandâ apud Cæsarem interponeret. Hoc Cæsarem rogatum venisse, vt liceat ipsius bonâ gratiâ liberari, & in suo nidulo Lætiensi mori. Attonitus alter rei nouitate, obsequia, quando ita BLOSIVS vellet, offert sua: mox ad Imperatorem à BLOSIO discedens, En, ait, Auguste Cæsar, adfero nouam prorsus & inusitatam libelli supplicis formulam: Lætiensium Abbas BLOSIVS, longè aliter atque alij subinde solent, orat per me, atque obtestatur Maiestatem tuam, vt S. MARTINI Prælaturâ absolui, & in suâ Lætiensi viuere ac mori possit. Ita ille, ita ego Maiestatem tuam obsecro. Ad hæc admirabundus Cæsar, Fiat, inquit, & apud suos, quando ita orat BLOSIVS, viuat & moriatur. Sic nempe BLOSIVS dignitatum & honorum contemptu clarior, quàm sint plerique honores ambiendo gerendoque.

Amb. lib. 4. in Luc. cap. 4.

CAPVT XXVI.

Zelus contra nascentes hæreses & vitia.

CALAMITOSIS Belgicæ Ecclesiæ temporibus, cùm ex Galliâ & Germaniâ vndique in Belgicas prouincias hæretica pestis irreperet, contra nascentes atque adolescentes hæreses, earumque præcones, defensor ac propugnator inter alios à Deo datus videtur BLOSIVS.

Visuntur inter Opuscula eius duo illa aduersus Nouatores scripta, ex quibus luculentum zeli sui pro domo Dei testimonium BLOSIVS habet, *Collyrium hæreticorum*, duobus distinctum libris, & *Facula illuminandis & ab errore auocandis hæreticis accommoda.*

De primo pauculis sed appositis verbis præfatur, & animi sui sensa erga Fidei hostes palàm & ex fide declarat, dum ita orditur: *Piâ erga pereuntes hæreticos commiseratione motus, hoc Collyrium scripsi.* Et mox causam exponens cur vocet *Collyrium* (quod Græcâ voce significat præsens in curandis oculorum affectionibus medicamentum) *In quo*, ait, *pauca, quæ curandis ipsorum hæreticorum oculis apta esse videbantur, congessi. Abundè, quod cupimus, assequemur, si modicus ac rudis hic labor noster, aut aliquos, ex his qui hæresi iam infecti sunt, sanare, aut aliquos, ex ijs qui nondum sunt infecti, seruare incolumes potuerit. Neque enim, in illis quæ hactenus edidimus, laudes hominum, sed salutem animarum venamur.*

Faculæ

Faculæ verò conſcribendæ conſilium in Præfatione declarat: quod erat eiuſmodi, vt ex quadraginta tum Patrum antiquorum, tum ſacroſanctorum Conciliorum dictis atque decretis, totidem velut lucernas accenderet, & ſuper candelabrum poneret; non tam vt luceret omnibus qui in domo Eccleſiæ ſunt, quàm vt illis qui nouitatum ventis in vada aut ſyrtes abripiuntur, Pharon quamdam accenderet, ad quam curſum dirigere & rectâ in portum certaque viâ inuehi poſſent.

Eſt autem *Facula*, collectis in vnum ſententiis antiquorum Patrum, Opuſculum ita numeris omnibus abſolutum, vt pænè nullam earum rerum, quæ nunc in fide controuertuntur, partem relinquat intactam. Et tamen pro ſuâ modeſtiâ BLOSIVS, de eâ ita cenſet: *Hæc Facula faciem primitiuæ Eccleſiæ vtcumque oſtendens, collecta fuit anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo menſe Octobri: quæ licet in modum farraginis confuſa eſſe videatur, prodeſſe tamen poterit hæreticis, ſi ipſi illam diligenter legere atque expendere voluerint.* Append. Faculæ in fine.

Poſt *Faculam* ingenioſâ fictione alloquitur *Philocænopolitanos*, quos Reuerendiſſimus LINDANVS Epiſcopus zelo Dei pro Eccleſiâ Catholicâ flagrans in aureo libello *Dubitantios* vocat. *Appendici* BLOSIANAE titulus, poſt *Faculam*, eiuſmodi præfigitur: *Expoſtulatio* IESV CHRISTI *de ingratitudine Philocænopoleos, cuius gubernatores nouam prauamque doctrinam amant, & hæreticis fauent.* Eſt autem *Philocænopolis*, ſi Latinè ad verbum reddimus, *Amans nouorum ciuitas.* Huius ciuitatis Præſides, qui cùm ſe Catholicos dicerent, & ſanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ filios iactarent, tamen cùm multorum hæreticorum nouitates ſeminantium impunita ſcelera ferrent, pullulantes hæreſes conniuentiâ ſuâ roborauerunt, ita meritò expoſtulans IESVS CHRISTVS alloquitur apud BLOSIVM: *O imprudentes ciuitatis gubernatores! quis vos ita faſcinauit, vt permitteretis illos veritatem impugnare, & liberè prædicare aliam fidem, quàm tradita fuit olim à ſanctiſſimis Patribus, atque à clariſſimis veriſque Senatoribus, & à fideli populo ſeruata?* & addit alia, quæ ſi attentè legantur, facilè quiuis perſpiciet, iam tunc præſagiiſſe BLOSIVM ea quæ pauculis pòſt annis tulit fecitque *Philocænopolis Belgica*, ab iſtis nouæ doctrinæ vel auctoribus vel fautoribus lamentabiliter afflicta.

Præter hæc quæ publicâ luce donata ſunt, latuit in ſcriniis hactenus BLOSII manuſcripta Epiſtola, quâ Cognatam quamdam ſuam ex Ouili CHRISTI à lupis illis ouinâ pelle tectis ſeductam, & in Germaniæ fines, vt venenum hæreſeos maiore licentiâ ac libertate combiberet, è patriâ profugam, ad Eccleſiam plurimis fortiſſimiſque argumentis retrahere conatur. Quæ quidem Epiſtola, quia nunc primùm lucem inter cetera eius Opera aſpicit, eam hîc deſcribere ſuperuacaneum duxi.

Hæ fuerunt BLOSII lucubrationes, quibus pro Eccleſiâ ſanctâ Dei aduerſus hæreſes fortiſſimè depugnauit. Breuia illa fortaſſis & primo aſpectu tenuia videri tela poſſint, ſi cum omni illâ conferantur armaturâ fortium, quam poſteà Deus in Eccleſiâ ſuâ ſuſcitauit: ſunt tamen omnino ſolida, vimque omnem, & quaſi ſuccum ac medullam habent eorum quæ fuſiùs ſolent contra noſtræ hoſtes religionis diſputari. Eſtque id ad BLOSII laudem eximium, potuiſſe eum ſub ipſum pernicioſiſſimi ſchiſmatis exortum, tam dextrè in omni ferè quæſtione, immanis illius belluæ iugulum configere.

Nec verò ſcriptis BLOSIANIS, pro ſeductorum ad Eccleſiæ gremium reductione, vel Catholicorum confirmatione, inferiora ſunt facta illius. Multa enim in vitâ ſuâ egit pro reducendis ouibus ab ouili Eccleſiæ & à ſalute

æternâ seductis, & pro Catholicis stabiliendis. Serenissima Hungariæ Regina MARIA, CAROLI Cæsaris soror Prouincias Belgicas gubernabat. Ea cùm probè nosset BLOSII insignes ardores quibus inflammabatur ob zelum Ecclesiæ Dei; & à nonnullis deinde Episcopis didicisset, duabus illum manibus pollere, virtute videlicet & doctrinâ, ad retrahendum à perfidiâ Nouatores; illius prudentiæ & pietati credidit claros quosdam nobilitate viros, qui à maiorum fide turpiter desciuerant, vt domesticis BLOSIANAE vitæ exemplis, & quotidianis, dum in Monasterio essent, dissertationibus impulsi, ad viam salutis, vnde per deuios errores abiuerant, reducerentur. Inter hos vnus ante alios eminet eximiâ nobilitate Vir, cuius nomen consultò sileo. Fuerat ei à Reginâ MARIA Lætiense Cœnobium, quasi honorificus carcer, assignatum: in quo etiam salutem inuenit: nam hominem BLOSIVS menses plusculos apud se benignè habitum, acribus feruidisque commonitionibus, & verò integerrimæ vitæ exemplis ita flexit, vt non tantùm hæresim eiurarit, sed insignem etiam Christianæ vitæ perfectionem assecutus sit; vt de eo BLOSIVS ipse testatus est scriptâ ad Reginam Epistolâ, quam hîc Latinè redditam inserere operæ pretium mihi visum est. Sic ergo scribit: DOMINA, *ingens commiseratio, quâ erga Dominum N. in Monasterium nostrum Lætiense relegatum feror, has me M.T. scribere compulit. Virum deprehendo sanè honestis moribus & indole, quæ sibi præscripta sunt seriò obseruantem. Quod ad Catholicam Fidem attinet, magis in eâ nunc est confirmatus, quàm si numquam ab eâ desciuisset; vt non facilè deinceps, diuinâ secundante gratiâ, futurum illi noui lapsus periculum confidam. Admodum ille priorem noxam detestatur, non verbis luculentiùs, quàm vitâ ac moribus: nam & quotidie Sacrificio reliquoque diuino Officio assistit, & sentit de Sacramentis, Constitutionibus, Cærimonijs sanctæ matris Ecclesiæ, omnino orthodoxè. Quare si eum T. M. pro singulari suâ clementiâ pristinæ restitueret libertati, rem sanè faceret numquam sibi, vt ego quidem existimo, pœnitendam. Fidentiùs de eo loquor, quòd septem iam ipsos menses cum eo versatus, sincerum atque ab omni fictione alienum reperi; etsi aliquâ se olim, in suis tegendis occultandisque erroribus, vsum simulatione fateatur. Grauiter ille quidem, nec diffitetur, lapsus est, quorumdam maleuolorum persuasione deceptus; sed graues iam quoque pœnas dedit, præter infamiam carcerisque molestias, ad ipsas mortis angustias redactus. Numquam me quidem, vel verbo, interpellauit, pro se quidquam vt agerem scriberémve: vehementer tamen quandoque deijci tristitiâ tædioque animaduerto. Est naturâ ad mærorem procliuior: quare vereor ne qua illi, nisi tempestiuum solatium leuamenque calamitatis ei adferatur, desperatio surrepat. Id minimùm ei vt T. M. indulgeat obtestor, vt ambitu Monasterij egredi fas sit ad honestam animi relaxationem, vel eâ lege ne noctе abesse T. M. iniussu ei liceat. Id si misero erit concessum, perspiciet saltem non id agi vt his immoriatur miserijs, tantoque alacriùs pia sua proposita vrgebit, ac tuebitur. Ceterùm Creatorem omnium precor,* DOMINA, *omnem T. M. felicitatem largiatur. Lætijs* VII. *Augusti* M. D. L.

T. M.

humillimus atque obedientissimus Capellanus

LVDOVICVS BLOSIVS.

Hac BLOSIVS Epistolâ felici suo captiuo non libertatem tantùm, sed & fortunas veteres atque honores impetrauit. Qui suis deinde redditus, non piè tantùm ex normâ BLOSIANA vixit, sed & familiam vniuersam Religioso ferè more composuit: cumque de BLOSIO sermo incideret, non dubitabat eum beatum ac cælestem virum appellare, sanctè testatus, cum à se visum aliquando oratio-

orationi vacantem toto vultu, solis instar, cælitus affuso lumine collucentem.

Affine crimen hæresi est magia. Diabolo incantatore in præceps aguntur, & qui hæresi sunt initiati, & qui magiæ. Ideò appendix erit, spectatæ nobilitatis vir (cuius etiam nomen, vt heredum illustrium honori consulatur, sponte silentio premimus) qui eò dementiæ abreptus fuerat, vt magno pretio incantatum à præstigiatore annulum sibi compararet, quo tamquam Gygis fortunam possidere se crederet. Hoc annulo velut clandestino pacto alligatus dæmon, spectabili hominis formâ sese in seruitutem dedebat, ad omnia promptus & expeditus. Sic ille quidem, cùm hero seruire videretur, heri animum mancipium sibi fecerat, & seruilibus conscientiæ flagellis laceratum durissimam cogebat seruire seruitutem. Iam, Deo agente, familiaris ille genius, ob conscientiæ stimulos, minùs minusque adlubescebat: iam via ad abrumpendum compedes quærebatur. Ecce verò consuetudo, quæ ei cum BLOSIO intercedebat, saluti viro fuit. Nam vbi BLOSIVM more suo de Dei erga peccatores misericordiâ mellifluos sermones miscentem audiuit, toto corde commotus, omnes ei conscientiæ captiuæ laqueos, & pactam cum domestico dæmone fidem, plorans gemensque exposuit. Hîc BLOSIVS magnis viribus conniti, hîc animum illi in spem certam erigere; hîc, si vellet ipse conscientiam exomologeseos & Eucharistiæ Sacramentis expiare, obuiam illi facilemque Dei misericordiam addicere. Quid multa? animum expurgat, diaboli vincula abrumpit, ad bonam frugem ex perditâ vitâ, ad Sacramentorum frequentiam à mali genij transit consuetudine. Et dæmon quidem ab illâ arce eiectus, denuò eam recuperare frustrà laborauit. Nam cùm in sui castri edito vallo nobilis ille, iam Dei famulus & diaboli hostis, orationi intentus obambularet, adfuit hostilis ille seruus, malus genius, nigerrimi hirci formâ, & vehementi impetu herum quondam suum in plenam aquarum fossam deturbare conatus est. Sed frustrà. Nam inuocato per preces Deo (BLOSII monitorum memor) vir iam solidè pius, spectrum à se abegit, & deinceps ab omni mali genij infestatione liberam Deoque gratam vitam duxit.

Neque satis BLOSIO fuit, Charitatis suæ zelo, à verâ Fide alienos, aut seductos à dæmone complecti; sed eodem etiam ardore, quamlibet pietatis promouendæ & Christianæ Reipublicæ iuuandæ occasionem arripiebat. Eam ob caussam vt in Belgium Societas IESV reciperetur, allaborauit: eidem fauit pro viribus, & impetitam calumniis, pæneque oppressam eius innocentiam tutatus est, graui scriptâ ad VIGLIVM ZVICHEMVM Præsidem tunc Consilij secretioris Epistolâ, quam hîc placuit è Gallico fideliter versam adscribere: vt qui hæc legent Societatis IESV Patres, meminerint quid BLOSIO nostro debeant, quosque præcipuè adiutores olim habuerint: nostri verò eosdem pergant Patres veluti strenuos contra hostes Fidei commilitones propugnare, fouere, promouere BLOSIANA, id est, fideli & religiosâ charitate: ceteri autem intelligant, quanta sit rectorum ac proborum ingeniorum semper consensio, quando adhuc recentem pæneque infantem hanc Sodalitatem tam facilè Ordinum antiquissimus defendendam sibi ornandamque susceperit, solâ sibi virtute commendatam. Ita ergo se habet Epistola:

DOMINE, *cùm nuperrimè tecum pranderem in tuis ædibus, de hominibus Societatis* IESV *mentio incidit, vt nosti, longo deinde ducta sermone. Cupiebam sanè tecum seorsim de ijs loqui, clariusque quid sentirem exponere; sed quia nullam id agendi idoneam opportunitatem nactus sum, mihi nunc ad te de totâ eâ re scribendum esse iudicaui.* DOMINE, *magna mihi pridem cum* M. ADRIANO *Scholasticorum Socie-*

tatis IESV *Louanij Præposito, alijsque ex eâdem Societate, familiaritas intercedit. Vnde eumdem M.* ADRIANVM *verum Dei famulum & amicum iudico. Illud verò liquidò constat, eam Societatem, veluti postremum sacrorum hominum Ordinem, ad multorum salutem in Ecclesiâ diuinitus his temporibus excitatam: licet plerique, non è vulgo solùm, sed sacri quoque homines, atque adeò Religiosi, aut de eorum existimatione detrahant, aut parum sanè eorum caussâ velint. Magna quidem certè & illustria per eos in Hispaniâ, Lusitaniâ, Italiâ, Indijs, atque alibi terrarum patrantur à Deo. Perhonorificè de ijs mecum egit Nuntius Apostolicus, cùm Hallas eum salutatum venissem, magnique eos se facere ostendit, ijsque vt familiariter vterer hortatus est. Nec obscurus est fructus quem hactenus Louanij ediderunt. Quod pleniùs testificari potest Cancellarius Doctor* RVARDVS, *summâ vir prudentiâ & religione & fide. Quidam tamen aut veri ignorantiâ, aut animi maleuolentiâ, quod ab illis rectè fit & salutariter, in diuersum interpretantur. Sed consueuerunt videlicet res istiusmodi esse principio ad multos inuidiosæ: quod & S.* FRANCISCI *ac S.* DOMINICI *familiæ legimus euenisse. Illud verò bonis ac prudentibus probari vnicè debet, quòd non, vt ceteri, anno vno exacto, sed septimo demum aut octauo pòst, publicè profitentur: quæ res, multa quæ timeri possent, auertit incommoda. Quod ad priuilegia attinet, quibus eos Pontifex ornauit, sunt illa omnino isti vocationi necessaria. Quamquam verò ea ampliora sint illis, quæ antiquis Pontificum legibus, ceteris Ordinibus collata sunt: non sunt tamen aut publicæ Ecclesiæ quieti, aut rectæ disciplinæ contraria; sed potiùs, si res suis momentis rectè expendatur, & virtuti, & animorum vtilitati, & communi bono maximè consentanea. Bini iam Pontifices, sibi inuicem in summam illam Dignitatem succedentes, hanc Societatem maturâ habitâ deliberatione confirmarunt: Principes verò Christiani plerique benignissimum iam pridem in eos animum accepêre. Quos sanè viros vt dignitate ac iudicio præstantes, ita cuncta consilio gerentes, qui tantâ in re nihil vidisse existimet, næ eum ego à rectâ ratione lapsum iudicem. Vtinam vt in ceteris orbis Christiani Prouincijs, ita in nostro quoque Belgio aliqua eorum Collegia instituantur! id verò & ad Dei cultum propagandum, & ad animarum salutem fulciendam considerem vim habiturum esse longè maximam. Sed vereor vt ne hoc Dei immortalis munere necdum digni simus.* DOMINE, *si res ita ferret, vt eorum apud Cæsarem, aut Reginam, aut certè in Concilio caussa agitaretur, rem tu quidem, vti ego existimo, Deo gratam facies, si quàm minimè eis aduersabere. Non debet, qui rectam animi conscientiam curat, acriùs sese huiusmodi conatibus opponere; ne pugnet cum Deo, pro quo se pugnare arbitretur. Non sunt diuina consilia humanis rationibus metienda, quæ omnem excedunt rationem. Hæc te cupio,* DOMINE, *prono benignoque animo accipere, quæ vnius veritatis, diuinique honoris studio impulsus scripsi; precorque Deum Opt. Max. diu te incolumem tueatur. Vale. Bruxellis.*

Tuus

humilis seruus

LVDOVICVS BLOSIVS *Abbas Lætiensis.*

CAPVT XXVII.

Ægritudo postrema.

CVM iam omnia in misero nostro Belgio ad tumultus turbasque spectarent, quæ mox in magnam rei Catholicæ ac publici boni perniciem erupêre; tempus aduentabat, quo famulum suum fidelem, & in assiduâ mortis meditatione ac cælestibus desideriis viuentem, bonus Dominus mercede donare,

donare, & in gaudium suum introducere decreuerat. Quod Blosium minimè latuisse, non leue argumentum præbuit ipse, cùm se suaque omnia ita comparauit, quasi mox iter vniuersæ carnis ingressurus videretur.

Fidâ relatione constat, paullò antequam è viuis excederet, considerantem attentiùs ingentem animarum stragem, quas recèns exorta hæresis pestiferâ lue inficeret, ac in Orcum deturbaret; & insurgentes vndique lupos falsæ doctrinæ magistros, Ecclesiæ ouili excidium minitantes; altiore quodam mentis obtutu præuidisse, longè grauiores Belgio à ferinâ hæreticorum rabie impendere calamitates: quâ cogitatione tam altè cordi suo doloris vulnus sensit infligi, tantoque affectu charitatis internæ ac commiserationis viscera commoueri; vt tæderet eum iam vitæ longioris, & summis precibus à Deo exposceret animam suam tolli, & cum B. Pavlo corpore dissolui & esse cum Christo. Philip. 1. Cumque eidem petitioni insisteret acriùs; & impensiore studio, ab æterni Numinis clementiâ hominum miserè pereuntium salutem efflagitaret; postulata obtinuit: nempe vt quas acie mentis futuras præsenserat miserias, eas, vitâ functus, mortalibus oculis non conspiceret. Itaque prorsus euenit: nam illo ipso ineunte anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, qui Iconoclastarum furore infamis fuit, totque Belgij calamitatibus dedit initium, Blosivs è vitâ migrauit; ne pios illos oculos ardentis patriæ atque Ecclesiarum crematarum fumus inficeret.

Porrò morbi, ex quo secuta beata mors, hæc fuit origo. Sub medium circiter anni superioris, ad Synodum Cameracensis Prouinciæ euocatus ab Illustrissimo Domino Maximiliano a Bergis, vnà cum aliis Ecclesiæ Prælatis Blosivs adfuit. A Synodo ad Monasterium redux, non longo pòst tempore dum obambulando operarios lustrat, qui fabrilem machinam cuidam ædificio adornabant, fortè in tignum quodpiam, transuersim humi iacens, tibiam impulit, & leui satis vulnere sauciauit. Ex modico vulnere lenta febris exarsit, quæ tres ipsos menses clàm Blosivm depasta, cubiculo inclusit, lectoque affixit. Mœstus ob Blosii viri amicissimi ægritudinem & æger animi D. Ioannes Lentaillevr celebris ille Aquicinctinorum Abbas, familiarem sibi Medicum, ab experientiâ clarissimum, submisit. Nec remedia medicinæ aspernabatur æger, sed artem opemque omnem vis morbi maligna superauit. Interim in patientiâ & spe, in exultatione & tremore, venientem Dominum seruus vigilans præstolabatur.

CAPVT XXVIII.

Mors ac Sepultura.

Qvartvm iam mensem pertinax eum carpebat ægritudo, cùm Kal. Ianuar. anni M. D. LXVI. sentiens tempus resolutionis suæ instare, sacrâ Vnctione ad vltimam luctam ritè armari vltrò, nemine admonente, postulauit, & filios omnes ad moribundi Patris vltima verba conuocari. Tum sancto Oleo, Christiano more, perunctus, simulque incredibili voluptate animi delibutus, suis, qui ægri lectulum (verè corona eius & gaudium in Domino) cinxerant, morituri Patris benedictionem humidis oculis tristique vultu implorantibus, celebrem illam ex *Enchiridio paruulorum morituri hominis protestationem,* Lib. 1. c. 2. quam longo vsu memoriæ mandauerat, clarè, deuotè, suauiterque pronuntiauit. Post hæc cygneâ voce venerabilis & amabilis Pater filiolos extremis & fiduciâ erga Deum & amore erga filios à se educatos plenissimis verbis ita allocutus

cutus est, vt hoc Patris filiorum amantissimi testamentum, & vltimæ sanctissimęque voluntatis tabulas semper in manibus, semper in corde habere debeant filij Lætienses. Hanc postremam eius orationem Latinè quidam Lætiensis Religiosus ex Gallico, verbum verbo reddendo, candidè ita transtulit:

Charissimi Fratres mei & amici, tam iuniores quàm seniores, audiuistis Protestationem iamiam à me pronuntiatam, quam iterùm hîc coram Deo & vobis renouo & confirmo. Dei voluntate factum est, sicut nostis, vt diu satis vnà vitam duceremus; & probè noui, vix pro humanâ fragilitate fieri potuisse, quin sinistri quidpiam subinde inter nos tanto temporis spatio interuenerit, quod aliquam mutuæ offensionis dederit occasionem. Quare sicut iam antè vos obsecraui, sic etiam nunc quanto possum affectu obsecro, vt velitis mihi condonare, quidquid fortè vmquam dixi aut feci, quo vel iniuriam aliquam, vel molestiam, seu maioribus seu minoribus vestrùm intuli. Ego vicissim si quis ex vobis quocumque modo in me peccauit, libentissimè & ex sincero corde penitus condono. Et quamquam Dei sit potiùs quàm meum peccata condonare; nihilominùs tamen, quantum in me est, simul cum Deo, omnia vobis ex animo condono. Ceterùm rectam viuendi viam constanter, obsecro, tenete & vocationis vestræ memores estote. Puram Dei gloriam in omnibus vbique quærite, sancto Religionis zelo feruentes. Non vos detineant voluptates huius sæculi. Videtis quo iam loco constitutus sim: non est quòd aliud vobis persuadeatis; huc omnibus aliquando veniendum est. Valentissimi quique vestrùm ac robustissimi easdem suo tempore angustias, quas ego nunc patior, sustinere debebunt. Quid tunc, quæso, prodesset vobis, si, vt sacra
Math. 16. Marci 8. *Scriptura in Euangelio nos admonet, vniuersum mundum lucrati fuissetis, animæ verò vestræ detrimentum fecissetis? Contrà autem, si vitam ex virtute duxeritis, si Deum quæsieritis, magnæ vobis erit consolationi in extremo illo discrimine constitutis. Decretum mortis est ineuitabile. Seriùs aut citiùs, siue ad salutem, siue, quod absit, ad damnationem nostram, moriendum est: ex hoc mundo, qui citò transit & perit, nobis tandem migrandum est. Seriò igitur perpendite, & curate, vt quotidie vos ad mortem salutarem præparetis, quæ felicem vobis in vitam æternam introitum indubitanter aperiat. Ad me quod attinet, malo, si ita Deo visum est, hac ipsâ horâ hinc discedere, quàm hîc diutiùs commorari, vel eò maximè, quòd mundus iam totus in maligno positus sit, & peiora, quantum præuideo, nobis minetur. Quando igitur me Deus hinc euocauerit, estote, quæso, Fratres mei, quieti ac tractabiles, non autem turbulenti & ceruicosi, non dissoluti, & disciplinæ frenum excutientes. Ambulate suauiter in sanctâ humilitate & obedientiâ; vitæ tenorem, prout cœpistis, honestè prosequentes, & diuinum Officium religiosè peragentes. Si enim secùs faceretis, Deus offenderetur, boni quique scandalizarentur, vobis etiam inureretur infamiæ nota. Sint vobis in exemplum aliæ Congregationes Religiosæ. Quæ enim rectè sunt institutæ, probè ac prudenter, post sui Prælati obitum se gerunt, donec Deus de alio prouiderit. Scitis quàm bona hactenus semper fuerit vestri apud omnes nominis existimatio. Date operam, ne bonum hoc nomen, post mortem meam, perdatis & deleatis. Non quòd huius tantùm bonæ existimationis gratiâ vobis in bono sit perseuerandum; sed quia dum bonus de vobis odor spargitur, cedit hoc in honorem Dei & sanctæ Religionis. Ante omnia date operam, vt in pacis & mutui amoris vinculo simul conuersemini, non mordentes inuicem aut pungentes, sed omnem vitantes rancorem, inuidiam & contentionem. Charitatem inter vos puram habete, non fictam, aut fucatam, nec duplicis animi: Charitatem, inquam, quæ profundas in corde egerit radices, non quæ ore solùm promatur & linguâ. Quando autem de alio vobis Prælato Deus prouiderit, illi in omnibus, quæ rationi consentanea sunt, obedientes estote. Denique satagite vitam vestram sic instituere, vt orationes vestræ mihi auxilio esse possint; maximè vt in rectâ Fide, vsque ad extremum vitæ spiri-*

spiritum, firmus & stabilis perseuerem. Intereà spe bonâ confido, me vos omnes apud Deum in Paradisi gaudijs visurum. Ceterùm vos omnes Deo commendo. Orate pro me, & ite in pace.

Hæc erant optimi Simeonis verba, quibus & ipse *Nunc dimitti* à Deo rogabat; & *gloriam plebis suæ*, id est, posterorum Lætiensium salutem, tam ipsis Lucæ 2.
quàm ipsorum bono Deo ac Domino ex intimo corde commendabat. Cumque ita viscera pietatis & misericordiæ ad solandum filios, ob mortem suauissimi Parentis, quem animam agere viderent, mœstissimos, effudisset; illi, ipso volente, ad preces pro felici eius decessu fundendas digressi sunt. Hinc optatissimam sibi nactus Blosius solitu dinem, quâ se ad benè beateque ex hac vitâ migrandum compararet, solus cum solo Deo, ad quem toto corde anhelabat, magnâ animi voluptate agere cœpit, & propinquis Paradisi deliciis veluti præludere. Tandemque post plurimos agones, ardens æstuansque cælestis patriæ desideriis, cùm omnibus Ecclesiæ Sacramentis ritè iam esset communitus, vir per omnia religione & vitæ sanctimoniâ singularis, plenus bonorum operum, plenus humilis & magnanimæ in Deum fiduciæ, plenus multorum meritorum, exactis in religiosâ disciplinâ annis ferè XLV. in Prælaturâ ampliùs triginta quinque, ex hoc exilio in diuinos amplexus (vt sperare iubet constans sanctitatis opinio) euolauit die septimâ Ianuarij, annos natus LIX. maximo summis æquè ac infimis sui relicto desiderio. Fuit ea sanè luctuosa Lætiensibus filiis dies, quâ Parente optimo orbati dulcissimum spiritus solatium & fortissimum robur amisere. Viuit tamen & viuet apud Posteros suauissima memoria sanctissimæ restaurationis, quam BLOSIVS plantauit & rigauit: quæ, Deo incrementum dante, ita ipso viuente excreuit vt vidimus, & nunc apud Posteros *Statutorum* Patris sui obseruantissimos ante oculos omnium viret per nonaginta & ampliùs annorum obseruationem. Fuit BLOSIVS, dum vixit, staturâ mediocri, facie oblongâ, vtcumque macilentâ, colore pallido subfusco, oculis grandiusculis, cælum ac Deum spirantibus, naso aliquantulùm aquilino, barbâ rariore, & canis aspersâ, toto vultu ad pietatem modestiamque composito.

Mortuo BLOSIO iustis funebribus parentatum est eâ pietatis pompâ, quæ virum natalibus clarum, sed virtutum nobilitate clariorem, & iam publicam sanctitatis famam adeptum decebat. Officium, exequiarum die, peregit Reuerendissimus D. MARTINVS CVPERVS ex Abbate Crispiniensi Chalcedonensis Episcopus, & Cameracensis Suffraganeus, qui, vt viuum BLOSIVM semper amantissimè coluit, ita lubentissimè supremum mortuo honorem impendit.

Pignus sacrarum BLOSIANI corporis exuuiarum humi depositum, tunc fuit, ad Chori Lætiensis ingressum, ante portam quam vocant *Auream*, sub exiguo marmoreo laterculo, hac breuissimâ Epigraphe ac formâ:

1565.
LOYS
DE BLOIS
ABBE
34.

Sed

Sed ne quis erret, dum legit annum millesimum quingentesimum sexagesimum quintum, aduertere debet, istic anni numerum ex stili veteris supputatione positum esse: nondum enim nouus ille erat in Belgium introductus: stilo autem veteri (qui annum à festo Paschatis inchoabat) Ianuarius mensis, cuius septimo die BLOSIVS ex hac vitâ decessit, ad annum M.D.LXV. pertinebat.

Sepulchro BLOSII R.D. PETRVS PHILICINVS Binchiensis Decanus Epitaphia, quæ sequuntur, adscripsit.

Siste gradum, quisquis transis hac, siste viator;
Atque lege, quod legisse non parum iuuet.
Cui nec nostra tulit, prisci nec temporis ætas,
Futura similem nec videbunt sæcula;
BLOSIVS *hac Præsul sub mutâ clauditur vrnâ,*
Vir vnus omni superior præconio.
Nam nemo illius doctam memoret pietatem,
Piamque doctrinam, omne vincentem iubar;
Quæ nec nunc cessat totum fulgere per orbem,
Et porrò ad vltimum vsque fulgebit diem.
Abbatum decus, & Mystarum fulua corona
Viuens fuit, flos & choragus virginum;
Labe carens omni, speculum, rarusque lapillus,
Idea Religionis, in quâ splenduit;
Prolixus studiosorum patronus & altor,
Pronusque, tantum-non profusus pauperum.
Perfugium miseris, portus, solamen, & idem
Est factus omnia omnibus cum Apostolo.
Quid, quòd vulgatis etiam libris docet omnes,
Atque monumentis vel cedro dignissimis?
Proin Charites illum meritò sacræque Camœnæ
Deflent, & Orbis pars triplex mœsta ingemit.
Sed valeant lacrymæ, & planctus lamenta facessant,
Modus querelis adhibeatur tristibus:
Orandum potiùs, cineri requiem vt Dominus det,
Et remigret in cælum, vnde venit spiritus;
Vsque Deo laudes æternas vt moduletur
Inter choros lætus beatos Cælitum.

ALIVD.

BLOSIVS, *heu! cecidit, tumbaque reconditur istâ,*
BLOSIVS, *augustus Religionis honos.*

Humili illo, quem diximus, loco venerandum BLOSII corpus, ad hunc annum M.DC.XXXI. quieuit. Tum verò Lætienses eius filij medio Choro elegans ei è marmore sepulchrum erexêre, quò ab Illustrissimo D. FRANCISCO VANDER BVRCH Archiepiscopo Cameracensi è priori tumulo ossa illius translata sunt decimaquintâ Iunij, quæ tunc erat Dominica sanctissimæ Trinitatis. Sepulchro hæc Epigraphe Capitalibus litteris inscripta legitur:

D.O.M.

D. O. M.

R. D. LVDOVICO BLOSIO
HVIVS MONASTERII ABBATI XXXIV.
NOBILI BLESENSIVM SANGVINE
RELIGIOSA VITA
ASCETICIS LIBRIS
MONASTICÆ DISCIPLINÆ RESTAVRATIONE
DOMI FORISQ.
CLARISSIMO
CVM ANNIS A MORTE LXV.
SVB VICINO SEPVLCRI SVI LAPILLO
IACVISSET
ANTONIVS ABBAS XXXVII.
MONACHIQ. LÆTIENSES
DVLCISSIMO PATRI SVO
TRANSLATIS HVC
VENERANDIS EIVS OSSIBVS
AC
HONORIFICENTIVS RECONDITIS
PIÆ GRATITVDINIS
ET
VENERATIONIS
ERGO
ÆVITERNÆ POSTERORVM MEMORIÆ
HOC MONIMENTVM
ANNO SALVTIS M. DC. XXXI.
POSVERVNT.
REXIT ANNIS XXXV.
VIXIT LIX.

Eminet nouum hoc ſepulchrum duobus à terrâ pedibus: hæcque ad quatuor latera quatuor ex albo marmore ſcutulis inciſa oſtentat, ex Eccleſiaſtico ſumpta BLOSII elogia:

IMPLETVS EST
Eccli. 47. QVASI FLVMEN
SAPIENTIA.

IN VITA
SVA SVFFVLSIT Eccli. 50.
DOMVM.

DE OMNI CORDE
Eccli. 47. SVO LAVDAVIT
DOMINVM.

HABEBIT LAVDEM
ET INTER BENEDICTOS Eccli. 24.
BENEDICETVR.

Hoc erectum BLOSII honori ad poſteritatem propagando monumentum. Etſi nullum ille ſui illuſtrius relinquere monumentum potuit, quàm piiſſimè elucubratas Commentationes, optimamque reſtitutam Cœnobio diſciplinam. Cuius conſeruandæ zelum, veluti ampliſſimam hereditatem, duobus diſcipulis ſuis, qui ſucceſſiuè id Monaſterium adminiſtrarunt, viſus eſt reliquiſſe. Prior fuit QVIRINVS DOVILLET Athenſis, qui eodem quo BLOSIVS mortuus eſt anno gubernacula ſuſcepit, XXVIII. Octobris, ſolemni ritu S. MARTINI feſto inauguratus, ac deinde XXVI. Aprilis, anno CHRISTI M. D. LXXVIII. ætatis ſuæ LV. è viuis exceſſit, magno ſui relicto deſiderio. Vir erat namque manſuetus ac comis erga omnes; ſed qui columbinos mores inſigni prudentiâ temperaret.

Excepit hunc NICOLAVS LE FRANCQ montibus Hannoniæ natus, & ipſe è BLOSII inſtitutione ac diſciplinâ; ad gerendum feliciter munus anno M. D. LXXVIII. S. ANDREAE Feriis conſecratus. Meritò huius quoque vita ad Dei gloriam & poſterorum exemplum tradi litteris poſſet, ſi Lætienſium id ſineret modeſtia; ita eximiis Religioſæ mortificationis ceterarumque virtutum exemplis eluxit. Migrauit è vitâ XXII. Iunij M. DC. X. annos natus duos & ſeptuaginta.

Hos ſecutus, qui etiamnum ei Monaſterio præeſt, R. D. ANTONIVS DE WINGHE; Louanij natus anno M. D. LXII. XVII. Iulij, M. D. XCI. vltimo Aprilis Lætiis Monaſticen profeſſus. Præfecturam capeſſiuit II. Septemb. menſe tertio à morte deceſſoris, eodem anno M. DC. X.

EPILO-

EPILOGVS VITÆ R. D. LVDOVICI BLOSII.

HAEC habui, Reuerendi in CHRISTO Patres ac Domini, pauca de multis LVDOVICI BLOSII virtutibus, quæ compendio & veluti delibando perſcriberem. In paucis illis, quaſi TIMANTES in Picturæ tabellis, multò plura, quàm ſcripſi, BLOSII geſtorum æquè ac Scriptorum amatoribus colligenda atque intelligenda reliqui. Pauca illa, vt æqui bonique conſulatis, vos rogo; vt verò iiſdem ad animarum veſtrarum æternum bonum vtamini ac fruamini, Deum Optimum Maximum ſupplex oro. Plura ſanè, de BLOSII Vitâ ac virtutibus ex ſingulari meo erga tam illuſtrem Ordinis noſtri virum amore, ſcribi à me debuiſſent; niſi partim iniuria temporum, partim maiorum incuria, partim, & vel maximè, LAETIENSIVM modeſtia prohibuiſſet. Nihilominùs hac meâ etiam tam breui ſcriptione id me aſſecuturum ſperaui, vt, qui hæc ipſa pauca de tanti viri moribus & conuerſatione cognouerint, plura indies ac maiora ex piorum BLOSII OPERVM de nouo illuſtratorum lectione, frugum iuſtitiæ ſuæ incrementa percipiant: ac Religioſa inprimis LAETIENSIVM Congregatio, BLOSIANAE pietatis heres; cui meum hunc qualemcumque Vitæ ſcribendæ laborem, gratum ſimul & vtilem eſſe percupio. VALETE, & pro me orate; ac Deum, in BLOSIO ſuo, laudate.

ELOGIA VIRORVM ILLVSTRIVM ET DOCTRINA CLARORVM DE VITA ET SCRIPTIS LVDOVICI BLOSII

PAVCA è multis selegimus; ne, si nulla ponamus, Parentem nostrum hoc publico Virorum illustrium testimonio fraudemus; aut si nimis multa congeramus, nobilissima eius scripta hac velut hederâ indiguisse videantur.

CAROLVS V. IMPERATOR

Quantus BLOSII amator & admirator fuerit, tum ea testantur, quæ suprà pluribus in Vitâ narrata sunt, tum quæ præter IOANNEM DE CASTAÑIZA, AVBERTVM MIRAEVM, ANTONIVM POSSEVINVM, & alios, refert ROMANVS HAY Benedictinus in Epistolâ dedicatoriâ Operum BLOSIANORVM à se editorum: vbi cùm attulisset exemplum ALEXANDRI MAGNI, qui solitus erat Iliadem HOMERI militiæ viaticum nominare, vnaque cum pugione sub puluino iacentem seruare, hæc addit: *Longè meliori consilio* ALEXANDRVM *non subsecutus est, sed antecelluit* CAROLVS. *Hic enim* BLOSII *nostri lucubrationes assiduè in sinu suo, optimo sanè loculamento, veluti scutum bonæ voluntatis, sibique gratissimum viaticum gestauit; atque in solitudinem ad D.* IVSTVM, *abdicato Imperio, sponte se abducens, perpetuò lectitauit. Est quippe in* BLOSIO *nostro, Thesaurus ille absconditus in agro, quem assiduè reuoluendo prudentissimus Imperator inueniens, & præ gaudio illius vadens, vendidit vniuersa quæ habuit, & emit agrum illum; ditior inde factus, quàm ex omnibus Regnorum suorum aurifodinis. Hunc dilexit super aurum & topazium: huius dicta legit dulciora super mel & fauum: maluitque carere vniuerso orbe, quàm vnico* BLOSIO, *quem sibi senectutis suæ instructorem optimum, ducem fidelissimum transitus periculosissimi, & bonæ voluntatis veracissimum Concionatorem delegerat.*

PHILIPPVS II. HISPANIARVM REX CATHOLICVS

Paternæ CAROLI V. coronæ & pietatis heres, traditum sibi à Patre Opusculorum BLOSIANORVM affectum totâ vitâ seruauit, & in dulcissimis BLOSII verbis, quæ in *Cimeliarchio* sunt, Confessario præeunte emori voluit, iterans suauissimè dulcissimam illam BLOSII precatiunculam; *Eheu! dulcis* IESV, & quæ sequuntur; vti testatur CERVERA TVRRIANVS lib. 2. de Obitu Regis Catholici PHILIPPI II. cap. XI.

Lucu-

Luculentiùs etiam DIDACVS DE YEPES Episcopus Tarraconensis, in historicâ suâ relatione de morte eiusdem PHILIPPI Regis (cui à sacris Confessionibus erat) expressit, quanti Rex ille Catholicus BLOSIANA scripta fecerit. *Datus*, inquit, *ei fuerat biduò ante libellus deuoti Abbatis* LVDOVICI BLOSII, *recèns in Hispanicum translatus, quem (vti accepi) Serenissima Infanta D.* ISABELLA *filia eius Christianissima, ægrotanti lectitabat nonnumquam. Hunc libellum tanto affectu complexus est, vt me sibi iusserit loca quædam, quæ in eo annotaram, accommodata personis in pari periculo constitutis, prælegere: cumque extremis illis diebus precationes quasdam legerem, quibus sanctus ille Abbas, Passionis* CHRISTI *Saluatoris nostri, sua omnia tormenta æterno Patri in satisfactionem omnium criminum offerentis, meminit, præcepit lentiùs & tractim proferrem; quòd cuperet, inquiebat, audita repetere, & singula à me lecta pronuntiatione subsequi: quod & præstitit, donec eum repetendi & pronuntiandi facultas defecit. Quadam autem die plus solito vexatus morbo, & ore prorsus arido ac sicco, cœpit benè longam Fidei protestationem siue professionem repetere; quam idem* BLOSIVS *in similibus vitæ angustijs positis præscripsit.* Et quia in eodem Tractatu articulus reperitur inscriptus, Tabula spiritualis, *tantum internæ dulcedinis sensum ad ea verba*, Pater, non mea voluntas, sed tua fiat, *percepit; vt ea (audeo dicere) plus millies repetierit, continuis conformationis suæ cum diuinâ voluntate actibus insistens; quibus adeò firmari sibi cor sensit, vt ad eum apicem pertingeret, quo mortem (suapte naturâ formidabilem) summis votis appeteret.* De hac ipsâ re vide eiusdem DIDACI DE YEPES paullò inferiùs Elogium.

Tertius eiusdem rei testis accedat GREGORIVS ALFARVS Abbas Monasterij de Obona Ordinis S. BENEDICTI, interpres Hispanus Operum BLOSII, qui eorumdem spiritum ac diuini amoris flammam in Prologo commendans, ita scribit: *Clarissimum huius rei experimentum videbit anima, quæ terrenis affectibus purgata huius libri orationibus vsa fuerit: erunt enim illi viuæ flammæ, quibus diuini amoris igne succendatur. Videre hoc inprimis fuit in Potentissimo Hispaniarum Rege* PHILIPPO II. *gloriosæ memoriæ, qui totius morbi tempore, imò donec extremum Deo spiritum redderet, non alium sibi librum prælegi voluit; existimans hoc vno abundè sibi prospectum esse de ijs omnibus, quæ ad quamcumque occasionem ipsamque vltimam mortis necessitatem opportuna esse possent: vti mihi retulit eius filius & regnorum heres* PHILIPPVS III. *qui librum hunc parenti prælegebat; quod & fecit Serenissima Infans* ISABELLA *huius soror.*

Eadem denique quartus testis affirmat BALTHASAR POREÑO S. Theologiæ Licentiatus, & Episcopatus Conchensis Visitator Generalis, libro quem inscripsit *Dicta & facta* PHILIPPI II. *Hispaniarum & Indiarum Regis*, &c. Qui hoc etiam ampliùs addit: *Inter cetera documenta quæ Serenissimæ Infanti* ISABELLAE CLARAE EVGENIAE *filiæ suæ reliquit, illud inprimis commendauit, vt sapientissimos ac deuotissimos* BLOSII *libros quotidie lectitaret.*

ISABELLA CLARA EVGENIA
SERENISSIMA HISPANIARVM INFANS,

Concessis Monasterio Lætiensi sacris SS. ELISABETHAE & LYDVVINAE Reliquiis, addito Diplomate signato Bruxellæ XIX. Nouembris anno M.DC.XXVI. inter ceteras hanc suæ donationis causam cum insigni BLOSII nostri commendatione coniunctam assignat: *Permota*, ait, *singulari affectu, quo ferimur erga dictum Monasterium propter bonam disciplinam, &, quæ ibidem viget, regularem obseruantiam, secundùm Statuta pij ac venerabilis Domini* LVDOVI-

CI BLOSII *quondam Abbatis dicti Monasterij Lætiensis, qui in minori ætate ephebus honorarius fuit aui nostri gloriosissimæ memoriæ Imperatoris* CAROLI V. *&* *cuius Opera spiritualia tam chara atque accepta fuerunt defuncto Regi* PHILIPPO II. *gloriosissimo Domino ac Parenti nostro, cuius animæ Deus benè faxit, vt me subinde paginas hinc aliquot ad spiritualem suam consolationem legere iuberet.*

ROBERTVS CROYVS EPISC. CAMERACENSIS

Familiaribus dicere solebat, sese, quoties BLOSIVM visitationis gratiâ adibat, vel ab eo visebatur, quadam sanctitate afflari, & velut à sacro Spiritus sancti habitaculo sanctam aliquam & nouam deuotionem percipere.

MAXIMILIANVS A BERGIS ARCHIEPISCOPVS ET DVX CAMERACENSIS.

Exstant in Monasterio Lætiensi viri huius Illustrissimi litteræ, statim à morte BLOSII ad dictum Conuentum pro deligendo Successore datæ, ex quibus hæc delibare visum est: *Negare non possumus, dilectissimi, propter affectum singularem, quo amplectebamur pietatem Domini & Prælati quondam vestri, quin nuntium de illius transitu allatum nos mirum in modum contristauerit: imò, quia in eius dilectione nemini cedebamus, fatemur quòd caro & sanguis etiam in nobis officium suum exegerint luctus & lacrymarum, quantum in vllo alio.* Deinde ad Lætienses BLOSII filios se conuertens, dicit mortis illius iacturam tolerabiliorem fore, *cùm ille non satis sibi fore existimauerit, se vobis, dum viueret, tam pium, dulcem, benignum, sapientem & prudentem Patrem exhibuisse; nisi etiam pro vestro amore quodammodò morti ipsi superuiueret, & de vobis curam gereret, postquam ipsum Deus ex hoc mundo euocasset.* Denique, post multa ad laudes BLOSII & de Successore eligendo allata, concludit obsecrando per memoriam BLOSII: *Vt nunc cognoscant omnes ex pietate vestrâ, quòd reuerà sub disciplinâ & obseruantiâ sancti Prælati vestri in Cœnobio vestro profeceritis. Ex Castro Cameracesij,* X. *Ianuarij,* M. D. LXVI.

Idem Illustrissimus Archiepiscopus ad IACOBVM FROIVM Operum BLOSIANORVM editorem sic scribit VIII. Iulij, anno M. D. LXVI. *Quam in verè pijs pijssimi Patris* LVDOVICI BLOSII *lucubrationibus impendisti operam, Doctissime* FROI, *vehementer equidem commendo. Quòd verò sub nomine meo potiùs, quàm quouis alio, euulgandas eas putaueris, vel hac vnâ ratione summas tibi debeo gratias: quòd non dubitem omnes verè pios viros haud obscurè hinc intellecturos, me consummatissimum illud veræ pietatis exemplar, non solùm quoad vixit, sed & postquam è viuis sublatum est, in summâ & habuisse, & habere, & habiturum semper esse veneratione.*

DIDACVS DE YEPES EPISC. TARRACONENSIS

In Epistolâ ad P. LEANDRVM DE GRANADA MANRICIVM, quæ præfixa est Insinuationibus S. GERTRVDIS, *Cùm,* inquit, *à Confessionibus essem Regi Catholico* PHILIPPO II. *incidi in opus* LVDOVICI BLOSII, *quod numquam videram: quod tantoperè mihi satisfecit, vt totum euoluerim plus vice simplici. Cumque de eo mihi sermo incidisset cum* D. ALFONSO COLOMA *nunc Episcopo Carthaginensi, indicauit mihi librum illum Hispanicè versum Hispali sub prælo sudare. Rogaui itaque illum, vt quaterniones mihi à prælo recentes submitteret. Et fortè per id tempus sua Maiestas in morbum illum incidit, quo inter viuos esse desijt. Cùm itaque multa in hoc libro mihi viderentur esse accommodatissima præsenti Regis necessitati; idemtidem illa prælegebam, tanto eius gustu, vt eadem me absente sibi à Serenissimâ Infantâ* D. ISABELLA *prælegi curaret. Quem autem fructum inde hauserit, & ego noui, & in cælo iam innotuerit.*

FRAN-

FRANCISCVS DE SALES EPISCOPVS GEBENNENSIS

Libro 1. Epistolarum Epist. 18. de Institutione BLOSII ita loquitur: *Institutionem* BLOSII *curaui ad mensam legi, & gustum ex eâ lectione percepi incredibilem. Obsecro te, lege eam, & gusta. Digna est enim quæ legatur.* Et parte 1. cap. 17. Introduct. ad vitam deuotam, inter alios bonos & pios libros quos præscribit quotidie legendos, recenset etiam libros LVDOVICI BLOSII: quos similiter commendat Io. PET. CAMVS Episcopus Bellicensis in paruâ Bibliothecâ deuotionis; siue cap. 15. lib. 3. Introductionis ad deuotionem ciuilem: addens, eos esse valdè pios, ac testari sanctitatem Auctoris.

ANTONIVS DE YEPES ABBAS REGALIS MONASTERII S. BENEDICTI VALLISOLETANI S. THEOL. MAGISTER,

Tomo 1. Chronicorum eiusdem Ordinis ad annum CHRISTI DC.XLVIII. mentionem faciens Prioratus Fisciacensis (quem per errorem vocat *Frizcias*) dependentis à Lætiensi Abbatiâ, his verbis concludit: *Cui* Abbatiæ *præfuit Abbas magnus ille nostri sæculi vir* LVDOVICVS BLOSIVS, *vsque adeò scriptis Asceticis notus ac celebris.*

LEANDER DE GRANADA MANRIQVE ABBAS S. BENEDICTI HISPALENSIS VRBIS, S. THEOL. DOCT. AC PROFESSOR

In Præfatione ad librum Insinuationum S. GERTRVDIS, enumerans varios illarum approbatores, ita scribit: *Inter alias personas graues & magnæ auctoritatis est noster Pater* LVDOVICVS BLOSIVS *in multis locis Monilis spiritualis, quod tanti ab omnibus æstimatur ob singularem deuotionem & fructum.*

GREGORIVS ALFARVS ABBAS MONASTERII DE OBONA ORDINIS S. BENEDICTI CONGREG. HISPAN.

Vertit Hispanicè Opera BLOSII ita feliciter, vt non alius inter Hispanos liber frequentiùs piorum manibus teratur. Is igitur in suo Prologo istud de BLOSII Operibus dat Elogium: *Multi doctrinâ & pietate insignes viri Tractatus ediderunt æternâ memoriâ dignos, quibus singulari quadam industriâ & efficaciâ instruatur is qui in Deum tendit, de medijs in illum finem maximè idoneis: sed quia amplum ac difficile est hoc argumentum; qui cum attentione illorum Opera perlustrârit, videbit plerosque de re totâ animum despondisse, partitoque in plures labore hos illam, alios aliam sibi Spartam adornandam suscepisse, ingenuè fatentes, opus esse humanis humeris maius tot simul tamque difficilia complecti. At* BLOSIVS *noster spiritu plus quàm humano, successu felicißimo totam hanc tractauit materiam, totam declarauit & explicuit tantâ dexteritate, claritate ac spiritu, vt nec delicatißimum palatum desiderare quidquam, nec inuidia, quantumcumque proterua, poßit allatrare. Docet enim defectus cognoscere, qui profectum impediunt, remediaque exhibet lectißima, quibus mortificentur ac purgentur. Ostendit cuiusmodi sint veræ solidæque virtutes, & ad eas consectandas iter complanat: illusiones & offendicula detegit, quæ in viâ diuini obsequij occurrunt, industriamque suppeditat, quâ ab ijsdem se quilibet expediat. In intellectu lucem, in voluntate viuam diuini amoris flammam accendit. Orandi & methodum docet, & materiam suppeditat; posita ab inimicis obstacula disturbat; & arma, quibus eorum vires propulsentur ac superentur, subministrat. Peccatori virtutis desiderium instillat: perfectionis iam cupidum tironem in viam introducit, proficientem per semitas deducit securas, perfectum instruit, quâ ratione securè conseruetur in culmine perfectio-*

fectionis. Exponit arcanas affectuum delicias, quibus Deus amicis suis blanditur, tenerosque amplexus, & lac illud suauissimum, quo sponsas suas lactat & inebriat. Eruit thesauros illos absconditos Theologiæ mysticæ, numquam satis comprehensos; ipsamque contemplationis celsitudinem tantâ facilitate & claritate exponit, vt quiuis illa capiat, quæ antè soli nouerant experti. Specula concinnat lucidissima, in quibus se contemplentur Religiosi: normam etiam ac formam perfectionis præscribit, quâ cuiusuis status ac conditionis homines vitam suam ac mores ad regulam diuinæ voluntatis conforment. Ei, qui in oratione aridus est & infecundus, quasi præmansos exhibet discursus: ei verò qui in aspirationes erumpere desiderat, tam ignita sufficit iacula, vt animam legentis penetrent: nec minùs ipsum Deum configant, si seriò & ex animo in illum eas eiaculemur. Lapsos erigit, confirmat pusillanimes, vi tantâ ac robore spiritus, vt nullum sit cor ita languidum, nulla tam desperatæ salutis anima, quæ non eius lectione in solidam spem fiduciamque respiret. Illuminat hæreticos, modò oculos aperire voluerint, oblatamque lucem intueri: Catholicorum verò oculos corroborat, vt non obfuscentur infelicium horum temporum erroribus: perito verò Lectori etiam arma porrigit, quibus hæreses confodiat. Veritatis cupido incredibili eam efficaciâ confirmat; & sacrarum litterarum studioso mille passim regulas assignat, quibus genuinum earum sensum assequatur. Ceterùm hæc omnia stylo præstat tam facili, tam simplici, tam eleganti, tam viuo & efficaci, vt persuadeat, conuincat, afficiat, & incendat animam legentis; vt verba eius totidem flammæ videantur, quæ tantâ exuberantiâ simul & intellectui lumen & affectui calorem affundant, vt & ille necessariò se conuictum agnoscat, & hic suauiter emolliatur, & amoris diuini delicijs perfundatur. Denique verè illud affirmare possumus, quòd quemadmodum gloriosus Patriarcha noster BENEDICTVS *(cuius Instituti Monachus fuit* BLOSIVS*) à D.* GREGORIO *filio suo & encomiaste asseritur omnium Sanctorum spiritu plenus, eiusq; Religio ceterarum virtutes omnes atq; eminentiam profiteri; ita liber hic eiusdem Instituti cultoris* BLOSII *thesauros omnes ac diuitias spirituales complecti videatur, propter quas reliqui eiusdem argumenti libri in pretio habentur.*

Idem in Epistolâ dedicatoriâ ad Archiepisc. Compostellanum, *Legi*, inquit, *Opera* LVDOVICI BLOSII *huius Instituti Monachi, viri magnæ sanctitatis & variæ eruditionis: & visa mihi sunt instar mensæ cuiusdam opiparæ cibis pretiosissimis refertæ, quibus perfruentur, nisi gustu fuerint spirituali destituti, quicumque Deo seruire vitamque spiritualem in se fouere desiderant. Eius enim lectio mirum in modum afficit, valdeq; vtilis est ac suauis; demum cuiuis hominum generi peropportuna, imò necessaria.*

BARTHOLOMÆVS CANALIS ABBAS COENOBII S. ANNÆ MADRITI ORDINIS S. BENEDICTI

Iussus ex mandato supremi Concilij Regij de Operibus BLOSII in primâ editione censuram dare, ita eam pronuntiat: *Sunt eruditione & spiritu plena, & in ijs homines docti inuenient graues materias eruditè tractatas: viri autem spirituales reperient, quæ ad salutis suæ procurationem faciunt: quia hîc in summam quamdam redacta sunt & ordine disposita, quæ à multis alijs Auctoribus sanctis in libris diuersis sunt tractata.*

IOANNES DE CASTAÑIZA S. THEOLOG. DOCTOR, *Congregationis Hispanicæ S.* BENEDICTI *Definitor*, & PHILIPPI II. *Regis Hispaniæ Concionator*,

In Tractatu de Vitâ BLOSII, quem Operibus BLOSIANIS Hispanicè versis præfixit, hæc sparsim habet: *Ordinis S.* BENEDICTI *Religiosus fuit noster* LVDOVICVS BLOSIVS, *quem doctus quidam ac spiritualis Auctor* DIVINVM BLOSIVM

SIVM *appellat. Vir iste sanctus, filius, heres, ac defensor Fidei, verbis suis ac scriptis multis animabus medicinam fecit: quæ verè medicamenta sunt & alexipharmaca, fauoque mellis dulciora; imò ab ipso Spiritu sancto, qui pectus eius incolebat, dictata.* Et infrà: *Vti erat eximiè sanctus, ita verba eius verè sunt verba vitæ.* Et rursus: *Potuit dicere cum Apostolo* PAVLO: CHRISTVS *est qui loquitur per os meum; eaque scribo & loquor, quæ mihi dictat* CHRISTVS. *Multi viri magni res spirituales tractarunt,* 2.Cor.13. *atqui ea omnia apud* BLOSIVM *nostrum inuenies. Multos superat, sublimes atque eximios Doctores exæquat in hoc genere sapientiæ: nec facile est iudicare, quinam Auctores ipsum hac in parte antecellant. Denique doctrina cælestis est quam* BLOSIVS *tradit.*

Idem CASTAÑIZA in Prologo ad Insinuationes S. GERTRVDIS à se editas, probans eiusdem virginis sanctitatem; *Post tam incorruptos,* inquit, *iudices extitere alij trecentorum annorum spatio, quibus semper viguit stetitq; immota sanctitas huius virginis, magnorum virorum testimonio confirmata: quales sunt,* LVDOVICVS BLOSIVS, *vir nostro sæculo eruditione atq; sanctitate incõparabilis. Hic tantus vir,* &c. Hæc CASTAÑIZA: cuius magna fuit opinio sanctitatis in Congregatione Hispanicâ, quò plus ponderis habere debet eius de BLOSIO nostro testimonium.

ROMANVS HAY MONACHVS OCHSENHVSANVS ORDINIS S. BENEDICTI IN SVEVIA,

In Præfatione ad Lectorem, quam præmittit editioni Operum BLOSII à se adornatæ, his verbis eam laudat: *Noueris Auctorem ista nequaquam solis scripsisse Monachis, sed & sæcularibus, imò coniugatis; & maximè peccatoribus pœnitentibus consolationem ac spem veniæ consequendæ ingerere voluisse. Quasi apis argumentosa, plenus est melle. Noli timere: sperare te iubet quod vix credas. Si bonæ voluntatis homo sis, non est quòd verearis infernum; cùm ibi nil ardeat nisi mala voluntas. Si malæ voluntatis es, lege hic, vt fias bona. Tolle, lege; tolle, lege; non te pœnitebit. Nemo* BLOSIVM *legit vnquam, qui se legisse noluerit.*

CONGREGATIO HISPANICA ORDINIS S. BENEDICTI,

Quæ & numerò Cœnobiorum & regulari obseruantiâ ac virtutum atque doctrinæ laude non exiguâ floret, BLOSII Opera in tanto pretio habet, vt perpetuo more ex definitionibus & ordinationibus Visitatorum decretum fuerit, ea ferè semper legi oportere in refectorio ad cœnam post lectionem Scripturæ, & ad Collationem regularem ante Completorium. Particulari verò statuto à Generali Capitulo præscriptum fuit, vt priuatim quilibet Monachus pro spirituali animæ pabulo teneatur BLOSIVM seruare in cellâ. Quem morem Anglicana Congregatio eiusdem Ordinis (sicut & reliquam obseruantiam) ab eâ accepit, & inuiolabiliter retinet: vt ex relatione D. LEANDRI A S. MARTINO S.Th. Doctoris eiusdem Congregationis Anglicanæ Præsidis accepimus.

LAVRENTIVS SVRIVS CARTHVSIANVS

Cùm è Carthusiâ Coloniensi Opera HENRICI SVSONIS à se Latinè reddita BLOSIO dedicaret, sic eum compellat: *Tibi, suspiciende Pater & Abbas Dignissime ac Eruditissime,* SVSONIS *nostri Opera ex animo dedico, vt tuo potissimum nomine exeant in manus piorum, qui totus es ipse pius, ac pietatis amantissimus. Nolo hic R.T. Encomiasten agere, quòd certus sim, laudibus te cruciari potiùs quàm delectari. Quicumque tua legerunt Scripta, ex illis possunt de tuâ erga Deum & proximum charitate, multâ prudentiâ, & haud vulgari eruditione coniecturam facere, vt ceteras animi tui præclaras dotes prætermittam.*

IOANNES HENTENIVS ORDINIS PRÆDICATORVM S. THEOL. DOCTOR LOVANIENSIS

Viuenti Blosio dedicans Methodum Deo inseruiendi Alfonsi Madriliensis à se ex Hispanico Latinè versam, ita eum alloquitur: *Quòd tuo nomine, Præsul cumprimis Reuerende, curauerim libellum hunc in lucem prodire, in causâ fuit, cùm vt animi erga te mei gratitudinem signo aliquo indicarem, (quando aliud plurimis in me collatis beneficijs non datur rependere) tum vel maximè quòd similibus pijs exercitijs non inuitus occuperis, dùm à publicis, tum à Cæsareâ quondam & nunc à Regiâ Maiestate commissis, tum in subditorum regimine incumbentibus negotijs respirare permitteris. Quod satis attestantur complures libelli à te in communem vtilitatem editi, qui maximo fructu cùm in his tum in alijs potissimùm regionibus plurimorum manibus rapiuntur ac teruntur, vt cùm sint sæpiùs excusi, vix tamen vlla prostent exemplaria. Quæ etiam satis clamant se ab exuberante animi tui pietate & velut eructante pectoris deuotione prodijsse.*

IOANNES VINCENTIVS S. THEOLOGIÆ DOCTOR SALMANTICENSIS EX ORDINE PRÆDICATORVM

Non minùs opinione sanctitatis quàm famâ eruditionis celebris, in secundâ Blosianorvm Operum editione Hispanicâ hoc Elogium censuræ loco posuit, asserens illa sibi videri esse singularis ingenij, excellentis eruditionis, magni spiritus ac deuotionis, quorumque lectione Dominus Deus multas animas reformat atque lucratur, & spiritum famulorum suorum refocillat. iustum proinde esse, vt multoties repetitis impressionibus publicentur, quando ex primâ editione tam ingens profectus fuerit secutus.

S. IGNATIVS LOYOLA SOCIETATIS IESV FVNDATOR

Blosivm nostrum semper coluit & amauit: vicissimque Ignatio viuo Blosivs litteris datis acceptisque familiariter vsus est: teste præter alios Avberto Miraeo in Elogiis Belgicis. Ipsius quoque Societatis Iesv moribus atque institutis receptum est & præscriptum, vt Magister Nouitiorum, qui tironibus lac spirituale dare debet, Blosii Opera legat, & legi ab aliis curet.

B. ALOYSIVS GONZAGA SOCIETATIS IESV

Moriturus, animam iamiam è corpore mortali & valle lacrymarum ad æternæ vitæ gaudia abituram Blosii piâ lectione recreabat, & paradisi cælestibus deliciis iam præludentem Blosiana *Psychagogiâ* hilariter in cælum erigebat. Vti refert Virgilivs Ceparivs in eius Vitâ lib.2.cap.32.

LEONARDVS LESSIVS SOCIETATIS IESV S. THEOLOGIÆ PROFESSOR

In dedicatione Operis sui de Perfectionibus Moribusque diuinis Abbatem & Monachos Lætienses sic cum Blosii laude affatur: *Hæc maximè consentanea sunt vestræ professioni, quæ potissimùm vitæ contemplatiuæ & cælesti conuersationi est consecrata: consentanea quoque excellenti illi institutioni, quæ vobis à viro verè sancto & præclaro Spiritus Magistro D.* Lvdovico Blosio *est relicta.*

CORNE-

CORNELIVS A LAPIDE SOC. IESV S. THEOL. PROFESSOR

Commentario in Aggæi cap.2.v.8.de BLOSIO & eius lucubrationibus hæc ait: *Scripsit D.* BLOSIVS *Abbas Laetiensis, vir magnæ pietatis ac Theodidactos, multa pia Opuscula, illis, qui in spiritu proficere cupiunt, valdè sapida & proficua.*

NICOLAVS ORLANDINVS SOCIETATIS IESV

Historiæ eiusdem Societatis lib.13. num.31. sic de BLOSIO: *Inter ceteros qui se Louanij ad Societatis orandi commentandique disciplinam salutariter exercuerunt, primas tulit* LVDOVICVS BLOSIVS *Abbas Laetiensis, vir suis scriptis ac monimentis nec minùs virtutum memoriâ nobilis.*

THOMAS A IESV CARMELITARVM EXCALCEATORVM PER GERMANIAM ET BELGIVM PROVINCIALIS

In Opere quod scripsit de Oratione diuinâ lib.4.cap.9. vbi catalogum texit Doctorum Mysticorum per sexdecim sæcula, ita de BLOSIO censet: BLOSIVS *Abbas Laetiensis, huius sæculi laudatissimus vir, qui inter alia Opera variâ eruditione & eximiâ pietate referta, speciatim de hac altißimâ Dei cum animâ coniunctione, præcipuè Cap.* XI. *Speculi spiritualis, latissimè pertractauit.*

TILMANNVS BREDENBACHIVS S. THEOL. DOCT. COLONIENSIS

In Dedicatione Fasciculi precationum ex Operibus BLOSII concinnatarum sic habet: *Magnum satis operæpretium me facturum existimaui, si has preces tantâ suauissimi spiritus dulcedine refertas, in vnum fasciculum concinnarem, quas mirifico applausu ab omnibus semper exceptas & vsurpatas compertißimum habebam. Erat enim R. Pater D.* BLOSIVS *spiritu penè Angelico*; & cetera, quæ superiùs in Vitâ cap.21. videre licet.

AVBERTVS MIRÆVS S. THEOLOG. LICENTIATVS ET ECCLESIÆ CATHEDRALIS ANTVERPIENSIS DECANVS

In Elogiis illustrium Belgij virorum BLOSII laudes pro meritis tanti viri fusè persequitur. Sed quoniam pleraque in eius Vitâ copiosiùs exponuntur, ea tantùm decerpemus quæ spiritum eius & scripta concernunt. *Religiosorum hominum*, inquit, *in cœtu* LVDOVICVS BLOSIVS *pius Abbas familiam ducat.* Et post pauca: *Vitam ex Varroniano præcepto legendo ac scribendo procudens,* BASILII MAGNI, CASSIANI, BERNARDI *aliorumque veterum, de Belgis verò* THOMAE A KEMPIS, IOANNIS RVSBROCHII, GERARDI ZVTPHANII, *& id genus piorum hominum exemplo scripsit Ascetica, quibus nihil ad homines à curâ mortalium rerum abducendos, atque ad cælestis patriæ amorem inflammandos, inueniri potest ardentius. Ex beati quoque* AVGVSTINI *in Psalmos Commentarijs Psychagogiam concinnauit. Atque his quidem pietatis mentisque in Deum exercitationibus* BLOSIVS *sic orbem impleuit; vt &* CAROLVS *Imperator eas in sinu, non secùs atque* ALEXANDER MAGNVS *in myrothecio* HOMERI *Iliadem, gestarit, atq; in solitudinem ad S.*IVSTVM *abdicato Imperio sponte se abducens, aßiduè lectitarit. Cuius vestigijs pientißimus insistens filius* PHILIPPVS II. *morti & ipse vicinus filiæ suæ* ISABELLAE CLARAE EVGENIAE *(Belgarum nunc Principi) familiares hosce libellos sibi auscultanti quotidie legendos præcepit.*

Ab Elogio MIRAEI Elogia sua BLOSIANA decerpserunt varij, qui doctorum virorum laudes pertexuerunt; ipsissimis etiam MIRAEI verbis allatis, &

ipso

ipſo plerumque citato: vt ANTONIVS POSSEVINVS in Apparatu ſacro, FRANCISCVS SVERTIVS in Athenis Belgicis, MAXIMILIANVS SANDAEVS in Theologiâ Myſticâ, ad finem Operis enumerans Doctores Myſticos, IEREMIAS DREXELIVS in Prodromo æternitatis cap. 3. §. 45.

Eiuſdem AVBERTI MIRAEI carmen imagini D. BLOSII inſcriptum prætetire nequiuimus:

Gallia BERNARDO, FRANCISCO *Roma triumphat:*
Bætica non vnum tollit in aſtra virum.
Relligionis opes magno non inuidet Orbi
Quas habet in BLOSIO *Lætia læta ſuo.*

GVILIELMVS GAZÆVS S. THEOL. LICENTIATVS

In Eccleſiaſticâ Belgarum Hiſtoriâ, quam Gallicè edidit, ita meminit BLOSII: *Abbatia Lætienſis produxit poſtremo ſæculo parentum noſtrorum ætate celeberrimum illum Abbatem* LVDOVICVM BLOSIVM, *qui ſuo tempore tantoperè illuſtrauit ac nobilitauit Ordinem S.*BENEDICTI.

VALERIVS ANDREAS DESSELIVS I. V. DOCTOR ET S. LINGVÆ PROFESSOR LOVANII

In Bibliothecâ ſuâ Belgicâ hæc de BLOSIO ſcribit: *Fuit* BLOSIVS *comis & ſuauis in moribus, benignus & manſuetus in correptionibus; in lectione, ſcriptione, ac rerum ſacrarum meditatione aſſiduus; virtutum omnium narthecium, noſtri decus & miraculum ſæculi. Multa ſcripſit Aſcetica & pia Opuſcula: quorum lectione* CAROLVM V. *Cæſarem*, PHILIPPVM II. *Regem Catholicũ, ſummoperè delectatos accepimus.*

ANDREAS DV CHESNE, GEOGRAPHVS REGIS CHRISTIANISSIMI

Euulgauit hiſtoriam antiquiſſimæ familiæ CASTELLIONENSIS*, cuius membrum eſt BLOSIANA. In illius Operis frontiſpicio, Abbatiali habitu conſpicuum ponit BLOSIVM, tamquam clarum eiuſdem familiæ ſidus, & ſuo loco plurima de eius vitâ, ſcriptis & virtutibus, commemorat; hæcque inter alia: *Si laudi fuit pio & docto Abbati* LVDOVICO BLOSIO, *traxiſſe originem è ſtirpe* CASTELLIONENSI*; certè non minus gloriæ & commendationis ſuperaddiderunt raræ ipſius virtutes, cùm meruerit primas obtinere inter Religioſos ſui ſæculi doctrinâ & ſanctitate celebres.*

AVCTORES denique omnium propè Ordinum, qui vel in Aſceticâ doctrinâ, vel in Myſticâ Theologiâ poſt LVDOVICVM BLOSIVM ſcribendo claruerunt, (quorum multi ad margines huius Editionis paſſim toto Opere citantur) plerumque dum BLOSIVM allegant, eius nomen & doctrinam, honoris gratiâ, cum Elogij epitheto producunt:

Appellant BLOSIVM [a] *doctiſſimum & pientiſſimum Abbatem:* [b] *multâ pietate & eruditione celebrem:* [c] *peritiſſimum rerum ſpiritualium Magiſtrum:* [d] *virum ſanctitatis eximiæ, & doctrinæ raræ:* [e] *Religioſiſſimum iuxtà & piiſſimum Abbatem:* [f] *grauiſſimum atque non minùs eruditione quàm ſpiritualium rerum experientiâ ſummum virum:* [g] *religioſum & ſapientem:* [h] *virum vitæ innocentiſſimæ:* [i] *admodum ſpiritualem:* [k] *pium Auctorem:* [l] *virum doctum & ſan-*

[a] Tilmannus Bredenbachius in dedicatoriâ Inſinuat. diuinæ pietat. [b] Ioannes Molanus Natal. Sanctorum Belgij 27 Sep. [c] Alfonſus Rodericus in Exercit. perfect. part. 1. tract. 5 c. 5. [d] Arnoldus Wion Ligni vitæ lib. 2. c. 71. [e] Franciſcus Arias Præfat. in Tract. de Roſario. [f] Idem eodem tract. docum. 1. §. 3. [g] Idem de Mortificat. part. 1. cap. 4. [h] Aubertus Miræus in fine Elogij Bloſiani. [i] Petrus Morales in caput primum Matthæi lib. 3. tract. 1. num. 15. [k] Ioannes Baptiſta Lezana de diſciplina Monaſt. cap. 6. [l] Cornelius à Lapide ad

ſanctum: [m] *egregiè pium æquè ac doctum:* [n] *piiſſimum virum:* [o] *Magiſtrum ſpiritualem eximium:* [p] *deuotiſſimum Abbatem:* [q] *nouum Eliam:* [r] *magnum Abbatem:* [s] *virum maximæ pietatis & eruditionis:* [t] *periſſimum cultus B. MARIAE:* [u] *Abbatem deuotiſſimum & optimè verſatum in vitâ ſpirituali:* [x] *magnæ auctoritatis & fidei inter ſpirituales:* [y] *virum ſanè piiſſimum:* [z] *Abbatem in rebus ſpiritualibus nulli hoc ſæculo noſtro ſecundum:* [aa] *magnum virum & de Eccleſiâ totâ optimè meritum:* [bb] *clariſſimum Belgij noſtri lumen: cuius ſcripta ipſa Pietas elucubraſſe videtur.*

1. Petri 2. v. 24. [m] Idem in Thren. Ieremiæ c. 3. v. 39. [n] Thomas à Ieſu de Orat. diuinâ lib. 2. c. 21. [o] Iulius Nigronius tract. de Lectione librorum ſpirit. §. 34. [p] Ioannes Michaël in Enchiridio ca. 16. [q] Carolus Senbanius in Dedicat. Medici Religioſi. [r] Antonius Balinghem Colloquio 5 cum Patre ſpirit. [s] Carolus Hertſentius in Apparatu Theolog. Myſticæ Dion. Areopag. [t] Antonius Sucquet Viæ vitæ lib. 3. c. 23. [u] Alexius de Salo Viæ paradiſ. c. 15. de reſiſtentiâ, &c. [x] Idem eod. lib. c. 31. [y] Iacobus Aluar. de Paz To. 3. l. 1. part. 2. c. 8. [z] Ioannes de Caſtañiza in Vitâ S. Gertrudis ante Inſinuat. diuin pietat. [aa] Adrianus Mangot. in Dedicat. Monitor. Marianorum. [bb] Ioan. Bourghelius in Dedicat. myſter Vitæ ac Paſſ. Chriſti.

Singula perſequi infinitum ſit. Itaque hîc Elogiis modum ponimus: ita tamen vt agmen claudat

IACOBVS FROIVS ABBAS HASNONIENSIS BLOSII DISCIPVLVS:

Cuius Epiſtolam dedicatoriam ad Illuſtriſſimum D. MAXIMILIANVM A BERGIS Archiepiſcopum & Ducem Cameracenſem totam hîc ponendam duximus; tum quia luculentum BLOSII Elogium continet, tum etiam vt poſteritati conſtet, quàm ſedulam operam FROIVS in Magiſtri ſui amantiſſimi Operibus omnibus iunctim euulgandis laudabiliter nauarit; tum denique, vt Operum omnium communis Patris noſtri BLOSII ſit veluti PROOEMIVM.

NON ſcitè minùs quàm prudenter à Platone dictum eſt, Præſul Ampliſſime, idemque Princeps Illuſtriſſime, * Δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν. *Nam ſic ferè naturâ comparatum eſt, vt eximiâ pulchritudine & elegantiâ quæ ſunt prædita, eò impenſiùs placeant, quò ſæpiùs repetuntur: contrà, quæ vulgaria tantùm ſunt, aut intra mediocritatem conſiſtunt, quamquam primùm contemplanti ipſâ nouitate ſatis arrident, tamen paulatim perdunt gratiam, moxque repetita ſordeſcunt. Id quod ſi vſquam alibi, certè in alienis ſcriptis legendis, haud ſecùs atque in tabulis ſpectandis vſu venire ſolet. Sicut enim tabula ab inſigni artifice elaborata, eò magis intuentium oculos paſcit ac retinet, quò propiùs & fixiùs inſpicitur: ita librum, à viro tum pietate tum eruditione præſtanti elucubratum, hoc magis magiſque iuuat relegere, quò ſæpiùs ac penſiculatiùs euoluas. Id verò, cùm alia multa, tum vnius* LVDOVICI BLOSII, *viri in omni diſciplinarum genere exercitatiſſimi, abundè teſtantur varia Opuſcula vbique gentium dilaudata: quæ licet iam toties fuerint typis expreſſa & diuulgata, tanto tamen ſtudio à ſpiritualis vitæ candidatis comparantur, vt ſubinde noui comperiantur, quorum votis non ſit factum ſatis. Quo factum, vt Ioannes Bogardus, apud Louanios Typographus cumprimis celebris, operæpretium ſe facturum exiſtimarit, ſi omnia in vnum velut corpus redacta denuò ſub prælum reuocaret. Proinde ingenti prudentiâ & multo rerum vſu edoctus, cùm permagni referre intelligat, vt quàm fieri poſſit caſtigatiſſima in manus hominum exeant, non mediocri ſtudio à me contendit, vt hac in re meam ipſi operam accommodarem. Quod equidem haud grauatim facturum me recepi, homini præſertim tam amico, in re tam honeſtâ, & ad rectioris vitæ inſtitutionem perutili, ac tantum-non neceſſariâ. Idque eò feci libentiùs, quòd huc quoque alij complures non infimæ notæ amici, ac viri graues, me inuitarent.*

* Bis & ter quod pulchrum.

In primis ergo libros ad vnum omnes quantâ maximâ potui diligentiâ, à capite (quod aiunt) ad calcem legi ac relegi, mendas, quæ librariorum ſeu potiùs operarum incuriâ irrepſerant, eraſi, deprauata reſtitui, apices verbaque ſingula euentilaui, * γνώμας & *rerum*

* Sententias.

rerum capita vt plurimùm, quin & Scripturæ loca paßim in marginem ſubieci. Sed & initio ſingulorum capitum, ſeparatim cuiuſque loci ſententiam paucis comprehenſam præfixi; prӕterquam in libellis Precum, pauciſque alijs, in quibus ea cura ſuperuacanea videbatur. Ceterùm non alium mihi ordinem ſequendum exiſtimaui, quàm vt eo quemque loco librum collocarem, quo ab ipſo Auctore & ſcriptum & editum noueram; niſi quòd Monachum D. CHRYSOSTOMI, *ab ipſo admodum iuuene Latinum factum (cui propterea primus non immeritò debebatur locus)* Collyrio *ſubiectum reliqui, quòd ſic anteà fuiſſet excuſus. Alioqui* Speculo Monachorum, *quod* DACRYANI *titulo hactenus circumfertur, commodè ſatis præponi poterat. Cui quidem* Speculo *viſum eſt vltimum locum aſſignare, ob eam potiſſimùm cauſam, quòd illud pro legitimo fetu non agnoſceret noſter* BLOSIVS, *vt qui eius non ſolus, etſi præcipuus, eſſet Parens.*

Jam verò, quia nihil minùs cogitabat, cùm ſua ſcriberet, quàm vt olim omnia in vnum veluti corpus compingerentur, factum eſt, vt non rarò in poſterioribus ſcriptis repeteret, quæ in prioribus digeſta habebantur, hoc vnum ſpectans, vt alienam magis ſalutem promoueret, quàm ſuo honori conſuleret; idque ſtudiosè agens, vt qui fortè in vnum aliquem libellorum incidiſſet, ne quid eorum deſideraret, quæ ad ſuum inſtitutum facere viderentur. Jtaque in hac editione ſatiùs eſſe duximus cum delectu expungere quæcumque ad eum modum fuſiùs repetebantur, ne tædium Lectori adferrent eadem itemtidem iterata.

Porrò illud neminem mouere debet, quòd ſingulis penè libris attexuerit Preces atque * δοξολογίας, *è* CHRISTI *doctrinâ, Vitâ, ac morte ferè petitas. Intelligebat enim vir inſigniter pius, nec minùs prudens, non ita magna ad rectè viuendum momenta eſſe poſita in nudâ lectione, niſi eadem ardentibus & ab imo pectore profectis precibus fulciatur: quando* neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. *Qui quidem votis aßiduis eſt implorandus, pulſandus, fatigandus, vt ſuam nos voluntatem non tam agnoſcere quàm etiam perficere doceat. Veriſſimè namque ſcribit* PROSPER *ille Aquitanicus, gratiæ aſſertorum ſecundùm* B. AVGVSTINVM *facilè princeps,* Agnitionem Dei non doctrinæ humanæ opere, ſed magiſterio ſummi Conditoris acquiri. *Rectè itaque idem* AVGVSTINVS: Domine, da quod iubes, & iube quod vis.

* Diuinas laudes.

1. Cor. 3.

Lib. 10. Confeſſ. c. 29.

Jam de orationis ſtylo aut charactere, nihil ad præſens dicturus eram, niſi ſæpiùs reipsâ comperiſſem, etiam lectiſſimæ Veneri ſuos numquam deeſſe Momos, qui vel in ſandalio quærunt quod maledico dente carpant. Certè ſi totius eloquentiæ Romanæ parens Cicero, æquabile & temperatum orationis genus in Philoſopho probandum cenſet, potiùs quàm elegantem, lautum, diuitem, ſplendidumque dictionis apparatum: quis odioſam illam nimiſque exquiſitam munditiem à Doctore Chriſtiano requirat? Dictionis inaffectata & incompoſita ſimplicitas, decora mihi videtur (inquit diuinus ille BASILIVS) *& conueniens profeßioni Chriſtiani hominis, cuius eſt non ad oſtentationem magis ſcribere quàm ad publicam vtilitatem. Tametſi huius phraſis ſatis eſt vbique Latina, terſa, amœna, liquidoque fluens ſimilis amni, ita ſanè vt vbique ſincera pietas cum eloquendi virtutibus paria faciat. Quòd ſi vera eſt illa apud Platonem tantoperè commendata Alcibiadis ſententia, quâ veritatis vim & energiam tantam eſſe affirmabat, vt rudi ſimplicique Socratis oratione vehementiùs multò permoueretur ipſe, quàm Periclis concionibus (penè dixerim tonitruis) longè diſertiſſimis: quantò magis rapi ſe ſentiet atque transformari in virum alterum, quiſquis hunc Auctorem, nil niſi diuina ſpirantem, animo defæcato, candido, & attento legerit? Præſertim cùm Diuus* PAVLVS *diſertè pronuntiet, viuum eſſe Dei ſermonem & efficacem, qui ipſas etiam animæ medullas quouis gladio vehementiùs penetret. Quod quidem ego frequenter cùm alijs pleriſque vſu veniſſe audiui (vt de me interim ſileam) tum maximè Germano cuidam*

Baſilius Epiſt. 67.

Hebr. 4.

nobili,

nobili, docto iuxtà ac pio, qui sanctè asseuerare solet, se forte fortunâ (imò credo, non fortè, sed fortunatè potiùs, volente Deo) in Canonem vitæ spiritualis *incidisse, & protinus sensisse afflatum Numinis, sicque mentem aliam induisse, vt non modò à vitijs, quibus assueuerat, resiliret, verùm etiam incisâ mox negotiorum sæcularium catenâ, toto pectore arctiorem salutis viam capesseret. Quid? An non idem quoque profitetur egregius ille Saudricourtanus Toparcha, Gallus, vir in quo cum litteris & natalium imaginibus, morum etiam integritas ex æquo certabat? (diem enim suum obijt.) Qui præfatus in eumdem Canonem suâ operâ Gallicè loquentem, miris nostrum* BLOSIVM *laudibus effert, numquam alioqui vel de facie notum, diuino eum potiùs quàm humano ingenio præditum, & cælo demissum ab alto deprædicans, ac porrò hortans Lectorem, vt libellum nocturnâ diurnâque manu verset; futurum tandem, vt sit sensurus incredibilem metamorphosim, atque (vt iuxta Psalmographum dicam) mutationem dexteræ Excelsi. Sed & alius quidam Germanus, & ipse non postremi subsellij Scriptor, optat* BLOSII *libellos orbi tam esse notos, quàm sunt ad vitæ perfectionem credentibus vtiles. Quòd si pergam alios persequi,*

Icariæ numerum dicere coner aquæ,

vt cum Poëtâ dicam. Quò minùs me pigere debet, in ijs relegendis, ac tum natiuo germanoque restituendis nitori, tum aliquâ diligentiâ illustrandis, horas aliquot succisiuas impendisse.

Hunc autem tam eximium cælestis doctrinæ thesaurum tui faustissimi nominis auspicio in lucem prodire volui, Præsul ornatissime, tum vt hoc veluti symbolo mei erga Illustrissimam Celsitudinem tuam animi gratitudinem testarer (cui vni citra exceptionem mea debeo omnia) tum quòd ita maximè congruere videatur, vt qui inter Archimandritas singulari & eruditione & vitæ sanctimoniâ celebres primas tenuit, in eius potißimùm tutelâ ac præsidio lateat, qui inter laudatos Antistites nulli sit secundus. Semper enim (vt habet vetus parœmia) * ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, καὶ τὸν ὅμοιον ἄγει Θεὸς πρὸς τὸν ὅμοιον. *Nec dubito quin hoc nomine plurimùm sibi quoque gratulaturus sit noster* BLOSIVS: *siquidem, vt spero, ille nostrum aspiciet ex alto conatum, qui dum vixit, summâ semper obseruantiâ te coluit, quem & tu vicissim toto animo complecti solebas. Cuius tui non vulgaris amoris indices fuerunt piæ illæ lacrymæ, quas defuncti morte nuntiatâ tenere vix, imò ne vix quidem potuisti. Nimirum prudenter intelligens, quid damni quantumque detrimenti accipiat Respublica Christiana (hoc præsertim infelici sæculo) quoties extinguuntur tam præclara lumina, quæ & sanctissimæ vitæ exemplo alijs prælucent, & salutari doctrinâ omnibus ex æquo prosunt, & auctoritate grauissimâ suos in officio continent. Veniebat tibi haud dubiè in mentem, quàm rarâ esset eruditione* BLOSIVS, *quàm exacto iudicio, quàm integris moribus, quàm in victu sobrius, quàm in cultu frugalis, quàm obuius & expositus etiam infimis, quàm alacer & humanus in excipiendis hospitibus, quàm benignus & liberalis cùm in egenos omnes, tum præcipuè in eos qui vel religionis vel eruditionis nomine commendabantur, quàm sibi perpetuò constans, & in medijs negotiorum vndis aduersitatumque procellis oleo tranquillior, vt dici solet, quàm dexter & felix in rebus agendis, quàm sagax & prouidus in dandis consilijs, quàm creber, ne dicam assiduus, in oratione, rerumque cælestium contemplatione, quàm indefessus in studio ac lectione sacrarum Scripturarum, quibus totum ferè tempus quod à sacrorum pensis vacuum erat, dare consueuerat. Et quod dictu quoque mirum sit, in tanto generis, rerum, honorum, scientiæ, virtutum denique fastigio, quàm nullum omnino supercilium, imò quàm ingenua morum mansuetudo, quàm columbina hominis simplicitas cum serpentinâ prudentiâ coniuncta relucebat! Quibus dotibus nullius non beneuolentiam sibi adiunxerat, summamque existimationem longè lateque pepererat: adeò vt piæ memoriæ* CAROLVS V. *Cæsar, vt si quis vmquam alius, omnibus or-*

* *Simile simili amicum, & similem ducit Deus ad similem.*

VENERABILIS PATRIS

D. LVDOVICI BLOSII

ABBATIS LAETIENSIS

ORDINIS S. BENEDICTI

PARADISVS

ANIMÆ FIDELIS,

PARTIBVS IV. DISTINCTVS.

I. Canon vitæ ſpiritualis.

II. Cimeliarchion piarum Precularum.

III. Medulla Pſalmodiæ ſacræ.

IV. Officium Horarum de IESV & MARIA.

DVLCE ERIT ANIMÆ FIDELI
IN HOC SPIRITVALI VIRIDARIO
FREQVENTER EXSPATIARI,
RESIDERE, AC MEDITARI:
HIC ENIM ILLVM,
CVIVS AMORE IPSA FLAGRAT,
PROTINVS INVENIET,
VNIGENITVM DEI
IESVM CHRISTVM.

LVDOVICI BLOSII
PARADISI
ANIMÆ FIDELIS
PARS PRIMA
SIVE
CANON VITÆ
SPIRITVALIS.

REV^MO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO

D. FRANCISCO QVIGNONIO
TIT. S. CRVCIS CARDINALI
LVDOVICVS BLOSIVS
Humilis Abbas Monasterij Lætiensis

S. D.

EGO hisce diebus, incompto vulgarique stylo, Canonem vitæ spiritualis mihi conscripseram, PRÆSVL INTEGERRIME: mihi eum ex diuersis Patrum monumentis collegeram, vt semper haberem ad manum veluti breuem quamdam amussim, ad quam vitæ meæ rationem exigerem. Id quidquid est opellæ, offero dicoque tuæ humanitati, hoc leuidensæ munusculo tuam venerandam Sanctitatem saluto.

Sibi soli scripsit Blosius hoc Opusculum, ad vitæ suæ directionē.

Non est quòd verear ne offendaris impolitâ libelli dictione, maximè cùm sis studiosissimus atque amantissimus Sacrarum litterarum, quas non sermonis exterior ornatus, sed interior veritatis fructus commendat. Omnino futurum confido, vt hæc facilè admittas, quæ ineleganter quidem, non tamen inutiliter fortè scripta sunt. Sanè talem me esse profiteor, qui aliquid facundè dicere neque possem si vellem, neque vellem si possem. Pietati admodum amica est simplicitas, fitque nescio quo pacto, vt verba curiosiùs exculta cor plerumque non tam penetrent, quàm demulceant. Totum Opusculum nihil aliud est quàm farrago quædam piorum documentorum. Ego illud partitus sum in capita, vt Lector subinde interquiescat & respiret. Dominus noster IESVS CHRISTVS tuam R. P. felicem seruare dignetur. Datum Lætijs, Kalendis Maij, anno à Christo nato M. D. XXXIX.

sed stylo simplici.

qui in rebus pijs magis cor afficit, quàm curiosè excultus.

CANONIS VITÆ SPIRITVALIS

CAPVT I.

Peccatoris resipiscentis in Deum fiducia.

1. Cauendum à peccato: neque tamen de veniâ desperandum, quotiescumque peccaueris;

2. Tantummodò citò coneris à peccatis resurgere, & de illis ex animo dolere.

3. Dei enim bonitas & misericordia infinito interuallo excedit nostram malitiam & miseriam.

4. Et ipse Christus dignatur aduocatum agere illorum qui verè agunt pœnitentiam.

Leuit.25. 1.Pet.2. Prouerb.4. 1. *Numquam peccandum: nec, si peccaueris, de veniâ desperandum.*

DEVM TIME ET AMA. Omni diligentiâ custodi cor tuum: vbique cura vt illud purum habeas: semper sollicitus esto, ne peccando ipsum Dominum offendas. Verumtamen si peccaueris, de eius misericordiâ non diffidas. Quantumuis multa atque enormia fuerint peccata tua, numquam de veniâ desperaueris. Corruisti? surge, conuerte te ad medicum animæ tuæ; & viscera pietatis eius tibi patebunt. Iterùm corruisti? iterùm surge, geme, clama; & miseratio Redemptoris tui te suscipiet. Corruisti tertiò, & quartò, & sæpiùs? surge rursum, plange, suspira, humiliare; & Deus tuus non te deseret.

Psalm.50. 2. *modò coneris per Dei gratiam à peccatis resurgere, & de eis pœnitentiam agere.*

Numquam despexit, neque despiciet vmquam cor contritum: numquam reiecit, neque reijciet vmquam confugientes ad se per veram pœnitentiam. Si non desinis surgere, ille non desinet te excipere. Quare, etiamsi centies, etiamsi millies intra vnius horulæ spatium lapsus fueris, toties cum sanctâ veniæ spe resurge, quoties cadis; & resurgens gratias age ipsi Domino, quòd te vel grauiùs corruere, vel in ruinâ diutiùs iacere non permiserit. Etiamsi post innumera gratię beneficia accepta, Deum (quod absit) abnegaueris, & eius Sacramenta pedibus conculcaueris; agnosce humiliter culpam, detestare facinus, animo propone non ampliùs peccare, firmiter statue meliùs viuere; & de veniâ * securus esto.

* Securitate ortâ ex humili & verâ atque integrâ pœnitētiâ.

3. *Dei enim misericordia maior est nostrâ miseriâ.*

Neque enim tua malitia aut infirmitas tanta esse potest, vt misericordiam Dei superet, quæ modum & terminos non nouit. Deus est omnipotens: pari facilitate innumeras peccatorum myriades in momento remittit, sicut vnum peccatum. Est & benignissimus: omnino vult tibi parcere, vult esse propitius; si vis humiliari, si vis à peccatis abstinere, vitamque corrigere. Ergo non te conturbet delictorum præteritorum memoria; sed consolentur verba Apostoli dicentis: *Hæc* aliquando *quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.* Non potes bonitati illius nimis fidere, modò non abutaris eâ ad peccandi facilitatem. 1.Cor.6.

4. *Et Christus ipse aduocatus est verè pœnitentium.*

O si scires quàm paratus sit ipse Christus Dominus suâ innocentiâ Deum Patrem placare, eique reconciliare suos electos, qui ex humanâ fragilitate peccarunt, & statuunt deinceps peccata vitare! Noster aduocatus est, & loquitur pro nobis: vt malorum pœnitentes, facillimam semper obtineamus veniam. Sic enim Ioannes electus ille discipulus ait: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Igitur scelera tua non pusillanimem, sed humilem te efficiant: quandoquidem iam id quod malum est, odisti, & Deo placere desideras. 1.Ioan.2.

CAPVT II.

Quomodo, quando, à quibus cogitanda sit Dei bonitas & iustitia.

1. Pœnitentes reuoluant Dei indulgentiam: in peccatis perseuerantes, exactum iustitiæ rigorem.

2. Immensus & incomprehensibilis amor Dei erga verè pœnitentes:

3. Etiam eos qui fuère maximi peccatores, & qui vel sub ipsam mortis horam conuersi fuère ad pœnitentiam.

4. Fraudulentè diabolus ante peccatum Dei misericordiam exaggerat; post peccatum seueritatem inculcat.

5. Pœnitentia sera potest esse vera, semper tamen est periculosa.

Sap.1. 1. *Verè pœnitentes cogitent Dei clementiam.*

IVXTA Scripturæ admonitionem, senti de Domino in bonitate: non crudelem, non inexorabilem illum esse suspiceris; sed eum esse pium, clementem, dulcem, liberalem his qui ex corde resipiscunt, quique bonæ voluntatis sunt, crede. Cognoscit enim figmentum suum, contemplatur * imaginem suam; considerat fragilitatem nostram, errorem nostrum, cæcitatem nostram. Quòd autem terribilis esse, aut in furore impios arguere dicitur; non propter se, sed propter illos dicitur, qui sancto pudore abiecto, in vitiorum sordibus persistunt: quorum ipse peccata à suâ dulcedine atque puritate alienissima propulsat ac punit, tranquillus interim & suauis in se permanens. Tu igitur dum illum cogitas, omnem terroris aut amaritudinis conceptum exclude; & ipsum misericordissimo benignissimoque oculo intueri ea quæ creauit, persuasum

* Sicut non potest seipsum non amare; ita nec imaginem suam, quæ est homo, potest despicere, quamdiu homo imaginem eius sponte non deturpat.

suasum habe: qui etiam ita tibi intendit, ita tui curam iugiter habet, quasi tu solus in toto terrarum orbe viueres. Timeant Dei iustitiam ac furorem, qui ad Deum non conuertuntur, qui peccata peccatis cumulant, & dicunt, Quid feci? qui nolunt intelligere vt benè agant: hi enim ad iram eius spectant, quamdiu tales permanent. At peccatores qui in se reuersi surgunt, atque ad Patrem misericordiarum conuersi ex corde dicunt, *Pater, peccaui in cælum & coram te*, miserere mei: hi inquam peccatores confidant in Domino: nam ipse proculdubiò eos suscipiet, susceptosque iustificabit, & iustificatos in Regnum suum aliquando admittet.

In peccato perseuerantes, Dei seueritatem perpendant. Psal. 35.

Lucæ 15.

2. *Comprehendi nequit Dei benignitas erga peccatores conuersos:*

Comprehendi non potest, quantâ charitate, quàm paternis visceribus vbiquè nostram salutem ipse desideret ac procuret. Nulla vnquam mater tam tenerè dilexit filium vteri sui, quàm tenerè ille nos diligit. Fasciculus stupparum in ingentem ignem missus, non ita repentè incenditur, quàm repentè Deus peccatis nostris propter ineffabilem pietatem & misericordiam suam ignoscit, dum verè nos pœnitet vitæ malè actæ, dumque ad eum humiliter conuersi veniam petimus, integrâ voluntate statuentes meliùs deinceps viuere. Neque enim vult mortem peccatoris, sed magis vult vt conuertatur peccator & viuat. *Si confiteamur* (inquit Scriptura) *peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Quantò plura, quantò grauiora sunt ipsa peccata quæ condonat, & quantò indigniores miserabilioresque sumus nos quibus ignoscit; tantò gloria eius magis elucescit.

Ezech. 18.
1. Ioan. 1.

3. *etiamsi maximi peccatores fuerint; etsi parum ante mortem sese ad Deum cõuerterint.*

Et quis inenarrabilem bonitatem illius dignè admirari, quis pro eâ dignè gratias agere queat? Nam cùm nemo ad salutem perueniat, qui non vel tantillum charitatis habeat, vt ex amore Dei saltem in extremo vitæ positus pœnitentiam agat, auferaturque peccata: ecce ipse misericordissimus, hominumque amantissimus Deus, sæpè se vsque adeò benignum & amabilem etiam desperatissimis peccatoribus (*quos alicuius virtutis merito insignitos esse cognoscit) sub mortem exhibet, vt illi ex intimis præcordijs doleãt quòd offenderint tam pium conditorem atque Redemptorem. Per quam nimirum pœnitentiam apti redduntur ad salutem consequendam, & peractâ tali peccatorum purgatione, qualem diuina iustitia requisierit, in æternum cælestis regni gaudium introducuntur. Profectò in altissimo secretissimoque profundo latet fons ille inexhaustus, vnde tanta pietas ad nos dimanat, vnde tanta misericordia super nos effunditur: de quâ qui desperat, Deum bonum & veracem esse negat, in Spiritum sanctum blasphemus est.

* Quamuis enim illa virtus non propriè dicatur meritum; piè tamen credi potest, potius erga eos, quam alios, Deum vti hac misericordiâ, ex quadam cõgruitate, fundatâ in bonitate Dei.

4. *Ante peccatũ, Deum pingit diabolus benignũ; post peccatum, implacabilem.*

Diabolus hoc malignitatis dolo ferè vti consueuit, vt ei qui peccare statuit, ipsum Dominum clementissimum & misericordissimum esse polliceatur: vbi verò peccato admisso pœnitentiam agere voluerit, iam illum implacabilem nimiumque seuerum esse, modis omnibus suadeat. Sed audiendus non est callidus impostor. Quare bono esto animo, & nihil te à sanctâ spe deijciat, quantumcumque etiam peccaueris.

5. *Periculosè differtur pœnitentia ad finem vitæ: quãuis etiam tunc possit esse vera.*

Verumtamen vide ne te ipsum fallas, & veniam indubitatam tibi promittens, in malis perseueres, resipiscereque differas: nam multi hac persuasione decepti pereunt. Tibi quidem promittitur peccatorum remissio, si etiam in extremo vitæ articulo positus, verè, id est, ex amore Dei magis quàm metu supplicij, pœnitentiam egeris: non tamen tibi promittitur futurum, vt tunc verè pœnitentiam agas. Sanè huiusmodi pœnitentia, quæ vsque ad vitæ extremum differtur, dubia admodum est, periculosa est, non semper vera est. Vt igitur morte præsente securus hinc emigres, pœnitentiam age, corrige vitam interim dum sanus es, & adhuc peccare potes. Nam si tunc demum peccare desinis, quando ampliùs peccare non potes, non tu peccata deseris, sed peccata te deserunt.

CAPVT III.

Quàm facile sit animæ fideli peccata delere, præsertim venialia.

1. *In omni occasione semper ad Deum accedendum cum fiduciâ.*
2. *Variæ rationes delendi peccata venialia.*
3. *Discrimen peccati ex affectatâ negligentiâ, ex ignorantiâ, ex fragilitate.*
4. *Multorum lapsus à Deo permittuntur, vt experientiâ suæ fragilitatis humiliores reddantur & cautiores.*
5. *Leuia peccata fructuosiùs delentur amorosâ agnitione, quàm scrupulosâ indignatione.*

1. *In quocũque animi morbo ad cælestem medicum festina.*

SI grauiter ægrotas, si superbiæ, vanæ gloriæ, iracundiæ, inuidentiæ, gulæ, auaritiæ, vel cuiuslibet alterius vitij morbo periculosiùs laboras, non propterea spem salutis abieceris; sed accede cum fiduciâ ad cælestem Medicum, accede ad Iesum, roga vt manum adhibere dignetur. Misericordissimus est, pijssimus est: non refugit, non à se repellit infirmos, non eorum consortium abhorret, sed vltra quàm dici possit eorum commiserescit. Omnino paratus est te sanare, modò morbum aperias, modò sanitatem

ex animo desideres, modò te humilies, & in eo confidas.

2. *Multis modis deleri possunt peccata venialia.*

Non fueris etiam nimiùm pusillanimis propter quotidiana peccata quæ * inuitus committis. Nam quemadmodum singulis diebus in multis saltem leuiter offendimus; ita quotidianas expiationes habemus in promptu, quibus huiuscemodi peccata deleantur. Est sancta confessio, est gemitus, est fletus, est sacra lectio seu verbum Dei, est eleëmosyna, est hospitalitas, est Oratio quâ Domino dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* sunt aliæ precationes, aliaque pietatis, misericordiæ, & charitatis opera. Ergo culpam tuam agnosce, plange, suspira, renoua propositum: placide ad hoc labora, vt ipsas offensas euites; reliquum Deo committens teque in eum proijciens. Ipse enim inscrutabili sapientiæ suæ consilio sæpè huiusmodi negligentiarum næuos nobis inhærere permittit, vt semper humiliemur, & de nobis penitus diffisi, in eo speremus: vtque vitijs ipsis viriliter resistentes, vtiliter exerceamur, & tandem gloriosè coronemur.

* Hoc est, non ex malignâ volūtate, sed ex fragilitate naturæ, & surreptione.

Math 6.

3. *Minùs offendit qui ex fragilitate peccat,* *quàm qui ex affectatâ negligentiâ.*

Aliud est, labi in leuia peccata ex occasione aut humanâ fragilitate dumtaxat: & aliud, labi ex affectatâ negligentiâ. Nam qui ex infirmitate solâ delinquit, dum liber apud semetipsum est, odit vitia, eorumque vitat occasiones: quando tamen sese offerunt ipsæ occasiones, facilè aut linguæ incontinentiâ, aut sensuum nimiâ libertate, aut passione affectioneque indignâ, aut consimili aliquâ transgressione offendit; sed mox vt ad se redierit, dolet, & penitus auersatur vel minimam peccatorum labem, ob idque veniam repentè consequitur. Ille verò qui ex affectatâ negligentiâ peccat, dum malorum occasionibus è medio sublatis liber apud semetipsum esse potest, miris modis concupiscit easdem occasiones, illisque plurimùm afficitur, non sanè propter peccatum, sed propter oblectationem. Labitur quidem & ipse ex fragilitate fortassis, sed non ex merâ fragilitate: qui tamen, si statim post culpam admissam innouato proposito verè pœnitētiam ageret, ipse quoque celerrimè obtineret delicti remissionem.

4. *Multos labi sinit Deus, vt humiliētur, & cautiores reddantur.*

Multos etiam grauiter corruere sinit Deus, vt proprio casu eruditi, meliores reddantur. Nemo tamen post ruinam melior resurgit, quàm futurus erat si & non cecidisset, & omnia illa eadem bona, quæ post lapsum facit, non labendo faceret.

5. *Amor citiùs delet peccata, quàm anxietas.*

Scito autem, quia ipsa leuiora peccata efficaciùs in te delebuntur, si culpam agnoscens, humiliter & amanter te ad Deum conuerteris, quàm si ea morosiùs apud temetipsum pertractare, & in eorum consideratione diutiùs cum pusillanimitate occupari volueris. Siue grauia siue leuia sint, constanter permane in sanctâ erga Deum fiduciâ, proijciens illa in abyssum misericordiarum eius, vt ibi penitus absumantur & depereant. *Nihil* enim *damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu: qui non secundùm carnem ambulant:* quin potiùs *iustificati in Sanguine ipsius, salui* erunt *ab irâ per ipsum.* Rom. 8. Rom. 5.

CAPVT IV.

Quæ optima contritio, quæ optima satisfactio.

1. Vera contritio non requirit sensibiles lacrymas, sed intellectualem dolorem: qui est detestatio offensæ propter Deum.

2. Bene operandum, non ex fiduciâ nostri; sed ex meritorum & gratiæ Christi participatione:

3. Nam in illis fundatur omnino spes, & iustificatio, & sanctitas nostra.

4. Optima satisfactio habet diffidentiam nostri, fiduciam Christi, & operationem boni.

NON conturberis quòd pro ipsis delictis tuis non possis fortè offerre Deo sensibilem cordis contritionem. Nam si dolor in ratione & voluntate est, si verè tibi displicet quòd benignissimū Deum tuum offenderis, si doles quòd non magis doleas, si statuis deinceps meliùs viuere; istiusmodi contritio Domino gratissima est, licet cor aridum permaneat. Posset mens etiam in momento sic odisse peccatum, vt mox, adeptâ perfectâ veniâ, cælis digna efficeretur. Si desunt exteriores lacrymæ, non desint interiores: sine illis potes peccata tua plangere, ac placere Deo, sine his non potes. Non autem cares interioribus lacrymis, quando ex animo tibi displicet Dei offensio; quando mente prorsus auersaris vitia, quando Deum magno affectu quæris, & ad eum suspiras.

1. *Vera cōtritio est, quæ habet intellectualem dolorē, etiā sine sensibili, aut externis lacrymis.*

Quidquid bonorum operum potes perficere, diligenter perfice: non tamen eo animo, quasi tu ex te pro peccatis tuis dignè Deo satisfacere valeas; sed omnia perage, vt illi placeas quem offendisti. Dominum Iesum precare, vt ipse suâ innocentissimâ Passione tuas iniquitates delere, & pro eis coram Patre suo satisfacere dignetur. Salutem tuam constitue in adoptione filiorum, quam per Incarnationem & pretiosi Sanguinis effusionem mortemque illius consecuti sumus.

2. *Pœnitens nō ex se sed ex meritis Christi bona opera facit.*

Ecclef. 9. Rom. 8. Galat. 4. Ephes. 1.

Sanè non negamus neque reijcimus operum merita, quod modò faciunt hæretici: sed dicimus, spem omnem præcipuè in meritis Iesu Christi esse reponendam. Nos pusillanimes & deiectos hęc verba beati Pauli

3. *In Christi enim meritis fundatur spes & iustificatio nostra.*

1. Tim. 1. Apostoli releuare debent: *Fidelis*, inquit, *sermo, & omni acceptione dignus: quòd* Dominus *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Tit. 2. & 3. *Secundùm suam misericordiam saluos nos fecit: vt iustificati gratiâ ipsius, heredes simus secundùm spem vitæ æternæ.* Prorsus fidelis sermo. Ipse cùm Deus esset, etiam homo propter nos fieri voluit: propter nos natus, passus & mortuus est: propter nos resurrexit, propter nos adscendit in cęlum. In eo iam resurreximus: in eo misera hæc caro iam resuscitata, & à corruptione liberata est: in eo iam conscendimus in cælum, & hereditatem Regni obtinemus. Quò enim caput præcessit, sequetur & reliquum corporis. Planè sermo omni acceptione dignus, suauiter penetrans ipsas medullas interioris hominis.

4. *Humilis fiducia in Christo iuncta bonis operibus, est satisfactio præstantissima.*

Nostra humilitas, quâ indignitatem propriam agnoscimus, & quâ imperfecta vilia que esse iudicamus ea quæ rectè facimus, nostra item erga Deum pia fiducia quâ in eo speramus, merita vitæ ac passionis eius extollentes, præcellit omnes satisfactionis nostræ labores. Necesse tamen est, vt semper faciamus quod commodè facere possumus; & recta quæ agimus, non nobis, sed illi adscribamus, sine quo nihil facere possumus. Ioan. 15. Ipse Dominus bonum dat; & quod donauit, coronare vult.

CAPVT V.

Remedia pusillanimitatis in peccatore conuerso.

1. *Quidquid præter voluntatem in varijs tentationibus à diabolo obijcitur, vel ex corruptâ naturâ exoritur, peccatum esse non potest, quamdiu abest consensus.*
2. *Quid agendum dicendúmve in tentationibus contra fidem, castitatem, & similibus.*
3. *Quid in vanâ gloriâ, quid in diffidentiâ, quid in perscrutatione Trinitatis, Prædestinationis, aliorumque Dei arcanorum.*
4. *Quid in nocturnis illusionibus.*

1. *Quæ quis inuitus patitur, nec peccata sunt, nec profectum spiritualem minuunt.*
* *non præbens illis occasionē culpabilem, cùm præter volūtatem talia occurrant.*

SI te persequitur diabolus, si suis sordibus spiritum tuum affligit, si ea quæ aliquando volens admisisti, iam * inuitus tolerare cogeris, id te non perturbet. Quidquid pręter voluntatem tuam sustines, non te perdet, neque Deum tibi reddet offensum. Oportet enim peccatum esse voluntarium: quòd si voluntarium non est, etiam peccatum non est. Resiste, renitere, voluntatem tuam à consensu serua liberam; & sine deinceps diabolum atq; carnē furere. Quamuis in inferioribus ferinisque animæ viribus nonnumquam vel oblectatio vitiosa ex prosperis, vel tristitia inordinata ex aduersis oriatur; quamuis inanis gloriæ, iræ, vel cuiuslibet alterius vitij impetum in te sentias; quamuis ad obediendum minùs paratum te inuenias: id nihil profectui spirituali obest, nihil vitæ integritatem minuit, modò in superiori mentis ratione quietus imperturbatusque perseueres, & voluntate Deo adhæreas, nusquam consentiens absurdis affectionum passionumque motibus.

2. *Tētationes circa fidem & castitatē, vincuntur eas spernendo, & ad Deum se conuertēdo.*

Ea quæ ad fidem spectant, certiora esse credito his quæ oculis cernuntur. Quòd si nolens veluti vacillare nutareque cœperis, confuge ad Deum, & humiliter exclama: *Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam.* Matt. 9. Ipsum satanam impia vel fœda suggerentem contemne: oppone salutiferum Dominicæ Crucis signum; & cogitationem tuam à pestilenti suggestione auertēs, pium aliquid apud te pertracta. Indignum existima illum, cui obgannienti respondeas. Quòd si vacat & libet aliquid dicere, dicito istud, aut simile quidpiam; Obmutesce os impudens: abi scelesta cum tuâ impietate tuaque spurcitiâ: ego te non audio: nihil mihi tecum, ô infelix. Deo quoque dicito: Domine, adiuua me: ego enim malim millies mortem subire, quàm iniquitati consentire: malim hîc non viuere, quàm te offenso, tuaque gratiâ perditâ, malè viuere.

3. *Vana gloria superatur agnitione defectuū nostrorum: diffidentia in Deum, cogitatione diuinæ pietatis: curiositas de arcanis Dei, resignatione in eius iustissimam voluntatem.*

Si ad vanam gloriam allicit animum serpens astutus, recole peccatorum tuorum multitudinem atque enormitatem. Si diffidentiam suadet, veniat tibi in mentem abyssus misericordiarum Dei, & singularis ipsius erga te amor ac pietas. Si inepta aliqua insusurrauerit de prædestinatione, aut de alijs sanctæ Trinitatis consilijs atque iudicijs quæ à nobis perquiri non debent: tu, spretis & consputis canis impuri latratibus, conuerte te ad Deum, & eius dispensationi ac pietati omnia committe; prorsus persuasum habens, illum tuæ salutis esse desideratissimum. In laqueum periculosum se inijciunt, qui ipsa Dei iudicia temerè perscrutari audent. Certum est, ea quæ facit, quæ ordinat, quæ permittit Dominus, esse iusta: hoc tu crede, hîc siste, nihil vltrà perquirens.

4. *Pollutio eueniens inuito, non est peccatum.*

Si dormiens miseram illam colluuiem, aut alioqui aliquid minùs honestum passus fueris, ne collabaris animo: neque enim tibi imputabitur, modò euigilans & rationis compos factus, illud quod sordidum est abomineris. Tibi, inquam, non imputabitur, quantumuis per impuritatem vitę prioris, occasionem eorum quæ nunc pateris videaris dedisse. Iam enim præteritorum

peccatorum sarcinam per salutiferam confessionem deposuisti: iam te pœnituit anteactæ conuersationis, & eam corrigere studes. Igitur nihil istiusmodi te à stabilitate sanctæ fiduciæ præcipitet.

CAPVT VI.

Quâ arte & vigilantiâ tentationibus obuiandum sit.

1. Hominem mille nocendi artibus oppugnat diabolus, Deo permittente.

2. Initijs tentationum, quantumuis lenibus, est sollicitè occurrendum: quia hostis techna sunt dolosæ, & concatenatæ ita, vt prima semel admissa, ferè necessariò secundam secum trahat.

3. Ceterùm etsi initia fortè neglexeris, resiste sequentibus quàm primùm aduerteris, tibi ipsi quidem diffidens, gratiæ autem Dei innitens & cooperans.

4. Victus à tentatione, neminem incusa nisi teipsum, qui tuâ sponte consenseris, cùm potueris non consensisse.

5. Citò etiam resurge à peccato: nam quò diutiùs in illo perstas, eò difficilius erit tibi ab illo te expedire.

1. *Varijs technis nos impugnat dæmon, præsertim exordio vitæ melioris.*

NON quiescet versutus ille insidiator, sed omnia tentabit, vt te vincere ac perdere possit. Maximè in initijs, vel post initia melioris vitæ, erit molestior: nempe quando adhuc atrociùs in te desæuient passiones & affectiones vitiosæ. Aliquando interiùs, aliquando exteriùs bellum suscitabit: aliquando prosperis, aliquando aduersis insidiabitur: aliquando per ineptam lætitiam, aliquando per intempestiuam tristitiam parabit laqueos: aliquando nimiâ securitate, aliquando nimiâ deiectione molietur exitium. Aliquando recedet ad tempus, cessabitque, vt paulò pòst te incautum grauiùs feriat. Aliquando clàm, & veluti sub prætextu pietatis sensim irrepens, dolos struet: aliquando palàm ex insperato irrumpens, vulnus infligere tentabit. Aliquando repulsus iterùm atque iterùm insiliet, assidueque imminebit; vt quem neque dolo neque vi subuertere potest, vincat vel improbitate. Aliquando vsque adeò perplexus eris animo, & menti tuæ tanta caligo se offundet, vt nescias quid agere, quídve de re præsenti sentire debeas: vnde fiet, vt raptus in diuersa, miserabiliter apud temetipsum fluctues. Aliquando spiritus, cor, sensusque tui ita constringentur, deprimentur, & dissipabuntur, vt neque os ad laudem Dei aperire tibi libeat, neque inter precandum attentus esse possis. Aliquando sic vndique affligêris contunderisque calamitatibus, vt veluti Dei auxilio iam destitutus, & vmbrâ horroreque mortis circumseptus,
2.Cor.1. dicas cum Apostolo Paulo: *Supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.* Denique aliquando non vna tantùm ex prædictis tentationibus, sed plures, vel etiam omnes simul te corripient, si permiserit Deus: nam nisi hic permittat, non tentaberis; quòd si permiserit, omnino in grandem tuam vtilitatem permittet.

Tu verò aduersus ipsas tentationes vigila; & velut in speculâ quadam positus, diligenter circumspice quâ hostis irruat vel obrêpat. Sæpè res admodum friuola, sæpè rursum res eximiè sancta est, quæ grandem tumultum periculosamque tentationem intus excitat, dum minùs vigilamus. Adeò etiam ea quæ in se mala non sunt, nobis suspecta esse debent. Semper quidem, sed potissimùm in initijs tentationum, solers circumspectio necessaria est. Nam hunc ferè ordinem seruare solet ipse hostis, vt principiò simplicem rei concupitæ cogitationem animis nostris immittat; deinde, vbi nobis placere conspexerit id quod ingerit, iam ipsam cogitationem vehementem implexamque efficiat, mentem veluti vinculis quibusdam innectens, & eam vndique constringens. Si non resistimus quando adhuc liberi sumus; posteà, vbi ille nos intus colligauerit, ægriùs resistemus. 2.

Propterea initijs occurrẽdum, ne prima tentatio admissa, trahat secundam grauiorem.

Verumtamen etiamsi initiò negligenter egerimus, nec sic quidem aduersario nos dedere, sed modis omnibus reclamare & reniti, vinculaque fortiter excutere debemus. Igitur principijs quantum potes obsiste; non in tuo conatu, non in tuâ industriâ, sed in Dei misericordiâ confisus. *Nisi* enim ille *custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.* Nisi iugiter te continuerit, non stabis: si manum subtraxerit, protinus corrues. Vt autem adsit per gratiam, vide ne tibi desis per socordiam. Voluntatis arbitrium (quod in te liberum est) gratiæ ipsius adiunge, simulque cum eâ labora. 3.

Si tamen initiò neglexeris; vbi aduerteris, per Dei gratiam resiste.

Psal.126.

Quòd si contigerit te tentatione victum corruere, culpam ne reieceris in Deum, neque in diabolum, neque in fatum aliquod: nam fata illa, fatorúmve necessitates, quas vel Ethnici vel impij Christiani confingunt, pij Christiani prorsus negant & exsecrantur. Sicut dicebam, si tentatione victus corrueris & peccaueris, ne incuses Deum, qui auctor iniquitatis non est; sed te accusa, qui diabolo consensisti: (neque enim aliquis te cogere poterat vt ei consentires, si consentire noluisses:) te inquam accusa, & mox resurge. 4.

Tibi soli imputa, si victus fueris; quoniã potuisti non vinci.

Nam quemadmodum somenta & emplastra, vulneribus maturè adhibita, carnem recèns dissectam facilè redintegrant; seriùs verò adhibita, corruptam difficulter restituunt: ita tu, si post peccatum admissum statim pœnitentiam egeris ac resipueris, 5.

Celeriter à peccato resurge; ne post morã difficiliùs sanaueris.

ris, pristinam gratiam absque magno labore recipies; si verò diu in ruinâ iacueris, non iam facilè te eriges, vtpote ipso peccati pondere ipsaque peccandi consuetudine interiorem tuum hominem deprimente, vimque faciente. Ne ergo diabolus te superet, ad Deum semper confugito, eum inuoca, sub alas protectionis eius te recipe: geme, & suspira coram eo. Hæc enim faciens, non vincêris; aut si aliquando prostratus fueris, resurgens non peribis. Si te non comprehendunt grauiores tentationes, agnosce misericordiam pij Patris erga te, & gratus esto. Cogita, ob id illum tibi parcere, ipsasque tentationes submouere, ne tu infirmior, eis succumbas.

CAPVT VII.

Pugnandum cum vitijs per imitationem humilitatis & aliarum virtutum Christi.

1. Bellum perpetuũ diabolo & vitijs indicendum.

2. Vitandi diligenter motus superbiæ & iræ. Quod optimè fit, intuendo humilitatem & mansuetudinem Christi.

3. Eius enim imitatio, est summa Philosophia Christiana.

4. Vera humilitas infra omnes creaturas sese demittit, ex agnitione sui, propter amorem Dei.

1. *Semper præliãdum contra vitia.*

NVLLAM pacem, nullas inducias cum diabolo & vitijs admittas: sed aduersus ipsum diabolum infatigabili inuictoque animo pugnato, & vitia pertinaci odio iugiter persequere. Quamuis enim, durante huius peregrinationis exilio, non possis sic effugere culpas & vitiorum illecebras, quin sæpius labaris implicerisque; debes tamen ipsas offensas, siue graues siue leues sint, & semper odisse, & prudenter vitare. Igitur quidquid Deo displicet, vbique detestare.

2. *Motus superbiæ & iræ statim reprimendi,*

Superbiam & cenodoxiæ pestem abominare. Turbulentos iræ impatientiæque motus, & acres indignationis stimulos, sedulò reprime. Vtinam verò non solùm reprimere, sed & (Dei gratiâ id concedente) prorsus extinguere eos valeas! Modicè nonnumquam irasci, humanum fortè est: ceterùm iram atque odium seruare, planè satanicum est. Nullâ aliâ ratione faciliùs impetus ipsius iræ coërcere & superare poteris, quàm si ad memoriam reuoces patientiam & mansuetudinem Christi Domini Dei tui. Similiter nullo alio efficaciori remedio vlceribus superbiæ medeberis, quàm si humilitatem eiusdem Saluatoris tibi ob oculos animi ponas. Neque enim ipse sine causâ dixit, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Pudeat discipulum animo intumescere atque efferi, vbi videt Magistrum esse humilem. Pudeat hominem ferocire & excandescere, vbi conspicit Deum esse mansuetum. Pudeat creaturam repugnare, & nolle acquiescere, vbi contemplatur Creatorem esse obedientem.

exemplo humilitatis & mansuetudinis Christi.

Math. 11.

3. *Cuius imitatio, est vera Philosophia fidelium.*

Math. 18.

Summa totius Philosophiæ Christianæ hæc est: vt ducem nostrum Iesum per veram humilitatem sequi contendamus. Nisi enim efficiamur sicut paruuli, non intrabimus in regnum cælorum. Quantò quis humilior existit, tantò Deo vicinior, & in perfectione Euangelicâ excellentior est. Beati qui ex eorum numero esse merentur, quos mundus pro stultis, Deus pro sapientibus habet.

4. *Vera humilitas propter Deum se infra omnes demittis.*

Quemlibet libenter audi: patere vt quilibet te doceat atque moneat, etiamsi iunior inferiorque sit. Neminem despexeris: sed omnes tibi præpone, omnibus te ex corde subijce. Licet enim aliqui modò mali sint, possunt tamen Dei pietate in momento boni vel etiam optimi fieri. Et nonnumquam hi qui imperfecti videntur, singulares aliquas virtutes in se latentes habent, quibus Deo maximè placent. Omnino tibi persuade, nullum, quantumuis impium, quantumuis vitæ flagitiosæ, peccatoré esse, qui non multò te sanctiùs viueret, si tantam à Deo gratiam accepisset, quantam tu accepisti. Nam hac ratione humiliter de te senties, hac ratione quoslibet tibi faciliùs præferes. Vtinam autem ad tantã animi depressionem peruenisses, vt non solùm cuius homini, sed & cuius creaturæ te submitteres, iudicans indignum qui lumen videas, & quem terra sustineat, dignum verò in quo omnia iniuriam sui Conditoris vlciscantur!

CAPVT VIII.

Verè humilium exercitatio contra cenodoxiam & philautiam, seu vanam gloriam, & amorem proprium.

1. Fundamentum humilitatis, soli Deo placere, & solam peccati turpitudinem erubescere.

2. Quadruplex telum contra primos motus vanæ gloriæ. 1. Intentionem ad solum Dei beneplacitum reflectere: 2. Affectui vanæ gloriæ acriter contradicere: 3. Opus tamquam ab alio factum considerare: 4. Laudem operis Deo tribuere.

3 Verè humilis est, seipsum, si reprehendatur, non excusare, sed vituperijs suis potiùs delectari;

4. Talemque se velle ab alijs iudicari (cessante scandalo) qualem scit se esse coram Deo.

1. *Soli Deo placendum, solum peccatum erubescendum.*

FAVORES ac laudes hominum despice. Non magnoperè affectes alicui placere, neque displicere pertimescas: sic tamen viuere stude, vt omnibus bonis, qui verè

verè Deum diligunt, placeas. Si formæ elegantiam, si ingenij dexteritatem, si facundiæ gratiam Deus negauit, non propterea nimium verecunderis. Etiam te non pudeat externæ humilitatis, quam Deus statusque tuus à te exigit: sed ob solum peccatum vehementer erubesce. Ea, inquam, sola te angant, quæ diuino honori & animarum saluti contraria sunt. Quamquam verus Dei seruus rationabilem morum honestatem negligere non debet.

2. *Vana gloria retunditur,* [1] *Intentione solius beneplaciti Dei:* [2] *Contradicendo ipsi vanitati:* [3] *Opus quasi ab alio factum inspiciendo:* [4] *Laudem eius Deo dando.*

Quando præclarum aliquid facturus es, si appetitus fauoris humani cor tuum corripuerit, non ita perfeceris opus: [1] sed mutatâ intentione, Deo per id quod agis inseruire ac placere desidera: vt si initium vel etiam medium operis corruptum fuerit, finis non corrumpatur, sed sit integer. [2] Quantumuis rem laudabiliter gesseris, quantumuis titillet ac sollicitet animum pruritus vanæ gloriæ; tu vitiosæ affectionis illecebris ratione contradicito, & mentem liberam atque quietam, quantum in te est, seruato. [3] Existima te alterius personam tunc induisse, & non abs te, sed ab altero factum esse quod factum est. [4] Totum Deo tribue quod bonum & laude dignum est.

3. *Proprietas humilitatis, libenter ferre vituperia:*

Patienti libentique animo eos audire disce, qui tibi vitia tua commonstrãt; existimans illos rectius habere iudicium dum te reprehendunt, quàm habeas tu dum te excusas. Vtinam laudibus iustis & vituperijs iniustis non magis mouereris, quàm si de te non dicerentur! illas Deo prorsus adscriberes, hæc tibi imputares, ipsique Domino committeres. Vtinam magis diligeres contumeliam pati, quàm laudibus euehi! id enim tibi vtilius securiusque est; nisi fortè non te, sed Deum in te laudari amas.

4. *Talem se velle iudicari, qualẽ Deus nouit, cessante scandalo.*

Sanè qui verè humilis est, magis optat vilis & abiectus haberi, quàm humilis aut sanctus. Cùm enim coram Deo agnoscat se esse inutilem, indignum, atque ingratum peccatorem; non vtique alius cupit videri apud homines. Quando iustè vituperaris, humilia te: paratam habe voluntatem corrigendi vitium quod in te est; & diuinæ dispensationi reliquum commendans, tranquillus permane. Si pacem spiritus tui in hominum ore, non autem in testimonio conscientiæ tuæ, Deoque tuo posueris; facilè illâ perditâ perturbaberis. (Psalm. 7. Sap. 1.) Habeant homines quod voluerint de te iudicium; tibi satis sit, vt illi placeas qui scrutatur renes & corda. (Rom. 8.) Verumtamen ad exemplum Apostoli Pauli, (Rom. 12.) prouideto *bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

CAPVT IX.

Aduersa tamquam à Deo propitio nobis immissa, acceptanda sunt. Quid in aduersis agendum.

1. Aduersa quæuis, vndecumque prouenire videantur, toleranda sine murmuratione:

2. Reuerà enim non aliunde eueniunt nobis, quàm ab immenso amore Dei in nos.

3. Ideoque à solo etiam Deo leuamen quærendum; non à magis aut similibus diaboli instrumentis:

4. Quorum opera sunt Deo exosa, quantumuis speciosis prætextibus aliquando velentur.

5. Proinde non indignandum creaturæ te lædenti; sed considerandus Deus, qui te voluit sic lædi, & exspectat vt id, tamquam à se factum, feras libenter:

6. Siquidem, ob amorem tui similia tibi infligi permittit;

7. Semperque inde tibi præparat maius bonum.

1. *Aduersa æquanimiter propter Deum toleranda sunt.*

Mox vbi tribulationem & aduersitatem aliquam suboriri senseris, conuerte mentem ad Dominum, eique te prorsus committe, nihil obmurmurans, nullam iniuriarum rationem exposcens. Si libet conqueri, quidquid querimoniarum velles apud homines deponere, id humiliter depone apud ipsum Dominum, pertractans cum eo tamquam cum pijssimo Patre, præsentissimoque adiutore, quidquid te angit. Propter eum æquanimiter omnia perfer. Licet insidientur dæmones, & tentationum laqueos præparent; licet virtutis iustitiæque iter laboriosum inuenias; licet iste obtrectet, & ille premat; licet frigus incuruet, & æstus vrat; licet stomachus debilis sit, & caput doleat; licet ingrediatur putredo in ossibus tuis, (Habac. 3.) & caro tua vermibus scateat; licet mens obnubilata, & tenebris quibusdam obtecta caliget, instabilitateque affligatur; licet spiritus tædio affectus dormitet, internoque gelu constringatur; tu patientiam vbique seruare memineris.

2. *Quia non aliunde eueniunt, quàm ab amore Dei in homines.*

Omnia aduersa amanter suscipe, tamquam pretiosissima xenia tibi à Deo transmissa; siue è cælo, siue ab elementis, siue à diabolo, siue ab aduersarijs, siue à satanicæ artis ministro, siue à feris ea emerserint. Non existimes aliquid aliunde tibi euenire, quàm de diuinâ prouidentiâ atque dispensatione: nisi enim Dominus permitteret, nihil acerbi vmquam patereris.

3. *Quapropter à Deo solo quærendum leuamen in aduersis:* (Iob 1.)

Quando communis noster hostis beatum Iob damnis rerum & filiorum orbitate affecit, non dixit vir sanctus, Dominus dedit, diabolus abstulit: sed quid ait? *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* In ipsis molestijs quas sustines, releuamen

leuamen expecta non à sortilegis, sed à Creatore Redemptoreque tuo. Nam qui ad sortilegos & magiæ professores se conferunt, nefaria consilia ab eis petituri, vtique Deo derelicto ad diabolum desciscũt. Si cognoscit Dominus, corporis sanitatem tibi fore vtilem, eam proculdubiò dabit postulanti: quòd si eam non præstiterit, iam tu crede, prorsus expedire animæ tuæ vt illâ careas. Fidei inopia, imò verò extrema quædam dementia, Christianos ad pestifera illa antidota quærenda protrudit.

non à magis aut veneficis;

4. *quorum auxilia & consilia Deus interdicit.*

Et ne putent se grauiter peccare qui eò confugiunt, serpens callidus astutè curat, vt in ipsis sortilegijs nomen Christi ac Sanctorum eius plerumque admisceatur, aliaque diuina præscribantur. Nam nisi hoc pietatis melle venenum superstitionis dilueret, non ita facilè Christianorum aliquis vellet illud bibere. Et quid ait Scriptura? *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini.* Et rursum: *Nec inueniatur in te qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, neque incantator: nec qui pythones consulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis veritatem.* Hæc igitur execrare, & omnem spem in Deo tuo colloca.

Leuit. 19.
Deut. 18.

5. *Non igitur considera hominem lædentem, sed Deum hoc permittentem.*

Non indigneris hominibus qui te lædunt; sed eos diuinæ dispensationis satellites esse agnosce, eos dilige, & Deo gratias age. Oculus cordis tui illum respiciat qui molestijs exerceri te sinit, magis quàm eos qui tibi molesti sunt. Quod dum præstare adniteris, si tua infirmitas aduersum te luctari & in odium persecutores suggerere cœperit, tu ne cesseris; sed persiste, & precare Altissimum vt vincere possis.

6. *Quidquid enim tibi euenire permittit, ob tui vtilitatem permittit ex bonâ volũtate suâ:*

Etiam si ipse Dominus te veluti à se proiecerit, & proiectum satanæ quodammodò tradiderit, ita vt interiùs exteriusque derelictus vndique extremis calamitatibus cingaris, vndique horrendis cogitationibus impellaris, vndique pressuris ineffabilibus discrucieris: nihil tamen sinistri suspiceris de pijssimi Conditoris erga te dilectione; non propterea ab eo discedere, non præsentem tribulationem subterfugere, non inutile interdictúmve remedium quærere, non alicui impuræ consolationi te tradere pares: sed nudâ fide nudaque charitate illi adhærens, permitte te tundi & flagellari sicut ipse voluerit, & quàm diu voluerit. Expecta in silentio exitum rei, secundùm eius ordinationem atque dispensationem, subinde dicens in corde tuo: Voluntas Domini fiat, mala enim esse non potest. Nihil, inquam, vacilles in sancto proposito, quamuis ille non statim finem imponat tentationibus: sed plenus bonâ spe inuictusque animo perdura.

7. *nempe ob maius bonũ tuum, tametsi id nescias.*

Purgat, expolit, & probat te Deus, non deserit. *Iuxtà* enim *est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit.* Nescis tu modò fortassis quare ita te castiget & conterat; sed vbi ad eum perueneris, tum agnosces, flagella ista, quibus iam te exercet, ex mero tui amore fuisse profecta. Nullam vnquam afflictionem, quantumuis exiguam, accidere permittit sine eximio commodo eius qui illam sustinet, si patiens fuerit. Gratior illi est humilis internarum derelictionum tolerantia, quàm ingens deuotionis dulcedo. Non sinet te tentari vltra vires, modò non in te, sed in eo confidas; modò sis longanimis, & illius auxilium cum sanctâ fiduciâ expectes.

Psal. 33.
1. Cor. 10.

CAPVT X.

Indifferentia voluntatis nostræ, & conformitas cum Dei voluntate in aduersis.

1. Per indifferentiam animi in aduersis, voluntatis nostræ cum diuinâ conformatio, origo est tranquillitatis.

2. Amor voluntatis propriæ, repugnans diuinæ, fons est internæ inquietudinis.

3. Fortiter ergo perferenda sunt aduersa pro Dei amore, tametsi proprio vitio fuerint accersita.

1. *Indifferentia in aduersis, origo plenissimæ tranquillitatis;*

NVMQVAM dixeris: Hæ vel illæ tribulationes mihi minùs conueniunt, alias ego commodiùs & cum maiori fructu perferrem. Non, inquam, tale aliquid in corde tuo cum impatientiâ dixeris: sed quæcumque portanda Deus humeris tuis imposuerit, ea absque mussitatione aliquâ portato, & animæ tuæ maximè vtilia esse credito, sicut reuerà maximè vtilia sunt. Ad hoc tibi iugiter enitendum est, vt voluntatem tuam voluntati ordinationique diuinæ per omnia subdas atque coaptes; & tuâ eâdem relictâ, illam ita promptè sequi consuescas, sicut vmbra sequitur corpus. Si in hunc modum sensuum & affectuum tuorum propensionibus propter Deum renuntiare potueris, dici non potest quantâ tranquillitate & pace fruẽris. videlicet, etiam in hoc mundo paradisum quamdam inhabitare incipies.

2. *propriæ autem voluntatis quæsitio, fons omnis perturbationis.*

Præposterus amor quo teipsum quæris, quo ad teipsum reflecteris, quo te in teipso non in Deo diligis, hic solus animam tuam turbat, inquinat, & ab intimo sponsi cælestis amplexu impedit. Ex hoc peruerso tuiipsius amore, omnis passio affectioque vitiosa, omnis confusio & inordinatio, omne denique malum in te nascitur. Quantum in te

in te minuetur atque extinguetur iste perniciosus amor, planè tantum in te morientur vitia; tantum in te crescet vera libertas, & verus amor Dei.

3. *Qualibet igitur aduersa fortiter pro Dei amore toleranda.*

Igitur non tu tibi ita deligas molesta quę feras, vt rursum præscribas quæ non feras: sed quæcumque Deus obuenire voluerit, ea parato animo suscipe. Etiam non perturberis, quòd peccatis tuis ipsas aduersitates fortè accersieris: sed siue accersieris, siue non accersieris, tranquillus esto. Imputa quidem omnia tuis iniquitatibus, & humiliare: verumtamen, sicut dixi, non intempestiuè consternêris animo, sed mentis æqualitatem seruato. Dei tui Passio pro peccatis tuis satisfaciat; tu verò pro amore ipsius Domini patere. Displiceat animo tuo malorum origo vitiosa; ceterùm ipsas angustias æquanimiter sustine, offerens eas Altissimo in sacrificium. Sic enim erunt tibi veluti Baptismus ad peccata tua abluenda efficacissimus, quin & gloriosissimum (vt ita dicamus) erunt martyrium.

CAPVT XI.

In fidei cõfessione inter aduersa cum exemplo patientiæ Christi perseuerandum.

1. *Fides Catholica etiam inter acerbissima tormenta fortiter retinenda interiùs corde, & exteriùs ore profitenda:*

2. *Nec licet illam dissimulare; sed pro eius professione subeunda mors est: quod etsi pauidè fiat, beatum tamen reddit perferentem.*

3. *Hæc, & alia quæuis afflictiones, aut bona opera, in vnione meritorum Christi Domini maximo cum fructu Deo offeruntur.*

1. *Fides in medijs cruciatibus interiùs retinenda, & exteriùs cõfitenda.*

SI Deo permittente in eam veneris necessitatem, vt vel fidem Christianam negare, vel tormenta subire, atque adeò ipsam mortem oppetere cogaris; tu potiùs millies (vt sic loquamur) morere, quàm aliquod nefandæ abnegationis verbum aut signum edas. Non tibi malè blandiaris, non dicas intra te: Ego infirmus sum, & tormenta horreo: quid verò mali admitto, si timore compulsus, Christum ore vel signo negem, modò eum interim corde confitear & adorem? Nónne ipse animum potiùs respicit, quàm verba aut opera? Negabo exteriùs, intus non negabo. Erras, si tibi istud persuades. Scriptum enim est: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10. Non solùm in occulto, sed & in aperto confitenda est fides Christiana, dum ita res exigit. Dicit ipsa Veritas: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Matth. 10. Si negasti, perijsti à Deo, & à consortio fidelium præcisus resectusque es: nec iterùm in eorum numerum recipieris, nisi fidem, quam impiè abnegasti, ingenuè confitearis; ac Petrum Apostolum imitatus, pœnitentiam agas. Lucæ 22.

2. *Interrogatus de fide, potiùs martyrium subire debet, quàm eam dissimulare.*

Si pusillanimitati tuæ metuis, declina opportunè persecutionem. Verumtamen si fugiens comprehensus vel interrogatus fueris, scito iam non esse tibi dissimulandum. Beatus ille martyr, qui animam humiliter patienterque, etiam cum pauore ac tristitiâ, ponit, vel pro Christianâ fide, vel pro proximi salute, vel pro iustitiâ & veritate. Nam & Dominus noster, volens consolari suos electos, qui ex fragilitate humanâ ad mortis expectationem tædio affecti trepidant, transtulit in se eorum infirmitatem, quando imminente passione pauens ac mœrens dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Marc. 14.

3. *Omnis afflictio Deo offerēda, in vnione passionum Christi.*

Quidquid molestiæ cõtigerit te sustinere, siue paruum siue magnum sit, tu illud consuesce mox commendare atque offerre Altissimo in laudem æternam, hæc aut consimilia dicens: Domine, ego hanc necessitatem, hanc miseriam, hoc impedimentum, hanc tentationem tibi commendo & offero ad laudem nominis tui sempiternam: hanc calamitatẽ vnitam passioni & ærumnis Vnigeniti tui tibi offero, ad æternam tuam gloriam. Licebit ad eumdem modum offerre Deo quælibet opera vel exercitia. Hæc oblatio etiam in momento absque verbis fieri poterit, nempe, simplici dulcique mentis in Deum intentione. Ingentem planè fructum ex istiusmodi consuetudine referes. Sic enim ipsa opera tua, quæ ex se imperfecta viliaque sunt, coniuncta meritis Christi, prorsus perfecta dignissimaque efficientur.

CAPVT XII.

De verâ & vanâ futurorum coniecturâ aut sollicitudine; contra insaniam Astrologorum.

1. *Omnia euenta prouidentiæ Dei, non fatis siderum sunt attribuenda.*

2. *Infortunia sæpè prauidentur ab Astrologis, in pœnam impiæ credulitatis, aut curiositatis.*

3. *Quâ ratione possit diabolus præscire & prædicere futuros euentus, & quos.*

4. *Illis, qui diuinam venerantur prouidentiam, numquam nocebunt prognostica astrorum.*

5. *Proptereà cuncta naturæ, gratiæ, & gloriæ euenta futura, cum summâ indifferentiâ, & resignatione à solo Deo sunt expectanda.*

1. *Diuina prouidentiæ, non sideribus adscribenda quæ contingunt.*

PROVIDENTIAM Dei vbique attende: in omni rerum euentu stabiliter ei innitere, nihil prorsus credens accidere, quod aut nullas, aut ex nullo rationabili ordine

ordine proficiſcentes cauſas habeat. Neque fortunæ, neque ſideribus aliquid eorum quæ fiunt attribuas. Deteſtare ſuperſtitioſa & impia illa Aſtrologorum commenta, qui vitam, mores, facta, & ſtudia hominum ſtellis ſubijciunt; & futura aliqua, præter naturales elementorum ac rerum corruptibilium affectiones, ex eis rimari atque prædicere tentant. Quæ temeritas planè idololatriæ ſapit reliquias, & Chriſtianæ Religioni maximè peſtifera eſt: ob idque & Prophetarum oraculis, & Patrum orthodoxorum ſententijs diligenter damnatur atque interdicitur. Nam Chaldæis, quibus familiaris erat huius ſcientiæ profeſſio, per

Iſa. 47. Iſaiam ita loquitur Deus: *Sapientia tua & ſcientia tua hæc decepit te. Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius.* Et paucis interiectis, deuaſtandæ eorum ciuitati ait: *Stent nunc, & ſaluent te augures cæli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annuntiarent euentura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos: non liberabunt animam ſuam de manu flammæ.* Et per

Deut. 18. Moyſen dicitur: *Gentes augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter*

Ierem. 10. *inſtitutus es.* Rurſum in Ieremiâ habetur: *A ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes.* Igitur neque triſtitiæ neque gaudij quidquam ex vanis Aſtrologorum iudicijs concipere debet Chriſtianus.

2.
Mala, quæ prædicunt Aſtrologi, nonnumquam eueniunt, in pœnam curioſæ credulitatis.

Quòd ſi quis obiecerit, aliqua nonnumquam euenire ex his quę prędicunt; reſpondebimus, multa itidem non euenire; & quæ eueniunt, non ex illorum imperitâ peritiâ, ſed ex occultâ Dei diſpenſatione accidere: quamquam ea ipſa ferè his eueniunt, qui credunt futura quę illi prędixerunt. Quemadmodum enim veri Chriſtiani pro ſuâ in Deum fide vtilia ſemper accipiunt; ita his qui veri Chriſtiani non ſunt, pro fide quam vel erga dæmones vel erga ſuperſtitionum profeſſores habent, pernicioſa ſæpe contingunt, idque iuſto Dei iudicio.

3.
Non enim prænoſcit futura diabolus, niſi per coniecturas fallibiles.

Diabolus quidem futura non nouit; nonnumquam tamen ex rerum initijs, quæ videt, exitus ipſarum prænuntiat. Dum conſpicit aliquem parare iter in Italiam, quid mirum, ſi pernicitate propriæ naturæ ſubuectus præuertat, annuntietque talem venturum in Italiam? Et dum videt Æthiopiam crebris imbribus ſuperfundi, quid magnum, ſi in Ægypto futuram Nili exundationem promittere audeat? Hoc pacto apud multos fidem ſibi conciliat impoſtor.

4.
Quare vaticinia aſtrorū non nocent eis qui prouidentiam Dei colunt.

In eos qui Deo fidunt, quique ſe totos ei committunt, neque Aſtrologicæ prędictiones, neque magica monſtra, neque ſatanicæ technæ vel præſtigiæ aliquid efficere poſſunt. Quòd ſi iuſtos quandoque afflixerint, Dominus id permittit in vtilitatem ipſorum iuſtorum. Tu ergo, contemptis eorum figmentis, qui vel ex ſtellarum poſitionibus, vel ex vultuum ac manuum contemplatione neſcio quæ vaticinantur, ad totius orbis Conditorem atque Moderatorem te conuerte: illi inhære, in illum te proijce.

5.
Omnia igitur euenta futura cũ humili reſignatione a Deo ſunt expectãda.

Nihil eorum quæ accidunt, fiuntque, te conturbet. Siue aër clemens fuerit, ſiue aſperior; ſiue fructus terræ abundè prouenerint, ſiue minùs prouenerint; ſiue Dominus pacem miſerit, ſiue gladium, non obmurmures: ſed humiliatus ſub potenti manu eius, demitte vultum, & tranquillus eſto, non tamen ſine ſenſu. Vtrùm in hoc exilio aliquando maiorem requiem habiturus, vtrùm perfectiora gratiæ dona percepturus, vtrùm hinc ad Purgatorium emigraturus, ibique diu permanſurus, an rectà ad cælum euolaturus ſis, non anxiè pertractes: ſed te totum ipſi Domino crede, & ſecundùm eius voluntatem omnia circa te diſponi tam in futuro quàm in præſenti ſæculo deſidera: non minùs diligens diuinam iuſtitiam, quàm miſericordiam; & grauius eſſe exiſtimans peccare, quàm pœnas pro peccatis exoluere.

CAPVT XIII.

De ſcrupuloſis confeſſionibus, & puſillanimitate.

1. *Diſplicet Deo nimis anxia & ſcrupuloſa confeſſionum earumdem repetitio.*
2. *Valdè placet crebra confeſſio, fundata in alacri apprehenſione diuinæ bonitatis.*
3. *Grauiſſima tentatio ſcrupulorum facillimè vincitur ab ijs qui magnâ fiduciâ adhærent miſericordiæ Dei.*
4. *In omnibus dubiis & perplexitatibus non eſt innitendum proprij iudicij viribus: ſed à Deo petendum conſilium & auxilium.*

1.
Non placet Deo ſcrupuloſa repetitio earumdẽ confeſſionum.

INORDINATVM mœrorem, vitioſam animi deiectionem, ſuperfluos conſcientiæ ſcrupulos, intempeſtiuas perplexaſque confeſſionis ſemel factę repetitiones, & ceteras huiuſmodi mentis inquietudines (quæ ſpiritualem profectum plurimùm impediunt) repelle. Non placet Deo vt ita ſimus anxij, quaſi actum eſſet de ſalute noſtrâ, dum leuiter offendimus: & quaſi ipſe pararet illaqueare ac perdere nos, dum inter confitendum hanc vel illam circumſtantiam (obliuione ſubrepente) minùs attenti fortè omittimus.

2.
Placet tamen, ſi fiat cum alacri fiduciâ diuinæ miſericordiæ.

Vult tamen nos dare rationabilem operam, vt illorum quæ committimus memores ſimus: & quorum reminiſcimur, ea om-

nia

nia ingenuè pureque absque dissimulatione aliquâ coram Sacerdote proferamus. Vtile admodum est eo modo frequenter confiteri peccata: ne, dum diu differtur Sacramentalis exomologesis, animum subeat ipsorum peccatorum obliuio: & alioqui præclara omnino gratiæ beneficia, crebram humilemque confessionem subsequuntur.

3. *Nullâ viâ faciliùs vincuntur scrupuli, quàm si duciâ erga Deum.* His qui spiritualiter viuere cupiunt, & maximè nouellis tyronibus, diabolus laqueos pusillanimitatis, tristitiæ, diffidentiæ, & acediæ, magno studio sæpè parare solet: quos non nisi piâ erga Deum fiduciâ, spiritualique alacritate ac promptitudine, per inuocationem diuini auxilij effugies. Multa omnino mala conciliat nimia pusillanimitas, implacabilisque timor: quo qui occupatus fuerit, diuersis erroribus inuoluitur, & omnia quæ agit, peccata esse existimat: vnde fit, vt in perpetuo quodam angore, perpetuaque mentis conturbatione positus, seipsum miserabiliter sine causâ excruciet. Magnâ quidem commiseratione tales prosequendi sunt: qui tamen, si prudentum consilijs potiùs quàm proprio iudicio promptè & intrepidè acquiescere vellent, facile curarentur.

4 *In scrupulis non est proprio iudicio innitendum; sed pietati Dei.* Quando fluctuas, quando anxius es & dubius, quando occurrunt ardua aliqua atque difficilia, mox ad Deum confugito, Deum consulito, Deo negotium omne integro corde & stabili fiduciâ committito. Non tuæ industriæ, non tuis viribus, sed Dei pietati innitere: agnoscens te rebus dignè obeundis esse imparem. Sic enim omnia prosperum sortientur exitum. Nam Deus numquam negliget quod ei humiliter commiseris: sed curabit, diriget, & expediet rem omnem, sicut tibi ceterisque vtile esse viderit.

CAPVT XIV.

Perfecta pax & quies animorum.

1. *Vera pax ab eo dumtaxat obtinetur, qui omnium creaturarum amore nudatum gerit animum, vt Dei solius beneplacitum quærat:*

2. *Felicissimus animi status, per talem nuditatem possidentis pacem in Deo suo.*

3. *Non possidetur permanenter aut diu in hac vitâ; sed per quædam tantùm internalla crebrò interrupta.*

4. *Est etiam paucorum peculium: & à paucis inquiritur.*

1. *Creaturas non amare, Dei solius beneplacitũ quærere, est veram pacem possidere.* VTINAM solus Deus occuparet interiora tua! Nam quamdiu ab omnibus alijs cor tuum non fuerit expeditum, quamdiu alicui rei transitoriæ adhæseris, quamdiu tuam magis quàm Dei voluntatem amaueris, non poteris eidem Domino perfectiùs coniungi. Beatus ille qui ab omnibus intus nudatus est, qui neque propter damna indignè perturbatur, neque propter commoda insipienter euanescit, qui omnia inæqualia æquali fert animo, qui se derelinquere & (vt ita dicam) penitus egredi didicit, qui denique per perfectam sui abnegationem iam ad perfectam charitatem peruenit. Quantam enim putas pacem talis possidet? nimirum tantam, vt ea nullo sermone explicari possit.

Vsque adeò profusè diuinæ consolationis torrens interdum in intima aliquorum, qui eiusmodi sunt, influit, vt ipsi illum vix sustinentes, veluti cogantur subducere sese, & exclamare atque dicere: Domine, contine vndas gratiæ tuæ. Hinc fit plerumque, vt eorum corpora ad tantam diuinæ visitationis benignitatem tota mirabiliter immutentur. Profectò quilibet talium cum Psalmistâ iure cantat: ***In pace in idipsum dormiam, & requiescam.*** O pacem desiderabilem, quæ omnem sensum exuperat, omnem intellectum transcendit! O pacem iucundam, quâ mens ad interiora rapitur, & omnium rerum externarum oblita, feliciter conquiescit in Domino! O pacem amabilem, per quam & in quâ spiritus seipsum supergressus, atque in diuitias ineffabilis gloriæ absorptus, totus in Deum transit! Felix terque quaterque illa anima, quæ in sinu Sponsi sui ad hunc modum sæpè confoueri, & inter amplexus Dilecti sui hoc pacto frequenter obdormire meretur. Dici non potest, quantum gaudij in huiusmodi pace persentiat, dum ex abundantiâ deliciarum spiritualium seipsam non capit, dum incomprehensibili inæstimabilique dulcedine tota repletur, repleta inebriatur, inebriata in sanctam securitatem adducitur. 2. *Status felix animæ pacem habentis veram.* Psal. 4.

Sed heu! quamdiu gestatur corpus corruptibile, non licet longo tempore hac sacrâ secretaque Dei copulâ frui. Sponsus enim accedit & recedit: nunc se ostendit, nunc rursum se abscondit. O quod præsentium rerum fastidium, qui gemitus, quæ suspiria sanctam animam subeunt, quando ex tali excessu ad semetipsam reuertitur, quando ex tantis diuitijs ad tantam inopiam, ex tantis delicijs ad tantam miseriam, ex tam gratâ spiritus tranquillitate ad tam inamœnas distractiones tentationesque relabitur! Veruntamen hi gemitus & hæc suspiria non modicam ei consolationem interim præstant, & Sponsum, vt redire maturet, prouocant. 3. *quamuis sæpiùs in hac vitâ per corporis fragilitatẽ interrumpatur.*

Ceterùm paucos inuenire est, qui ad hanc perfectionem pertingant, qui tantâ cordis puritate simplicitateque clareant, qui summæ charitatis atque contemplationis 4. *Paucissimi veram pacem inueniunt.*

plationis arcem teneant: neque enim Deus omnes eò prouehit. Alij piè quidem, non tamen tam sanctè viuentes, etiam ipsi internâ pace in hac peregrinatione fruuntur; sed non tãtâ quantam perfecti illi sentiunt.

CAPVT XV.

Deus amandus sine modo, homines cum mensurâ.

1. Omnia præ vno Deo fastidienda, quia ille solus animam satiat:

2. Verè itaque miser est, qui amore Dei non flagrat.

3. Homines sincerè quidem amandi sunt, sed ordinatè, & sine nimio affectu, aut familiaritate.

1. *Deus solus implet mẽtem, ideò alia omnia fastidienda;* QVANTO liberior intus fueris ab impedimentis rerum transeuntium, & quantò simpliciorem affectum habueris, tantò facilius feliciusque Deo vacare poteris. Quidquid prȩter Deum quæritur, mentem occupat, non satiat. Solus Deus explebit desiderium tuum: in solo Deo veram requiem inuenies. Ipse est vnum illud necessarium & summum illud bonum, in quo omnium eorum quæ pulchra sunt, quæque delectant, plenitudo & perfectio consistit. Quare eum solum seriò quærere & ambire conuenit: alia non sunt appetenda, nisi quatenus ad ipsum eumdem honorandum amandumque promouent & adiuuant. *& in Dei amore quotidie proficiendum.* Diligendus est ille super omnia, diligendus est ex totâ mente, ex toto corde, ex totâ animâ. Quantum intelligis, quantum sapis, quantum potes, tantum eum dilige. Pro modulo virium tuarum, pro mensurâ gratiæ tibi datæ, dilige. Si non nisi imperfectè potes diligere, viuat in te vel desiderium perfectiùs diligendi: humiliare, eique dicito, *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* *Psal. 138.*

2. *Miser est enim, qui eo amore non ardet.* Væ homini illi qui Deum non amat. Numquam enim verè securus, numquam verè tranquillus est: vitijs seruit, vanitatem sequitur: denique non viuit, sed manet in morte: mortuus est, nihil est. Non timeat anima quæ Deum quærit: paueat illa quæ non quærit. Stude, quantum in te est, contemnere & respuere quidquid ab ipsius Conditoris amore te auocat aut impedit. Disce vana desideria expellere, inutilesque curas ac sollicitudines reijcere.

3. *Familiaritas erga personas etiam sanctas venenum est amoris Dei.* Contende vincula intempestiuæ familiaritatis erga homines abrumpere, & inordinati amoris nexus erga propinquos vel quasuis res temporales præsecare. Breuiter, quæcumque cor tuum irretire dissipareque possunt, consuesce solerter propellere ac fugere. Numquam expetas vt ab aliquo singulariter ameris: sed expete vt Deus ab omnibus perfectè diligatur. Nullius corporalem præsentiam magnopere affectes, nisi spiritualis profectûs gratiâ: quamquam nec sic quidem alicuius præsentia cum vitiosâ animi inquietudine vel impatientiâ concupiscenda est. Si eos qui piè viuunt, spiritualiter diligis, faciliùs feres eorum absentiam: omnes enim in Domino tibi semper præsentes erunt, quos in Domino sincerè amas.

CAPVT XVI.

Lectio sacræ Scripturæ quo fine & modo instituenda.

1. Exercitiorum spiritualium vicissitudo adhibenda, ne tædium obrepat, aut frangat defatigatio.

2. Illi tantum lectioni insistendum, quæ ad profectum spiritualem facit, maximè sacra Scriptura, cum humilitate & obedientiâ Catholicæ Ecclesiæ.

3. Humanæ eloquentiæ nimium studium, Ethnici potius est quàm Christiani.

4. Sit etiam sacra lectio certa & ordinata.

5. Et obscuriora loca transi cum veneratione: quia etiam non intellecta illuminant corda humilium.

6. Sicut etiam quamuis è memoriâ excidant, eam tamen mundiorem relinquunt.

7. Præcipuus lectionis scopus sit, ea quæ legis, moribus tuis emendandis accommodare.

LECTIONI, prædicationi, ceterisque spiritualibus exercitijs deditus esto. Lectio tollat orationis tædium: oratio vel meditatio condiat lectionis studium: & tam lectionem quàm precationem subleuet atque corroboret interiectum honestum aliquod manuum opus. Nam exercitiorum variatio plurimum adiumenti adfert, his maximè qui perfectiora Spiritus sancti dona necdum acceperunt. Si enim aliquamdiu lectioni vaces, & ante fastidiũ eâ intermissâ ad orationem vel meditationem te transferas, rursumque labore precandi nondum prægrauatus, lectionis exercitiũ repetas, & opportunè scriptionem aut aliam externam operationem intermisceas; poteris & viribus integer, & mente alacer permanere. Quòd si infirmitatis propriæ oblitus, vel lectioni vel precationi diutiùs quàm oportet, aut etiam vsque ad nauseam, continenter incumbere volueris; eris nimirum totus segnis & inutilis, tædebitque te ad illud exercitium, quo iam plus quàm satur es, iterùm redire. 1. *Exercitia spiritualia prudenter varianda, quia vicissitudo iuuat.*

In eis lectionibus libenter versare, quæ spiritualem profectum adiuuant, sedulò adlaborans rationem sanctæ vitæ discere, Deumque cognoscere & amare. Lectio quȩ pietati aut iustæ rationabilique necessitati non seruit, vana est. Dum sacra legere paras, oculus intentionis tuæ sit simplex; desiderium placendi Deo sanctæ humilitati coniunctum, tibi ducatum præbeat: alioqui si 2. *Lectioni spirituali libenter incumbẽdum, maximè sacra Scriptura. Ad eam adferẽdum humile desideriũ Deo placendi.*

prauè curiosus superbusque fueris, periculosius erit lectionis exitus. Nam mel quod ex ipsis diuinarum Scripturarum floribus salubriter exsugere debueras, tibi in venenum facilè conuertes; nescio quæ portenta peruersarum interpretationum aut ipse excogitans, aut ab alijs excogitata approbans. Fidei Catholicæ per omnia inniti, & Patrum orthodoxorum vestigijs humiliter insistere, matrisque Ecclesiæ dogmatibus firmissimè adhærere, non autem proprium sensum pertinaciter sequi oportet. Sanè si otio suppetente, & Deo gratiam donante, sacræ lectioni seriò te dederis, piamque mentem ad mensam verbi Dei attuleris, mirum in modum stabilieris in sancto proposito: & exhilaratus spiritu, ineffabiles delicias experieris, illis prorsus incognitas qui vanitatibus rebusque caducis dediti, æterna non quærunt. Talibus enim lectio sacra non panis, sed lapis est.

& iudiciū magisterio Ecclesiæ Catholicæ subiectum.

3. Memento autem, salutem animæ non in eloquentiâ, neque in venustate sermonis sitam esse. Quare numquam irriseris, neque contempseris ea quæ sanctè quidem, sed minùs politè ac facundè dicuntur: istiusmodi enim leuitas, vani arrogantisque animi euidentissimum est argumentum. Orationis, inquam, ornatum inter legendum ne intempestiuè requisieris, si absit; neque rursum temerè respueris, si adsit: sed omnia quæ bona vtiliaque sunt, siue simplicibus & rudibus verbis, siue cultâ & eleganti dictione enuntientur, cum gratiarum actione excipe; atque eadem sæpiùs legere vel audire ne pigeat. Qui verborum lenocinia potiùs quàm sententiarum fructum spectant, similes prorsus sunt ijs, qui aut pro ceruis papiliones venantur, aut pro pomis folia & quisquilias colligunt. Nimius eloquentiæ amor mentes eorum qui minùs attenti sunt, facillimè à Deo ac pietate auocat, & in præcipitium philautiæ, superbiæ, atque cenodoxiæ pertractas, veluti atheas reddit. Ethnici qui humilitatem Euangelicam ignorant, magnificent & admirentur eloquentiam; Christiani commendent & amplectantur vitæ sanctimoniam. Qui humiliter de se non sentit, qui Deum non diligit, elinguis est & infans, quantumlibet eruditus esse videatur atque elegans. Non improbanda est ipsa eloquentia, sed abusus eloquentiæ vituperandus est.

In lectione sacrâ nimium eloquentiæ desiderium non decet Christianū.

4. Certæ lectioni animum prudenter adstringe, ordinemque seruato: lectio enim incerta & erratica spiritum magis dissipat quàm promouet, si desit iusta ratio talem lectionem sectandi.

Ordo in lectione cõstanter seruandus.

5. Dum in sacris Scripturis occurrunt aliqua obscuriora quæ non potes intelligere, venerare illa, simpliciter pertransito, nisi res aliud exposcat; sic enim & curiositate & labore feliciter te expedies. Ea est diuinorum eloquiorum virtus, vt non solùm tunc in animâ fideli magnam vtilitatem pariant, quando exactè intelliguntur, sed & quando minùs intellecta piè suscipiuntur: neque enim frustrà dicit Dominus: ***Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*** Ioan. 6.

Obscura loca venerare: nam etiam non intellecta, illuminant.

6. Etiam non angaris propterea quòd vniuersa quæ legis vel audis, non mandes memoriæ. Quemadmodum enim vas quod sæpiùs aquâ perfunditur, nitidum permanet, etiamsi ipsa aqua tota effluat; ita pia mens, quam doctrina spiritualis crebrò pertransit, pura conseruatur, etiamsi ipsa sancta verba in eâ non persistant.

& è memoriâ excidētia, tam tamen mundant.

7. Quando spiritualem consolationem, animæ tranquillitatem, pium affectum, paratamque voluntatem adimplendi mandata Dei, ex lectione reportas, grandem prorsus & præcipuum lectionis fructum refers. Quæ scribuntur & dicuntur in vitia, tu ea non semper reieceris in alios, sed tibi potiùs accommoda: ne varijs suspicionibus, temerarijsque iudicijs mentem tuam implices atque inficias.

Ea quæ legis, moribus tuis emendandis accommoda.

CAPVT XVII.

Orationis deuotæ necessitas, vtilitas, & conditiones.

1. Orationis assiduæ necessitas, & vtilitas.

2. Prima eius comes, Longanimitas & perseuerantia:

3. Quam non debet frangere peccati conscientia; nam & peccatores exaudit Deus, qui corde humiliato orant.

4. Altera comes orationis, Fides præsentiæ diuinæ, quâ credamus, ipsum nobis intendere, nos audire; quamuis petita statim non accipiamus.

5. Semper enim obtinetur, quod resignato animo postulatur, aut certè aliquid eo vtilius datur.

6. Tertia comes orationis, simplex & actualis Attentio animi; cuius meritum non auferunt inuoluntariæ distractiones.

7. Debet esse circa ipsum sacrorum verborum sensum: nisi Spiritus sanctus aliò mentem potenter auocet.

8. Vt distractiones non sint voluntariæ, nec ad peccatum imputentur, facit diligens præparatio, & firmum animi propositum.

1. ORANDI diligentia tibi in primis necessaria est: impenetrabilis enim armatura, certum perfugium, securus portus, tutissimumque asylum est oratio. Hæc vna & mala omnia depellit ab animâ, & bona omnia in illam inuehit. Ipsam animam purgat, pœnam peccatis debitam submouet, præteritas negligentias sarcit, diuinam gratiam

Orationis commoda.

gratiam impetrat, prauas concupiscentias extinguit, effrenatas animi passiones domat, hostes prosternit, tentationes superat, calamitates lenit, mœrorem fugat, lætitiam infundit, pacem conciliat, hominem Deo coniungit, coniunctumque ad æternam gloriam subleuat. Precando impetrabis quidquid vtile tibi fuerit.

2. *Tres eius comites: prima, Longanimis perseuerantia,*

Quòd si mox non obtines quod postulas, vide ne perturberis: Deus enim suâ pietate nonnumquam differt largiri ea quæ sanctè petuntur; non quòd negare velit, sed vt cumulatiùs & vtiliùs postea tribuat, vtque fidem, longanimitatem, ac perseuerantiam postulantis eximiè coronet.

3. *quam non frãgat peccatorum conscientia; nam & peccatores audit Deus, si humiles sint:* Ioan. 9. Rom 3.

Numquam dixeris apud te, id quod cæcus ille Euangelicus iam quidem illuminatus oculis corporis, sed nondum perfectè illuminatus oculis mentis, dicebat: *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Non, inquam, hoc dixeris: reuerà enim exaudit Deus peccatores, dum corde humiliato precantur; alioqui malè ageretur cum populo Dei, cùm omnes sint peccatores, & egeant misericordiâ Dei. Quòd si aliquis cum cæco illuminato asserat, peccatores non exaudiri à Deo: ea sententia ad illos referenda erit, qui vitam corrigere nolunt. Quamuis igitur sis peccator, non ob id desperanter contempseris orationem tuam, quam Deus non contemnit, sed gratam habet, & apud se descriptam seruat.

4. *Altera comes, Fides magna orationis à Deo tandē exaudiēda:*

Non etiam te moueat, quòd oranti tibi vel ipse Deus, vel Angelus, vel Beatorum aliquis è cælo minime appareat, qui tuas preces exauditas esse denuntiet: neque enim id necessarium est, sed nec expedit quidem. Alioquin quod esset meritum fidei? Quamquam Dominus vsqueadeò bonus est, vt ipsas quoque appartiones visibiles, cùm opus fuerit, adhibeat. Tu igitur humiliter precare, nihil hæsitans, sed certò credens, eum qui piè orat, semper exaudiri à Domino. Strenuus esto, perseuera; & proculdubiò re ipsâ tandem experieris, quàm verè dixerit Christus: *Petite, & accipietis.* Luc. 11.

5. *datur enim semper quod humiliter petitur, aut aliquid eo melius.*

Omnino dabit id quod petis, si expedit vt accipias: si verò illud non conducit, dabit aliud quod conducat. Nouit quando, nouit quatenus tuæ petitioni satisfacere debeat. Dum ex infirmitate humanâ postulas quæ vtilia non sunt, absit vt donet quæ petis. Quando tale aliquid desideras, quod vtrùm illi placeat ignoras, hoc aut consimili modo orare disce: Domine si tibi placet, si expedit vt id fiat, fiat: si verò non tibi placet, si non expedit, non fiat. Fiat in omnibus tua sancta voluntas.

* Totum hunc numerum citat & laudat P. Aluarez To. 3. lib. 2. p. 2. c. 6. *Vnde Blosius vir piissimus, &c.*

* Adnitere vt præsentem animum habeas dum precaris, Deumque laudas. Facito id diligenter, & cum debitâ reuerentiâ: nusquam deliberatâ voluntate consentiens ineptis cordis euagationibus. Si verò tam instabilis atque volubilis fuerit mens tua, vt verbis orationis attendere non possis; nequaquam ob id indigneris, neque deijciaris animo; sed grato, placido, tranquilloque spiritu fac quod in te est, bonam voluntatem Deo offerens, & constantem patientiam exhibens. Esto humilis potiùs quàm pusillanimis. Quamuis minùs attentus plurima prætereas, subinde tamen vel vni verbulo attendis: quòd si nec vnum verbum attentus pronuntiare potes, nec sic quidem perdis operam, si vigil & rectus corde fueris. Internam perplexitatem, internum impetum, nimis anxiam sollicitudinem, nimis vehementem cogitationem atque conatum sapienter vitato, & multiplices rationes attentionis seruandæ ne inconstanter perquiras: ista enim confusionem in animâ gignere, & diuinæ gratiæ saporem excludere solent.

6. *Tertia comes, Attentio, sine voluntarijs distractionibus: nam inuoluntaria non inficiũt; quæ patiẽtiâ meliùs quàm impetuositate, aut nimiâ perplexitate sedantur.*

7. *Attentio debet ferri ad sacrorũ verborum sensum; nisi Spiritus sanctus alio vocet.*

Sacrorum verborum sensus, quos pro tuo captu Spiritus sanctus suggesserit, mentem tuam suauiter afficiant, simpliciterque occupent; non autem imagines aliunde cum labore quæsitæ fatigent aut inuoluant. Si Spiritus sanctus spiritum tuum ad sublimiora aliqua euocauerit traxeritque, ne temerè obnitaris; eius ducatum per omnia sequere: ipse enim prorsus nouit, quà, quomodo, & quousque pergere debeas.

8. *Firmum propositum & diligens præparatio facit vt cessent distractiones; vel si quæ occurrant, censeantur inuoluntaria & sine peccato.*

Sicut modò dicebam, dum oras, paratam voluntatem semper habe attendendi his quæ profers; & cor tuum ab intempestiuis cogitationibus placidè expedi, maximè in initio precationis. Quod vt faciliùs præstes, extra tempus orationis, stude animum seruare liberum. Si hoc feceris, reliquum committe Deo: & tranquillus lætusque permane. Neque enim iam Deus imputabit tibi distractiones quibus inuitus ex fragilitate abriperis. Planè illi satisfacies, etiamsi attendere non possis. Planè, humilis patientia, hilaris animi gratitudo, sanctaque erga eum fiducia, compensabit quod dissipatione sensuum peccatum fuerit. Nam ipse Dominus non minùs spectat, neque minùs diligit in nobis rationabilem conatum piamque voluntatem benè operandi, quàm ipsum opus. Scit quare nos mente ita instabiles esse nonnumquam permittat: scit quomodo animas nostras à superbiæ, philautiæ, vanæque gloriæ inquinamentis, vel tutari vel repurgare debeat.

CAPVT XVIII.

Cultus B. Virginis, & Sanctorum. Psalmodiæ cura.

1. Dignitas ineffabilis B. Virginis Deiparæ, omnem laudem superat.

2. Quo sensu vocemus eam spem nostram, contra hæreticos; & an Dea dici possit.

3. Ideo innocanda deuotè, quia suis cultoribus fideliter succurrit apud Deum.

4. Similiter & alij Sancti à nobis piâ veneratione innocandi.

5. Officium canonicum diligenter & reuerenter exoluendum.

1. *Quàm ineffabilis dignitas Virginis Deiparæ.*

AD beatam Mariam virginem Deiparam frequenter te conuerte; eam inuoca, eam dilige, eam lauda: omnium enim præconijs dignissima est; & quantumcumque prædicetur, omnem commendationem semper superat. Eumdem habet cum Patre cælesti Filium: Deum in vtero suo virgineo concepit, Deum peperit, Deum proprijs vberibus lactauit, Deum gestauit in vlnis, & confouit gremio. Quid sublimius, quid magis honorificum, quàm dici & esse matrem Dei? Quid hac dignitate celsius? quid admirabilius? Planè sic est: nihil sub Deo cogitari potest diuinius Dei matre.

2. *In eâ licitè spem nostrã reponimus, velint nolint hæretici.*

Væ miseris atque infelicibus hæreticis, qui tantæ Virgini iniquiores sunt, qui eius gloriam & splendorem offuscare nituntur! væ, inquam, his quibus tantæ Imperatricis cultus iam viluit! Indignantur, frendent, quòd eam appellemus spem vitæ, conciliatricem salutis. Quid, inquiunt, Mariam habetis pro Deâ? siccine spem vestram in homine ponitis? Non quidem adoramus Mariam vt Deam; sed vt Dei matrem, Deo proximam, veneramur (quamuis non immeritò Dea dici queat, cùm Sancti in Scripturâ vocentur Dij.) Non sic constituimus spem nostram in homine, non ita confidimus in Mariâ, quasi ipsa id quod est, id quod habet, id quod potest, non acceperit à Domino: sed confitemur eam accepisse omnia ab eo à quo creata electaque est, & eam posse omnia in eo quem enixa est. Dedit Creator creaturæ, Filius matri ineffabilem quamdam potestatem, & eam singulari priuilegio honorare voluit: ob idque salutis spem in illâ collocamus, non quidem ante Dominum, sed post Dominum; nam à Domino (quem totius boni originem esse cognoscimus) salutem principaliter expectamus.

Psal. 61. Quo sensu id faciamus.

3. *Deuotissimè innocãda, quia potenter subuenit.*

Tu Antimarianorum illorum blasphemias atque impudentiam abominare (orás tamen interim pro eis) & venerationem ipsius Mariæ charam habeto: ipsa enim est totius puritatis & sanctimoniæ exemplar absolutum, ipsa peccantium singulare refugium, ipsa omnium quos tentatio, calamitas, aut persecutio aliqua vrget, tutissimum asylum. Ipsa Regina cæli potentissima, ipsa dispensatrix gratiarum liberalissima, ipsa omnium fidelium mater misericordissima. Tota mitis est, tota serena, tota suauis, tota benigna, non solùm iustis & perfectis, verùm etiam peccatoribus ac desperatis: quos vt ad se ex corde clamare conspexerit, statim adiuuat, suscipit, fouet, & metuendo Iudici maternâ fiduciâ reconciliat. Nullum aspernatur, nulli se negat: omnes consolatur, omnibus sinum pietatis aperit, & vel tenuiter inuocata, præstò adest. Suâ ingenitâ bonitate atque dulcedine sæpè eos qui Deo minùs afficiuntur, ad sui cultum blandè allicit, potenterque excitat: vt per huiuscemodi studium præparentur ad gratiam, & tandem apti reddantur regno cælorum. Talis est, talis à Deo facta est, talis nobis data est: vt nemo eam horreat, nemo refugiat, nemo ad eam accedere trepidet. Fieri non potest vt pereat, qui Mariæ sedulus & humilis cultor fuerit. Tu igitur facito illam tibi vnicè familiarem.

Quin & alijs Sanctis Dei deuotum impende obsequium, prorsus credens, illos tui cordis pium affectum tuamque precationem agnoscere. Si libuerit aliquos deligere, quos peculiariùs venereris, & quorum patrocinio te frequentiùs commendes, laudabiliter omnino facies. 4. *Alij etiam Sancti honorandi & innocandi.*

Felix eris, si etiam in psalmodiâ sedulò te occupaueris; & suauitatem pacisque gratiam, quam illa in se continet, percipere merueris. Psalmodia enim planè est gratissima animarum tranquillitas, iucunda cordium serenitas, dulcis mœrentium consolatio, & honestâ lætantium compositio. Psalmodia dæmones fugat, Angelos inuitat, cælos aperit, & Deum ad miserendum veluti cogit. Ego malim Psalmorum etiam non penitus intellectorum dulcedinem vtcumque degustare, quàm eorumdem sensus absque sapore interno exactè tenere. 5. *Psalmodia cum summo affectu exoluenda.*

CAPVT XIX.

Meditatio Passionis Dominicæ.

1. Meditatio vitæ & passionis Domini, expeditissima ad perfectionem semita.

2. Proinde in illâ animus sedulò est exercendus.

3. Idque præsentissimâ attentione, summâ gratitudine, tanti beneficij accuratâ ponderatione.

CONSVLO, vt ante omnia mentem fideliter exerceas in his quæ Dominus noster 1. *Certissima ad perfectionẽ via, passionis Dominicæ meditatio:*

noster Iesus Christus pro nobis fecit, pro nobis locutus est, ac pertulit: nusquam enim inuenies tam præsens remedium aduersus vanitatum & illecebrarum blandimenta, aduersus passionum affectionumque vitiosarum corruptelas, aduersus tentationum & calamitatum procellas, aduersus tristitiæ ac pusillanimitatis depressiones; nusquam reperies tam certum compendium ad omnem virtutem, omnisque virtutis perfectionem consequendam, sicut in vitâ ipsius Saluatoris. Ex cuius frequenti pertractatione anima efficacissime purgatur à peccatorum vitiorumque sordibus, & in sanctam quamdam confidentiam intimamque familiaritatem eiusdem Domini adducta, illustratur cælesti lumine. Ipse enim Iesus, cui adhæret, *ignis consumens est, peccatorum purgationem faciens*: ipse Iesus quem affectatur, *lux vera* est, omnem hominem illuminans. Deut. 4. Hebr. 1. Ioan. 1.

2. *ideoque diligentissimè recolendas.* Igitur in vitâ Domini Iesu iuxta gratiam tibi datam versare, in eâ meditare, in eâ delectare. Hæc sit tibi requies inter labores, solatium inter angustias, munimentum inter tentationes, gaudium inter opprobria. Hanc die ac nocte tamquam pretiosissimam margaritam in arcâ pectoris tui reconditam habe: hanc vbique tecum circumfer: hanc internis oculis progrediens quiescensque amanter inspice, secundùm Dei donum, quod sese cordi tuo insinuauerit.

3. *sed cum attentione, gratitudine, & profundâ dissudicatione.* Non oscitanter neque perfunctoriè sacram historiam percurras: sed exhibe te præsentem spiritu, quasi ipse coràm cerneres ea quæ fiunt, & audires quæ dicuntur. Grato animo singula excipe atque amplectere: nam singula ærumnas exilij tui multum subleuare delinireque poterunt, si attentus fueris. Nullum aliud beneficium præstitit Deus maius illo quod contulit, quando pro nobis homo fieri patique voluit: quare omnino æquum est, vt ipsam dispensationem nostrę redemptionis frequentissimè animo pertractemus, & pro illâ sedulò gratias agamus; nam id & ipsi Domino gratissimum, & nobis vtilissimum est.

CAPVT XX.

Typi quidam exercendæ meditationis de Christi Domini infantiâ.

1. *Exemplum formandæ meditationis in Annuntiatione Dominicâ.*
2. *In Visitatione B. Elisabeth, matris Ioannis Baptistæ.*
3. *In sanctissimâ Christi Natiuitate.*
4. *Harum meditationum simplicitas miram habet adiunctam sublimitatem & suauitatem.*
5. *Adeò vt ipsarum vel nuda lectio vtilissima sit animæ deuotæ.*

QVANDO libet reuocare ad memoriam initia nostræ salutis, si te humiliora delectant, potes mente considerare, quàm serenus Gabriel Angelus thalamum sacratissimæ virginis Mariæ ingrediatur, quamque officiose eam salutet. Ingredere & tu cum eo, intendens diligenter his quæ tam ab ipso quàm ab illâ dicuntur. Contemplare modestiam, honestatem, prudentiam, humilitatem, verecundiam, & sanctitatem beatissimæ puellæ: quâ proferente hæc verba, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, mox Dei Filius Deus omnipotens in illius castissimo vtero virtute Spiritus sancti ineffabiliter conceptus, incarnatus, & homo factus est. Admirare mysterium, obstupesce ad tantam charitatem Domini, qui propter nos frater noster fieri non est dedignatus. Venerare sanctissimum illum vterum: exulta, & gratias age. 1. *Repræsentatio Annuntiationis Dominicæ ad meditandum.* Luc. 1.

2. *Item Visitationis B. Elisabeth.* Ibid. Deinde exurgens simul cum ipsâ purissimâ Virgine, eam ad montana conscendentem sequere. Accede propiùs, vt illa introëunte domum cognatæ suæ Elisabeth, mutuam virginis & aniculæ salutationem, mutuumque colloquium audias. O felices feminas, quarum altera Regem gloriæ, altera præconem gratiæ in vtero gestat! O apothecæ odoriferæ, perpetuæ lætitiæ suauitatem spirantes! O beati ventres, mundo noua gaudia breuì profusuri! Tandem dulcissimâ Virgine inde redeunte, tu quoque reuertere; offerens te illi fidelem comitem, humilemque famulum exhibens.

3. *Natiuitatis Christi Domini.* Ibid. Postremò cum eâdem prægnante, & cum sancto illius custode Ioseph, proficiscere in Bethleem: quò perueniens, commiseresce tenerrimæ Virginis, post diutinam fatigationem stabulum pro diuersorio eligentis. Inspice eam orationi vacantem, & cælestibus contemplationibus intentam: inspice, mirare, ac dilige. Lætare quòd nocte profundâ visitauit nos Dominus oriens ex alto: lætare quòd illa sine dolore, sine virginitatis detrimento, nobis peperit Saluatorem, Deum & hominem. Gaude, natum esse Messiam: gaude, impleta esse Prophetarum oracula. Ingredere Regis æterni palatium, ingredere stabulum: aspice quæ habeat cunabula Dominus dominantium: aspice conditorē orbis, infantulū in frigoris asperitate vagientem. Flecte genua ante diuinum illud præsepium: amplectere tenellos pedes Redemptoris tui: fige labia, & oscula iterùm atque iterùm imprime. Vincat verecundiam amor, timorem superet affectus. Dic deuotus, dic humilis & gra- Ibid.

Isaiæ 7. Matth. 1. Isaiæ 9. Cant. 3. Genes. 32.

tus: Adoramus te suauissime pusio, adoramus te dulcissime infans, adoramus te ô Rex Emmanuel, Princeps pacis, lux gentium: tibi gloria in sæcula sæculorum. Tene eum, nec dimittas, nisi tibi benedixerit.

4. *In his summa simplicitas, & summa sublimitas, atque suauitas:*

Consimili modo circa reliquam partem vitæ & conuersationis ipsius Christi te occupare poteris: neque enim locus admittit, vt omnia hîc percurramus quæ Euangelica narrat historia. Et fortè suauiores erunt meditatiunculæ quas tu ipse tibi formaueris, quàm eæ quas proposuimus. Sanè simplicia sunt quæ præscripsimus, & tamen eadem sublimia admodum sunt. Sic autem considera mores & actus Saluatoris, vt eum diligere, & humilitatem, patientiam, charitatem, commiserationemque eius imitari gestias.

5. *quarum vel sola lectio deuotionem gignit.*

Etiam nuda vitæ Christi lectio plurimum fructus tibi pariet, si verba Spiritus sancti (quæ ineffabilem vim in se latentem habent) piè & reuerenter exceperis. Nam & mulier illa quæ sanguinis profluuium patiebatur, ex fideli contactu fimbriæ vestimenti Dominici sanitatem recepit. Fimbria vestimenti, littera Euangelij est.

CAPVT XXI.

Formula meditationis de Passione Domini, & sanctissimâ Trinitate.

1. *De agoniâ in horto.*
2. *De proditione Iudæ, & captiuitate Christi, &c.*
3. *Plura mysteria vni diei, aut plures dies vni mysterio pro cuiusuis captu poterunt assignari.*
4. *Excellentia & efficacia huius exercitij sæpè ad altissimam contemplationem mentem subleuantis.*
5. *Saluator Christus spirituali intellectu meditatione potiùs, quàm laboriosâ imaginatione cogitandus.*
6. *Nec tantùm vt purus homo, sed simul verus Deus.*
7. *Modus securus ruminandi mysterium SS. Trinitatis.*
8. *Quæ non est per temerariam curiositatem ab inexercitatis inquirenda.*

1. *Meditatio Agoniæ in horto.* Luc. 22.

PRAECIPVE verò te exerce in beatâ passione ipsius Redemptoris. Poteris, si voles, singulis diebus aliquam eiusdem passionis partẽ mentis oculis præfigere. Exempli gratiâ: Vno die propones tibi Christum in horto constitutum, mœrentem, fixis terræ genibus orantem, & inter stupendi illius agonis pressuras, sudorem sanguineum fudantem. Hanc partem eo die meditaberis, & ad eam (si Deus gratiam donauerit) adspectum internum placidè diriges, vbicumque eris vacans ab alijs serijs cogitationibus, atque à legitimis impedimentis liber.

2. *Captiuitatis Christi à Iudâ proditi.*

Die sequenti similiter recogitabis apud te quid sustinuerit Dominus, quando à Iudâ proditus capiebatur, & colligatus abducebatur cum opprobrio. Hoc modo ipsam Dominicam passionem complebis ex ordine, & completam iterùm repetes ab initio. Marc. 14.

3. *Possunt plura mysteria vno die, vel vnũ pluribus diebus ruminari.* Ioan. 18.

Si magis libet plures eiusdem passionis portiones singulis diebus percurrere, vel pluribus diebus in meditatione vnius particulæ persistere, aut quotidie eam partem pertractare quę Christum in cruce pendentem repræsentat, age pro tuo affectu. Liberè sequere eam rationem, quæ captui tuo conuenientior, & deuotioni magis accommoda fuerit.

4. *Quàm excellens sit hæc exercitatio, ex quâ Deus sæpè mentem leuat ad altiora.*

Supradictis igitur rationibus occupa te pro tuo modulo circa humanitatem Christi. Hæc mentem tuam ita possideat, vt quidquid phantasmatum aliunde vitiosè se ingesserit, mox dissipetur. Hanc elige in quâ tutus requiescas, quamdiu ad altiora non proueheris: nauis enim est quâ mare sæculi huius citra periculum pertransire, atque ad beatam illam patriam feliciter peruenire poteris. Quamquam Dominus etiam te hîc nauigantem eò aliquando fortè sustollet, vbi ab omnibus rerum formis atque simulacris intus nudaberis, vbi omnis * actio in te cessabit; vbi denique tu à teipso deficiens, feliciter transibis in Deum. Eò interdum perducet te manus Domini, si expedierit, vt tempore huius exilij eò perducaris: si non expedierit, non perduceris.

* Laboriosa illa, quæ per multas rerum formas & sensus interni imaginationes exerceri solet à tironibus.

5. *Saluator potiùs intellectualiter quàm imaginariè repræsentandus.*

Vide autem ne ipsius Saluatoris visibilem imaginem anxiè quæras, dum cordi tuo facile non occurrit: quin potiùs relictâ lineamentorum & corporalis figuræ pressiori imaginatione, concipe mente spiritum Deum intus forisque tibi præsentem: concipe dulcem quamdam ac summè amabilem bonitatem, benignitatem, atque charitatem: attende eumdem ineffabilis maiestatis Dominum vbique præsentem, omnia cognoscentem, omnia penetrantem, omnia viuificantem, omnia portantem sine labore, omnia concludentem sine ambitu, omnia disponentem sine inquietudine, omnia gubernantem sine tædio. Hæc concipe: ita tamen vt in eis non labores: nam animæ fideli Redemptorem orbis cogitanti, sponte vel etiam necessariò aliquid ex prædictis sese offeret.

6. *non vt merus homo, sed homo-Deus:* Ioan. 1.

Neque enim ipsa fidelis anima humanitatem tantùm, sed & diuinitatem in Christo veneratur. Agnoscit Verbum sic carnem esse factum, vt non desierit esse Verbum. Vtrumque diligit, & carnem & Verbum: vtrumque adorat, & hominem & Deum, vnum Dominum Iesum Christum.

Quan-

7. *Quâ cautela de Trinitate meditandum.* Quando mentem tuam subit sanctæ Trinitatis memoria, non tibi fabrices absurda aliqua idola: non imagineris, Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse veluti tres homines, tresve deos: sed agnosce in personarum trinitate vnitatem Deitatis. Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus; & tamen Pater & Filius & Spiritus sanctus, non tres dij, sed vnus est Deus. Tres sunt personæ, at vna personarum substantia est. Hoc mysterium fide creditur, humanis rationibus non cognoscitur. Planè sacrosanctæ Trinitatis vna eademque est natura, vna eademque essentia, vna eademque æternitas, vna eademque gloria, vna eademque maiestas, vna eademque voluntas, vna eademque omnipotentia. Sicut autem hanc ipsam beatam Trinitatem substantiâ inseparabilem esse credimus, ita operibus inseparabilem esse profitemur. Quidquid facere dicitur Pater, idem facit & Filius & Spiritus sanctus: quidquid facere dicitur Filius, idem facit & Pater & Spiritus sanctus: quidquid facere dicitur Spiritus sanctus, idem facit & Pater & Filius: quia Trinitas operibus inseparabilis est. Sic dum adoramus Patrem, adoramus & Filium & Spiritum sanctum: dum adoramus Filium, adoramus & Patrem & Spiritum sanctum: dum adoramus Spiritum sanctum, adoramus & Patrem & Filium: quia Trinitas substantiâ inseparabilis est.

8. *Non convenit inexercitatis.* His qui in rebus diuinis minus exercitati sunt, non expedit vt curiosiùs inquirant Trinitatis rationem. Credant simpliciter atque fideliter, esse Trinitatem, quemadmodum Catholica confitetur Ecclesia: neque enim in die iudicij damnabimur, quòd hic naturam Dei nostri exactè non cognouerimus; sed si aliquid temerè dixerimus, dabimus vtique pœnas nostræ temeritatis.

CAPVT XXII.

Iacula piarum aspirationum.

1. Siluula orationum eiaculatoriarum, siue aspirationum, quibus mens ad Deum eleuatur.

2. Suauiores & vtiliores plerumque sunt quas vnusquisque pro suo sibi format affectu.

3. Efficax via est ad intimam cum Deo familiaritatem & coniunctionem.

4. Sed ad eam non temerè aspiret anima vitiorum fecibus etiamnum inuoluta.

1. *Promptuarium piarũ aspirationum.* VBIQVE in promptu habe verba aliqua efficacia, oratiunculasque iaculatorias, quibus spiritum tuum ad Deum reuoces atque eleues. Libet hic subijcere veluti siluulam quamdam talium precatiuncularum in hunc modum:

O anima mea, ecce Deus tuus, ecce Creator ac Redemptor tuus: ecce qui peccata tua delet, teque sanctificat: ecce vita & salus tua, ecce omne bonum tuum.

Vide quantum Rex regum humiliauerit se pro te: attende quàm acerba Saluator tuus pertulit pro te: perpende quantâ charitate diligat te, qui tantam paupertatem tantamque calamitatẽ propter te suscepit in se.

Mane cum Domino tuo, ne recesseris à Magistro tuo: neque enim benè tibi esse poterit, si Deum tuum deserùeris; neque rursum malè, si apud eum permanseris.

Relinque multa, & amplectere vnum: nam ***vnum est*** tibi ***necessarium***. Vnus est qui ineffabiliter te amat: vnus sit quem tu quoque singulariter diligas. Luc. 10.

Bone Iesu, pie Pastor, dulcis Magister, Rex æternæ gloriæ, ego te adoro, tibi benedico & gratias ago, qui tam charum habuisti me, qui tam stupenda fecisti, tamque indigna tolerasti pro me. ***Propitius esto mihi peccatori:*** munda, sana, & confirma me: dirige, doce, & illumina me. Luc. 18.

O vtinam tibi hactenus ingratus non fuissem! vtinam vel modò tibi placerem! vtinam emortuæ in me essent passiones affectionesque vitiosæ! vtinam verè humilis & mansuetus, verè liber & tranquillus coram te starem!

Vtinam tu solus cor meum possideres! vtinam prorsus cõtemnerem omnia transitoria! vtinam te solum quærerem, tibi soli afficerer, tibi indissolubiliter adhærerem!

Vtinam ardentissime amarem te! vtinam æstuantissimis desiderijs iugiter anhelarem ad te!

Eheu, Domine mi, quando purâ, simplici, & lætâ mente te colam? quando quietâ, stabili, & serenâ conscientiâ tibi seruiam? quando ab immensitate amoris tui absorbebitur spiritus meus?

Quid volo præter te? aut quid omnia mihi prodesse possunt sine te? tu solus sufficis animæ meæ.

O Deus meus, ô amor meus, ô desiderium meum, ô refugium meum! ô consolatio, spes, & fiducia mea! ô pax, requies, & illuminatio mea! ô gloria mea, deliciæ meæ, & omne gaudium meum! ô dulcedo mea, thesaurus meus, & omne bonum meum!

Quando te videbo? quando apud te ero? quando mihi silebit iste mundus? quando omnia impedimenta, omnesque vicissitudines huius sæculi mihi cessabunt? quando soluetur miserabilis captiuitas præsentis exilij? quando inclinabitur vmbra mortalitatis, & aspirabit dies æternitatis? quando depositâ sarcinâ corporis huius, feliciter & peren- Cant. 2.

Psal. 56.

perenniter cum Sanctis tuis laudabo te? *Miserere mei* Domine mi Iesu, *miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.*

2. *Vtiliores sunt, quas vnusquisque pro suo captu praeparat.*

Innumeræ aliæ aspirationes (sic enim vocamus ipsas oratiunculas iaculatorias) formari, vel è sacrâ Scripturâ peti poterunt. His quæ à nobis adscriptæ sunt, aliqui fortè iuuabuntur: verumtamen sapidiores erunt eæ quas cuique proprius affectus & gratia Spiritus sancti suggesserit, quàm eæ quas sensus affectusq; alienus subministrat.

3. *Efficacissime perducunt ad vnionem mysticam.*

Exercitium quod huiusmodi aspirationibus breuibusque precationibus constat, efficax admodum est ad vitia extirpanda, charitatemque promouendam. Porrò, fidelem animam talibus studijs deditam mouere non debet; quòd raro fortè sentiat se intimè copulari Deo ad quem aspirat: ipse enim Deus bonam illius voluntatem sanctumque desiderium suscipit perinde, ac si tota amore liquefacta perfectè sibi coniungeretur.

4. *Ad quam non debet temerè aspirare anima adhuc vitijs infecta.*

Ea anima quæ non ita dudum reliquit Ægyptum, & quam vitiorum squalor multum adhuc deuenustat, non sit impudens: hoc est, non temerè se ingerat in sacratissimos illos amplexus Sponsi cælestis; sed priùs ad pedes Domini residens, sordes abluere, formam excolere, habitum componere, moresque corrigere satagat: quæ omnia vbi tandem in melius commutata fuerint, tunc demũ liberiùs (seruatâ tamen liberali verecũdiâ) erigat se, & ad sublimiora oscula Regis æterni humiliter assurgat.

CAPVT XXIII.

Discretio in exercitijs assumendis, continuandis, abrumpendis.

1. *Quia nequimus semper cogitare diuina, saltem numquam cogitemus indigna.*
2. *Deus enim vbique est præsentissimus, cuius oculos revereri debemus.*
3. *Discretio adhibenda in exercitijs.*
4. *Neque enim cuilibet contingit cælestis theoria sublimitatem attingere.*
5. *Quisque hic vires suas explorare, & sequi mensuram gratiæ acceptæ debet, non præcedere.*

1. *Quando non potes cogitare diuina, indigna saltem numquam cogita, vel quæ mentē inquinent:*

QVANDO itinere, colloquio, vel quauis aliâ occupatione, rationabilique causâ præpeditus, non potes commodè diuina cogitare; vide saltem ne mala & indigna cogites. Non præcipit Deus vt tu sublimi contemplatione suspensus, iugiter cælestibus intendas, (neque enim eam gratiam omnibus electis suis largitur:) iubet tamen, vt mentem à vitiosis absurdisque cogitationibus, quantum in te est, abducas: quam si aliquid indignum fortè subierit, vult vt illud statim eijcias, & superiorem rationem à consensu modis omnibus liberam conserues. In mystico Christi corpore, hi qui gratiâ perfectioris contemplationis clarent, oculi dicuntur; alij vel manus, vel pedes sunt. Non autem oculi dumtaxat, sed & manus ac pedes salui erunt, vbi Christus vniuersa sua membra ad se collegerit. Sint igitur innocentes & sobriæ cogitationes tuæ: sit purum & tranquillum cor tuum. Quidquid illud inquinare, quidquid quietum mentis statum perturbare potest, diligenter vitato.

2. *maximè propter Dei vbique præsentis intuitum.*

Deus vbique te intuetur, & etiam abditissima intentionum affectionumque tuarum perfectè cognoscit. Adeò tibi præsens est, adeò intra te est, vt nec digitum quidem sine eo moueas. Hoc prorsus persuasum habe, hoc crede, & præsentiam illius ama ac reuerere; erubescens aliquid admittere, quod oculis tam excelsi tamque intimi spectatoris displiceat.

3. *Regula discretionis est, non omnia exercitia ab omnibus assumenda.*

Sanctam discretionem vbique seruato: neque enim expedit, vt quæcumque bona alios fecisse legis vel audis, ea tu mox, nullâ infirmitatis tuæ habitâ ratione, facias. Disce gratiam tibi donatam humiliter subsequi, non autem impatienter præcedere. Ne, inquam, coneris mentem illuc cum effreni impetu impellere, quò nondum conscendere potest: neque ad ea præstanda violenter ipse te perurgeas, quæ virtutem corporis aut animi tui prorsus superant.

4. *Nec omnes possunt ad sublimem contemplationem admitti.*

Si fuerit vtile, vt ad sublimitatem theoriæ cælestis peruenias, ipsa Dei gratia meliùs eò te deducet, quàm importunus tuus conatus ac labor. Vis fortè repentè summus fieri, vis ad perfectionem prouolare potiùs quàm progredi: at paucis planè id conceditur; neque enim expedit vt omnibus concedatur. Humilis esto, recumbe in nouissimo loco: fortassis aliquando dicet tibi Pater familias: *Amice, ascende superiùs.* Lucæ 14.
Quid caput tuum exagitas? quid mentem affligis? Deus non exigit vt in obsequio, quod illi impendis, te ipsum crudeliter excarnifices: sed vult te esse & spiritu & corpore sanum ac vegetum, nisi aliter ipse pro tuâ vtilitate ordinauerit.

5. *Sequere mensuram gratiæ concessæ, non eam præcurre.*

Quare turbaris quòd ea exercitia persequi non valeas, quæ alij persequuntur? Non refert quà incedas, modò ad charitatem peruenias. Diuersæ viæ ad illam perducunt: & quæ vni commoda est, alteri fortè non est omnino commoda; quia non omnibus eadem exercitiorum ratio conuenit. Talia assume igitur exercitia, quæ captui tuo congruunt; non tam spectans quid aut quantum alij præstiterint præstentque, quàm quid aut quantum tu præstare possis.

CAPVT XXIV.

Monita & regulæ discretionis in exercitijs.

1. *Modus est in omnibus exercitiis seruandus, maximè in lacrymis.*
2. *Priuata exercitia nec nimia sint, nec nimis obligatoria.*
3. *Semper orat, qui semper benè viuit.*
4. *Pro salute viuorum & mortuorum, aut pro honore Sanctorum, non solùm peculiaria, sed etiam ordinaria & communia exercitia fructuosè offeruntur.*
5. *Moderata austeritas in ieiunijs, vigilijs, alijsque mortificationibus, assumenda cum libertate spiritus, vbi status aliud non requirit.*

1. *Moderatio in omnibus exercitiis, maximè in lacrymis violentè exprimendis.*

OBSERVA prorsus, ne inualidis humeris tuis tam grauia imponas, vt oppressus obrutusque sub onere cogaris corruere ac deficere. Etiam in sanctis fletibus modus habendus est, ne caput debilitetur; maximè dum ipsæ lacrymæ cum vehementiori confractione funduntur. Si vel simplici sensibilis compunctionis pulsu animaduerteris lassari spiritum tuum, eam solerter subterfugito. Quando deuotionis gratia præsens est, non intempestiuè spiritum tuum perurgeas ad maiorem feruorem; sed placidè amori insiste.

2. *Exercitia priuata sint pauca, minimeq; obligatoria.*

Non irreuocabiliter te astringas ad magnum & intolerabilé aliquem precum numerum quotidie persoluẽdum, quin potiùs pro tuo affectu minue vel auge tua exercitia; nisi votum aut obedientia aliud exposcat. Si, causâ aliquâ exigente, ipsa eadem priuata voluntariaq; exercitia etiam ex integro aliquando omiseris, non ob id nimium angaris; sed vbique liber & tranquillus in Domino esse studeto.

3. *Benè vita, iugis oratio.*

Quid ægrè fers quòd non possis iugiter instare precibus? Si benè viuis, si à peccatis sedulò abstines, si tempus vtiliter expendis, si te in conspectu Domini verè humilias, Deum & cælestem patriam suspiras, semper precaris: sancta enim vita, sanctumque desideriũ, coram Deo assidua oratio est. Oportet tamen te precandi studio esse deditum: vt si non continenter, certè frequenter pijs doxologijs atque orationibus vaces.

4. *Etiam ordinaria exercitia pro peculiaribus finibus possunt offerri.*

Quando libet pro aliquibus viuis aut defunctis prolixiùs orare, aut quando vis diutiùs immorari cultui alicuius Sancti, si vel otium non suppetit, vel alioqui confusionem mentis suspectam habes, non erit necesse, vt consueta piarum actionum exercitia prorsus immutes; sed satis fuerit, si ea ipsa ad salutem illorum viuorum aut defunctorum, vel ad honorem illius Sancti perficere coram Deo statuas. Nam secundùm tuam intentionem opus tuum à Domino æstimabitur suscipieturque. Sanctos verè veneramur, dum colimus Deum qui fecit & sanctificauit illos: sicut rursus Deum verè colimus, dum Sanctos, in quibus ipse habitat, & quos in cælis iam sibi coniunxit, veneramur.

5. *Austeritas viuendi moderata assumenda, iuxta status exigentiam: cum Deo gratiores sint virtutes cordis.*

Necessariam cibi, potus somnique indulgentiam corpori non neges: in eâ re non sis multum acer, nisi Spiritu sancto reuelante certò didiceris, singularem abstinentiam Deo in te placere. Immoderata enim illarum refectionum subtractio (sicut & nimis vehemens infirmioris intellectus labor, nimisque vehemens imaginatio) tam spiritui quàm corpusculo plurimum incommodat, & amentiam plerumque parit. Grata quidem sunt Deo ieiunia, gratæ vigiliæ, grati labores externi, dum discretione seruatâ propter ipsum Dominum suscipiuntur: longè tamen gratior est cordis puritas, longè acceptior humilitas & charitas. Nam propter has virtutes illa, non hæ propter illa mandantur. Ergo omnia, quantum in te est, sic ordina, sic tempera, sic moderare, vt nusquam libertatem internam amittas, nusquam mente confundaris, nusquam viribus succumbas: & tamen ea, ad quæ obseruanda faciendaque voto vel obedientiâ astringeris, temerè non omittas.

CAPVT XXV.

Aliæ leges discretionis.

1. *Priuata exercitia nec pertinaciter sunt colenda, nec leuiter deserenda.*
2. *Sequi autem oportet Spiritus sancti tractum, qui varijs modis afficit interiorem hominem.*
3. *Periculosa est deuotio sensibilis, si impura sit, nec auidè appetenda: plerumque enim talis appetitus mercenarius est, & ab amore proprio, & Dei donum magis quàm Deum diligens.*

1. *Exercitia priuata constanter seruanda, non tamen pertinaciter.*

VIDE ne tua exercitia peragas cum pertinaci propriæ electionis decreto: sed etiam in illis temetipsum abnega. Internum Spiritus sancti inuitamentum, latentemque energiam & instinctum, diligenter obserua, ac promptè sequere: paratus ipsa exercitia pro eius voluntate, non autem pro inconstantiæ leuitate, mutare, ponere, positaque resumere.

2. *Quia Spiritus sanctus variis modis afficit, cui obediendum in omnibus.*

Aliquando in tuis priuatis orationibus, & sanctis ad Deum aspirationibus, fortè iuuabit te ore placidè proferre quæ precaberis: aliquando commodiùs vtiliùsque illa pertractabis mente tantùm. Aliquando quælibet absque longiori morâ pertransire, aliquan-

aliquando diutiùs in quibuslibet per meditationem immorari gaudebis. Aliquando solo desiderio, vel certè paucissimis verbis orare, eademque per suauem affectum sæpiùs repetere; aliquando pluribus diuersisque verbis precari placebit. Aliquando ex libro ipsas preces legere, aliquando citra libri adminiculum easdem Deo offerre dulce erit. Aliquando psalmodia, aliquando aliqua alia contemplatio palato cordis tui magis sapiet. Denique aliquando hoc, aliquando illud arridebit: & aliquando illam, aliquando istam exercitiorum rationem sequi iuuabit. Diuersis enim modis interiorem nostrum hominem Spiritus sanctus afficere, diuersisque vijs eum ad thalamum diuini amoris deducere consueuit: ad cuius pulsum atque euocationem semper paratissimi esse debemus, vt quacumque voluerit inflectamur, omni propriâ electione reiectâ.

3. *Deuotio sensibilis non est vehementer appetenda; quia periculosa est,*

Suauitatem deuotionis in ipsis tuis exercitijs impurè ne quæsieris. Non in eâ turpiter conquiescas: sed per eam ad Deum progredere. Admodum periculosa est spiritualis ingluuies, quâ quis dulcedine gratiæ ad oblectationem sui abutitur. Anima quæ hoc vitio altiùs infecta est, non potest dici pudica & fidelis famula Christi: neque enim Deo gratis obsequi vult, sed Dei donum magis quàm Deum diligit. Seruula mercenaria, non filia liberalis est. Si minùs ei adblanditur suauitas illa sensibilis, mox ipsa tota amarulenta, tota indignabunda, tota turbulenta, tota impatiens, pietatis studia deserit; & timoris pudorisque habenis excussis, dat se prorsus externis consolationibus. Videlicet si Deus eam oblectare vult, Deo seruit: sin minùs, ab eo recedit. Anima verò quæ fidelis ancilla, vel pudica spôsa Christi appellari meretur, non in Dei donis, sed in Deo quiescit. Siue Deus ei infundat, siue non infundat internam suauitatem, tranquilla permanet, hilariter suo Sponso famulatur, fideliter ei adhæret, constanter eum diligit. Magis optat voluntatem Dei fieri, quàm suam. Igitur cura, vt vbique casta puraque sit tua intentio: lætitiam salutaris Dei hîc expete, non tam vt delecteris, quàm vt ipsi Domino placeas.

& plerumque mercenarius appetitus est, atque ab amore concupiscẽtia natus.

Psal. 50.

CAPVT XXVI.

Sensibilis deuotio. Reuelationes. Consolationes. Eucharistia.

1. *Rationalis deuotio longè certior, Deoque gratior est quàm sensibilis.*
2. *Nam cordis ariditatem Deus vertit in nostram vtilitatem.*
3. *Reuelationes diuinæ à falsis visionibus secernendæ. Discrimen earum.*
4. *Humiliter se quisque obseruet in statu consolationis, non iactando Dei dona, sed ipsa soli Deo accepta ferendo.*
5. *Consolatio sensibilis nõ est semper indicium sanctitatis, cum sæpè sit teneritudo dumtaxat naturalis.*
6. *Quantâ cum reuerentiâ suscipi debeat venerabile Sacramentum Eucharistiæ.*

1. *Longè certior, Deoque gratior est deuotio rationalis, quàm sensibilis.*

Si tibi oranti, aut sacrificanti, aut diuina meditanti, aut sacræ lectioni insistenti, aut quoduis aliud sanctum opus facienti, deest sapidus ille deuotionis affectus, perge tamen in incœptis: & pium concipiens desiderium placendi Deo, offer ei cordis tui sterilitatem, ac laborem, in laudem æternam. Sic enim ipsa ariditas, quam perfers, non minùs erit illi grata, quàm internæ dulcedinis affluentia; imò verò fortè gratior: rationalis siquidem deuotio longè certior, ipsique Domino acceptior est, quàm deuotio sensibilis. Est autem deuotio rationalis, quando quis quodlibet peccatum odit & execratur, promptaque voluntate Deum colit; & ea quæ Deo placere cognoscit, strenuè amplectitur atque peragit. Si hanc deuotionem habes, nihil decedet mercedi tuæ, etiam si illam alteram non habeas.

2. *Etenim Deus ariditatem sæpè vertit in maiorem vtilitatem animæ.*

O quàm sapienter Deus nos à superbiâ vel purgat, si eâ infecti sumus; vel defensat, si non sumus infecti! O quàm misericorditer huius exilij amorem ab animis nostris præcidit, & beatam illam patriam suspirare nos compellit! O quàm piè salutem nostram etiam nobis non intelligentibus operatur! Meritò itaque eum tunc quoque laudare debemus, quando nos diuersis miserijs atque calamitatibus expositos veluti deserit. Reuerà enim numquam deserere potest, quos humiles bonæque voluntatis esse conspicit.

3. *Quâ cautelâ admittendæ reuelationes.*

Reuelationes cælestes ne curiosè expetas: diuersis enim periculis, diuersisque diaboli laqueis patent, qui ipsis reuelationibus temerè inhiant, & eis leuiter fidem adhibent. Nam communis noster hostis sæpè transfigurat se in Angelum lucis, vt eos, qui minùs attenti sunt, decipiat. Si visioni tibi ostensæ mox non credis, sed humiliter dubitas, donec rem euidentiùs certiusque cognoscas; Deum non offendis, etiamsi ab ipso Deo illa manifestetur. Ex reuelationes quæ cælitus pijs ostenduntur, mentem tandem consolari, emollire, humilemque reddere solent: contrà, visiones dæmonum dolo & præstigijs confictæ, nihil aliud quàm ipsam mentem conturbare, indurare, & peruicacem efficere consueuerunt.

4. *In statu cõsolationis maximè opus humilitate, dona Dei ipsi soli accepta ferendo;*

Quando à Deo benignè visitaris, quando tranquilla & serena sunt omnia, tu meræ

meræ illius gratiæ atque pietati id refer acceptum, non tuæ diligentiæ, neque tuis meritis aut laboribus. Nullo pacto tibi placeas, nullâ ratione ineptæ lætitiæ, aut periculosæ securitati te tradas: sed in sanctâ vigilantiâ, timoreque sancto iugiter contine teipsum, paratus recipere tribulationem inopiamque spiritualem, vbi Dominus eam ad te redire voluerit, ne de illorum sis numero quos Salomon designauit, dicens:
Prou. 1. *Prosperitas stultorum perdet illos.* Donum acceptum non intempestiuè apud te magnifices, neque de eo apud alios passim loqui gestias (diuulgare tamen illud verecunde humiliterque poteris, si vtilitas spiritualis vel necessitas exegerit) quin potiùs cogitationem tuam ab ipso dono tunc auerte, perinde ac si nihil accepisses, Deoque intende. Si illud exactiùs apud temetipsum expendere vis, ad hoc solum expende, vt & Dei erga te pietatem, & tuam erga Deum ingratitudinẽ meliùs animaduertas. Quod Dei est, totum Deo tribue, & gratus esto: tibi verò nihil adscripseris, præter peccatum. Agnosce te seruum esse inutilem, indignumque omni solatio & gratiâ: vt quantò magis proficis, tantò magis humilieris. Sola enim humilitas efficiet, vt bona quæ in te sunt, integra in te permaneant.

non iactãdo, vel sine necessitate alijs manifestando.

5. Sanè affectus illi, sensibili amore ac dulcedine pleni, quamuis præclara signa ferè sint, non tamen indubitata indicia salutis iudicari debent, nisi Spiritus sanctus reuelauerit. Nonnunquam enim sunt affectiones naturales magis quàm diuinæ: & in eo etiam corde, quod à Deo alienissimum est, gigni possunt. Quare nobisipsis semper vilescere, & inter castum timorem ac sanctam spem nauigare debemus, quamdiu in fluctibus vitæ præsentis versamur.

Neq; enim semper deuotio sensibilis cum sanctitate cõiungitur.

6. Quando sacrosanctam Eucharistiam suscepturus es, vide ne tremendæ atque cælesti illi mensæ indignè assistas. Deprime spiritum tuum, abde te in vallem profundæ humilitatis: confitere, & prorsus confitere te esse peccatorem. Ora Dominum, vt animam tuam purificare, suisque meritis ac virtutibus exornare dignetur. Accede in memoriam charissimæ incarnationis, passionis, & mortis eius, plenâ fide, certâ spe, sinceroque affectu; vt verè dicere possis: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare.* Suscepto demum Rege gloriæ, sollicitus esto, ne quid admittas quod oculos tanti hospitis offendat. Quòd si forte aliquid huiusmodi commiseris, & animam tuam peccando vulneraueris; mox ad pœnitentiæ remedium, & ad diuinæ misericordiæ confuge medicinam.

Eucharistiacum summâ veneratione suscipi debet, & cum pietate custodiri.

Luc. 22.

CAPVT XXVII.

Obedientia, & inobedientia. Conuersatio modesta cum ædificatione.

1. *Publica exercitia semper anteponenda priuatis, propter excellens obedientiæ meritum, supra priuatas deuotiones.*

2. *Hæresum enim origo est superbia & inobedientia; & ex eis miseranda obstinatio & cæcitas hæreticorum nascitur.*

3. *Ecclesiæ igitur decretis promptè humiliterque parendum.*

4. *Proprijque sensus pertinacitas frangenda.*

5. *Nemini præbendum scandalum.*

6. *Mores gestusque prudenter componendi, omni leuitate abiecta.*

7. *Cum grauitate tamen & modestiâ relaxandus interdum animus.*

8. *Omnis inordinatus affectus statim resecandus.*

COMMVNES actiones, & ea quæ vel ad obedientiæ rationem, vel ad proximorum necessitates spectant, semper tuis priuatis exercitijs antepone, adeò vt tuus esse desinas. Eximia virtus, eximia planè virtus obedientia est: contrà, nolle acquiescere, grauissimum omnino scelus est. Vili quopiam opere per obedientiam fideliter peracto, nonnunquam magis proficies in vitæ perfectione, quàm sublimibus exercitijs ex propriâ electione susceptis. Quidquid per inobedientiam feceris, totum à Deo reijcitur, totum in perniciem, non in vtilitatem tibi cedet. Obedi igitur Deo, obedi Ecclesiæ Catholicæ, obedi his qui vices Dei gerunt: obedi Antistitibus tuis, eosque reuerere, etiamsi ipsi minùs rectè viuere videantur. Nam si his non obedis, Deo non obedis: ipse enim dicit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Nihil prorsus prætuleris sanctæ obedientiæ: sed humiliter obtempera in omnibus, quæ certò mala non sunt.

1. *Publica priuatis præferenda, ex obedientiæ Christianæ merito.*

Luc. 10.

2. Hæreses non aliunde sumunt originem, quàm ex superbiâ & inobedientiâ. Quid enim faciunt hæretici? Simplicitatem quæ est in Christo, subsannant: sanctas Ecclesiæ traditiones atque consuetudines contemnunt, eas vana hominum somnia, frigidasque cærimonias impiè appellant: blasphemiarum aceruos in Sanctos Sanctasque Dei, in Christi matrem virginem Mariam, in Sacramenta nostræ Religionis, in ipsam denique beatissimam Trinitatem ausu temerario congerunt: fideles & Catholicos quosque irrident, exsibilant, oderunt, persequuntur: se sapientes, se Euangelicos, se Spiritu sancto plenos esse existimant: absurda dogmatum monstra comminiscuntur, proprio sensui pertinaciter inhærent: nolunt

Superbia enim & inobedientia hæreses generant & alunt.

nolunt ſequi Patrum orthodoxorum veſtigia, nolunt inclinare ceruices ad pedes matris Eccleſiæ: ſed pleni arrogantiâ, pleni inuidiâ, pleni inſano furore, in peruerſis dogmatibus perſiſtunt: quos etiam duritia cæcitaſque mentis eò dementiæ plerumque perducit, vt mortem intrepidè atque alacriter pro defenſione ſuorũ errorum ſubeant, effecti nimirum martyres, non Chriſti, ſed ſatanæ. In Martyribus Chriſti, ſancta mentis humilitas relucet; in martyribus diaboli, præfractus animi tumor apparet. Tu pro talibus Deum ſedulò precare, & peſtilentes eorum opiniones execrare.

Miſeranda hæreticorũ cæcitas & obſtinatio, vſque in mortem.

3\. *Eccleſiæ igitur ordinationi promptè obediendũ:*

Decretis ipſius Eccleſiæ, quam Spiritus ſanctus ſemper moderatur, obtempera: eius inſtitutionem, ſicut & ipſum Euangelium, ſequere, etiamſi plurimos non ſolum ex communi plebe, ſed ex Præſulibus Optimatibuſque in eâ vitijs ſeruire conſpexeris; area enim eſt, grana ſimul & paleas continens.

4\. *Propriuſq; ſenſus reprimendus.*

Proprij ſenſus obſtinationem caue. Eos qui ſpirituales ſunt, quique Deum timent, libenter conſule: talium iudicium tuo iudicio præfer. Neque enim facilè errat, qui humilis eſt, & alienæ magis quàm propriæ prudentiæ innititur: quòd ſi in huiuſmodi ſimplicitate errauerit, non ei errorem imputat Dominus. Vitioſam ſingularitatẽ fuge.

5\. *Scandalum alijs ne præbeas.*

Quantum in te eſt, proſpice ne alicui ſis ſcandalo. Si tamen te faciente vel dicente ea quæ omittere & reticere non licet, aliquis offenditur, non propterea deſiſtas ab inceptis: ſed humiliter pergens, & pro his orans qui ſcandalizantur, Deo committe negotium.

6\. *Mores tuos geſtuſq; prudenti grauitate compone.*

Omnia membra tua, omneſque ſenſus tuos ſedulò rege ac contine. Eſto compoſitus & maturus in moribus, hilaris & ſerenus in vultu, pudicus & verecundus in aſpectu, placidus & modeſtus in voce, innocens & purus in cogitatione, fidelis & ſtrenuus in opere, benignus & affabilis in conuerſatione; ita tamen, vt ipſa affabilitas tua ineptam lætitiam neſciat. A nugis vitioſis, à riſibus excuſſis, à iocis debitâ honeſtate debitoque temperamento carentibus, prudenter abſtine: his enim illiberalibus libertatibus puritas cordis læditur, & clauſtra ſancti pudoris violantur.

7\. *Licebit tamen aliquãdo animum modeſtâ relaxatione ſolari.*

Tu quidem congruis temporibus potes animum ad Dei honorem relaxare recreareque, etiam in rebus externis, vt ad ſpiritualia exercitia reddaris vegetior: ſed moderatè & purè id faciendum eſt. Deus non iubet vt nullum prorſus capiamus ſolatium ex creaturis, quas in ſui laudem condidit: non præcipit vt ab illis ſeparemur, niſi quatenus nos à familiaritate amoreque ipſius impediunt. Impediunt autem nos, quando illis plus quàm oportet, vel aliter quam oportet, afficimur; quando illis inhæremus, quando in illis conquieſcimus.

Inordinatus igitur affectus penitus reſecandus eſt: quo amputato, iam ipſæ creaturæ non ſeparabunt nos à Deo, ſed ad eum veluti manu ducent. Quidquid ſuaue, quidquid iucundum, quidquid amabile, quidquid admirabile ſe ſenſibus offert, id caſtè excipe, & ad Deum, vel ad æternæ beatitudinis ſtatum referre diſce. Sic enim delectaberis in Domino. 8.

Omnem tamen affectum inordinatũ ſtatim corrige. Pſal 36.

CAPVT XXVIII.

Mundus, magnus liber Dei.

1\. *In eo legit, ſed nihil intelligit animalis homo, quia neſcit literas Dei.*

2\. *Spiritualis legit, & intelligit gloriam Conditoris, indeque in eius amorem accenditur.*

3\. *Quotidiana Dei in creaturis ſuis miracula.*

4\. *Sicut omnia facit Deus ſolâ ſuâ virtute, ita & eâdem ſolus omnia conſeruat & gubernat.*

PROFECTO, ſi ipſæ creaturæ exactè prudenterque conſiderentur, mirificè animum conſiderantis in admirationem rapiunt, & ad laudem atque amorem ſummi Conditoris non parum accendunt. Nam vniuerſus iſte mundus veluti quidam liber eſt digito Dei ſcriptus, in quo ſingulæ creaturæ tamquam ſingulæ litterarum figuræ ſunt. Quemadmodum autem is qui litteras non nouit, ſi librum apertum inſpiciat, videt ſanè ipſarũ litterarum characteres, vim tamen & ſignificationem earum non comprehendit: ita is qui non percipit ea quæ Dei ſunt, conſpicit quidem externarum creaturarum ſpeciem; ſed internam illarum rationem non intelligit.* *Vir* enim *inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hac.* 1.

Animalis homo nihil intelligit in magno libro mundi quẽ ſcripſit digitus Dei. 1.Cor.2. Totum hoc caput 28. & 29. quod immediatè ſequitur, laudat & exſcribit, vt exemplum deuotiſſimæ contẽplationis, R.P. Thomas à Ieſu lib.3 de Contempl. cap.4. *Pſal.9.

Ceterùm homo ſpiritualis, qui oculos animi habet apertos, dum exteriùs Dei opificium contemplatur; quàm mirabilis ſit ipſe Opifex, intus concipit: & ex pulchritudine rerum quas conſiderat, tranſit ad pulchrum illud, pulchrorum omnium pulcherrimum, vnde omnis pulchritudo profluit. Cui in hac iucundâ contemplatione conſtituto, ſingula quæque prorſus miraculo ſunt: adeò vt ipſe obſtupefactus cum Prophetâ exclamare cogatur: *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! Omnia in ſapientiâ feciſti. Delectaſti me in facturâ tuâ, & in operibus manuum tuarum exultabo.* 2.

Docti autẽ ſpiritu, inde diſcunt gloriam & amorẽ Dei. Pſal.91. Pſal. 103.

Sanè non minùs ſtupendum videri debet, quòd humor vitis in vinum (Deo diſponente) quotannis conuertatur, quàm quòd 3.

Agnoſcunt quotidiana miracula Dei in mundo.

Ioan. 2. quòd olim in Canâ Galilææ, eodem iubente, aqua in vinum mutata fuerit: & maius est, multos quotidie creare qui non erant, quàm his qui mortui fuerant, vitam reddere. Nulla tam exigua, vel (vt ita dicam) tam vilis creaturula est, in quâ non reluceant hæc tria Dei inuisibilia, potentia, sapientia, & bonitas. Itaque Deus per ea quæ fecit agnoscitur, quemadmodum beatus Paulus asserit dicens: *Rom. 1.* *Inuisibilia eius à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

4. *Sola Dei virtus mūdum creauit, sola conseruat & regit.* Quantâ, quæso, admiratione dignum est, quòd ipse Deus cælum, terram, & omnia quæ his continentur, ex nihilo creauerit, pluraque creare possit, cùm sit substantiæ pelagus infinitum? Fecit omnia, (solum peccatum non fecit; neque enim ipsum aliquid esse dici debet) conseruat item omnia. Nam si virtute suâ non conseruaret illa quæ condidit, mox vniuersa redigerentur in nihilum: quia ex se nihil sunt, & omnino dependent ex Deo à quo facta sunt. Curat omnia: *Sap. 8.* *attingit à fine vsque ad finem fortiter, &* ab Angelo vsque ad extremum vermiculum *disponit omnia suauiter:* ita vt nec folium quidem ex arbore decidat absque eius prouidentiâ.

CAPVT XXIX.

Ascensus mentis in Deum per scalas creaturarum.

1. *Egregium paradigma transeundi à creaturis ad Creatorem: eius enim potentiam indicat illarum multitudo, magnitudo, imò & paruitas.*
2. *Sapientiam, earum species & qualitas, vt aptitudo & pulchritudo creaturarum, ipsaque etiam in deformitate concinnitas.*
3. *Benignitatem Dei docet vtilitas quam creaturæ adferunt homini.*
4. *Quàm meritò hinc & facilè in amorem & laudem Dei sit assurgendum.*

1. *Creatoris potestatem ostendit creaturarum multitudo.* POTENTIAM ipsius Conditoris manifestat rerum creatarũ multitudo & quantitas: sapientiam ostendit species & qualitas: bonitatem declarat vtilitas. Quàm multa creauit Deus? Numera stellas cæli, arenam maris, puluerem terræ, pluuiæ guttas, auium plumas, piscium squamas, pilos quadrupedum, folia & fructus arborum. Numera homines, volucres, pecudes, plantas, lapides: numera cetera omnia, si potes: si non potes, confitere esse innumerabilia. *Magnitudo & Paruitas.* Quàm verò magna creauit Deus? Metire moles montium, tractus fluminum, spatia camporum, altitudinem cæli, profundum abyssi. Rursum, quàm parua creauit Deus? nam ipsa quoque ad quantitatem spectant: & non minor potentia est, parua ex nihilo creasse, quàm creasse maxima. Igitur quàm parua creauit Deus? Vt prætereamus inanimata, attende papiliones, muscas, culices: attende scolopendras, formicas, tineas: attende singula insectorum animalculorum genera.

Iam quàm apta, quàm pulchra sunt quæ creauit Deus? Inspice structuram & compagem corporis humani, inspice fabricam cæli, considera elementorum dispositionem, temporumq; vicissitudines: considera cetera omnia, & vbique miram harmoniam, miram conuenientiam, mirum ornatum inuenies. Nam si vel folium arboris contemplari volueris, deprehendes in eo stupendum quoddam artificium. Videbis, quàm aptè eâ parte sit robustius, quâ parte ramis suę arboris est magis vicinum: videbis quàm conuenienter se dilatet, quàm pulchrè desinat, quàm decenter per gyrum veluti serratis dentibus circumsepiatur, quàm concinnè productis huc illucque costulis in sese intexatur. Inspice vnum aliquod, inspice & alterum eiusdem generis: tot inuenies dentes in vno, quot dentes in altero; tot costulas in vno, quot costulas in altero; talem figuram in vno, qualem figuram in altero. Quid porrò hac luce pulchrius? quid sereno cælo amœnius? quid rutilo sole venustius? quid lunæ stellarumque decore comptius? quid variorum flosculorum elegantiâ speciosius? Quid verno tempore magis formosum? in quo horti, prata, siluæ, agri, rediuiuo vestita ornatu, iucundissimum spectaculum nobis exhibent: in quo herbarum ac plantularum germina, latente quadam naturæ vi (quam ipse Conditor indidit) è terrâ mirabiliter prodeunt, & erecta sursum in suas spicas, tamquam morte proculcatâ, statum & gloriam futuræ resurrectionis appositè designant. Taceo de his quæ deformia videntur: nam & in eis pulchra admodum est ipsa deformitas, aspectumque non parum demulcet. Transeo ad illa quæ auditum, olfactum, gustum, & tactum oblectant. Quid philomelarum & galeritarum cantu gratius? quid liræ & citharæ modulatis sonis dulcius? quid rosarum ac liliorum redolentiâ suauius? quid sapore diuersorum fructuum atque condimentorum delectabilius? quid bysso & serico lenius? Omitto hîc & ea quæ aspera, & ea quæ amara sunt.

2. Sapientiam verò, earũ aptitudo, & pulchritudo. — *Miraculũ in qualibet fronde.* — *Pulchritudo lucis & astrorum.* — *Veris amœnitas.* — *Etiam in deformitate concinnitas.* — *Suauitas cantilenarum, & illecebra pro sensibus.*

Ecce autem omnia, & magna & parua, & pulchra & deformia, & dulcia & amara, & lenia & aspera, summus ille rerum Opifex ad sui laudem, hominumque vtilitatem, vsum, eruditionem, ac solatium condidit. Pauca perstrinximus, quia locus nõ admittebat 3. *Benignitatem, earum varia vtilitas.*

tebat vt multa diceremus: ceterùm omnia nec animo quidem comprehendi possunt, nedum verbis explicari.

4. *Hinc ad laudem & amorē Dei facilis ascensus.*

Tu ex his quæ dicta sunt, disce philosophari etiam in alijs quæ à nobis expressa non sunt. Omnia grato oculo contemplare. Dic nonnumquam apud temetipsum hæc aut similia: O quàm potens & quàm magnus est, qui tam multa tamque immensa creauit! O quàm pulcher & suauis est, qui tam amœna & dulcia condidit! O quàm bonus & liberalis est, qui omnia ista donauit! Ad hunc modum per creaturas transi ad Creatorem, ex creaturis mirare Conditorem, cum creaturis lauda benefactorem. Si defecato cordis oculo potueris considerare etiam inuisibiles Dei creaturas, animam rationalem puritate & sanctimoniâ ornatam, Angelos, Virtutes, Potestates, Dominationes, ceterosque cælestis aulæ ciues; iam miraculis obrutus, à teipso propemodum abalienaberis.

CAPVT XXX.

Pura intentio & omnimoda munditia menti deuotæ sedulò curanda.

1. In omnibus operibus adsit recta & pura intentio soli Deo placendi, valdè meritoria.

2. Temperantia constans in cibo potuque cum gratiarum actione, ad exemplum Christi.

3. Castitas tam in coniugio quàm in calibatu, in cogitatione præsertim aspectúque, sollicitè custodiēda.

4. Occasiones diligenter cauendæ: & quando ingeruntur, prudenter declinandæ.

5. Studendum quieti & silentio: omnisque curiositas de alienis moribus aut actibus deponenda.

6. Otiositas & somnolentia celeriter & viriliter discutiendæ.

1. *Mūditiam interiorem faciunt & conseruant, Recta in omnibus intentio.*

QVAE agenda sunt (etiam dum manducare, bibere, dormire, vel quoduis aliud solatium carni indulgere oportet) tu tali consideratione præueni, vt ea ipsa purè ad Dei honorem facere desideres. Nam quemadmodum opus, quod ex se grande ac magni momenti videtur, Deo prorsus displicet, si operantis intentio impura fuerit; ita opus quod ex se frigidum nulliusque momenti iudicatur, Domino plurimùm placet, si operantis intentio fuerit recta. Etiamsi, pietate ductus, ceruicem tantùm inclinaueris ante crucifixi Iesu imaginem, vel ad altare Dei genitricis Mariæ flosculos obtuleris, aut pedem moueris propter charitatē, non frustraberis à spe iustæ mercedis.

2. *Temperantia in cibo & potu.* *Rom. 13.*

Secundùm beati Pauli doctrinam, curam carnis ne feceris in desiderijs. Ingluuiem execrare: cibum & potum compositè sensimque sumito, omni ferinâ auiditate exclusâ. Non oneres ventrem plus quàm oportet: ne prægrauatus, ineptior sis ad interna exercitia. Præcipuè verò largior vini vsus tibi suspectus sit. Frustrà ad spiritualem vitam adspiras, si, tamquam vile quoddam impurarum voluptatum mancipium, escis te ingurgitas, gulæ incitamenta nusquam reprimés. Nimiam indulgentiam, nimiamque abstinentiam, pari diligentiâ vitato. Aliquando enim vel tantillum cibi fortè fastidies, quãtum naturæ fouendæ necessarium est. Si contigerit te minùs attentum esse, paulumque metas sanctæ sobrietatis prætergredi; leue quidem erit peccatum, non tamen erit negligendum. Agnosce culpam, suspira, innoua propositum; & omni pusillanimitate reiectâ, confide in Domino. Lautiores epulas vitiosè ne exquisieris: & dum tales exhibentur, eas tamquam si simplicissimæ essent sumito. Ipsa victus tenuitas nũquam ad indignationem puerilesve querimonias te prouocet; sed patiens esto: nam & Christus Dominus pro te felle atque aceto potatus fuit. *Ioan. 19.* Delectationem illam, quam esus potioque naturaliter conciliat, sic admitte, vt in eâ nō quiescas: non magis illa te occupet, quàm si non adesset. Sedulò gratias age pro beneficijs quę tibi à Deo quotidie pręstātur.

3. *Castitas coniugum, & calibatus sollicitè curanda.*

Si legitimè vxorem duxisti, ipsam solam thori participem habeto: & eâ non nisi castè ac legitimè vtere. Memineris te hominem esse, non brutum pecus. Igitur ratio, honestas, pudicitia, & timor Dei, ipsum coniugium (quo vxor tibi, tuque vxori, mutuò alligati estis) exornet. Si non habes vxorem, aut si, spretis carnis amplexibus, puras spiritus nuptias elegisti, si ad perfectæ castitatis obseruantiam statu vel professione adstrictus es, castissimus esto mēte, castissimus & corpore. Quando fit mentio copulæ carnalis, ne ibi hæseris: sed quantum in te est, simplicissimè leuissimeque huiusmodi opus præteruola: sciens id non esse aliud quàm ministerium quoddam propagationi generis humani subseruiens. Quòd si aliquis illecebrarum pruritus carnem titillauerit, repugna ratione. Felix omnino esses, si motus minùs decentes nec sentires quidem: sed & felix eris, etiamsi senseris, modò non consentias. Mulieris faciem curioso lasciuoque aspectu ne contempleris.

4. *Fuga occasionum.*

Occasiones malorum prudenter declina. Si necesse fuerit te ibi esse præsentem, vbi euidentiores peccandi occasiones habentur, muni infirmitatem tuam precibus, & Deum inuoca, dicens: *Fiat*, Domine, *cor meum*, & corpus meum *immaculatum* coram te. *Psal. 118.* Ea quæ audis & vides, consuesce inflectere ad spiritualem profectum, Deique honorem.

Quietem

5. *Quies & silentium, & abstractio ab aliorum negotijs.* Quietem & silentium dilige, secretum mentis quære, & cum Deo tuo intus versare. Quod nihil ad te attinet, quodque prorsus inutile est, id tu perquirere, audire, cognoscere, vel inspicere ne sis auidus. Non extra te, non circa aliorum facta curiosus fueris: sed intra te, & circa propria vitia, sit tua occupatio. Non, inquam, affectes aliorum mores & vitam discutere: non illis obseruandis te implices, nisi officij tui ratio requirat. Sed etsi officium poposcerit, temperanda tamen erit istiusmodi sollicitudo: ita vt aliena eatenus cures, quatenus necessitas vel animarum salus exigit, non quatenus curiositatis libido, animique leuitas suadet. In negotijs præcipitem & turbatum spiritus impetû fuge, ne interiori libertate spolieris.

6. *Otij, somnolentiæ repressio.* Otium, omnium malorum parentem, certissimumque animarum exitium, perhorresce: torporem ex animo sedulò expelle. Quamuis corpus fortè langueat, non tamen ratione prorsus cesseris socordiæ: sed spiritu & voluntate promptus esto. Somnolentiæ intempestiuæ sicut non semper obsequi debes; ita dum molestior est, aliquid pro opportunitate loci & temporis interdum concedere potes: vt leui breuique dormitatione recreatus, resurgas alacrior ad opera necessaria.

CAPVT XXXI.

Linguæ & aurium custodia. Amor proximi.

1. *Lingua prudenter & opportunè moderanda.*
2. *Contentiones amputandæ.*
3. *Nec teipsum laudes, nec alios vituperes.*
4. *Correptio, non nisi cùm expedit, exhibenda: hortando potiùs quàm obiurgando.*
5. *Qui lasciua, aut charitati contraria loquuntur, ne audiendi quidem sunt.*
6. *Neminem oderis. Licet tamen dissimulare familiaritatem, vt amicus ab offensâ Dei resipiscat.*
7. *Citò redi in gratiam, quando oborta fuerit aliqua simultas.*
8. *Charitas fraterna character est seruorum Dei.*

1. *Materia sermonis vtilis sit & honesta.* LINGVAM tuam à verbis illiberalibus minusque honestis compesce. Quæ vtilia & vera sunt, quæque conueniunt, dum tempus, locus, vel causa exposcit, sapienter loquere, omni dolo prorsus excluso, omnique vitiosâ simulatione reiectâ. Exiguum membrum est lingua: sed lubricum admodum, & ad ruinam procliue. Eam tu diligenter contine, & prudenter moderare.

2. *Procul à contentione, & pertinaciâ:* Verba tua odiosâ mordacitate, aculeisque immodestis & intempestiuis careant. Contentiones fuge: cum pertinaciâ facilè neque asseueraueris neque negaueris quidquam, nisi causa fidei aut salus animarum exigat. Dum veritatem placidè pronuntias, si nihil proficis, deinceps vnicuique suum relinque iudicium, & Deo omnia committens, teipsum in pace conserua: præstat enim vt opportunè cedendo quieti proprię conscientiæ consulas, quàm vt importunè disceptando & clamitando, interiora tua conturbes atque confundas.

3. *sicut & à laude tuiipsius, aut vituperio aliorum.* Quæ ad laudem tui, vel ad dedecus proximi spectare videntur, ea tu neque cupidè loquaris, neque cum voluptate audias. Quòd si talia vel loqui vel audire necesse fuerit, innocens puraque intentio adsit. Periculoso morbo laborat, qui de aliorum vitijs libenter loquitur, eaque temerè prodit. Talis, sæpè pietatis & iustitiæ zelum falsò prætexit, in his quæ ex merâ animi leuitate prauaque passione loquitur.

4. *Correptio opportuna, hortantis gestu, non obiurgâtis, in spiritu mansuetudinis:* Quando aliquis à te corripiendus, eum hortando monendoque potiùs, quàm increpando, vel passim infamando, conueni, quamdiu res lenitatem admittit. Si sæuiendum est, vide vt sine felle sæuias. Non furor, non propria causa, sed Dei amor, animarumque salus, vehementiorem correptionem abs te extorqueat. Ratio in te permaneat tranquilla. Ipsam sermonis asperitatem sancta discretio regat & temperet. Persequere peccatum, non hominem. *maximè si teipsum cōmotum sentis.* Nam homo res bona est, quam Deus condidit: peccatum res mala est, quam homo fecit. Intus dulci affectu miserere eius, in quem foris videris acriter inuehi, & ipsum tibi ex corde præpone. Si sentis animum tuum grauiùs esse turbatum, differ correptionem, donec cessauerit istiusmodi commotio, vel certè paucula tantùm verba absque impetu tunc loquere.

5. *Lasciua, & detractoria, ne audienda quidem.* Eorum sermonem, qui impudica, vel alioqui perniciosa loquuntur, honestè, quantum in te est, succide, & ad alia transfer. Exhorresce non solùm consentire, sed etiam diu præbere audientiam obtrectatoribus. Peccatis alienis numquam faueris.

6. *Neminem odisse licet:* Nullum hominem oderis, nulli vel signum minùs sinceræ affectionis volens ostenderis, quantumuis etiam fortè fueris læsus. Si exoritur in te aliqua aduersus alterum animi alienatio, mox eam præfoca: quòd si non præuales illam extinguere, ratione contradicito. Quando Deus offenditur, fortè potes tunc quidem dissimulare *licet tamen dissimulare amorem, vt amicus corrigatur.* consuetam familiaritatem erga delinquentem, vt ipse conspiciens te veluti immutatum, ad cor faciliùs redeat, & peccatum suum agnoscens se citiùs corrigat: veruntamen non debes illi malè affici, nec animi erga eum beneuolentiam deponere.

7. *Redi citò in gratiam.* Si dissidium inter te & alterum enatum fuerit,

fuerit, mox ea quæ turbata sunt (quantum ad te attinet) ad tranquillitatem reuoca, de reconciliatione tracta; ita vt nullum simultatis vestigium in corde tuo remaneat. Ingens malum, ingens prorsus malum est, odium in proximum: quo animam occupante, nihil iam geritur, nihil fit quod Deo placeat.

8. *Est enim proximi dilectio, certa tessera filiorum Dei.*

Quamuis multum ieiunes, quamuis eleëmosynas largiter tribuas, quamuis templum assiduè ingrediaris, iugiterque ores; quamuis cæleste illud Sacrificium quotidie in altari offeras: si fratrem odisti, non es ex numero filiorum Dei. Charitate filij Dei à filijs diaboli secernuntur. Tremenda sententia, sed vera. Dicit ipsa Veritas: ***In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*** Dicit Apostolus Veritatis Ioannes: Omnis, qui non diligit fratrem suum, non est ex Deo. Ex quo ergo? Sanè quilibet vel ex Deo, vel ex diabolo est. Omnes igitur homines purè ama, omnes honora: in omnes & beneuolus, & (quantum commodè licet) beneficus esto: omnes amico oculo, tamquam fratres & sorores, tamquam creaturas Dei præstantissimas, æternæque beatitudinis capaces, contemplare, vt placeas Patri tuo qui in cælis est.

Ioan. 13. 1.Ioan. 4.

CAPVT XXXII.

Iudicia & censuræ de alijs. Suiipsius cura nocte dieque.

1. *Suspiciones sinistra non sunt facilè de quoquam admittendæ: nec temerè iudicandum.*
2. *Potius alienum errorem excusa, quantum potes.*
3. *Sic tamen, vt, si opus sit, corripias & punias offensam erga Deum.*
4. *Mansuetè perfer aliorum defectus: & semper de illis spera meliora.*
5. *Inuidiam & maleuolentiam ex animo detestare.*
6. *Examen conscientiæ vespertinum numquam omitte: vt sic castus somnus sequatur.*
7. *Manè etiam expergefactus, primùm omnium ad Deum reuerenter intentionem cordis tui dirige.*

1. *Neminem iudica: de nullo malū suspicator.*

SVSPICIONES indignas iudiciaque temeraria reijce: de omnibus rectè opinari disce. Homines sumus, facilè fallimur: solus Deus cognoscit corda. Non leuiter neque temerè crediderις his, qui aliqua in infamiam aliorum referunt. Satius est, putare falsa esse fortè quæ dicuntur, quàm citò dictis fidem adhibere. Si aliquorum cura tibi commissa est, vigila: & quamuis aliquando metuas ne ibi malum lateat vbi malum non est; numquam tamen fixâ mente suspiceris ibi malum esse, vbi vtrùm malum lateat incertus es. Quòd si violentiùs se ingesserit intempestiua suspicio, ne consenseris, sed obluctare. Qui nimis facilè de alijs sinistra cogitat, miser admodum est, rarò conquiescere potest.

2. *Erratum proximi apud temetipsum excusa, aut minue:*

Ergo quæcumque manifestam Dei offensionem non habent, & quæ tibi incerta sunt, ea in meliorē partem interpretari consuesce. Si peccauit aliquis, commiserescе, & factū pie apud te excusa. Veniat in mentem, quàm fragilis, & ad lapsum prona sit humana conditio. Existima accidisse per leuem aliquam negligentiam, vel per tentationis vehementem impulsum; & dic intra te: Si talis necessitas me comprehendisset, fortassis ego grauiùs enormiusque corruissem. Reflecte mentis oculos ad te ipsum. Puta peccata fratris tui esse veluti festucam aliquam exiguam, tua verò esse tamquam trabem immanem, propter intolerabilem tuam erga Deum ingratitudinem. Humiliter precare Altissimum, vt & tuis & fratris tui delictis ignoscat.

Matth. 7. Luc. 6.

3. *sed ita, vt cùm expedire videtur, corripias mansuetè.*

Non tamen dicimus, ipsa fratrum peccata non esse reprehendenda, incusanda, atque etiam punienda, dum Dei honor & iustitiæ æquitas exigit (ignauia enim, non misericordia est, vitia intempestiuè dissimulare) sed animi affectum minùs sincerum damnamus. Qui germanam habet charitatem, commiserescit quidem delinquentium, & eos apud se piè excusat, eos diligit, eos sibi præfert: non tamen temerè illorum peccata dimittit impunita. Quod in alijs corrigere non potes, Deo committe: gemens interim coram illo.

4. *De omnibus benè spera.*

Nullius salutem vmquam desperaueris: nam qui modò pessimi sunt, mox Dei gratiā immutati, possunt esse sanctissimi. Disce aliorum imperfectiones æquanimiter tolerare, siue animorum, siue corporum imperfectiones sint. Omnes eumdem habemus Patrem, omnes eodem Sanguine sumus redempti, omnes vnum corpus verè dicimur. Igitur proximorum & mala & bona, tua esse existima: propter illa dole, propter hæc lætare; etiam si aduersarij sint ipsi proximi.

Ioan. 13.

5. *Procul facessat inuidia & maleuolentia.* 1.Ioan. 3.

Inuidentiæ pestis numquam animum tuum te cōsentiente subeat: nam si inuides, non diligis; si non diligis, non es ex Deo. Dum alios habere conspicis quæ non habes, dum plura vel sublimiora gratiarum dona eos accepisse consideras, quàm ipse accepisti, non propterea minùs sincerè afficiare: sed propter hoc ipsum illos magis ama, & Spiritum sanctum in eis venerare. Gaude, & gratias age Deo: sic enim illorum merita reuerà tua efficientur, & de alienis coronaberis tamquam de proprijs. Si doles,

non

non doleas quòd ipsi boni perfectique sint, sed quòd tu malus sis & imperfectus. Desidera,& annitere esse bonus atque perfectus, sicut vides illos bonos ac perfectos esse.

6. *Examen conscientiæ vespertinum:* Conscientiam tuam frequenter discute (adhibito tamen modo) teque reprehende. Maximè in fine diurnarum actionum id facito, priusquam somno te tradas. Recogita apud te seriò, in quibus eo die deliqueris: & petitâ à Deo veniâ,animo propone deinceps peccata vitare diligentius. Commenda te ipsi Domino Iesu Christo, eiusque sacræ Genitrici, atque Angelo peculiari custodi tuo: & edito Crucis signo, corpusculum in lectulo pudicè compone; sicque somnum placide expecta, pium aliquid mente pertractans.

7. *& matutinum exercitium.* Similiter quando surgis, signum Crucis attente exprime, veniamque peccatorum humiliter a Deo postulato: & reiectâ inutilium phantasmatum confusione, serium aliquid meditare. Lauda Creatorem, gratias age, offer ei animam pariter & corpus; ac precare, vt eo die te conseruare dignetur. Sic sic vitam institue: sic ad æternæ felicitatis gaudia festinato.

CAPVT XXXIII.

In defectibus eradicandis valet bonæ voluntatis constans magnanimitas, cum fiduciâ erga Deum.

1. *Quisquis est bonæ voluntatis, & verè amat Deum, non despondeat animum, quantumuis se infirmum sentiat.*

2. *Bona enim voluntatis ingens est thesaurus, quem Deus continuè auget.*

3. *Pugnam tentationum perfer patienter vsq; in finem, & abundanter Deus iuuabit sperantem in se.*

4. *Difficultas pugnæ auget meritum victoriæ.*

5. *Affectibus vitiosis viriliter est occurrendum.*

1. *Quantumuis infirmus, animum non despondeas, sed in Dei auxilio confidas:* FORTE dicis: Et quid mihi erit spei, qui diuersis animi passionibus sum obnoxius, qui perfectiora assequi nequeo, qui vel minimam vitæ austeritatem, leuissimosque labores sustinere vix possum? Sit ita sanè, vt sublimem conuersationem exhibere, & dura tolerare non queas: sed numquid non potes bonæ voluntatis esse, & Deum proximumque diligere? quid enim leuius, quid dulcius, quàm diligere? quid contrà magis graue & amarum, quàm odisse? Quid iucundius, quid facilius, quàm benè viuere? quid rursum magis inamœnum & laboriosum, quàm Deo derelicto vitijs seruire? Planè ita est: minore negotio nobis cælum comparare possumus, quàm infernum. Si Deum diligis, si bonæ voluntatis es; etiam tu ex numero filiorum Dei es. Iam si es filius, quantumuis sis paruus, eris & heres. Quid enim? num Dominus magnos filios suos ad regnum admissurus est, & paruos exclusurus? Nequaquam: sed quicumque sunt eius, id est, quicumque charitate insigniti apparent dum hinc emigrant, licet perfectam charitatem non habeant, salui erunt, & aliquando gaudijs cæli perfruentur. Dicit enim Scriptura: ***Omni habenti dabitur, & abundabit.*** hoc est, Cuius habenti charitatem, habenti meritum, dabitur præmium. Non dixit, Multum habenti dabitur, parum verò habenti non dabitur: sed, ***Omni***, inquit, ***habenti dabitur, & abundabit.*** Prorsus aliquando abundabit: quia tantum habebit quantum satis erit, habebit quidquid voluerit.

Deus enim semper respicit bonā voluntatē. Rom. 8. Galat. 3. Luc. 19.

2. *Immensus est thesaurus, bona voluntas, & à Deo indies augetur.* Tantus thesaurus est bona voluntas, vt totus mundus ei æquiparari non possit. Quando vis quidem & desideras aliquid boni perficere, sed non potes; istiusmodi sancta voluntas, tamquam ipsum opus à Deo suscipitur. Si verò operari potes,& non operaris; iam nec voluntatem quidem operandi habes. ***Pax hominibus bonæ voluntatis.*** Luc. 2. Itaque non abieceris animum, propterea quòd adhuc imperfectus infirmusque sis: sed humiliare coram Domino, & his qui perfecti sunt, absolutam vitæ sanctimoniam gratulare. Potest præstare Deus vt magis crescas. Ipse nonnumquam maiora largitur, quàm homo ausit vel expetere.

3. *Pugna viriliter contra tentationes Dei auxilio patienter & hilariter ineunda.* Nihil dubites: si tuæ saluti conducere, suoque honori congruere viderit, efficiet vt vitiorum rubigines, quas in initijs melioris vitæ vix ferreâ (vt ita dicam) limâ eradis, posteà etiam leuissimo flatu decutias atque propellas. Quòd si voluerit te graui certamine exerceri, priusquam ipsa vitia, efferatosque animi motus, perfectè in te possis subigere; si, inquam, etiam vsque ad extremum vitæ terminū domesticos illos hostes tibi molestos esse permiserit, nequaquam mente consternêris: sed plenus fide, patienter manum eius sustine, voluntatemque hilariter amplectere.

4. *Eò gloriosior corona, quò pugna difficilior.* Licet enim is qui ad tristitiam, indignationem, iram, & consimiles animi passiones naturaliter procliuis est, magis angatur, quàm is qui animum habet naturaliter lætum ac tranquillum: si tamen strenuè obsistit suis perturbationibus, & eas propter Deum æquanimiter tolerat, efficacius purgatur à peccatis, & gloriosiorem coronam in cælis sibi parat. Nam carnis irritamenta, & vitiorum insultus, quibus impetiti sedulò renitimur, virtutem non adimunt, sed perornant, meritumque adaugent. Facilè placidus

dus est, qui internarum turbarum strepitus rarò perfert. Facilè hilaris est, cui mœroris tenebræ rarò sunt molestæ. Facilè sobrius est, quem ingluuies rarò sollicitat. Facilè purus est, cuius animum libidinis stimuli atque obscœna illa insomniorum spectra rarò affligunt.

5. *Passionibus deprauatis resistendum diligenter.* Matth. 7. Luc. 11.

Studeto religare ac premere ipsas passiones affectionesque vitiosas. Placidè fac quod in te est. Quære, pete, pulsa: sciens, pijssimum Conditorem gratum habere laborem & desiderium tuum. Sæpè enim illi magis placet studij nostri diligentia quâ ad virtutem enitimur, quàm ipsa virtutis suauitas quam percipimus. Pretiosior coram eo est humilis profundaque propriæ imperfectionis agnitio, quàm miraculorum vel aliorum grandium operum exhibitio.

CAPVT XXXIV.

Anhelandum ad vera vitæ cælestis gaudia.

1. *Felicitas & securitas vitæ cælestis, ad quam omnes pij adspirant & suspirant.*
2. *Vt hanc mortalem cum illâ commutent, velut hiemem tristem cum frugiferâ æstate.*
3. *Christus animam hinc egredientem suauissimè consolatur.*
4. *Fluxa & vana sunt huius mundi gaudia: futuri sæculi solida & sempiterna.*

1. *Anhela semper ad securam cælestis vitæ felicitatem.* Philip. 1.

VTINAM ipsius Dei amor, præsentisque sæculi contemptus, ita in te ferueret, vt verè dicere posses cum Paulo Apostolo, *Cupio dissolui, & esse cum Christo!* Nihil est quod fidelem amantemque animam magis exhilaret, quàm quòd speret, se, postquam huius vitæ stadium emensa fuerit, peruenturam ad beatum illum sinum æternæ pacis; vbi nullo ampliùs vitio inquinabitur: vbi nullo timore, nullo periculo, nullâ anxietate, nullâ rerum vicissitudine affligetur: vbi plena charitate Deum absque aliquo impedimento laudabit: vbi perfectissimè illi placebit, & præter eum nihil amabit: vbi denique tota illum possidebit, & ab illo tota possidebitur. Cùm hæc in vitâ præsenti stabiliter & integrè haberi non possint, mors ipsa iustis desiderabilis, vel certè tolerabilis est. Sentiunt enim quàm sit grauis vitæ mortalis hiems, ob idque æstatem vitæ immortalis desiderant.

2. *Illa vita, est læta æstas; vita mortalis, mœsta hiems.*

Verè tristis hiems est hæc vita, quam corruptionis propriæ torpor constringit, quam ignorantiæ caligo obnubilat, quam tot molestiarum, tot laborum, tot ærumnarum imbres irruentes quotidie atterunt. Qui premente hieme afflicti suspirant; vbi æstas aduenerit, acceptâ consolatione gaudebunt.

Felix illa hora, & tempus illud optatissimum, quando cælestis Sponsus animæ sanctæ de carcere corporis egredienti lætus occurrit, eamq; blandâ allocutione inuitat, dicens: *Surge, propera amica mea. Iam enim hiems transijt, imber abijt & recessit. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ: vineæ florentes dederunt odorem, & vox turturis audita est in terrâ nostrâ.* Egredere cum iucunditate, filia charissima: nihil trepides, nihil expauescas: euadis exilium, relinquis miseriam calamitosi sæculi. Non iam erit dolor, nec gemitus: deinceps corpus quod corrumpitur, non aggrauabit animam: introducta enim in gaudium Domini tui, de incorruptionis munere sine fine lætaberis.

3. *Suauiter consolatur Christus animã hinc egredientẽ.* Cant. 2.

Apoc. 21. Sap. 4.

4. *Mundi voluptas caduca & sordida: cæli gaudia, pura & solida.*

Sed hæc legens carnalis aliquis, qui rebus visibilibus, vel etiam sordidis voluptatibus consueuit delectari, sibiipsi fortè dicit: Et quale-nã gaudium ibi esse poterit, vbi epulę, comessationes, & carnis amplexus deerunt? Eheu miser! istiusmodi carnalium delectationum appetitum non sanitas, sed morbus conciliat. Modò ægrotas, malâque siti æstuas: quam si explere potueris, felicem te arbitraris. Sed vbi simul cum isto corpore etiam morbum deposueris, extinguetur sitis noxia, quâ iam infeliciter laboras. In futuro sæculo qui ad Deum peruenient, veris solidisque delectationibus perfruentur. Non indigebunt corruptibili cibo vel potu, qui Deum possidebunt: pleni enim Deo erunt. Deus erit illis cibus, erit potus, erit quidquid optauerint: omnia in eo habebunt, cuius visione satiabuntur. Videbunt semper, satiabuntur semper: & semper videre semperque satiari desiderabunt. Sine anxietate desiderabunt, & sine fastidio satiabuntur.

CAPVT XXXV.

Amœnitas patriæ cælestis.

1. *Insignis apostrophe & suspiratio ad patriam cælestem: in quâ primò pingitur eius opulentia & felicitas.*
2. *Deinde ostenditur eius fons, beata Trinitas vnus Deus; participes verò, omnes Angeli & animæ sanctæ.*

1. *Felicitas æterna ex similitudine rerum corporearũ adumbratur.* 1. Cor. 2.

O VITA æterna! ô patria amabilis! ô cælestis Ierusalem, de te quid scribitur? quid dicitur? quid creditur? In te est bonum illud, gaudium illud, solatium illud, quod oculus non vidit, quod auris non audiuit, quod cor humanum comprehendere non potest: ob quod tot Martyrum legiones mortem animo paratissimo susceperunt. Portæ tuæ electissimis nitent margaritis: plateæ tuæ mundissimo sternuntur auro: muri tui pretiosissimis constant lapidibus:

In

In te inæstimabiles hortuli & amœna tempe semper virent: in te perennes flosculi ac violæ iugiter vernant: in te cinnamomum & balsamum ineffabilem suauitatis odorem indesinenter spirant: omnium rerum species in te sine defectu vigent, sine transitu permanent, sine corruptione consistunt, sine mutabilitate sempiternæ sunt. In te est temperies & serenitas, omnem captum humanum excedens: in te est pax & requies omnem sensum exuperans: in te est dies æternus, & vnus omnium spiritus: in te est certa securitas, & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix suauitas, & suauis iucunditas: in te fulgent iusti sicut sol. Nihil quærere, nihil desiderare, nihil amare quis poterit, quod in te non inueniat. Id solum quod non est, in te non est. *Matth. 13.*

2. *Oritur, & continetur in Deo vnitrino. Psal. 83.* O quantum incontaminatæ lætitiæ pelagus, quantus sincerissimæ voluptatis torrens, quanta purissimæ delectationis abyssus est, videre Deum deorum in Sion, cernere incomprehensibilem illam summæ Trinitatis gloriam: inæstimabilem illam pulchritudinem clarissime contemplari, ineffabilemque illam dulcedinem perfecte gustare, vnde omnis pulchritudo & dulcedo rerum creatarum promanat: beatissimam Dei Genitricem intueri, Angelorum choris interesse, cum sanctis Patriarchis & Prophetis, cum sanctis Apostolis & Martyribus, cum sanctis Confessoribus Virginibusque perpetuum habere consortium: omnes cæli ciues agnoscere, & singulis felicitatem æternam gratulari. Dilige hanc beatitudinem, & ad eam frequenter suspira. Ipsam quidem oculis istis carneis modò videre non potes; sed oculis fidei vtcumque percipere potes. Crede quod non vides, vt aliquando merearis assequi quod credideris. *Participatur à choris Angelorum & Sanctorū.*

CAPVT XXXVI.

Præparatio ad mortem beatam. Protestatio morituri, & consolatio.

1. *Vana mortis formido corrigenda est ex consideratione diuinæ benignitatis.*
2. *Optima præparationis ad mortem gradus septem.*
   1. *Vigilanter mortem expectare.*
   2. *Cum imminet, expedire se à curis sæculi.*
   3. *Munire se Sacramentis Ecclesiæ.*
   4. *Recolere Passionem & merita Christi.*
   5. *Inuocare patrocinium B. Virginis & Sanctorum.*
   6. *Induere patientiam & resignationem, exemplo Christi.*
   7. *Corporis sollicitudinem deponere, & de animâ satagere.*
3. *Protestatio fidelis in Ecclesiâ Catholicâ morituri.*
4. *Consolatio piorum in Domino decedentium.*

AMARE desine quæ mundi sunt, & recessum è mundo grauatim non feres. Verùm tu fortè nihil iam in ipso hoc mundo magnopere diligis, nihil possides quod relinquere paratus non sis: angit te tamen adhuc pauor nescio quis, propterea quod ignores, quomodo te migrantem Deus excepturus sit, vtrùm ad æternam paradisi requiem, an ad transitoriam Purgatorij pœnam. Non est necesse te aliquid horum scire: ista certitudo tibi sufficiat, quòd habeas Dominum pijssimum, qui peccata misericorditer delet, qui bonam voluntatem tribuit, qui & potest & vult saluare te, si humiliatus confidas in eo, non in te. Ex consideratione immensæ bonitatis eius, concipe fiduciam, salutisque expectationem. 1. *Consideratio bonitatis diuinæ eycit vanam mortis formidinem.*

Semper vigila; semper, quantum in te est, lumbos habeto præcinctos, & lucernam ardentem: vt cùm venerit Dominus ac pulsauerit, confestim ei aperias. Maximè verò horâ mortis euidenter appropinquante, sedulò te ad felicem exitum præpara. Expedi cor tuum à curis & sollicitudinibus huius sæculi, Sacramenta pro viatico gratâ mente suscipe: & animam tuam humiliter Deo commenda. Recole passionem pijssimi Redemptoris tui: beatam eius crucem in spiritu amplectere, osculare rosea illa Vulnera, teque totum in eis imprime. Precare Iesum, vt suo pretioso Sanguine vniuersa peccata tua delere dignetur. Commenda te etiam sacratissimæ eius Genitrici virgini Mariæ, ceterisque cæli ciuibus, illis potissimùm, quorum venerationi peculiariùs fuisti addictus. Sanè si Mariam ex corde inuocaueris, si ad eam humiliter & confidenter te conuerteris, ipsa introitum regni, quem tua iniquitas iustitiaque diuina tibi fortè occludebat, aperiet: mater enim misericordiæ, & porta paradisi est. Quamuis in te fluctuet & trepidet naturæ infirmitas, quamuis horror mortis sese ingerat, quamuis dolorum aculei pungant, & cruciatus vndique torqueant; tu tamen patientiam serua, & persiste in sanctâ spe, sanctâque erga Deum fiduciâ. In omnibus abnega te, & trade ipsi Domino, subinde dicens cum Christo sub mortem pauente ac mœrente: *Pater, fiat voluntas tua.* sic enim requiem atque refrigerium inuenies. Non tibi videatur durum, corporaliter mori, cùm ipse Christus mortem carnis subierit. Ille præcessit, & veluti viam strauit, commodamque reddidit, ne te pigeret sequi: illius igitur mors, mortem tuam soletur. Corpus istud corruptibile quod

2. Præparatio bona ad mortē continet septē media: Luc. 12. 1. Vigilantem eius expectationem: 2. Abstractionem à curis sæculi: 3. Sacramenti viaticum: 4. Cogitationē Passionis Christi: 5. Patrocinium Virginis & Sanctorū: 6. Patientiam, & resignationem ac fiduciam in Deum ex morte Christi. Matth. 26. 7. Non esse sollicitum de corpore.

quod relinquis, vile quoddam vestimentum modò est. Quid ad te, si computrescat, si in cinerem & fauillam redigatur, vbi illud deposueris? Securus exue vestem, quam Deus tuus aliquando restituet tibi integram, fulgidam, atque incorruptibilem.

3. *Protestatio deuotè ante mortem facienda pro fide Ecclesiæ.*

Vt autem absque periculo præteruoles diaboli laqueos, & feliciter effugias eius insidias, quibus nonnumquam migrantes affligere solet; interim dum adhuc compos es sensuum tuorum, potes mente vel etiam linguâ contestari, te ex animo ignoscere omnibus qui tibi aliquando molesti fuerunt, & cupere in eâ fide vitam hanc finire, in quâ conuenit obedientem sanctæ matris Ecclesiæ filium mori: te credere vniuersa, quæ à veris orthodoxisque Christi fidelibus credenda sunt: & si quid vel impugnatione diaboli, vel violentià morbi huic proposito contrarium fortè cogitares, loquereris, aut faceres, te nullo pacto assentiri tali absurditati.

4. *Pia fiducia & consolatio fidelis Catholici in morte.*

Hac protestatione factâ, deinceps omnia impietatis susurria, quæ diabolus obganniet rit, contemne & irride, imò verò nec animaduertas quidem ea, si fieri potest. Confide in Domino, innitere ei: omnem cogitatum tuum, omnem formidinem, quin & teipsum totum in eum humiliter proijce. Hoc enim illi gratissimum est, hoc abs te summopere expetit: ob idque dicit in Psalmo: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum.* Non te fallet Pater tuus, non te reijciet tui amantissimus; sed proteget te. Eo autem protegente, nullus iam erit qui nocere possit.

Psalm. 90.

CAPVT XXXVII.

Salutis nostræ fiducia, Christus est.

1. *Tota salutis nostra spes collocanda in meritis Christi, in quibus nostra merita fundantur.*
2. *Bona voluntas in se pauperrima, in vnione meritorum Christi fit ditissima.*
3. *Non vt superbè & otiosè confidamus: sed ne abiectè & anxiè diffidamus.*
4. *Etiam seram pœnitentiam admittit Deus.*

1. *Fiducia Catholicorum in meritis Christi, quæ sunt fundamentum meritorum nostrorum.*

POTISSIMAM salutis spem non tam in meritis bonorum operum, quæ fortè egisti, quàm in meritis ac miserationibus Iesu Christi constituas. Verumtamen si vel ad diffidentiam, vel ad desperationem, importunè animum sollicitauerit inimicus, opportunè objicies illi ea quæ gratia Dei in te perfecit: sed præcipuè objice passionem Dominicam, objice mortem communis Redemptoris. Prorsus agnosce te peccatorem & miserum esse, quantumcumque etiam in perfectione vitæ profecisse videaris. Nam vbi aut nullam, aut certè vnicam maculam in te animaduertis, Deus fortè sexcentas, vel etiam multò plures deprehendit. Tu per teipsum salutem non consequêris: ceterùm apud Deum omnia sunt possibilia.

Si bonæ voluntatis es, si Deum amare cupis, in eo diues es, licet alioqui in te admodum pauper ac nudus. Potes enim humiliter tibi vsurpare ea quæ ille pro te fecit ac pertulit. Tibi homo factus, ex vtero Virginis intemeratæ prodijt: tibi laborauit, tibi ieiunauit, tibi vigilauit & orauit, tibi persecutiones, iniurias, opprobria, ludibria, flagella, dolores & angustias pertulit: tibi Sanguinem fudit, & animam posuit, tibi resurrexit, & in cælum ascendit. Iam si cum tantis meritis Dei tui, tua atque adeò vniuersa omnium hominum peccata comparaueris, quid erunt? Quid enim erit granulum arenæ, si cum monte, cælum & terram circumquaque implente, conferatur?

2. *Quæ licet in se pauperrima, in Christo sit abundantissima: quia Christus bonam voluntatē nostrā coniungit cum meritis suis.*

Hæc dicuntur, non vt superbè confidas; sed ne humilis factus diffidas. Non hi dumtaxat ad Deum perueniunt, qui vel diu sanctè vixerunt, vel magnam vitæ austeritatem præstiterunt; sed quicumque *cor contritum & humiliatum* exhibent, ab ipso clementer respiciuntur suscipiunturque, quantumuis etiam modico tempore bene vixerint. Latro ille in cruce pendens, quàm breuem pœnitentiam egit, & quàm repentè salutem æternam consecutus est?

3. *Hæc cogitatio superbiam reprimit, & anxietatem abiicit.* Psal. 50. Luc. 23.

Sed esto: non obtingat sanè omnibus qui serò pœnitentiam agunt, id quod illi obtigit (neque enim omnes sic affecti sunt sicut ille affectus fuit) multum tamen est, vitæ correctionem hîc vel inchoasse. Qui enim in hac peregrinatione vitam corrigere inceperit, sed morte interceptus correctionem consummare non potuerit, nequaquam peribit; vtpote in quo fundamentum charitatis Dei permanserit. Et quamuis adhuc purgari debeat, priusquam pleno illo æternæ beatitudinis gaudio perfruatur; interim tamen certæ spei non destituetur solatio.

4. *Deus non reiicit pœnitentium seram conuersionem.*

CAPVT XXXVIII.

Contra desperationem & anxietatem sub horam mortis.

1. *Pœnitentiam veram, quantumuis seram vel breuem, Deus recipit.*
2. *Quâ ratione timorata conscientia se confirmet contra diffidentiam & desperationem.*
3. *Ne sis sollicitus de loco, tempore, aut genere morbi vel mortis: sed tantùm cura, vt benè viuas, & cum desiderio placendi Deo moriaris.*

1. *Vera pœnitentia, etiā breuissima, à Deo acceptatur.* Ezech. 33.

QVID hac Dei promissione liberalius? *Impietas impij*, inquit, *non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate suâ.*

sua. Non ait, si biennio, si bimestri, si biduo ante mortem conuersus fuerit: sed, *in quacumque die conuersus fuerit*, in quacumque die ingemuerit, saluus erit, modò verè rectèque ingemiscat.

2. *Pulcherrima panoplia contra desperationem & pusillanimitatem.* Licet igitur insipiens cogitatio tua obmurmuret atque obstrepat, clamitans vitam tuam talem nõ fuisse, vt sperare debeas te peruenturum ad æternam illam gloriam; responde cum sanctâ humilitate & piâ fiduciâ: *Scio cui credidi*, scio me ineffabili charitate adoptatũ esse in filium. Licet Domino facere quod vult: vult autem misereri, vult saluare; quia sic decet eius clementiam atq; bonitatem. Non multitudo, non enormitas peccatorum meorum, non miseria quotidianæ fragilitatis meæ me terrere potest, dum illius Incarnationem, Passionem, ac mortem memoriâ repeto. Ipse me redemit, ipse sanguinem fudit, ac moriendo debitum exsoluit. In immensum maior est eius misericordia, quàm sit aut esse possit mea iniquitas. Sacrosancta illius Vulnera testantur me esse reconciliatum, si verè me pœnitet iniquitatum, si verè eum diligere cõcupisco. Beata sua brachia in cruce expandit, vt me peccatorem suscipiat atque complectatur: ego inter illa & viuere & mori desidero. Video in Deo meo carnem meam: vbi portio mei glorificata est, ibi me iam gloriosum esse confido. Et quamuis mea iniquitas ab hoc gloriæ consortio me repellat, naturæ tamen communio ad illud admittit. Non est tam inhumanus Dominus, vt non diligat membra sua, viscera sua. Miseratio eius, singulare meum meritum. Quamdiu ille non desierit esse misericors, non sum inops meriti: quòd si misericordiæ eius multæ, diues ego quoque sum meritis. Quisquis pius Dei cultor & orthodoxus Ecclesiæ Catholicæ filius est, eo modo sese sub mortem confirmare potest, aduersus omnem desperationis impulsum: tu igitur talis esto.

2.Tim. 2.

3. *Sollicitus esto vt benè viuas & moriaris, non de modo, loco aut tempore mortis tuæ.* Porrò vtrùm domi an foris, vtrùm in lectulo an in agro, vtrùm placido an violento mortis genere hinc emigraturus sis, ea res non multum te sollicitet neque angat. Fieri non potest vt malè moriatur, qui benè vixerit. Qualicumq; morte is præoccupetur, erit in refrigerio: siue igne, siue aquis, siue ferro, siue tormentis, siue bestiarum incursibus, siue elementorum tempestatibus, siue apoplexiâ, siue peste, siue subitò, siue non subitò, siue multis astantibus, siue nullo præsente vitam finiat. Tu igitur diuinæ prouidentiæ te totum crede: & benè viuens, mortem lætus expecta. Quâ præsente, egredere securus ad Patrem benignissimum, exoptans vt non minùs in æternitate, quàm in tempore vtatur te quemadmodum voluerit. Egredere, inquam, non tamquam carceri crudeliter ab eo mancipandus; sed tamquam sinu misericordiæ pie suscipiendus atque fouendus.

Sap. 4.

Hunc canonem frequenter relege, & ad eum vitam tuam sedulò examina: vt quid in te minùs rectum sit facilè agnoscas, agnitumque protinus corrigas.

PRECATIO.

MISERERE *mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundũ multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Ego vilis vermiculus, & inutilis peccator, supplici mente adoro te, totoque cordis affectu pietati tuæ gratias ago, ô Pater cælestis, qui per vnigenitum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, cooperante Spiritu sancto, cùm periissemus, misericorditer requisisti nos. Gratias ago pro inenarrabili tuâ erga nos dilectione, quâ ipsum Vnigenitum tuum, è sinu Diuinitatis tuæ in hanc vallem miseriæ nostræ descendere voluisti, vt peccatores saluos faceret. Constituisti eum instauratorem animarum, *vt omnis qui credit in illum*, omnis qui per sanctam charitatem illi placere studet, *habeat vitam æternam*. Misisti eum ad nos Doctorem optatissimum, qui depulsis ignorantiæ tenebris, veritatem annuntiaret, & mentes nostras agnitione sanctissimi Nominis tui illustraret. Misisti eum Ducem pijssimum, qui iter rectum ostenderet, & omnem virtutem, omnisque virtutis perfectionem in se demonstraret. Misisti eum auxiliatorem fortissimum, qui principem tenebrarum regno diu vsurpato deturbaret, & fractis omnium hostium nostrorum viribus, igneaque rhompheâ ab introitu paradisi remotâ, credentibus cælum aperiret. Mi Pater dulcissime, ego vltimus seruorum tuorum ex penitissimis animæ meæ medullis gratias ago pro sanctâ eius Incarnatione & Natiuitate, pro eius paupertate & innocenti conuersatione, pro eius Passione & morte, pro eius Resurrectione & Ascensione, pro vniuersis eius documentis atque operibus. Gratias ago pro mysterio viuifici Corporis ac Sãguinis illius, quo in Ecclesiâ tuâ pascimur, potamur, abluimur, sanctificamur, & summæ Diuinitatis participes efficimur. Gratias ago, quòd regeneraueris nos in spem viuam per resurrectionem eiusdẽ Vnigeniti tui, quodq; per ipsum adoptaueris nos in filios, signans mentes nostras Spiritu sancto, & donans nobis pignus hereditatis æternę. Gratias ago pro omnibus miserationibus inexhaustæ bonitatis tuæ, quibus dignatus es nobis indignis subuenire per

Psal. 50. 1. *Gratiarum actio pro beneficiis Christi erga totum genus humanum.*

Ioan. 3.

1. Pet. 1.

2. Cor. 1.

1. Pet.2.

per eumdem Vnigenitum tuum Redemptorem nostrum, faciens nos tibi *genus electum, regale sacerdotium*, gentem sanctam, populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

2. *Gratiarũ actio pro peculiaribus beneficiis in nosipsos collatis.*

Gratias ago, quòd me nullius momenti puluisculum per lauacrum sacri Baptismatis ab originali culpâ emundaueris, prorsusque purgaueris, ac rectam fidem donaueris: quam etiam augere non desinis per illuminationem gratiæ tuæ, & cohortationes sanctorum Patrum, atque institutionem matris Ecclesiæ. Gratias ago, quòd ab ipso vitæ meæ exordio me semper nutriuisti, vestisti, ac fouisti, suppeditans omnia quæ huic corpusculo sunt necessaria. Gratias ago, quòd à puero me per vniuersa ferè scelera diuagantem atque lasciuientem, patienter tolerasti, expectans donec gratiâ tuâ resipiscerem. Nam si mecum, sicut commerueram, agere voluisses; iam olim anima mea, infinitis peccatis, culpis, & negligentijs onusta, perijsset, meque viuum terra dehiscens absorbuisset. Gratias ago, quòd me à periculoso sæculi huius consortio, & peccandi occasionibus segregatum, adiunxeris seruis tuis fidelibus, opportunitatemque tibi seruiendi concesseris. Gratias ago, quòd ex innumerabilibus insidijs, tentationibus, angustijs, tribulationibus, & periculis, me hactenus liberaueris; dirigens, conseruans, ac protegens animam meam & corpus meum misericorditer, vitæque meæ ordinem inter prospera & aduersa mirabiliter dispensans. Pater suauissime, pro omnibus quæ mihi largitus es à primis cunabulis infantiæ meæ, & pro vniuersis bonis quæ quibusuis hominibus vmquam dedisti ac daturus es, ego ex intimis præcordijs viscerum meorum, sicut possum, tibi gratias ago: precorque, vt pariter omnes spiritus Angelici, atque omnes Sancti & electi tui, te pro ijsdem beneficijs laudent & glorificent in æternum.

3. *Inuocat Dei auxilium & protectionem.*

Ego quidquid gratiarum abs te accepi, tibi commendo: serua, quæso, dona vltroneæ beneficentiæ tuæ: non mihi, non diabolo, non alicui creaturæ liceat illa subuertere. Attrahe me virtute omnipotentiæ tuæ, & vndique constringe: ne ego proprio sensu propriaque voluntate liberè vtens, corruam in conspectu aduersariorum meorum, & deorsum præcipiter. Numquam me mihi relinquas, sed frenum casti timoris tui maxillis animæ meæ immitte, quo iugiter regar & continear. Vbique paternam mei curam gere, & tentationes quæ obueniunt sic tempera, vt ex eis proficiam, non deficiam: tu enim nosti quàm fragilis sim, & quàm nulla sit virtus mea. Si me deseris, non possum nisi peccare, inquinari, obdurescere, obtenebrari, mala malis addere, & in profundum extremę iniquitatis demergi. Dum prospera blandiuntur, guberna me: dum aduersa premunt, adiuua me: dum gaudeo, custodi me: dum tristis sum, consolare me. Numquam permittas seruum tuum nimio mœrore nimiaque pusillanimitate absorberi: sed sanctâ & perpetuâ erga te fiduciâ stabili cor meum. Cinge me vndique protectionis tuæ muro inexpugnabili: muni me virtutis tuæ armaturâ impenetrabili. Beati Angeli tui iugiter defendant animam & corpus meum aduersus dolos atque insultus inimici.

4. *Orat liberari à vitiis, præsertim superbia.*

Pie Pater, rogo te per incomprehensibilem misericordiam tuam, vt numquam in me durissimam superbię pestem dominium aut locum habere patiaris. Obtestor te exorabilis Pater, per venerandam humilitatem Vnigeniti tui, vt repellas à seruo tuo omnem animi fastum & arrogantiam, omnẽ ostentationem & insolentiam, omnem inanis gloriæ appetitum & proteruiam, omnem contentionem & pertinaciam, omnem iniquum ausum & inobedientiam, omnem furorem & amarulentiam, omnem dolum & simulationem vitiosam. Nullum vmquam vani elatique animi signum in me appareat. Prosterne & prorsus contere sub pedibus famuli tui spiritum tumoris & cenodoxiæ, spiritum ingluuiei & lasciuiæ, spiritum turpitudinis & socordię, spiritum crudelitatis & iracundiæ, spiritum odij & inuidentiæ. Numquam me efferam de donis misericordiæ tuæ, numquam aliquem despiciam, numquam alicui me præponam, numquam me aliquid esse existimem.

5. *Postulat virtutem humilitatis.*

Oro Domine, vt sicut sanctos Angelos, qui tibi, non autem superbo spiritui adhæserunt, confirmasti in gratiâ tuâ; ita me inconcussâ inuiolabilique firmitate stabilire digneris in profundâ humilitate: adeò vt cor meum nec velit nec possit vmquam erigi per superbiam. Deprime sensum meum, & interioris hominis ceruices; vt ego tibi subiectus atque obtemperans, feliciter huius peregrinationis iter conficiam, & ad te aliquando perueniam. Sim semper paruulus in oculis meis, vitam agens per omnia tibi placentem. Te reuerear, te offendere formidem, tibi nihil præferam, Ecclesiæ tuæ vicariorumque tuorum præceptis cum omni humilitate & animi promptitudine obediam: aliorum consilijs salutaribus acquiescam: piorum iudicium meo iudicio anteponam. Tribue mihi virtutem calcandi inuisibilem leonem & draconem, aspidem Psal. 90.
& basiliscum, effugiendique omnia venena,

& om-

& omnes insidias diaboli. Mina me, & trahe post te tamquam mansuetum animal: efficeque, vt numquam aduersus tuam voluntatem recalcitrem, sed plano gressu absque aliquâ querimoniâ aut murmuratione te infatigabiliter sequar. Excita, quæso, excita tarditatem meam stimulis gratiæ tuæ, vt omni torpore excusso, tibi corde paratissimo famuler. Imaginem tuam in me semper claram ac fulgentem conserua, alens in intimis meis fidem integram, immaculatam, orthodoxam, feruentem, cunctisque virtutibus ornatam, quæ mundum contemnat, cælum attendat, præsentia negligat, æterna suspiret, & inter quasuis tentationum atque persecutionum procellas insuperabilis tuo munere perseueret. Indue me veste nuptiali, sanctâ charitate: vt diligam te Dominum Deum meum ex toto corde meo, ex totâ animâ meâ, & ex totis viribus meis; tibique ita copuler, vt nullo rerum euentu abs te vmquam separari possim. Elangueat & prorsus pereat in me inordinatus amor rerum transeuntium: tu solus palato animæ meæ sapias, solus me lætifices, solus interiora mea possideas. Concede vt Præpositos, seniores, fratresque meos, sincere semper amem. Omnes verè diligam: amicos in te, inimicos propter te. Da, Domine, da seruo tuo cor humile, cor contritum & tractabile, cor sobrium, castum, immaculatum, beneuolum, mansuetum, tranquillum & serenum. Da cor prudens, cor sacro ardore æstuans, cor de fratribus benè sentiens: cor in aduersitate & peccatis aliorum dolens, in prosperitate & meritis exultans: cor flens cum flentibus, & gaudens cum gaudentibus. Ipsum cor meum præfractum ac saxeum scinde tuâ potenti virtute, & altiùs penetra tuâ suaui vnctione, reddens illud ita pium, molle ac tenerum, vt semper & ex commiseratione alienæ calamitatis resoluatur, & ex recordatione inenarrabilis dulcedinis tuæ colliquescat. Præpara mihi egeno & pauperi mensam sanctarum lacrymarum: vt eis nutriar ad laudem nominis tui. Lugeant præcordia mea die ac nocte, propter vulnera animæ meæ, & propter intolerabilem iniquitatem meam. Oculi mei tuâ visitatione perculsi, deducant fontem aquæ placidè manantem ex grandi amore tui, ex flagranti desiderio patriæ cælestis. Ne, quæso, mihi extremæ ouiculæ tuæ deneges portiunculam huius optatissimæ gratiæ, quâ patres meos effusissimâ liberalitate perornasti. Quid aliud quàm interno gelu obrigere possum, nisi tu benedictionis tuæ beneficium impendas? Faue, Domine, faue votis meis, & terram cordis mei sterilem atque aridam, conuerte in fertilem & irriguam. Ecce ego pro eiusdem cordis mei odiosâ duritiâ humiliter offero tibi cordis Vnigeniti tui pietatem gratissimam: hæc illam expiet, & te placet, o Pater clementissime. Da mihi inuictam in omnibus quæ molesta sunt patientiam: da mentem vsque adeò innocentem, quietam, mitem & benignam, vt neque malum cogitare, neque in aliquem iniurius esse, neque ob alicuius improbitatem perturbari, neque erga aliquem malè affici possim. Da, vt imperfectionem, infirmitatem, & ignorantiam aliorum æquanimiter feram, omnium miserear, omnes honorem, omnibus ex animo benè velim. Concede mihi humilem verecundiam, concede sanctam cordis vigilantiam, perfectamque linguæ continentiam: vt neminem damnem, nemini obtrectem, neminem irrideam, & praua atque indigna quæque loqui horream. Non me leuiter occupem circa fratrum mores ac vitia; sed mihi tibique intendam. Effrenes, inordinatos, præcipitesque animi impetus à me propelle: vt, ea quæ agenda sunt, opportunè, tranquillè & compositè, in tuo nomine aggrediar ac perficiam. Largire mihi, Pater indulgentissime, largire semper sanctæ quietis atque vacationis secretum. Non permittas me turbulento maligni huius sæculi strepitu vexari, neque improbis rerum externarum occupationibus distrahi: sed expedi spiritum meum ab omnibus impedimentis, vt tibi liberè seruiam. Quamdiu carcere corporis huius detineor, hæc sit pars mea, hæc consolatio exilij mei, vt ego ab inquietis curis prorsus absolutus, & tuo cultui totus deditus, tibi vacem, tuas laudes decantem, in te exultem, tibi adhæream, in te conquiescam: fugiam, secedam, sedeamque in silentio, excipiens pacato animo doctrinam cælestis sapientiæ. His studiis tædium peregrinationis meæ mitigem, hac ratione finem calamitosæ huius vitæ æquanimiter expectem. Tu præsta, Pater misericordiarum, Deus meus, vt in ipso mortis articulo tam purus coram te inueniar, quàm purum me in Baptismo esse præstitisti: vt corpore exutus, mox te videre, atque in æternum glorificare merear, meritis dulcissimæ Genitricis Dei virginis Mariæ, singularis Aduocatæ meę, & intercessionibus omnium Sanctorum tuorum. Amen.

Marginal notes: *Fidei.* — *Charitatis.* — *Cordis rectitudinē.* — *Lacrymas compassionis,* — *deuotionis,* — *& compunctionis* — *Ios. 15. 19.* — *Patiētiam & mansuetudinē,* — *Bonū linguæ vsum,* — *Animi tranquillitatem,* — *Contēptum sæculi,* — *Studium rerum diuinarum.* — *Beatam mortem in Domino.*

IVBILVM AMANTIS ANIMAE,

in octo Hymnos rhithmicos diuisum.

HYMNVS I.

IESV *dulcis memoria,*
Dans vera cordi gaudia,
Sed super mel & omnia
Eius dulcis præsentia.
Nil canitur suauiùs,
Nil auditur iucundiùs,
Nil cogitatur dulciùs,
Quàm IESVS *Dei Filius.*
IESV *spes pœnitentibus,*
Quàm pius es petentibus,
Quàm bonus te quærentibus!
Sed quid inuenientibus?
IESVS *dulcedo cordium,*
Fons veri, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Nec lingua valet dicere,
Nec littera describere:
Expertus potest credere,
Quid sit IESVM *diligere.*

HYMNVS II.

CVM *Mariâ diluculo*
IESVM *quæram in tumulo;*
Cordis clamore querulo,
Mente quæram, non oculo.
Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus:
IESV *prouoluar pedibus,*
Strictis hærens amplexibus.
IESV *stringam vestigia,*
Et flendo figam labia:
Vt detur mihi venia,
Atque perfecta gratia.
Mane nobiscum Domine
Pulsâ mentis caligine,
Cæcos illustra lumine,
Mœstos reple dulcedine.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Vilescit mundi vanitas,
Et intus feruet charitas.

HYMNVS III.

AMOR IESV *dulcissimus,*
Et verè suauissimus,
Verè pijs gratissimus:
Id loqui non sufficimus.
Hoc probat eius passio,
Et Sanguinis effusio,
Per quem nobis redemptio
Datur, & Dei visio.
IESVM *omnes cognoscite,*
Amorem eius poscite:
Ipsum vbique quærite,
Quærentes inardescite.
IESVS *Rex admirabilis,*
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
IESVS *auctor clementiæ,*
Totius spes lætitiæ,
Amoris fons & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.

HYMNVS IV.

TVA IESV *dilectio,*
Grata mentis refectio;
Replet sine fastidio,
Dans famem desiderio.
Qui te gustant, esuriunt:
Qui bibunt, adhuc sitiunt:
Desiderare nesciunt
Nisi IESVM *quem diligunt.*
Quem tuus amor ebriat
Nouit quid IESVS *sapiat:*
Quàm felix est quem satiat!
Non est vltrà quod cupiat.
Desidero te millies,
Mi IESV, *quando venies?*
Me lætum quando facies,
Vt vultu tuo saties?
Tuus amor continuus,
Mihi languor assiduus:
Tu totus es mellifluus,
Fructus vitæ perpetuus.

HYMNVS V.

IESV summa benignitas,
Mira cordis iucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringit charitas.
Bonum mihi diligere
IESVM, nil vltrà quærere,
Mihi prorsus deficere,
Vt illi queam viuere.
O mi IESV dulcissime,
Spes suspirantis animæ,
Te piæ quærunt lacrymæ,
Et clamor mentis intimæ.
Quocumque loco fuero,
Mecum IESVM desidero:
Quàm lætus cùm inuenero,
Quàm felix cùm tenuero!
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quæ vincunt mellis pocula:
O quàm beata copula!
Sed in his parua morula.

HYMNVS VI.

IAM ecce iure gaudeo:
Nam quod cupiui, teneo;
Amore IESV langueo,
Et corde totus ardeo.
IESVS cùm sic diligitur,
Dilectio non perditur,
Non tepescit, non moritur,
Plus crescit & accenditur.
Hic amor ardet dulciter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Et delectat feliciter.
Hic amor missus cælitus,
Hæret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur spiritus.
O beatum incendium,
O ardens desiderium,
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium!

HYMNVS VII.

IESVS sole serenior,
Et balsamo suauior,
Omni dulcore dulcior,
Ac cunctis amabilior.
Eius gustus me afficit,
Eius odor me reficit:
In hunc mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu pura delectatio,
Amoris consummatio,
Tu mea gloriatio,
IESV mundi saluatio.
Dilecte mi reuertere,
Consors paternæ dexteræ:
Hostem vicisti prosperè,
Iam cæli regno fruere.
Cæli ciues occurrite,
Portas vestras attollite:
Triumphatori dicite,
Salue IESV Rex inclyte.

HYMNVS VIII.

REX virtutum, Rex gloriæ,
Rex insignis victoriæ,
Pelle nubem tristitiæ,
Et confer lucem gratiæ.
IESVS decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.
IESVS in pace imperat,
Quæ omnem sensum superat:
Hunc mea mens desiderat,
Et illo frui properat.
IESVS ad Patrem rediit,
Regnum cæleste subiit:
Cor meum à me transiit,
Atque post illum abiit.
Sis IESV meum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Tibi laus, honor, gloria,
Per cuncta semper sæcula.

LVDOVICI BLOSII PARADISI ANIMÆ FIDELIS PARS SECVNDA, SIVE PIARVM PRECVLARVM CIMELIARCHION.

I. De beneficijs Dei, seu de Vitâ & passione Christi, Endologiæ siue interna suauiloquia quatuordecim.
II. Pro peccatorum veniâ consequendâ, Endologiæ duæ.
III. Pro ardenti amore Dei obtinendo, Endologiæ quatuor.
IV. Ad Virginem Deiparam Mariam, Endologiæ tres.
V. Precatiuncula ad Sanctos.
VI. Precatio admodum vtilis his qui ad profectum virtutum contendunt.
VII. Commendationes quotidianæ.

PRÆFATIO.

Scopus libri.

VOLENS *ego & animæ meæ commodis consulere, & alijs, qui Deo dediti sunt, gratificari; concinnaui hunc Libellum precularum: quæ vt breues sunt, ita minus tædij habent, & ardentiùs è corde erumpunt.*

Methodus legenti obseruanda.

Si quis sit cui non libeat in singulis Oratiunculis, quibus Iesus salutatur, repetere hæc verba, Adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui; *vel etiam ista*, Concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ; *poterit ea omittere. Sed & quilibet poterit addere petitionem quam voluerit. veluti si dicat*: Obsecro te dilecte mi, per ineffabilem pietatem diuini cordis tui, adesto mihi, vel illi; da mihi, vel illi, hanc aut illam gratiam ac virtutem. *Item*: O Domine Deus meus, ô torrens inæstimabilium voluptatum Iesu, trahe me post te, & concede, vt inextinguibili feruore curram in odorem vnguentorum tuorum. Da vt diligam te ex toto corde meo, & ex penitissimis medullis præcordiorum meorum: quia tu prior dilexisti me. Te summum atque vnicum bonum diligam ardenter & æstuanter: ita vt anima mea tota liquefiat, atque absorbeatur dulcissimo tui amore, & tibi intimè vniatur ad laudem tuam æternam. O suauis amator, digneris præparare tibi gratam & amœnam habitationem in me.

Aspirationes dulcissimæ. Cant. 1. 1 Ioan. 4.

me. Largire mihi mentem puram & ſinceram : mentem nudam, & à phantaſmatibus, rerumque imaginibus alienam : mentem liberam, tranquillam, ſerenam ac limpidam. O lux gratioſa, lux amabilis, lux pulchritudinis immenſæ, animam meam tuis illuſtrationibus irradia, tuis influxibus paſce, ad gloriam nominis tui. *Aliqui fortè libenter adijcient in fine ſingularum Endologiarum hæc verba ad ſanctam Trinitatem :* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. *Item iſta pro fidelibus defunctis :* Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

Quiſquis in has Preculas inciderit, non aliquam verborum politiem expectet; ſed eorum, quæ proponuntur, vtilitatem, attendat. Deus ſolam affectus puritatem requirit. Licet ineleganter, licet confuſè, licet barbarè precemur, eademque crebrò iteremus; non propterea minùs illi placent noſtræ orationes : imò verò hoc faciliùs exorabile pectus eius expugnatur, quò amantiùs ſuauiùſque eadem ſubinde repetuntur. Deus reſpicit veracitatem affectus : non elegantiam verborum, aut ſententiarum.

I.

DE BENEFICIIS DEI SEV DE VITA ET PASSIONE CHRISTI DOMINI ENDOLOGIÆ XIV.

Endologia ad IESVM *prima.*

1. Beneficiũ Creationis ad imaginem Dei. AVE dulcis Ieſu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui me creaſti, & ſecundùm animam ad imaginem tuam cõdidiſti, capacemque æternæ beatitudinis feciſti. Miſerere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica ſalus animæ meæ.

2. Opus creaturæ pro noſtris vſibus. Aue dulcis Ieſu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui cælum, terram, mare, & ea quæ cælo, terrâ, marique continentur, meis vſibus deputaſti : ac omnia mihi inſeruire, ſolatioque eſſe voluiſti. Miſerere mei Domine Deus meus : concede vt tibi placeam, ô vnica ſalus animæ meæ.

3. Educatio benè in fide Catholicâ. Aue dulcis Ieſu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui me in fide Catholicâ pietate tuâ natum, ab exordio vitæ miſericorditer educaſti, neceſſaria ſuppeditans, & corpus alens atque confouens. Miſerere mei Domine Deus meus : concede vt tibi placeam, ô vnica ſalus animæ meæ.

4. Preſeruatio à peccatis & periculis. Aue dulcis Ieſu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui me hactenus ab innumeris periculis animæ & corporis ſeruaſti atque eripuiſti, & etiam abutentem donis tuis non dereliquiſti. Miſerere mei Domine Deus meus : concede vt tibi placeam, ô vnica ſalus animæ meæ.

5. Expectatio ad pœnitentiam. Aue dulcis Ieſu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui me in ſordidiſſimo vitiorum ſterquilinio iacentem, & iniquiſſimè viuentem, tanto tempore longanimiter toleraſti, reſeruaſtique ad pœnitentiam. Miſerere mei Domine Deus meus : concede vt tibi placeam, ô vnica ſalus animæ meæ.

6. Reuocatio ad bonum. Aue dulcis Ieſu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui me abeuntem in præcipitium, & iam in ipſis inferni faucibus conſtitutum, perire non permiſiſti : ſed etiam ſurdum, fugientem, ac renitentem, ad ſalutis viam reuocaſti. Miſerere mei Domine Deus meus : concede vt tibi placeam, ô vnica ſalus animæ meæ.

7. Gubernatio & protectio, etiam peccantium. Aue dulcis Ieſu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui me viliſſimum peccatorem ita ſemper gubernaſti, ita protexiſti, ita oculo miſericordiæ reſpexiſti, & adhuc quotidie peccantem ita benignè ſuſtines, beneficijſque foues, quaſi ceterorum oblitus, curam mei ſolius gereres. Miſerere mei Domine Deus meus : concede vt tibi placeam, ô vnica ſalus animæ meæ.

Endologia ad IESVM *ſecunda.*

8. Beneficium Incarnationis. AVE dulcis Ieſu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui propter me dignatus es è Regalibus ſedibus, & mellifluo corde Patris, in hanc miſeriarum vallem deſcendere, atque in virginis Mariæ caſtiſſimo vtero incarnari, homoque fieri. Miſerere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica ſalus animæ meæ.

Scire oportet, ipſum Filium Dei nunquam à Patre receßiſſe : ſed de cælis ad nos deſcendiſſe dicitur, propterea quòd nobis præſens Nota, quomodo Filius deſcenderit à Patre.

sens per carnem adesse voluerit, qui vbique semper fuit, & est præsens, per Diuinitatem.

Conceptio. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui beatam Mariam virginem suauissimam, cùm te concepisset de *Visitatio.* Spiritu sancto, ad Elisabeth cognatam suam properare voluisti, & vt eam salutaret, eique ministraret, inspirasti: in cuius etiam Mariæ pudicissimis visceribus nouem mensibus Deus & homo delitescere non dedignatus es. *Gestatio per nouem menses in vtero.* Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Natiuitas ex Virgine in stabulo. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, quem Virgo-mater sine dolore, sine virginitatis detrimento, pauperem & passibilem in vili stabulo peperit, natumque humiliter adorauit. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui in frigoris asperitate *Panni.* editus, panniculis ac fasciolis inuolui, & vagiens in præsepio reclinari, *Præsepe.* maternisque vberibus infantulus lactari non recusasti. *Lactatio.* Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Cantus Angelorũ. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, quem recens natum cælestes exercitus lætis collaudarunt præconijs, & pastores piè quæsitum, atque inuentum, *Adoratio Pastorum.* adorauerunt cum admiratione ac gaudio. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Circũcisio. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui die octauo ceterorum more circumcidi, propriumque sanguinem adhuc infans fundere, & in singulare nostri solatium, Iesus, hoc est Saluator, appellari voluisti. *Nomẽ Iesu.* Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Adoratio Magorum. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, quem Magi fide sanctâ perquirentes, stellâ duce inuenerunt, inuentoque procidentes humiliter obtulerunt aurum, thus, & myrrham. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Endologia ad IESVM *tertia.*

Purificatio Virginis. AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui legi propter nos subdi, & ad præbendum humilitatis exemplum, à matre in templum deferri, ibique sisti, *Præsentatio Christi.* atque hostiâ pauperum redimi voluisti: vbi etiam iustus Simeon & Anna prophetissa tuâ præsentiâ exhilarati, magnifica de te dederunt testimonia. *Simeon & Anna.* Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui puerulus cum matre tenerâ persecutionem passus, non recusasti deportari in exilium, & fugere in Ægyptum. *Fuga in Aegyptum.* Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, quem in templo remanẽtem pia mater tristis triduo requisiuit, & tãdẽ læta inuenit in medio Doctorum sedentem, illosque audientem & interrogantem. *Remansio pueri Iesu inter Doctores.* *Gaudium matris inuenientis.* Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animę meę.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui triginta annis incognitus latens, filius Ioseph fabri à Iudæis putari, & matri tuæ Mariæ, ipsique Ioseph subditus esse voluisti. *Triginta annorum in occulto obedientia.* Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui Iordanem fluuium ingressus, à Ioanne seruo tuo humilis Dominus baptizari non dedignatus es. *Baptizatur à S. Ioanne.* Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui inter feras pro nobis in deserto habitans, & quadraginta diebus ac quadraginta noctibus ieiunus perdurans, atque in orationibus peruigilans, passus es te tentari à satanâ: quo deuicto, Angelorum ministerijs honoratus fuisti. *Ieiunat & tentatur in deserto.* Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui pœnitentiam annunciare, discipulos vocare, & ex eis duodecim singulares fidei præcones Apostolos eligere voluisti, vt dispersos Dei filios per illos colligeres. *Euangelizat.* *Vocat discipulos.* *Eligit Apostolos.* Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Endologia ad IESVM *quarta.*

AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui pro me afflictus fuisti diuersis incommodis, æstu, frigore, siti, fame, sudoribus, & ærumnis. *Aerumnæ & incommoda.* Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui plurimos labores sustinuisti, dum tu mundi saluator conuersionem animarum sitiens, pernoctabas in orationibus, fatigabaris itineribus, discurrebas *Labores, itinera, vigiliæ.*

cælestis

Prædicatio. cælestis doctrinæ promulgator de regione in regionem, de ciuitate in ciuitatem, de pago in pagum, de castello in castellum. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Curat morbos & languores. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui cum hominibus diuersans, eos benignissimè consolari, eorumque lãguores ac morbos, multis miraculis editis, misericorditer curare dignatus es. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Omnes inuitat ad regnum cælorum. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui magno studio, ineffabilique affectu pacem & cælorum regnum euangelizasti, omnium salutem exoptans, omnesque tibi aggregare cupiens, quemadmodum gallina congregat pullos sub alas. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ.

Cum peccatoribus versari dignatur. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui publicanorum ac peccatorum consortium non refugisti: sed Matthæo, Zachæo, Mariæ Magdalenæ, mulieri in adulterio deprehensæ, ceterisque veram pœnitentiam agentibus, benignissimam familiaritatem, & præsentissimam scelerum remissionem exhibuisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Patitur iniurias & persecutiones. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui pro me multas iniurias, multas blasphemias, multa opprobria, multos dolos, innumerasque persecutiones passus es ab illis ipsis quos beneficijs affeceras. Miserere mei Domine Deus meus: cõcede vt tibi placeam, ô vnica salus animę meę.

Osanna. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui Ierosolymam aduenıens, mitis ac mansuetus super asinam sedisti, & inter laudes quæ tibi à turbis obuiàm properantibus canebantur, fudisti lacrymas, *Flet super Ierusalem.* deflens vrbis excidium; animarumque ingratarum exitium. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Endologia ad IESVM *quinta.*

Iudas eum prodit & vendit. AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, quem Iudas infidelis discipulus, Iudæis te persequentibus, & in mortem tuam conspirantibus, vili pecuniâ vendidit. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui vt consummares legem, Ierosolymis Pascha cum discipulis *Pascha legale.* manducasti: & humilitatis sanctæque dilectionis exemplum præbens, eorum pedes, fixis terræ genibus, abluisti, ablutos extersisti *Lotio pedũ.* linteo. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Eucharistiæ institutio. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui Sacramentum Eucharistiæ indicibili charitate instituisti, teque in eo nobis dedisti stupendâ liberalitate: vt apud nos etiam corporaliter maneres vsque ad consummationem sæculi. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Sermo dulcissimus ante mortẽ. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui recessurus è mundo, electos discipulos tuos exhortatus atque consolatus es verbis inexplicabili dulcedine plenis, & eos Patri commendasti oratione *Oratio ad Patrem pro discipulis.* ardentissimâ: euidenter declarans, quàm tenerè illos, nosque qui per illos credituri eramus, diligeres. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Hortus trans Cedron. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui cœnâ factâ, gratiisque peractis, egressus cum discipulis trans torrentem Cedron, venisti in hortum in quo te capiendum sciebas. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Voluntariò assumit tristitiam pro nobis. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui passione imminente pauere, tædere, ac mœstus esse cœpisti, mẽbrorum tuorum in te transferens imbecillitatem: vt electos tuos ad mortis expectationem trepidantes, istâ tuâ infirmitate, quam volens assumpseras, solareris & confirmares. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Trina in horto oratio ad Patrem. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui in terram procidens, Patrem orasti, eique humiliter te totum obtulisti, dicens: Pater, fiat voluntas tua. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Endologia ad IESVM *sexta.*

Trina excitatio discipulorũ. AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui erga dilectos discipulos affectu misericordiæ tactus, eorum tristitiam tuo mœrori præposuisti: & oratione (cui intentus eras) intermissâ, ad eos tertiò accedens, deiectos erexisti, dormitantesque ad orationis studium excitasti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Angelum consolatorẽ admittit. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui in agone positus prolixiùs orasti: atque, cùm sis creator cæli &

terræ, Rex Regum, Angelorumque Dominus, Angelico solatio releuari non dedignatus es. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Sudat sanguinē. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui sanguineo sudore maduisti præ angustiarum multiplicitate & vehementiâ. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Obuiàm fit hostibus. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui proditori Iudæ, ceterisque hostibus sanguinem tuum sitientibus, & mortem tuam desiderantibus, vltrò te obtulisti capiendum. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Osculum Iudæ. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui proditorem Iudam dolosè ad te accedentem non repulisti, sed benignè osculatus es: & ipsâ vultus serenitate, sermonisque suauitate declarans te illi benè velle, blandè eum inuitasti ad pœnitentiam. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Comprehēditur. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui impios hostes tuos sacrilegas manus furibunde in te iniicere permisisti: & ab eis crudeliter ligatus, conuitia, *Ligatur. Blasphematur.* blasphemias, iniuriasque, quibus te proterue incessebant, non vltus es, sed mansuetissimè tolerasti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Malchum sanat. Vindictam prohibet. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui Malcho, vni ex furentibus persecutoribus tuis, auriculam à Petro discipulo præcisam restituisti ac sanasti: vt beneficia pro iniurijs reponens, mansuetudinis pietatisque tuæ diuitias nobis patefaceres. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Endologia ad IESVM *septima.*

Fuga discipulorum. AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui discipulis & amicis tuis profugientibus, teque derelinquentibus, *Agnus à lupis rapitur.* solus inter manus nefandorum Iudæorum, tamquam agnus mansuetissimus inter dentes luporum furentium, remansisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Trahitur ad Annam. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui te vinctum velut maleficum & latronem armatâ manu ad Annam perduci, atque coram eo sisti passus es. O quam ineffabilis est mansuetudo tua, pie Redemptor meus! Ecce dum caperis, dum traheris, dum impelleris, nihil quereris, nihil obmurmuras, nihil obluctaris: sed tacitus ducentes sequeris, iubentibus obedis, affligentes toleras. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Astat humilis corā tumido. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, Rex cæli & terræ, qui humiliter tamquam vilis & abiectus homuncio ante tumidum Pontificem stans, diram alapam ab impio eius ministro impactam modestissimè tulisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Ducitur ad Caipham. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui te colligatum ad Caipham ignominiose duci permisisti, vt nos à mortis æternæ obligatione absolutos, veræ libertati restitueres. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Trina Petri abnegatio. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui ter à Petro Apostolorum tuorum principe abnegatus, eumdem benignè clementerque respexisti, & ad facti pœnitudinem ac sancta lamenta prouocasti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Falsi testes. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui ante Pontificem & seniores vultu placido humilique aspectu stans, non recusasti falsò accusari, & iniurias diuersas perpeti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Caiphæ adiuratio. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui dum à Caiphâ Pontifice per nomen Dei adiuratus veritatem profitereris, asserens te esse Dei filium, ab *Fatetur se Filiū Dei.* ipso eodem, atque à ceteris astantibus tamquam blasphemus haberi non dedignatus es. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Endologia ad IESVM *octaua.*

Damnatur à Iudæis. AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui ab impijs Iudæis reus mortis proclamatus, & sine causâ damnatus fuisti: vt iniustâ tui condemnatione nos à criminum reatu, quo tenebamur, absolueres. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Sputis dehonestatur. Aue dulcis Iesu, adoro te, gratias ago tibi,

tibi, Fili Dei viui, qui pro me factus opprobrium hominũ, & abiectio plebis, sacratissimã faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, à fœditate sputorum non auertisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Colaphis percutitur. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui alapis colaphisque crudelissimè cædi, & diuersis contumelijs atque improperijs indignissime pro me affici dignatus es. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Vultus eius velatur. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui te subsannari, & vultum tuum amabilem (quem aspicere summa felicitas est) in maius tui ludibrium velari permisisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Totam noctem affligitur. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui per totam noctem diuersis modis pro me illusus & afflictus à Iudæis fuisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Vinctus Pilato sistitur. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui te ludibrijs saturatum & vinctum, ad Pilati iudicis profanum tribunal duci, eiusque conspectibus cum opprobrio sisti passus es, ipse Iudex viuorum & mortuorum. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, Rex cæli & terræ, qui attestatus es regnũ tuum non esse ex hoc mundo, vt corda nostra ab amore præsentis sæculi tuâ istâ professione auerteres. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ. *Regnum meum non est de hoc mundo.*

Endologia ad IESVM *nona.*

Tacet ad Pontificum calumnias. AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui coram Pilato stans, ad iniquas Iudæorum accusationes & calumnias humiliter tacuisti; quasi agnus non aperiens os tuum, neque contradicens his qui crimina falsò intentabant. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Pilatus causam in eo nullam inuenit. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, agne sine macula, in quem impij Pharisæi & Scribæ pertinaci odio sæuiebant: licet enim in te Pilatus nullam mortis causam se inuenire testaretur, placari tamen illi nolebant, sed necem tuam magis ac magis expetebant. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Rapitur ad Herodem. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui summá cum ignominiá, magno populorum strepitu, tamquam facinorosus latro, de tribunali, de Pilato ad Herodẽ, per medium vrbis pertractus fuisti. Miserere mei Domine Deus meus: cõcede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Ibi conticescit, Iudæis blasphemantibus. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui multis sermonibus ab Herode interrogatus, diuersisque modis à Pontificibus Sacerdotum & Scribis accusatus, humiliter atque opportunè tacuisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Superba curiositati Herodis nõ satisfacit. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui ineptam Herodis cupiditatem silentio tuo damnans, noluisti signo aliquo edito te ostẽtare, neq; curiosos illius oculos absque salutis fructu oblectare. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Spretus ab eo veste albâ induitur. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui ab Herode totoq; eius exercitu sperni, & veste albâ, vt amens ac delirus, indui, subsannariq; non dedignatus es. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Reducitur ab Herode ad Pilatũ. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui veste ridiculâ amictus, ab Herode ad Pilatum cum opprobrio reductus fuisti: inimicis tuis per omnia obtemperans, & pro illorum arbitrio progrediens ac regrediens. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Endologia ad IESVM *decima.*

Postponitur Barabbæ. AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui cum insigni latrone Barabbâ compositus, iniquior, morteque dignior illo iudicatus fuisti: dimittitur homicida, & tu auctor vitæ ad mortem ab inuidis Iudæis postularis. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Flagellatur ad columnam ligatus. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui in prætorio nudatus, & ad columnam ligatus, sacratissimam virgineamque carnem tuam dirissimis flagris conscindi passus es; vt liuoribus tuis nostra sanares vulnera. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, quem verberum vibicibus totum liuidum atque cruentũ, milites ineffabilibus iniurijs contumelijsque affecerunt.

Chlamys coccinea. Corona spinea. Sceptrum arundineum. Aue Rex.

runt. Te enim Regem gloriæ chlamyde coccineâ ad maius improperium vestierunt, tuo diuino vertici coronam è spinis contextam impresserunt: tibi arundinē vice sceptri in manū dederunt, & genu flexo nugatoriè te salutarūt, dicentes, Aue Rex Iudæorum. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Verberatur alapis & arundine.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui pro me alapis cædi, arundine verberari, sputis illini, & omni ludibrij genere affici non recusasti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Ecce homo.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui consputus, conscissus, laniatus, vinctus, totusque miserabilis, insanæ plebi conspiciendus foras productus es, gestans coronam spineam, & vestimentum purpureum. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

A Pilato declaratur innocens. A Iudæis ad crucem postulatur.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui à Præside Pilato pronuntiatus innocens, audire non recusasti furibundas Iudæorum succlamationes, quibus petebant vt crucifigereris. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Adiudicatur cruci.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui te ignominiosissimæ morti crucis coram populo iniustè adiudicari passus es, vt nos ab æternæ mortis sententiâ liberares. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Endologia ad IESVM *vndecima.*

Nudatur purpurâ.

AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui voluntati persequentium te traditus, magnum cruciatum ex chlamydis purpureæ (quæ tuis plagis adhærebat) depositione, & vestimentorum tuorum resumptione pertulisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Baiulat crucem.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui inter multa opprobria, multasque iniurias, crucem tuam pro me baiulasti; & fessus atque anhelus nimiùm laborasti sub onere. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Mulieres flentes solatur.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui in miserabili illo itinere, quo pergebas ad locum supplicij, mulieres super te plorantes benignè monuisti, vt super seipsas flerent, & super filios suos. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Propellitur, protruditur.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui eductus cum duobus latronibus, non recusasti impelli, premi, accelerari, alijsque varijs modis affligi. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Caluaria. Vinum felle mixtum.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui pondere crucis fractus humeros, tandem lassus peruenisti ad locum Caluariæ: vbi tibi exhausto & sitibundo vinum felle permixtum oblatum fuit. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Plagæ renouantur denudatione.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui spectāte populo nudari, & (plagis vestiū detractione renouatis) acerbissimum dolorē pro me sustinere voluisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Nudus extenditur, & conclauatur.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui nudus in ligno crucis dirè extendi, & solutis sacratissimorum membrorum tuorum compagibus, clauis eidem cruci crudeliter affigi non recusasti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animę meę.

Endologia ad IESVM *duodecima.*

Triborium quo pependit in cruce.

AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui in ignominioso crucis stipite tribus horis pependisti, & pretioso Sanguine largiter fuso, ineffabilem sanctissimorum artuum tuorum cruciatum spontaneus tolerasti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Medius inter duos latrones.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui medius inter duos latrones in altum eleuatus, & cum iniquis deputatus fuisti: vt incōprehensibili tuâ humilitate ac patientiâ, nostram corrigeres simulque expiares impatientem superbiam. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Orat pro crucifixoribus.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui tam bonus fuisti etiam pessimis, vt pro his qui te crucifigebant, Patrem obsecrares, dicens, Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Titulus crucis INRI.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui cruci tuæ titulū triplici linguâ descriptum, tamquam victoriæ trophæū affigi voluisti, vt eo cōspecto, strenuè aduersus hostes inuisibiles dimicaremus. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animę meę.

Sortitio vestium. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, cuius vestimenta inter se partiti milites, tunicam, quæ inconsutilis erat, vnitatemque Ecclesiæ Catholicæ designabat, te ordinante reliquerunt inscissam. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Iudæi insultant. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, cui incomprehensibiles cruciatus ineffabilesque angustias in arâ crucis toleranti, Iudæi procaciter insultarunt, diuersas blasphemias impio ore vomentes. Miserere mei Domine Deus meus: cócede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Latronem blasphemantem tolerat: Pœnitentem beat. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui alterum latronum conuitia in te dicẽtem tolerasti, alteri suam iniustitiam agnoscenti, teque Deum & Regem æternum piâ fide confitenti, paradisi gloriam benignissimè es pollicitus. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Endologia ad IESVM *decimatertia.*

Matrem Ioanni, & illum matri commendat. AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui de cruce intuitus matrem tuam dulcissimam, mœrore & lacrymis plenam, eius dolorem medullitus miseratus es; & eam discipulo Ioanni, rursumque Ioannem, atque in Ioanne nos omnes, eidem matri tuæ commendasti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Queritur se derelictum. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui vulneribus hiantibus, & capite spinis obsito in cruce miserabiliter pendens, solatio te destitutum, & à Patre derelictum fuisse professus es. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Scire conuenit, Christum numquam fuisse derelictum à Patre: sed se derelictum asserebat, quia, se volente, Diuinitas humanitatem patientem, & inferiores animæ vires consolationis influxu non releuabat: hæ enim solo patientiæ gubernaculo regebãtur in eius passione.

Sitit, præsertim salutem nostram. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui exhausto arefactoque corpore, exanguis in cruce anhelans, vehementissimâ siti cruciabaris, & nostræ salutis ineffabili desiderio æstuabas. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Spongia aceto plena. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui spongiam aceto imbutam tibi sub mortem sitienti porrigi voluisti: vt eo gustato, pro nostrâ satisfaceres ingluuie, & paupertatis exemplũ relinqueres. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeã, ô vnica salus animę meę.

Consummatum est. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, generis humani amantissime, qui opus nostræ redemptionis ritè consummasti, hostiam sanctam ac salutarem pro peccatis omnium in arâ crucis te offerẽs. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Commẽdat se Patri. Exspirat. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui mortem sponte subijsti, quando Patri te commendans, inclinato venerando capite emisisti spiritum. Mortuus es, clementissime Redemptor, vt animam ponendo pro ouibus tuis, bonum pastorem te esse declarares. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Tenebræ. Velum discissum. Portenta in morte. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, in cuius morte sol lumen suum subduxit, velum templi scissum est, terra concussa tremuit, petræ dissilierunt, & monumenta aperta sunt. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Endologia ad IESVM *decimaquarta.*

Vulnus lateris. Aqua & sanguis. AVE dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui latus tuum sanctissimum militis lanceâ patefieri, sanguinemque & aquam nobis ex eo propinare voluisti; vt animas nostras ablueres & viuificares. Saluto te, ô Vulnus amabile, Vulnus suauitatis mirificæ, quo nobis iter apertum est ad thesaurum omnium thesaurorum charissimum, videlicet ad diuinum cor tuum, mi Iesu. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Sepelitur corpus. Conditur aromatibus. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui magno amicorum tuorum luctu de cruce depositus, aromaticis vnguentis oblini, & sindone inuolutus, alieno sepulchro condi voluisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Descendit ad inferos. Educit vinctos. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui diaboli potestate contritâ, potenter ad inferos descendens, Patres ibi detentos tui præsentiâ exhilarasti; & eos illinc eductos, ad incomprehensibilem paradisi amœnitatem transtulisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Resurgit gloriosus. Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui victor e clauso sigillatoque sepulchro prodiens, nobili triumpho resurrexisti à mortuis: & claritate serenissimi vultus tui redditâ, amicos tuos nouo perfudisti gaudio. Miserere mei Domine Deus

Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Ascendit in cælum.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui expleto à resurrectione tuâ quadraginta dierum numero, coram discipulis tuis gloriosus ascendisti in cælum: vbi sedes ad dexteram Patris benedictus in sæcula. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Mittit Spiritũ sanctũ.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui electis tuis vnanimiter in oratione perseuerantibus, dedisti sanctum Spiritum; eosque, ad docendum gentes, in vniuersum orbem misisti. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

Iudicabit viuos & mortuos.

Aue dulcis Iesu, adoro te, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, qui in nouissimo die iudex adueniens reddes vnicuique iuxta opera sua, aut præmium, aut supplicium. Miserere mei Domine Deus meus: concede vt tibi placeam, ô vnica salus animæ meæ.

II.

PRO PECCATORVM VENIA CONSEQVENDA ENDOLOGIAE DVAE AD IESVM.

Endologia Prior.

Narrat Cernera Turrianus lib. 2. de Obitu PHILIPPI *Secundi, solitum fuisse Regem, eo praeunte qui erat ipsi à confessionibus, sæpius iterare piam illam pientissimi Blosij precationem, ex Cimeliarchio eius depromptam, quæ tota in hoc genere* (deprecandi pro peccatis) *versatur, & ad exprimendum ferreo etiam pectori dolorem est aptissima: incipit autem*, Eheu dulcis Iesu.

Agnitio peccatorũ.

EHEV dulcis Iesu, ego omni tempore vitæ meæ in te benignissimum Creatorem & Redemptorem meum ingratus fui, teque grauiter offendi, veteribus delictis noua semper cumulans. Gratiam tuam multis modis impediui, & dona tua destruxi: non seruans ea integra, neque ex eis dignè proficiens. Fateor, prorsus indignus sum filij nomine: verumtamen te Patrem meum esse agnosco.

Fiducia in misericordiâ Dei.

Tu es verus Pater meus, tu es tota fiducia mea: tu es fons miserationum inexhaustus, qui sordidos confugientes ad te non repellis, sed abluis. Ecce, ô suaue refugium meum, ecce ego, omnium creaturarum tuarũ peripsema, venio ad te, nihil mecum adferens præter peccatorum sarcinas. Humiliter procido ad pedes pietatis tuæ, humiliter imploro tuam misericordiam: ignosce mihi, obsecro, ô spes mea certissima, & salua me propter sanctum nomen tuum.

Christi charitatẽ in satisfactionẽ peccatorum offert: Labores,

O dulcis Iesu, ego in remissionem omnium peccatorum meorum offero tibi stupendam illam charitatẽ, quâ tu Deus æternæ maiestatis, homo passibilis pro nobis fieri, & plusquam triginta annis inter multiplices labores, ærumnas, atque persecutiones fatigari non dedignatus es.

Agoniam,

Offero illum mœrorem, illum sanguineum sudorem, illas angustias, quibus in horto afflictus fuisti, quando Patrem fixis terræ genibus orabas. Offero summum illud patiendi desiderium quo flagrabas, quando teipsum inimicis tuis vltrò obtulisti capiendum.

Captiuitatem & opprobria apud Caipham,

Offero vincula, verbera, improperia, conuitia, blasphemias, alapas, colaphos, sputa, atque alia genera iniuriarum, quas in domo Annæ & domo Caiphæ per totam noctem passus fuisti. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis me purifices, & tibi placentem reddas, atque ad vitam æternam perducas.

Pilatum & Herodem,

O dulcis Iesu, ego pro vniuersis iniquitatibus meis offero tibi inauditam illam ignominiam quam sustinuisti, quando cæsus, consputus, ac vinctus, mane ducebaris ad Pilatum, deinde à Pilato ad Herodem, rursumque ab Herode ad Pilatum. Offero illud tuum sanctum silentium, quo humiliter tacuisti illatas contumelias & iniurias. Offero contemptum tui, & ridiculæ vestis probrum, quo ab Herode affectus fuisti.

Iit flagella.

Offero acerbissimam illam pœnam, quam perpessus es, quando ad columnam ligatus dire flagellabaris. Offero ipsorum flagrorum sulcos, & purpurei sanguinis riuulos è sanctissimis membris tuis vndique prosilientes. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis me purifices, & tibi placentem reddas, atque ad vitam æternam perducas.

Vestem coccineam, & spineam coronam,

O dulcis Iesu, ego pro vniuersis delictis meis offero tibi ineffabilem illã patientiam, quam exhibuisti, quando, veste coccineâ in maius ludibrium indutus, spinis coronabaris, nugatoriè salutabaris, impiè conspuebaris, alapis & arundine cædebaris, ante tribunal statuebaris, iniustè damnabaris, demũque ad Caluariæ locum, crucem propriam

Baiulationem crucis,

baiulans, ignominiosè protrahebaris. Offero dolendam illam sacratissimi corporis tui fatigationem, & laboriosos pedum tuorum

Fatigationes & labores,

gressus, atque humerorum tuorum grauissimam pressuram. Offero sudores, sitim, & cetera omnia quę mitissimo promptissimoque corde mei causâ tunc pertulisti. Hæc tibi

tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis me purifices, & tibi placentem reddas, atque ad vitam æternam perducas.

Denudationem, O dulcis Iesu, ego pro vniuersis sceleribus meis offero tibi atrocissimos illos dolores, quos passus es, quando sanctissimi corporis tui vulnera vestimentorum detractione innouabantur, quando manus & pedes tui cruci affigebantur, quando membrorum tuorum compages soluebantur, quando pretiosus Sanguis tuus è vulneribus tuis velut e fontibus largiter profluens fundebatur. Offero singulas rosei illius cruoris guttas. Offero inexplicabilem illam mansuetudinem, quâ iniquorum tibi insultantium proteruiam patientissimè tolerasti. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis me purifices, & tibi placentem reddas, atque ad vitam æternam perducas.

Extensionem in cruce, & confixionem,

Patientiã in opprobriis,

Cruciatum pendentis in ligno, O dulcis Iesu, ego pro vniuersis culpis, vanitatibus, & negligentijs meis, offero tibi incomprehensibiles illos cruciatus, quos pertulisti, quando angustijs totus expositus, miserabiliter in cruce pendebas medius inter latrones, & quando vehementissimâ siti æstuans, aceto potabaris. Offero benignissimam illam misericordiam, quâ tu, caput venerandum inclinans, pro nobis emisisti spiritum. Offero pretiosum illum Sanguinem, & salutiferam illam aquam, quæ de latere tuo lanceâ confosso effluxerunt. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis me purifices, & tibi placentem reddas, atque ad vitam æternam perducas.

Ignominiam,

Mortem,

Vulnus lateris,

Omnem salutis dispensationem O dulcis Iesu, ego in perfectam remissionem omnium offensarum, quas in te quouis modo hactenus admisi, offero tibi totam redemptionis nostræ dispensationem quam peregisti. Offero incarnationem, natiuitatem, conuersationem, passionem, ac mortem tuam. Offero quidquid in gloriosissimâ Genitrice tuâ Virgine Mariâ & ceteris Sanctis vmquam tibi placuit. Eia, suauissimè Iesu; satisfaciat, quæso, pro peccatis meis coram Patre tuo summa innocentia tua. Totam vitam meam, nimis indignam ac sceleratam, purissimâ sindone meritorum tuorum inuolue: vt mea quæ immunda sunt, tuis copulata mundentur; & quæ in me imperfecta sunt, tuis vnita perficiantur, ad laudem nominis tui.

à Verbo incarnato factam,

& Deipara merita, precesq.

Endologia posterior.

Deprecatur peccata oculorũ per lacrymas Christi: DILECTE mi Iesu, rogo te per purissimas illas lacrymas, quæ ex beatissimis oculis tuis promanarunt, absterge omnes oculorum meorum maculas, quas per visus incontinentiam contraxi; vt finito huius vitæ curriculo, mente mundâ tuam clarissimam mellitissimamque faciem contemplari merear.

Aurium, per blasphemias ab eo toleratas: Dilecte mi Iesu, rogo te per cælestem venerabilium aurium tuarum pietatem, ablue omnem sordidarum aurium mearum iniquitatem: vt in horâ mortis meæ ab auditione malâ securus, ad euocationem tuam libenter hinc emigrem, & te summo atque vnico bono meo in sempiternum feliciter fruar.

Cogitatiõnum, per Christi cordis mũditiam: Dilecte mi Iesu, rogo te per sincerissimam cogitationum tuarum intentionem, ardentemque transfixi cordis tui amorem, dissolue omnem vitiosarum cogitationum & affectionum mearum impurique cordis mei culpam. Ipsum cor tuum amore ruptum fiat mihi in morte gratum vmbraculum, & post mortem sit animæ meæ perenne domicilium.

Linguæ, per sermones Christi: Dilecte mi Iesu, rogo te per dulcem viuidamque virtutem sacratissimorum verborum, quæ diuino ore tuo protulisti, deterge omnem oris mei & linguæ meæ spurcitiam atque offensam: vt immaculatus post hoc exilium ad te perueniens, tibi laudes in æternum cum gaudio decantem.

Manuum, per opera Christi & plagas manuum eius: Dilecte mi Iesu, rogo te per admirandam operum tuorum perfectionem, & patentia manuum tuarum vulnera, aufer omnem impiarum manuum mearum fœditatem ac scelera: vt postquam defunctus fuero, illicò in suauissimos amplexus tuos absque impedimento ruere merear.

Gressuum, per vulnera pedum Christi: Dilecte mi Iesu, rogo te per dolendam incontaminatorum pedum tuorum fatigationem terebrationemque, condona omnem pollutorum pedum meorum transgressionem: vt vbi carnis sarcinam deposuero, statim locum tabernaculi tui admirabilis, & thalamum viui tui amoris expeditus ingrediar, ibique perenniter in te exultem.

Totius vitæ, per innocentiam Christi. Dilecte mi Iesu, rogo te per totius vitæ tuæ venerandam innocentiam, dele totius vitæ meæ horrendam spurcitiam: vt postquam finita fuerit misera hæc captiuitas, totus mundus mox inueniar in te, qui es verus paradisus æternarum deliciarum: vbi torrente voluptatis tuæ inebriatus, iugiter cum iubilo glorificem sanctum nomen tuum.

III.

PRO ARDENTI AMORE DEI OBTINENDO QVATVOR ENDOLOGIAE AD IESVM.

Endologia amatoria prima.

Amor igneus.

O DVLCISSIME, secretissime, & præsentissime sanctarum animarum sponse Iesu, accende, quæso, cor meum vehementer in amorem tui, vt diligam te ex penitissimis medullis animæ meæ. Visita me misericorditer, & mentem meam reple gratiâ tuâ: quia te fontem suauitatis valde expetunt intima mea.

Amor lucidus.

O Domine mi Iesu, ô ignis qui dulciter ardes, & secretè luces, suauiterque aduris, occupa totam regionem mentis meæ. O Rex Regum, Rex æternæ gloriæ, da vt te solum esuriam & sitiam, ad te suspirem, tuamque mellifluam faciem videre æstuanter concupiscam.

Amor languidus.

Transfige, amabilis Iesu, medullas animæ meæ suauissimo dilectionis telo: perfode cor meum igneâ charitate, vt prorsus langueat anima mea tui desiderio & amore. Tota amore resoluatur, tota liquefiat, tota in te transeat.

Amor possidens.

Separa, Domine, mentem meam ab omnibus quæ sub cælo sunt, vt ipsa tibi soli liberè intendat, tu solus illam vt proprius possessor inhabites. Descendat in me suauissimus odor tuus: veniat mihi diuinæ charitatis tuæ inenarrabilis fragrantia, quæ puras & sempiternas in me suscitet concupiscentias.

Amor inflammatus.

Da, Domine mi, vt ego totus dulcedine amoris tui plenus, totus flammâ sanctę charitatis succensus, diligam te ex toto corde meo, & ex intimis medullis præcordiorum meorum. Diligam te, ô suauis amator: diligam te, ô vnica salus animæ meæ: diligam te, quia prior dilexisti me.

Amoris pondus.

Præsta, ô pulcherrime & deliciosissime sponse Iesu, vt magis magisque te amem. Valida vis amoris tui funditus à me excutiat pondus omnium terrenorum desideriorum, & indesinenter currere me faciat in odore vnguentorum tuorum.

Amoris memoriale.

Scribe, clementissime mi, in tabulâ cordis mei dulcem memoriam tui, nullâ vmquam obliuione delendam: vt tui desiderio semper æstuem, igne amoris tui totus ardeam, & diluuio charitatis tuæ penitus absorbear.

Endologia amatoria secunda.

Amor creaturis renuntians.

O Pelagus sanctæ dilectionis atque dulcedinis, Deus meus, veni & tribue te animæ meæ. Da vt integro corde, pleno desiderio, flammantique affectu iugiter aspirem ad te, & suauissimè respirem in te. Te omni creaturæ præferam, propter te omni transitoriæ delectationi renuntiem, ô vera & summa exultatio mea.

Amor replens & transmutans.

Pasce me, Domine, esurientem mendicum tuum iugi influxu diuinitatis tuæ, lætifica me optatâ præsentiâ gratiæ tuæ. Hoc peto, hoc desidero, vt vehemens amor me totum penetret, repleat, atque in se transmutet.

Amor in se deficiens, in Deo immensus.

Da, benignissime Redemptor, vt tui dilectione totus ignescam, totus à meipso deficiâ, in te solo delecter, te solum sciam & sentiam. O supereffluens abyssus diuinitatis! trahe & immerge me in te: totam affectionem cordis mei ita abripe & tibi applica, vt ipsa ad cetera omnia sit prorsus exanimis.

Amor clamorosus ad dilectum.

Te inuoco in animam meam, dulcis Deus: te inclamo, te grandi affectu requiro, ô suauis amœnitas intimorũ amplexuum. Veni dilecte mi, veni millies exoptate, vt te intus possideam, & vlnis animæ meæ castissimè complectar.

Amor ardens & illuminans.

O lux quæ semper luces, & numquam offuscaris, illumina me; ô ignis qui semper ardes, & numquam extingueris, accende me: ô amor qui semper serues, & numquam tepescis, absorbe me, & transmuta in te.

Amor dulciter sapiens.

O charum lumen oculorum meorum Iesu, expelle tenebras omnes è domicilio mentis meæ, meque totum illustra splendore gratiæ tuæ. Intra in animam meam, ô dulcedo summa, vt dulcia sapiat, & in te solo gaudeat atque quiescat.

Amor arctè constringens.

O dilecte mi, dilecte votorum meorum, concede vt te inueniam, inuentumque teneam, & brachijs spiritualibus arctissimè constringam. Te desidero, ad te anhelo, ô beatitudo æterna. Vtinam te mihi dones, & me tibi intimè vnias, atque mero diuinæ charitatis totum inebries.

Endologia amatoria tertia.

Amoris vulnus.

SAVCIA, Domine, interioris hominis arcana iaculo tui amoris, & in medullas frigidæ torpentisque animæ flammam salutarem immitte: vt ego inextinguibili charitatis ardore succensus, indicibilique suauitate spiritus tui penetratus, prorsus à me transferar in te.

Recipe

Amoris amplexus. Recipe me, ô floride ſponſe Ieſu, inter amoris tui ſuauiſſimos amplexus, quibus conſtrictus ſpiritus meus gelidus, totus incaleſcat. Aperi, Domine, aperi pulſanti, & orphanam animam in dilectionis tuæ conclaue admitte, tibique miſericorditer eam copula.

Amoris ſitis. Hauriam ex te aquam viuam, ô fons mellitiſſime; quâ guſtatâ, nihil iam præter te ſitiam. Deſcendat in me cęleſtis ros ſuauifluæ charitatis tuæ, quo intimè imbutus, purus à terrenis cupiditatibus & adulterinis amoribus conſeruer.

Amoris gluten. O charorum omnium chariſſime, præſta vt ego totus tuus ſim, & tu meus in æternum permaneas. Sic me tibi coniunge, ſic agglutina, vt numquam à te ſeparari poſſim: ſic te mihi præbe, ſic communica, vt pacis tuæ dulcedine repletus, iugiter in te caſtè delicier.

Amoris lux & ardor. O tranquilla & ſerena lux, Deus meus, animam meam tuis illuſtrationibus irradia. Iunge me tibi viciniùs, ô ſol rutilantiſſime: vt ad calorem virtutis tuæ, flores & fructus ſanctę dilectionis progerminet terra cordis mei.

Amoris voluptas. Eia honor meus, gaudium meum, & ſincera voluptas mea Ieſu, tãtam, quæſo, amoris tui flammam in penetralibus cordis mei excita, vt deinceps nihil ſub ſole eligam, nihil concupiſcam præter te.

Amoris æſtus. O Domine mi, cælum, terra, & omnia quæ his continentur, ſine te ſint mihi veluti hibernum gelicidium. Tu ſolus me afficias, ſolus lætifices: tui ſolius amor in intimis meis viuat & ardeat, ac viuus atque ardens permaneat.

Endologia amatoria quarta.

Amoris ornatus. ILLVCESCE mihi, ô lux fulgida & gratioſa, vt in meridiem clariſſimam vertantur denſiſſimæ tenebræ cæcitatis meæ. Exorna, ô bone Ieſu, animam meam illo charitatis decore, quem diligis: impingua eam illo amoris adipe, quo delectaris. Aufer ab eâ quidquid oculis tuis minùs placet, & eam redde tibi per omnia acceptam.

Amoris puritas. O ardor ſuauiſſime, vora, & feliciter conſume puluiſculum totius ſubſtantiæ meæ. Transfer me in te: vt ego indiſſolubili amoris glutino tibi adhærens, viuam ex te, & tamquam lilium efflorcam coram te.

Amoris vita. O venuſtiſſime atque vernantiſſime flos Ieſu, ô vita perennis, vita per quam viuo, ſine quâ morior: vita per quam gaudeo, ſine quâ mœreo, vita dulcis & amabilis, concede vt tibi iungar, te amplectar, & ſuaui charitate ſoporatus, in te, qui es pax gratiſſima, ſanctè obdormiam.

Amoris liquefactio. Da, Domine mi, vt anima mea virtute ardentis amoris conflata, & dulcedine penetrantis charitatis liquefacta, tota effluat in te. Poſſide eam, ô ſummum atque incommutabile bonum, poſſide eam, vt ipſa poſſideat te, & beata ſit de te.

Amoris transuerberatio. Configę, dilecte mi, & transuerbera cor meum acutiſſimo dilectionis telo, vt ego amore tui ſalubriter langueam. Omnia tranſitoria mihi vileſcant, tu ſolus placeas, ſolus incomparabili pulchritudine tuâ me lætifices.

Amoris libertas. Dirue, dulcis Ieſu, odioſam maceriam tepidæ conuerſatonis meæ, & præſta, vt paratus ac liber inextinguibili feruore ſequar te. Produc auſtrum ardentiſſimæ dilectionis, qui me tam valido impetu impellat in te, vt ſpiritum non habeam extra te.

Amoris ros & refocillatio. O vnice cordis mei conſolator Ieſu, demitte, quæſo, in me iugiter gratiarum tuarum ſtillicidia. Attrahe me potenti virtute amoris tui, mihique tuę propitiationis oſculum imprime, quo conſignatus, nihil poſthac diligam præter te: quia tu es tota poſſeſſio, totaque beatitudo animæ meæ.

IV.

SALVTATIONVM ET PRECVLARVM AD MARIAM ENDOLOGIÆ TRES.

Endologia prima.

Dulces ſalutationes, laudes, ſuaueſq; inuocationes B. Virginis Deiparæ. AVE Domina pręcellentiſſima, & inter Sanctos poſt Deum ſanctiſſima Maria: quæ virgineâ fecunditate, fecundaque virginitate admirabilis, Ieſum Chriſtum mundi Saluatorem genuiſti. Tu gratiſſimum Dei templum, tu Spiritus ſancti venerandum ſacrarium, tu adorandæ Trinitatis glorioſum triclinium. Per te, Domina, viuit orbis terrarum. Ad tui memoriam hilareſcunt & recreantur fideles animæ. Inclina, quæſo, aures tuæ pietatis precibus huius ſerui tui, huius miſeri peccatoris: & caliginem vitiorum meorum radijs tuæ ſanctitatis diſſipa, vt tibi placeam.

Aue benigniſſima miſericordiæ Mater, ſalue veniæ gratiæque conciliatrix optatiſſima Maria. Quis te non amet? quis te non colat? Tu enim in rebus dubijs es charum

lumen, in mœroribus solatium, in angustijs releuamen, in periculis & tentationibus refugium: tu post Vnigenitum tuum certa fideliũ salus. Tu diceris, & verè es omnium feminarum præstantissima, omnium iucundissima. Beati qui diligunt te, Domina; beati qui te venerantur, beati ter quaterque & amplius, qui per vitæ sanctimoniam tibi familiares effecti sunt. Tuæ pietati commendo animam & corpus meum: dirige, doce, & protege me singulis horis atque momentis, ô dulce præsidium meum.

Aue magnifica aula & splendidum palatium Imperatoris æterni Maria: salue odoriferum Deitatis reclinatorium. Tu es femina illa amabilis, pia, prudens, generosa, elegans, suspicienda: tu es illa cæli terræque Regina, quæ progrederis quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, & eadem terribilis dæmonibus sicut castrorum acies ordinata. Præsta, Domina, vt inter procellas huius vitæ semper te attendam: & contemptis rebus visibilibus, amœnas illas pulchritudines, pulchrasque amœnitates paradisi contempler.

Aue sidus fulgentissimum & iubar clarissimum Maria, ex quâ sol iustitiæ Christus Deus noster ortus est. Tu Virgo illa vltra omnem pulchritudinem decora: tu mater illa vltra omnem honestatem gratiosa, quæ benignis oculis pios Ecclesiæ filios intueris in toto orbe terrarum. Dulce nomen tuum recreat defessos: serenus splendor tuus illuminat cæcos: suauis odor aromatum tuorum lætificat iustos: benedictus fructus sacri vteri tui satiat Beatos: tu Angelorum hominumque laudes prima post Dominum promereris. Ora pro me, Domina: vt tuis precibus adiutus, Christum Deum deorum, teque Dominam Angelorum in Sion videre & glorificare merear.

Aue summæ clementiæ summæque lætitiæ beatissima parens Maria, per quam cælestis benedictio & felicitas æterna ad nos dimanauit. Tu enim benedicta inter mulieres, donis spiritualibus superfusa, nobis enixa es Redemptorem. Ex te carnem assumpsit, & ex virgineo vtero tuo prodijt infantulus ille Iesus Christus, vnicus salutis auctor, quo nihil suauius, nihil pulchrius, nihil præstantius existit: post quem nihil te dignius, nihil diuinius, nihil optatius cogitari potest. Religiosa tui memoria mœstos exhilarat, casta tui contemplatio Sanctos demulcet, fidelis tui veneratio peccatores emundat: omnes filij Dei gratam mentis requiem in te inueniunt. Impetra mihi, quæso Domina, perfectam cordis puritatem: vt ex eorum sim numero, qui Vnigenitum tuum, teque cæli Reginam, contueri ac laudare merentur in sæcula sæculorum.

Aue Maria Virgo ornatissima, Virgo sole serenior, & astris lucidior; Virgo melle dulcior, & balsamo suauior; Virgo rosis rubicundior, & lilijs candidior. Tu fons hortorum vernantium, tu puteus aquarum viuentium, tu thronus aureus veri Salomonis, tu vas purissimum omni amaritudine carens, tu cella mundissima longè lateque gratissimũ odorem diffundens. Dominus creauit te Virginem immaculatam, elegit te humilem ancillam, cõcupiuit te amabilem sponsam: tu es totius generis humani gloria, ac totius orbis singulare miraculum. Ne auerseris me indignum peccatorem, ô Domina: sed ex sordido fac mundum, ex iniquo iustũ, ex remisso alacrem, ex arido deuotum.

Aue desperantium spes opportuna, & auxilio destitutorum adiutrix præsentissima Maria: cuius honori tãtum tribuit Filius, vt quidquid petieris, mox impetres; quidquid volueris, mox fiat. Tibi regni cælestis claues thesaurique commissi sunt. Tu Cherubim honoratior, & Seraphim Deo proximior. Tu Abraham, Isaac, & Iacob patrũ tuorum eximiũ decus. Nominis tui gloriam, dignitatis tuæ splendorem, pietatis tuæ abundantiam, omnis ętas, sexus, & lingua confitetur. Exaltata es, ô Domina, supra choros Angelorum: tamquam dies verni circumdant te flores rosarum, & lilia conuallium. Sana me, ô beata, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero, tibique benedicam in æternum.

Endologia ad MARIAM *secunda.*

Exundatio variorum affectuum erga Deiparam Virginem Mariam.

AVE cæli exultatio, & terræ gaudium Maria. Tu post filium tuum es Domina vniuersæ creaturæ: adeò, vt ad tuum quoque nomen sese inflectat omne genu cælestium, terrestrium, atque infernorum: tibi officiosissimè obsequuntur Angelicæ potestates. Tu es illa lucis serenissima mater, quę mentes te diligentium amanter illustras: tu es illa pietatis dulcissima parens, quæ fideles tui cultores feliciter transfers ad amœnas paradisi mansiones. Tu speciosa illa sicut columba, ascendens super riuulos aquarum, cuius vestimenta inæstimabili suauitatis odore fragrant: te exercitus supernorum ciuium laudant, tibique benedicunt iugiter. Ad te, Domina, sese erigit vultus meus, te respiciunt oculi cordis mei, in te confidit anima mea: miserere mei, & perduc me ad patriam claritatis æternæ.

Aue incorrupta, & ab omni illuuie immunis virgo Deipara: salue omnium ad te currentium certissimum profugium Maria. Tu

Tu turris munitissima, cuius muris quicinguntur, securi sunt: tu fidelissima protectrix omnium te laudantium. Tu candida nubes, ardorem æstus temperans: tu ros opportunus, ignem fornacis extinguens: tu clauis gemmata, paradisi ianuam reserans. Tu granum purum è paleâ excussum: tu lilium inter spinas, & flos conuallium. Tota mitis es, tota amœna, tota fulgens, tota benigna. Procul à te constitutos illuminas radijs misericordiæ: iuxta te positos recreas deuotionis suauitate. Succurre mihi, ô dulcissima Aduocata: & post huius vitæ fluctus fac vt perueniam ad portũ sempiternæ felicitatis.

Aue Prophetarum laus & Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginumque honor Maria. Tu iustitiæ palma speciosissima, tu pudicitiæ nardus fragrantissima: tu hortus virens, cælestibus delicijs plenus. Tu arca legalis, dulcissimum manna continens: tu terra benedicta, fructum beatissimum proferens: tu petra spiritualis, potum copiosissimum fundens: tu fons sacer, in flumen maximum redundans. O Maria, quàm tu sancta, & quàm ego iniquus! quàm tu humilis, & quàm ego superbus! quàm tu sublimis, & quàm ego indignus! O intemerata, quàm vastum spatiũ porrigitur inter tuam plus quàm Angelicam puritatem, & meam spurcitiam intolerabilem! Repurga, quæso, cor meum à peccatorũ sordibus: tolle à me quidquid virgineis oculis tuis minùs placet: segrega mentem meam à desiderijs terrenis, & eam in amore rerum cælestium fige ad laudem Vnigeniti tui sempiternam.

Aue pretiosissima margarita, & humanæ naturæ gemma singularis Maria. Tota pulchra es, ô Virgo: tota pulchra es, & macula non est in te. Castissimæ animæ tuæ nihil vnquam inhæsit turpitudinis, nihil vnquam defuit spiritualis decoris. Tu Patriarchas excellis fide, Prophetas scientiâ, Apostolos sancto zelo, Martyres patientiâ, Confessores sobrietate, Virgines humilitate atque innocentiâ. Tu ineffabilibus monilibus ornata, omnes superni palatij ciues in admirationem rapis. Tu es sol clarissimus, defectum prorsus nesciens: sol, è terrâ cælos irradians: sol, è cælis terram illuminans: sol, peccati nubes discutiens. Dum ego fulgorem sanctitatis tuæ considero, Domina, vehementer erubesco ob caliginem meæ turpitudinis: ecce verò pedibus tuis aduolutus, humiliter agnosco ipsam meam iniquitatem. Ne, quæso, despicias me, ô spes mea suauis: sed magnam miseriam meam subleuet ingens miseratio tua.

Aue Virgo sacratissima, & inter mulieres benedictas peculiari benedictione singulariter insignis Maria. Tu vallis amœna, vernás virtutum lilijs: tu paradisus beatus, affluens consolationum delicijs: tu rosa venusta, inenarrabilem suauitatem spirans: tu concha electa, mellifluum amoris adipem stillans: tu stella Iacob fulgida, cælos omnes perornans: tu virga Iesse florida, vniuersum orbem exhilarans. Tuam pulchritudinem, tuum ornatum, tuam dignitatem, omnes spiritus beati mirantur. O totius elegantiæ totiusque sanctimoniæ femina, ô Domina præcellentissima, quæ supra choros Angelorum resides, assessum Deo proximum sortita, meas, quæso, calamitates meosque gemitus attende. Visita & consolare me inutilem seruum tuum: atque à peccatis absolutum, redde tibi per omnia placentem.

Aue singulare cæli ornamentum, singulareque terræ præsidium Maria: salue Regis æterni mater gloriosa: gaude gratiæ perditæ instauratrix optatissima. Tu, Domina, rerum imperium cum filio commune obtines: tibi omnis ætas & sexus meritò verticem inclinat: tuis pedibus totus orbis iure prouoluitur. Nam post ineffabilem Trinitatem, nihil habet cælestis aula te vnâ admirabilius. Ad tuum nomen dæmones contremiscunt: ad tuum fulgorem potestates tenebrarum diffugiũt: ad tuum nutum portæ paradisi reserantur: tu omnium Christianorũ spes post Filium. O Regina misericordiæ, ô vitæ dulcedo, te inclamo miserabilis Euæ filius: ad te gemo, ad te suspiro calamitosus exul in hac lacrymarum valle. Ne me, precor, auerseris, ô Domina: sed laborantem adiuua, pugnantem protege, vacillantem confirma: & benedictum fructum ventris tui Iesum Christum mihi post hoc exilium ostende.

Aue purissima Spiritus sancti officina, & immaculatum Verbi Dei sacrarium: aue sanctissima mater & virgo Maria, quæ gaudium Angelorum pariter & hominum peperisti Iesum Christum, eumdemque puerulum pannis inuoluisti, fasciolis strinxisti, vlnis gestasti, gremio confouisti, vberibus lactasti, amplexibus osculisque delinisti. Rogo te, Domina, & exorabile pectus tuum obtestor, per maternam sedulitatem, officiosasque curas, quas cunabulis infantiæ ipsius Vnigeniti tui deuota impendisti, vt mei patrocinium apud eum suscipias, peccata deleas, gratiam impetres, lumen infundas, & ad vitam æternam me perducas.

Exclamationes variæ & suaues cum magnis affectibus erumpentes ex corde amoribus Marianis plena.

Endologia ad MARIAM *tertia.*

AVE serenissima suauissimaque Regis Messiæ genitrix Maria. Tu es turtur illa pudicissima, cuius vox Omnipotentis

aures mirificè demulcet: tu es columba illa castissima, cuius gemitus Spiritui sancto modis omnibus placet. O Virgo gratiosa, Virgo decoris stupendi, eijce è cordis mei penetralibus, quidquid sordidum minusque decorum est. Illumina tenebras meas interiores radio splendoris tui: vt vitijs dissipatis atq; deletis, pulchritudinem tuam purè contépler. Attende, Domina, attende suspiria animę anhelantis ad te. Veni millies desiderata, & ex plenitudine gratiarũ tuarũ aliquid cordi meo infunde, vt intimè te diligã.

Aue ancilla Dei solitaria, & secretissimi Sponsi sponsa secretissima Maria. Salue puella amabilis, & filia gratiæ electa. O Virgo verecunda, ô feminarum omnium pulcherrima, ostende mihi, precor, faciem tuam decoram, cuius aspectu suscitentur in me inextinguibiles castimoniæ affectus: sonet vox tua dulcis in auribus meis, cuius auditu reuiuiscat, resurgatque spiritus meus à morte peccati, & somno tepidæ conuersationis. Ineffabilis illa fragrantia suauitatis tuæ, virgineus ille odor puritatis tuæ, mentem meam recreet iugiter. Sincerus amor tui ingrediatur thalamum pectoris mei, & omnia interiora mea feliciter occupet, vt mundana prorsus fastidiam.

Aue immaculata beatæ Trinitatis amica: salue femina mente & corpore purissima Maria. O Virgo taciturna, Virgo humillima, Virgo Deo gratissima, irradia, quæso, intima mentis meæ serenissimo vultus tui splendore, vt in te delectetur & exultet cor meum. Trahe me post te, vt curram alacriter in odorem vnguentorum tuorum. Lætifica spiritum meum, ô benigna, vt hilariter tibi seruiam, & ex intimis viscerum meorum te diligam. Visita pupillum gementem & mœrentem: tange citharam cordis mei, vt suauè resonet in laudem nominis tui. Te amet, te veneretur, tibi benedicat anima mea omni tempore.

Aue filia Sion millies beata: salue mellitissima Dei mater Maria. O Virgo puritatis plusquam Angelicæ, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum; circumuesti, obsecro, & exorna animam meam gratiâ cælestis decoris. O Regina illustrissima, intuere pauperculum è sublimi solio gloriæ tuæ: appropinqua, ô pia, finibus miseri huius peccatoris, & consolare me optatâ tui pręsentiâ. Exultet in te spiritus meus, collaudent te præcordia mea, & sanctâ tui dilectione colliquescat anima mea.

Aue Virgo pia & suauis Maria: salue porta Orientalis inuiolata, per quam speciosus forma præ filijs hominũ ad nos venit. Conuerte, ô præclara, conuerte ad me mitissimos illos oculos virginei vultus tui: illumina tenebras cęcitatis meę, claritate aduẽtus tui. Attende gemitus animæ meæ, cupientis diligere te: satia desiderium fatiscentis & languentis spiritus mei die ac nocte. Reple cor meũ atq; omnes sensus meos gratiâ cælesti: & me indignum, ad pręgustandas micas aliquas æternæ lætitiæ misericorditer admitte.

Aue solitudinis amatrix, & internæ quietis cultrix mitissima: salue femina honestate admirabilis, & sapientiâ ineffabiliter adornata Maria. O Virgo electa, Virgo inter filias Ierusalem speciosissima, dispersas, quæso, serauli tui cogitationes recollige, & spiritum dissipatum redintegra, vt sinceras tranquillasque meditationes de te pertractem. Inhæreat menti meæ amabilis illa castimoniæ fotrix, pulchritudo tua: possideat penetralia cordis mei purissimus amor tui in perpetuum. Tu fragrantissimũ Diuinitatis tabernaculum: tu hortus conclusus, vnde pulcherrimus atque vnicus ille flos prodijt Iesus Christus saluator animarum nostrarum: te laudet & veneretur omne sæculum.

Aue redolens viola altissimæ humilitatis, & rubens rosa charitatis ardentissimæ Maria: salue generosissima summi Conditoris mater. O Virgo suauis, ô charissima in delicijs, perueniat, obsecro, ad me fragrantia aromatum tuorum: te sentiat spiritus meus in nocte, te exoptent præcordia mea per diẽ, tibi suauiter afficiatur cor meum, te medullitus diligant omnia intima mea, hilariter in tuis laudibus occupetur mens mea omni tempore. Tu cælestis Sponsi floridus thalamus, tu sacrarum deliciarum amœnus paradisus, tu diuinorum Sacramentorum apotheca odorifera. Tu genitrix, tu filia, tu sponsa Dei altissimi: tu, tu es & semper eris dulcis spes mea post Dominum, ac dulce solatium animæ meæ.

V.

PRECATIO AD SANCTOS.

O GLORIOSI spiritus Angelici, qui voce consonâ Deum semper laudatis, eiusq; delicijs iugiter fruimini, orate pro me: & præcipuè tu, Angele beate, custos animæ meæ & corporis mei, cui à Domino singulariter commissus sum, gere fidelem mei curam: vosq; Sancti Dei omnes, qui, traiecto huius exilij pelago, feliciter peruenistis ad portum patriæ cęlestis, intercedite pro me. Ego vos humiliter veneror, humiliter vos in patrocinium mei inuoco: adiuuate me, quæso, vestris meritis atque orationibus, nunc & in hora mortis meæ, Amen. *Ad Angelos.* *Ad Sanctos omnes.*

VI. PRE-

VI.

PRECATIO AD IESVM ADMODVM VTILIS HIS QVI AD PROFECTVM VIRTVTVM CONTENDVNT.

Orat mundari à vitiis & prauis affectibus: O DOMINE Iesu Christe, conditor, redemptor, amator, & benefactor dulcissime, qui piè ad te clamantes benignè exaudis, miserere mei inuocantis te. Purifica me, obsecro, per sanctissimam Incarnationem, conuersationem, & passionem tuam, ab omni peccato. Deijce in me omnem superbiæ altitudinem: disperde omnem arrogantiam: confringe, & prorsus contere malam animi duritiem ac peruicaciam: profliga pestilentes, & à sincerâ dilectione alienas cordis amaritudines: compesce turbulentos impatientiæ motus: reprime & præfoca ferinum iracundiæ impetum ac furorem: extingue peruersum inanis gloriæ appetitum: exstirpa & extermina omnium prauarum cupiditatum carnaliumque voluptatum vitiosam prurriginem. Aufer à me quidquid tibi displicet in me, & dona mihi quod tibi placet.

donari spiritu bono; Largire spiritum bonum, spiritum mitem & tranquillum: largire internam munditiem ac libertatem. Insere cordi meo affectus sinceros, & feruens te colendi desiderium: insere rerum caducarum & omnium vanitatum contemptum, ac patriæ cælestis ardentem amorem. *& ornari virtutibus.* Da veram humilitatem, mansuetudinem, & patientiam: da benignam charitatem, compassionem, & beneuolentiam: da sanctam discretionem, sobrietatem, & castimoniam. Da mihi in omni rerum euentu plenè in te sperare ac confidere: dona, vt laudabilis voluntas tua, æternaque ordinatio, sit mihi semper pro summo solatio. Doce, illumina, dirige, adiuua, protege, & conserua me omni horâ atque momento: vt ea quæ tibi accepta sunt faciam, & securus in te iugiter consistam, Amen.

Qui in prædicta Precatione voluerit omittere verba illa, Deijce in me omnem superbiæ altitudinem, *&c. vsque ad locum istum,* Aufer à me quidquid tibi displicet in me; *omittat ea pro suo arbitrio atque affectu.*

VII.

COMMENDATIONES QVOTIDIANÆ.

PIE Iesu, ego commendo tibi animâ meam & corpus meum, progressum finemq; huius miseræ vitæ meæ. *Pro seipso.* Præsta, vt recessus meus ab hoc exilio sit placitus coram te: & cùm venerit ipsa hora mortis meæ, concede (si est honor nominis tui) vt absq; impedimento mox perueniam ad te. Fiat voluntas tua, Domine Deus meus. *Pro Cœnobio & congregatione.* Commendo tibi hunc locum, & hanc congregationem nostram, præsentes atque absentes fratres nostros: commendo omnia negotia, spiritualia & temporalia, omnesque necessitates nostras. Da vt sit hîc sancta disciplina veræ Religionis: sit hîc humilitas, charitas, & puritas, ad gloriam nominis tui. *Pro Ecclesiâ & Principibus.* Commendo Ecclesiam tuam Catholicam: da reformationem morum tibi placentem in omni hominum ordine. Commendo Vicarium tuum summum Pontificem nostrum, & famulum tuum Imperatorem vel Regem nostrum, omnesque Antistites & Principes Christianos. *Pro parentibus & benefactoribus viuis & defunctis.* Commendo patrem meum, matrem meam, fratres meos, sorores meas, propinquos, familiares, & benefactores meos, omnesque fideles tam viuos quàm defunctos, ac præcipuè eos qui meis orationibus specialiter commendati sunt. *Pro peccatoribus.* Conuerte, quæso, & salua excæcatos miserosque peccatores: conuerte & reuoca hæreticos atque schismaticos: conuerte & illumina infideles te adhuc ignorantes. *Pro afflictis omnibus.* Periclitantibus subueni: mœrentes consolare: tentationibus, doloribus, calamitatibusque pressos & afflictos releua. Miserere Domine, miserere omnium propter sanctum nomen tuum, Amen.

LVDOVICI BLOSII
PARADISI
ANIMÆ FIDELIS
PARS TERTIA,
SIVE
MEDVLLA PSALMODIAE SACRÆ.

PRÆFATIO.

Scopus huius opellæ.

Vt aliquâ ex parte iuuaremus pia studia eorum, qui se totos cultui diuino addixerunt; collegimus ex libro Psalmorum quæcumque faciliora sunt, & mentem suauiùs afficiunt; eáque in breues Doxologias digessimus. Multi quidem multa in laudem Psalmodiæ sacræ præclarè dixerunt: nullus tamen pro dignitate & merito illam adhuc commendauit, nec aliquis commendabit vmquam. Tanta virtus eius est, vt verbis prorsus explicari nequeat. Si eam solam haberemus, posset nobis per omnem vitam sufficere ad omne spirituale exercitium, siue legere, siue meditari, siue Deum laudare atque precari liberet. Inexhaustus siquidem thesaurus est, nihil non continens eorum quæ vel ad purgationem, vel ad sanitatem, vel ad eruditionem, vel ad ornatum, vel ad consolationem animæ spectant. Turris est, galea est, gladius est, medicina est, alimentum est, aroma est, lux est, corona est. Periclitantes liberat, sauciatos sanat, cæcos illuminat, pigros excitat, frigidos inflammat, mæstos consolatur, vacillantes confirmat, odium peccati adducit, contemptum mundi parit, amorem Dei inserit, desiderium vitæ æternæ gignit, fidem solidat, spem stabilit, charitatem auget, patientiam suggerit, sobrietatem docet, castitatem imprimit, corda purificat, conscientias tranquillat, mentes exhilarat, totumque interiorem hominem feliciter mutatum innouat, ac mirâ quadam dulcedine perfusum recreat.

Virtus sacræ Psalmodiæ.

Quàm ex Psalmodiâ fructus.

Ideò in Ecclesiâ, & à fidelibus frequentanda.

Nulla alia tam perfecta, nulla tam sublimis oratio ab homine excogitari potest. Anima, quæ palatum internum infectum non habet, delicias inenarrabiles in illâ degustat. Breuiter, Psalmodia, carmen cæleste est; & eos, à quibus sedulò colitur, ex hominibus in Angelos transfigurat. Relictis igitur huius sæculi vanitatibus, iuxta consilium beati Pauli, doceamus & commoneamus nosipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus *nostris* Deo. *Sic exornemus animas nostras precibus diuinaque laude, vt & hic vitam iucundam agere, & in futuro sæculo beatitudinem æternam consequi mereamur.*

Coloss. 3.

MEDVL-

MEDVLLA PSALMODIAE SACRAE,

Cuius singula verba gemmis pretiosiora, & nectare suauiora, piam sanctamque animam mirificè exhilarabunt.

DOXOLOGIA I.

BEATVS vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in viâ peccatorum non stetit, & in cathedrâ pestilentię non sedit.

Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium eius non defluet: & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impij, non sic: sed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Ideò non resurgent impij in iudicio: neque peccatores in consilio iustorum.

Quoniam nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.

DOXOLOGIA II.

SERVITE Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam: nequando irascatur Dominus, & pereatis de viâ iustâ.

Cùm exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, & exaudi orationẽ meam.

Filij hominum, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.

In pace in idipsum dormiam & requiescam.

Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

DOXOLOGIA III.

DOMINE, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.

Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo.

Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi: quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, saluum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causâ, dentes peccatorum contriuisti.

Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.

DOXOLOGIA IV.

VERBA mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam.

Manè astabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in iustitiâ tuâ: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Lætentur omnes qui sperant in te Domine: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto.

DOXOLOGIA V.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valdè: sed tu Domine vsquequò?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationẽ meam, Dominus orationem meam suscepit.

Eru-

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei,conuertantur & erubeſcant valdè velociter.

DOXOLOGIA VI.

DOMINE Deus meus in te ſperaui, ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me,& libera me.

Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat,neque qui ſaluum faciat.

Exurge Domine in irâ tuâ, & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Iudica me Domine ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.

Conſumetur nequitia peccatorum:& diriges iuſtum,ſcrutans corda & renes Deus.

Iuſtum adiutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde.

Confitebor Domino ſecundùm iuſtitiam eius: & pſallam nomini Domini altiſſimi.

DOXOLOGIA VII.

DOMINE Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſâ terrâ!

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo quòd memor es eius?aut filius hominis quoniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas,inſuper & pecora campi.

Volucres cæli, & piſces maris,qui perambulant ſemitas maris.

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſâ terrâ!

DOXOLOGIA VIII.

CONFITEBOR tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor & exultabo in te, pſallam nomini tuo, Altiſſime.

Quoniam feciſti iudicium meum,& cauſam meam: ſediſti ſuper thronum,qui iudicas iuſtitiam.

Increpaſti gentes, & perijt impius: nomen eorum deleſti in æternum, & in ſæculum ſæculi.

Perijt memoria eorum cum ſonitu: & Dominus in æternum permanet.

Et factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

Pſallite Domino qui habitat in Sion: annuntiate inter gentes ſtudia eius.

DOXOLOGIA IX.

MISERERE mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.

Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Vt quid Domine receſſiſti longè, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?

Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua,ne obliuiſcaris pauperum.

Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor.

Exultabo in ſalutari tuo: quoniam non in finem obliuio erit pauperis,patientia pauperum non peribit in finem.

Dominus regnabit in æternum, & in ſæculum ſæculi: peribitis gentes de terrâ illius.

Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

DOXOLOGIA X.

DOMINVS in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius.

Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum,nunc exurgam,dicit Dominus.

Pluit ſuper peccatores laqueos: ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Vſquequò Domine obliuiſcêris mei in finem? vſquequò auertis faciem tuam à me?

Quamdiu ponam conſilia in animâ meâ, dolorem in corde meo per diem?

Vſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice, & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus: Præualui aduerſus eum.

Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero: ego autem in miſericordiâ tuâ ſperaui.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

DOXO-

DOXOLOGIA XI.

DOMINE, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine maculâ, & operatur iustitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in linguâ suâ.

Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.

Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

Dominus in generatione iustâ est: consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est.

Quis dabit ex Sion salutare Israel? cùm auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel.

DOXOLOGIA XII.

CONSERVA me Domine, quoniam speraui in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Dñs pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum, insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animâ meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dexterâ tuâ vsque in finem.

DOXOLOGIA XIII.

EXAVDI Domine iustitiam meam, intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, non in labijs dolosis.

De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem.

Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.

Vt non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.

Ego clamaui, quoniã exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

DOXOLOGIA XIV.

MIRIFICA misericordias tuas Domine, qui saluos facis sperantes in te.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, vt pupillam oculi.

Sub vmbrâ alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, os eorum locutum est superbiam.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædã, & sicut catulus leonis habitãs in abditis.

Exurge Domine, præueni eum, & supplanta eum: eripe animam meam ab impio.

Et ego in iustitiâ apparebo conspectui tuo: satiabor cùm apparuerit gloria tua.

DOXOLOGIA XV.

DILIGAM te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Deus meus, adiutor meus: & sperabo in eum.

Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.

Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.

Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.

In tribulatione meâ inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.

Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius.

DOXOLOGIA XVI.

MISIT Dominus de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.

Præuenerunt me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus protector meus.

Et eduxit me in latitudinem: saluum me fecit, quoniam voluit me.

Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam: & secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.

Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo: & iustitias eius non repuli à me.

Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate meâ.

Et

Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam, & secundùm puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.

DOXOLOGIA XVII.

TV Domine populum humilem saluum facies: & oculos superborum humiliabis.

Tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus, illumina tenebras meas.

Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

Deus meus impolluta via eius: eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.

Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam.

Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum, & super excelsa statuens me.

Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti, vt arcum æreum, brachia mea.

Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me.

Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.

Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.

Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.

DOXOLOGIA XVIII.

DISCIPLINA tua Domine correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.

Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.

Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non cõuertar donec deficiant.

Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtute ad bellum, supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.

Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos.

Viuit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus salutis meæ.

Deus qui das vindictam mihi, & subdis populos sub me: liberator meus de inimicis meis iracundis.

Ab insurgentibus in me exalta[illegible] me, à viro iniquo eripies me.

Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo psalmum dicam.

DOXOLOGIA XIX.

CÆLI enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentũ.

In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.

Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sęculum sæculi: iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & fauum.

Etenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.

Et erunt vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adiutor meus, & redemptor meus.

DOXOLOGIA XX.

EXALTARE Domine in virtute tuâ: cantabimus, & psallemus virtutes tuas.

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ: in te proiectus sum ex vtero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me.

Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet.

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederũt me canes multi, consilium malignantium obsedit me.

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice.

Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Deum laudate eum, vniuersum semen Iacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: quoniam non spreuit neque despexit deprecationem pauperis.

Nec auertit faciem suam à me: & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.

DOXO-

DOXOLOGIA XXI.

DOMINVS regit me,& nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.

Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.

Deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suum.

Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis,non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

Et vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.

DOXOLOGIA XXII.

DOMINI est terra, & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum.

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens manibus,& mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas, Principes, vestras, & eleuamini portæ æternales:& introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens,Dominus potens in prælio.

Attollite portas, Principes,vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

DOXOLOGIA XXIII.

AD te Domine leuaui animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuersi qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè.

Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tuâ, & doce me: quia tu es Deus saluator meus,& te sustinui totâ die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine,& misericordiarum tuarum quæ à sæculo sunt.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas,ne memineris.

Secundùm misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.

Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in viâ.

Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.

Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas,requirentibus testamentum eius & testimonia eius.

DOXOLOGIA XXIV.

PROPTER nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.

Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in viâ quam elegit.

Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hereditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum, & testamentum ipsius vt manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.

Respice in me,& miserere mei: quia vnicus & pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt:de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, & laborem meum:& dimitte vniuersa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt,& odio iniquo oderunt me.

Innocentes & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.

Libera Deus Israël ex omnibus tribulationibus suis.

DOXOLOGIA XXV.

IVDICA me Deus, quoniam ego in innocentiâ meâ ingressus sum: & in Domino sperans non infirmabor.

Proba me Domine,& tenta me,vre renes meos & cor meum.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est,& complacui in veritate tuâ.

Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.

Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.

Vt audiam vocem laudis tuæ,& enarrem vniuersa mirabilia tua.

PSALM.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impijs Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.

Ego in innocentiâ meâ ingressus sum, redime me, & miserere mei.

Pes meus stetit in directo, in Ecclesijs benedicam te Domine.

DOXOLOGIA XXVI.

DOMINVS illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.

Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.

Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petrâ exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.

Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum dicam Domino.

DOXOLOGIA XXVII.

EXAVDI Domine vocem meam quâ clamaui ad te: miserere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in irâ à seruo tuo.

Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Legem pone mihi Domine in viâ tuâ: & dirige me in semitâ rectâ propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini in terrâ viuentium.

Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

DOXOLOGIA XXVIII.

AD te Domine clamabo: Deus meus ne sileas à me, ne quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.

Dominus adiutor meus, & protector meus: & in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum.

Et refloruit caro mea: & ex voluntate meâ confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suæ, & protector saluationum Christi sui est.

Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ: & rege eos, & extolle illos vsque in æternum.

DOXOLOGIA XXIX.

EXALTABO te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum.

Psallite Domino Sancti eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius.

Audiuit Dominus, & misertus est mei, Dominus factus est adiutor meus.

Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ.

Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar, Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.

Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

DOXOLOGIA XXX.

IN te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitiâ tuâ libera me.

Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Edu-

Educes me de laqueo hoc quem abſcon-derunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo ſpiritū meum: redemiſti me Domine Deus veritatis.

Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacuè.

Ego autem in Domino ſperaui: exultabo & lætabor in miſericordiâ tuâ.

Quoniam reſpexiſti humilitatem meam: ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam.

Nec concluſiſti me in manibus inimici: ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.

DOXOLOGIA XXXI.

MISERERE mei Domine, quoniam tribulor: quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt.

Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valdè: obliuioni datus ſum tamquam mortuus à corde.

Factus ſum tamquam vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.

Ego autem in te ſperaui Domine: dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me.

Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordiâ tuâ, Domine non confundar, quoniam inuocaui te.

Erubeſcant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia doloſa.

Quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem, in ſuperbiâ & abuſione.

DOXOLOGIA XXXII.

QVAM magna multitudo dulcedinis tuę Domine, quam abſcondiſti timentibus te!

Perfeciſti eis qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum.

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.

Benedictus Dominus, quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munitâ.

Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ: Proiectus ſum à facie oculorum tuorum.

Ideò exaudiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes ſancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino.

DOXOLOGIA XXXIII.

BEATI quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi, Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.

Tu es refugium meum à tribulatione quę circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.

DOXOLOGIA XXXIV.

EXVLTATE iuſti in Domino: rectos decet collaudatio.

Confitemini Domino in citharâ: in pſalterio decem chordarum pſallite illi.

Cantate ei canticum nouum: benè pſallite ei in vociferatione.

Diligit miſericordiam & iudicium: miſericordiâ Domini plena eſt terra.

Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.

Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.

Dominus diſſipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia Principum.

Conſilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generationem & generationem.

DOXOLOGIA XXXV.

BEATA gens cuius eſt Dñs Deus eius: populus quem elegit in hereditatem ſibi.

De cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum.

De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes qui habitant terram.

Qui finxit ſigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.

Non ſaluatur Rex per multam virtutem: & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ: fallax equus ad ſalutem.

Ecce oculi Domini ſuper metuētes eum,

& in eis qui sperant super misericordiâ eius.

Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor & protector noster est.

Quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto eius sperabimus.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum sperauimus in te.

DOXOLOGIA XXXVI.

BENEDICAM Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.

Exquisiui Dominũ, & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.

Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.

DOXOLOGIA XXXVII.

QVIS est homo qui vult vitam? diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.

Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.

Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terrâ memoriam eorum.

Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

Iuxtà est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit.

Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: & qui oderunt iustum, delinquent.

Redimet Dominus animas seruorum suorum: & non delinquent omnes qui sperant in eo.

DOXOLOGIA XXXVIII.

IVDICA Domine nocentes me, expugna impugnantes me.

Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.

Effunde frameam, & conclude aduersus eos qui persequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego sum.

Confundantur & reuereantur quærentes animam meam.

Auertantur retrorsum, & confundantur, cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam puluis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos.

Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.

Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo.

Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum.

DOXOLOGIA XXXIX.

CONFITEBOR tibi Domine in Ecclesiâ magnâ: in populo graui laudabo te.

Non supergaudeant mihi qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi nostri.

Vidisti Domine, ne sileas: Domine ne discedas à me.

Exurge, & intende iudicio meo Deus meus, & Dominus meus in causam meam.

Iudica me secundùm iustitiam tuam Domine Deus meus: & non supergaudeant mihi.

Erubescant & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione & reuerentiâ, qui maligna loquuntur super me.

Exultent & lætentur qui volunt iustitiam meam: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem serui eius.

Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam: totâ die laudem tuam.

DOXOLOGIA XL.

DOMINE in cælo misericordia tua: & veritas tua vsque ad nubes.

Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa.

Homines & iumenta saluabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.

Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

Ine-

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.

Prætende misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his qui recto sunt corde.

Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.

Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

DOXOLOGIA XLI.

NOLI æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.

Quoniam tamquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.

Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & pascêris in diuitijs eius.

Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.

Reuela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet.

Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum, tamquam meridiem: subditus esto Domino, & ora eum.

Noli æmulari in eo qui prosperatur in viâ suâ, in homine faciente iniustitias.

Desine ab irâ, & derelinque furorem: noli æmulari vt maligneris.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum, ipsi hereditabunt terram.

Et adhuc pusillum, & non erit peccator: & quæres locum eius, & non inuenies.

Mansueti autem hereditabunt terram: & delectabuntur in multitudine pacis.

DOXOLOGIA XLII.

NOVIT Dominus dies immaculatorũ: & hereditas eorum in æternum erit.

Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt.

Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.

Apud Dominum gressus hominis dirigentur: & viam eius volet.

Cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.

Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi.

Quia Dominus amat iudicium: & non derelinquet Sanctos suos, in æternum conseruabuntur.

Iniusti punientur, & semen impiorum peribit.

Iusti autem hereditabunt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

DOXOLOGIA XLIII.

OS iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius.

Considerat peccator iustum, & quærit mortificare eum.

Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, nec damnabit eum cùm iudicabitur illi.

Expecta Dominum, & custodi viam eius: & exaltabit te, vt hereditate capias terram: cùm perierint peccatores, videbis.

Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani.

Et transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.

Custodi innocentiam, & vide æquitatẽ: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

Iniusti disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt.

Salus autem iustorum à Domino, & protector in eorum in tempore tribulationis.

Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos: quia sperauerunt in eo.

DOXOLOGIA XLIV.

DOMINE ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.

Non est sanitas in carne meâ à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum & curuatus sum vsque in finem, totâ die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne meâ.

Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

In te Domine speraui: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

DOXOLOGIA XLV.

DIXI, Custodiam vias meas: vt non delinquam in linguâ meâ.

Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me.

Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis: & dolor meus renouatus est.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione meâ exardescet ignis.

Et nunc quæ est expectatio mea? nónne Dominus? & substantia mea apud te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: amoue à me plagas tuas.

Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas.

Ne sileas, quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei.

Verumtamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens.

Verumtamen in imagine pertransit homo: sed & frustrà conturbatur.

DOXOLOGIA XLVI.

EXPECTANS expectaui Dominum, & intendit mihi.

Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.

Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro.

Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.

Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiaui iustitiam tuam in Ecclesiâ magnâ: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.

Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi.

DOXOLOGIA XLVII.

TV Domine ne longè facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederũt me mala quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine vt eruas me, Domine ad adiuuandum me respice.

Confundantur & reuereantur simul, qui quærunt animam meam vt auferant eam.

Conuertantur retrorsum, & reuereantur, qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus sollicitus est mei.

Adiutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris.

DOXOLOGIA XLVIII.

BEATVS vir qui intelligit super egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus.

Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terrâ: & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.

Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi, Quando morietur, & peribit nomen eius?

Verbum iniquum constituerunt aduersum me: Numquid qui dormit non adijciet vt resurgat?

Tu Domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.

In hoc cognoui quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo & vsque in sæculum: fiat, fiat.

DOXOLOGIA XLIX.

QVEMADMODVM desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam trãsibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domũ Dei.

In voce exultationis & confessionis, sonus epulantis.

DOXOLOGIA L.

QVARE tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea, exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus? Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

DOXOLOGIA LI.

IVDICA me Deus, & discerne causam meam de gente non sanctâ: ab homine iniquo & doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.

Confitebor tibi in citharâ Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

DOXOLOGIA LII.

DEVS auribus nostris audiuimus, patres nostri annuntiauerunt nobis.

Opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos.

Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.

Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.

In Deo laudabimur totâ die, & in nomine tuo confitebimur in sæculum.

DOXOLOGIA LIII.

TV Domine repulisti, & confudisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris.

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his qui sunt in circuitu nostro.

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis.

Quoniam propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oues occisionis.

Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.

Quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ?

Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, conglutinatus est in terrâ venter noster.

Exurge Domine, adiuua nos: & redime nos propter nomen tuum.

DOXOLOGIA LIV.

DEVS noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quę inuenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.

Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram; auferens bella vsque ad fines terræ.

Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.

Vacate, & videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terrâ.

Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.

Memor ero nominis tui Domine in omni generatione & generatione.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in sæculum sæculi.

DOXOLOGIA LV.

OMNES gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.

Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.

Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.

Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.

DOXOLOGIA LVI.

MAGNVS Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.

Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum.

Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: iustitiâ plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion,& exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine.

Circumdate Sion,& complectimini eam: narrate in turribus eius.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.

DOXOLOGIA LVII.

DEVS manifestè veniet, Deus noster, & non silebit.

Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.

Aduocauit cælum de sursum, & terram, discernere populum suum.

Congregate illi sanctos eius,qui ordinant testamentum eius super sacrificia.

Et annuntiabunt cæli iustitiam eius,quoniam Deus iudex est.

Audi populus meus, & loquar; Israel, & testificabor tibi:Deus Deus tuus ego sum.

Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.

Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

DOXOLOGIA LVIII.

MISERERE mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Ampliùs laua me ab iniquitate meâ, & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,& in peccatis concepit me mater mea.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

DOXOLOGIA LIX.

AVERTE Domine faciē tuam à peccatis meis,& omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proijcias me à facie tuâ, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benignè fac Domine in bonâ voluntate tuâ Sion,vt ædificentur muri Ierusalem.

DOXOLOGIA LX.

QVID gloriaris in malitiâ, qui potens es in iniquitate?

Totâ die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum.

Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem.

Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.

Propterea Deus destruet te in finem: euellet te,& emigrabit te de tabernaculo tuo,& radicem tuam de terrâ viuentium.

Videbunt iusti,& timebunt,& super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.

Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei: speraui in misericordiâ Dei in æternum,& in sæculum sæculi.

Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

DOXOLOGIA LXI.

DEVS in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tuâ iudica me.

Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me,& fortes quæsierunt animã meã,& non proposuerunt Deum ante conspectũ suum.

Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ.

Auerte mala inimicis meis, & in veritate tuâ disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi,& confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus.

DOXO-

DOXOLOGIA LXII.

EXAVDI Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione meâ, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.

Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me.

Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?

Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.

Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.

DOXOLOGIA LXIII.

EGO ad Deum clamaui, & Dominus saluauit me.

Vespere, & manè, & meridie, narrabo & annuntiabo: & exaudiet vocem meam.

Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.

Exaudiet Deus, & humiliabit illos qui est ante sæcula.

Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto.

Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus.

Viri sanguinũ & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.

DOXOLOGIA LXIV.

MISERERE mei Deus, quoniam conculcauit me homo: totâ die impugnans tribulauit me.

Conculcauerunt me inimici mei totâ die, quoniam multi bellantes aduersum me.

In Deo laudabo sermones meos: in Deo speraui, non timebo quid faciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabantur: aduersum me omnes cogitationes eorũ in malũ.

Deus, vitam meam annuntiaui tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

In quacumque die inuocauero te: ecce cognoui quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu: vt placeam coram Deo in lumine viuentium.

DOXOLOGIA LXV.

MISERERE mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in vmbrâ alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.

Misit de cælo, & liberauit me, dedit in opprobrium conculcantes me.

Exaltare super cælos Deus, & in omnem terram gloria tua.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine, & psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.

DOXOLOGIA LXVI.

ERIPE me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salua me.

Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.

Exurge in occursum meum, & vide: & tu Domine Deus virtutum, Deus Israël.

Disperge illos in virtute tuâ, & depone eos, protector meus Domine.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo manè misericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus, & refugium meum, in die tribulationis meæ.

Adiutor meus tibi psallã, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea.

DOXOLOGIA LXVII.

DEVS repulisti nos, & destruxisti nos: iratus es, & misertus es nobis.

Commouisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est.

Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.

Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.

Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in Idumæam?

Nónne tu Deus qui repulisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris?

Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

DOXO-

DOXOLOGIA LXVIII.

EXAVDI Deus deprecationem meam, intende orationi meæ.

A finibus terrę ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum: in petrâ exaltasti me.

Deduxisti me quia factus es spes mea: turris fortitudinis à facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam, dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.

Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de die in diem.

DOXOLOGIA LXIX.

NONNE Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

Nam & ipse Deus meus & salutaris meus, susceptor meus, non mouebor ampliùs.

Quousque irruitis in hominem? interficitis vniuersi vos, tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ?

Verumtamen Deo subiecta est anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.

Quia ipse Deus meus, & saluator meus, adiutor meus, non emigrabo.

In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est.

Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in æternum.

Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Semel locutus est Deus, duo hæc audiui: quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.

DOXOLOGIA LXX.

DEVS Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.

In terrâ desertâ, & inuiâ, & inaquosâ, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vitâ meâ: & in nomine tuo leuabo manus meas.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.

Memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo: adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.

DOXOLOGIA LXXI.

EXAVDI Deus orationem meam cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me à conuentu malignãtium, à multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt vt gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum.

Narrauerunt, vt absconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos?

Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.

Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.

DOXOLOGIA LXXII.

TE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Ierusalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum præualuerunt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atrijs tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè.

DOXOLOGIA LXXIII.

IVBILATE Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.

Dicite Deo: Quàm terribilia sunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.

Venite, & videte opera Dei, terribilis in consilijs super filios hominum.

Qui dominatur in virtute suâ in æternum, oculi eius super gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius.

Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos.

DOXOLOGIA LXXIV.

PROBASTI nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.

Transiui-

Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub linguâ meâ.

Propterea exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiá suam à me.

DOXOLOGIA LXXV.

DEVS misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terrâ viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terrâ dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

DOXOLOGIA LXXVI.

EXVRGAT Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius.

Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitiâ.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu eius, turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.

Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster, Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.

DOXOLOGIA LXXVII.

PRÆVENERVNT Principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum.

In Ecclesijs benedicite Deo, Domino de fontibus Israël.

Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Regna terræ cantate Deo, psallite Dño.

Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli, ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: magnificentia eius & virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israël ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

DOXOLOGIA LXXVIII.

SALVVM me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.

Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.

Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

Non erubescant in me qui expectant te Domine, Domine virtutum.

Non confundantur super me, qui quærunt te Deus Israël.

Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.

DOXOLOGIA LXXIX.

IN multitudine misericordiæ tuæ, Domine, exaudi me, in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab ijs qui oderunt me, & de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.

Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos.

DOXOLOGIA LXXX.

EGO sum pauper & dolens, salus tua Deus suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.

Videant

Videant pauperes, & lætentur: quærite Deum,& viuet anima vestra.

Quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit.

Laudent illum cæli & terra, mare,& omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus saluam faciet Sion, & ædificabuntur ciuitates Iudæ.

Et inhabitabunt ibi, & hereditate acquirent eam.

Et semen seruorum eius possidebit eam, & qui diligunt nomen eius, habitabũt in eâ.

DOXOLOGIA LXXXI.

DEVS in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.

Confundantur & reuereantur qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum,& erubescant, qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te,& dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum: Deus adiuua me.

Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine, ne moreris.

DOXOLOGIA LXXXII.

DEVS meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui.

Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea à iuuentute meâ.

In te confirmatus sum ex vtero: de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantatio mea semper: tamquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor meus fortis.

Repleatur os meum laude, vt cantẽ gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam.

Ne proijcias me in tempore senectutis: cũ defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum,

Dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum: quia non est qui eripiat.

Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum respice.

DOXOLOGIA LXXXIII.

CONFVNDANTVR, Domine, & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confusione & pudore, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiabit iustitiam tuam, totâ die salutare tuum.

Deus docuisti me à iuuentute meâ, & vsque nunc: pronuntiabo mirabilia tua, vsque in senectam & senium; Deus ne derelinquas me.

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conuersus viuificasti me,& de abyssis terræ iterùm reduxisti me.

Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me.

Nam & ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam Deus: psallam tibi in citharâ, sanctus Israël.

Exultabunt labia mea cùm cantauero tibi, & anima mea quam redemisti.

Sed & lingua mea totâ die meditabitur iustitiam tuam: cùm confusi & reueriti fuerint qui quærunt mala mihi.

DOXOLOGIA LXXXIV.

QVAM bonus Israël Deus his qui recto sunt corde!

Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum,& nesciui.

Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum.

Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tuâ deduxisti me, & cum gloriâ suscepisti me.

Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?

Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei,& pars mea Deus in æternum.

Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

Vt annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.

Benedictus Dominus Deus Israël, qui fecit mirabilia solus.

Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum,& replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.

DOXOLOGIA LXXXV.

VT quid Deus repulisti in finem, iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ?

Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hereditatis tuæ, mons Sion, in quo habitasti in eo.

Vsquequò Domine improperabit inimicus? irritat aduersarius nomen tuũ in finem?

Deus

Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.

Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram, & solem.

Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem & ver tu plasmasti ea.

Ne tradas bestijs animam confitentem tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.

Ne auertatur humilis factus confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.

Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

DOXOLOGIA LXXXVI.

NOTVS in Iudæâ Deus, in Israël magnum nomen eius.

Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, scutum, & gladium, & bellum.

Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, & quieuit.

Cùm exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

Vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.

DOXOLOGIA LXXXVII.

VOCE meâ ad Dominum clamaui, voce meâ ad Deum, & intendit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.

Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.

Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.

Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritũ meum.

Numquid in æternum proijciet Deus? aut non apponet vt complacitior sit adhuc?

Aut in finem misericordiam suam abscindet, à generatione in generationem?

Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in irâ suâ misericordias suas?

Et dixi, Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.

Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor.

DOXOLOGIA LXXXVIII.

DEVS venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cęli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.

Vsquequò Domine irascêris in finem? accendetur velut ignis zelus tuus?

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, improperium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum.

In generationem & generationem annuntiabimus laudem tuam.

DOXOLOGIA LXXXIX.

QVI regis Israel, intende: qui deducis velut ouem Ioseph.

Excita potentiam tuam, & veni: vt saluos facias nos.

Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.

Domine Deus virtutum, quousque irascêris super orationem serui tui?

Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensurâ.

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannauerũt nos.

Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.

Et non discedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.

Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.

DOXOLOGIA XC.

EXVLTATE Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob.

Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium iucundum cum citharâ.

Audi populus meus, & contestabor te:

Iſraël ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.

Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.

Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſraël non intendit mihi.

Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus ſuis.

Si populus meus audiſſet me, Iſraël ſi in vijs meis ambulaſſet:

Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.

DOXOLOGIA XCI.

Qvam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi vbi ponat pullos ſuos.

Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legiſlator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.

DOXOLOGIA XCII.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meã, auribus percipe Deus Iacob.

Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis, ſuper millia.

Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.

Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.

Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quã habitare in tabernaculis peccatorũ.

Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentiâ: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.

DOXOLOGIA XCIII.

Benedixisti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum.

Mitigaſti omnem iram tuam, auertiſti ab irâ indignationis tuæ.

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum iraſcêris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Deus tu conuerſus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

DOXOLOGIA XCIV.

Ostende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dñs Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

Et ſuper Sanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.

Verumtamen prope timẽtes eum ſalutare ipſius, vt inhabitet gloria in terrâ noſtrâ.

Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.

Veritas de terrâ orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in viâ greſſus ſuos.

DOXOLOGIA XCV.

Inclina ad me aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum: ſaluum fac ſeruum tuum, Deus meus, ſperantem in te.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamaui totâ die: lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te Dñe animam meam leuaui.

Quoniam tu Dñe ſuauis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam, & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudiſti me.

Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus.

DOXOLOGIA XCVI.

Dedvc me Domine in viâ tuâ, & ingrediar in veritate tuâ, lætetur cor meum vt timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam:

meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator & misericors patiẽs, & multæ misericordiæ, & verax.

Respice in me, & miserere mei: da imperium tuum puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

DOXOLOGIA XCVII.

DOMINE Deus salutis meæ, in die clamaui & nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.

Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.

In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me.

Longè fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopiâ.

Clamaui ad te Domine, totâ die expandi ad te manus meas.

Ego ad te Domine clamaui: & manè oratio mea præueniet te.

Vt quid Domine repellis orationẽ meam? auertis faciem tuam à me?

Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute meâ: exaltatus autem, humiliatus sum & conturbatus.

DOXOLOGIA XCVIII.

MISERICORDIAS Domini in æternum cantabo.

In generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Confitebuntur cæli mirabilia tua Dñe, etenim veritatẽ tuam in Ecclesiâ Sanctorum.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? similis erit Deo in filijs Dei?

Deus, qui glorificatur in consilio Sanctorum, magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es Dñe, & veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti: Aquilonem & mare tu creasti.

DOXOLOGIA XCIX.

MISERICORDIA & veritas præcedent faciem tuam Domine, beatus populus qui scit iubilationem.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totâ die, & in iustitiâ tuâ exaltabuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Quia Domini est assumptio nostra, & sancti Israël Regis nostri.

Vsquequò Domine auertis in finem, exardescet sicut ignis ira tua?

Memorare quæ mea substantia: numquid enim vanè constituisti omnes filios hominum?

Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Dñe? memor esto opprobrij seruorum tuorum.

Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.

DOXOLOGIA C.

DOMINE refugium factus es nobis, à generatione in generationem.

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præterijt.

Conuertere Domine, & deprecabilis esto super seruos tuos.

Repleti sumus manè misericordiâ tuâ: exultauimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris.

Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.

Respice in seruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum.

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos: & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige.

DOXOLOGIA CI.

QVI habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.

A sagittâ volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.

Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Clamauit ad me, & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

DOXOLOGIA CIII.

Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime.

Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem;

In decachordo psalterio, cum cantico in citharâ.

Quia delectasti me Domine in facturâ tuâ, & in operibus manuum tuarum exultabo.

Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.

Cùm exorti fuerint peccatores, sicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem;

Vt intereant in sæculum sæculi: tu autem altissimus in æternum, Domine.

DOXOLOGIA CIV.

Ecce inimici tui, Domine, ecce inimici tui peribunt: & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meũ, & senectus mea in misericordiâ vberi.

Et despexit oculus meus inimicos meos: & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt.

Adhuc multiplicabuntur in senectâ vberi, & benè patientes erunt, vt annuntient;

Quoniam rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.

DOXOLOGIA CV.

Dominvs regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.

Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.

Parata sedes tua ex tunc, à sæculo tu es.

Eleuauerunt flumina, Domine, eleuauerunt flumina vocem suam.

Eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.

DOXOLOGIA CVI.

Devs vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit.

Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis.

Vsquequò peccatores, Domine, vsquequò peccatores gloriabuntur?

Effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes, qui operantur iniustitiam?

Populum tuum, Domine, humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt.

Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.

Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?

Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tuâ docueris eum.

Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea.

Quia non repellet Dominus plebẽ suam, & hereditatem suam non derelinquet.

DOXOLOGIA CVII.

Qvis consurget mihi aduersus malignantes? aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?

Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominùs habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam, Motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adiuuabat me.

Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Et factus est mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium spei meæ.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitiâ eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster.

DOXOLOGIA CVIII.

Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro.

Præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes deos.

Quia

Quia in manu eius sunt omnes fines terræ,& altitudines montium ipsius sunt.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud:& siccam manus eius formauerunt.

Venite adoremus,& procidamus,& ploremus ante Dominum qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster.

Et nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

DOXOLOGIA CIX.

CANTATE Domino canticum nouum; cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini eius,annuntiate de die in diem salutare eius.

Annuntiate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis:terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit.

Confessio & pulchritudo in conspectu eius, sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.

DOXOLOGIA CX.

AFFERTE Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.

Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur; iudicabit populos in æquitate.

Lætentur cæli,& exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius, gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna siluarum à facie Domini, quia venit; quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate suâ.

DOXOLOGIA CXI.

DOMINVS regnauit,exultet terra,lætentur insulæ multæ.

Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini,à facie Domini omnis terra.

Annuntiauerunt cæli iustitiam eius,& viderunt omnes populi gloriam eius.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia,& qui gloriantur in simulachris suis.

Adorate eum omnes Angeli eius:audiuit, & lætata est Sion.

Et exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum,de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est iusto,& rectis corde lætitia.

Lætamini iusti in Domino,& confitemini memoriæ sanctificationis eius.

DOXOLOGIA CXII.

CANTATE Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.

Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.

Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ,& veritatis suæ domui Israël.

Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

Iubilate Domino omnis terra, cantate, & exultate,& psallite.

Psallite Domino in citharâ, in citharâ & voce psalmi,in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Iubilate in conspectu Regis Domini,moueatur mare & plenitudo eius, orbis terrarum,& qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu Domini: quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terrarum in iustitiâ, & populos in æquitate.

DOXOLOGIA CXIII.

DOMINVS in Sion magnus, & excelsus super omnes populos.

Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius:quoniam sanctus Dominus Deus noster.

Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitiâ:

Introite in conspectu eius in exultatione.

Scitote,quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos,& non ipsi nos.

Populus eius & oues pascuæ eius,introite portas eius in confessione,atria eius in hymnis,confitemini illi.

Laudate nomen eius,quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius, & vsque in generationem & generationem veritas eius.

DOXOLOGIA CXIV.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam à me, in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem.

Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filij seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum in sæculum dirigetur.

DOXOLOGIA CXV.

Benedic anima mea Dño, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordiâ & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

DOXOLOGIA CXVI.

Miserator & misericors Dominus, longanimis & multùm misericors.

Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.

Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundùm altitudinem cæli à terrâ, corroborauit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam puluis sumus: homo sicut fœnum dies eius, tamquam flos agri sic efflorebit.

DOXOLOGIA CXVII.

Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum super timẽtes eum.

Et iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamentum eius.

Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

Dominus in cælo parauit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius: benedic anima mea Domino.

DOXOLOGIA CXVIII.

Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer.

Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.

Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tuâ.

Sit gloria Domini in sæculum, lætabitur Dominus in operibus suis.

Qui respicit terram, & facit eam tremere; qui tangit montes, & fumigant.

Cantabo Domino in vitâ meâ: & psallam Deo meo quamdiu sum.

Iucundum sit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino.

Deficiant peccatores à terrâ, & iniqui ita vt non sint: benedic anima mea Domino.

DOXOLOGIA CXIX.

Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: annuntiate inter gentes opera eius.

Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia eius.

Laudamini in nomine sancto eius: lætetur cor quærentium Dominum.

Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper.

Mementote mirabilium eius quæ fecit; quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum,

Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitiâ.

Et

Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt:

Vt custodiant iustificationes eius, & legem eius exquirant.

DOXOLOGIA CXX.

CONFITEMINI Dño, quoniam bonus: quoniam in sęculum misericordia eius.

Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius?

Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.

Memento nostri Domine, in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.

Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitiâ gentis tuæ: vt lauderis cum hereditate tuâ.

Saluos nos fac Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus.

Vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tuâ.

Benedictus Dominus Deus Israël à sæculo, & vsque in sæculum: & dicet omnis populus, Fiat, fiat.

DOXOLOGIA CXXI.

CONFITEMINI Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicant nunc qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, de regionibus congregauit eos.

A solis ortu & occasu, ab aquilone & mari.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psallam in gloriâ meâ.

Confitebor tibi in populis Domine, & psallam tibi in nationibus.

Quia magna est super cælos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cęlos Deus, & super omnē terram gloria tua: vt liberentur dilecti tui.

DOXOLOGIA CXXII.

TV Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum: quia suauis est misericordia tua.

Libera me, quia egenus & pauper ego sum, & cor meum conturbatum est intra me.

Sicut vmbra cùm declinat, ablatus sum; & excussus sum sicut locustæ.

Adiuua me Domine Deus meus: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Induantur, qui detrahũt mihi, pudore, & operiantur, sicut diploide, confusione suâ.

Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.

Quia astitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam.

DOXOLOGIA CXXIII.

CONFITEBOR tibi Domine in toto corde meo, in concilio iustorum & congregatione.

Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.

Confessio & magnificentia opus eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui, virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Vt det illis hereditatem gentium: opera manuum eius veritas & iudicium.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate & æquitate.

Redemptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum testamentum suum.

Sanctum & terribile nomen eius: initium sapientiæ timor Domini.

DOXOLOGIA CXXIV.

BEATVS vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.

Potens in terrâ erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.

Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.

In memoriâ æternâ erit iustus, ab auditione malâ non timebit.

Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius, non commouebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi, cornu eius exaltabitur in gloriâ.

Peccator videbit, & irascetur: dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit.

DOXOLOGIA CXXV.

LAVDATE pueri Dominum, laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius.

Quis sicut Dñs Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terrâ?

Suscitans à terrâ inopem, & de stercore erigens pauperem.

Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

DOXOLOGIA CXXVI.

NON nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordiâ tuâ & veritate tuâ: nequando dicant gentes, Vbi est Deus eorum?

Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit.

Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

Domus Israel sperauit in Domino, adiutor eorum & protector eorum est.

Domus Aaron sperauit in Domino, adiutor eorum & protector eorum est.

Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino: adiutor eorum & protector eorum est.

DOXOLOGIA CXXVII.

DOMINVS memor fuit nostri, & benedixit nobis.

Benedixit domui Israël, benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum maioribus.

Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & terram.

Cælum cæli Domino: terram autem dedit filijs hominum.

Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui viuimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

DOXOLOGIA CXXVIII.

DILEXI, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

Quia inclinauit aurem suam mihi, & in diebus meis inuocabo.

Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.

Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.

Custodiens paruulos Dominus: humiliatus sum, & liberauit me.

Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

Placebo Domino in regione viuorum.

DOXOLOGIA CXXIX.

QVID retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiâ laudis, & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius, in atrijs domus Domini, in medio tui Ierusalem.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

DOXOLOGIA CXXX.

CONFITEMINI Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicat nunc Israël, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron, quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in sæculum misericordia eius.

De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus.

DOXOLOGIA CXXXI.

OMNES gentes circuierunt me: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.

Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.

Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iustitiæ: ingressus in eas,

eas, confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.

Confitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.

DOXOLOGIA CXXXII.

LAPIDEM quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ.

O Domine benè prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini.

Deus meus es tu, & confitebor tibi; Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

DOXOLOGIA CXXXIII.

BEATI immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini.

Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt.

Tu mandasti mádata tua custodiri nimis.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas!

Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis, in eo quòd didici iudicia iustitiæ tuæ.

Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas vsquequaque.

DOXOLOGIA CXXXIV.

IN quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

Benedictus es Domine: doce me iustificationes tuas.

In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.

In viâ testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.

In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas.

In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos.

DOXOLOGIA CXXXV.

RETRIBVE seruo tuo: viuifica me, & custodiam sermones tuos.

Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tuâ.

Incola ego sum in terrâ, non abscondas à me mandata tua.

Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.

Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Aufer à me opprobrium & contemptum, quia testimonia tua exquisiui.

Etenim sederunt Principes, & aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.

Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ.

DOXOLOGIA CXXXVI.

ADHÆSIT pauimento anima mea, viuifica me secundùm verbum tuum.

Vias meas enuntiaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.

Viam iustificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amoue à me, & lege tuâ miserere mei.

Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimonijs tuis Domine, noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.

DOXOLOGIA CXXXVII.

LEGEM pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuâ, & custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semitâ mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in viâ tuâ viuifica me.

Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo.

Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum, quia iudicia tua iucunda.

Ecce concupiui mandata tua, in æquitate tuâ viuifica me.

DOXOLOGIA CXXXVIII.

ET veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundùm eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speraui in sermonibus tuis.

Et

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque, quia in iudicijs tuis supersperaui.

Et custodiam legem tuam semper, in sæculum & in sæculum sæculi.

Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui.

Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum,& non confundebar.

Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & exercebar in iustificationibus tuis.

DOXOLOGIA CXXXIX.

MEMOR esto verbi tui seruo tuo,in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consolata est in humilitate meâ, quia eloquium tuum viuificauit me.

Superbi iniquè agebant vsquequaque, à lege autem tuâ non declinaui.

Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine,& consolatus sum.

Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam.

Hæc facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisiui.

DOXOLOGIA CXL.

PORTIO mea Domine, dixi custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundùm eloquium tuum.

Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.

Paratus sum, & non sum turbatus; vt custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus.

Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ.

Particeps ego sum omnium timentium te,& custodientium mandata tua.

Misericordiâ tuâ Domine plena est terra,iustificationes tuas doce me.

DOXOLOGIA CXLI.

BONITATEM fecisti cum seruo tuo Domine,secundùm verbum tuum.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

Priusquam humiliarer, ego deliqui; propterea eloquium tuum custodiui.

Bonus es tu, & in bonitate tuâ doce me iustificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego verò legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me; vt discam iustificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.

DOXOLOGIA CXLII.

MANVS tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, vt discam mandata tua.

Qui timent te,videbunt me, & lætabuntur;quia in verba tua supersperaui.

Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua,& in veritate tuâ humiliasti me.

Fiat misericordia tua, vt consoletur me, secundùm eloquium tuum seruo tuo.

Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam;quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in me; ego autem exercebor in mandatis tuis.

Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis,vt non confundar.

DOXOLOGIA CXLIII.

DEFECIT in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperaui.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes,Quando consolaberis me?

Quia factus sum sicut vter in pruinâ, iustificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies serui tui?quando facies de persequentibus me iudicium?

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.

Omnia mandata tua veritas:iniqui persecuti sunt me,adiuua me.

Paulò minùs consummauerunt me in terrâ, ego autem non dereliqui mãdata tua.

Secundùm misericordiam tuam viuifica me,& custodiam testimonia oris tui.

DOXOLOGIA CXLIV.

IN æternum Domine verbum tuum permanet in cælo.

In generationem & generationem veritas tua: fundasti terram,& permanet.

Ordinatione tuâ perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditatio mea est,tunc fortè perijssem in humilitate meâ.

In

In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me.

Tuus sum ego, saluum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui.

Me expectauerunt peccatores vt perderent me: testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.

DOXOLOGIA CXLV.

Quomodo dilexi legem tuam Domine? totâ die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternũ mihi est.

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.

Ab omni viâ malâ prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.

A iudicijs tuis non declinaui, quia tu legem posuisti mihi.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.

A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.

DOXOLOGIA CXLVI.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

Humiliatus sum vsquequaque, Domine, viuifica me secundùm verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, & iudicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erraui.

Hereditate acquisiui testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.

DOXOLOGIA CXLVII.

Iniquos odio habui, & legẽ tuam dilexi.

Adiutor & susceptor meus es tu, & in verbum tuum supersperaui.

Declinate à me maligni: & scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundùm eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione meâ.

Adiuua me, & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper.

Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis, quia iniusta cogitatio eorum.

Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ, ideò dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.

DOXOLOGIA CXLVIII.

Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me.

Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ.

Fac cum seruo tuo secundùm misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

Seruus tuus sum ego: da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.

Tempus faciendi Domine, dissipauerunt legem tuam.

Ideò dilexi mandata tua, super aurum & topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar; omnem viam iniquam odio habui.

DOXOLOGIA CXLIX.

Mirabilia testimonia tua, ideò scrutata est ea anima mea.

Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.

Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.

Aspice in me, & miserere mei, secundùm iudicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniustitia.

Redime me à calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

DOXOLOGIA CL.

Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis.

Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.

Adolescentulus sum ego, & contemptus, iustificationes tuas non sum oblitus.

Iustitia tua iustitia in æternum, & lex tua veritas.

Tribulatio & angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

Aequitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & viuam.

DOXO-

DOXOLOGIA CLI.

CLAMAVI in toto corde meo, exaudi me Domine, iustificationes tuas requiram.

Clamaui ad te, saluum me fac, vt custodiam mandata tua.

Præueni in maturitate, & clamaui: quia in verba tua supersperaui.

Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi secundùm misericordiam tuam Domine, & secundùm iudicium tuum viuifica me.

Appropinquauerunt persequentes me iniquitati, à lege autem tuâ longè facti sunt.

Propè es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognoui de testimonijs tuis: quia in æternum fundasti ea.

DOXOLOGIA CLII.

VIDE humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.

Iudica iudicium meum, & redime me; propter eloquium tuum viuifica me.

Longè à peccatoribus salus: quia iustificationes tuas non exquisierunt.

Misericordiæ tuæ multæ Domine: secundùm iudicium tuum viuifica me.

Multi qui persequuntur me, & tribulant me: à testimonijs tuis non declinaui.

Vidi præuaricantes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in misericordiâ tuâ viuifica me.

Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

DOXOLOGIA CLIII.

PRINCIPES persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum.

Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.

Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum Domine, & mandata tua dilexi.

Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.

Seruaui mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

DOXOLOGIA CLIV.

APPROPINQVET deprecatio mea in conspectu tuo Domine, iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundùm eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me iustificationes tuas.

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua vt saluet me, quoniam mandata tua elegi.

Concupiui salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est.

Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.

Erraui sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum: quia mandata tua non sum oblitus.

DOXOLOGIA CLV.

AD Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me.

Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à linguâ dolosâ.

Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.

Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.

Non det in commotionem pedē tuum, neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

DOXOLOGIA CLVI.

LÆTATVS sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem.

Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini.

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.

Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ,

suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multũ repleti sumus despectione.

DOXOLOGIA CLVII.

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël: nisi quia Dominus erat in nobis.

Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos.

Cùm irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.

DOXOLOGIA CLVIII.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.

Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israël.

Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.

Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum.

DOXOLOGIA CLIX.

Cum conuerteret Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis.

Magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.

Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

DOXOLOGIA CLX.

Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, filij; merces, fructus ventris.

Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

DOXOLOGIA CLXI.

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute meâ, dicat nunc Israël.

Sæpè expugnauerunt me à iuuentute meâ: etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.

Dominus iustus concidet ceruices peccatorum: confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur, exaruit.

De quo non impleuit manum suam qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit.

Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini.

DOXOLOGIA CLXII.

De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius, sperauit anima mea in Domino.

A custodiâ matutinâ vsque ad noctem speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.

DOXOLOGIA CLXIII.

DOMINE, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.

Speret Israel in Domino, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes serui Domini.

Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

DOXOLOGIA CLXIV.

LAVDATE nomen Domini, laudate serui Dominum.

Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.

Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomini eius, quoniam suaue est.

Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israël in possessionem sibi.

Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo, & in terrâ, in mari, & in omnibus abyssis.

Domus Israël benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino.

Domus Leui benedicite Domino, qui timetis Dominum, benedicite Domino.

Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Ierusalem.

DOXOLOGIA CLXV.

SVPER flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur Sion.

Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?

Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

Si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.

Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem.

Qui dicunt, Exinanite exinanite vsque ad fundamentum in eâ.

Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

DOXOLOGIA CLXVI.

CONFITEBOR tibi Domine in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

In quacumque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in animâ meâ virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in vijs Domini, quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.

DOXOLOGIA CLXVII.

DOMINE probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.

Ecce Domine tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tuâ fugiam?

Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis.

Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de vtero matris meæ.

DOXOLOGIA CLXVIII.

CONFITEBOR tibi Domine, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc sum tecum.

Nónne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam?

Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas.

Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in viâ æternâ.

DOXOLOGIA CLXIX.

ERIPE me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.

Qui cogitauerunt iniquitates in corde, totâ die constituebant prælia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labijs eorum.

Custodi me Domine de manu peccatoris,& ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitauerunt supplantare gressus meos,absconderunt superbi laqueum mihi.

Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino,Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

Domine Deus virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: cogitauerunt contra me, ne derelinquas me,ne fortè exaltentur.

DOXOLOGIA CLXX.

DOMINE clamaui ad te, exaudi me: intende voci meę,cùm clamauero ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.

Non declines cor meum in verba malitiæ,ad excusandas excusationes in peccatis.

Vir linguosus non dirigetur in terrâ, virum iniustum mala capient in interitu.

Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis,& vindictam pauperum.

Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

DOXOLOGIA CLXXI.

INTENDE Domine ad deprecationem meam,quia humiliatus sum nimis.

Libera me à persequentibus me, quia confortati sunt super me.

Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti,donec retribuas mihi.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum, quia ad te Domine Domine oculi mei: in te speraui,non auferas animam meam.

Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi,& à scãdalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum ego,donec transeam.

DOXOLOGIA CLXXII.

VOCE meâ ad Dominum clamaui,voce meâ ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in cõspectu eius orationẽ meam, & tribulationẽ meam ante ipsum pronũtio.

In deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognouisti semitas meas.

In viâ hac quâ ambulabam, absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, & videbam;& non erat qui cognosceret me.

Perijt fuga à me, & non est qui requirat animam meam.

Clamaui ad te Domine: dixi, Tu es spes mea,portio mea in terrâ viuentium.

DOXOLOGIA CLXXIII.

DOMINE exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tuâ exaudi me,in tuâ iustitiâ.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Quia persecutus est inimicus animam meam,humiliauit in terrâ vitam meam.

Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi, & anxiatus est super me spiritus meus,in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aquâ tibi.

Velociter exaudi me Domine,defecit spiritus meus.

DOXOLOGIA CLXXIV.

NON auertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam,quia in te speraui.

Notam fac mihi viam in quâ ambulem, quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine,ad te confugi:doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tuâ.

Educes de tribulatione animam meam, & in misericordiâ tuâ disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego seruus tuus sum.

DOXOLOGIA CLXXV.

BENEDICTVS Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

Misericordia mea, & refugium meum: susceptor meus, & liberator meus.

Protector meus,& in ipso speraui: qui subdit populum meum sub me.

Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt.

Emitte manum tuam de alto: eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.

Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.

Qui das salutem Regibus: qui redemisti Dauid seruum tuum, de gladio maligno eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.

DOXOLOGIA CLXXVI.

EXALTABO te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis; & magnitudinis eius non est finis.

Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitiâ tuâ exultabunt.

DOXOLOGIA CLXXVII.

MISERATOR & misericors Dominus, patiens & multùm misericors.

Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.

Vt notam faciant filijs hominũ potẽtiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.

Regnum tuum regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos.

DOXOLOGIA CLXXVIII.

OCVLI omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet.

Laudationẽ Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto eius in sæculum, & in sæculum sæculi.

DOXOLOGIA CLXXIX.

LAVDA anima mea Dominum: laudabo Dominum in vitâ meâ, psallam Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus.

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurientibus.

Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos.

Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion in generationem & generationem.

DOXOLOGIA CLXXX.

LAVDATE Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio.

Ædificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit.

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram.

Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in citharâ.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Domino super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordiâ eius.

DOXO-

DOXOLOGIA CLXXXI.

LAVDA Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit?

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

DOXOLOGIA CLXXXII.

LAVDATE Dominum de cælis, laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.

Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen.

Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

Laudate Dominum de terrâ, dracones, & omnes abyssi.

Montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri.

Bestiæ, & vniuersa pecora; serpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes iudices terræ.

Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius.

Confessio eius super cælum & terram, & exaltauit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis eius, filijs Israël, populo appropinquanti sibi.

DOXOLOGIA CLXXXIII.

CANTATE Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesiâ sanctorum.

Lætetur Israel in eo qui fecit eum, & filiæ Sion exultent in Rege suo.

Laudent nomen eius in choro, in tympano & psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltauit mãsuetos in salutem.

Exultabunt Sancti in gloriâ, lætabuntur in cubilibus suis.

Laudate Dominum in Sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius, laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in cymbalis benè sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

DOXOLOGIA CLXXXIV.

BENEDICTVS es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula. Daniel 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicat Israël Dominum, laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite serui Domini Domino.

Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino: benedicite sancti & humiles corde Domino.

Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu: laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cæli, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

DOXOLOGIA CLXXXV.

CONFITEBOR tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Isa. 12.

Ecce Deus saluator meus: fiducialiter agam, & non timebo.

Quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, & dicetis in illâ die: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius.

Notas facite in populis adinuentiones eius, mementote quoniam excelsum est nomen eius.

Cantate Domino quoniam magnificè fecit: annuntiate hoc in vniuersâ terrâ.

Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israël.

DOXOLOGIA CLXXXVI.

DOMINE vim patior, responde pro me: attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Isa. 38.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Domine si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & viuificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Viuens viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie; pater filijs notam faciet veritatem tuam.

Domine saluum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

DOXOLOGIA CLXXXVII.

1. Reg. 2. EXVLTAVIT cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.

Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.

Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.

Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat.

Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem.

Vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.

Pedes Sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent: quia non in fortitudine suâ roborabitur vir.

Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cælis tonabit.

DOXOLOGIA CLXXXVIII.

Exod. 15. CANTEMVS Domino, gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem deiecit in mare.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.

Dixit inimicus, Persequar, & comprehendam; diuidam spolia, implebitur anima mea.

Extendisti manum tuam Domine, & deuorauit eos terra: dux fuisti in misericordiâ tuâ populo, quem redemisti.

Irruat super eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui.

Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine.

DOXOLOGIA CLXXXIX.

Habac. 3. INGREDIATVR Domine putredo in ossibus meis, & subter me scateat:

Vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctũ nostrum.

Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis.

Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum.

Abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus.

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.

Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum.

Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.

DOXOLOGIA CXC.

DATE magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Deut. 32.

Pars Domini, populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius.

Inuenit eum in terrâ desertâ, in loco horroris, & vastæ solitudinis.

Circumduxit eum, & docuit; & custodiuit quasi pupillam oculi sui.

Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans,

Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.

Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum.

Laudate gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur.

Et vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.

DOXOLOGIA CXCI.

DOMINE, pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Isa. 64.

Ne irascaris Domine satis, & ne vltrà memineris iniquitatis nostræ: ecce respice, populus tuus omnes nos.

Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies nostros sicut à principio. Thren. 5.

Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis de manè vigilabo ad te. Isa. 26.

Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum. Thren. 3.

Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei: quia non repellet in sempiternum Dominus.

Iram Domini portabo, quia peccaui ei: donec causam meam iudicet, & faciat iudicium. Mich. 7.

Expectabo Deum saluatorẽ meum, educet me in lucem, & videbo iustitiam eius.

EVTHY-

EVTHYMIVS MONACHVS ZIGABONVS GRÆCVS PSALMODIAM HISCE VERBIS COMMENDAT.

Liber Psalmorum commune est quoddam medicinæ promptuarium, & passionum omnium certissimum remedium: illiusque verba (quod etiam valdè admirabile est, & huius operis proprium) omnibus congruunt atque aptantur hominibus. Nulla est igitur inter homines actio, nulla ratio, nulla cogitatio, cuius medicinam hic inuenire non possis. Cumulus enim & aceruus quidam rerum est omni plenus vitæ conuersatione, omni contemplatione: ac veluti penu quoddam doctrinæ publicum, vnicuique apta & conuenientia distribuit. Nam & antiqua purgat vulnera, & nuper illatis celerem liberationem præstat. Insuper, quod integrum est, sanum sincerumque conseruat: multitudinem verò ipsam prorsus allicit ac suadet, suaui quadam cum delectatione, & honestâ voluptate; adeò vt per blandam & lenem illam vocem, vtilitatem & commodum latenter etiam reportemus, iuxta prudentum Medicorum præcepta, qui in austerioribus pharmacis poculum iniungi iubent melle: ita & nos apparenter quidem dulce ac suaue melos canimus, reipsâ verò animas erudimus, & diuinorum eloquiorum memoriam indelebilem conseruamus. Psalmus, sermo & conuersatio est cum Deo, Angelorum allectio, alacer animæ ordo ac status, diurni laboris quies, nocturni timoris propulsatio, iuuenum & nuper introductorum regula, proficientium adiumentum, perfectorum solidatio, clypeus insuperabilis, ornamentum decentissimum Regibus, priuatis; Principibus, populis; militibus, & belli ignaris; sapientibus, & rudibus; Monachis, & ciuibus; Sacerdotibus, & plebibus; habitatoribus continentis, atque insulanis agricolis; nautis, artificibus, & artium ignaris; viris, mulieribus; senibus, adolescentibus; omni denique naturæ, ætati, fortunæ, proposito; & communiter, & priuatim, & semper, tam domi quàm in foro; in Ecclesiis, in agris; in solitudinibus, in itineribus, & omnibus in locis: & est denique sicuti aëris spiratio, aut lucis effusio, aut vsus ignis, aut quodcumque aliud eorum quæ valdè communia sunt & vtilia. Quodque admiratione maximè dignum est, Psalmorum cantus non interrumpit, neque distrahit ab operibus; quin imò operantibus ipsâ suauitate ac melodiâ austeritatem lenit laborum. Quorum omnium vnus est finis, vt scilicet huiusmodi discipulus bonus & sapiens efficiatur, & diuinus.

LVDOVICI BLOSII
PARADISI
ANIMÆ FIDELIS
PARS QVARTA,
SIVE
OFFICIVM HORARVM
DE
IESV ET MARIA.

DOMINICA
AD MATVTINVM.

Oratio in silentio.

AVE IESV CHRISTE, sanctarum animarum sponse amabilis, & vnica spes omnium te quærentium; benedictus tu in sæcula sæculorum, qui per suauissimam incarnationem, & pijssimam passionem tuam liberasti nos. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende.
℟. Dñe ad adiuuandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
℟. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnodia.

TVA dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Sed super mel & omnia,
Tua dulcis præsentia, Mi IESV.

Nil canitur suauiùs,
Nil auditur iucundiùs,
Nil cogitatur dulciùs,
Quàm tu Mariæ Filius, Mi IESV.

Tu mitis pœnitentibus,
Tu pius postulantibus,
Tu bonus te quærentibus,
Sed quid inuenientibus? Mi IESV.

Nec lingua potest dicere,
Nec littera depromere:
Expertus potest credere,
Quidnam sit te diligere, Mi IESV.

Tu es dulcedo cordium,
Fons veri, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium, Mi IESV.

Te requiram in lectulo,
Clauso cordis cubiculo;
Priuatim, & in populo,
Quæram amore sedulo, Mi IESV.

Sis, precor, meum gaudium,
Qui es futurus præmium:
In te sit mea gloria
Per cuncta semper sæcula, Mi IESV.
Amen.

Antiphona.

Dulcis est IESVS animæ vigilanti ad se: ipse Verbum Patris, Agnus Dei, fons suauitatis. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, animarum castarum amator, crea in nobis cor mundum, & lumine sereno nos illustra: vt tenebris peccatorum expulsis, purè coram te amabili Domino astemus diebus ac noctibus.

ADIVVET nos, quæsumus Domine, gloriosa intercessio beati Benedicti, & beatorum Lamberti, Thomæ, Ettonis, & beatæ Hiltrudis, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Tibi gloria, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali*, Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

AD VESPERAS.

Oratio in silentio.

AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, IESVS CHRISTVS. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Dñe ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnodia.

SALVE mater misericordiæ,
Mater Dei, & mater veniæ,
Mater spei, & mater gratiæ,
Mater vera sanctæ lætitiæ, O MARIA.
Salue decus humani generis,
Salue Virgo dignior ceteris,
Quæ virgines omnes transgrederis,
Et altiùs sedes in superis, O MARIA.
Salue Virgo ceteris purior,
Cunctis virginibus gradu sublimior,
Super omnes aspectu pulchrior,
Et in Sãctis post Deum sanctior, O MARIA.
Salue Sancta Sanctarum omnium,
Laus & grandis honor fidelium,
Aula Christi, domus, palatium,
Trinitatis reclinatorium, O MARIA.
Salue Virgo multùm amabilis,
Pia, prudens, decora, nobilis,
Vniuersis incomparabilis,
Tibi numquam fuit consimilis, O MARIA.
Salue felix Virgo puerpera:
Nam qui sedet in Patris dexterâ,
Cælum, terram regens, & æthera,
Infra tua se clausit viscera, O MARIA.
Esto, Mater, nostrum solatium,
Nostrum esto tu, Virgo, gaudium:
Et nos tandem post hoc exilium
Lætos iunge choris cælestium, O MARIA.
Amen.

Antiphona.

Ista est charissima in delicijs, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, innixa super dilectum suum. [*Tempore Paschali.* Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, eijciat ex intimis præcordiorum nostrorum suauissima Genitrix tua, quidquid est amarulentum, & minùs decorum: vt omnibus vitijs dissipatis, atque impedimentis amotis, eam sinceris mentibus diligamus, & laudemus omni tempore.

OMNIVM Sanctorum tuorum, quæsumus Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede, ad gloriam tuam: Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali,* Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

FERIA SECVNDA.

AD MATVTINVM.

Oratio in silentio.

AVE IESV CHRISTE, sanctarũ animarum sponse amabilis, & vnica spes omnium te quærentium: benedictus tu in sæcula sæculorum, qui per suauissimam incarnationem, & pijssimam passionem tuam liberasti nos. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnodia.

CVM Mariâ diluculo
Te requiram in tumulo,
Cordis clamore querulo,
Mente quæram, non oculo, Mi IESV.
Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus:
Tuis prouoluar pedibus,
Strictis hærens amplexibus, Mi IESV.
Tua stringam vestigia,
Et flendo figam labia:
Vt detur mihi venia,
Atque perfecta gratia, Mi IESV.
Tu es Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis, Mi IESV.
Tuus amor dulcissimus,
Et verè suauissimus,
Plus millies gratissimus,
Quàm dicere sufficimus, Mi IESV.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Vilescit mundi vanitas,
Et intus seruet charitas, Mi IESV.
Sis, precor, meum gaudium,
Qui es futurus præmium:
In te sit mea gloria,
Per cuncta semper sæcula, Mi IESV.
Amen.

Antiphona.

Suauis est IESVS animæ diligenti se: ipse Deitas integra, verus homo, flos virginitatis. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

Ore-

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, cuius spiritus super mel dulcis, perunge intima animarum nostrarum suauissimo gratiæ tuæ balsamo: vt interiùs confortati, curramus gratanter in odore vnguentorum tuorum.

ADIVVET nos, quæsumus Domine, gloriosa intercessio beati Benedicti, beatorum Lamberti, Thomæ, Ettonis, & beatæ Hiltrudis: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Tibi gloria, qui cũ Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.
℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali,* Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

AD VESPERAS.

Oratio in silentio.

AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS CHRISTAS. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnodia.

TE creauit Pater ingenitus,
Obumbrauit te Vnigenitus,
Fecundauit te sanctus Spiritus,
Tu es facta tota diuinitus, O MARIA.
Te creauit Deus mirabilem,
Te respexit ancillam humilem,
Te quæsiuit sponsam amabilem,
Tibi numquam fecit similem, O MARIA.
O quàm pulchra puella paruula!
Quàm suauis, quàm sine maculâ!
Nunc quàm potens regnes in sæcula,
Tua satis probant miracula, O MARIA.
Imperatrix omnibus præsides,
Mundum regis, cælumque possides:
Cunctis verè Regina præsides,
Quę cum Deo sublimis resides, O MARIA.
Tu es Virgo, caputque virginum,
Tu laus summa, non habens terminum:
Angelorum laudes & hominum
Promereris, prima post Dñm, O MARIA.
Nomen tuum defessos recreat,
Splendor tuus cæcos irradiat,
Odor tuus Sanctos inebriat,
Fructus tuus Beatos satiat, O MARIA.
Esto, Mater, nostrum solatium,
Esto nostrum tu, Virgo, gaudium,
Et nos tandem post hoc exilium
Lætos iunge choris cælestium, O MARIA.
Amen.

Antiphona.

Assumpta est MARIA in cælum, eleuata est supra choros Angelorum, suauis & decora super omnem pulchritudinem, benignis oculis respicit filios gratiæ in toto orbe terrarum. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, illuminet tenebras nostras exteriores radio splendoris sui serenissima Genitrix tua: vt eius pulchritudinem purè contemplemur, & in ipsius castissimo amore accendamur suauiter.

OMNIVM Sanctorum tuorum, quæsumus Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede: ad gloriam tuam, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.
℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali,* Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

FERIA TERTIA.

AD MATVTINVM.

Oratio in silentio.

AVE IESV CHRISTE, sanctarum animarum sponse amabilis, & vnica spes omnium te quærentium: benedictus tu in sæcula sæculorum, qui per suauissimam incarnationem, & pijssimam passionem tuam liberasti nos. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnodia.

TV es auctor clementiæ,
Totius spes lætitiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ, Mi IESV.
Bonum mihi diligere,
Bonum mihi te quærere;
Mihi prorsus deficere,
Vt tibi queam viuere, Mi IESV.
Tua dulcis dilectio,
Grata mentis refectio:
Replet sine fastidio,
Dans famem desiderio, Mi IESV.
Qui te gustant, esuriunt;
Qui bibunt, adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi te, qui te cupiunt, Mi IESV.

Quem

Quem tuus amor ebriat,
Nouit quid IESVS sapiat:
Felix gustus quem satiat,
Non est quod vltrà cupiat, Mi IESV.
Tu es decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum, Mi IESV.
Sis, precor, meum gaudium,
Qui es futurus præmium:
In te sit mea gloria,
Per cuncta semper sæcula, Mi IESV.
Amen.

Antiphona.

Amabilis est IESVS animæ desideranti se: ipse salus mundi, hostia sacra, iubilus cordis. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, fons dulcedinis immensæ, irriga viscera spiritus nostri imbre tuæ sanctissimæ benedictionis: vt desiderabili influxu melliflui amoris tui perfusi, iucundemur & exultemus in te iugiter.

ADIVVET nos, quæsumus Domine, gloriosa intercessio beati Benedicti, beatorum Lamberti, Thomæ, Ettonis, & beatæ Hiltrudis: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Tibi gloria, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali*, Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

AD VESPERAS.

Oratio in silentio.

AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS CHRISTVS. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnodia.

TV es mater summæ clementiæ,
Summæ pacis, summæ lætitiæ,
Summæ laudis & excellentiæ,
Mater lucis, & mater gloriæ, O MARIA.
Per te mundus accepit puerum,
Per quem sordes lauantur scelerum:
Laudes tuæ non habent numerum,
In te sperat cõuentus pauperũ, O MARIA.
Ex te, Virgo, natus est Filius,
Puer IESVS, quo nihil dulcius,
Nil pulchrius, nil amabilius,
Post quem nihil est te diuinius, O MARIA.
Tu beata in mulieribus,
Tu repleta donis cælestibus:
De sacratis tuis visceribus
Peperisti pacem hominibus, O MARIA.
Tua, Virgo, iucunda facies,
Tua cunctis miranda species,
Tu Sanctorum grata temperies,
Et illorum optata requies, O MARIA.
Te beatam laudare cupiunt
Omnes iusti, sed non sufficiunt:
Multas de te laudes concipiunt,
Sed in illis prorsus deficiunt, O MARIA.
Esto, Mater, nostrum solatium,
Nostrum esto tu, Virgo, gaudium:
Et nos tandem post hoc exilium
Lætos iunge choris cælestium, O MARIA.
Amen.

Antiphona.

Hortus conclusus es Dei-genitrix, hortus conclusus; fons signatus: sicut dies verni circumdant te flores rosarum, & lilia conuallium: trahe nos post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, ostendat mentibus nostris gratiosam faciem suam speciosissima Genitrix tua: cuius beato aspectu suscitentur in nobis purissimi affectus æternæ castimoniæ.

OMNIVM Sanctorum tuorum, quæsumus Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede: ad gloriam tuam, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali*, Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

FERIA QVARTA.

AD MATVTINVM.

Oratio in silentio.

AVE IESV CHRISTE, sanctarum animarum sponse amabilis, & vnica spes omnium te quærentium: benedictus tu in sæcula sæculorum, qui per suauissimam incarnationem, & pijssimam passionem tuam liberasti nos. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & sem-

semper, & in sæcula sæculorum. Amen. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

Hymnodia.

DESIDERO te millies,
Exopto te plus millies:
Quando lætum me facies,
Vt tuo vultu saties, Mi IESV.
Amor tuus continuus,
Mihi languor assiduus:
Tu totus es mellifluus,
Fructus vitæ perpetuus, Mi IESV.
Tu es summa benignitas,
Mira cordis iucunditas,
Incomprehensa bonitas;
Tua me stringat charitas, Mi IESV.
Amator dilectissime,
Spes suspirantis animæ,
Te piæ quærunt lacrymæ,
Et clamor mentis intimæ, Mi IESV.
Quocumque loco fuero,
Te quæro, te desidero,
Quàm lætus, cùm inuenero!
Quàm felix cùm tenuero, Mi IESV!
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quæ vincunt mellis pocula;
O quàm beata copula!
Sed in his parua morula, Mi IESV.
Sis, precor, meum gaudium,
Qui es futurus præmium,
In te sit mea gloria,
Per cuncta semper sæcula, Mi IESV. Amen.

Antiphona.

Pulcher & decorus est IESVS animæ contemplanti se: ipse splendor Patris, visio pacis, laus Angelorum. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, lux pulchritudinis æternæ, perstringe dulciter animas inenarrabili serenitatis tuæ splendore: vt sicut filij lucis ambulemus in lumine vultus tui totâ die.

ADIVVET nos, quæsumus Domine, gloriosa intercessio beati Benedicti, beatorum Lamberti, Thomæ, Ettonis, & beatæ Hiltrudis: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Tibi gloria, qui cũ Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali*, Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

AD VESPERAS.

Oratio in silentio.

AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS CHRISTVS. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

Hymnodia.

FONS hortorum, aquarum puteus,
Via lucis, splendor sidereus,
Dei sedes, & thronus aureus,
Te conuentus laudet æthereus, O MARIA.
Cella fragrans morum dulcedine,
Omni carens amaritudine,
Veri solis amicta lumine,
Omnes in te cõgaudẽt feminæ, O MARIA.
Tu es clauis, superna referans;
Nubes, solis ardorem temperans;
Ros, fornacis ignem refrigerans,
Medicina, salutem operans, O MARIA.
Tu fuisti vellus in areâ,
Arca legis, turris eburnea;
Tu es nobis salutis galea,
Granum purũ excussum paleâ, O MARIA.
Tu beata, fuisti lilium
Inter spinas, & flos conuallium;
Tu es portus, tu es subsidium,
Tu es reis præsens remedium, O MARIA.
Tu es virescens oliua fertilis,
Tu columba simplex & humilis,
Tu fidei columna stabilis,
Porta Sion inexpugnabilis, O MARIA.
Esto, Mater, nostrum solatium,
Nostrum esto tu, Virgo, gaudium,
Et nos tandem post hoc exilium
Lætos iunge choris fidelium, O MARIA.
Amen.

Antiphona.

Ecce speciosa, sicut columba, ascendit desuper riuos aquarum, cuius inæstimabilis odor in vestimentis eius: gaudentes occurrunt ei exercitus Angelorum, & laudantes benedicunt Dominum. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, sonet in auribus cordis nostri mellita vox benignissimæ Genitricis tuæ: cuius auditu reuiuiscat spiritus noster à morte peccati, & torpore negligentiæ.

OMNIVM Sanctorum tuorum, quæsumus Domine, intercessione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede: ad gloriam tuam, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali*, Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

FERIA QVINTA.

AD MATVTINVM.

Oratio in silentio.

AVE IESV CHRISTE, sanctarum animarum sponse amabilis, & vnica spes omnium te quærentium: benedictus tu in sæcula sæculorum, qui per suauissimam incarnationem, & pijssimam passionem tuam liberasti nos. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnodia.

IAM, quod quæsiui, video;
Quod concupiui teneo:
Amore tui langueo,
Et corde totus ardeo, Mi IESV.
Hic amor ardet dulciter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Et delectat feliciter, Mi IESV.
Hic amor quem das cælitùs,
Hæret mihi medullitùs,
Mentem incendit penitùs,
Hoc delectatur spiritus, Mi IESV.
Hic amor non extinguitur,
Quo cor gratanter vritur,
Non tepescit, non moritur,
Plus crescit, & accenditur, Mi IESV.
O beatum incendium!
O ardens desiderium!
O dulce refrigerium,
Amare te, pax cordium, Mi IESV!
Tu es flos Matris Virginis,
Ardor nostræ dulcedinis,
Laus, honor, decus Numinis,
Regnum beatitudinis, Mi IESV.
Sis, precor, meum gaudium,
Qui es futurus præmium:
In te sit mea gloria,
Per cuncta semper sæcula, Mi IESV.
Amen.

Antiphona.

Benignus est IESVS animæ suspiranti ad se: ipse Princeps pacis, ianua cæli, gloria Sanctorum. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, sperantium in te lætitia, dilata cor nostrum in latitudine tui deliciosissimi amoris: vt repleti dulcedine spiritus tui, feliciter gustemus, quàm suaue sit te super omnia diligere.

ADIVVET nos, quæsumus Domine, gloriosa intercessio beati Benedicti, beatorum Lamberti, Thomæ, Ettonis, & beatæ Hiltrudis: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Tibi gloria, qui cũ Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. ℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali*, Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

AD VESPERAS.

Oratio in silentio.

AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, IESVS CHRISTVS. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Dñe ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnodia.

RVBVS ardens, palma iustitiæ,
Myrrha, nardus summæ fragrantiæ,
Hortus virens, flos pudicitiæ,
Te circumdant cæli lætitiæ, O MARIA.
Tu fons dulcis, distillans oleum
Pietatis, & rorem melleum,
Pijs parans salutis balneum,
Et emũdãs quidquid est felleũ, O MARIA.
Tu ciuitas superni Numinis,
Tu claritas æterni luminis,
Tu dignitas nostræ propaginis,
Tu pietas summæ dulcedinis, O MARIA.
Tu es terra dans fructum optimum,
Petra fundens potum largissimum,
Fons redundans in flumen maximum,
Vas reseruãs Manna dulcissimũ, O MARIA.
Gemma fulgens splendore nimio,
Lumen lucens cælesti radio,
Desolatis es consolatio,
Et tentatis firma protectio, O MARIA.
Sol es, Virgo, defectum nesciens;
Sol in cælis, de terris oriens;
Sol de cælis terras prospiciens;
Sol peccati nubes discutiens, O MARIA.
Esto, Mater, nostrum solatium,
Nostrum esto tu, Virgo, gaudium:
Et nos tandem post hoc exilium
Lætos iunge choris cælestium, O MARIA.
Amen.

Antiphona.

Pulchra es & decora filia Ierusalem: gratiosa & amabilis es, Virgo filia Sion; ornata in monilibus lætificas totam curiam cælestis palatij; te laudamus orphani in hac valle lacrymarum. [*Temp. Paschali*. Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, inserat pectoribus nostris amabilis Genitrix tua suauitatem dulcoris sui: & odor eius fragrātissimus feliciter recreet animas nostras.

OMNIVM Sanctorum tuorum, quæsumus Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede: ad gloriam tuam, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali,* Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

FERIA SEXTA.

AD MATVTINVM.

Oratio in silentio.

AVE IESV CHRISTE, sanctarum animarum sponse amabilis, & vnica spes omnium te quærentium: benedictus tu in sæcula sæculorum, qui per suauissimam incarnationem, & pijssimam passionem tuam liberasti nos. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

Hymnodia.

TV es sole serenior,
Et balsamo suauior,
Omni dulcore dulcior,
Præ cunctis amabilior, Mi IESV.
Tuus amor me afficit,
Et solus cordi sufficit;
Tuus odor me reficit,
In te mens mea deficit, Mi IESV.
Tu sæculi saluatio,
Tu mentis delectatio,
Tu mea gloriatio,
Amoris consummatio, Mi IESV.
Dilecte mi reuertere,
Consors paternæ dexteræ,
Hostem vicisti prosperè,
Iam cæli regno fruere, Mi IESV.
Sequar, quocumque ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cùm meum cor abstuleris,
Decus humani generis, Mi IESV.
Portas vestras attollite,
Cæli ciues, occurrite,
Mecum gratanter dicite,
Salue victor Rex inclyte, Mi IESV.
Sis, precor, meum gaudium,
Qui es futurus præmium:
In te sit mea gloria,
Per cuncta semper sæcula, Mi IESV. Amen.

Antiphona.

Mitis & bonus est IESVS animæ quærenti se: ipse solatium cordis, spes nostra, sponsus, & Filius Virginis matris. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, solatium te diligentium, reple mentes nostras incomprehensibili suauitate gratiæ tuæ: vt omni amaritudine expulsâ, placidè quiescamus in te summo bono nostro.

ADIVVET nos, quæsumus Domine, gloriosa intercessio beati Benedicti, beatorum Lamberti, Thomæ, Ettonis, & beatæ Hiltrudis: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Tibi gloria, qui cũ Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali,* Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

AD VESPERAS.

Oratio in silentio.

AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS CHRISTVS. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnodia.

VALLIS vernans virtutum lilijs,
Tota fluens summis delicijs,
Tuis sanctis sancta suffragijs,
Condescende nostris miserijs, O MARIA.
Rosa rubens, quæ semper redoles,
Semper gaudes, & semper condoles,
Te rogamus, vt, sicut assoles,
Semper preces pro nobis immoles, O MARIA.
Concha plena amoris adipe,
Cælo regnans cum summo Principe,
Fletus nostros auribus percipe,
In tutelam tuam nos suscipe, O MARIA.
Sanctitatis totius femina,
Mundi decus & cæli Domina,
Seruis tuis relaxa crimina,
Et eorum mentes illumina, O MARIA.
Virgo mater, ancilla Domini,
Virgo chara superno Numini,
Nos vicinos semper discrimini,
Commendamus tuæ dulcedini, O MARIA.

Virga Iesse, fecunda, florida,
Lampas cæli præ cunctis fulgida,
Corda nostra in bono tepida,
Fac vt fiant in Deo feruida, O MARIA.
Esto, Mater, nostrum solatium,
Nostrum esto tu, Virgo, gaudium;
Et nos tandem post hoc exilium
Lætos iunge choris cælestium, O MARIA.
Amen.

Antiphona.

Viderunt te filiæ Sion, & beatissimam te prædicauerunt: Reginæ laudauerunt te, ô MARIA: ornatum tuum, & pulchritudinem tuam sol & luna mirantur. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, visitet nos pupillos in benedictionibus suis sacratissima Genitrix tua, vt citharæ cordium nostrorum suauiter resonent in laudem melliflui nominis eius.

OMNIVM Sanctorum tuorum, quæsumus Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede: ad gloriam tuam, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.
℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali,* Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

SABBATO.

AD MATVTINVM.

Oratio in silentio.

AVE IESV CHRISTE, sanctarum animarum sponse amabilis, & vnica spes omnium te quærentium: benedictus tu in sæcula sæculorum, qui per suauissimam incarnationem, & pijssimam passionem tuam liberasti nos. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnodia.

REX virtutum, Rex gloriæ,
Rex insignis victoriæ,
Tu es largitor gratiæ,
Honor cælestis curiæ, Mi IESV.
Te cæli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat:
Nomen tuum lætificat,
Et nos Patri pacificat, Mi IESV.
IESVS in pace imperat,
Quæ omnem sensum superat:
Te semper cor desiderat,
Te mens complecti properat, Mi IESV.
IESVS ad Patrem rediјt,
Regnum cæleste subijt;
Cor meum à me transijt,
Et post te simul abijt, Mi IESV.
Iam prosequar te laudibus,
Et amorosis fletibus,
Vt me dones cælestibus,
Tecum perfrui sedibus, Mi IESV.
Veni, veni, Rex optime,
Pater immensæ gloriæ,
Effulge sole clarius,
Iam expectatus sæpiùs, Mi IESV.
Sis precor meum gaudium:
Qui es futurus præmium;
In te sit mea gloria,
Per cuncta semper sæcula, Mi IESV.
Amen.

Antiphona.

Pius & misericors est IESVS animæ confugienti ad se: ipse flos benignitatis, requies vera, vita perennis. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, seminator castæ dilectionis, possideat & occupet nos totos dulcissimus amor tui: cuius fragrantia recreati, cursum huius miseræ vitæ feliciter consummemus, & perueniamus ad perfectas delicias iucunditatis æternæ.

ADIVVET nos, quæsumus Domine, gloriosa intercessio beati Benedicti, beatorum Lamberti, Thomæ, Ettonis, & beatæ Hiltrudis: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Tibi gloria, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.
℣. Benedicamus Domino. [*Tempore Paschali,* Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tempore Paschali,* Alleluia.]

AD VESPERAS.

Oratio in silentio.

AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS CHRISTVS. Amen.

Versus initiales. ℣.

DEVS in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnodia.

VIRGA fumi, domus aromatum,
Apotheca plena charismatum,
Diuinorum magistra dogmatum,
Fac vt tecum agamus sabbatũ, O MARIA.
Summi Regis mater, & filia,
Cui nullus par est in gloriâ,
Tua, Virgo, dulcis clementia
Semper nobis adsit propitia, O MARIA.
Tribus Iuda genus dignissimum,
Summè potens apud Altissimum,
Vultum ad nos verte gratissimum,
Nostrũ in te perurgens animũ, O MARIA.
O Regina, quæ cunctas hæreses
Interimis, & frangis carceres
Captiuorum, respice pauperes,
Et vocata ad nos acceleres, O MARIA.
Stella maris, emitte radium,
Placa mare, ne sit naufragium,
Rege nauim periclitantium,
Iam collapsis adfer auxilium, O MARIA.
Regis Dauid proles clarissima,
Mulierum Virgo pulcherrima,
Vrbs regalis, turris fortissima,
Defende nos à morte pessimâ, O MARIA.
Esto, Mater, nostrum solatium,
Nostrum esto tu, Virgo, gaudium;
Et nos tandem post hoc exilium
Lætos iunge choris cælestium, O MARIA.
Amen.

Antiphona.

Tota pulchra es, ô MARIA, tota pulchra es & suauis: sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedisti: decorem tuum concupiuit Rex gloriæ. [*Tempore Paschali*, Alleluia.]

Oremus. *Collecta.*

DOMINE IESV CHRISTE, afficiantur per te corda nostra gratissimæ Genitrici tuæ: eam desiderent, & ad eius beatum consortium anhelent animæ nostræ omni tempore.

OMNIVM Sanctorum tuorum, quæsumus Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede: ad gloriam tuam, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Benedicamus Dño. [*Temp. Paschal.* Alleluia.] ℟. Deo gratias. [*Tẽp. Pasch.* Alleluia.]

VENERA-

VENERABILIS PATRIS
D. LVDOVICI BLOSII
ABBATIS LAETIENSIS
ORDINIS S. BENEDICTI
PSYCHAGOGIA,
SIVE
ANIMÆ RECREATIO,
LIBRIS IV. DISTINCTA,
COLLECTA EX VARIIS TRACTATIBVS
D. AVRELII AVGVSTINI
ET
GREGORII MAGNI PAPÆ,
CVM APPENDICE EX ALIIS.
ITEM
COMPARATIO REGIS ET MONACHI,
Libellus ex Græco S. IOANNIS CHRYSOSTOMI
à D. LVDOVICO BLOSIO Latinè redditus.

PRÆFATIVNCVLA.

Quantæ sanctorum Patrum in Deo deliciæ.

VEL ex sequenti Psychagogiâ clarissimè liquet, quantum deliciis sanctæ charitatis affluxerint, & quàm suaues æternæ lætitiæ sorbitiunculas in hac vitâ prægustauerint beatus Augustinus & beatus Gregorius, præclara Spiritus sancti organa, fulgidaque Ecclesiæ Catholicæ sidera.

Optimum genus recreationis.

Humiles philochristi, qui in istâ peregrinatione sub pondere suæ corruptionis afflicti gemunt, & quibus grata iucundaque sunt ea quæ de dulcedine castæ dilectionis, deque felicitate gloriosæ Dei ciuitatis dicuntur, ingentem consolationis thesaurum hîc inuenient. Hîc, inquam, mirè recreabitur spiritus illorum qui ad ipsam vltra-mundanam ciuitatem die ac nocte suspirant.

Psychagogiæ argumentũ, Dei amabilitas, & vitæ futuræ æterna felicitas, ad solatium animæ.

Per totum quidem Opusculum, sed maximè Libro secundo, tertio & quarto, agitur de summo summè amabili bono, quod est Deus, & de amore ac statu patriæ cælestis. In calce huius Psychagogiæ adieci nonnulla ex Ruperto & Philone Laurentioque Iustiniano, sanctissimis Patribus. Ceterùm in istis colligendis non hoc spectaui, vt omnia certo ordine collocarem: sed quæ multum facere videbantur ad animæ peregrinantis, supernamque Ierusalem desiderantis solatium, ea in præsentem Psychagogiam penè ita congessi, sicut in Auctoribus inter legendum occurrerunt.

LVDO-

LVDOVICI BLOSII PSYCHAGOGIAE LIBER PRIMVS

COLLECTVS EX TRACTATIBVS SIVE HOMILIIS D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI.

CAPVT I.

Ex Tractatu trigesimoquarto in Euangelium B. Ioannis Apostoli, super his verbis cap. 8. Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.

Solus Chriſtus lux noſtra.

1. *Chriſtus non eſt ſol factus, ſed factor ſolis, & auctor lucis.*
2. *Ex vino amoris Dei, laudabilis quædam ebrietas eſt.*
3. *Chriſtus eſt lumen vitæ, & fons vitæ, dirigens ad vitam, & donans ipſam.*
4. *Præſens tempus eſt laboris, futurum mercedis.*
5. *Qui nunc non operatur, tunc non accipiet denarium mercedis.*
6. *Verbum incarnatum, quaſi collyrium oculorum noſtrorum, vt per fidem videamus lucem veritatis.*
7. *Chriſtus ſimul via, & terminus viæ.*
8. *Pax æterna eſt in patriâ cæleſti; bellum & rixa ſemper in viâ vitæ noſtræ ſuper terram.*

1. *Non eſt Chriſtus ſol factus, ſed factor ſolis.*

NON arbitremur Dominum Ieſum Chriſtum hunc eſſe ſolem, quem videmus oriri ab Oriente, occidere in Occidente: cuius curſui nox ſuccedit, cuius radij nube vmbrantur, qui certo de loco in locum motione commigrat. Non eſt hoc Dominus Chriſtus. Non eſt Dominus Chriſtus ſol factus, ſed per quem ſol factus eſt: omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Ioan. 1.* Eſt ergo lux quæ fecit illam lucem. Hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipſam ſitiamus, vt ad eam aliquando veniamus; & in illâ ita viuamus, vt numquam omnino moriamur.

2. *Eſt lux mirabiliter inebrians. Pſal. 35.*

Iſta enim lux eſt, de quâ Prophetia olim præmiſſa, ita in Pſalmo cecinit: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quale vinum eſt, vnde inebriari laudabile eſt? Quale vinum eſt, quod non turbat, ſed dirigit mentem? Quale vinum eſt, quod perpetuò facit ſanum, non inebriando facit inſanum? Inebriabuntur. Vnde? Ab vbertate domus tuæ. Et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Vnde? Quoniam apud te eſt fons vitæ.

3. *Quomodo Chriſtus ſimul fons & lumen. Ioan. 7.*

Ipſe fons vitæ ambulabat in terrâ, ipſe dicebat: Qui ſitit, veniat ad me. Ecce fons. Sed nos de lumine loqui cœperamus, inuenimus interim Dominum fontem vitæ: bibe, & viue. De lumine dicebamus: ſequere ergo. Nam Propheta cùm dixiſſet, Apud te eſt fons vitæ, ſecutus adiunxit, Et in lumine tuo videbimus lumen. Deum de Deo, lumen de lumine. Per hoc lumen factum eſt ſolis lumen: & lumen quod fecit ſolem, ſub quo fecit & nos, factum eſt ſub ſole propter nos. Factum eſt, inquam, propter nos ſub ſole lumen, quod fecit ſolem. Noli contemnere nubem carnis. Nube tegitur, non vt obſcuretur, ſed vt temperetur. Loquens ergo per nubem carnis lumen indeficiens, lumen ſcientiæ, lumen ſapientiæ, ait hominibus: Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. *Ioan. 8.* Quomodo te abſtulit ab oculis carnis, & reuocauit ad oculos cordis? Non enim ſufficit dicere, Qui me ſequitur, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen, nam addidit, vitæ: ſicut ibi dictū eſt, Quoniam apud te fons eſt vitæ. *Fons vitæ, & lumen vitæ.* Videte itaque, fratres mei, quomodo verba Domini cum illius Pſalmi veritate concordent: & ibi lumen poſitum eſt cum fonte vitæ, & à

Domino dictum est, lumen vitæ. In vsibus corporalibus aliud est lumen, aliud fons. Fontem fauces quærunt, lumen oculi. Quando sitimus, quærimus fontem; quando in tenebris sumus, quærimus lumen: & si fortè nocte sitiamus, lumen accendimus vt ad fontem veniamus. Non est sic apud Deum: quod lumen est, hoc est fons. Qui tibi lucet vt videas, ipse tibi manat vt bibas.

4. *In hac vitâ labor, in futurâ præmium.* Videtis ergo, fratres mei, videtis, (si intus videtis,) quale hoc lumen est de quo Dominus dicit, Qui me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quod promisit, futuri temporis verbo posuit: non enim ait, habet, sed, habebit lumen vitæ: non ait tamen, qui sequetur me, sed, qui sequitur me. In eo quod facere debemus, præsens tempus posuit: quod autem promisit facientibus, futuri temporis verbo significauit. Qui sequitur, habebit: modò sequitur, pòst habebit: modò sequitur per
2. Cor. 5. fidem, pòst habebit per speciem. Quamdiu enim sumus in corpore, ait Apostolus, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem. Quando per speciem? Cùm habuerimus lumen vitæ, cùm ad illam visionem venerimus, cùm nox ista transierit. De illo quippe die, qui exoriturus
Psal. 5. est, dictum est, Mane astabo tibi, & contemplabor. Quid est manè? Transactâ nocte sæculi huius, transactis erroribus tentationum, superato illo leone, qui nocte rugiens circumit, quærens quem deuoret. Manè astabo tibi, & videbo. Nunc verò quid putamus, fratres, huic tempori congruere, nisi quod rursus in Psalmo dicitur,
Psal. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo? Per singulas noctes, inquit, flebo, in desiderio lucis ardebo. Videt Dominus desiderium meum, quomodo dicit illi alter Psalmus,
Psal. 37. Ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Extendat anima cupiditatem suam, & sinu capaciore quærat comprehendere (id est, intelligere,
Isa. 64. & complecti,) quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.
1. Cor. 2. Desiderari potest, concupisci potest, suspirari potest; verbis explicari non potest.

5. *Si hîc non laboramus, ibi nō habebimus mercedem.* Ergo, fratres mei, quia Dominus breuiter ait, Ego sum lux mundi; qui me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ, (in quibus verbis aliud est quod iussit, aliud quod promisit;) faciamus quod iussit; ne impudenti fronte postulemus quod promisit: ne dicat nobis in iudicio suo, Fecisti quod iussi, vt petas quod promisi? Quid ergò iussisti, Domine Deus noster? Dicet tibi: Vt sequereris me. Modò faciamus, sequamur Dominum, soluamus compedes quibus impedimur sequi. Et quis idoneus soluere tales nodos, nisi ille adiuuet cui dictum est; Dirupisti vincula mea? de quo Psal. 115.
alius Psalmus dicit: Dominus soluit compeditos, Dominus erigit elisos? Et quid sequuntur soluti & erecti, nisi lumen, à quo audiunt, Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris? quia Dominus illuminat cæcos. Psal. 145.

Illuminamur modò, fratres, habentes collyrium fidei. Præcessit enim saliua eius cum terrâ, vnde inungeretur qui cæcus est natus: & nos de Adam cæci nati sumus, illo illuminante opus habemus. Miscuit saliuam in terrâ; Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis. Miscuit saliuam cum terrâ, ideò prædictum est: Veritas de terrâ orta est. Ipse autem dixit: Ego sum via, & veritas, & vita. Veritate perfruemur, cùm viderimus facie ad faciem, quia & hoc promittitur nobis. Nam quis auderet sperare, quod Deus non dignatus esset polliceri & dare? Videbimus facie ad faciem. Apostolus dicit: Nunc scio ex parte, nunc in ænigmate per speculum, tūc autem facie ad faciem. Et Ioannes Apostolus in Epistolâ suâ: Dilectissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. 6. *Fidei collyrium, quo vndè videmus aliquousq.* Ioan. 9. Ioan. 1. Psal. 84. Ioan. 14. *Clariautē videbimus in patriâ.* 1. Cor. 13. 1. Ioan. 3.

Hæc est magna promissio: si amas, sequere. Amo, inquis, sed quà sequor? Si dixisset tibi Dominus Deus tuus: Ego sum veritas & vita; tu desiderans veritatem, concupiscens vitam, viam quâ ad hæc peruenire posses, profectò quæreres, & diceres tibi: Magna res veritas, magna res vita; si esset, quomodo illuc perueniret anima mea. Quæris quà? Audi eum dicentem primò: Ego sum via. Antequam diceret quò, præmisit quà. Ego sum, inquit, via. Quò via? Audi. Et veritas & vita. Primò dixit quà venias, posteà dixit quò venias. Ego sum via, ego sum veritas, ego sum vita. 7. *Idem Christus est via, per quam imus; & vita, ad quā imus.* Ioan. 14.

Ipse manens apud Patrem, veritas est & vita: induens se carne, factus est via. Non tibi dicitur, Labora quærendo viam, vt peruenias ad veritatem & vitam: non, inquam, hoc tibi dicitur. Ergo piger surge, via ipsa ad te venit, & te de somno dormientem excitauit, (si tamen excitauit) surge & ambula. Fortè conaris ambulare, & non potes, quia dolent pedes. Vnde dolent pedes? An iubente auaritiâ per aspera cucurrerunt? sed Dei verbum sanat & claudos. Ecce, inquis, sanos habeo pedes, sed ipsam viam non video: illuminat & cæcos. *Non nos viam, sed via nos inuenit.* *Christus sanauit pedes nostros, illuminauit oculos.*

8. *In hac vitâ, bellum perpetuum; in futurâ, pax æterna.* Hoc totum fit per fidem, quādiu peregrinamur

namur à Domino, manentes in corpore: cùm autem perambulauerimus viam, & ad ipsam patriam peruenerimus, quid erit nobis lætius? quid erit nobis beatius? quibus nihil erit pacatius. nihil enim aduersus hominem rebellabit. Nunc verò, fratres, difficilè sine rixâ sumus. Ad concordiam quidem vocati sumus, iubemur pacem habere inter nos: ad hoc conandum est, omnibusque nitendum viribus, vt aliquando perue-
Rixa exterior. niamus ad perfectissimam pacem. Modò autem litigamus plerumque cum eis, quibus consulere volumus. Ille errat, tu vis ducere ad vitam; resistit paganus, disputas contra errores idolorum & dæmoniorum: resistit hæreticus, disputas contra alias doctrinas dæmoniorum: malus Catholicus non vult benè viuere, corripis etiam interiorem fratrem tuum: tecum manet in domo, & perditas vias quærit; æstuas quomodo illum corrigas, vt de illo bonam rationem Domino amborum reddas. Quantæ vndique rixarum necessitates? Plerumque homo tædio affectus dicit apud semetipsum: Quid mihi est pati contradictores? pati eos qui reddunt mala pro bonis? Ego volo consulere, illi volunt perire; consumo vitam meam litigando, pacem non habeo: inimicos insuper facio, quos amicos habere deberem, si beneuolentiam consulentis attenderent. Quid mihi est ista perpeti? Redibo ad me, mecum ero, Deum meum inuocabo. Redi ad teipsum, & ibi inuenies rixam: si cœpisti Deum sequi, ibi inuenis ri-
Rixa interior. *Galat. 5.* xam. Quam rixam, inquis, inuenio? Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Ecce tu solus es, ecce tecum es, ecce nullum alium hominem pateris: sed vides aliam legem in membris tuis, *Rom 7.* repugnantē legi mentis tuæ, & captiuantem te in lege peccati, quæ est in membris tuis. Exclama ergo; à rixâ, inquā, interiore clama ad Deū, vt tibi pacificet te, & dic: Miser ego *Rom. 7.* homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominū nostrū: quia, Qui, inquit, sequitur me, nō ambulat in tenebris, sed habebit lumē vitæ. Finitâ totâ rixâ, immortalitas sequetur; *1. Cor. 15.* quia nouissima inimica destruetur, mors.

CAPVT II.

Ex Sermone quadragesimotertio de Verbis Domini, super hac sententiâ beati Pauli Apostoli ad Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.

§. I.

Pugna grauis tentationum.

1. *Victoria plena, & triumphus cœlo duntaxat reseruatur.*
2. *Pugnæ & prælia, quamdiu hic viuimus, renouantur.*
3. *Aduersus tentationes pugnandum senibus, pugnandum iuuenibus, pugnandum omnibus.*
4. *Vnde non est in nobis, vt non oppugnemur; est tamen in nobis per gratiam, vt non vincamur.*

§. II.

Tentatio carnis aduersus spiritum.

1. *Tentationes tolerari debent, non amari.*
2. *Queritur de immundis somniis, quæ inuitus patiebatur.*
3. *Et rogat ab illis liberari.*

§. III.

Tentatio gulæ.

1. *Precibus implorat auxilium gratiæ contra excessum in cibo & potu.*
2. *Notabilis animi demissio in S. Augustino.*
3. *Desiderium & conatus proficiendi adscribit nos libro vitæ, etiam valdè imperfectos.*

§. I.

Sanctis in terrâ semper pugnandum aduersus tentationes.

ATTENDITE Sancti quicumque pugnatis. Præliantibus loquor: intelligunt, 1. *Cœlo reseruatur triumphus.*
qui pugnant; non me intelligit, qui non pugnat. Vult homo castus, vt nulla omnino surgat in membris eius concupiscentia aduersaria castitati. Pacem vult, sed nondum habet: quando enim ad illud ventum fuerit, vt nulla omnino exurgat concupiscentia aduersaria, nullus erit hostis cum quo luctemur; nec expectatur ibi victoria, quia de hoste iam victo triumphatur. Audi ipsam victoriam, Apostolo dicente: Oportet *1. Cor. 15.* corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriâ. Audi voces triumphantium: Vbi est, mors, cōtentio tua? Vbi est, mors, aculeus tuus? Percussisti, vulnerasti, deiecisti: sed vulneratus est propter me, qui fecit me. O mors, ô mors, vulneratus est pro me qui fecit me, & de morte suâ vicit te. Tunc triumphantes dicturi sunt: Vbi est, mors, contentio tua? Vbi est, mors, aculeus tuus?

Modò autem, quando caro concupiscit 2. *In terrâ semper pugnandum.*
aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, contentio mortis est. Non quod volumus facimus. Quare? Quia volumus vt *Galat. 5.* nullæ sint concupiscentiæ, sed non possumus. Velimus nolimus, habemus illas: velimus nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant,

STINVS. lant, infestant, surgere volunt: premuntur, nondum extinguuntur, quamdiu caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Numquid hoc etiam, cùm mortuus fuerit homo? Absit. Deponis carnem, quomodo tecum trahis concupiscentias carnis? Sed si benè pugnasti, recipieris ad requiem.

3. *Iuuenibus, senibus, in omni vitæ gradu cum carne luctandum.*

Ergo quamdiu hîc viuitur, fratres, sic est. Nos qui senuimus in istâ militiâ, minores quidem hostes habemus; sed tamen habemus. Fatigati sunt quodammodò hostes nostri iam per ætatem, sed tamen etiam fatigati non cessant qualibuscumque motibus infestare senectutis quietem. Acrior pugna iuuenum est; nouimus eam, transiuimus per eam. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea, quæcumque vultis, faciatis.

4. *Oppugnamur inuiti; sed nō vincimur, nisi volentes.*

Quid enim vultis, ô Sancti, ô boni præliatores, ô fortes milites Christi, quid vultis? Vt non sint omnino concupiscentiæ malæ; sed non potestis. Exercete bellū, sperate triumphum. Facite quod potestis, quod ait ipse Apostolus in alio loco: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius. (Rom. 6.) Ecce, inquis, quod nolo, mala desideria surgunt. Sed noli obedire. Arma te, sume instrumenta bellorum. Præcepta Dei, arma tua sunt. Si benè me audis; & ex eo, quod loquor, armaris. Non, inquit, regnet peccatum in vestro mortali corpore. Quamdiu enim portatis mortale corpus, pugnat contra vos peccatum; sed non regnet. Quid est, nō regnet? Id est quod dixit, Ad obediendum desiderijs eius. Si cœperis obedire, regnat. Et quid est obedire, nisi exhibere membra arma iniquitatis peccato? Nihil hoc doctore præclarius. Quid vis iam vt exponam tibi? Fac quod audisti, nō exhibeas mēbra tua arma iniquitatis peccato.

§. II.

Tentationes carnis per nocturnas illusiones.

Ipse Pater Augustinus decimo Libro Confessionum suarum, capitibus 28. 29. & 30. loquitur Deo in hunc modum:

Iob 7. 1. *Non amatur tentatio, sed tolerātio tentationis.*

Numquid non tentatio est vita humana super terram? Cui non est necesse molestias & difficultates pati? Tolerari iubes eas, non amari. Nemo quod tolerat, amat; etsi tolerare amat: quamuis enim gaudeat se tolerare, mauult tamen non esse quod toleret. Hei mihi Domine, miserere mei. Ecce vulnera mea non abscondo. Medicus es, æger sum; misericors es, miser sum. Tota spes mea non nisi in magnâ valdè misericordiâ tuâ.

2. *Immunda somnia etiam castis possunt accidere.*

O amor, qui semper ardes, & numquam extingueris, charitas Deus meus, accende me. Continentiam iubes; da quod iubes, & iube quod vis. Adhuc viuunt in memoriâ meâ carnalium rerum imagines, & occursant mihi vigilanti quidem carentes viribus, in somnis autem vsque ad delectationem, factumque simillimum pertrahentes. Et tantum valet imaginis illusio in animâ meâ & in carne meâ, vt dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt. Vbi est illa ratio, quę talibus suggestionibus resistit vigilans? Etsi res ipsæ vigilanti ingerantur, inconcussus maneo.

3. *Petit liberari ab illusionibus nocturnis.*

Numquid non potens est manus tua, Deus omnipotens, sanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratiâ tuâ lasciuos motus etiam mei soporis extinguere? (Psal. 102.) Augebis, Domine, magis magisque in me munera tua, vt anima mea etiam in somnis, non solùm non perpetret istas corruptelarum turpitudines per imagines animales vsque ad carnis fluxum, sed ne sentiat quidem. Nunc quid adhuc sim in hoc genere mali mei, dixi bono Domino meo, exultans cum tremore in eo quod donasti mihi, (Psal. 2.) & lugens in eo in quo inconsummatus sum, ac sperans perfecturum te in me misericordias tuas, vsque ad pacem plenariam, quam tecum habebunt interiora & exteriora mea, cùm absorpta fuerit mors in victoriâ. (1. Cor. 15.)

§. III.

Tentationes concupiscentiæ manducandi & bibendi.

Eodem Libro decimo Confessionum paulò pòst cap. 31. in Psalmum trigesimumoctauum idem dicit Augustinus:

1. *Difficile, non excedere mensuram in refectione.*

Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestiâ transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Tentationibus quotidie conor resistere, & inuoco dexteram tuā ad salutem meam, & ad te refero æstus meos. Audio vocem iubentis Dei mei, Non grauentur corda vestra in crapulâ & ebrietate. (Luc. 21.) Ebrietas longè est à me; misereberis, ne appropinquet mihi: crapula autem nonnumquam surrepit seruo tuo; misereberis, vt longè fiat à me: nemo enim potest esse continens, nisi tu des. (Sap. 8.) Audiui vocem Apostoli tui: Omnia possum in eo qui me confortat. (Philip. 4.) Ecce miles castrorum cælestium: Memento, Domine, quia nos puluis sumus. (Gen. 3.) Nec ille in se quidquā potuit, quia idem puluis fuit: quem talia dicentem

afflatu

1. Cor. 10. afflatu tuæ inspirationis adamaui. Omnia possum, inquit, in eo, qui me confortat. Conforta me, vt omnia possim.

2. Augustini humilitas. Iste se accepisse confitetur: & quod gloriatur, in Domino gloriatur. Ego in tentationibus positus, certo quotidie aduersus concupiscentiam manducandi & bibendi. Et quis est, Domine, qui non aliquando rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum: ego autem non sum, quia peccator homo sum.

3. Desiderio proficiendi libro vitæ inscribit omnes, etsi imperfectos. Ioan. 16. Psal. 138. Sed & ego, ô Pater cælestis, magnifico nomen tuum: & interpellat te pro peccatis meis Vnigenitus tuus, qui vicit sæculum, numerans me inter infirma membra corporis sui, de quibus ait: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: omnes videlicet, qui in desiderio & conatu proficiendi inueniuntur.

Rursum in Tractatu in Psalmum 138. *dicit ipse Augustinus:*

In libro tuo omnes scribentur, non solùm perfecti, sed etiam imperfecti. Non timeant imperfecti; tantùm proficiant. Nec tamen quia dixi, Non timeant, ideò ament imperfectionem, & ibi remaneant; sed tantum proficiant, quantum in ipsis est. A corpore Domini non recedant, vt in corpore & membris eius compaginati, possint mereri de se dictam esse vocem istam, Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.

CAPVT III.

Ex Tractatu quadragesimoprimo in Euangelium B. Ioannis Apostoli, super his Pauli Apostoli verbis, Rom. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius.

§. I.

Primos motus non esse peccata.

1. Etsi sentiamus motus & stimulos concupiscentiæ (quos ex D. Paulo peccatum vocat S. Augustinus, non quia verè peccatum sunt, sed quia ad peccandum trahunt) tamen si non consentiamus, peccatum non habebimus.

2. Potest enim eos frenare ratio, adiuta auxilijs gratiæ.

3. Possumus velle, & facere bonum, non tamen perficere; id est, sine omni defectu vel motu concupiscentiæ admixto perfectum bonum operari.

4. Non possumus non concupiscere, (id est, motus indeliberatos concupiscentiæ sentire;) possumus tamen motibus illis primis sine nostrâ voluntate irruentibus non obedire, non consentire, & eos non sequi.

§. II.

Veræ voluptates.

1. Delectatio legis diuinæ suauior est omnibus voluptatibus corporis:

2. Sed ad illam non peruenitur, nisi Deo perducente;

3. Eorum enim est tantùm, qui sanitatem spiritualem consecuti sunt.

4. Illa sanitas est à Deo precibus impetranda.

§. I.

Concupiscentia non est peccatum, nisi ratio consensum præbeat.

NON ait, Non sit peccatum; sed, Non regnet. Quamdiu viuis, peccatum necesse est esse in membris tuis: saltem illi regnum auferatur; non fiat quod iubet. Surgit ira; noli dare iræ linguam ad maledicẽdum, noli dare iræ manum aut pedem ad feriendum. Non surgeret ista ira irrationabilis, nisi peccatum esset in membris: sed tolle illi regnum, non habeat arma vnde contra te pugnet. Discet etiam non surgere, cùm arma cœperit non inuenire. Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed induite arma iustitiæ: alioquin toti captiui eritis, & non erit dicere, Mente seruio legi Dei. Mens enim, si teneat arma sua, iam membra non mouentur in ministerium furentis peccati. 1. Nõ consentiendũ motibus concupiscentiæ, qui sine nostrâ volũtate exsurgunt. Rom. 7.

2. Potest enim ratio resistere & refrenare per Dei gratiam. Teneat arcem Imperator interior, quia sub maiore Imperatore iuuandus assistit: frenet iram, coërceat concupiscentiam: inest quod frenetur, inest quod coërceatur, inest quod contineatur. Quid autem volebat ille iustus mente seruiens legi Dei, nisi vt omnino non esset quod frenaretur? Et ad hoc debet conari omnis qui tendit ad perfectionem, vt & ipsa concupiscentia (cui non dantur ad obediendum membra) quotidie in proficiente minuatur. Concupiscẽtia enim in proficientibus minuitur.

3. Quâ ratione possimus bonũ facere, sed non perficere. Velle, inquit, adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Numquid dixit, Non mihi adiacet facere bonum? Si hoc dixisset, spes nulla esset. Non ait, non mihi adiacet facere, sed, non mihi adiacet perficere. Quæ est enim perfectio boni, nisi consumptio & finis mali? Quid est autem consumptio mali, nisi quod Lex dicit, Non concupisces? Omnino non concupiscere, perfectio boni est, quia consumptio mali est. Hoc dicebat ille, Perficere bonum non mihi adiacet, quia non poterat facere vt non concupisceret: faciebat tantùm vt concupiscentiam frenaret, & vt concupiscentiæ membra ad satellitium non præberet. Exod. 20.

Per-

4. *Aliud est concupiscere, aliud concupiscentiæ obedire.* Perficere ergo, inquit, bonum, non mihi adiacet: non possum implere quod dictum est, Non concupisces. Quid ergo? Opus est vt saltem istud impleas, Post concupiscentias tuas non eas. Hoc age interim, quamdiu sunt illicitæ concupiscentiæ in carne tuâ: post concupiscentias tuas non eas. Mane in seruitute Dei, in libertate Christi, mente serui legi Dei tui, Nolito dare concupiscentijs tuis vires. Sequendo eas, vires eis addis: dando eis vires, quomodo vincis, quando contra te inimicos nutris viribus tuis? Rom. 7. Eccli. 18.

§. II.

In quo vera voluptas.

Idem Augustinus Sermone quinto de Verbis Apostoli ait:

1. *Delectatio spiritus suauior est delectatione carnis.* Qualis vita est, non concupiscere? O vita dulcis! Est quasi dulcis voluptas concupiscentiæ, verum est; nec eam homines sequerentur, nisi dulcis esset. Theatrum, spectaculum, meretrix lasciua, turpissima cantilena, dulcia sunt ista ipsi concupiscentiæ. Suauia sunt, dulcia sunt, delectabilia sunt; sed, narrauerunt mihi iniusti delectationes suas: audi meliora, Narrauerunt mihi, inquit, iniusti delectationes suas, sed non sicut lex tua Domine. Ipsa enim melior est. Felix anima, quæ huiusmodi delectationibus delectatur, vbi turpitudine nullâ inquinatur, & veritatis serenitate purgatur. Psal. 118.

2. *Suauitatem spiritualem dabit Dominus.* Quem autem delectat lex Dei, & sic delectat, vt omnes delectationes lasciuæ vincantur, non sibi arroget istam delectationem. Dominus, inquit, dabit suauitatem. Quid dicam, Domine; Da mihi illam suauitatem, vel illam? Suauis es Domine: & in tuâ suauitate doce me iustitias tuas. In tuâ suauitate doce me Domine. Tunc disco vt faciam, si in tuâ suauitate doceas me. Quãdiu blanditur ac dulcis est iniquitas, & amara est veritas, in tuâ suauitate doce me: vt suauis sit veritas & dulcis contemnatur iniquitas, quia multò melior & suauior est veritas. Psal. 118.

3. *Ad quam perueniũt, qui sani sunt spiritu.* Sed sanis suauis est panis. Quid melius & præclarius pane cælesti, si non obstupefaciat dentes iniquitas? Scriptura enim dicit, Sicut vua acerba dentibus noxia est, & fumus oculis, sic iniquitas vtentibus eâ. Quid prodest quia panem laudatis, si malè viuatis? Quod laudatis non manducatis. Cùm ergo audis verbum iustitiæ & veritatis, & laudas, multò laudabilius est si facias. Fac ergo quod laudas. Prou. 10.

4. *Sanitas austi à Deo precibus obtinetur.* An dicturus es, Volo, sed non valeo? Quare non vales? quia sanitas non est. Vnde sanitatem perdidisti, nisi quia peccando Creatorem offendisti? Ergo vt eius panem quem laudas, cum suauitate, id est, cum sanitate manduces, dic illi, Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi. Psal. 40.

CAPVT IV.

Sanctus Augustinus in Tractatu in Psalmum centesimum quadragesimum tertium super his verbis: Miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors. Suauis Deus omnibus, & miserationes eius in omnia opera eius.

§. I.

De misericordiâ Dei, & miseriâ nostrâ.

1. *Misericordia Dei peccatorem conuertit per gratiam: longanimitas expectat ad pœnitentiam.*
2. *Vox peccantis ex desperatione misericordia, vox peccantis ex præsumptione longanimitatis.*
3. *Contra desperantem.*
4. *Contra præsumentem.*

Idem Pater Augustinus Tractatu in Psalmum centesimum vigesimum nonum super his verbis: Apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine, sustinuit anima mea in verbo eius.

§. II.

Misericordia Dei erga nos; nostra erga proximos nostros.

1. *Quia misericordia Dei saluat nos; ideò & nos alijs faciamus misericordiam.*
2. *Non possumus omnia peccata vitare in hac vitâ.*
3. *Lex est misericordia, vt qui eâ indigeat, eamdem indigenti exhibeat.*
4. *Deus non solùm remisit debita, verùm etiam promisit præmia.*

§. I.

Nisi ille talis esset, de nobis repetitio & reparatio talis nulla esset. Attende ad teipsum. Quid merebaris peccator? contemptor Dei quid merebaris? Vide si occurrit tibi nisi pœna, si occurrit tibi nisi supplicium. Vides ergo quid tibi debebatur, & quid dederit qui gratis dedit. Data est venia peccatori, datus est spiritus & spes iustificationis, data est charitas & dilectio, in quâ omnia bona facias: & super hæc dabit & vitam æternam & societatem Angelorum. Totum de misericordiâ est. Merita tua nusquam iactes, quia & ipsa tua merita, illius dona sunt. Misericors & miserator Dominus, qui fecit omnia gratis. Longanimis. Quantos enim sustinet peccatores? Misericors & miserator Dominus in his quibus veniam dedit: in his quibus non dedit adhuc, 1. *Per misericordiã Dei peccator cõuertitur ad Deum.* *Per longanimitatem ad conuersionem expectatur.*

huc, longanimis, non damnans sed expectans, & ipsa expectatione clamans, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et nimiâ longanimitate, Nolo, inquit, mortem impij, sed vt reuertatur, & viuat.

Zach.1. *Ezech.18.*

2\. Dedit spem veniæ, ne desperando ampliùs pecces: & desperatio timenda est in peccatis. Videte vocem desperantis ad augenda peccata, & videte vocem sperantis ad augenda peccata; & quomodo vtrique voci occurrit prouidentia & misericordia Dei. Audi vocem desperantis. Iam, inquit, damnandus sum, quare non facio quidquid volo? Audi & vocem sperantis. Misericordia Domini magna est; quando me conuerto, dimittet mihi omnia, quare non facio quidquid volo? Desperat ille vt peccet, sperat iste vt peccet. Vtrumque metuendum est, vtrumque periculosum. Væ à desperatione, væ à peruersâ spe! Vtrique huic periculo, & vtrique malo, quomodo occurrit misericordia Dei?

Verba desperãtium. *Verba præsumetium.*

3\. Quid dicis tu qui desperando volebas peccare? Iam damnandus sum, quare non facio quidquid volo? Audi Scripturam. Nolo mortem impij, sed tantùm vt reuertatur & viuat. Hac voce Dei reducitur iste in spem: sed timendus est alius laqueus, ne ipsâ spe ampliùs peccet.

Respõdetur desperanti. *Ezech.18. 33.*

4\. Quid ergo & tu dicebas qui spe magis peccas? Quando me conuertero, omnia mihi Deus dimittet, faciam quidquid volo. Audi & tu Scripturam. Non tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Noli ergo dicere, Cras me conuertam, cras Deo placebo, & omnia hodierna & hesterna peccata dimittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conuersioni tuæ indulgentiam promisit: sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit.

Respõdetur præsumẽti. *Eccli.5.*

§. II.

1\. Si non esset apud te propitiatio, si iudex solùm esse velles, & misericors esse nolles, si obseruares omnes iniquitates nostras, & quæreres eas, quis sustineret? Quis ante te staret, & diceret, Innocens sum? Quis staret in iudicio tuo? Spes ergo vna est: Quoniam est apud te propitiatio. Dignatus es legem misericordiæ afferre, mihi dimittere omnia peccata mea, dare mihi de cetero monita, ne te offendam. In ipsis monitis si quid fortè titubauero, dedisti mihi remedium quo te orem, dicens, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hanc legem statuisti mihi, vt quomodo dimitto, dimittatur mihi.

Deus nostri miseretur. *vt nos aliorum misereamur. Matth. 6.*

Et paulò pòst idem Augustinus dicit:

S. AVGVSTINVS.

Vitare possum homicidia, adulteria, rapinas, periuria, maleficia, idololatriam: nũquid & omnia peccata linguæ? numquid & omnia peccata cordis? Quis ergo sustinebit, si tu iniquitates obseruaueris? Si nobiscum tamquam seuerus iudex, non sicut misericors Pater agere volueris, quis stabit ante oculos tuos? Sed est apud te propitiatio. 2.

Omnia peccata in hac vitâ non possunt vitari. Homo in statu gratiæ potest vitare omnia peccata mortalia, sed nõ omnia venialia.

Propter legem tuam sustinui te Domine. Quæ & qualis est lex ista, Inuicem onera vestra portate, & sic implebitis legẽ Christi? Qui portant inuicem onera sua? Qui fideliter dicunt: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Qui non habent charitatem, graues sunt sibi mutuò: qui autem habent charitatem, portant se inuicem. Læsit te aliquis, petit veniam: si non dimittis, nõ portas onus fratris tui; si dimittis, portas infirmum. 3.

Qui eget misericordiâ Dei, tribuat egentibus misericordiam suã. *Galat.6.* *Matth.6.*

Sustinuit anima mea in verbo eius. Nemo sustinet, nisi qui nondum accepit quod promissum est: nam qui iam accepit, quid sustinet? Accepimus remissionem peccatorum, sed promissum est nobis regnum cælorum. Debita nostra deleta sunt, sed merces nostra adhuc futura est. Accepimus veniam, sed æternam vitam nondum tenemus. Sed qui dedit veniam, ipse promisit vitam æternam. Si verbum nostrum esset, deberetis timere: quia verbum Dei est, non fallit. Securi ergo speramus in verbis eius, qui fallere non potest. 4.

Deus qui dedit veniam, promisit vitã æternam.

CAPVT V.

Ex Tractatu in Psalmum quinquagesimum octauum super his verbis: Factus es susceptor meus & refugium meum in die tribulationis meæ. Adiutor meus tibi psallam: quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia mea.

Deus medicus curans nos gratis.

1. *Deus omnipotens medicus, sanabit omnes qui volunt curari.*
2. *Sed vt velis, præuenire te debet eius gratia.*
3. *Omnia enim bona ab illius merâ bonitate & misericordiâ accepimus.*
4. *Neminem posse mereri gratiam, nisi præuentum aliâ gratiâ Dei, probatur irrefragabili demõstratione.*

QVID eram, nisi subuenires? Quàm desperatus eram, nisi curares? Vbi iacebam, nisi releuares? Certè ingenti vulnere periclitabar, & illud vulnus meum medicum omnipotentem requirebat. Omnipotenti medico nihil est insanabile, non renuntiat alicui: opus est vt tu curari velis, opus est vt manus eius non refugias. Sed & si nolis curari vulnus tuum, admonet vt cu- 1.

Deus omnipotẽs medicus omnibus volentibus curari.

 reris;

teris; & auersum reuocat, & refugientem quodammodò ad se redire compellit, & attrahit.

2. *Faciens etiam vt curari velint quotquot curãtur:*

In omnibus implet quod de eo dictum est, Misericordia eius præueniet me. Cogita quod dictum est, Præueniet me. Si aliquid tuum primum attulisti, & ex tuo aliquo bono primo Dei misericordiam meruisti, non te præuenit. Quando autem vel intelligis quia præuentus es, nisi intelligas quod ait Apostolus: Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Hoc est, misericordia eius præueniet me.

Psal. 58. 1. Cor. 4.

3. *Nam ex Dei bonâ gratiâ sũt omnia bona nostra.*

Denique attendens, omnia bona quæcumque habere possumus, siue in naturâ, siue in instituto, siue in ipsâ conuersatione, in fide, in spe, in charitate, in bonis moribus, in iustitiâ, in timore Dei, totum non esse nisi ex illius donis, ita cõclusit, Deus meus misericordia mea. Non inuenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam. O nomen, sub quo nemini desperandum est: Deus meus, inquit, misericordia mea. Quid est, misericordia mea? Si dicas, salus mea, intelligo quia dat salutem; si dicas, refugium meum, intelligo quia confugis ad eum; si dicas, fortitudo mea, intelligo quia dat tibi fortitudinem. Misericordia mea quid est? Totũ quidquid sum, de misericordiâ tuâ est.

4. *Illã autem gratiam nõ possumus mereri sine aliâ præuiâ gratiâ.*

Sed promerui te, inuocando te. Vt essem, quid feci? vt essem qui te inuocarem, quid egi? Si enim egi aliquid vt essem, iam eram antequã essem. Porrò, si omnino nihil eram antequã essem, nihil promerui vt essem. Fecisti vt essem, & non tu fecisti vt bonus essem? Dedisti mihi vt sim, & potuit mihi alius dare vt bonus sim? Si tu mihi dedisti vt sim, & alius mihi dedit vt bonus sim; melior est ille qui mihi dedit vt bonus sim, quàm ille qui mihi dedit vt sim. Porrò, quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in misericordiâ largior, à quo accepi vt essem, ab illo accepi vt bonus essem. Deus meus misericordia mea.

CAPVT VI.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum secundum super his verbis: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam.

Deus animarum medicus certissimus.

1. *Noniter ex statu peccati ad Dei gratiam (velut conualescentium ex morbo languores, conuersorum crebri defectus remanent; ope diuinâ pedetentim sanantur.*

2. *Si modò feramus patienter Dei medicamenta, quantumuis dura & acerba; sicut hominum Medicorum longè duriora & acerbiora toleramus.*

3. *Et tamen illorum cura incerta est, Dei verò certissima.*

4. *Magnitudo morbi spiritualis quo in hac vitâ laboramus.*

5. *Sed Deus potentissimus & promptissimus est medicus; ideò eius monitis obtemperemus, si sanitatem optamus.*

6. *Neminem enim sanauit inuitum.*

7. *Contractum iniuit sanandi nos: non potest fallere, nisi nos fallamus.*

QVID dicis, quia peccator es? Conuertere, & propitius fit Deus omnibus iniquitatibus tuis. Post remissionem peccatorum corpus infirmum geris, necesse est vt sint quædam desideria carnalia quæ te titillent, & quæ tibi suggerant delectationes illicitas: sed de languore tuo veniunt. Adhuc enim infirmam carnem geris, nondum est absorpta mors in victoriâ, nondum corruptibile hoc induit incorruptionem. Adhuc quibusdam perturbationibus ipsa anima quatitur post remissionem peccatorum. Adhuc in periculis tentationum versatur: quibusdam suggestionibus delectatur, quibusdam non delectatur: & in eis quibus delectatur, aliquando quibusdam consentit, & capitur. Languor est: sanat & omnes languores tuos. Sanabuntur omnes languores tui, noli timere.

1. *Post exordia conuersionis manent defectus quos Deus sensim sanat.* 1. Cor. 15. Remissâ enim culpâ, non statim tollitur fomes peccati, nec delentur praui habitus & inclinationes, quæ ex prauis actibus relictæ, in peccatore conuerso remanent.

Magni sunt, inquies: sed maior est medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit: tantùm tu curari te sine, manus eius ne repellas, nouit quid agat. Non tantùm delecteris quando fouet, sed etiam toleres cùm secat. Tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem. Videte, fratres mei, in istis languoribus corporis quanta homines tolerent, vt paucos dies victuri tandem moriantur, & hos paucos dies incertos habeant. Multi enim post tolerantiam magnorum dolorum, cùm à Medicis secarentur, aut inter manus Medicorum mortui sunt, aut iam sani (irruente aliquâ ægritudine) defuncti sunt. Si tam sibi propinquam mortem sperarent, illos immensos dolores non susciperent tolerãdos.

2. *Dummodò ipsius medicamẽta, sicut hominum medicorum, quantumcũque grauia, leniter & patienter perferamus.*

Tu non toleras ad incertum: qui promisit sanitatem, non potest falli. Fallitur Medicus aliquando, & promittit sanitatem de corpore humano. Quare fallitur? Quia hoc non curat quod fecit. Deus fecit corpus tuum, Deus fecit animã tuam: nouit quemadmodũ recreet quod creauit, nouit quemadmodum reformet quod ipse formauit. Tu tantùm sub manibus Medici esto: odit enim repellentem manus suas. Ligari se volunt homines & secari, habituri pro incertâ sanitate

3. *Cùm isti tamen in sanando fallantur sæpissimè, Deus autẽ numquam.*

ſanitate certum dolorem, daturi magnam mercedem. Deus te quem fecit, & certus curat, & gratis. Ferto ergo manus eius, ó anima quæ benedicis eum, non obliuiſcens omnes retributiones eius: ſanat enim omnes languores tuos ipſe, qui redimit de corruptione vitam tuam.

4. *Præſertim cũ grauiſſimis animæ morbis ægrotemus.* Inde ſanat omnes languores tuos, quia redimit de corruptione vitam tuam. Ecce corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Vitam ergo habet anima in corpore corruptibili. qualem vitam? Onera patitur, pondera ſuſtinet. Ad ipſum Deum cogitandum, ſicut dignum eſt ab homine cogitari Deum, quanta impediunt veluti interpellantia de neceſſitate corruptionis humanæ? quanta reuocant? quanta à ſublimi intentione detorquent? quãta interpellant? quæ turba phantaſmatũ? qui populi ſuggeſtionum? Totum hoc in corde humano, tãquã de vermibus huius corruptionis ſcatet. (Sap. 9.)

5. *Laudãdus eſt medicus qui grauiſſime ægrotantes vult certè ſanare.* Exaggeramus morbum, laudemus & Medicum. Non ergo te ſanabit, qui fecit talem qualis non ægrotares, ſi legem ſanitatis acceptã ſeruare voluiſſes? Nõnne tibi & diſpoſuit, & mandauit quid tangeres, & quid non tangeres ad retinendam ſalutem? Noluiſti audire ad retinendam, audi ad recipiendam. Languore tuo expertus es quàm vera ille iuſſiſſet. Iam tandem aliquando homo, quod non tenuit monitus, audiat vel expertus. Quæ duritia eſt, quam nec experientia docet? Non ergo te ſanabit, qui talem fecerat vt numquam ægrotares, ſi eius præcepta ſeruare voluiſſes? Non te ſanabit, qui fecit Angelos, & te refectũ æquaturus eſt Angelis? Non ſanabit factum ad imaginem ſuam, qui fecit cælũ & terram? (Gen. 2.)

6. *Non tamen ſanabit, niſi volente ſanari.* Sanabit te: opus eſt vt ſanari velis. Sanat omnino ille quemlibet languidum, ſed non ſanat inuitum. Quid autem beatius, quàm vt tamquam in manu tuâ vitam, ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam? Qui redimit de corruptione vitam tuam. Ibi ſanabitur omnis languor tuus, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem. Redẽpta eſt enim vita tua de corruptione: iam ſecurus eſto. (1. Cor. 15.)

7. *Nec fallet ſpem noſtrã, ſi nos non fallimus.* Initus eſt bonæ fidei contractus, nemo fallit Redemptorem tuum: nemo circumuenit, nemo premit. Egit hic commercium, iam pretium ſoluit, Sanguinem fudit; Sanguinẽ, inquam, fudit vnicus Filius Dei pro nobis. O anima erige te, tanti vales: redimet de corruptione vitam tuam. Oſtendit exemplo, quod promiſit in præmio. Mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Sperent membra quod in capite demonſtratum eſt. (Rom. 4.)

CAPVT VII.

Ex Tractatu in Pſalmum ſexageſimum primum, de duabus myſticis ciuitatibus, Babyloniâ & Ieruſalem, deq. populis ad quamlibet earum pertinentibus.

Ciuitas Dei, & ciuitas diaboli.

1. *Boni, ſunt ciues cæleſtis Ieruſalem; mali, ciues Babyloniæ terreſtris.*

2. *In hac tamen vitâ, ciuitates iſtæ, ciueſque ipſarum permiſcentur.*

3. *Nec id ſolùm in populo veteris Synagogæ,*

4. *Verùm etiam in Eccleſiâ, in quâ & mali aliquando diſpenſant iura Ieruſalem, & boni, Babyloniæ.*

OMNES qui terrena ſapiunt, omnes qui felicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui ſua quærunt, non quæ Ieſu Christi, ad illam vnam ciuitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia myſticè, & habet Regem diabolum. Omnes autem qui ea quæ ſurſum ſunt ſapiunt, qui cæleſtia meditantur, qui cum ſollicitudine in ſæculo viuunt ne Deum offendant, qui cauent peccare, quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, ſancti, iuſti, pij, boni, omnes ad vnam ciuitatem pertinent Ieruſalem, quæ Regem habet Chriſtum. Intendite, fratres, intendite, rogo vos. Delectat enim me pauca adhuc loqui vobis de ciuitate hac dulci. Glorioſiſſima enim de te dicta ſunt, ciuitas Dei. Et, ſi oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuiſcatur me dextera mea. Dulcis eſt enim vna patria, & vera patria, vna patria, ſola patria: præter illam quidquid nobis eſt, peregrinatio eſt. Mala ergo ciuitas ab initio vſque in finem currit, & bona ciuitas mutatione malorum conditur. 1. *Ieruſalem ciuitas bonorum ſub Deo; Babylon, malorum ſub diabolo.* (Philip. 2. Coloſ. 3. Pſal. 86. Pſal. 136.)

Et ſunt iſtæ duæ ciuitates permixtæ, interim in fine ſeparandæ, aduerſus ſe inuicem confligentes: vna pro iniquitate, altera pro iuſtitiâ; vna pro vanitate, altera pro veritate. Et aliquando ipſa commixtio temporalis facit, vt quidam pertinentes ad ciuitatem Babyloniam adminiſtrent res pertinentes ad Ieruſalem: & rurſum quidam pertinentes ad Ieruſalem, adminiſtrent res pertinentes ad Babyloniam. 2. *In hoc mũdo inter ſe commiſcentur. tam ciuitates, quã ciues Ieruſalẽ ac Babylonis.*

Reſpicite populum illum primum, poſitum etiam ad ſignificandum populum poſteriorem; & videte ibi quæ dico. Fuerunt Reges magni in Ieruſalem; notum eſt, numerantur, nominantur. Omnes ergo iniqui ciues erant Babyloniæ, & adminiſtrabant res Ieruſalem, omnes in finem inde ſeparandi, non niſi ad diabolum pertinent. Rurſum inuenimus ciues de Ieruſalem adminiſtraſſe res quaſdam pertinentes ad Babyloniam. Nam tres illos pueros, victus miraculo, Nabuchodonoſor, regni ſui adminiſtrato- 3. *Olim in Synagogâ.* (Daniel. 3.)

ſtratores fecit, & conſtituit eos ſuper ſatrapas ſuos, & adminiſtrabant res Babyloniæ ciues de Ieruſalem.

4. *Nunc in Eccleſiâ Catholicâ:* Reſpicite nunc, impleri hoc & agi in Eccleſiâ etiam his temporibus. Omnes de quibus dictum eſt, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; ciues ſunt Babyloniæ, adminiſtrantes Remp. ciuitatis Ieruſalem. *in quâ ſæpè mali adminiſtrant munia Ieruſalem,* Si enim nihil adminiſtrarent ciuitatis Ieruſalem, vnde eſt, Quæ dicunt facite? Vnde, Super cathedram Moyſi ſedent? (Matth. 23.) Ruſus, ſi ciues ſunt ipſius Ieruſalem, qui regnabunt in æternum cum Chriſto; vnde eſt, Quæ faciunt, facere nolite? niſi, quia audituri ſunt, Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem? (Matth. 7.) Notum eſt ergo vobis, ciues malæ ciuitatis adminiſtrare quoſdam actus bonæ ciuitatis: videamus, ſi & ciues bonæ ciuitatis adminiſtrent quoſdam actus malæ ciuitatis. *& boni officia Babyloniis.* Terrena ergo omnis Reſpublica quandoque vtique peritura, cuius regnum tranſitorium eſt, cùm venerit illud regnum de quo oramus, Adueniat regnum tuum; (Matth. 6. Luc. 1.) & de quo prædictum eſt, Et regni eius non erit finis: terrena inquam Reſpublica habet ciues noſtros adminiſtrantes res eius. Quàm multi enim fideles, quàm multi boni, & Magiſtratus ſunt in ciuitatibus ſuis, & iudices ſunt, & duces ſunt, & comites ſunt, & Reges ſunt, omnes iuſti & boni, non habentes in corde niſi glorioſiſſima, quæ de te dicta ſunt, ciuitas Dei. Et quaſi angariam faciunt in ciuitate tranſitoriâ, & illic à Doctoribus ciuitatis ſanctæ iubentur ſeruare fidem Præpoſitis ſuis, ſiue Regi, quaſi præcellenti; ſiue ducibus, tamquam ab eo miſſis, ad vindictam malorum, laudem verò bonorum: (1. Pet. 2.) præcipitur vt ſerui dominis ſuis ſubditi ſint, & Chriſtiani paganis; & vt ſeruet fidem melior deteriori, ad tempus ſeruiturus, in æternum dominaturus. Fiunt enim iſta, donec tranſeat iniquitas. (Pſal. 56.) Iubentur ſerui ferre dominos iniquos & difficiles, ciues Babyloniæ iubentur tolerari à ciuibus Ieruſalem.

CAPVT VIII.

Ex Tractatu in Pſalmum quinquageſimum quartum ſuper his verbis: Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. Contriſtatus ſum in exercitatione meâ, & conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.

Tribulationes & tentationes per malos illatæ quomodo tolerandæ.

1. *Malos permittit & tolerat Deus, vt ſalubriter exerceat bonos.*
2. *Non ſunt ergo odio habendi: quia etiam poſſunt fieri boni; & dum mali ſunt, proſunt bonis.*
3. *Deus ipſe eos, ſibi adhuc inimicos, tolerat:*
4. *Multo magis inimicos homo tolerare debet.*
5. *Eſt quidem grauis tentatio, vexari à malis:*
6. *Sed inuocandus Deus, vt poſſit tolerari.*
7. *Ira ſtatim comprimenda, ne inueterata fiat odium.*

SATAGENTIS, ſolliciti, in tribulatione poſiti verba ſunt hæc. 1. *Ideò tolerat malos Deus, vt per eos boni exerceantur, vel ipſi ad Deum conuertantur.* Orat multa patiens, & de malo liberari deſiderans. Supereſt vt audiamus in quo malo ſit: & cùm dicere cœperit, agnoſcamus ibi nos eſſe: vt communicatâ tribulatione, coniungamus orationem. Contriſtatus in exercitatione meâ, & conturbatus ſum. Vbi contriſtatus? vbi conturbatus? In exercitatione meâ, inquit. Homines malos, quos patitur, commemoraturus eſt; eamdemque paſſionem & infeſtationem malorum hominum, exercitationem ſuam dixit. Ne putetis gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideò viuit vt corrigatur, aut ideò viuit vt per illum bonus exerceatur.

2. *Non ſunt ergo odio habendi; quia & vtiles ſunt, & boni eſſe poſſunt:* Vtinam ergo, qui nos modò exercent, conuertantur, & nobiſcum exerceantur: tamen quamdiu ita ſunt vt exerceant, non eos oderimus; quia in eo quòd malus eſt quis eorũ, vtrùm vſq; in finem perſeueraturus ſit ignoramus: & plerumque cùm tibi videris odiſſe inimicum, fratrem odiſti, & neſcis. Ergo, fratres, omnes mali cùm mali ſint, exercent bonos.

3. *Deus enim eos tolerat adhuc ſibi inimicos: quin & benefacit illis.* Ecce enim, breuiter audite, & intelligite. Si bonus es, inimicum non habebis, niſi malum. Porrò, tibi ea regula bonitatis præfixa eſt, vt imiteris bonitatem Patris tui, qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. (Matth. 5.) Nũquid enim tu habes inimicum, & Deus non habet? Tu quidem habes eum inimicũ, qui tecum creatus eſt; ille verò eum quem creauit. Inimicos ergo Dei malos & iniquos ſæpe in Scripturis legimus; & parcit eis ille, qui non habet quod ei imputet inimicus, cui omnis inimicus ingratus eſt: ab illo enim habet, quidquid boni habet. Ab ipſo enim habet miſericordiam, & etiam quidquid eſt illud vnde tribulatur. Ad hoc enim tribulatur, ne ſuperbiat: ad hoc enim tribulatur, vt humilis agnoſcat excelſum.

4. *Exemplo Dei inimicum ſuum tolerare etiam debet homo.* Tu ergo inimico tuo, quem intolerabiliter pateris, quid præſtitiſti? Si ille eum habet inimicum cui tanta præſtitit, & facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos: tu qui nec ſolem potes oriri facere, nec ſuper terras pluere, (Luc. 2.) vnum aliquid ſeruare inimico nõ potes, vt ſit tibi

tibi

tibi pax in terrâ hominibonæ voluntatis? Ergo, quoniam hęc tibi dilectionis regula figitur, vt imitans Patrem, diligas inimicum, (Diligite enim, inquit, inimicos vestros) in hoc præcepto quomodo exercereris, si nullum inimicum patereris? Vides ergo, prodesse tibi ad aliquid, & quòd Deus parcit malis. Prosit tibi ad habendam misericordiam, quia & tu fortè, si bonus es, ex malo factus es bonus: & si Deus non parceret malis, nec tu, qui gratias ageres, appareres. Parcat ergo alijs, qui pepercit & tibi. Non enim cùm transieris, intercludéda est via pietatis.

Luc. 6. Math. 5.

5. *Grauis est pijs afflictio à malis illata.*

Vnde ergo iste orat positus inter malos, quorum inimicitijs exercebatur? Quid ait? Contristatus sum in exercitatione meâ, & conturbatus sum. Cùm extendit dilectionem, vt diligat inimicos, affectus est tædio multorum inimicitijs, multorum rabie circumlatratus, & quadam humanâ infirmitate succubuit. Vidit se iam incipere penetrari malâ persuasione diabolicâ, vt odium inducat aduersum inimicos: reluctans odio, vt perficeret ipsam dilectionem, in ipsâ pugnâ & luctâ turbatus est. Eius enim vox est & in alio Psalmo: Turbatus est præ irâ oculus meus. Et quid ibi sequitur? Inueteraui in omnibus inimicis meis. Velut in tempestate & fluctibus mergi cœperat, sicut Petrus. Ille enim calcat fluctus huius sæculi, qui diligit inimicos. Christus in mari ambulabat intrepidus, cuius omnino de corde auferri non poterat inimici dilectio: qui pendés in cruce dicebat: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Et Petrus voluit ambulare. Ille tamquam caput, Petrus tamquã corpus: quia super hanc petram, inquit, ædificabo Ecclesiam meam. Iussus est ambulare, & ambulabat gratiâ iubentis, non viribus suis. Sed cùm videret ventum validum, timuit, & mergi iam cœperat, conturbatus in exercitatione suâ. A quo vento valido? A voce inimici, & à tribulatione peccatoris.

Psal. 6. Math. 14. Luc. 23. Math. 16.

Math. 14.

6. *Orandus Deus vt hanc afflictionem benè feramus.*

Ergo quomodo ille clamauit in fluctibus, Domine pereo, salua me; talis & huius vox præcessit, Exaudi Deus deprecationem meam, & ne despexeris precem meam: intende mihi, & exaudi me. Quare? quid enim pateris? quid gemis? Contristatus sum in exercitatione meâ. Exerceri me quidem inter malos posuisti, sed nimis exurrexerunt supra vires meas. Tranquilla perturbatum, manum extende mergenti.

7. *Fideli seruo statim cõprimendi sunt motus iræ.*

Iste conturbatus & contristatus orabat tamquam perturbato præ irâ oculo suo. Ira verò, fratres, si fuerit inueterata, iam odium est: ira turbat oculum, odium extinguit; ira festuca est, odium trabs est. Aliquando odisti & corripuisti irascentem: in te est odium, in illo ira quem corripis. Meritò tibi dicitur, Eijce primùm trabem de oculo, & sic videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Nam vt noueritis quantum intersit inter iram & odium, quotidie homines irascuntur filijs suis. Date qui oderint filios suos. Conturbatus iste orabat & contristatus, luctans aduersus omnia conuitia omnium conuitiatorum: non vt aliquem eorum conuitium reddendo vinceret, sed ne aliquem eorum odisset.

Math. 7.

CAPVT IX.

Ex Tractatu in Psalmum nonagesimum nonum super his verbis: Seruite Domino in lætitiâ.

Seruorum Dei se inuicem tolerantium, mutua patientia.

1. *Seruitus Dei libertas est: ideoque Deo Domino non cum necessitate & murmure, sed cum charitate & gaudio seruiendum.*

2. *Fidelis Dei seruus habebit in cælo gaudium plenum: cuius nonnulla prægustatio datur in hac vita:*

3. *Sed mixta tribulationum fece & amaritudine.*

4. *Alter alterius onera portare debet: quia nullus est qui non habeat quod ab alijs tolerari vellet.*

5. *In omni statu sunt aliqui imperfecti, in Clero, plebe, Religiosis:*

6. *Nec propterea status ipse vituperandus; cùm nullus sit status, in quo non sint boni mixti malis.*

OMNIS seruitus amaritudine plena est: omnes conditione seruili obligati, & seruiunt & murmurant. Nolite timere illius Domini seruitutẽ: non erit ibi gemitus, non murmur, non indignatio. Nemo se putet indevenalem; quia dulce est quòd redempti omnes sumus. Magna felicitas est, fratres, esse in istâ domo magnâ seruum, etsi cum compedibus. Noli timere, serue compedite; confitere Domino. Meritis tuis attribue compedes tuas: confitere in compedibus tuis, si vis vt in ornamenta vertantur. Non frustrà nec sine exauditione dictum est, Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum. Seruite Domino in iucunditate. Libera seruitus est apud Dominum, libera seruitus, vbi non necessitas, sed charitas seruit. Vos, inquit, in libertatem vocati estis, fratres, tantùm ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Seruum te charitas faciat, quia liberum te veritas fecit. Si manseritis, inquit, in verbo meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Simul es & seruus, & liber: seruus, quia factus es; liber, quia amaris à Deo, à quo factus es: imò etiam inde liber, quia amas eum à quo factus es. Noli seruire cum murmure: non enim id agunt murmura tua

1. *Deo seruire, est verâ libertate frui; quãdo non necessitas, sed charitas seruos nos facit.*

Psal. 74. Gal. 5. Ioan. 15.

vt non seruias, sed vt malus seruus seruias. Seruus es Domini, libertus es Domini: non te sic quæras manumitti, vt recedas de domo manumissoris tui.

2. *Qui fideliter seruiũt, etiam hic prægustant cæli delicias;* 1. Cor. 15.

Seruite Domino in iucunditate. Plena erit illa & perfecta iucunditas, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitaté. Tunc erit perfecta iucunditas, tunc illa perfecta iubilatio, tunc laus sine defectu, tunc amor sine scandalo, tunc fructus sine timore, tunc vita sine morte. Quid hîc? nullúmne gaudium? Si nullum gaudium, & nulla iubilatio; quomodo ait, Iubilate Deo vniuersa terra? Psal. 99.

3. *Quamuis mixtas multis amaritudinibus.* Cant. 2.

Est planè & hîc gaudium de spe futuræ vitæ: gustatur hîc, vnde ibi satiemur: sed necesse est, vt multa perferant frumenta inter zizania. Sunt grana inter paleam, est lilium inter spinas. Quid enim audit Ecclesia? Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Non dictum est, In medio alienarum, sed, In medio filiarum. O Domine, quomodo consolaris? quomodo confortas? quomodo terres? Quid est quod dicis, Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum? Quas dicis spinas? Ipsas filias respondet. Spinæ sunt, propter vitiosos mores suos; filiæ, propter sacramenta mea. Inter illas necesse est vt gemamus.

4 *Qui alios nõ tolerat, non meretur ipse ab aliis tolerari.*

Sed quò se separaturus est Christianus, vt non gemat inter falsos fratres? quò iturus est? quid facturus? Solitudines petat, sequuntur scandala. Separaturus est se qui benè proficit, vt nullum omnino hominem patiatur? Quid si & ipsum, antequam proficeret, nemo vellet pati? Si ergo, quia proficit, nullum hominem vult pati, eo ipso quo non vult aliquem hominem pati, conuincitur quòd non profecerit. Intendat charitas vestra. Sustinentes inuicem, ait Apostolus, in dilectione, satagentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Sustinentes inuicem. Non habes quod in te alius sustineat? Miror si non est. Ephes. 4.

5. *Sunt enim imperfecti in quouis vitæ statu.* Matth. 24.

Meritò illud, fratres charissimi, magnificum est in Domini Euangelio ex ore Domini. Duo, inquit, in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur. Duæ in molendino: vna assumetur, & vna relinquetur. Duo in lecto: vnus assumetur, & vnus relinquetur. Quid est, duo in agro? Quod dicit Apostolus, Dei agricultura estis. In agro laboramus: duo in agro Clerici sunt: vnus assumetur, & vnus relinquetur. Assumetur bonus, relinquetur malus. In molendino duæ: hoc ad plebes retulit. Quare in molẽdino? Quia deuinctæ in sæculo circuitu rerum temporalium, tamquam molâ detinentur: & inde vna assumetur, & vna relinquetur. Quæ inde assumetur? Faciens opera bona, attendens indigentiam seruorum Dei, indigentiam pauperum; in confessione fidelis, in lætitiâ spei certa, vigilans ad Deum, nulli imprecans mala; diligens, quantum potest, nõ solùm amicos, sed etiam inimicos: præter vxorem suam non sciens aliquam; præter maritum suum non sciens aliquem. Assumetur hæc de molendino: quæ aliter fuerit relinquetur. Alij autem dicunt, Quietem volumus, remouemus nos à turbis, benè erit nobis in solitudine. Si quietem quæris, quasi lectum quæris, vt sine aliquâ sollicitudine requiescas: & inde vnus assumetur, & vnus relinquetur. Nemo vos fallat, fratres, si non vultis falli, & vultis amare fratres: scitote omnem professionem in Ecclesiâ habere fictos.

1. Cor. 3. — *In Clero.* — *In plebe.* — *In solitarijs & Religiosis.*

Non dixi, omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas. Sunt Christiani mali, sed sunt & boni. Quasi plures malos vides, quia palea sunt, & te ad grana peruenire non permittunt. Sunt ibi & grana: accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium. Inuenis Sanctimoniales indisciplinatas, numquid ideò sanctimonium reprehendendum est? Multæ non stant in domibus suis, circumeunt domos alienas, curiosè agentes, loquentes quæ non oportet, superbæ, linguatæ, ebriosæ. Etsi virgines sunt, quid prodest integra caro, mente corruptâ? Melius est humile coniugium, quàm superba virginitas. Si enim nuberent, non haberent nomen vnde extollerentur, & haberent frenum quo regerentur. Sed numquid propter virgines malas, damnaturi sumus etiam sanctas & corpore & spiritu? Aut propter istas laudabiles, etiam illas improbandas laudare cogemur? Vndique vnus assumetur, & vnus relinquetur. Ergo, fratres, seruite Domino in iucunditate. Vos alloquitur, quicumq; in charitate omnia toleratis, & spe gaudetis. Seruite Domino, non in amaritudine murmurationis, sed in iucunditate dilectionis. 1. Cor. 7.

6. *Nec tamen propterea status ipse vituperandus:* *quia sunt etiam in omni statu boni.*

CAPVT X.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum decimum nonum super hæc verbis: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.

Mali bonis in verâ Ecclesiâ permixti sunt.

1. *Verba Dei frustrà legimus, nisi ea ad operis executionem trahimus.*

2. Con-

2. Contra Donatistas, & huius sæculi Nouatores, etiam malos esse in Ecclesiâ militante;

3. Nec propter malos bonis mixtos ab Ecclesiâ discedendum, vt hæretici & schismatici perperàm dicunt ac faciunt.

4. Catholica vox, Teneamus vnitatem; hæretica, Separemur.

1. *Frustrà legit verba Dei, qui ea non implet actione ex sincero corde.*

FRATRES charissimi, non poteritis probare quàm vera cantetis, nisi cœperitis facere quod cantatis. Quantumlibet illud dicam, quomodolibet exponam, qualibuscumque verbis versem; non intrat in cor eius, in quo non est opus eius. Incipite agere, & videte quid loquamur. Tunc ad singula verba lacrymę profluent: tunc Psalmus cantatur, & facit cor quod in Psalmo cantatur. Quàm multi enim sonant voce, & corde muti sunt? Et quàm multi tacent labijs, & clamant affectu? Quia * ad cor hominis, aures Dei. Sicut aures corporales, ad os hominis; sic ad cor hominis, aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus, & dicere, Multùm peregrinata est anima mea. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.

* Discant Ascetæ. *Affectibus cordis orandum, non solis linguæ vocibus. quia Deus magis audit verba cordis quã oris.*

2. *Ecclesia vera etiam malos comprehendit, contra Donatistas & Caluinistas.*

Quid enim aliud dicimus istis hæreticis, nisi, Cognoscite pacem, amate pacem? Iustos vos dicitis. Sed si iusti essetis, inter paleam grana gemeretis. Nam quia sunt grana in Ecclesiâ Catholicâ, & vera grana sunt, ideò tolerant paleam, donec ventiletur area; quia inter paleam clamant, Heu me, quòd incolatus meus longinquus factus est, inhabitaui cum tabernaculis Cedar. Inhabitaui, inquit, cum paleis; sed quomodo de paleâ multus fumus exit, sic de Cedar tenebræ. Inhabitaui cum tabernaculis Cedar, multùm peregrinata est anima mea. Frumentorum vox est inter paleas gementium. Hæc loquimur illis qui oderunt pacem, & dicimus, Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.

3. *Propter malos non est ab Ecclesiâ discedendum.*

Qui sunt qui oderunt pacem? Qui conscindunt vnitatem. Si enim pacem non odissent, in vnitate mansissent. Sed videlicet propterea se separauerunt, vt iusti essent, & non haberent mixtos iniustos. Catholica dicit: Non est dimittenda vnitas, non est præcidenda Ecclesia Dei: iudicabit Deus de malis & bonis posteà. Si nunc mali à bonis separari non possunt, ferendi sunt ad tempus. Mali in areâ nobiscum esse possunt, in horreo non possunt. Et fortè hodie qui mali apparent, cras boni erunt: & qui de bonitate hodie superbiunt, cras mali inuenientur.

4. *Catholici malos ferũt propter vnitatem: hæretici vnitatẽ scindunt prætextu malorum.*

Quisquis ergo humiliter malos ad tempus fert, ipse perueniet ad requiem sempiternam. Hæc vox Catholica est. Illorum autem vox qualis est, non intelligentium neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant? Ne * tangas immundum: & qui tetigerit immundum, inquinabitur. Separemus nos, ne commisceamur malis. Et nos illis, Amate pacem, diligite vnitatem. Nescitis à quàm multis bonis separamini, dum quasi malis calumniamini? Furiunt, fræmiunt, quando ista dicimus: nam quærunt & mortificare nos. Apparuerunt sæpè impetus eorum, apparuerunt insidiæ. Cùm ergo inter insidias illorum viuimus, & ipsi quibus dicimus, Amate pacem, aduersantur nobis, nónne vox ista nostra est, Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus?

1. Tim. 1.

Leuit. 5. & 7. Isa. 52.

Nota quomodo hæretici verbũ Dei torqueant, & malignè inflectant ad stabiliendas prauas suas sententias.

CAPVT XI.

Ex Tractatu septimo in Epistolam primam B. Ioannis Apostoli cap. 4. super his verbis: Debemus & nos inuicem diligere.

Thesaurus charitatis facilè parabilis.

1. Diuitiæ sæculares plerumque sunt desiderantibus clausæ. Charitatis ingens thesaurus ab omni volente haberi & occupari potest.

2. Charitas non sit otiosa, languida, vacua; sed operosa, feruida, zelo Dei plena aduersus delinquentes.

3. Columbina tamen, non coruina; sine felle castigans.

4. Charitas sæpè sit in ore, semper in corde.

ATTENDITE quod dicam, fratres: exhortor vos, quantum dat Dominus, ad magnum thesaurum. Si vobis ostenderetur aliquod vasculum anaglyphum, inauratum, operosè factum, & illiceret oculos vestros, & duceret in se intentionem cordis vestri, & placeret vobis manus artificis, & pondus argenti, & splendor metalli: nónne vnusquisque vestrùm diceret, O si haberem vasculum istud! Et sine causâ hoc diceretis, in potestate enim vestrâ non esset illud habere: aut si quisquam vellet habere, deberet ipsum de domo alienâ furari. Laudatur charitas vobis: habete, possidete. Non opus est vt furtum alicui faciatis, non opus est vt emere cogitetis, gratis constat: tenete eam, amplectimini eam: dulcius illâ nihil est. Si dum memoratur talis est, quando habetur qualis est?

1. *Thesaurus charitatis omnibus patet: Thesaurus auri opulẽtibus est inaccessus.*

Sed si vultis seruare charitatem, fratres, ante omnia ne putetis commendari abiectam & desidiosam: nec quadam mãsuetudine (imò non mansuetudine, sed remissione & negligentiâ) putetis seruari charitatem. Non sic seruatur. Non putes, tunc te amare seruum tuum, quando eum non cædis; aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das disciplinam; aut tunc te amare vicinum

2. *Charitatis thesaurus feruentibus operibus custodiendus.*

cinum tuum, quando eum non corripis: non est ista charitas, sed languor. Ferueat charitas ad corripiendum, ad emẽdandum. Si sunt boni mores, delectent: si sunt mali, emendentur, corrigantur. Noli in homine amare errorem, sed hominem: hominem enim Deus fecit, errorem ipse homo fecit. Cùm illud amas, istud tollis: cùm illud diligis, istud emendas.

Luc. 3. Ioan. 1. Marc. 6. De columbâ, quæ venit super Dominum, demonstrata est charitas. Species illa columbæ, in quâ venit Spiritus sanctus, per quem nobis charitas infunderetur, ipsam charitatem expressit. Quare hoc? Fel columba non habet, tamen rostro & pennis pro nido pugnat, sine amaritudine sæuit. Hoc facit & pater, quando filium castigat: nam ad disciplinam castigat. Seductor, vt vendat, cum amaritudine blanditur: pater, vt corrigat, sine felle castigat. Tales estote ad omnes. Sæuire videtur pater: amor sæuit, charitas sæuit. Quomodo sæuit? Sine felle sæuit, more columbino sæuit, non more coruino.

3. Charitas sit sine felle & amaritudine, si quãdo mali castigandi sunt.

4. Dilectio, dulce verbum, sed dulcius factum. Semper de illâ loqui non possumus: multa enim agimus, & diuersæ actiones distendunt nos, vt non vacet linguæ nostræ semper de dilectione loqui: nam nihil melius ageret lingua nostra. Sed de quâ semper loqui non licet, semper eam custodire licet.

In ore plerumque, in corde semper versetur charitas.

CAPVT XII.

Ex Tractatu in Psalmum trigesimum primum super his verbis: Gloriamini omnes recti corde.

Conformitas cordis & voluntatis nostræ cum beneplacito Dei in aduersis.

1. *Cor rectum est, quod in tribulationibus voluntati Dei se conformat; cor distortum, quod Deo recta volenti non acquiescit.*

2. *Recti corde etiam gloriantur in tribulationibus, scientes eas sibi esse fructuosas.*

3. *Ideò omnia ad Deum referunt, & à Dei manu tribulationem, tamquam amantissimi patris flagellum, suscipiunt: non ad hominem, aut diabolum indignationem conuertunt.*

4. *Nullus enim filius sine flagello, ne quidem ipse Vnigenitus: qui ad solatium nostrum etiam in flagellis tristari voluit.*

5. *Non enim prohibet Deus tristitiam in flagellis: sed ne, præ tristitiâ, ipsius beneplacito non conformemur.*

1. INTER rectum cor & prauum cor hoc interest. Quisquis homo præter voluntatem aliquid patitur afflictionis, mœroris, laboris, humiliationis, & non tribuit nisi voluntati Dei iustæ, non illi dans insipientiam quòd quasi nesciat quid agat, quia se talem flagellat, & illis talibus parcit; ipse est rectus corde. Peruersi autem corde sunt, & praui & distorti, qui omnia quæ patiuntur mala, iniquè se pati dicunt. Rectus est Deus, & ideò distortum cor illi non acquiescit. Quomodo distortum lignum, etsi disponas in pauimento æquali, non collocatur, non compaginatur, nec adiungitur, sed semper agitatur & nutat, non quia inæquale est vbi posuisti, sed quia distortum est quod posuisti. Ita & cor tuum, quamdiu prauum est & distortum, non potest collineari rectitudini Dei, & non potest in illo collocari, vt hæreat illi, & fiat rectum. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Ideò recti corde gloriamini, dixit. 1. Cor. 6.

Conformitas cũ Dei voluntate in omnibus facit cor rectum: cor prauum est, quod flagella Dei iniquo fert animo.

Quomodo recti corde gloriantur? Audite gloriationem ipsorum. Non solùm enim, (dixit Apostolus) sed & gloriamur in tribulationibus. Nam non est magnum gloriari in gaudijs, gloriari in lætitijs: rectus corde etiam in tribulatione gloriatur. Et audi, quomodo non frustrà nec superuacuè gloriatur in tribulatione. Vide rectum cor? Scientes, inquit, quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sic est ergo rectum cor, fratres.

2. Rectum cor gloriatur in aduersis propter Deum. Rom. 5.

Cuicumque aliquid accidit, dicat: Dominus dedit, Dominus abstulit (ecce rectum cor) sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Et non dixit: Dominus dedit, diabolus abstulit. Intendat ergo charitas vestra, ne fortè dicatis: Hæc mihi diabolus fecit. Prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum: quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille, qui desuper habet potestatem, permittat, aut ad pœnam, aut ad disciplinam: ad pœnam impijs, ad disciplinam filijs. Flagellat autem omnem filium quem recipit. Non te sine flagello speres futurum, nisi fortè cogites exheredari. Heb. 12.

Iob. 1. *3. Et inde Deum laudat, non in homines aut dæmonem reijcit causas tribulationũ.*

Flagellat omnem filium quem recipit. Itáne omnem? Vbi te volebas abscondere? Omnem. Et nullus exceptus, nullus sine flagello erit. Quid est, omnem? Vis audire quem omnem? Etiam Vnicus sine peccato, non tamen sine flagello. Vnde ipse Vnicus portans infirmitatem tuam, & præfigurans in se personam tuam, & totius corporis sui, cùm appropinquaret passioni, ex homine quem gerebat, contristatus est, vt te lætificaret: contristatus est vt te consolaretur. Potuit enim vtique sine tristitiâ esse Dominus iturus ad passionem. Si potuit miles, non potuit Imperator? Quomodo potuit miles? Attende Paulum exul-

4. Sunt enim afflictiones, filiorũ flagellationes. Nec Christus ipse sine illis.

exultantem, propinquantem passioni. Ego autem, iam, inquit, immolor, & tempus resolutionis meæ instat: bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de cetero superest mihi corona iustitiæ, quam mihi Dominus reddet in illâ die iustus iudex. Non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Videte quemadmodum exultat venturus ad passionem. Ergo gaudet coronandus, contristatur coronaturus. Quid igitur portabat? Infirmitatem quorumdam, qui veniente tribulatione vel morte contristantur. Sed vide, quomodo eos ducit in directionem cordis. Ecce tu volebas viuere, non volebas tibi aliquid accidere, sed Deus aliud voluit.

2.Tim.4.

5. *Non est malum tristari in aduersis, modo voluntati Dei nos resignemus.* Matth. 26. Luc. 21. Marc. 14.

Duæ voluntates sunt, sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Praua est enim tua, regula est illa. Stet regula; & quod prauum est, ad regulam corrigatur. Videte quomodo hoc docet Dominus Iesus Christus. Tristis est, inquit, anima mea vsque ad mortem. Et: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Ecce ostendit humanam voluntatem. Sed vide rectum cor: Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater. Hoc ergo fac, gaudens in his quæ tibi accidunt: & si euenerit dies ille vltimus, gaude. Aut si surripit humanæ cuiusdam volútatis fragilitas, citò dirigatur in Deum: vt sis in eis quibus dicitur: Gloriamini omnes recti corde.

Psal. 31.

CAPVT XIII.

Ex Tractatu in Psalmum trigesimum secundum super his verbis: Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio.

Iterùm de conformitate recti cordis cum voluntate Dei.

1. *Rectitudo cordis, est conformitas ipsius in omnibus, etiam aduersis, cum beneplacito Dei.*
2. *Non prohibemur nobis aliquod commodum velle, sed iubemur illud, exemplo Christi, subijcere diuinæ voluntati.*
3. *Curuus animus est, qui in prosperis delectatur Dei voluntate, in aduersis blasphemat.*
4. *Contra hæreticos de solâ fide gloriantes, ostendit inhærere nobis veram iustitiam.*

1. *Voluntas Dei in omnibus nostra voluntati præferenda.*

QVI sunt recti? Qui dirigunt cor secundùm voluntatem Dei: & si eos perturbat humana fragilitas, diuina consolatur æquitas. Quamuis autem corde mortali priuatim aliquid velint, quod suæ interim causæ vel negotio, vel præsenti necessitati conueniat, vbi intellexerint & cognouerint aliud Deum velle, præponunt voluntatem melioris voluntati suę, & voluntatem Omnipotentis voluntati infirmi, & voluntatem Dei voluntati hominis. Quantum enim Deus distat ab homine, tantum voluntas Dei à voluntate hominis.

2. *Potest quis proprium velle habere:*

Vnde gerens hominem Christus, & regulam nobis proponens, docens nos viuere, & præstans nobis viuere, ostendit hominis quamdam priuatam voluntatem, in quâ suam figurauit, & nostram: quia caput nostrum est, & ad eum, sicut nostis, tamquam membra vtique pertinemus. Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste. Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid, & tamquam priuatum volens. Sed quia recto corde voluit esse hominem, vt quidquid in illo aliquantum curuum esset, ad illum dirigeret qui semper est rectus; Verùm, non quod ego volo, ait, sed quod tu, Pater. Sed quid possit mali velle Christus? Quid postremò aliud posset velle, quàm Pater? Quorum vna est diuinitas, non potest dispar esse voluntas. Sed ex personâ hominis, transfigurans in se suos quos in se transfigurauit, cùm ait: Esuriui, & dedistis mihi manducare: quos in se transfigurauit. cùm furenti & Sanctos persequenti Saulo clamauit desuper ipse, quem nemo tangebat: Saule, Saule, quid me persequeris? ostendit quamdam hominis propriam voluntatem: ostendit, & correxit te. Ecce, vide, inquit, te in me, quia potes aliquid proprium velle, vt aliud Deus velit. Conceditur hoc humanæ fragilitati, conceditur humanæ infirmitati. Aliquid proprium velle, difficile est vt non tibi contingat: sed statim cogita quis sit supra te: illum supra te, te infra illum; illum Creatorem, te creaturam; illum Dominum, te seruum; illum Omnipotentem, te infirmum cogita, corrigens te, subiungensque voluntati eius, ac dicens: Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater. Quomodo disiunctus es à Deo, qui iam hoc vis quod Deus? Eris ergo rectus, & te decebit laudatio, quoniam rectos decet laudatio.

Matth. 26.

modò, Christi exemplo, illud Dei voluntati subdat.

Matth. 25.

Act. 9.

Praxis, quomodo corrigenda & dirigenda voluntas hominis ad voluntatem Dei.

3. *Qui in solis prosperis amat Dei voluntatē, curuus est corde:*

Si autem curuus fueris, laudas Deum quando tibi benè est, blasphemas quando tibi malè est. Quod quidem malè, si iustum, non est malè. Iustum autem est, quoniam ab illo fit qui iniustè facere nihil potest. Et eris insulsus puer in domo patris, amans patrem si tibi blanditur, & odio habens quando te flagellat: quasi non & blandiens & flagellans hereditatem paret.

nam etiā in molestiis debet nobis amabilis esse Dei voluntas.

Vide autem quemadmodum deceat rectos laudatio. Audi vocem recti laudantis ex alio Psalmo: Benedicam, inquit, Dominum

Psal. 33.

num in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Quod est, in omni tempore; hoc est, semper. Et quod est, benedicam; hoc est, laus eius in ore meo. Omni tempore, & semper; siue in prosperis, siue in aduersis. Nam si in prosperis, & nō in aduersis, quomodo omni tempore? quomodo semper? Et audiuimus multas multorum tales voces: quando illis prouenit aliqua felicitas, exultant, gaudent, cantant Deo, laudant Deum; non sunt improbandi, imò congaudendum est illis, quia multi. Sed isti, qui iam Deum laudare ex prosperitatis parte cœperunt, docendi sunt Patrem agnoscere flagellantem, nec murmurare aduersus corrigentis manū, ne semper praui remanentes exheredari mereātur: vt facti iam recti (quid est, recti, nisi vt nihil illis displiceat, quod fecerit Deus?) possint & in aduersis Deum laudare, & dicere: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. Tales rectos decet laudatio, non primò laudaturos, & posteà vituperaturos. Ergo iusti recti exultate in Domino, quia vos decet laudatio.

Iob. 1.

4. *Probat inhærentem iustitiam.* Gen. 1. Iac. 3. Ioan. 1.

Nemo dicat, Quis ergo iustus? aut quando ero iustus? Nolite vos abijcere, & desperare de vobis. Homines estis, ad imaginem Dei facti estis. Qui vos homines fecit, pro vobis & homo factus est. Vt multi filij ad hereditatem sempiternam adoptaremini, Sanguis Vnici pro vobis effusus est. Si vobis ex terrenâ fragilitate viluistis, ex pretio vestro vos appendite: quid manducetis, quid bibatis, quo subscribamini, tamen dignè cogitate. Numquid hoc vos monemus, vt superbi sitis, & vobis aliquam perfectionem audeatis arrogare? Sed non iterùm ab omni iustitiâ vos putare debetis exules fieri. Nolo enim vos interrogare de iustitiâ vestrâ: fortassis enim nemo vestrûm mihi audeat respondere, Iustus sum: sed interrogo vos de fide vestrâ. Sicut nemo vestrûm audet dicere, Iustus sum: sic nemo audeat dicere, Fidelis sum. Nondum quæro quid viuas, sed quæro quid credas. Responsurus es, credere te in Christum. Non audisti Apostolum, Iustus ex fide viuit? Fides tua, iustitia tua: quia vtique si credis, caues: si autem caues, conaris; & conatum tuum nouit Deus, & voluntatem tuam inspicit, & luctam cum carne considerat, & hortatur vt pugnes, & adiuuat vt vincas, & certantem inspectat, & deficientem subleuat, & vincentem coronat. Ergo exultate iusti in Domino. Hoc dixerim, Exultate fideles in Domino, quia iustus ex fide viuit. Rectos decet laudatio. Discite gratias agere Deo & in prosperitatibus, & in tribulationibus.

De Eucharistiâ & Baptismo intellige, per quæ valde extollitur dignitas hominis Christiani.

Hic obserua ex verbis S. P. Augustini, hanc iustitiam non esse solam, nudam, mortuam fidem; sed eam quæ cum adiutorio gratiæ Dei bona agit, mala vitat. Rom. 1. Habac. 2. Hebr. 10.

CAPVT XIV.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum quadragesimum sextum super his verbis: Ædificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit: qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

Cordis dispersio, contritio, & alligatio.

1. Beatitudo cælestis Ierusalem in clarâ visione Dei consistit.

2. Ab illâ nos per peccatum dispersos, reuocauit Deus pretio Sanguinis Filij sui.

3. Colligit autem ille dispersos, sanans eos per contritionem cordis.

4. Contritio cordis est, cùm quis se humiliat, punit, mortificat pro peccatis suis: sanitatem operatur eiusmodi contritio.

5. Confessio infelicitatis, agnitio miseriæ, dolor de peccatis, ipsa est cordis contritio, cui sanitas debetur, imperfecta in viâ, perfecta in patriâ.

6. Est autem sanitas in hac vitâ, quasi membrorum fractorum alligatura, prauicordiorum directio.

7. Alligaturæ autem vulnerum sunt Ecclesiæ Sacramenta, quorum non erit vsus extra militantem Ecclesiam in triumphante.

Ecce ædificans Ierusalem Dominus, colliget dispersiones populi ipsius. Populus enim Ierusalem, populus est Israël. Est Ierusalem æterna in cælis, vbi ciues etiam Angeli sunt. Quid ergo ibi Israël? Si hominem illum nepotem Abrahæ consideres, qui dictus est Iacob, quomodo Angelos intelligimus Israël? Si interpretationem nouimus, discutiamus (quia & ipse Iacob mutato nomine vocatus est Israël) magis ibi nomen Israël: & vtinam & nos sequentes simus Israël! Quid enim interpretatur Israël? Videns Deum. Omnes ergo ciues illius ciuitatis, videndo Deum, gaudent in illâ magnâ ciuitate, & amplâ, & cælesti: spectaculum eis Deus ipse est.

1. *Clara Dei visio, est beatitudo nostra inter omnes ciues cælestis Ierusalem.*

Gen. 32.

Sed nos ab illâ ciuitate peregrinamur, peccato expulsi ne ibi remaneremus; & mortalitate prægrauati, ne illò rediremus. Respexit Deus peregrinationem nostram, & ille qui ædificat Ierusalem, restituit lapsam partem. Vnde restituit lapsam partem? Dispersiones Israël ipse est colligens. Cecidit enim in Adam pars quædam, & facta est peregrina. Hanc peregrinationem misericorditer vidit Deus, & quæsiuit non quærentes se. Vnde quæsiuit? Quem misit ad captiuitatem nostram? Misit Redemptorem, secundùm quod ait Apostolus, Commendat Deus, inquit, dilectionem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Misit ergo ad captiuitatem nostram Redemptorem,

2. *Ab eâ nos dispersit peccatum, reuocat Sanguis Christi.*

Rom. 5.

demptorem Filium suum. Porta, inquit, tecum saccum, ferto ibi pretium captiuorum. Induit enim se ille mortalitatem carnis, & ibi erat sanguis, quo fuso redimeremur. Illo sanguine collegit dispersiones Israel.

3. *Dispersi colliguntur, quando corde conteruntur.* Et si ille collegit olim dispersos, quomodo satagendum est vt colligantur modò dispersi? Si collecti sunt dispersi, vt in manu artificis ad ædificium formarentur: quomodo colligendi sunt qui de manu artificis inquietudine ceciderunt? Ædificans Ierusalem Dominus. Ecce quem laudamus, ecce cui laudem totâ vitâ nostrâ debemus. Ædificans Ierusalem Dominus, & dispersiones Israël colligens. Quomodo colligit? Quid agit vt colligat? Qui sanat contritos corde. Ecce quomodo colliguntur dispersiones Israel, vt sanentur contriti corde. Qui cor non conterunt, non sanantur. Quid est enim conterere cor? Notum sit vobis, charissimi, fiat vt sanari possitis. Dictum est enim multis alijs Scripturarum locis, & maximè aliquo loco voce nostrâ quidam cantans dicebat: Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique. Deo dicebat: Si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis autem non delectaberis. Quid ergo? Sine sacrificij oblatione remanebimus? Audi quid te velit offerre. Sequitur, & dicit: Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Sanat ergo contritos corde, quia illis propinquat vt sanet, sicut dicitur in alio loco: Propè est Dominus his qui obtriuerunt cor. *Psal. 50.* *Psal. 33.*

4. *Cor conterere, est humiliare se, punire se, mortificare se propter peccata sua.* Qui obtriuerunt cor? Humiles. Qui non obtriuerunt cor? Superbi. Contritum sanabitur, elidetur elatum. Ad hoc enim fortè eliditur, vt contritum sanetur. Ne velit ergo, fratres, cor nostrum esse erectum, antequam sit rectum. Malè erigitur, quod non primò corrigitur. Qui sanat cōtritos corde, & alligat contritiones eorum. Sanat, inquit, contritos corde: sanat ergo humiliatos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes, in sese verum iudicium exercentes, vt possint esse illius misericordiam sentientes.

5. *Sanitas via imperfecta, in patriâ erit perfecta. 1. Cor. 15.* Tales sanat; sed perfecta eorum sanitas transactâ mortalitate fiet, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatē: quando nihil erit quod ex carnis labe sollicitet, non solum nihil cui consentiamus, sed nihil quod suggeratur ex carne. Etenim modò, fratres mei, quantæ illicitæ delectationes animum tangunt: quamuis eis non consentiamus, vt membra nostra iustitiæ seruiant, non iniquitati: tamen vel delectari talibus, etsi non consentis, nondum est perfecta sanitas. Sanaberis ergo corde, sanaberis contrito. Noli erubescere, contere cor: tales sanat Deus. Sed quid ago, inquies modò? Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati. Quid agis? Contere cor, confitere, age, dic sequentia: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hoc enim dicere, Infelix ego homo, iam cor conterere est. Ille speret felicitatem, qui confitetur infelicitatem. Dic ergo: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius; vt respondeatur tibi, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quomdo autem liberabit ipsa gratia Dei? Vnde nunc pignus accepimus? Audi eumdem Apostolum: Corpus quidem, inquit, mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter iustitiam. Si ergo spiritus eius, qui suscitauit Iesum Christum ex mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum eius in vobis. Hoc ergo pignus accepit spiritus noster, vt incipiamus fide seruire Deo, & ex fide appellari iusti. Quoniam iustus ex fide viuit. Quidquid autem nobis adhuc repugnat & resistit, de mortalitate carnis est, & hoc sanabitur. Viuificabit enim, inquit, & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum eius in vobis. Ad hoc pignus dedit, vt compleat quod promisit. *Rom. 7.* *Rom. 8.* *Habac. 2.* *Hebr. 10.* *Rom. 1.*

6. *Sanitas via, est quasi fracti aut luxati alligatura; ob quam nemo nisi prauicordius malè de Deo sentit aut loquitur.* Quid ergo nunc in hac vitâ, quando adhuc confessores sumus, nondum possessores? Quid in hac vitâ? Quid fiet? quomodo durabitur? Sanat contritos corde. Sed perfecta sanitas tunc erit quando diximus. Nunc ergo quid? Alligat contritiones eorum. Qui curat, inquit, contritos corde, quorum perfecta sanitas in resurrectione iustorum erit; alligat modò contritiones eorum. Quæ sunt alligamenta contritionum? Sicut Medici alligant fracturas. Aliquando enim (intelligat & ex hoc charitas vestra; nam notum est eis, qui animaduerterunt, vel à Medicis audierunt) aliquando prauè & distortè firmata vt corrigant Medici, frangunt, & faciunt vulnus nouum, quia mala erat sanitas praua. Sic ergo rectæ sunt (inquit Scriptura) viæ Domini, sed prauicordius in illis scandalizabitur. Quid est prauicordius? Torticordius, tortum cor habens. Putat torta esse omnia quæ dicuntur à Deo, putat praua esse omnia quæ facit Deus, *Eccli. 3. Torticordius, cui displicet, quod Deus de illo statuit, & qui putat praua esse quæ facit Deus.*

Deus, & displicent illi omnia iudicia Dei, maximeque in quibus ipse corripitur: & sedet, & disputat, quàm malè faciat Deus, quia non pro eius voluntate facit. Distortum cor, prauum cor est, quod non se corrigit ad Deum, & Deum vult distorquere ad se. Quid ergo ei dicit Deus desuper? Tortus es, æquus sum. Si tu rectus esses, sentires & sitires æquitatem meam. Quemadmodum si in pauimentum æquale poneres distortum lignum, non collocaretur, vndique nutaret, vndique agitaretur: quod non loci inæqualitas, sed distortio ligni facit, sicut ait Scriptura: Quàm bonus Israël Deus rectis corde? (Psalm. 71.) Quid ergo, si tortum est cor? quomodo dirigitur? Et tortum est, & durum. Iam ergo tortum & durum frangatur, conteratur vt dirigatur. Tu dirigere cor tuum non potes: tu frange, ille dirigat. Quomodo tu frangis? quomodo tu conteris? Confitendo, puniendo peccata tua. Quid aliud significat pectorum tunsio? nisi fortè putamus ossa nostra aliquid peccasse, cùm cædimus & tundimus pectus. Sed significamus nos cor conterere, vt à Domino dirigatur. Sanat ergo contritos corde, & contritum cor habentes: & sanitas ipsius cordis tunc erit perfecta, cùm & corporis reparatio implebitur, quæ promissa est.

Tunsio pectorum in confessione peccatorum, teste Augustino, vsurpanda à pœnitentibus, signum est contriti cordis.

7. Nunc intereà quid facit Medicus? Alligat contritiones tuas, vt tu possis peruenire ad plenissimam firmitatem, donec consolidetur quod fractum est, quod alligatum est. Quæ sunt ista alligamenta? Temporalia Sacramenta. Alligamenta medicinalia contritionis nostræ, Sacramenta interim sunt temporalia, quibus habemus consolationem: & ista omnia quæ loquimur vobis, ipsa quæ sonant & transeunt, quidquid in Ecclesiâ geritur temporaliter, alligamenta sunt contritionum. Quemadmodum enim Medicus perfectâ sanitate detrahit ligaturam, sic fiet in illâ ciuitate Ierusalem, cùm æquales Angelis facti fuerimus. Nam quid putatis? ibi nos accepturos esse quod hîc accipimus? aut ibi recitandum est nobis Euangelium, vt fides nostra permaneat? aut imponenda est manus ab aliquo Præposito? Ista omnia alligamenta fracturæ sunt, quæ perfectâ sanitate detrahentur: sed ad eam non perueniretur, nisi alligarentur. Sanat ergo contritos corde, & alligat contritiones eorum.

Sacramenta Ecclesiæ, vulnerum nostrorum alligamenta: quorum vsus cessabit in calesti Ierusalem.

CAPVT XV.

Ex Tractatu in Psalmum octogesimum quintum super his verbis: Lætifica animam serui tui, quoniam ad te animam meam leuaui: quoniam tu Domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

Dei dulcedo, placabilitas & liberalitas erga inuocantes se.

1. Letitia nostra debet eleuari à terrâ in cælum.

2 Terrena siquidem omnia replentur amaritudine & nauseâ, Deus solus palato animæ & faucibus eius dulcis est.

3. Quantam instabilitatem cordis & inciuilitatem sustineat in nobis suauis & mitis Deus.

4. Si quos non exaudit orantes, ideò est, quia inuocant ipsum non vt Deum bonorum largitorem, sed vt adiutorem cupiditatum suarum.

5. Qui Deum tamquam Deum inuocant, id est, tamquam bonum & solorum bonorum largitorem, exaudientur.

6. Ratio discriminis inuestigatur, quamobrem diabolus Deum orat, & exauditur. Apostolus Paulus etiam orat, & non exauditur. Datur similitudo ex Medico & ægroto.

7. Deus bonus tanta bona præstat malis, quanta bona seruat bonis? Seruat seipsum.

8. Oculos nostros, quibus Deum hic videamus, illuminat Deus. Longè aliter sanat Deus, quàm homo medicus.

IVCVNDA animam serui tui. Iucunda eam, quia ad te leuaui eam. In terrâ erat, & in terra amaritudinem sentiebat: ne in amaritudine contabesceret, ne omnem tuæ gratiæ suauitatem amitteret, leuaui eam ad te, iucunda eam apud te. Solus enim tu es iucunditas: amaritudine plenus est mundus. Certè rectè admonet membra sua, vt sursum corda habeant. Audiant ergo, & faciant: leuent ad cælum, quod malè est in terrâ. Ibi enim non putrescit cor, si leuetur ad Deum. Frumentum si haberes in inferioribus, ne putresceret, leuares ad superiora: frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terrâ putrescere? Frumentum leuares in superiora, cor leua in cælum. Et vnde, inquis, possum? qui funes, quæ machinæ, quæ scalæ opus sunt? Gradus, affectus sunt: iter tuum, voluntas tua est. Amando ascendis, negligendo descendis. Stans in terrâ, in cælo es, si diligas Deum. Non enim sic leuatur cor, quomodo leuatur corpus. Corpus vt leuetur, locũ mutat; cor vt eleuetur, voluntatem mutat. Quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

1. Cordis lætitia debet à terrenis ad cælestia seu ab imis ad summa eleuari;

Cor hominis ad cælum leuatur non sicut leuatur corpus. *non mutatione loci, sed affectus & voluntatis.*

Quia tu Domine suauis es, ac mitis. Ideò iucunda. Tamquam tædio affectus ex amaritudine terrenorum indulcari voluit, & quæsiuit fontem dulcedinis, & in terrâ non inuenit. Quacumq; enim se vertebat, scandala, tribulationes, timores, tentationes inueniebat. In quo homine securitas? de quo certum gaudium? Nec de seipso vtique, quantò minùs de alio? Aut mali sunt, & necesse

2. Solus Deus dulcis; terrena omnia replentur amaritudine & tædio.

cesse est eos pati, sed sperare quia mutari possunt: aut boni sunt, & sic eos oportet diligere, vt timeamus (quia possunt mutari) ne mali sint. Ibi malitia eorum facit amaritudinem animæ, hîc sollicitudo & timor, ne labatur qui benè ambulat. Quocumque ergo cor se conuerterit, in terrenis rebus amaritudinem inuenit: vnde dulcescat non habet, nisi leuet se ad Deum.

3.
Facilis & mansueta placabilitas Dei in cordis humani instabilitate tolerandâ.

Quoniam tu Domine suauis & mitis. Quid est, mitis? Portas me, donec perficias me. Verè enim, fratres mei, dicam tamquam homo hominibus & ex hominibus. Adferat quisque cor suum, & intueatur se sine adulatione & sine palpatione. Nihil est enim stultius, quàm si seipsum quisquam palpet atq; seducat. Attendat ergo & videat quanta aguntur in corde humano, & quemadmodum ipsæ plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita vt vix stet cor ad Deum suum. Vult se tenere vt stet, & quodammodò fugit à se: nec inuenit cancellos quibus se includat; aut obices, quibus retineat auolationes suas, & vagos quosdam motus, & stet iucundari a Deo suo. Vix est vt occurrat stabilis oratio inter multas orationes. Diceret vnusquisque, sibi contingere, & alteri non contingere, nisi inueniremus in Scripturis Dei Dauid orantem quodam in loco, & dicentem: Quoniam inueni Domine cor meum vt orarem ad te. Inuenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitiuum, & non posse comprehendere, & clamare ad Dominum: Quoniam cor meum dereliquit me. Itaque, fratres mei, attendens quod hîc ait, Suauis es tu, & mitis; videor mihi videre, ad hoc dixisse mitem Deum, quia patitur ista nostra, & expectat tamen à nobis orationem, vt perficiat nos: & quando illi eam dederimus, accipit grate & exaudit, nec meminit tantas quas inconditè fundimus, & accipit vnam quam vix inuenimus. Quis enim est, fratres mei, homo, cum quo si amicus eius cœperit colloqui, & noluerit ille respondere collocutioni eius, & iste viderit eum auerti à se, & aliud loqui ad alium, quis est qui hoc ferat? Aut si fortè interpelles iudicem, & constituas eum loco vt te audiat, & subitò, cum ad eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Et tamen tolerat Deus tot corda precantium, & diuersas interim res cogitantium, omitto dicere & noxias, omitto dicere aliquando peruersas & inimicas Deo: nam ipsas superfluas cogitare, iniuria est eius cum quo loqui cœperas. Oratio tua, locutio est ad Deum. Quādo legis, Deus tibi loquitur: quando oras, cum Deo loqueris. Sed quid? Desperandum est de genere humano, & dicendum iam ad damnationem pertinere omnem hominem, cui subrepserit aliqua cogitatio oranti, & interruperit orationem ipsius? Si hoc dixerimus, fratres, quæ spes remaneat non video. Porrò quia est aliqua spes ad Deum, quia magna est eius misericordia, dicamus ei: Iucunda animam serui tui, quoniam ad te Domine animā meam leuaui. Et quomodo eam leuaui? Quomodo potui, quomodo tu vires dedisti, quomodo eam fugientem apprehendere valui. Quotiescumq; ante me stetisti, (puta Deum dicere,) tanta vana & superflua cogitasti, & vix mihi fixam & stabilem orationem fudisti. Quid tu ad ista aliud respondeas, nisi, Quia tu suauis es, Domine, ac mitis? Mitis es, tolerans me. Ex ægritudine defluo; cura, & stabo; confirma, & firmus ero. Donec autem facias, toleras me: quia tu suauis es Domine, & mitis, & multùm misericors. Non enim solùm misericors, sed & multùm misericors. Abundat enim iniquitas nostra, abundat & tua misericordia. Et multùm misericors es omnibus inuocantibus te.

Speculum instabilis cordis, vagè in diuersa semper auolantis,

1. Reg. 7. etiam in Sanctorum orationibus coram Deo,

Psal 39.

quantum non pateretur à nobis homo nobis æqualis.

Patitur tamen Deus, modò imperfectè saltem conemur ad ipsum cor leuare.

Notent hic pusillanimes, ob euagationē inter orandum, quàm paruula diligētia nostra sufficiat Deo in eleuatione cordis.

4.
Non exaudiuntur, qui inuocāt Deum vt adiutorem cupiditatum.

Et quid est quod dicit multis locis Scriptura: Quia inuocabunt, & non exaudiam eos (certe enim misericors est omnibus inuocantibus se) nisi quia quidam inuocantes, non ipsum inuocant; de quibus dicitur: Deum non inuocauerunt? Inuocant; sed non Deum. Inuocas quidquid amas, inuocas quidquid in te vocas; inuocas quidquid vis vt veniat ad te. Porrò si Deum propterea inuocas, vt veniat ad te pecunia, vt veniat ad te hereditas, vt veniat ad te sæcularis dignitas; illa inuocas quæ vis vt veniant ad te: sed Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum. Deus bonus est, si det quod vis? Quid, si malè vis? nónne erit tibi magis non dando misericors? Porrò si non dederit, iam nihil tibi Deus est: & dicis, Quantum rogaui, quàm sæpè rogaui, & non sum exauditus? Quid enim petebas? Fortè mortem inimici tui. Quid si & ille petat tuam? Qui te creauit, ipse creauit & illum: homo es, homo est & ille: Deus autem iudex est, audit ambos, sed non exaudit ambos. Tristis es, quia non es exauditus contra illum: gaude quia non est ille exauditus contra te. Ego, inquis, non hoc petebam, non inimici mei petebam mortem; sed vitam petebam filij mei: quid mali petebam? Nihil malè petebas, sicut tu sentiebas: quid si ille raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius? Sed peccator, inquis, erat, & ideò volebam eum viuere vt corrigeretur. Tu volebas eum viuere vt me-

Prou. 1.
Psal. 13.
Inuocare, est ad se vocare.

Sap. 4.

lior eſſet: quid ſi Deus nouerat, ſi viueret, peiorem futurum? Vnde ergo noſti quid illi prodeſſet, mori an viuere? Si ergo non noſti, redi ad cor tuum, dimitte Deo conſilium ſuum.

5. *Inuoca Deũ tamquã Deum, & obtinebis omne bonum à ſummo bono.* Pſal. 26.

Quid ergo, inquis, faciam? quid orem? Quid ores? Quod te docuit Dominus, quod te docuit cæleſtis Magiſter. Inuoca Deum tamquam Deum, ama Deum tamquam Deum. Illo melius nihil eſt: ipſum deſidera, ipſum concupiſce. Vide inuocãtem Deum in alio Pſalmo: Vnam petij à Domino, hanc requiram. Quid eſt quod petit? Vt inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Vt quid hoc? Vt contempler delectationem Domini. Si ergo amator Dei eſſe vis, ſinceriſſimis medullis, caſtiſque ſuſpirijs ipſum dilige, ipſum ama, illi flagra, illi inhia, quo iucundius nihil inuenis, quo melius, quo lætius, quo diuturnius nihil. Quid enim tam diuturnum, quàm id quod eſt ſempiternum? Non times ne aliquando à te pereat, qui facit ne tu pereas. Si ergo tu inuocas Deum tamquam Deum, ſecurus eſto, exaudiris: pertines ad iſtum verſum, Et multùm miſericors omnibus inuocantibus te. Noli ergo dicere, Illud mihi non dedit. Redi ad cor tuum, & conſcientiam tuam libra: interroga, parcere illi noli. Si verò Deum inuocaſti, certus eſto, quia id fortè quod volebas temporaliter, ideò non dedit, quia non tibi proderat.

6. *Exauditur diabolus, & non exauditur Apoſtolus: quia Deus Medicus nõ exaudit ad volũtatem, vt exaudiat ad ſanitatem.* Act. 9. Matth. 8. Iob. 1. 2. Cor. 12.

Ædificetur in hoc cor veſtrum, fratres, cor Chriſtianum, cor fidele: ne incipiatis (triſtes facti & veluti fraudati deſiderijs veſtris) ire in indignationem contra Deum: & non expediat aduerſus ſtimulum calcitrare. Recurrite ad Scripturas. Exauditur diabolus, & non exauditur Apoſtolus. Quid vobis videtur? Quomodo audiuntur dæmones? Petierunt ſe ire in porcos, & conceſſum eſt eis. Quomodo exauditus eſt diabolus? Petijt Iob tentandum, & accepit. Quomodo non eſt exauditus Apoſtolus? In magnitudine, inquit, reuelationum ne extollar, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogaui, vt auferret eum à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Exaudiuit eum, quem diſponebat damnare: & non exaudiuit eum, quem volebat ſanare. Nam æger petit multa à Medico: non dat Medicus, non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſanitatem. Ergo Medicum tuum pone Deum: pete ab illo ſalutem, & ſalus tua ipſe erit: non quaſi ſalutem extrinſecus, ſed vt ſalus ipſe ſit. Ne rurſus ames aliam ſalutem præter ipſum, ſed quomodo habes in Pſalmo, Dic animæ meæ, ſalus tua Pſal. 34.
ego ſum. Quid ad te quid tibi det, modò ſe tibi det? Vis vt det ſe tibi? Quid ſi quod vis habere, non vult ipſe vt habeas, vt ſe tibi det? Impedimenta remouet, vt intret ad te.

7. *Qui talia tribuit hoſtibus & peccatoribus, quanta reſeruat amicis & ſeruis ſuis.*

Bona cogitate & conſiderate, fratres, quæ dat Deus peccatoribus, & hinc intelligite quid ſeruet ſeruis ſuis. Peccatoribus blaſphemantibus eum quotidie dat cælum & terram, dat fontes, fructus, ſalutem, filios, copias, vbertatem. Hæc omnia bona non dat niſi Deus. Qui talia peccatoribus dat, quid eum putas ſeruare fidelibus ſuis? Hócne de illo ſentiendum eſt, quia qui talia malis dat, nihil ſeruat bonis? Imò verò ſeruat, non terram, ſed cælum. Vilius fortè aliquid dico, cùm dico, cælum: ſeruat ſeipſum, qui fecit cælum. Pulchrum eſt cælum, ſed pulchrior eſt fabricator cæli.

8. *Deum & inuiſibilia bona Chriſtus nobis monſtrat, & ſanat oculos, ſi cum patientiâ ſanari volumus.*

Sed video, inquis, cælum, & illum non video. Oculos enim habes ad videndum cælum, cor nondum habes ad videndum fabricatorem cæli. Ideò venit de cælo in terram, vt mundet cor, quo videatur ipſe qui fecit cælum & terram. Sed planè cum patientiâ ſalutem expecta. Quibus te medicamentis curet, ille nouit: quibus ſectionibus, quibus vſtionibus, ille nouit. Tu tibi ægritudinem comparaſti peccando, ille venit non ſolùm fouere, ſed & ſecare & vrere. Non vides quanta homines patiantur ſub Medicorum manibus, ſpem incertam homini promittentium? Sanaberis, dicit Medicus, ſanaberis, ſi ſecuero. Et homo dicit, & homini dicit. Nec qui dicit certus eſt, nec qui audit: quia ille dicit homini qui non fecit hominem, & non perfectè ſcit quid agatur in homine: & tamen ad verba hominis neſcientis quid agatur in homine, credit homo, ſubdit membra, ligari ſe patitur, aut plerumq; etiam nõ ligatus ſecatur & vritur: & accipit fortè ſalutem paucorum dierum, iam ſanatus quando moriatur ignorans: & fortaſſe dum curatur, moritur: & fortaſſe curari non poterit. Cui autem promiſit Deus aliquid, & fefellit?

CAPVT XVI.

Ex Tractatu in Pſalmum quadrageſimum nonum ſuper his verbis: Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

Tribulationes quædam quærunt nos, quædam quæruntur à nobis.

1. *Tribulationes immittuntur nobis à Deo, vt ad ipſum confugiamus.*

2. *Quædam tribulationes inueniunt nos, cùm de patriâ non cogitamus: & vocantur aduerſitates.*

3. Quæ-

3. *Quædam tribulatio est, quam nosipsi quærere & inuenire debemus, nempe fastidium & odium terrenæ peregrinationis & miseri exilij.*

4. *Cogitantibus enim & quærentibus patriæ beatitudinem, terrena hæc peregrinatio omnium maxima est tribulatio.*

1. *Tribulatio vtilis; quia docet orare Deum.* INVOCA me. Non enim præsumere debes de viribus tuis: omnia auxilia tua, mendacia sunt. Me inuoca in die tribulationis, eruam te, & glorificabis me. Ad hoc enim permisi diem tribulationis tibi fieri, quia fortè, si non tribulareris, non inuocares me. Cùm autem tribularis, inuocas me: quando inuocabis me, eximam te: quando eximam te, glorificabis me, vt iam non discedas à me. Obtorpuerat quidam & friguerat à feruore orationis, & dixit, Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. (*Psal. 114.*) Inuenit tribulationem, tamquam aliquid vtile; putruerat tabe peccatorũ suorum, iam sine sensu remanserat; inuenit tribulationem tamquam vstionem, & sectionem. Inueni, inquit, tribulationem, & dolorem, & nomen Domini inuocaui.

2. *Tribulatio aduersitatis no quæritur à nobis, sed nos quærit & inuenit.* Et quædam, fratres, sunt tribulationes omnibus notæ. Ecce istæ abundant in genere humano: alius damno affectus, plangit; alius orbitate percussus, luget; alius patriâ exulatus, mœret & redire cupit, intolerabilem peregrinationem deputans. Alteri vinea grandinata est, attendit ad labores suos, & videt consumptam omnem operam incassùm. Quando non potest contristari, qui inimicum patitur ex amico? Quæ maior miseria in genere humano? Plangunt hæc omnes, & dolent, & tribulationes sunt istæ; & in his omnibus inuocant Dominum, & rectè faciunt. Inuocant Deum: potens est enim, vel docere tolerandum, vel sanare toleratum. Nouit ille non sinere nos tentari suprà quàm possumus ferre. (*1. Cor. 10.*) Inuocemus Deum etiam in istis tribulationibus. Sed hæ tribulationes inueniunt nos, sicut in alio Psalmo scriptum est, Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. (*Psal. 45.*)

3. *Tribulatio quam debemus quærere, est tædium sæculi, & miseria hominum.* Est quædam quam nos debemus inuenire. Inueniatur ista tribulatio. Est quædam tribulatio, quam nos debemus quærere, & inuenire. Quæ est ista? Ea ipsa in hoc mundo est. Felicitas, affluentia rerum temporalium, non quidem ipsa tribulatio est, sed solatia sunt tribulationis. Cuius tribulationis? Nostræ peregrinationis. Hoc autem ipsum, quòd cum Deo nondum sumus, hoc ipsum quòd inter tentationes molestiasque versamur, quòd sine timore esse non possumus, tribulatio est: non enim est illa securitas quæ nobis promissa est. Hanc tribulationem peregrinationis suæ qui non inuenerit, ad patriam redire non cogitat. Tribulatio illa est, fratres. Certè modò facimus bona opera quando porrigimus panem esurienti; domum peregrino, & cetera: tribulatio est & hæc. Inuenimus enim miseros, super quos misericordiam facimus.

4. *Maxima tribulatio, peregrinari à cælo, & affligi in terrâ.* Et si miserorum miseria facit nos compatientes, quantò melius ibi iam esses, vbi non inuenis esurientem quem pascas, vbi non inuenis peregrinum quem suscipias, non nudum quem vestias, non ægrum quem visites, non litigantem quem concordes? Omnia enim ibi summa sunt, vera sunt, sancta sunt, æterna sunt. Panis noster ibi iustitia est, potus noster ibi sapientia est, vestis nostra ibi immortalitas est: domus nostra æterna in cælis, est firmitas nostræ immortalitatis. Numquid ægritudo subrepit? Numquid lassitudo ad somnum trahit? Nulla mors, nulla lis: ibi pax, quies, gaudium, iustitia. Nullus intrat inimicus, nullus labitur amicus. Quæ ibi quies? Si cogitemus & attendamus vbi sumus, & vbi nos futuros esse promisit, qui mentiri nescit; ex ipsâ eius promissione inueniemus in quâ sumus tribulatione: hanc tribulationem nemo inuenit, nisi qui quæsierit. Sanus es, vide si non miser es: nam facilè est vt qui ægrotat sentiat se miserum. Quando sanus es, vide si non miser es, quia cum Deo nondum es. Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. Immola ergo Deo sacrificium laudis. (*Psal. 49.*) Lauda promittentem, lauda vocantem, lauda exhortantem, lauda adiuuantem, & intellige in quâ tribulatione positus es. Inuoca; eruêris, glorificaberis, permanebis.

CAPVT XVII.

Ex Tractatu nono in primam Epistolam B. Ioannis cap. 4. super his verbis: In hoc perfecta est charitas in nobis, vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.

Charitas inchoata, proficiens, & perfecta.

1. *Perfecta charitas fiduciam habet in ipso die extremi iudicij.*
2. *Inchoata charitas timet iudicium.*
3. *Plena & perfecta charitas desiderat aduentum iudicij.*
4. *Qui adhuc est in gradu infimo charitatis, patienter tolerat mortem; qui pertigit ad supremum, patienter tolerat vitam.*

5. *Ratio, cur perfecta charitas fiduciam habet in iudicio, est, quia reddit amicum & similem iudici ob dilectionem inimicorum.*

6. *Perfecta igitur charitas non habet timorem: timor tamen inducit perfectam charitatem, eâque inductâ discedit timor: vt seta egreditur quæ filum inducit.*

1. *Charitas perfecta excludit timorem, & præstat fiduciam in nouissimo iudicij die.*

DICIT, quomodo se probet vnusquisque, quantum in illo profecerit charitas, vel potiùs quãtum ipse in charitate profecerit. nam si Deus charitas est, nec proficit: nec deficit Deus. Sic dicitur proficere in te charitas, quia tu in eâ proficis. Interroga ergo quantum in charitate profeceris, & vide quid tibi respondeat cor tuum, & ita noueris mensurã profectus tui: promisit enim iste ostendere nobis in quo cognoscamus profectum nostrum, & ait: In hoc perfecta est in nobis dilectio. Quære, In quo? Vt fiduciam, inquit, habeamus in die iudicij. Quisquis fiduciam habet in die iudicij, perfecta est in illo charitas. Quid est habere fiduciam in die iudicij? Non timere ne veniat dies iudicij. (1. Ioan. 4.)

2. *Inchoata charitas adhuc formidat Deũ iudicem.*

Sunt homines qui non credunt diem iudicij: isti fiduciam non possunt habere in die quem venturum esse non credunt: prætermittamus eos, excitet Deus illos vt viuant. De mortuis, vt quid loquamur? Non credunt futurum diem iudicij: nec timent, nec desiderant quod non credunt. Cœpit aliquis credere diem iudicij: si cœpit credere, cœpit & timere: sed quia timet, nondum habet fiduciam in die iudicij, nõdum est in illo perfecta charitas. Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Quod initium video, inquies? Ipsum timorem. Audi Scripturam: Initium sapientiæ timor Domini. Cœpit ergo timere diem iudicij: timendo corrigit se, vigilat aduersus hostes suos, id est, peccata sua, incipit reuiuiscere interiùs, & mortificare membra sua, quæ sunt super terram, sicut Apostolus dicit: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Spiritualia nequitiæ, dicit membra super terram: nam sequitur & exponit: Auaritiam, immunditiam, & cetera quæ illic exequitur.

(Psal. 110. Notanda est gradatio B. Augustini ad charitatem perfectam. Fides; Timor; Correctio vitæ seu mortificatio; Spes seu desiderium: denique Sponsi complexus. Coloss. 3.)

3. *Charitas plena etiã anhelat ad iudicis aduentum, vt casta sponsa ad amplexus sponsi.*

Quantum autem mortificat iste, qui timere cœpit diem iudicij, membra sua super terram, tantum surgunt & corroborantur membra cælestia. Membra autem cælestia sunt omnia opera bona. Surgentibus cælestibus membris, cœpit desiderare quod timebat: timebat enim ne veniret Christus, & inueniret impium quem damnaret: desiderat vt inueniat, quia inuenturus est quem coronet. Iam cùm cœperit desiderare venientem Christum casta anima quæ desiderat amplexus sponsi, renuntiat adultero: fit virgo interiùs ipsâ fide, spe, & charitate. Habet iam fiduciam in die iudicij: non contra se pugnat, quando orat & dicit, Adueniat regnum tuum. Qui enim timet, ne veniat regnum Dei, timet ne exaudiatur: & quomodo orat, qui timet ne exaudiatur? Qui autem orat cum fiduciâ, charitas in eo optat iam vt regnũ Dei veniat. De ipso desiderio dicebat quidam in Psalmo, Et tu Domine vsquequò? Conuertere Domine, & eripe animam meam. Gemebat se differri. (Matth. 6.) (Psal. 6.)

4. *Charitas inchoata cum patientiâ moritur; perfecta cum patientiâ viuit.*

Sunt homines qui cum patientiâ moriuntur: sunt autem quidam perfecti, qui cum patientiâ viuunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem, luctatur aduersum se vt sequatur voluntatem Dei; & hoc agit animo quod eligit Deus potiùs, quàm quod eligit voluntas humana; & ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte, & adhibet patientiam & fortitudinem, vt æquo animo moriatur: iste patienter moritur. Qui autem desiderat (sicut dicit Apostolus) dissolui, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter viuit, & delectabiliter moritur. Vide Apostolum patienter viuentem, id est, cum patientiâ hîc non amantem vitam, sed tolerantem. Dissolui, inquit, & esse cum Christo, multò magis optimum: manere autem in carne, necessarium propter vos. Ergo, fratres, date operam intus agere vobiscum, vt desideretis diem iudicij: aliter non probatur perfecta charitas, nisi cùm cœperit illa dies desiderari. Ille autem eam desiderat, qui fiduciam habet in illâ: ille autem fiduciam habet in illâ, cuius conscientia non trepidat in charitate perfectâ atque sincerâ. In hoc enim perfecta est dilectio eius in nobis, vt fiduciam habeamus in die iudicij. (Philip. 1.)

5. *Facit charitas perfecta, vt nos iudici nostro similes simus in diligẽdis inimicis.*

Quare habebimus fiduciam? Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Audisti causam fiduciæ tuæ. Dominus in Euangelio dicit, Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & Publicani hoc faciunt? Quid ergo vult nos agere? Ego autem dico vobis, inquit, diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Si ergo iubet nos diligere inimicos nostros, vnde nobis dat exemplum? De ipso Deo. ait enim: Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Quia ergo ad hanc perfectionem nos inuitat Deus, vt diligamus inimicos nostros, sicut & ipse dilexit suos, ea nobis fiducia est in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo: quia sicut ille diligit inimicos suos, facien- (Matth. 5.)

faciendo solem suum oriri super bonos & malos, & pluendo super iustos & iniustos: ita nos quia inimicis nostris non possumus præstare temporalem solem & pluuiam, præstemus lacrymas cùm pro illis oramus.

6. *Timor introducit charitatē, & tamen non remanet in corde in quod est introducta perfecta charitas.*

Iam ergo de ipsâ fiduciâ videte quid dicat. Vnde intelligitur perfecta charitas? Timor nō est in charitate. Quid ergo dicimus de illo qui cœpit timere diē iudicij? Si perfecta in illo esset charitas, non timeret. perfecta enim charitas faceret perfectam iustitiam, & non haberet quare timeret: imò haberet quare desideraret, vt transeat iniquitas, & veniat regnum Dei: ergo timor non est in charitate. Sed in quâ charitate non est timor? an inchoatâ? Non. In quâ ergo? Sed perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor: quia initium sapientiæ timor Domini. Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparauit locum: quantum enim illa crescit, ille decrescit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Si maior est charitas, minor est timor: si minor est charitas, maior est timor; si tamen nullus esset timor, non esset quà intraret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum quando aliquid suitur: seta enim prius intrat; sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intrauit, vt introduceret charitatem. Iam factâ securitate in animâ, quale gaudium nobis est vel in hoc vel in futuro sæculo? Et in hoc sæculo quis nobis nocebit plenis charitate? Videte quomodo exultet Apostolus de ipsâ charitate. Quis nos, inquit, separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an nuditas, an periculum, an gladius? Et Petrus dicit: Quis vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis?

Eccli. 1. Rom. 8. 1. Pet. 3.

CAPVT XVIII.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum vigesimum super his verbis: Custodiat animam tuam Dominus: Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum ex hoc nunc & vsque in sæculum.

In solo Deo vera vita. Vita animæ potior est vitâ corporis.

1. *Dei solius gratiâ liberari animam à persecutione tribulationum & tentationum, S. Christinæ exemplo probat, quam Deus dextera suâ, id est gratiâ protexit.*

2. *Corpus intrepide obijciendum morti temporali, vt anima euadat mortem æternam.*

3. *Custodit Dominus introitum, quando sanâ fide præditos inuenit tribulatio: exitum, quando victricem animam coronat cælestis gloria.*

4. *Vita carnis, anima; vita animæ, Deus. Caro moritur exeunte animâ; anima moritur amisso Deo.*

CVSTODIAT animam tuam Dominus, & non quasi corpus tuum, nam in corpore perempti sunt Martyres: sed custodiat animam tuam Dominus, quia de animâ non cesserunt Martyres. Et sæuiebant persecutores in Christinam, cuius hodie natalitia celebramus, sæuiebant in feminam diuitem & delicatam: sed fortis erat, quia Dominus tegumentum eius super manum dexteræ eius, ille eam custodiebat. Hæc enim, fratres, numquid aliquis est in Africâ qui ignoret? Clarissima etiam fuit, nobilis genere, abundans diuitijs: sed hæc omnia sinistra erant, sub capite erant. Venit inimicus qui feriret caput, & sinistra illi obiecta est quæ erat sub capite. Caput suprà erat, dextera Domini desuper complectebatur. Quid poterat facere persecutor, quamuis delicatæ feminæ? Erat quidem illa & sexu infirma, & diuitijs fortè languidior, & consuetudine corporali infirmior. Sed quid ad tanta munimenta? Quid ad illum sponsum mittentem sinistram sub caput, & dexterâ suâ complectentem? Quando sic munitam percuteret inimicus? Et tamen percussit, sed in corpore.

1. *Gratia data per Deū custodit & liberas in persecutione constitutos.*

En festum S. Christinæ martyris tempore S. Augustini in Ecclesiâ Africanâ.

Bona & dona temporalia, vocat Augustinus Dei manum sinistrā: priuilegia gratiæ Dei, vocat dexteram.

2. *Non de corporis custodiâ, sed de animæ salute cogitandum & laborandum in persecutionibus.*

Quid autem dicit Psalmus? Custodiat Dominus animam tuam. Anima non cessit, corpus percussum est. Et corpus ad tempus percussum est: nam in fine resurrecturum est, quia & ipse qui dignatus est esse caput Ecclesiæ, præbuit corpus suum ad tempus percutiendum. Sed carnem suam ille in triduo resuscitauit, carnem nostram in fine resuscitaturus est. Ideò suscitatum est caput, quod attenderet corpus vt non deficeret. Custodiat animam tuam Dominus: ipsa non cedat, ipsa non frangatur in scandalis, in persecutionibus, in tribulationibus: ipsa non cedat deficiendo, sicut Dominus dicit, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; sed eum timete, qui habet potestatem corpus & animam occidere, & mittere in gehennam ignis. Hanc ergo animam tuam custodiat Dominus, ne cedas persuasori malo, ne cedas promittenti falsa, ne cedas minanti temporalia.

Matth. 10.

3. *Custodia introitus, quando in tentatione fortiter pu-*

Deinde custodiat Dominus introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vsq; in sæculum. Quid est, introitum tuum? quid est, exitum? Quando tentamur, intramus: & quando

STINVS.

gnamus; custodia exitus, quando in victoriâ gloriosè coronamur.

quando vincimus tentationem, eximus. Audi introitum, audi exitũ. Vasa figuli probat fornax, ait Scriptura, & homines iustos tentatio tribulationis. Si sic sunt homines iusti, quomodo vasa figuli, necesse est vt vasa figuli fornacem intrent. Et non quando intrant, iam securus est figulus, sed cùm exierint. Dominus autem securus est, quia nouit qui sunt eius, & nouit qui in fornace non crepent. Illi non crepant, qui non habent ventum superbiæ. Humilitas ergo custodit in omni tentatione. Custodit Dominus introitum, vt salui intremus. Sanâ fide simus, quando accedit tentatio; & custodit exitum ex hoc nunc & vsque in sæculum. Cùm enim exierimus ab omni tentatione, iam in æternum nulla nos tentatio terrebit, nulla concupiscentia saltem sollicitabit. Audi Apostolum id ipsum commemorantem. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari, supra quàm potestis ferre. Ecce introitus tuus custoditur, quando non tibi sinit Deus accidere tentationem, quam non potes ferre. Introitum tuum custodit: videte si custodit & exitum. Sed faciet, inquit, cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere.

Eccli. 10.

1. Cor. 10.

Vox Græca ἔξοδος significat exitum è loco, & prouentũ seu vtilitatẽ ex re aliquâ prouenientem.

Ipse Pater Augustinus Sermone decimo octauo de Verbis Apostoli dicit:

4. *Vita corporis, anima est; vita animæ, Deus est.*

Præsentiâ animæ tuæ caro tua viuit: & quamdiu in carne tuâ præsens anima est, necesse est vt viuat caro tua. Putas non est aliqua vita quâ viuit ipsa anima tua? Est enim anima vita quædam quâ viuit caro tua. Quo modo autem habet caro tuam vitam, videlicet animam quâ viuit ipsa caro tua, sic habet & anima tua aliquam vitam suam. Et quo modo caro, cùm moritur, expirat animam vitam suam; sic & anima, quando moritur, expirat aliquam vitam suam. Vita corporis, anima est; vita animæ, Deus est. Sæuiat igitur inimicus, minetur mortem, occidat corpus: si permittitur, excludat de carne animam tuam, modò anima tua non excludat à se vitam suam. Si enim ille percusserit carnem, tu fugis, tu exis, tu migras: iacet terra in terrâ. Vbi erit quod animauit terram? quod flatu Dei tibi datum est, vbi erit? Si non efflauit vitam suam, id est, Deum suum, in illo erit quem non perdidit, in illo erit quem à se non exclusit. Habes quod agas, vt numquam moriaris. Si times mortem, ama vitam. Vita tua Deus est, vita tua Christus est, vita tua Spiritus sanctus est.

CAPVT XIX.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum quadragesimum octauum super his verbis: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum eius.

Dulcis consideratio prouidentiæ Dei.

1. *Omnia Dei opera laudem eius annunciant: nec quidquam in mundo fit sine ipsius speciali prouidentiâ & ordinatione.*

2. *Non refert quâ quis morte intereat, sed qualis & quò iturus è vitâ exeat.*

3. *Inquilini hic sumus, in patriâ possessores erimus. Hic domum locatam incolimus, non donatam.*

4. *Nihil fieri permittit Deus sine iustis rationibus, etsi illa nos plerumque lateant.*

LONGVM est commemorare diligentiorem considerationem omnium rerum. Quis illam explicet? Tamen qui oculos habent multa ibi vident: cùm viderint, placent, cùm placuerint, laudantur: non quidem ipsa tamquam ipsa, sed ille qui fecit: ita omnia laudant Deum. Hæc considerans spiritus prophetiæ, cùm dixisset, Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ omnia turbata, videntur quibusdam stultis, quasi casibus agitari; addit, Quæ faciunt verbũ eius. Non tibi ergo videantur casibus moueri, quæ verbo Dei in omni motu suo deseruiunt. Quò vult Deus, illic lucet ignis; illuc fertur nubes, siue pluuiam, siue niuem, siue grandinem portet. Et quare aliquando percutiunt montem fulmina, & non percutiunt latronem? Possum dicere pro captu mentis, quantum Deus donare dignatur, (maiores maiora nouerint, & amplius intelligãt, & det vobis Deus plus sapere quàm dico, tamen cum temperantiâ, sine superbiâ) possum ergo pro modulo meo dicere, quare percutiant montem, & non percutiant latronem: quia fortè adhuc latronis conuersionem Deus quærit: & ideò percutitur mons qui nõ timet, vt mutetur homo, qui timet aliquando. Et tu cùm das disciplinam, terram feris, vt infans expauescat. Et aliquando ille ferit, & quem vult hominem.

1. *Dei laudẽ proclamãt creaturæ, cùm sine Dei nutu nil geratur in mundo.*

Fulmẽ ferit interdũ montem, non latronem, vt latro agat pœnitentiã ex timore Dei fulminantis.

Sed dicis mihi, Ecce cædit innocentiorem, & dimittit sceleratiorem. Noli mirari: vndecumque mors pio acciderit, bona est. Vnde autem scis illi sceleratiori (si se mutare noluerit) quid pœnarum in occulto seruetur? Nónne mallent fulmine incendij potiùs interire illi quibus in fine dicetur, Ite in ignem æternum? Opus est vt innocens sis. Quid enim? Malum est mori in naufragio, & bonum est mori febre? Siue inde siue inde quis moriatur, quære qualis sit qui moritur; quò post mortem iturus est, non vnde de vitâ exiturus est. Quibus exitibus Mar-

2. *Non refert quâ morte, sed in quo statu moriaris, vt apparet in Martyribus.*

Matth. 25.

Martyres exire meruerunt? numquid febribus, quomodo multi optant, vt febribus soluantur? Alij vno ictu gladij, alij ignibus, alij bestijs soluuntur. Et deuorauerunt bestiæ corpora Martyrum, & non timuerunt ne perirent corpora ipsorum. Vndique enim Deus reducet corpora Sanctorum suorum, cui capilli capitis nostri numerati sunt. Et quando voluit, tres pueros ab igne liberauit: numquid ideò Machabęos in igne deseruit? Illos apertè liberauit, istos occultè coronauit. Nouit igitur Deus quid agat: tu time, & bonus esto. Vndecumque voluerit vt exeas hinc, paratum te inueniat.

Luc. 12. Matth. 10. Dan. 3. 2. Macha. 7

3. *Inquilini terræ sumus, non possessores: locamus domum, nō possidemus.*

Inquilinus enim es, non possessor domus. Locata est enim tibi domus. Domus ista tibi locata est, non donata: & si nolis, migrabis: & non eam tali conditione accepisti, vt quasi tempora certa tibi sint. Quid dixit Dominus Deus tuus? Quando voluero, cùm dixero, Migra, paratus esto. Expello te de hospitio, sed dabo domum. Inquilinus es in terrâ, eris possessor in cælo.

4. *Omnium quæ permittit Deus, causa sunt semper iusta, quãuis sæpè occulta.*

Quidquid ergo hîc accidit contra voluntatem nostram, noueritis non accidere nisi de voluntate Dei, de prouidentiâ ipsius, de ordinatione ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius: & si nos non intelligimus quid quare fiat, demus hoc prudentiæ ipsius, quia non fit sine causâ; & nō blasphemabimus. Cùm enim cœperimus disputare de operibus Dei, quare hoc, quare illud: & non debuit sic facere, malè fecit hoc: vbi est laus Dei? Perdidisti alleluia. Omnia sic considera, vt placeas Deo, & laudes artificem. Quia si intrares in officinam fortè fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominē nescientem quid quare sit: si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Non sine causâ folles hoc loco positi sunt. Artifex nouit quare, etsi ego non noui. In officinâ non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deum? Ergo quemadmodum ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis (quæ faciunt verbum eius;) sic omnia quæ vanis videntur in rerum naturâ temerè fieri, non faciunt nisi verbum eius, quia non fiunt nisi iussu eius.

Prouidētiæ Dei aptissima comparatio, à varijs instrumentis quorum vsum nouit artifex, ignorat spectator.

CAPVT XX.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum trigesimum quartum super his verbis: Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomini eius, quoniam suauis est.

Deus summum bonum.

1. ***Summa laudum diuinarum est, quòd sit seipso bonus: omnia verò alia per ipsum & ex ipso bona.***

2. ***Bonitas itaque creaturarum reducere nos debet ad bonitatem Dei, vnde illa effluxit.***

3. ***Creaturæ omnes bona sunt singularia & limitata. Deus bonum est vniuersale & illimitatum, quo omnia sunt bona.***

4. ***Nec tantùm in se bonus Deus, sed nobis etiam suauis; cuius suauitatem per incarnatum Verbum gustauimus.***

5. ***Christus enim est suauissimus panis Angelorum, factus cibus viatorum.***

LAVDATE Dominum. Quid dicturus sum, quare laudetis? Quoniam bonus Dominus. Breuiter vno verbo explicata est laus Domini Dei nostri, Bonus Dominus. Sed bonus, nō vt sunt bona quæ fecit. Nam fecit Deus omnia bona valde: non tantùm bona, sed & valdè. Cælum, & terram, & omnia quæ in eis sunt, fecit bona, & valdè bona fecit. Si hæc omnia bona fecit, qualis est ille qui fecit? Et tamen cùm bona fecerit, multoque sit melior qui fecit, quàm ista quæ fecit, non inuenies melius quod de illo dicas, nisi quia bonus est Dominus: si tamen intelligas propriè bonum à quo sunt cetera bona. Omnia enim bona ipse fecit: ipse est bonus quem nemo fecit. Ille bono suo bonus est, non aliunde participato bono. Ille à seipso bono bonus est, non adhærendo alteri bono.

1. *Deus seipso bonus, cetera participatione Dei.* Gen. 1.

Ineffabili dulcedine teneor, cùm audio, Bonus Dominus: consideratisque omnibus & collustratis quæ forinsecus video (quoniam ab ipso sunt omnia) etiam cùm mihi hæc placent, ad illum redeo à quo sunt, vt intelligam quoniam bonus est Dominus. Rursum, cùm ad illum, quantum possum, ingressus fuero, interiorem mihi & superiorem inuenio; quia sic bonus est Dominus, vt istis non indigeat quo sit bonus. Denique ista non laudo sine illo, illum autem sine istis perfectum, non indigum, incommutabilem, nullius bonum quærentem quo augeatur, nullius malum timentem quo minuatur, inuenio.

2. *A bonitate igitur creaturæ assurgendū ad bonitatem Dei.*

Et quid dicam amplius? Inuenio in creaturâ cælum bonum, solem bonum, lunam bonam, stellas bonas, terram bonam; quæ gignuntur in terrâ, & radicibus sunt nixa, bona; quæ ambulant & mouentur, bona; quæ volitant in aëre, & natant in aquis, bona. Dico & hominē bonū. Homo enim bonus de bono thesauro cordis sui profert bonum. Dico & Angelum bonum, qui non est lapsus superbiâ, nec diabolus factus est, sed inhæret obediendo ei à quo factus est. Omnia ista dico bona: sed tamen cum suis nominibus, cælum bonum, Angelum bonum, hominem bonum: ad Dominum autem cùm me refero, puto melius nihil dicere, quàm bonum. Ipse quippe Dominus

3. *Deus est ipsum bonum vniuersale & infinitum, cetera singularia, & finita.* Matth. 12.

Luc.18. minus noster Iesus Christus dixit: Nemo bonus, nisi solus Deus. Nónne stimulauit nos ad inquirendum, & ad distinguendum quid sit bonum alio bono bonum, & bonum seipso bonum? Quàm ergo bonum est, à quo sunt omnia bona? Omnino nullum inuenias bonum, quod non ab illo sit bonum.

4 *[De]us in se bonus, nobis suauis, suauitatẽ suam per Filij Incarnationem gustandam propinauit.* *Ioan.6.*

Ergo dixi, Laudate Dominum, quoniam bonus est: psallite nomini eius, quoniam suauis est. Fortè esset bonus, & suauis non esset, si tibi non daret posse gustare. Talem autem se præbuit hominibus, vt etiam panem de cælo miserit, & Filium suum æqualem, (qui hoc est quod ipse) dederit hominem faciendum, & pro hominibus occidendum: vt per hoc quod tu es, gustes quod non es. Multum enim ad te erat gustare suauitatem Dei: quia remota erat illa, & nimis alta, tu autem nimis abiectus, & in imo iacens. In magnâ istâ separatione missus est mediator. Non poteras pertingere ad Deum homo. Deus factus est homo, vt quoniam homo peruenire potes ad hominem, qui non posses ad Deum, per hominem venires ad Deum; & factus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. *1.Tim.2. Galat.3.* Sed si homo solùm esset, hoc sequendo quod es, numquam peruenires. Si Deus solùm esset, non contingendo, non capiendo quod non es, numquam peruenires. Deus factus est homo: vt hominem sequendo quod potes, ad Deum peruenias quod non poteras. Ipse est mediator, inde factus est suauis.

Quid suauius pane Angelorum? Quomodo ergo non est suauis Dominus, quando panem Angelorum manducauit homo? Non enim aliunde viuit homo, & aliunde viuit Angelus? Ipsa est veritas, ipsa est sapientia, ipsa est virtus Dei: sed quomodo eâ perfruuntur Angeli, tu non potes. Illi enim quomodo perfruuntur? Sicuti est. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia. Tu autem quomodo contingis? Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Vt autem panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo. Psallite ergo nomini eius, quoniam suauis est. Si gustastis, psallite: si gustastis quoniam suauis est Dominus, psallite: si benè sapit quod gustastis, laudate. 5

Christus panis Angelorum factus est panis hominum. *Psal.77.* *Ioan.1.*

LVDO-

LVDOVICI BLOSII PSYCHAGOGIAE LIBER SECVNDVS COLLECTVS EX TRACTATIBVS SIVE HOMILIIS D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI.

CAPVT I.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum secundum super his verbis: Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Deus plus quàm summum bonum.

1. *Bonum animæ solus Deus est.*
2. *Bonum corporis est & pecoribus commune, ac proinde contemnendum ab hominibus.*
3. *Non satis dicitur de Deo, cùm dicitur bonum valdè, aut summum bonum: affectus adhuc plus dicit, & plus concipit fidelis intellectus.*
4. *In hac vitâ non satiamur: reseruatur illa satietas vitæ futuræ.*

1. *Summum bonū animæ propriū, Deus.*

BONVM tuum quære, ô anima. Est enim bonum aliud alteri: & omnes creaturæ habent quoddam bonum suum, bonum integritatis suæ & perfectionis naturæ suæ. Interest quid cuique rei imperfectæ necessarium sit vt perficiatur. Quære tuum bonum. Nemo bonus, nisi vnus Deus: summum bonum, hoc est tuum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum, bonū est? (Math. 19. Marc. 10. Luc. 18.)

2. *Corporis bonum est commune homini cū belluis.*

Sunt enim & inferiora bona, quæ alijs & alijs bona sunt. Pecori quid bonū est, fratres, nisi implere ventrem, carere indigentiâ, dormire, gestire, viuere, sanum esse, generare? Bonum est illi, & vsque ad quemdam modum habet boni sui mensuram tributam & cōcessam ab omnium rerum creatore Deo. Tale tu bonum quæris? Coheres Christi quid gaudes quia socius es pecorum? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Ipse erit bonum tuum, à quo tu in tuo genere factus es bonus, & omnia in suo genere facta sunt bona: fecit enim Deus omnia bona valdè. (Gen. 1.)

3. *Deus plus est quodāmodò quā summum bonum.*

Ergo illud bonum, quod Deus est, si dicamus valdè bonum, iam & de creaturâ dictum est: Fecit Deus omnia bona valdè. Quid ergo illud bonum (de quo dictum est, Nemo bonus, nisi vnus Deus) dicimus, quia bonum est valdè? Recurrit nobis recordatio de omnibus creaturis, quia dictum est: Fecit Deus omnia valdè bona. Quid ergo dicturi sumus? Defecimus in voce, sed non in affectu. Explicare non possumus: iubilemus: bonum est Deus. Qua le bonum quis dicat? Ecce non possumus dicere, & non permittimur tacere. Ergo si non possumus dicere, & præ gaudio non permittimur tacere, nec loquamur, nec taceamus. Quid ergo faciemus, non lo quentes & non tacentes? Iubilemus. Iubilate Deo salutari nostro, iubilate Deo omnis terra. Quid est, iubilate? Deferte vocem ineffabilem gaudiorum vestrorum, & ructate in eum lætitias vestras. Et quæ erit illa ructatio post saginam, si modò post modicas istas refectiones tantum afficitur anima nostra? Quid erit, quando fiet post redemptionem ab omni corruptione, quod dictum est in isto Psalmo, Qui satiat in bonis desiderium tuum? (Psal. 102.)

Sed hoc plus ineffabile est, & meliùs affectu, quá verbis exprimitur, quádo iubilat & eructat anima ecstatica in Deum lætitias suas. Psal 44. 47. 65.

4. *Nihil animā in hac vitâ satias; in alterâ replebitur & satiabitur bonis omne desiderium nostrum, quando fruemur Deo.*

Et quasi quæreres, quando satiat? modò enim non satior. Ad quodcumque me conuertero, vilescit mihi adeptū; quamuis accenderit desideratum: cùm omnia, quæ dum non habeo, amem, cùm habuero, contemnam, quod bonum me satiabit? Laus Dei. Et ipsâ, inquis, Dei laude (cùm corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem) non impletur anima mea, non perficitur: aliæ de corruptione delectationes (Sap 9.)

tiones indigētiarum detorquent me ab illâ: quando satiabitur desiderium meum in bonis? Quando, quæris? Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Quæris ergo quando satietur in bonis anima tua? Quando renouata fuerit iuuentus tua. Et quidem renouatur iuuentus aquilæ, sed non ad immortalitatem: non ad immortalitatem aquila reparatur, nos autem ad vitam æternam. Ergo anima iam desiderans satiari quodā excelso & inenarrabili bono (cui iubilatur, & de quo iubilatur potiùs quàm aliquid explicatur) sed videns se impediri prægrauatione corporis, & non se posse in hac vitâ satiari, quasi respondet. Quid mihi dicis, satiabitur in bonis desiderium tuum? Noui bonum quod desiderem, noui quid mihi sufficiat. Non satiabor de mortalibus, non satiabor de temporalibus: aliquid æternum donet, aliquid æternum concedat. Sapientiam suam mihi det, verbum suum mihi det, Deum apud Deum: se Deum det, Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Noui quid desiderem, sed quando inde satiabor? Non satiaris modò. Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua: & tunc satiaberis in bonis.

CAPVT II.

Ex Tractatu in Psalmum sexagesimum secundum super his verbis: Sitiuit tibi anima mea, quàm multipliciter tibi & caro mea.

Anima sitit sapientiam, caro resurrectionem.

1. *Non omnes sitientes sitiunt Deo. Varia sitis sitientium sæculo & sibi.*
2. *Anima pia sitit sapientiam & iustitiam Dei, quibus in hac vitâ pascitur, in futurâ satiabitur.*
3. *Corpus etiam sitit resurrectionis immortalitatem, in quâ est felicitas Christiana.*
4. *Resurrectio probatur ex creatione.*
5. *Quàm multiplici instabilitati & corruptioni subiecta sit caro in hac vitâ.*
6. *Immunitatem ab omnibus his mutationibus futuram in resurrectione caro sitit: & ideò multipliciter sitit.*
7. *Sitit etiam Deo, quando huic vitæ necessaria à Deo solo postulat; non ab idolis aut dæmonibus.*

1. *Maior in plerisq; sitis est sæculi, quàm Dei.*

VIDETE quomodo hic sitit, sed videte, quod hic bonum est, scilicet, Sitiuit tibi. Sunt enim qui sitiunt, sed non Deo. Omnis qui sibi vult aliquid præstari, in ardore est desiderij: ipsum desiderium, sitis est animæ. Et videte quanta desideria sunt in cordibus hominum. Alius desiderat aurum, alius desiderat argentum, alius desiderat possessiones, alius desiderat hereditates, alius amplam pecuniam, alius multa pecora, alius domum magnam, alius vxorem, alius honores, alius filios. Videtis desideria ista, quomodo sunt in cordibus hominum. Ardent omnes homines desiderio, & vix inuenitur qui dicat, Sitiuit tibi anima mea. Sitiunt enim homines sæculo: & non se intelligunt in deserto esse Idumçæ, vbi debet sitire anima ipsorum Deo. Dicamus ergo nos: Sitiuit tibi anima mea. Omnes dicamus, quia in concordiâ Christi omnes vna anima sumus: ipsa anima sitiat in Idumæâ. Sitiuit tibi, inquit, anima mea, quàm multipliciter tibi & caro mea. Parum est quia sitiuit anima mea: sitiuit & caro mea.

2. *Anima sitit sapientiam & iustitiam cōcupiscit: sed non inebriabitur nisi in cælo cum Angelis.*

Porrò si anima sitit Deo, quomodo & caro sitit Deo? Quando enim caro sitit, aquā sitit: quando anima sitit, fontem sapientiæ sitit. De ipso fonte inebriantur animæ nostræ, sicut dicit alius Psalmus: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos. Sitienda est ergo sapientia; sitienda est iustitia. Non eâ satiabimur, non eâ implebimur, nisi cùm fuerit finita vita ista, & ad illud venerimus quod promisit Deus. Promisit enim Deus æqualitatem Angelorum: & modò Angeli non sitiunt quomodo nos, non esuriunt quomodo nos, sed habent saginam veritatis, saginam lucis immortalis sapientię. Ideò beati sunt: & de tantâ beatitudine (quia in illâ sunt ciuitate Ierusalem cælesti, vnde nos modò peregrinamur) attendunt nos peregrinos, & miserantur nos, & iussu Domini auxiliantur nobis, vt ad illam patriam communem aliquando redeamus, & ibi cum illis Dominico fonte veritatis & æternitatis aliquando saturemur.

P.al.35.

3. *Sitis carnis est de resurrectione ad æternam felicitatem.*

Modò ergo sitiat anima nostra: inde & caro nostra sitiat, & hoc multipliciter. Multipliciter tibi, inquit, sitit & caro mea: quia & carni nostræ promittitur resurrectio. Quomodo animæ nostræ promittitur beatitudo, sic & carni nostræ promittitur resurrectio. Resurrectio carnis nobis promittitur. Audite & discite, & tenete quæ sit spes Christianorum. Quare sumus Christiani? Non enim ad hoc sumus Christiani, vt terrenam nobis felicitatem petamus, quam plerumque habent & latrones & scelerati. Ad aliam felicitatem nos sumus Christiani, quam tunc accipiemus, cùm vita ista huius sæculi tota transierit. Ergo promittitur nobis & carnis resurrectio. Talis resurrectio carnis nobis promittitur, vt caro quidem ista, quam modò portamus, resurgat in finem.

4. *Ex creationis fide resurrectionem futuram esse demonstratur.*

Nec incredibile vobis videatur, quia quasi putrescere mortuos videtis, & ire in cineres & in puluerem. Si incendatur aliquis mor-

mortuus, aut si canes dilanient eum, putatis quia inde non erit resurrecturus? Omnia quæ discerpuntur, & in fauillas quasdam putrescunt, integra Deo sunt: in illa enim elementa mundi eunt, vnde primò venerunt quando facti sumus: non illa videmus, sed tamen Deus vnde scit producet illa: quia & antequam essemus, vnde sciebat nos produxit. Talis ergo resurrectio carnis nobis promittitur, vt quamuis ipsa caro, quam modò portamus, sit ea quæ resurrectura est, tamen non habeat corruptionem quam modò habet.

5. *Caro in hac vitâ corruptibilis & instabilis: 1. Quoad alimentum multiplici varietate:*

Modò enim ex corruptione fragilitatis, si non manducemus, deficimus & esurimus: si non bibamus; deficimus & sitimus: si diu vigilemus, deficimus & dormimus: si diu dormiamus, deficimus, ideò vigilamus: si diu manducemus & bibamus, quamuis propter refectionem manducemus & bibamus, ipsa diuturna refectio, defectio est: si diu stemus, fatigamur, ideò sedemus: & si diu sedeamus, & ibi fatigamur, & ideò surgimus. Deinde videte quia nullus est carnis nostræ status: quoniam infantia auolat in pueritiam; & quæris infantiam, & non est infantia, quia iam pro infantiâ pueritia est. Iterùm & ipsa migrat in adolescentiam: quæris pueritiam, & non inuenis. Adolescens fit iuuenis: quæris adolescentem, non est. Iuuenis fit senex: quæris iuuenem, & non inuenis. Et senex moritur: quæris senem, & non inuenis. Non stat ergo ætas nostra: vbique fatigatio est, vbique lassitudo, vbique corruptio.

2. Quoad ætatum vicissitudines ab incunabulis vsque ad mortē.

6. *Immunitatē ab istis instabilitatibus in resurrectione sitit caro multipliciter.*

Attendentes qualem nobis spem resurrectionis promittat Deus, in istis omnibus multiplicibus defectionibus nostris, sitimus illam incorruptionem: & sic caro nostra multipliciter sitit Deo. In istâ Idumæâ, in isto deserto quàm multipliciter laborat, tam multiplici tersitit; quàm multipliciter fatigamur, tam multipliciter sitit illam infatigabilem incorruptionem.

7. *Etiam in hoc sæculo necessaria sibi rectè sitit caro, & petit à Deo non à diabolo.*

Quamquam, fratres mei, bono Christiano & fideli etiam in hoc sæculo caro Deo sitit: quia si opus est carni pane, si opus est aquâ, si opus est vino, si opus est nummo, si opus est iumento carni huic; à Deo petere debet, non à dæmonijs & idolis, & à nescio quibus potestatibus huius sæculi. Sunt enim qui, quando famem patiuntur in isto sæculo, dimittunt Deum, & rogant Mercurium, aut rogant Iouem vt det illis, aut quem dicunt cælestem Pana, aut aliqua dæmonia similia: non Deo sitit caro ipsorum. Qui autem Deo sitiunt, vndique debent sitire & animâ & carne: quia & animæ Deus dat panem suum, id est, verbum veritatis: & carni Deus dat quæ necessaria sunt, quia Deus fecit & animam & carnem. Propter carnem tuam rogas dæmonia: numquid animam tuam fecit Deus, & carnem tuam dæmonia? Qui fecit animam, ipse fecit & carnem. Qui fecit ambas res, ipse pascit ambas res. Vtrumque nostrum Deo sitiat, & ex labore multiplici simpliciter satietur.

CAPVT III.

Ex eodem Tractatu in ipsum Psalmum sexagesimum secundum super his verbis: In velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.

Tutela Dei contra tentationes diaboli.

1. *Humiles animæ, sicut pulli, sub alis Dei à miluis diabolicis tutæ sunt.*
2. *Quantumcumque creuerint virtute, semper agnoscunt se, vti pullos, egere diuinâ protectione.*
3. *Charitas est gluten quo anima adhærescit Deo.*
4. *Opus est omnipotenti susceptore contra insidias dæmonum.*

HILARESCO, inquit, in bonis operibus, quia super me est velamen pennarum tuarū. Si me non protegas, quia pullus sum, miluus me rapiet. Dicit enim quodam loco ipse Dominus noster ad Ierusalem quamdam ciuitatem illam, vbi crucifixus est; Ierusalem, Ierusalem, quoties volui filios tuos congregare, tamquam gallina pullos suos, & noluisti. Paruuli sumus, ergo protegat nos Deus sub vmbraculo alarum suarum. 1. *Animæ humiles vt pulli sub alis Dei proteguntur.* Matth. 23.

Quid, cùm maiores facti fuerimus? Bonum est nobis vt & tunc protegat nos, vt sub illo maiore semper nos pulli simus. Semper enim ille maior est, quantumcumque creuerimus. Nemo dicat; Protegat me cùm paruulus sum: quasi aliquando ad tantam magnitudinem possit peruenire quâ sibi sufficiat. Sine protectione Dei nihil es: semper ab illo protegi velimus. Tunc semper in illo magni esse poterimus, si semper sub illo paruuli simus. Et in velamento pennarum tuarum exultabo. 2. *Etiam cū creuerint, pullos se agnoscunt, & Dei protectione egent.*

Agglutinata est anima mea post te. Vide desiderantem, vide sitientem, vide quomodo hæret Deo. Nascatur in vobis affectus. Si iam germinat, compluatur & crescat: perueniat ad tale robur, vt & vos dicatis ex toto corde: Agglutinata est anima mea post te. Vbi est ipsum gluten? Ipsum gluten charitas est. Charitatem habe, quo glutine agglutinetur anima tua post Deum. 3. *Charitas gluten animam Deo copulans.*

Meritò annectit, Me suscepit dextera tua. Quis enim pertinens ad Christum non varijs tentationibus agitatur? Quotidie agit cum illo diabolus & angeli eius, vt eum vel pro- 4. *Cōtra diabolū solus Deus potest nos tutari.*

promissione vitæ, vel terrore mortis, aut alicuius potentis inimicitijs, aut alicuius potentis amicitijs decipiat. Omnibus modis instat diabolus: & pertentat quemadmodum deijciat. In persecutionibus viuimus, & habemus perpetuos inimicos, diabolum & angelos eius: sed non timeamus. Sic sunt diabolus & angeli eius, quasi milui. Sub illius gallinæ alis simus, & non nos potest contingere. Gallina enim quæ nos protegit, fortis est. Infirmata est propter nos: sed fortis est in se Dominus noster Iesus Christus, ipsa sapientia Dei.

CAPVT IV.

Ex Tractatu in Psalmum quinquagesimum primum super his verbis: Expectabo nomen tuum, quoniam iucundum est in conspectu Sanctorum tuorum.

Dei iucunditas, & pulchritudo.

1. *Nomen Dei iucundum est animæ super omnem iucunditatem.*

2. *Sed animæ quæ non renuit gustare & videre quoniam suauis est Dominus.*

3. *Nam gustare nolenti, quantumuis ei Deum laudes, non probatur iucundus.*

4. *Piæ menti Christus vbique pulcherrimus occurrit, etiam in pœnis & tormentis suis pro nobis toleratis.*

1\. *Dei memoria, mentis deliciæ super omnes delicias. Psal. 118.*

AMARVM est sæculum, sed nomen tuum iucundum. Et si dulcia quædam sunt in sæculo, sed cum amaritudine digeruntur. Præponitur nomen tuum nō solum amaritudini, sed etiam iucūditati. Narrauerunt etenim mihi iniusti delectationes suas: sed non sicut lex tua Domine. Neq; enim, si nihil dulce esset Martyribus, tantas tribulationum amaritudines æquo animo sustinerent. Amaritudo eorum à quouis sentiebatur, dulcedinem eorum non facilè quisquam gustare poterat. Nomen ergo Dei iucundum est amantibus Deum super omnes iucunditates.

2\. *Postquā pia anima semel Dei dulcedinem gustauerit.*

Expectabo nomen tuum, quoniam iucundum est. Et cui probas quia iucundū est? Da mihi palatum cui iucundum est. Lauda Deum quantum potes, & exaggera dulcedinem eius quibus valueris verbis: homo nesciens quid sit mel, nisi gustauerit, quid dicat nescit. Ideò magis ad experimentum te inuitans Psalmus, quid ait? (Psal. 33.) Gustate, inquit, & videte, quoniam suauis est Dominus. Gustare non vis, & dicis, Iucundum est. Quid iucundum est? Si gustasti, in fructu tuo inueniatur, non in folijs vocibus tamquam in folijs, ne maledicto Domini arescere tamquam illa ficulnea merearis. (Marc. 11. Matth. 21.) Gustate, inquit, & videte, quoniam suauis est Dominus. Gustate & videte. Tunc videbitis, si gustaueritis.

3\. *Non sapit mel Dei faucibus impiorum gustare nolentium.*

Homini autē non gustanti, vnde probas? Laudando iucunditatē nominis Dei, quantacumque dixeris, verba sunt. Aliud est gustus. Verba laudis eius audiunt & impij, non autem gustāt quàm iucundum est, nisi Sancti: proinde iste sentiens dulcedinem nominis Dei, & volens explicare, & volens ostendere, nec inueniens quibus, (etenim Sanctis non opus est vt ostendat, quia & ipsi gustant & norunt; impij autem sentire non possunt, quod gustare nolunt;) quid facit de iucunditate nominis Dei? Tulit se continuo à turbis impiorum, Et expectabo nomen tuum, inquit, quia iucundum est in conspectu Sanctorum tuorum. Iucundum est nomen tuum, sed non in conspectu impiorum. Ego quàm dulce sit scio, sed his qui gustauerunt.

Idem Pater Augustinus Tractatu in Psalmum quadragesimum quartum sic ait:

4\. *Christus vbique sponsus pulcher, non tātùm in cunis natus, sed etiam in cruce mortuus. Isa. 53.*

Sponsus procedat nobis, amemus illum: aut si inuenerimus in eo aliquid fœdi, non amemus. Ecce ipse inuenit in nobis multa fœda, & amauit nos: si aliquid fœdi inuenerimus in eo, non amemus. Quia & hoc ipsum quòd carnem induit, vt de illo etiam diceretur, Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem, si consideres misericordiam quâ talis factus est, & ibi pulcher est. Nobis ergo iam credentibus vbique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus Verbum apud Deum, pulcher in vtero Virginis, (Ioan. 1.) vbi non amisit diuinitatem, & sumpsit humanitatem: pulcher natus infans Verbum, quia & cùm esset infans, cùm sugeret, cùm manibus portaretur, Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepi cibario animalium mansuetorum. (Luc. 2. Matth. 2.) Pulcher ergo in cælo, pulcher in terrâ, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro. Nusquam oculos nostros à splendore pulchritudinis illius auertat carnis infirmitas. Summa & vera pulchritudo, iustitia est. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendes iniustum, si vbique iustus, vbique decorus.

CAPVT V.

Ex Tractatu in Psalmum trigesimum secundum super his verbis: Beata gens, cuius Dominus Deus eorum.

Beatitudo nostra Deus solus.

1. *Omnium actiones, etiam sceleratorum, ab illis ideò fiunt, vt beati sint.*

2. Res deterior homine non potest ipsum meliorem facere, aut beatum; proinde nec vlla res corporea.

3. Corpus ipsum hominis beatur bonâ animâ; quia illa melior est corpore: anima igitur beari debet bono quod sit ipsâ animâ melius.

4 Hoc autem bonum animâ præstantius est solus Deus, inter omnia quæ possunt haberi ab homine.

5. Potest autem haberi Deus ab homine facillimè, quotiescumque illum habere voluerit.

6. Est Deus sola res, quæ possidentes beatos facit.

7. Et qui eum amat, potest meritò & fidenter Deum vocare suũ, cuius nempe possessione beatus est.

8. Possessio enim eius est Deus, & ipse est Dei possessio.

1. *Omnes, etiam impij, appetũt beatitudinem, & per operam a quærunt ne miseri sint.*

BEATA gens. Quis est, qui hoc audito non erigat se? Amant enim omnes beatitudinem: & ideò peruersi sunt homines, qui mali volunt esse, miseri nolunt. Et cùm sit malitiæ indiuidua comes miseria, isti peruersi non solùm mali esse volunt, miseri nolunt, quod fieri non potest: sed ideò volunt mali esse, ne miseri sint. Quid est hoc quòd dixi, ideò volunt mali esse ne miseri sint? Cõsiderate hoc paululum in omnibus hominibus qui male faciunt, beati semper esse volunt. Furtum facit aliquis: quæris quare? propter famẽ, propter necessitatem. Ergo, ne miser sit, malus est, & ideò miserior est, quia malus est. Depellendæ ergo miseriæ causa, & acquirendæ beatitudinis causa, faciunt omnes homines quicquid vel boni faciunt vel mali. Semper ergo beati esse volunt. Siue male viuentes, siue benè viuentes, beati esse volunt; & non contingit omnibus quod omnes esse volunt. Omnes enim beati esse volunt: non autem erunt, nisi illi qui iustè esse voluerint. Et ecce nescio quis, vt male faciat, beatus vult esse. Vnde? Ex pecuniâ, ex argento & auro, ex prædijs, fundis, domibus, mancipijs, pompâ sæculi, honore volatico & perituro: habendo aliquid, volunt homines beati esse.

2. *Debet esse quid melius homine, quod eum beet.*

Quære ergo quid sit, quod habendo beatus sis. Cùm enim beatus fueris, melior vtique eris quàm cùm miser es. Fieri autem non potest, vt res deterior te, faciat te meliorem. Homo es, deterius te est, quidquid cupis quo beatus esse desideras. Aurum, argentum, quælibet corporalia, quibus inhias acquirendis, possidendis, fruendis, inferiora te sunt. Tu melior es, tu fortior es: & vtique vis melior esse quàm es, quando beatus esse vis, quia miser es. Melius est enim vtique beatum esse, quàm miserũ. Vis esse melior te, & quæris ac perquiris (per quę id fiat) deteriora te. Quidquid quæsieris in terrâ, deterius est quã tu. Hoc omnis homo optat amico suo, sic eum adiurat: Sic melior sis, sic meliorẽ te videamus, sicde te meliore gaudeamus. Quod optat, hoc & ipse vult.

3. *Ideò corpus beatur bono animo: quia hic illo præstantior est. Et animus eadem de causâ beatur solo bono Deo.*

Accipe ergo fidele consilium. Melior te vis esse, noui: omnes nouimus, omnes volumus: quære quod est melius te, vt inde efficiaris melior te. Intuere nunc cælum & terram: non tibi sic hæc pulchra corpora placeant, vt eis fieri beatus velis. In animo est quod quæris: beatus enim esse vis. Ipso animo tuo quære quid sit melius. Cum enim duo sint quædam, hoc est, animus & corpus; eò quòd ex istis duobus illud melius sit quod animus dicitur, potest corpus tuum melius fieri per meliorem, quia subiectum est corpus animo. Potest ergo melius fieri corpus tuum per animum tuum: vt cùm fuerit iustus animus tuus, sit posteà immortale etiam corpus tuum. Per animi enim illuminationem meretur corpus incorruptionem: vt fiat inferioris reparatio per meliorem. Si ergo corporis tui bonum animus est, quia corpore tuo melior est: cùm quæris bonum tuum, illud quære quod melius est animo tuo.

4. *Nulla res animo melior, nisi solus Deus; cuius imago est anima etiam Angelis æquanda.*

Quid est autem animus tuus, attende; ne forte contemnens animum tuum, & putans nescio quid esse vile & abiectum, viliora quæras quibus beatificetur animus tuus. In animo tuo est imago Dei. Mens hominis capit eam: accepit eam, & inclinando se ad peccatum decolorauit eam. Ipse ad eam venit reformator, qui erat eius anteformator: quia per Verbum facta sunt omnia, & per Verbum impressa est hæc imago. Venit ipsum Verbum, vt audiremus ab Apostolo, Reformamini in nouitate mentis Rom. 12.
vestræ. Iam ergo superest, vt quæras quid sit melius quàm animus tuus. Quid erit, obsecro, nisi Deus tuus? Non inuenis hic aliquid melius animo tuo: quia cùm fuerit perfecta natura tua, Angelis æquabitur. Iam supra non est, nisi Creator.

5. *Potestq; Deus facilius ab animo possideri, quàm vllũ bonum creatum.*

Erige te ad illum, noli desperare, noli dicere, Multum est à me. Magis multum est à te, habere aurum quod quæris. Aurum etsi volueris, fortè non habebis: Deum cùm volueris, habebis: quia & antequam velis, venit ad te; & cùm auersâ voluntate esses, vocauit te; & cùm conuersus esses, terruit te; & cùm territus confitereris, consolatus est te. Iste qui tibi præstitit omnia, iste qui fecit vt esses, qui his qui tecum sunt etiam malis, præstat solem, præstat pluuiam, Math. 5.
præstat fructus, fontes, vitam, salutem, tantas consolationes, seruat tibi aliquid quod non det, nisi tibi. Quid est autem quod tibi seruat, nisi se? Pete aliud, si melius inueneris: se tibi seruat Deus. Auare, quid inhias cælo & terræ? Melior est qui fecit cęlũ & terram: ipsum visurus, ipsum habiturus es. Quæris vt tua sit illa villa, & transiens per illam

M dicis,

dicis, Beatus cuius est possessio ista. Hoc quàm multi dicunt qui transeunt per illam: & tamen cùm dixerint trãseuntes per illam, possunt caput agitare & suspirare, numquid & possidere? Sonat cupiditas, sonat iniquitas: sed non concupiscas rem proximi tui. (*Deut. 5.*) Beatus, inquis, cuius est villa illa, cuius est domus ista, cuius est ager iste. Compesce iniquitatem, audi veritatem. Beata gens cuius est; Quid? Iam nostis quid dicturus sim.

6. *Sola Dei possessio facit beatos.*

Ergo desiderate vt habeatis, tunc demum beati eritis. Hac solâ re beati eritis: re meliore, quàm vos estis, meliores eritis. Deus est, inquam, melior te, qui fecit te. Beata gens cuius est Dominus Deus eorum. Hoc ama, hoc posside: hoc cùm vis habebis, hoc gratis habebis. Beata gens cuius est Dominus Deus eorum. Noster Deus. Cuius verò non est Deus? Non planè omnium eodem modo. Noster magis, noster qui viuimus de illo tamquam de pane nostro. Ipse sit hereditas nostra, possessio nostra.

7. *Et est piorũ propria possessio Deus, quẽ securè vocãt Deum suum.*

An fortè temerè dicimus, faciendo nobis Deum possessionem, cùm sit Dominus, cùm sit Creator? Non est ista temeritas: affectus est desiderij, & dulcedo spei. Dicat ei anima omnino secura, dicat, Deus meus es tu; (*Psal. 117.*) quia ipse dicit animæ nostræ, Salus tua ego sum. (*Psal. 34.*) Dicat, secura dicat: nõ faciet iniuriam cùm hoc dixerit, imò faciet si nõ dixerit. Arbores volebas habere, quibus beatus esses. Audi Scripturam dicentem de sapientiâ, Lignum vitæ est omnibus possidentibus eam. (*Prou. 3.*) Ecce possessionem nostram dixit esse sapientiam, sed ne putes ipsam sapientiam (quia possessionem tuam dixit Scriptura) aliquid esse quod sit te inferius, sequitur & adiungit, Et incumbentibus in eam velut in domo tutâ. (*& secura.*) Ecce Dominus tuus factus est tibi quasi baculus: securus homo incumbit, quia ille non succumbit. Dic ergo securus: nam possessio tua est. Possidentibus eam Scriptura dixit, Impleuit fiducia dubitationem tuam. Dic securus, ama securus, spera securus. Tua etiam illa verba sint in Psalmo: Dominus pars hereditatis meæ. (*Psal. 15.*)

8. *Deus à nobis possidetur & nos possidet.*

Ergo vnde beati erimus? Deum possidendo. Quid ergo? Nos possidebimus eum, & ille non nos possidebit? Vnde ergo Isaias, Domine posside nos? Possidet ergo & possidebitur, & totum propter nos. Vt enim nos ex illo beati simus, possidetur à nobis: vt autem ille beatus sit, non possidet nos. Et possidet nos, & possidetur à nobis, non ob aliud, nisi vt nos beati simus.

CAPVT VI.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum vigesimum septimum super his verbis: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius: Labores * fructuum tuorum manducabis, beatus es, & benè tibi erit.

(* *Κάρπος* & fructũ, & carpũ manus significat: hanc significationem sequitur Vulgata, dicẽs, *Labores manuum*; illam Augustinus, dicens, *Labores fructuum.*)

Timor initialis, & filialis, fructus dulces.

1. *Differentia timoris seruilis, & filialis.*
2. *In hoc sæculo labores fructuum suorum dulciter comedunt fideles.*
3. *In vitâ venturâ Beati fructus laborum suorum felicissimè manducabunt.*
4. *Quàm dulces sint piæ lacrymæ, & sancti gemitus ac suspiria seruorum Dei.*
5. *Et illa conuertet Deus in cælo in lætitiam inenarrabilem.*

1. *Timor seruilis bonus; sed filialis melior, & permanet in æternum.*

TIMOR nondum castus, præsentiam Domini & pœnas timet: timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiẽdi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, vtilis est, non tamen permanebit in sæculum sæculi: nondum est illic castus permanens in sæculum sæculi. In quo est ille castus? Iam aliquid vos interrogo, quod vosmetipsos interrogetis. Si Deus veniens voce propriâ loqueretur nobis (quãquam non taceat loqui per litteras suas) & diceret homini: Peccare vis, pecca: fac quidquid te delectat: quidquid amaueris in terrâ, tuum fiat: cui fueris iratus, intereat: quem rapere volueris, rapiatur: quem cædere, cædatur: quem damnare, damnetur: quem possidere, possideas. Nemo tibi resistat: nemo tibi dicat, Quid facis? nemo, Noli facere quod velis: nemo, Quare fecisti? Abundent tibi omnia ista terrena quæ concupisti, & viue in illis nõ vsque ad tempus, sed semper: faciem autem meam numquam videbis. Fratres mei, vnde ingemuistis, nisi quia iam natus est timor castus permanens in sæculum sæculi? Quare percussum est cor vestrum, si diceret Deus, Faciem meam numquam videbis? Ecce omni istâ terrenâ felicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluent te bona temporalia, non illa amittis, non illa deseris, quid vis amplius? Fleret quidem, gemeret timor castus, & diceret, Imò tollantur omnia, & faciem tuam videam. Timor castus exclamaret de Psalmo, & diceret: Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus. (*Psal. 79.*) Timor castus exclamaret de alio Psalmo & diceret: Vnam petij à Domino. (*Psal. 26.*) Vide quomodo ardeat timor iste castus, amor verus, amor sincerus. Vnam petij à Domino, hanc requi-

(Castus timor, qui vel filialis vel sponsalis à Theologis etiam mysticis nominatur, nõ fertur in Deũ ob spẽ bonorum vel metũ malorũ huius aut futuræ vitæ, sed mouetur maximè spe visionis Dei, aut metu separationis à Deo & gratiâ eius.)

requiram. Quid? Vt inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Quid si propter terrenam felicitatem? Audi quod sequitur: Vt contempler delectationem Domini, & protegar à templo sancto eius. Id est, esse templum eius, & protegi ab eo, hanc vnam petere à Domino. Hanc vnam si petieritis, ad hanc vnam si cor vestrum exercueritis, & hoc solum amittere timueritis, nec inuidebitis felicitatibus terrenis, & illam felicitatem veram sperabitis, & eritis in eius corpore, cui cantatur: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius: labores fructuum tuorum mãducabis.

2. *Labores fructuum manducamus in hac vitâ, dum gaudemus de laboribus pro Deo exantlatis, ob quos mercedem speramus.*

O vos, ô tu, vos multi qui vnus estis, labores fructuum tuorum manducabis. Quasi peruersè videtur dicere non intelligentibus: debuit enim dicere, Fructum laborum tuorum manducabis: multi enim manducant fructum laborum suorum. Laborant in vineâ, ipsum laborem non manducat: sed quod de labore ipsorum nascitur, manducant. Laborant circa arbores pomiferas, quis manducet labores? Nemo, inquam, sed quod illæ arbores attulerint. Fructus laboris iucundat agricolam. Quid sibi vult, Labores fructuum tuorum manducabis? Modò labores habemus, fructus posteà erit. Sed quia & ipsi labores nõ sunt sine gaudio propter spem, de quâ paulò antè diximus, Spe gaudentes, in tribulatione patientes, modò nos ipsi labores nostri iucundant, & lætos nos faciunt de spe.

Rom. 12.

3. *In futurâ vitâ ipsorum laborũ fructus comedemus, dum mercede laborũ læti fruemur.*

Si ergo labor noster potuit manducari, & potuit iucundare: manducatus fructus ipsius laboris qualis erit? Manducabant labores suos, qui euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Quantò iucundiùs manducabunt fructus laborum, qui venientes veniẽt cum exultatione portantes manipulos suos? Et vt noueritis, fratres, quia manducatur labor iste, in superiore Psalmo audistis dictum superbis, qui ante lucem volebant surgere, id est, ante Christum, non per humilitatem, quâ resurrexit Christus. Dictum est illis, Surgite posteaquam sedistis, id est, humiliamini, & inde surgite: quia & ille qui exaltatus est, humiliari venit propter vos. Et quid dictum est? Qui manducatis panem doloris. Iste est labor fructuum, panis doloris. Nisi enim manducaretur, non diceretur panis. Nisi autem haberet aliquam suauitatem panis iste, nemo illum manducaret cum tantâ suauitate.

Psal. 19.
Psal. 126.

4. *Lacrymæ pro Deo fusæ, dulcissimæ.*

Plorat in gemitu qui orat. Dulciores sunt lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum. Et audi flammam desiderij eorum, à quibus manducatur ipse panis, de quibus hîc dicit, Qui manducatis panem doloris. Alio loco dicit amans iste, (cuius vocem in Psalmo plerumque agnoscimus,) Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Vnde factæ sunt lacrymæ panes? Dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus. Antequam enim videamus eum qui nos dilexit, qui nobis pignus dedit, cui despõsati sumus, insultant nobis Pagani, & dicunt: Vbi est, quem colunt Christiani? Ostendant nobis quem colunt. Ecce ego, inquit Paganus, ostendo illis deum meum, & ipsi ostendant mihi Deum suum. Dum tibi hoc dicit Paganus, nõ inuenis quod illi ostendas, quia non est cui ostendas. Redis ergo, & plangis ad Deum: quia illi suspiras, antequam eum videas, & desiderio ipsius gemis: & quia in ipsius desiderio ploras, dulces sunt & ipsæ lacrymæ, & pro cibo tibi erunt: quia factæ sunt tibi & ipsæ panes die ac nocte, dum dicitur tibi quotidie, Vbi est Deus tuus?

Psal. 41.

Sed veniet Deus tuus, (de quo tibi dicitur, Vbi est?) & absterget lacrymas: & ipse pro pane lacrymarũ succedet, & te in æternum saginabit: quia erit tecũ Verbum Dei, quo pascuntur Angeli. Interim modò labores fructuum: posteà fructus laboris. Labores fructuum tuorum manducabis, beatus es, & benè tibi erit. Beatus es, de præsenti est: benè tibi erit, de futuro est. Cùm manducas labores fructuum tuorum, beatus es: cùm perueneris ad fructum laborum tuorum, benè tibi erit. Quid dixit? Nam si benè tibi erit, vtique beatus eris; & si beatus eris, benè tibi vtique erit. Sed interest inter spem & rem. Si spes tam dulcis, quantò res dulcior erit?

5. *Absterget in cælo Deus lacrymas, & conuertet eas in gaudium ineffabile.*
Apoc. 21.

CAPVT VII.

Ex Tractatu in Psalmum trigesimum quartum super his verbis: Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari eius.

Solus Deus amore nostro dignus.

1. *Nihil postulandum à Deo præter ipsum Deum.*
2. *Id pulchrâ gradatione ostenditur.*
3. *Et nihil donat Deus libentiùs quàm semetipsum. nihil ergo petat anima præter Deum sibi.*

1. *A Deo solum Deum postula, cũ nil melius Deo dari possit.*

ANIMA; inquit, mea exultabit in Domino, tamquam in eo à quo audierit, Salus tua ego sum; tãquam non quærens alias extrinsecus diuitias, tamquam non quærens circumfluere voluptatibus bonisque terrenis, sed Deum gratis amans, non ab illo volens accipere quod delectet, sed ipsum solum sibi proponens à quo delectetur. Quid enim melius Deo dabitur mihi? Amat me Deus. Omnino amat te Deus. Ecce ipse tibi proposuit, pete quod vis. Si tibi Imperator

STINVS. Esth. 7. & 9. rator diceret, Pete quod vis, quos Tribunatus, Comitatúsve ructares? quanta ibi proponeres & accipienda, & alijs largienda? Deo tibi dicente, Pete quod vis, quid petiturus es?

2. *Omnia, præter Deum, relinquenda pro Deo.* Disce praxin piæ gradationis per creaturas velut per scalas, quibus calcatis & repudiatis ascendit anima ad Deum, quē solū quærit & amat. Excute mentem tuam, exere auaritiam tuam, protende, quantum potes, & dilata cupiditatem tuam: nō quicumque, sed omnipotens Deus dixit, Pete quod vis. Si possessionum es amator, desideraturus es totam terram, vt omnes qui nascuntur, coloni tui aut serui tui sint. Et quid cùm totam terram possederis? Mare petiturus es, in quo viuere tamen non poteris: in hac auaritiâ te pisces superabunt. Sed fortè insulas posidebis. Transcende & hæc: pete & aërem, quamuis volare non posis: porrige cupiditatem tuam vsque ad cælum, dic tuum esse solem, lunam, stellas: quia ille qui fecit omnia, dixit, Pete quod vis: tamen nihil inuenies charius, nihil inuenies melius, quàm ipsum qui fecit omnia.

3. *qui nihil dat libentius peteti, quàm seipsum.* Ipsum pete qui fecit: & in illo, & ab illo habebis omnia quæ fecit. Omnia chara sunt, quia omnia pulchra sunt: sed quid illo pulchrius est? fortia sunt, sed quid illo fortius? Et nihil magis vult dare quàm se. Si aliquid inueneris melius, pete. Si alia petieris, iniuriam facies illi, & damnū tibi: præponendo illi quod fecit, cùm velit seipsum tibi dare qui fecit. In hoc amore dixit illi anima quædam: Numquid ipse es pars mea, Domine? Id est, tu es pars mea. Eligant sibi qui volunt, quod posideant: faciant sibi partes de rebus: pars mea tu es, te mihi elegi. Et iterùm, Dominus pars hereditatis meæ. Possideat te, vt possideas illum, eris prædium ipsius, eris domus ipsius. Possidet vt prosit, possidetur vt prosit. Numquid vt aliquid ei tu prosis? Nam, dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges. Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari eius. Salutare Dei Christus est: Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.

(Psal. 72. — Psal. 15. — Psal. 34. — Luc. 2.)

CAPVT VIII.

Ex Tractatu in Psalmum septuagesimum secundum super his verbis: Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit cor meū & caro mea: Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.

Thesaurus animæ Deus est.

1. *Animæ consideranti Deum esse præmium suum, vilescant omnia creata: quæ etiam impiis possunt contingere.*

2. *Diuitiarum nostrarum thesaurus, solus est Deus.*

3. *Castus amor non aliud præmium dilectionis suæ postulat, quàm ipsum Deum.*

COMPARAVIT voluntati suæ terrenæ præmium cæleste quod accepturus est: vidit quid ibi sibi seruaretur: & cogitans & æstuans in cogitatione cuiusdam rei ineffabilis, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, non dixit, Illud aut illud mihi est in cælo, sed, Quid mihi est in cælo? Quid est illud quod habeo in cælo, quantum est? quale est? quid est? Et cùm non transeat quod habeo in cælo, à te quid volui super terram? Seruas mihi tu, (dicam, vt possum, sed date veniam: accipite conatum meum, deuotionem nitendi, nam explicandi nulla facultas est,) seruas, inquit, mihi tu in cælo diuitias immortales, teipsum: & ego volui à te in terrâ quod habent & impij, quod habent & mali, quod habent & facinorosi, pecuniam, aurum, & argentum, gemmas, familias, quod habent & scelerati multi, quod habent multæ feminæ turpes, multi viri turpes? Hæc pro magno desideraui à Deo meo super terram, cùm seruet se mihi in cælo Deus meus? Quid enim mihi est in cælo? Ostendere habet ipsum quid. Defecit cor meum & caro mea, Deus cordis mei. Hoc ergo mihi est in cælo seruatum. Deus cordis mei, & pars mea Deus meus. 1. *Omnia creata pijs animus vilescunt, pro Deo, cùm etiam impij omnia creata possidere possint præter Deum.* 1. Cor. 1. Isa. 14.

Quid est, fratres? Inuenimus diuitias nostras: eligat sibi partes genus humanum. Videamus homines cupiditatum diuersitate dilaniari. Eligant alij militiam, alij aduocationem, alij diuersas variasque doctrinas, alij negotiationem, alij agriculturam: istas partes sibi faciant de rebus humanis: clamet populus Dei, Pars mea Deus meus. Non ad tempus pars mea, sed pars mea Deus in sæcula. Aurum & si semper habeo, quid habeo? Deum si semper haberem, quàm magnum bonum haberem? Huc accedit, quia Deus seipsum mihi promittit, & id me in æternum habiturum promittit. Tantum habeo, & numquam non habeo. 2. *Omnes & sola diuitia piorum, Deus.*

Magna felicitas, pars mea Deus. Quamdiu? In sæcula. Quomodo? Ecce vide quomodo illum amauit. Fecit cor castū: Deus cordis mei & pars mea Deus in sæcula. Factum est cor castum, gratis iam amatur Deus: non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, & proptereà vult seruire Deo, charius facit quod vult accipere, quàm ipsum à quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum. Præmium Dei, ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit, non erit castus amor. 3. *Amoris casti non aliud præmium, quā Deus ipse, ad quē toto cordis anhelat.*

CA-

CAPVT IX.

Ex Tractatu quarto in Epistolam 1. *beati Ioannis Apostoli super illis verbis cap.*1.
1.Ioan.3. Scimus quia cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eũ sicuti est.

Visio Dei.

1. *Quid in Deo significet verbum Est.*
2. *Christum in formá serui videbunt impij; in formá Dei, soli pij videbunt.*
3. *Visio Dei, quam felix voluptas.*
4. *Efficit Beatos Deo similes.*
5. *Deum in hac vitá sanctè desiderando, efficimur capaces Dei.*
6. *Desiderium autem tantò est maius, quantò est purius & remotius à sæculi desiderijs.*

1. *Deus solus verè est.* INTELLIGAT charitas vestra. Magna res. Scimus, inquit, quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Iam attendite quid vocetur, Est. Exod 3. Nostis quid vocetur, Est? Quid vocatur, & non solum vocatur, sed verè est, incommutabilis est: semper manet, mutari nescit, nullà ex parte corrumpitur: nec proficit, quia perfectus est: nec deficit, quia perfectus est. Ioan.1. Et quid est hoc? In principio erat Verbum.

2. *Christum vt Deum soli boni, vt hominẽ etiam mali videbunt.* Act.1. Christum in formâ Dei, Verbum Dei, vnicum Patris, æqualem Patri, non possunt videre mali: secundùm id verò quòd Verbum caro factum est, potuerunt videre & mali, & in die iudicij videbunt etiam mali: quia sic veniet iudicaturus, quomodo venit iudicandus. Videbunt, sed formam serui: formam Dei non videbunt, quia impij sunt. Math. 5. Ipse autem Dominus dicit, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

3. *Quàm iucunda Dei visio.* Isa.64. 1.Cor.2. Ergo visuri sumus quamdam visionem, fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: visionem quamdam præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum, aut camporum: visionem præcellentem pulchritudinem maris & aëris, pulchritudinem solis, lunæ, stellarum, & Angelorum: visionem Dei omnia pulchra superantem, quia ex ipso sunt omnia pulchra.

4. *Dei visio facit videntes similes ipsi Deo.* Quid ergo erimus, quando videbimus quod nobis promissum est? Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quomodo potuit, lingua sonuit: cetera corde cogitentur. Quid enim vel ipse Ioannes dixit, ad comparationem rei quæ est; vel dici potest à nobis, hominibus longè imparibus meritis ipsius?

5. *Desideriũ pium in vitâ capaces illius visionis efficit in cælesti patriâ.* Redeamus ergo ad illam vnctionem, quę intus docet ea quæ loqui non possumus: & quia modò videre non potestis, officium vestrũ in desiderio sit. Tota vita boni Christiani, sanctum desiderium est. Quod desideras, nondum vides: sed desiderando capax efficeris: vt cùm venerit quod videas, implearis. Sicuti enim, si velles implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est quod dabitur, extendis sinum vel sacci, vel vtris, vel alicuius rei; nosti quantum missurus es, & vides quia angustus est sinus, extendendo facis capaciorem: sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extenditur animus, extendendo fit capax. Desideremus ergo, fratres, quia implendi sumus. Hęc est vita nostra, vt desiderando exerceamur.

Tantum autem nos exercet sanctum desiderium, quantum desideria nostra amputauerimus àb amore sæculi. Exinani quod implendum est: bono implendus es, funde malum. Puta quia melle te vult implere Deus: si aceto plenus es, vbi mel pones? Fundendum est id quod portat vas, mundãdum est ipsum vas. Mundandum est (etsi cum labore, cum triturâ) vt fiat aptum cuidam rei: mel dicamus, aurum dicamus, vinum dicamus; quidquid dixerimus, quidquid volumus dicere, quod dici non potest, Deus vocatur. Et quid dicimus, quando dicimus, Deus? quid dicimus? In duabus istis syllabis intelligitur totum quod expectamus. Quidquid ergo dicere valuimus, infrà est: extendamus nos in eum, vt cùm venerit impleat nos. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. 6. *Hoc Dei desiderium eò maius est, quò minus desideramus sæculum.*

CAPVT X.

Ex Tractatu in Psalmum vigesimum sextum super his verbis: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini.

Beatitudo patriæ cælestis.

1. *Domus triumphantium, est patria cælestis: tabernaculum militantium, peregrinatio terrena.*
2. *Occupatio Beatorum, laus Dei perpetua.*
3. *Amor mali, miserum facit; possessio adhuc miseriorem.*
4. *Diuinæ delectationis spectaculum quale & quàm felix.*
5. *Diuina delectatio est bonum super omnia bona, & omnis boni bonum.*

VNAM, inquit, petij à Domino. Feminino genere appellauit quoddam beneficium, tamquam diceret, vnam petitionem. Videamus quid petit, qui nihil timet. Magna securitas cordis. Vultis nihil timere? Hanc vnam petite, quam vnam petit, qui nihil timet: aut quam petit, vt nihil timeat. Vnam, inquit, petij à Domino, hanc requiram. Hoc hîc agitur ab eis qui benè ambulant. 1. *Domus victoria, cælũ tabernaculum militia, terra est.*

lant. Quid est hoc? quæ est illa vna? Vt inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Hæc est vna. Domus enim ea dicitur, vbi semper manebimus. In istâ peregrinatione si dicitur domus, sed tamen propriè tabernaculum appellatur. Tabernaculum peregrinantium, & quodam modo militantium, & aduersus hostes pugnantium est. Quando ergo tabernaculum est in hac vitâ, manifestum est, quia est & hostis. Nam inde dicuntur contubernales, quia simul habent tabernacula, & nostis hoc nomen esse militantium. Ergo hîc tabernaculum, ibi domus. Sed tabernaculum interdum per abusionem vicinitatis dicitur domus, & domus aliquando secundùm eumdem modum dicitur tabernaculum: propriè tamen illa domus, hoc tabernaculum.

Laus Dei, occupatio Beatorum perpetua. Psal. 83.

2. Quid autem acturi simus in illâ domo, habes euidenter expressisse alterum Psalmum: Beati qui habitant in domo tuâ, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hac iste, (si dicendum est) cupiditate ardens, & amore isto æstuans, desiderat omnes dies vitæ suæ in domo Domini habitare, in domo Domini omnes dies vitæ suæ agere, non quasi finiendos, sed æternos. Sic enim dicuntur dies, quomodo anni, de quibus dictum est: Et anni tui non deficient. Nam dies vitæ æternæ, vnus dies est sine occasu. Hoc ergo dixit ad Dominum, Concupiui hanc, vnam petij, hanc requiram. (Psal. 101.)

Amor & possessio mali miseros faciũt, non felices.

3. Et quasi diceremus ei, Et quid ibi facturus es? quæ ibi delectatio tua? quod auocamentum cordis? quæ illæ deliciæ? vnde gaudia suppetent? Non enim ibi perdurabis, nisi felix eris. Felicitas autem illa vnde succedit? Habemus enim hîc felicitates diuersas generis humani, & miser quisque dicitur, dum subtrahitur illi quod amat. Amant ergo homines diuersas res, & quando quisque quod amat habere videtur, felix vocatur. Verè autem felix est, non si id habet quod amat, sed si id amet quod amandũ est. Multi enim miseri sunt magis habendo quod amant, quàm carendo. Amando enim res noxias, miseri: habendo sunt miseriores. Et propitius Deus, cùm malè amamus, negat quod amamus: iratus autem, dat amanti quod malè amat. Quia ergo in istis terrenis habitationibus, diuersis delicijs & voluptatibus homines oblectantur, & vnusquisque in eâ vult domo habitare, vbi non habeat quod offendat animum, & habeat multa quæ delectent; si autem subtrahantur ea quæ delectabant, vult homo inde migrare.

Vera felicitas, Deũ contemplari perenniter, vnde excidit homo; sed erigit nos Christus.

4. Interrogemus quasi curiosiùs, & dicat iste quid nos, quid ipse acturus est in illâ domo, vbi cupit & optat, & desiderat (& hanc vnam petit à Domino) habitare per omnes dies vitæ suæ. Quid ibi ages, quæso te? quid est quod desideras? Audi quid: Vt contempler delectationem Domini. Ecce quod amo, ecce quare volo habitare in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Habet ibi magnum spectaculum, delectationem ipsius Domini contemplari. Vult finitâ nocte suâ hærere in luce ipsius. Tunc enim erit manè nostrum, nocte transactâ. Vnde alio loco Psalmus dicit, Manè astabo tibi & contemplabor te. (Psal. 5.) Modò ideò non contemplor, quia cecidi: tunc astabo tibi, & contemplabor. Hæc vox humana est. Cecidit enim homo: & non mitteretur qui erigeret, nisi cecidissemus. Nos cecidimus, ille descendit. Ille ascendit, nos leuamur: quia nemo ascendit, nisi qui descendit. (Ioan. 3. Ephes. 4.) Qui ruit, leuatur; qui descendit, ascendit. Et non ideò desperemus, quia ille solus ascendit; leuat enim nos, ad quos cadentes descendit: & stabimus, & contemplabimur, & magnâ delectatione perfruemur.

Delectatio contemplationis diuina, est bonum super omnia bona.

5. Ecce dixi hoc, & exclamastis desiderio cuiusdam speciei nondum visæ. Excedat cor vestrum omnia visa, & excedat intentio vniuersas cogitationes vestras prodeuntes ex carne, eductas à sensibus carnis, & imaginatas nescio quo phantasmate. Totum ab animo reijcite; quidquid occurrerit, negate. Cognoscite infirmitatem cordis vestri: & quidquid occurrerit quod cogitare possitis, dicite, Non est illud. Non enim si illud esset, mihi iam occurrisset. Ita desiderabitis quoddam bonum. Quale bonum? Omnis boni bonum, vnde omne bonum: bonum cui non addatur quid sit, nisi ipsum bonum. Dicitur enim bonus homo, & bonus ager, & bona domus, & bonum animal, & bona arbor, & bonum corpus, & bona anima. Adiunxisti toties quoties dixisti bonum. Bonum simplex, ipsum bonum quo cuncta sunt bona, ipsum bonum ex quo cuncta sunt bona, ipsa est delectatio Domini: hanc contemplabimur. Iam videte, fratres, si vos delectant bona ista quæ appellantur bona, si vos delectant bona quæ non sunt per se bona, (omnia enim mutabilia non per se bona,) qualis erit contemplatio boni incommutabilis, æterni, semper eodem modo manentis? quandoquidem ista quæ dicuntur bona, nullo pacto nos delectarent, nisi essent bona: nec alio pacto essent bona, nisi ab illo essent qui simpliciter bonus est. Ecce quare habitare volo, inquit, in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Dixi vobis quare; vt contempler delectationem Domini.

CAPVT XI.

Ex eodem Tractatu in ipsum Psalmū vigesimū sextum super his verbis: Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam iubilationis, cantabo & psalmum dicā Domino: Exaudi Domine vocē meam quâ clamaui ad te, miserere mei, & exaudi me. Tibi dixit cor meum, Quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram.

Laus Dei, est hostia iubilationis.

1. *Hostia iubilationis est gratiarū actio in Ecclesiâ:*
2. *Materia eius, sunt admiranda Dei opera, quæ creauit, corporalia & spiritualia.*
3. *Perseuerandum in oratione & gemitu dum in terrâ viuimus: iubilatio cælo reseruanda.*
4. *Lux Dei non nisi mundo corde potest videri.*

1. *Officium diuinum in Ecclesiâ, est hostia iubilationis.*

IMMOLAMVS hostiam iubilationis, immolamus hostiam lætitię, hostiam gratulationis, hostiam gratiarū actionis, quæ verbis explicari nō potest. Immolamus autem vbi? In ipso tabernaculo eius, in sanctâ Ecclesiâ. Quid ergo immolamus? Abūdantissimū & inenarrabile gaudium, nullis verbis, voce ineffabili. Hæc est hostia iubilationis.

2. *Laudis Dei materia ex omnibus eius operibus desumitur.* Scalę ascēdentium ad Dei iubilationē. 1. Pulchritudo corporearum creaturarū.

Vnde quæsita, vnde inuenta est? Circumeūdo. Circumiui, inquit, & immolaui in tabernaculo eius hostiam iubilationis. Circūiuerat animus tuus per vniuersam creaturā vndique tibi clamabat creatura, Deus me fecit. Quidquid te delectauerit in arte, Artificem cōmendat: magisque (si circumeas vniuersa) consideratio cōcipit Artificis laudem. Vides cælos: magna opera Dei sunt. Vides terrā: Deus fecit semina innumera, diuersitates germinum, multitudinem animalium. Circumi adhuc cælos vsque ad terrā, nihil relinquas: vndiq; omnia tibi resonant Conditorem. Et ipsæ species creaturarum voces sunt quædā Creatorem laudantium. Quis autem explicet laudibus vniuersam creaturam? Quis illā explicet laudibus? Quis dignè laudet cælum & terrā, mare, & omnia quæ in eis sunt? Et ista quidē visibilia. Quis dignè

2. Angelorū & animarum excellentia.

laudet Angelos, Sedes, Dominationes, Principatus & Potestates? Quis dignè laudet hoc ipsum quod in nobis viget, corporis mouēs membra, sensu exercens tam multa, memoriâ tam multa complectens, intellectu tam multa discernens: quis dignè laudet? At si in

Obserua praxin circūeundi per creaturas vsque ad laudem Creatoris.

istis creaturis Dei sic laborat humanus sermo, in Creatore quid agit, nisi quòd sola restat (sermone deficiēte) iubilatio: Circumiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam iubilationis, cantabo & psallam Domino?

3. *In patriâ semper iubilandum, in viâ semper orandū & gemendum.*

Securi erimus, & securi cantabimus, & securi psallemus, cū cōtemplabimur delectationē Domini, in illâ incorruptione, quando absorbebitur mors in victoria. Modò quid? Quia iam dicta sunt gaudia illa quæ habebimus, cùm acceperimus illam vnam petitionē. Modò quid? Exaudi Domine vocem meam. Gemamus modò, oremus modò. Gemitus nō est nisi miserorum, oratio non est nisi indigentium. Transiet oratio, succedet laudatio: transiet fletus, succedet gaudium. Interim modò quando in diebus malorum nostrorum sumus, non cesset oratio nostra ad Deum, à quo vnā illam petamus, & ab ipsâ petitione non desistamus, donec ad eam illo donante ac perducēte perueniamus. Exaudi Dñe vocē meam quâ clamaui ad te: miserere mei, & exaudi me. Vnam illam petit, tam diu rogans, flens, gemens: non petit nisi vnā. Finiuit omnes cupiditates, remansit illa vna, quam petit. Audi quia hanc petit. Tibi dixit cor meum, Quæsiui vultū tuum. Hoc est ergo quod paulò antè dixit, Vt contempler delectationē Domini.

Si gaudium nostrum in isto sole esset, non cor nostrum diceret, Quæsiui vultū tuum Domine, sed oculi corporis nostri illū quærerent. Cor nostrum cui dicit, Quæsiui vultum tuum, nisi ei qui pertinet ad oculū cordis? Lucē istam quęrunt oculi carnis: lucem illam quærunt oculi cordis. Sed vis illam lucem, quæ videtur oculis cordis, videre, (quia ipsa lux Deus est, Deus enim lux est, ait Ioannes, & tenebræ in eo non sunt vllæ:) vis ergo videre illam lucem? Munda oculum, vnde videtur: Beati enim mūdo corde, quia ipsi Deum videbunt. Tibi dixit cor meum, Quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Vnam petij à Domino, hanc requiram. O quomodo se fixit in istâ vnâ petitione! Vis impetrare? Aliud noli petere: vni suffice, quia vna tibi sufficiet.

4. *Soli mundi oculo cordis, videbunt lucem vultus diuini.* — 1. Ioan. 1. — Ioan. 8. — Math. 5.

CAPVT XII.

Ex eodem Tractatu in ipsum Psalmum vigesimum sextum super his verbis: Credo videre bona Domini in terrâ viuentium. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Præsens vita in terrâ morientium agitur.

1. *Bona Domini quærenda sunt in terrâ viuentium, non in terrâ morientium.*
2. *Patienter expectanda & postulanda per Christum Aduocatum nostrum.*
3. *Qui non fallit viriliter sustinentes.*

REDIT ad illam vnam, post pericula, post labores, post difficultates, inter manus persequentium & tribulantium æstuans, anhelans, laborans, & firmus, & certus, illo suscipiente, illo adiuuante, illo ducente, illo regente: tamen post illum circuitum & iubilationem exultans gaudio & gemens in laboribus, suspirauit ad extremum, & ait, Credo videre bona Domini in

1. *Vbi quærēda sunt bona Dei? in terrâ morientium, an viuentium?*

terrâ viuẽtium. O bona Domini dulcia, immortalia, incomparabilia, sempiterna, incõmutabilia! & quãdo vos videbo, bona Domini? Credo videre, sed nõ in terrâ morientium. Credo videre bona Domini in terrâ viuẽtium. Eruet me Dominus de terrâ morientium, qui propter me dignatus est suscipere terrâ morientium, & mori inter manus morientium. Eruet me Dominus de terrâ moriẽtium. Credo videre bona Domini in terrâ viuẽtium. Suspirans dixit, laborãs dixit, periclitans dixit, inter magnam turbam tentationũ, sed tamen sperans de misericordiâ.

2. *Quã longanimiter expectãda & desideranda per meritum & intercessionem Christi Domini.* Audiamus & vocem Domini desuper exhortantis nos, & consolantis nos: illius vocem, quẽ habemus pro patre & matre qui nos dereliquerunt, illius vocem audiamus. Audiuit enim gemitus nostros, vidit suspiria nostra, intuitus est desiderium nostrũ, & vnam petitionem nostrã, vnam postulationem per Aduocatũ Christum libenter accepit: & donec peragamus istam peregrinationem (quia dilaturus est, non ablaturus quod promisit nobis) dixit nobis: Sustine Dñm.

3. *Nõ frustrà erit expectatio constanter sustinentibus Dominum. Eccli. 2.* Non sustinebis mendacem, non eum qui poterit falli, non eum qui non est inuenturus quod det. Omnipotens promisit, certus promisit, verax promisit. Sustine Dominum, viriliter age. Noli dissolui, ne sis inter eos quibus dicitur: Væ his qui perdiderunt sustinentiam. Sustine Dominum. Omnibus nobis dicitur, & vni homini dicitur. Vnus sumus in Christo, corpus Christi sumus, qui vnam illã desideramus, qui vnam illam petimus, qui in istis diebus malorum nostrorum ingemiscimus, qui credimus nos visuros bona Domini in terrâ viuentium: nobis omnibus, qui vnus in vno sumus, dicitur: Sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Sustinendo Dominum, habebis eum, habebis quem sustinebis. Aliud desidera, si maius, si melius, si suauius inueneris.

CAPVT XIII.

Ex Tractatu in Psalmum quadragesimum primum super his verbis: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum * fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam.

* *nunc legitur fortem*

Venatio spiritualis animæ.

1. *Desiderium animæ dirigendum est ad Deum, qui est lux illuminans intelligentiam, & fons irrigans affectionem.*
2. *Stultitia Paganorum visibiles deos colentium.*
3. *Cursus animæ fidelis & anhelantis ad Deum, est quasi venatio venatoris inuestigantis Deum per vestigia creaturarum Dei.*
4. *In nullâ tamen creaturâ inuenit Deum suum pia desiderantis anima.*
5. *Anima desiderans inuenire Deum, debet supra seipsam leuari.*

Eia, fratres, auiditatem meam capite, desiderium hoc meum communicate: simul amemus, simul in hac siti exardescamus, simul ad fontem intelligendi curramus. Desideremus ergo, velut ceruus fontem: præter illum fontem, quem propter remissionem peccatorum desiderant baptizandi, nos iam baptizati desideremus illum fontem, de quo Scriptura alia dicit, Quoniam apud te est fons vitæ. Ipse enim fons & lumen est. Quoniam in lumine tuo, inquit, videbimus lumen. Si & fons est, & lumen est, meritò & intellectus est: quia & satiat animam auidam scientia, & omnis qui intelligit, luce quadam, non corporali, non carnali, non exteriore, sed interiore illustratur. Est ergo, fratres, quædam lux intus, quam non habent qui non intelligunt. Vnde iam eos, qui desiderant hunc fontem vitæ, & inde aliquid carpunt, alloquitur Apostolus obsecrans, & dicit, Vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentiâ, alienati à viâ Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. Si illi obscurati sunt intelligentiâ, id est, quia non intelligunt, obscurantur; ergo qui intelligunt, illuminantur. Curre ad fontes, desidera aquarum fontes. Apud Deum est fons vitæ, & insiccabilis fons: in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera, quemdam fontem, quoddam lumen, quale non norunt oculi tui: cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriendo sitis interior inardescit. Curre ad fontem, desidera fontem: sed noli vtcumque, noli vt qualecumque animal currere: vt ceruus curre. Quid est, vt ceruus? Non sit tarditas in currendo: impiger curre, impiger desidera fontem. Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Quod dixi, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus; hoc iterùm dico, Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Quid sitiuit anima mea ad Deum viuum? quid sitiuit? Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Hoc est quod sitio, venire & apparere. Sitio in peregrinatione, sitio in cursu, satiabor in aduentu. Sed quando veniam? Et quod citius est Deo, tardum est desiderio. Quando veniam

Margin notes (right column): 1. *Anima fidelis magno desiderio ferri debet in Deum.* — Psal. 35. — Ephes. 4. — *Conditiones desiderij in animâ deuotâ. 1. Desiderium sit ardens, velox, indefessum.*

niam & apparebo ante faciem Dei? Ex illo desiderio est, & hoc quod clamabatur alibi, Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Quare hoc? Vt contempler, inquit, delectationem Domini. Quando veniam & apparebo ante faciem Domini?

1. Lacrymis etiam deuotis pascēdum, fouendum, accendendum.

Interim dum meditor, dum curro, dum in viâ sum; antequam veniam, antequam appaream; fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus. Fuerunt mihi, inquit, lacrymę meæ, non amaritudo, sed panes suaues erant ipsæ lacrymæ, sitienti mihi illum fontem: quem, quia bibere nondum poteram, auidius meas lacrymas manducabam. Non enim dixit, Factæ sunt mihi lacrymæ meæ potus, ne ipsas desiderasse videretur, sicut fontes aquarum: sed seruatâ, inquit, illâ siti quâ rapior, seruatâ illâ siti quâ inardesco ad fontes aquarum, panes mihi factæ sunt lacrymæ meæ dum differor. Et vtique manducando lacrymas meas, sine dubio plus sitio ad fontes: die quippe ac nocte factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes.

3. Aestuat pium desiderium tā die quàm nocte; id est tam in prosperis, quàm in aduersis.

Cibum istum, qui panis dicitur, die comedunt homines, nocte dormiunt: panis autē lacrymarum & die & nocte comeditur; siue totum tempus accipias diem & noctem; siue diem intelligas pro huius sæculi prosperitate, noctem verò pro huius sæculi aduersitate. Siue, inquit, in prosperis rebus sæculi, siue in aduersis rebus sæculi, ego desiderij lacrymas fundo, ego desiderij mei auiditatem non desero. Et quando in mundo benè est, mihi malè est, quousque appaream ante faciem Dei. Quid ergo contradicis? Quasi gratulari me cogis, si aliqua huius sæculi prosperitas arriserit? Nónne deceptoria est? nónne fluxa, caduca, mortalis? nónne temporalis, volatica, transitoria? nónne plus habet deceptionis quàm delectationis? Cur ergo non & in ipsâ fiant lacrymæ meæ panes? Siquidem & quando felicitas sæculi circumfulget, quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino.

2. Cor. 5.

2. Amentia Ethnicorū deos visibiles adorantium.

Et dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? Quid? Paganus si hoc mihi dicat; nónne illi & ego possum dicere, Vbi est deus tuus? Deum quippe suum digito ostendit. Intendit enim digitum ad aliquem lapidem, & dicit, Ecce deus meus; Vbi est deus tuus? Cùm lapidem irrisero, & erubuerit qui demonstrauit; tollit oculos à lapide, suspicit cælum, & fortè in solem digitum intendens, iterùm dicit: Ecce deus meus; vbi est deus tuus? Inuenit ille quod ostenderet oculis carnis; ego autem, non quasi non habeo quem ostendam; sed non habet ille oculos quibus ostendam; potuit enim ille oculis corporis mei ostēdere deum suum solem, quibus ego oculis eius ostendā solis creatorem? Verumtamen audiendo quotidie, Vbi est Deus tuus, & in lacrymis meis quotidianis pastus, die ac nocte meditatus sum quod audiui, Vbi est Deus tuus.

3. Quasi venatio quadā est anima, inuestigatio Dei in operibus illius, sicut ceruorum per vestigia eorum. Rom. 1.

Quæsiui etiam ego ipse Deum meum: vt, si possem, non tantum crederem, sed aliquid & viderem. Video enim quæ fecerit Deus meus, non autem video ipsum Deum meum qui fecit hæc. Sed quoniam, sicut ceruus, desidero fontes aquarum, & est apud Deum fons vitæ, & in intellectu scriptus est hic Psalmus, & inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; quid agam, vt inueniam Deum meum?

Vestigia Dei in terrā,

Considerabo terram, facta est terra. Est magna pulchritudo terrarum, sed habet artificem. Magna miracula sunt seminum atque gignentium, sed habent ista omnia creatorem.

in mari,

Attendo magnitudinem circumfusi maris, stupeo, miror, artificem quæro.

in cælo,

Cælum suspicio, & pulchritudinem siderum; admiror splendorem solis exercitio diei sufficientem, lunam nocturnas tenebras consolantem: mira sunt hæc, laudanda sunt hæc, vel etiam stupenda sunt hæc: neque enim terrena, sed etiam cælestia sunt hæc: nondum ibi stat sitis mea. Hæc miror, hæc laudo: sed eum qui fecit hæc sitio.

in corpore & animâ hominis,

Redeo ad meipsum, & quis sim etiam ipse qui talia quæro, perscrutor: inuenio me habere corpus & animam; vnum quod regam, aliud quo regar; corpus seruire, animam imperare. Discerno animam melius esse aliquid quàm corpus, ipsum inquisitorem talium rerum non corpus sed animam video: & tamen hæc omnia quæ collustraui, per corpus ea me collustrasse cognosco. Terram laudabam, oculis cognoueram: mare laudabam, oculis cognoueram: cælum, sidera, solem, lunamque laudabam, oculis cognoueram. Oculi membra carnis sunt, fenestræ sunt mentis: interior est qui per has videt: quando cogitatione aliquâ absens est, frustrà patent. Deus meus qui fecit hæc quæ oculis video, non istis oculis est inquirendus.

in organis & potentijs sensuum internorū etiam incorporea apprehendentium.

Aliquid etiam per seipsum animus conspicit, quod non per oculos sentiat, quasi colores & lucem; non per aures, quasi cantum & sonum; non per nares, quasi odorum suauitatem; non per palatum & linguam, quasi saporem; non per totum corpus, quasi duritiam & mollitiem, rigorem atque feruorem, asperitatem lenitatemque. Videamus, quod neque color sit, neque sonus, neque odor, neque sapor, neque calor aut frigus, aut duritia aut mollities.

ties. Dicatur ergo mihi quem colorem habeat sapientia. Cùm cogitamus iustitiam, (cuius pulchritudine intus in ipsâ cogitatione fruimur,) quid tamquam sonus ad aures, quid tamquam vaporeum surgit ad nares? quid odori infertur? quid manu tractatur? Et delectat, & intus est, & pulchra est, & laudatur, & videtur: & si in tenebris sunt oculi isti, animus illius luce perfruitur. Tob. 4. Quid est illud quod Tobias videbat, quando videnti filio cæcus consilium vitæ dabat? Est ergo aliquid quod animus ipse corporis dominator, rector, habitator videt, quod non per oculos corporis sentit, non per aures, non per nares, non per palatum, non per corporis tactum, sed per seipsum: & vtique melius est prorsus quod videt per seipsum, quàm quod per seruum suum. Seipsum enim per seipsum videt: & animus ipse, vt norit se, videt se; nec vt videat se, corporalium oculorum quęrit auxilium: imò verò ab omnibus corporis sensibus, tamquam impedientibus & perstrepentibus, abstrahit se à se, vt videat se in se, vt nouerit se apud se.

4. *Nec tamen in vllâ classe creaturarum Deus creator reperitur aut capitur.*

Sed numquid aliquid tale Deus ipse est, qualis est animus? Non quidem videri Deus nisi animo potest: nec tamen ita vt animus videri potest. Aliquid enim quærit animus iste quod Deus est, de quo illi non insultent qui dicunt, Vbi est Deus tuus? Aliquâ quærit incommutabilem veritatem, & sine defectu substantiam. Non est talis ipse animus: deficit, proficit, nouit, ignorat, meminit, obliuiscitur, modò illud vult, modò non vult. Ista mutabilitas non cadit in Deum. Si dixero, Mutabilis est Deus, insultabunt mihi qui dicunt, Vbi est Deus tuus?

5. *Omnia creata, etiã animã nostrã, transcẽdit Deus: vt ergo Deũ anima inueniat, debet supra seipsã eleuari.*

Quærens ergo Deum meum in rebus visibilibus & corporalibus, & non inueniens; quærens eius substantiam in meipso, (quasi aliquid tale ipsa sit, qualis ego sum,) neque ibi inueniẽs; aliquid super animam esse sentio Deum meum. Ergo vt eum tangerem, hæc meditatus sum, & effudi super me animam meam. Quando anima mea contingeret quod super animam meam quæritur, nisi anima mea super seipsam effunderetur? Si enim in seipsâ remaneret, nihil aliud quàm se videret. Et cùm se videret, non vtique Deum suum videret. Dicant iam insultatores mei: Vbi est Deus tuus? dicant: ego quàm diu non video, quàm diu differor, manducabo die ac nocte lacrymas meas. Dicant illi adhuc, Vbi est Deus tuus? Quæro ego Deum meum in omni corpore, siue terrestri, siue cælesti, & non inuenio. Volens cognoscere substantiam eius, quæro etiam in animâ meâ, nec ibi inuenio. Meditatus sum tamen in inquisitione Dei mei, & per ea quæ facta sunt, inuisibilia Dei mei cupiens intellecta conspicere, effudi super me animam meam: & iam non restat quem tangam nisi Deum meum. Ibi enim domus Dei mei. Super animam meã Deus meus habitat: inde me prospicit, inde me creauit, inde me gubernat, inde mihi consulit, inde me excitat, inde me vocat, inde me dirigit, inde me ducit, inde me perducit. Rom. 1.

CAPVT XIV.

Ex eodem Tractatu in ipsum Psalmum quadragesimum primum super his verbis: Transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis soni festiuitatem celebrantis. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei & Deus meus.

Vbi, & quomodo quærendus, & inueniendus Deus.

1. *Extra Ecclesiam non inuenitur Deus: consideratio autem operum Dei in Ecclesiâ statum perducit ad Deum.*

2. *Inde enim maximè elucet dulcedo, benignitas & prouidentia Dei.*

3. *Vt musica sæcularium indicat ipsorum festiuam lætitiam: ita consonantia operum Dei in Ecclesiâ indicat magnitudinem solemnitatis Beatorum.*

4. *Sed attentio ad hanc musicam interrumpitur crebris vitæ huius necessitatibus.*

5. *Et inde contristatur anima, comparans terræ dolores, in quibus manet, cum festis cæli gaudijs, ad quæ totis desiderijs anhelat.*

6. *Rursus autem seipsam solatur in patientiâ & spe, quæ non confundit perseuerantes.*

TABERNACVLVM eius in terrâ, Ecclesia est adhuc peregrina. Extra locum tabernaculi quęrens Deum meum, errabo. In locum tabernaculi ingrediar, admirabilis tabernaculi, vsq; ad domum Dei. Iam multa admiror in tabernaculo: tabernaculum eum in terrâ, homines sunt fideles. Admiror in eis membrorũ ipsorum obsequium: quia non in eis regnat peccatũ ad obediendum desiderijs eius, nec exhibent membra sua arma iniquitatis peccato, sed exhibent se Deo viuo in bonis operibus: animæ seruiẽti Deo membra corporalia militare admiror. Respicio & ipsam animã obedientem Deo, distribuentem opera actus sui, frenantẽ cupiditates, pellentem ignorantiam, extendẽtem se ad omnia aspera & dura tolerãda, iustitiam & charitatẽ impendentem ceteris. Miror & istas virtutes in animâ: sed adhuc in loco tabernaculi ambulo. Transeo & hęc: & quamuis admirabile mihi sit tabernaculũ, stupeo cùm peruenio vsq; ad domum Dei.

1. *Dei tabernaculũ est Ecclesia, extra quã non inuenitur Deus.*

Rom. 6.

2. *In eius gubernatione Dei bonitas maximè respiciẽdus.*

Ecce iste dum miratur membra tabernaculi, perductus est ad domum Dei. Percepit quamdam dulcedinem, sequendo interiorem nescio quam & occultam voluptatem, tamquam de domo Dei sonaret suauiter aliquod organum. Et cùm ille ambularet in tabernaculo, audito quodam interiore sono, ductus dulcedine, sequens quod sonabat, abstrahens se ab omni strepitu carnis & sanguinis, peruenit vsq; ad domum Dei. Nam viam suam & ductum suum sic ipse commemorat, quasi diceremus ei, Mirabaris tabernaculum in hac terrâ, quomodo peruenisti ad secretum domus Dei? In voce, inquit, exultationis & confessionis, soni festiuitatem celebrantis.

3. *Vt Musica, sæcularium festa; sic diuinorum operũ consonantia indicat festiuitatem cælorum.*

Festa cùm hic homines celebrant suæ luxuriæ, consuetudinem habent constituere organa ante domos suas, aut ponere symphoniam, vel quæcumq; musica ad luxuriam seruientia & illicientia: & vbi audita fuerint hæc, quid dicimus qui transimus? Quid hic agitur? Et respondetur nobis, aliqua esse festa. Natalitia, inquit, celebrantur: nuptiæ hic sunt: vt non videantur inepta illa cantica, sed excusetur festiuitate luxuria. In domo Dei festiuitas sempiterna est. Non enim aliquid ibi celebratur & transit. Festum sempiternum, chorus Angelorum: vultus præsens Dei, lætitia sine defectu. Et dies hic festus ita est, vt nec aperiatur initio, nec fine claudatur. De illâ æternâ & perpetuâ festiuitate, sonat nescio quid canorum & dulce auribus cordis, sed si non perstrepat mundus. Ambulanti in hoc admirabili tabernaculo Dei, & miracula Dei in redemptione fidelium consideranti, mulcet aurem sonus festiuitatis illius, & rapit ceruum ad fontes aquarum.

4. *Suauis hæc & melodica contẽplatio turbatur molestijs & gemitu huius vitæ. 2 Cor. 15. Sap. 9.*

Sed quia, fratres, quàm diu sumus in corpore hoc, peregrinamur a Domino, & corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: etsi vtcumque nebulis diffugatis ambulando per desiderium, ad hunc sonum peruenerimus interdum, vt aliquid de illâ domo Dei nitendo capiamus: onere tamen quodam infirmitatis nostræ ad consueta recidimus, & ad solita ista dilabimur. Et quomodo ibi inueneramus vnde gauderemus: sic hic non deerit vnde gemamus. Etenim ceruus iste manducans die ac nocte lacrymas suas, raptus desiderio ad fontes aquarum, ad interiorem scilicet dulcedinem Dei, effundens super se animam suam, vt tangeret quod est super animam, ambulans in loco tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, & ita ductus interioris & intelligibilis soni iucunditate, vt omnia exteriora contemneret, & in interiora raperetur: adhuc tamen homo est, adhuc hic gemit, adhuc carnem fragilem portat, adhuc inter scandala huius mundi periclitatur.

5. *Plorat & gemit anima, pericula terræ cum cæli gaudiis conferens.*

Respexit ergo ad se, tamquam inde veniens, & ait sibi constituto inter has tristitias, & comparans hæc illis, ad quæ videnda ingressus est, & post quæ visa egressus est: Quare, inquit, tristis es anima mea, & quare conturbas me? Ecce iam quadam interiore dulcedine lętati sumus: ecce acie mentis aliquid incommutabile, superstrictim & raptim videre potuimus: quare adhuc conturbas me? quare adhuc tristis es? Non enim dubitas de Deo tuo. Numquid enim non est quòd dicas tibi contra illos qui dicunt, Vbi est Deus tuus? Iam aliquid incommutabile persensisti, quare adhuc conturbas me? Spera in Domino. Quasi responderit illi anima eius in silentio: Quare conturbo te, nisi quia nondum sum ibi, vbi est dulce illud, quo sic rapta sum quasi per transitum? Numquid iam bibo de fonte illo nihil metuens? iam nullum scandalum pertimesco? iam de cupiditatibus omnibus, tamquam edomitis victisque, secura sum? Nónne aduersus me diabolus vigilat hostis meus? nónne laqueos mihi quotidie deceptionis intendit? Non vis vt conturbem te, posita in sæculo, & peregrina adhuc à domo Dei mei?

6. *Sed solatur se spe, quæ non cõfundit patienter expectantes. Rom. 8.*

Respondet ergo conturbanti se animæ suæ, & quasi rationem reddenti perturbationis suæ, propter mala quibus abundat hic mundus, respondet & dicit: Spera in Domino. Interim, inquit, habita in spe. Spes enim quæ videtur non est spes. Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Spera in Domino, quoniam confitebor illi. Quid ei confiteberis? Salutare vultus mei Deus meus. A me mihi salus esse non potest: hoc dicam, hoc confitebor: salutare vultus mei Deus meus. Erimus in domo Dei videntes sine fine, & sine fine laudantes eum, cui dictum est, Beati qui habitant in domo tuâ, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hoc nondum est, quia nondum est salus quæ promittitur; sed confitebor Domino meo in spe, & dicam illi, Salus vultus mei Deus meus. Spe enim salui facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes. Perseuera ergo, vt peruenias; perseuera donec veniat salus. Audi ipsum Deum tuum, de interiore tibi loquentem: Sustine Dominum, & viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum: quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Matth. 24.*

CAPVT XV.

Ex Tractatu in Psalmum sexagesimum quartum super his verbis: Te decet hymnus Deus in Sion.

Amor & spes faciunt ciuem in Sion, seu cælesti Ierusalem.

1. Amor Dei facit ciuitatem Ierusalem; amor sæculi, ciuitatem Babyloniam.

2. Per Dei verbum, amor noster reformatur.

3. Ierusalem & Sion ipso nominis significatu præfigurant visionem Dei claram in cælo.

4. Spei virtus, anchora animæ, facit vt anima sit corde in Sion, licet carne sit in Babylone.

1\. *Amor Dei extruit Ierusalem; amor sui, Babylonē.* DVAS ciuitates faciunt duo amores. Ierusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor sæculi. Interroget ergo se quisque quid amet, & inueniet vnde sit ciuis: & si se inuenerit ciuem Babyloniæ, extirpet cupiditatem, plantet charitatem: si autem se inuenerit ciuem Ierusalem, toleret captiuitatem, speret libertatem.

2\. *Amor noster verbo Dei corrigitur.* Iam audiamus, fratres, audiamus, & cantemus, & desideremus Ierusalem, vnde ciues simus. Et quæ gaudia cantantur nobis? Quomodo in nobis reformatur amor ciuitatis nostræ, quam diuturnâ peregrinatione obliti fueramus? Misit inde ad nos epistolas Pater noster, ministrauit nobis Scripturas Deus, quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium: quia peregrinationem nostram diligendo, ad hostes faciem posueramus, & dorsum ad patriam.

3\. *Ierusalē & Sion, figura visionis gratia, per etymologiam vocū.* Quid ergo hîc cantatur? Te decet hymnus Deus in Sion. Patria illa est Sion, ipsa est Ierusalem quæ Sion. Et huius nominis interpretationem nosse debetis. Sicut Ierusalem interpretatur Visio pacis, ita Sion Speculatio, id est, visio & contemplatio. Nescio quod magnum spectaculum nobis promittitur, & hoc ipse Deus est qui condidit ciuitatem. Pulchra & decora ciuitas, pulchriorem habet conditorem. Te decet hymnus Deus, inquit. Sed vbi? in Sion. Etenim quisque cùm cœperit innouari, iam corde in Ierusalem cantat, dicente Apostolo: Conuersatio nostra in cælis est. In carne enim ambulantes, inquit, non secundùm carnem militamus.

Philip. 3.
1. Cor. 10.

4\. *Animam, fluctibus sæculi iactatam, stabilit anchora spei.* Iam desiderio ibi sumus, iam spem in illam terram quasi anchorā præmisimus, ne in isto mari turbati naufragaremus. Quemadmodum ergo de naui, quæ in anchoris est, rectè dicimus, quòd iam in terrâ sit; adhuc tamen fluctuat, sed in terram quodammodò educta est contra ventos, & contra tempestates: sic contra tentationes huius peregrinationis nostræ, spes nostra, fundata in illâ ciuitate Ierusalem, facit nos non abripi in saxa. Qui ergo secundùm hanc spem cantat, ibi cantat: ergo dicat, Te decet hymnus Deus in Sion. In Sion, non in Babylone. Sed modò ibi es, adhuc in Babylone es. Ibi, inquit, sum. Ibi sum carne, non corde. vnde canto non ibi: non enim carne canto, sed corde. Carnem quidem sonantem audiunt & ciues Babyloniæ, cordis autem sonum audit conditor Ierusalem. Vnde dicit Apostolus, exhortans ipsos ciues ad amatoria quædam cantica, & desideria redeundi ad illam pulcherrimam ciuitatem visionem pacis, Cantantes, inquit, & psallentes in cordibus vestris Domino. Quid est, Cantantes in cordibus vestris? Ne inde cantetis, vnde estis in Babyloniâ: sed inde cantate, vnde sursum habitatis. Ergo, te decet hymnus Deus in Sion, non in Babyloniâ. Qui cantant in Babyloniâ? Ciues Babyloniæ: ipsi hymnum Dei non decenter cantant. Ephes. 5.

CAPVT XVI.

Ex eodem Tractatu in ipsum Psalmum sexagesimum quartum super his verbis: Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Quàm desiderabiles diuitiæ virtutum & gratiæ!

1. Bona & diuitiæ domus Babylonicæ spernenda sunt ab eo, qui redire cupit in Ierusalem.

2. Bona domus Dei, iustitia & sanctitas.

3. Earum pulchritudo mirabilis etiam in ijs, quæ deformia sunt oculis carnis, vt in senibus animo iustis, corpore turpibus, & in sanctorum Martyrum membris dilaniatis apparet.

4. Vt hæc bona in patriâ possideantur, præcedere debet in viâ esuries, & sitis eorum.

QVÆ sunt bona domus Dei? Fratres, constituamus nobis aliquam domum diuitem, proponamus quantis bonis referta sit, quàm copiosa sit, vasa quā multa ibi aurea & argentea, quantum familiæ, quantum iumentorum animalium; ipsa denique domus quàm delectet picturis, marmore, laquearibus, columnis, spatijs, cubilibus: ecce desiderantur talia, sed adhuc ex confusione Babyloniæ. Amputa omnia ista desideria, ô ciuis Ierusalem: amputa, si vis redire, non te delectet captiuitas. Sed iam cœpisti exire, noli retrò respicere, noli remanere in viâ. Nō desunt adhuc hostes, qui tibi persuadeant captiuitatem & peregrinationem. Iam non præualeant super te sermones iniquorum. Domum Dei desidera, & bona eius domus desidera: sed noli talia qualia soles desiderare 1. *Contēnat bona Babylonis, qui tendit ad patriam cæli.* Psal. 64.

ſiderare vel in domo tuâ, vel in domo vicini tui, vel in domo patroni tui. Aliud quiddam eſt bonum domus illius.

2. *Iuſtitia & ſanctitas, ſunt bona domus Dei, internis oculis perluſtranda.*

Quid opus eſt vt nos dicamus quæ ſunt bona domus illius? Ipſe indicet qui cantat exiens de Babyloniâ. Replebimur, inquit, in bonis domus tuæ. Quæ ſunt bona iſta? Erexeramus fortaſſe cor ad aurum, ad argentum, & cetera pretioſa: noli talia quærere, iſta premunt, non leuant. Hic ergo iam bona illa Ieruſalem, bona illa domus Domini, bona illa templi Domini meditemur: quia quæ domus Domini, ea ipſa templum Domini eſt. Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum, mirabile in iuſtitiâ. Iſta ſunt bona domus illius. Non dixit, Templum ſanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis; ſed, Mirabile in iuſtitiâ. Habes foris oculos vnde videas marmora & aurum: intus eſt oculus vnde videatur pulchritudo iuſtitiæ. Intus, inquam, eſt oculus vnde videatur pulchritudo iuſtitiæ.

3. *Pulchritudo virtutis & ſanctitatis conſpicitur in ſancto & bono ſene, quamuis ob ſenium deformi, & in corporibus Martyrum ob virtutis amorē fœdè laniatis.*

Si nulla eſt pulchritudo iuſtitiæ, vnde amatur iuſtus ſenex? Quid affert in corpore quod oculos delectet? Curua affert membra, frontem rugatam, caput canis albatum, imbecillitatem vndique querelis plenam. Sed fortè quia tuos oculos non delectat ſenex iſte decrepitus, aures tuas delectat. Quibus vocibus? quo cantu? Et ſi fortè adoleſcens benè cantauit, omnia cum ætate defecerunt. An fortè ſonus verborum eius delectat aures tuas, qui verba vix plenè enuntiat lapſis dentibus? Tamen ſi iuſtus eſt, ſi alienum non concupiſcit, ſi de ſuo quod habet erogat indigentibus, ſi benè monet, & rectum ſapit, ſi integrè credit, ſi paratus eſt pro fide veritatis etiam ipſa contracta membra impendere, (multi enim Martyres etiam ſenes) vnde illum amamus? quid in eo bonum videmus oculis carnis? Nihil. Quædam ergo eſt pulchritudo iuſtitiæ, quam videmus oculis cordis, & amamus, & exardeſcimus. Quid tam multum dilexerunt homines in ipſis Martyribus, cùm eorum membra beſtiæ laniarent? Nónne cùm ſanguis fœdaret omnia, cùm morſibus belluinis viſcera funderentur, nihil habebant oculi niſi quod horrerent? Quid ibi erat quod amaretur, niſi quia erat in illâ fœditate dilaniatorum membrorum, integra pulchritudo iuſtitiæ? Iſta ſunt bona domus Dei, his te para ſatiari.

4. *Eſuriendū eſt interris, vt bonis Dei ſatiemur in cælis.*

Sed vt inde ſatieris cùm perueneris, hoc te oportet eſurire & ſitire cùm peregrinaris: hoc ſiti, hoc eſuri, quia ipſa erunt bona Dei. Audi illum Regem cui iſta dicuntur, qui venit vt te reducat, & ſe tibi fecit viam. Quid dicit? Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. *Matth. 5.* Sanctum templum tuum mirabile in iuſtitiâ. Et ipſum templum, fratres, nolite prȩter vos cogitare. Amate iuſtitiam, & vos eſtis templum Dei.

CAPVT XVII.

Ex Tractatu in Pſalmum ſeptuageſimum ſextum ſuper his verbis: Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.

Anni ſæculi, & anni cæli.

1. *Aeternitatis magna cogitatio in ſilentio cordis recogitanda.*
2. *Anni vitæ huius breuiſſimi & fugaciſſimi.*
3. *Cogitatio igitur in annis perpetuæ æternitatis figenda eſt.*
4. *Cuius vnus dies melior millibus annorum noſtrorum.*

QVI ſunt anni æterni? Magna cogitatio. Videte quid ſibi velit iſta cogitatio, niſi magnum ſilentium ab omni forinſecus ſtrepitu, ab omni rerum humanarum tumultu. Intus requieſcat, qui cogitare vult iſtos annos æternos. Numquid anni, in quibus ſumus, æterni ſunt, aut in quibus fuerūt maiores noſtri, aut in quibus futuri ſunt poſteri noſtri? Abſit vt æterni exiſtimentur. 1. *Conſiderāda æternitas, & in corde reuoluenda.*

Quid enim de his annis manet? Ecce loquendo dicimus, Hoc anno. Et quid tenemus de hoc anno, præter vnum diem in quo ſumus? Nam ſuperiores dies anni huius iam tranſierunt, nec tenentur: futuri autem nondum venerunt. In vno die ſumus, & dicimus, Hoc anno: imò dic, Hodie, ſi aliquid præſens vis dicere; nam de toto anno quid præſens tenes? Quidquid de illo præteritum eſt, iam non eſt; quidquid de illo futurū eſt, nondum eſt. Quomodo, Hoc anno? Corrige locutionem, Hodie dic, & verum dicis. Hodie iam dicamus. Rurſus & hoc attēde, quia cùm dicis, Hodie, horæ matutinæ tranſierunt, horæ futuræ nondum venerūt. Et hoc ergo corrige; Hac horâ dic. Et de iſtâ horâ quid tenes? Momenta eius quædā iam tranſierunt; quȩ futura ſunt, nondum venerunt. Hoc momento dic. Quo momento? Dum ſyllabas loquor, ſi duas ſyllabas dicā, altera nō ſonat, niſi cùm alia tranſierit. Ipſa denique vna ſyllaba, ſi duas literas habeat, non ſonat poſterior litera, niſi prior abierit. 2. *Temporis fugacitas. Non poteſt verè dici, Hoc anno* *neque, Hoc die,* *neque, Hac horâ,* *neque, Hoc momento.*

Quid ergo tenemus de his annis? Anni iſti mutabiles ſunt. Anni æterni cogitandi ſunt, anni qui ſtant, qui non venientibus & abeuntibus diebus peraguntur: anni de quibus alio loco Scriptura dicit Deo, Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Hos annos iſte tranſiliens, non in garrulitate forinſecus, ſed in ſuo ſilentio cogitauit. 3. *Anni longæ æternitatis ſemper ſtabiles, ſemper cogitandi.* *Pſal. 101.*

N Alio

Psal. 83. *Alio loco ipse Pater Augustinus exponens hæc verba Psalmistæ,* Melior est dies vna in atrijs tuis super millia, *sic ait:*

4. *Vnus dies illius æternitatis melior annis mille temporis huius.*

Atria illa sunt, in quæ suspirabat, in quæ deficiebat dicens, Desiderat & deficit anima mea in atria tua. Melior ibi est dies vna super millia dierum. Millia dierum desiderant homines, & multum volunt viuere: contemnant millia dierum, desiderent vnum diem qui non habet ortum neque occasum. Vnum diem, diem sempiternum, cui non cedit hesternus, quem non vrget crastinus. Ipse vnus dies desideretur à nobis. Quid nobis est cum millibus dierum? Imus à millibus dierum ad vnum diem: ad vnum diem festinemus.

CAPVT XVIII.

Ex Tractatu in Psalmum octogesimum tertium super his verbis: Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te: Beatus vir cuius est susceptio eius abs te.

Occupatio Beatorum, est æterna Dei laudatio.

1. *Beati dicimur ab habendo & agendo quæ maximè volumus.*
2. *Beatitudo nostra, habitatio & possessio domus Dei.*
3. *Occupatio beatitudinis nostræ, laus æterna Dei sine vllo fastidio: quam non auertit vel corrumpit vlla necessitas aut fatigatio; nutrit autem amor insatiabilis summæ pulchritudinis.*
4. *Ad eam perducimur auxilijs gratiæ Dei, per quæ à luctâ carnis & spiritus liberamur, aut in eâ iuuamur.*

1. *Beatus est qui quod vult habet & facit.*

*Titulus Psalmi est, *Pro torcularibus.* vnde mox adfertur de pressurâ spiritus ex deprimẽte carne, velut vuæ in torculari.

POSITVS inter tentationes, positus inter pressuras, positus* in torcularibus, suspirans in superna promissa, iam præmeditatur gaudia futura. Beati, inquit, qui habitant in domo tuâ. Vnde beati? quid habituri? quid acturi? Omnes qui beati dicuntur in terrâ, habent aliquid, & agunt aliquid. Beatus est homo ille, qui tot prædiis, tantâ familiâ, tanto auro & argento beatus dicitur. Beatus est: ad illos honores peruenit, ad Proconsulatum, ad Præfecturam agendam. Beatus ergo dicitur, aut habendo aut agendo.

2. *Sanctorum beatitudo est possessio Dei in domo Dei.*

Vnde autem ibi beati? quid habituri? quid acturi? Quid habituri, iam suprà dixi, Beati qui habitant in domo tuâ. Domum tuam si habueris, pauper es: domum Dei si habueris, diues es. In domo tuâ timebis latrones, domui Dei murus ipse Deus est. Beati ergo qui habitant in domo tuâ. Possident Ierusalem cælestem sine angustiâ, sine pressurâ, sine diuersitate & diuisione limitum: omnes habent eam, & singuli habent totam. Magnæ illæ diuitiæ: non angustat frater fratrem: nulla ibi indigentia est.

Quid ergo ibi sunt acturi? Omnium enim actionum humanarum mater est necessitas. Ecce modò quod loquor & disputo, necessitas parit. Numquid ibi talis disputatio erit, quæ quasi doceat ignaros, quæ quasi commoneat obliuiosos? Aut verò in illâ patriâ Euangelium recitabitur, vbi ipsum Dei Verbum contemplabimur? Ergo quia dixit iste desiderans & suspirans ex voce nostrâ, quid habituri simus in illâ patriâ cui suspiramus, & ait, Beati qui habitant in domo tuâ: dicat & quid acturi simus, In sæcula sæculorum laudabunt te. Hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu alleluia. Non vobis, fratres, videatur quasi fastidium ibi futurum: quia si modò hoc diu dicatis, non duratis, ab illo gaudio necessitas vos auertit. Ecce quantum nos delectat quod non videtur. Et si tantâ alacritate in ipsâ pressurâ & fragilitate carnis laudamus quòd credimus, quomodo laudabimus quod videbimus? Cum absorpta fuerit mors in victoriâ, cùm mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc induerit incorruptionem, nemo dicet, Diu steti: nemo dicet, Diu ieiunaui, diu vigilaui. Stabilitas enim magna ibi: & ipsa immortalitas iam corporis nostri suspendetur in contemplatione Dei. Etsi modò verbum hoc, quod vobis erogamus, tam diu fragilitatem carnis nostræ stantem tenet, quid nobis faciet illud gaudium? Quomodo nos mutabit? Similes enim ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Iam similes illi quando deficiemus? quò auertemur? Securi ergo simus, fratres, non nos satiabit nisi laus Dei. Si deficias ab amore, deficies à laude: si autem amor sempiternus erit (quia illa insatiabilis pulchritudo erit) noli timere ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare. Ergo beati qui habitant in domo tuâ, in sæcula sæculorum laudabunt te. Huic vitæ suspiremus.

3. *Actionum in terrâ mater est necessitas. Cum incũdit æterna laus Dei, sine fastidio, est Beatorũ occupatio incessabilis.*

1. Cor. 15.

1. Ioan. 3.

Sed quomodo illuc veniemus? Beatus vir cuius est susceptio eius abs te Domine. Intellexit vbi esset, quia per fragilitatem carnis suæ ad illam beatitudinẽ volare non posset. Circumspexit pondera sua, quia dicitur alio loco, Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Spiritus sursum vocat, pondus carnis deorsum reuocat. Inter duos conatus, suspensionis & ponderis, colluctatio quædã est: & ipsa colluctatio ad pressurã pertinet torcularis. Audi ipsam luctã de torculari ab Apostolo expressam,

4. *Eò & nos auxilijs gratiæ perducemur, per varias tamen carnis & spiritus colluctationes.*

Sap. 9.

Pugnam carnis aduersus spiritũ & gratiæ auxilia obseruabit Asceta ex Paulo & Augustino.

pressam, qui & ipse ibi conterebatur, ibi premebatur. Condelector, inquit, legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Magna lucta, & euadendi magna desperatio, nisi subueniat id quod de consequenti ait, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Ergo & iste in hoc Psalmo vidit illa gaudia, cogitauit animo, Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Sed quis illuc ascendet? Quid faciam de carnis pondere? Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem: sed quid faciam? quomodo volabo? quomodo perueniam? Video enim aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Dixit se infelicem, & addidit, Quis me liberabit de corpore mortis huius, vt inhabitem in domo Domini, & in sæcula sæculorum laudem eum? Quis me liberabit? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Sicut ergo in verbis Apostoli illi difficultati, & quasi inextricabili luctæ subuenit, quod subiecit, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: sic & hic, cùm suspiraret flammanti desiderio in domum Dei, & in illas laudes Dei, consideratâ grauedine corporis sui, & mole carnis suę, & desperatione quadâ subortâ, rursus in spe euigilauit, & ait, Beatus vir cuius est susceptio eius abs te Dñe.

Rom. 7.

CAPVT XIX.

Ex Tractatu in Psalmum octogesimum quartum super his verbis: Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

A misericordiâ Dei, felicitas nostra; & à Dei visione, beatitudo.

1. *Maxima Dei erga nos misericordia est, si ostendat nobis Deus, quod omnia habeamus ab ipso, non à meritis nostris.*

2. *Christus Dei misericordia, ostensa hominibus, quà homo; ostendenda, quà Deus, dijs, id est, Beatis quodammodo deificatis. Nunc in spe expectandum.*

3. *Ex aptâ similitudine consolatio pulchra fidelium tribulatorum, quòd sint filij Dei.*

4. *Visio Filij Dei beatifica est, sicut & visio Patris æterni.*

5. *Pulchritudo Dei super omnes pulchras creaturas excitare nos debet ad ardens desiderium visionis ipsius.*

1. *Agnoscere Dei misericordiam, maxima est*

FELIX est cui ostendit Deus misericordiam suam. Ostendendo enim illi misericordiam suam, persuadet illi, quia quid quid boni habet ipse homo, non habet nisi ab illo: quia omne bonum nostrum ipse est. Et cùm viderit homo, quidquid boni habet, non se habere à se, sed à Deo suo; videt quia totum quod in se laudatur, de misericordiâ Dei est, non de meritis suis. Et videndo ista, non superbit: non superbiendo, non extollitur: non se extollendo, non cadit: non cadendo, stat: stando, inhæret: inhærendo, manet: manendo, perfruitur & lætatur in Domino Deo suo. Erunt illi deliciæ, ipse qui fecit illum: & delicias ipsas nemo corrumpit, nemo interpellat, nemo aufert. Quis potens minabitur auferre? Quis vicinus malus, quis latro, quis insidiator tibi tollit Deum? Et potest tibi tollere totum quod possides corpore, non tibi tollit eum quem possides corde. Ipsa est misericordia, quam vtinam Deus ostendat nobis!

S. AVGVSTIN. S. *Dei misericordis gratia.*

2. *Dei misericor in Christus Dominus est, ostendendus filiis Dei per adoptionẽ velut deificatis, qui nunc in spe expectant.*

Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Christum tuum da nobis: in illo enim est misericordia tua. Dicamus illi & nos, Da nobis Christum tuum. Iam quidem dedit nobis Christum suum, adhuc tamen illi dicamus, Da nobis Christum tuum, quia dicimus illi, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et quis est panis noster, nisi ipse qui dixit, Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi? Dicamus illi, Da nobis Christum tuum. Dedit enim nobis Christum, sed hominem quem nouimus: dedit hominem, eum ipsum nobis daturus est Deum. Hominibus enim hominem dedit, quia talem illum hominibus dedit, qualis posset capi ab hominibus. Deum enim Christum nullus hominum capere poterat. Factus est hominibus homo, seruauit se Deum dijs. An fortè arroganter dixi? Reuerà arroganter, nisi ipse dixisset, Ego dixi, Dij estis, & filij Altissimi omnes. Ad hanc ipsam adoptionem reuocamur, vt efficiamur filij Dei. Iam quidem sumus, sed per fidem. Sumus quidem, sed in spe: nondum sumus in re. Spe enim salui facti sumus, sicut dicit Apostolus: Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Quid enim expectamus per patientiam, nisi videre quod credimus? Modò enim credimus quod non videmus: permanendo in eo quod credentes non vidimus, merebimur videre quod credimus. Propterea Ioannes in Epistolâ suâ quid ait? Dilectissimi, filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus.

Matth. 6.
Ioan. 6.
Psal. 81.
Rom. 8.
1. Ioan. 3.

3. *Magna in tribulationibus consolatio fidelium, quod*

Quis non exultaret, si subitò nescio cui peregrinanti, & ignoranti genus suum, patienti aliquam egestatem & ærumnam, & in

filii Dei sint; per elegantem comparationem filii diuitis peregrè egētis.

in labore constituto, diceretur: Filius Senatoris es, pater tuus amplo patrimonio gaudet reuerà, reuoco te ad patrem tuum? Quali gaudio exultaret, si hoc non fallax promissor diceret? Venit ergo non fallax Apostolus Christi, & ait: Quid est quod de vobis speratis? Quid est quod vos affligitis, & mœrore conteritis? Quid est quòd concupiscentias vestras sequendo, in egestate istarum voluptatum conteri vultis? Habetis Patrem, habetis patriam, habetis patrimonium. Quis est iste Pater? Dilectissimi filij Dei sumus. Quare ergo nondum videmus Patrem nostrum? Quia nondum apparuit quid erimus. Iam sumus, sed in spe: nam quid erimus, nondum apparuit. Et quid erimus? Scimus, inquit, quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

4. *Visio Filij beatifica est, sicut & Patris.* Ioan. 14.

Sed hoc de Patre dixit, de Filio autem Domino nostro Iesu Christo fortè non dixit: & nos videndo Patrem, non videndo Filium, erimus beati? Ipsum audi Christum. Qui me videt, videt Patrem. Cùm enim vnus Deus videtur, Trinitas videtur, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Audi expressiùs, quia ipsius Filij visio tribuet nobis beatitudinem, & nihil interest inter visionem ipsius, & visionem Patris. Ipse ait in Euangelio: Qui diligit me, mandata mea custodit, & ego diligam illum, & ostendam meipsum illi. Loquebatur ille, & dicebat: Ostendam meipsum illi. Quare? Non erat ipse qui loquebatur? Sed carnem caro videbat, Diuinitatem caro non videbat. Ad hoc autem caro carnem vidit, vt per fidem cor mundaretur, vnde Deus videretur. Dictum est enim de Domino: Fide mundans corda eorum. Et dixit ipse Dominus: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Act. 15. Math. 5.

5. *Dei pulchritudinē ardentissimè cupiamus intueri.*

Ergo si promisit ostendere se nobis, qualis est pulchritudo eius? Fratres, cogitate omnia ista quæ videtis pulchra, quæ amatis; ipse fecit. Si hæc pulchra sunt, quid est ipse? Si hæc magna sunt, quantus est ipse? Ergo ex istis quæ hîc amamus, illum magis desideremus: & contemnentes ista, illum diligamus, vt ipsâ dilectione per fidem cor mundemus, & mundatum cor nostrum inueniat aspectus illius. Lux, quæ nobis ostendetur, sanos debet inuenire: hoc agit modò fides. Hoc ergo modò diximus, Et salutare tuum da nobis. Da nobis Christum tuum, nouerimus Christum tuum, videamus Christum tuum: non quomodo illum viderunt Iudæi, & crucifixerunt; sed quomodo illum vident Angeli, & gaudent.

CAPVT XX.

Ex Tractatu in Psalmum octogesimum quintum super his verbis: Tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

Felicitas & tranquillitas Sanctorum in cælis.

1. *Vita hæc, regio mortuorum; vita futura, regio est viuorum.*
2. *Luctus sanctus in præsenti vitâ, pignus est felicitatis in vitâ futurâ.*
3. *Beatitudinis status tranquillus & amabilis.*
4. *Actio & occupatio Beatorum erit, amare & laudare Deum in æternum.*
5. *Amor ille Dei habet esuriem sine indigentiâ, & satietatem sine fastidio.*

1. *Præsens vita, mortuorum regio; cælum, regio viuentium.*

ADIVVISTI, inquit, me in certamine, & consolatus es me in tristitiâ. Nemo enim consolationem quærit, nisi qui est in miseriâ. Regio ista scandalorum est, & tentationum, & omnium malorum: vt gemamus hîc, & mereamur gaudere ibi; hîc tribulari, & consolari ibi, & dicere: Quoniam ecce exemisti oculos meos à lacrymis, pedes meos à ruinâ, quoniam placebo Domino in regione viuorum. Ista regio mortuorum est. Transit regio mortuorum, venit regio viuorum. In regione mortuorum labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, suspirium. Hîc falsò felices, verè infelices: quia falsa felicitas, vera miseria est. Qui verò se agnoscit in verâ esse miseriâ, erit etiam in verâ felicitate. Et tamen nunc quia miser es, Dominum audi dicenté, Beati lugentes.

Psal. 114. 55. Math. 5.

2. *Luctus sanctus, via ad gaudium felicitatis.*

O beati lugentes! Nihi tam coniunctum miseriæ, quàm luctus: nihil tam remotum & contrarium miseriæ, quàm beatitudo. Tu dicis lugentes, & tu dicis beatos? Intelligite, inquam, quod dico: beatos dico lugentes. Quare beati? In spe. Quare lugentes? In re. Etenim lugent in morte istâ, in tribulationibus istis, in peregrinatione istâ. Et quia agnoscunt se esse in istâ miseriâ, & gemunt, beati sunt. Contristatus est beatus Cyprianus in passione: modò consolatus est in coronâ.

Legant hęc hęretici negātes Martyrem ante diem iudicij coronari.

3. *Amabilis vita Beatorum, exempta ab omnibus curis & doloribus terrenis.*

Cùm transierit gemitus noster, omnes vnâ voce in vno populo, in vnâ patriâ consolabimur, millia millium coniuncta psallentibus Angelis, & choris cælestiū potestatum in vnâ ciuitate viuentium. Quis ibi gemit? quis ibi suspirat? quis ibi laborat? quis ibi eget? quis ibi moritur? quis ibi misericordiam præbet? quis ibi frāgit panem esurienti, vbi omnes pane iustitiæ saginantur? Nemo ibi tibi dicit, Hospité suscipe: peregrinus ibi nemo est, omnes in patriâ suâ viuunt.

Nemo

Nemo tibi dicit, Concorda amicos tuos litigantes: in pace sempiternâ Dei vultu perfruuntur. Nemo tibi dicit, Visita ægrotum: sanitas immortalitasque permanet. Nemo tibi dicit, Sepeli mortuum: omnes in vitâ æternâ erunt. Cessant opera misericordiæ, quia miseria ibi non inuenitur. Et quid ibi faciemus? Fortè opera necessitatis erunt ista, quæ hîc sunt modò seminandi, arandi, coquendi, molendi, texendi? Nihil horum, quia necessitas non erit. Vbi necessitas non erit, nec miseria; opera necessitatis & misericordiæ non erunt.

4 *Amare, & laudare Deum, est negotium Sanctorum in æternâ felicitate.* Quid ibi erit? quod negotium nostrum? quæ actio nostra? Sedebimus & torpebimus, & nihil agemus? Si refrigescit amor noster, refrigescit & actio nostra. Amor ergo quietus in vultu Dei, quem modò desideramus, cui suspiramus, cùm ad eum venerimus; quomodo nos accendet, in quem nondum visum sic suspiramus? Cùm ad eum venerimus, quomodo nos illuminabit? quomodo nos mutabit? Quid ergo agemus, fratres? Psalmus nobis indicat, (Psal. 85.) Beati qui habitant in domo tuâ. Vnde? In sæcula sæculorum laudabunt te. Hæc erit actio nostra, laus Dei. Amas, & laudas. Desinis laudare, si desinis amare. Non autem desines amare, quia talis est quem vides, qui nullo te offendat fastidio: & satiat te, & non te satiat.

5 *Amor beatificus satiatur sine nauseâ, & sitit ac esurit sine molestiâ.* Mirum est quod dico. Si dicam quia satiat te, timeo ne quasi satiatus velis abscedere, quomodo de prandio, quomodo de cœnâ. Timeo rursus si dixero, Non te satiat, ne indigês videaris, & quasi inanior existas, & minus in te sit aliquid, quod debeat impleri. Quid ergo dicam, quod dici non potest, cogitari vix potest? Et satiat te, & non te satiat: quia vtrumque inuenio in Scripturâ. Nam scriptum est, (Matth. 5.) Beati esurientes & sitientes iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Et rursum de sapientiâ dictum est: (Eccli. 24.) Qui te edunt, adhuc esurient: & qui te bibunt, adhuc sitient. Quid est bibendo sitire? Numquam fastidire. Si ergo ista ineffabilis & sempiterna dulcedo erit; modò quid à nobis petit Deus, fratres, nisi fidem non fictam, spem firmam, charitatem puram: vt ambulet homo in viâ quam Dominus dedit? Ferat ergo tentationes, & suscipiat consolationes.

LVDOVICI BLOSII PSYCHAGOGIAE LIBER TERTIVS

COLLECTVS EX TRACTATIBVS SIVE HOMILIIS D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI.

CAPVT I.

Ex Tractatu in Psalmum octogesimum sextum super his verbis: Fundamenta eius in montibus sanctis.

Suspiratio peregrini ad patriam cælestem.

1. Dum in hac vitâ ambulamus, à cælo, patriâ nostrâ, peregrinamur.

2. Sic igitur in hac vitâ latandum, vt ad cælum vero affectu aspiremus.

3. Cordialis meditatio de ciuitate Dei erumpit in vocem, & in opus.

4. Desiderium extendendum est, vt capiat Deum.

5. Diuitijs vsus impendendus, non amor. Pecunia sit instrumentum necessitatis, non cupiditatis.

6. Qui cæpit respondere Deo vocanti, potest Deum cum fiduciâ rogare, vt perficiat.

1. *Præsens vita est peregrinatio à patriâ cælesti.*

INTENDAT charitas vestra. Ciuitas quædam in isto Psalmo cantata & commendata est, cuius ciues sumus, in quantum Christiani sumus; & vnde peregrinamur, quamdiu mortales sumus; & ad quam tendimus per eius viam, quæ omnino quasi dumetis & sentibus interclusa non inueniebatur. Rex ipsius ciuitatis se fecit viam, vt ad ciuitatem perueniremus. Ambulantes ergo in Christo, & adhuc peregrinantes donec perueniamus, & suspirantes desiderio cuiusdam ineffabilis quietis, quæ habitat in illâ ciuitate (de quâ quiete dictum, & nobis est promissum hoc quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit) ambulantes ergo sic cantemus, vt desideremus.

1.Cor.2.

2. *Semper igitur ex illâ*

Nam qui desiderat, etsi linguâ taceat, corde cantat. Qui autem non desiderat, quolibet clamore aures hominum feriat, mutus est Deo. Videte quomodo erant amatores huius ciuitatis ardentes, illi ipsi per quos hæc dicta sunt, per quos hæc nobis commendata sunt, quanto per eos affectu ista cantata sunt. Affectum istum generabat in eis amor ciuitatis: amorem autem ciuitatis infuderat spiritus Dei. Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Hoc ergo spiritu feruentes, audiamus quæ dicta sunt de hac ciuitate, Fundamenta eius in montibus sanctis.

ad istam adspirando anhelemus.

Rom. 5.

3. *Verus amor patriæ erumpit in voces & opera.*

Nihil de illâ adhuc dixerat Psalmus: hinc tamen incipit & ait, Fundamenta eius in montibus sanctis. Repletus ergo Spiritu sancto ciuis iste, & multa de amore & desiderio ciuitatis huius voluens secum, tamquam plura intus apud se meditatus, erumpit in hæc verba: Fundamenra eius in montibus sanctis: quasi iam de illâ dixerit aliquid. Quomodo de illâ nihil dixerat, qui numquâ de illâ corde tacuerat? Quomodo enim dicitur, Eius, de quâ nihil dictum est? Sed multa, vt dixi, secum in silentio de illâ ciuitate parturiens, clamans ad Dominum, erupit etiam in aures hominum, Fundamenta eius in montibus sanctis.

Idem Pater Augustinus Tractatu quadragesimo in Euangelium beati Ioannis Apostoli, ait:

4. *Affectus, vt Deum capiat, dilatandus est.*

Quid dicam charitati vestræ? O si cor esset qualitercumque suspirans in illam ineffabilem gloriam! O si peregrinationem nostram in gemitu sentiremus, & sæculum non amaremus, & ad eum qui nos vocauit, piâ mente perpetuò pulsaremus! Desiderium, sinus cordis est: capiemus, si desiderium quâtum possumus extendamus. Non solum

solùm seminetur & germinet hoc desiderium, verùm etiam in modum tantæ capacitatis augeatur, vt idoneum sit sumere quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Amate mecum. Non multum amat nummum, qui amat Deum. *1. Cor. 2.*

5. *Vtendum diuitijs, nō fruendum; ob egestatē, non ob delicias.*

Hîc palpaui infirmitatem: non ausus sum dicere, Non amat nummum; sed dixi, Non multum amat nummum: quasi amandus sit nummus, sed non multum. O si Deum dignè amemus, nummos omnino nō amabimus! Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, quo vtaris ad necessitatem; non irritamentum cupiditatis, quo fruaris ad delectationem. Vtere mundo, non te teneat mundus quo intrasti: iter agis, exiturus venisti, non mansurus.

6. *Potest exspectare à Deo vt perficiat, qui ei vocanti respondit.*

Si tales fueritis (erigite cor, si potestis, & audite me) si tales fueritis, ad eius promissa venietis: non enim impossibile vobis est, quia magna est manus eius qui vos vocauit. Vocauit: inuocetur. Dicatur illi, Vocasti nos, vocamus te: ecce audiuimus vocantem, audi te inuocantes. Perduc quò promisisti, perfice quod inchoasti: noli deserere munera tua, noli deserere agrum tuum: germina tua intrent in horreum tuum. Abundant tempestates in mundo: sed maior est qui fecit mundum. Abundant tentationes: sed non deficit, qui in illo spem ponit, in quo defectus nullus est.

CAPVT II.

Ex Tractatu in Psalmum octogesimum sextum super his verbis: Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

Qualis in cælo iucunditas.

1. *Sufficientia & iucunditas beatitudinis cælestis.*
2. *Ad eam perducunt opera misericordiæ:*
3. *In eâ propriè non est iucunditas, sed tamquam iucunditas: id est, quiddam infinities maius & melius iucunditate quam hîc vmquam nouimus.*
4. *Nec sunt eius gaudia similia carnalibus, sed spiritualia, & carnalibus infinities maiora.*
5. *Et tota illa Beatorum iucunditas est in visione Dei:*
6. *Ad quam præparamur laboribus huius vitæ.*

1. *Beatitudo, sufficiens bonum, non cum gemitu desiderantiū, sed lætitiâ perfruentiū, & Deū laudantiū.*

TAMQVAM iucundatorum est habitatio omnium in illâ ciuitate: in peregrinatione verò istâ conterimur. Habitatio nostra ibi, iucunditas sola erit. Peribit labor & gemitus: transeunt orationes, succedunt laudationes. Ibi ergo habitatio iucundatorum, non erit gemitus desiderantium, sed lætitia perfruentium. Aderit enim ipse cui modò suspiramus, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ibi totum negotium nostrum non erit nisi laudare Deum & frui Deo. Et quid aliud quæremus, vbi solus sufficit, per quem facta sunt omnia? Habitabimur, & habitabimus: subijcientur illi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. Beati ergo qui habitant in domo tuâ. Vnde beati? Habendo aurum, habendo argentum, numerosam familiam, multiplicem prolem? Vnde beati? Beati qui habitant in domo tuâ, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hoc vno beati otioso negotio. Hoc ergo vnum desideremus, fratres: cùm venerimus ad hoc, nos paremus gaudere ad Dominum, laudare Deum. *1. Ioan. 3. Ioan. 1. 1. Cor. 15. Psal. 83.*

2. *Bona misericordiæ opera perducūt ad beatitudinem; non tamen erunt ibi vbi nulla miseria.*

Opera bona quæ modò nos perducunt, non ibi erunt. Non ibi erunt opera misericordiæ, vbi nulla erit miseria. Egentem non inuenies, nudum non inuenies; nemo tibi occurret sitiens, nullus peregrinus erit, nullus ægrotus quem visites, nullus mortuus quem sepelias, nullus litigatorū inter quos pacem componas. Quid facturus es? An fortè propter necessitates nostri corporis nouellabimus & arabimus, & negotiabimur, & peregrinabimur? Magna ibi requies: nam ibi omnia opera, quæ necessitas flagitat, subtrahentur: mortuâ necessitate, peribunt opera necessitatis.

3. *In beatâ patriâ est quiddam infinities iucundius omni terreni exilij iucunditate.*

Quid ergo erit? Quomodo potuit, dixit lingua humana, Tamquam iucundatorum omnium habitatio est in te. Quid est, tamquam? Quia talis ibi erit iucunditas, qualem hîc non nouimus. Video hîc multas iucunditates: & multi gaudent in sæculo, alij hinc, alij inde, & non est quod illi gaudio comparetur, sed tamquam iucunditas erit. Nam si dicam iucunditas, incipit homini occurrere talis iucunditas, qualem solet habere in poculis, in prandijs, in auaritiâ, in honoribus sæculi. Extolluntur enim homines, & lætitiâ quadam insaniunt: sed non est gaudere impijs, dicit Dominus. Est enim iucunditas quædam, quàm nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Tamquam iucundatorum omnium habitatio est in te. *1. Cor. 2.*

4. *Cæli iucūditas nō est similis gaudijs carnis, sed in immensum excellentior.*

Ad aliud gaudium nos paremus: nec quasi paremus nos talibus ibi perfrui, qualibus hîc gaudemus; alioqui continentia nostra, auaritia erit. Sunt enim homines qui inuitantur ad cœnam opimam, vbi multa & pretiosa ponenda sunt: non prandent. Iam si quæras ab eis quare non prandeant: respondent, Ieiunamus. Magnum opus, Christianum opus, ieiunium: noli citò laudare, quære causam: negotium ventris agitur, non Religionis. Quare ieiunat? Ne ventrem præoccupent vilia, & non possint admitte- *Notent benè hanc similitudinē qui libenter in mūdo ieiunāt, & abstinent à terræ delicijs, vt*

tantò copiosiùs & hilariùs inebrientur à iucunditatibus cæli & Dei.

mittere pretiosa. Ergo negotium gutturis geritur in ieiunio. Magna res vtique ieiunium: contra ventrem & guttur pugnat: aliquando illis militat. Itaque, fratres mei, si putatis aliquid tale habituros nos in illâ patriâ ad quam nos exhortatur tuba cælestis, & propterea vos à præsentibus abstinetis, vt illic talia copiosiùs recipiatis; sic estis quomodo illi, qui ieiunant propter epulas maiores, & continent se pro maiori incontinentiâ. Nolite ergo sic.

5. *Visio Dei est tota beatitudo cum solâ purâ & æternâ laudatione.*

Ad aliquid vos ineffabile præparate: mũdate cor ab omnibus affectionibus vestris terrenis & sæcularibus. Visuri sumus quiddam, quo viso beati erimus, & hoc nobis solum sufficiet. Et quid? non manducabimus? Imò manducabimus: & ipse Deus erit cibus noster, qui & reficiet, & non deficiet. Tamquam iucundatorum omnium habitatio est in te. Iam dictum est vnde iucundabimur, Beati qui habitant in domo tuâ, in sæcula sæculorum laudabunt te. (Psal. 83.) Laudemus & modò Dominum, quantum possumus, mixtis gemitibus: quia laudando eum, desideramus eum, sed nondum tenemus. Cùm tenuerimus, subtrahetur omnis gemitus: & remanebit sola & pura & æterna laudatio.

Idem Pater Augustinus Tractatu in Psalmum trigesimum sextum super his verbis, Et hereditas eorum in æternum erit, *sic ait:*

6. *Labores & dolores huius vitæ ad æternam quietem & iucunditatem nos disponunt, & eam merentur.*

Seruatur nobis nescio quod dulce spectaculum omnino: etsi cogitari ex aliquâ parte in ænigmate per speculum potest (1 Cor. 1.), dici tamẽ nullo modo potest pulchritudo illius dulcedinis, quam seruat Deus timentibus se (Psal. 30.), perficit autẽ sperantibus in se. Ad illam parantur corda nostra in omnibus vitæ huius tribulationibus & tentationibus. Noli mirari, quòd in laboribus pararis: ad magnum aliquid pararis. Vnde est vox illa iusti confirmati (Rom. 8.), Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis. Quæ erit futura gloria nostra, nisi æquari Angelis, & videre Deum?

CAPVT III.

Ex Tractatu in Psalmum octogesimum nonum super his verbis: Repleti sumus manè misericordiâ tuâ, & exultauimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris.

Dies annorum nostrorum, & dies æternitatis.

1. *Animæ fideli nullum bonum sufficit, donec vultum Dei viderit in cælo.*

2. *Dies æternitatis omnes simul stant & manent, & soli verè sunt: dies temporis huius propriè non sunt, sed aufugiunt, & semper succedentibus cedunt.*

3. *Illi ergo soli desiderandi sunt, isti vero despiciendi.*

1. *Nullũ bonum sufficit animæ, præter Deũ clarè visũ.*

ILLA bona, quæ futura sunt, spe anticipans, & velut iam facta deputans, Repleti sumus, inquit, manè misericordiâ tuâ. Tunc replebuntur iusti eo bono quod nunc esuriunt & sitiunt, dum per fidem ambulantes peregrinantur à Domino (2. Cor. 2.): vnde & illud alio loco dicitur, Replebis me lætitiâ cum vultu tuo (Psal. 15.). Et alibi, Satiabor dum manifestabitur gloria tua (Psal. 16.). Vnde etiam dicitur, Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, atque ipse Dominus ait, Ostendam meipsum illi (Ioan. 14.). Quod donec fiat, nihil boni nobis sufficit, nec sufficere debet, ne desiderium nostrum in viâ remaneat, quod donec perueniat extendendum est.

2. *Dies æternitatis, dies sunt sine fine, & omnes simul sunt & soli verè sunt.*

Et exultauimus, & iucundati sumus omnibus diebus nostris. Dies ille, dies est sine fine. Simul sunt illi omnes dies, ideò satiant. non enim succedentibus cedunt. Vbi non est aliquid quod non veniendo nondum sit, & veniendo iam non sit. Omnes simul sunt, quia vnus est qui stat & non transit, ipsa est æternitas: hi sunt dies, de quibus dicitur, Quis est homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? (Psal. 33.) Hi dies & in alio loco anni appellantur vbi Deo dicitur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient (Psal. 101.). Non enim anni sunt, qui pro nihilo habentur; neque dies sunt, qui sicut vmbra declinauerunt; sed dies sunt qui sunt: quorum numerum notum sibi fieri precabatur, qui dicebat, Notum fac mihi Domine finem meum (Psal. 38.), quo perueniendo maneam, vt nihil vlteriùs iam requiram: & numerum dierum meorum qui est; vtique qui est, non qui non est: quia dies isti, de quibus & illic consequenter dicit, Ecce veteres posuisti dies meos, non sunt: quia non stant, non manent, celerrimâ mutabilitate transcurrunt; nec vna hora in eis inuenitur, in quâ ita simus, vt non alia pars eius transierit, alia ventura sit, nulla stet vt sit. Illi autem anni & dies non deficiunt: in quibus nec nos deficiemus, sed sine defectu reficiemur.

3. *Soli etiam desiderandi sunt.*

Exæstuet anima nostra illorum dierum desiderio, sitiat ardenter atque vehementer: vt illic repleamur, ibi satiemur, ibi dicamus, quod hîc prædicimus, Satiati sumus manè misericordiâ tuâ, & exultauimus, & iucundati sumus omnibus diebus nostris.

CA-

CAPVT IV.

Ex Tractatu in Psalmum nonagesimum super his verbis: Longitudine dierum replebo eum, & ostendã illi salutare meum.

Laudes & pignora salutis æternæ.

1. *Sola vita æterna est longa, quia non habet finem: ideoque sola replet sinum animæ.*

2. *Salutare in cælo ostendendum, est Christus secundùm vtramque naturam clarè videndus in gloriâ.*

3. *Pignora & arrha huius visionis quas reliquit Ecclesiæ sponsæ suæ Christus, sunt, Sanguis eius, & Spiritus sanctus in Sacramentis Ecclesiæ nobis relictus.*

1. *Vita æterna sola longa est, & sola cor implet, quia non habet finem possessio eius.*

QVÆ est longitudo dierum? vita æterna est. Fratres, nolite putare longitudinem dierum dici, sicut sunt hieme dies minores, æstate dies maiores. Tales dies nobis habet dare? Longitudo illa est, quæ non habet finem; æterna vita, quæ nobis promittitur in diebus longis. Et verè quia sufficit, non sine causâ dixit, Replebo eum. Non nobis sufficit quidquid longum est in tempore, si habet finem; & ideò nec longum dicendum est. Et si auari sumus, vitæ æternæ debemus esse auari; talem vitam desiderare, quæ non habet finem. Ecce vbi extendatur auaritia vestra. Argentum vis sine fine? vitam æternam desidera sine fine. Non vis vt habeat finem possessio tua? vitam æternam desidera. Quæ est? Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

2. *Christus est æterna salus nostra, & in cælo secundùm vtrãque naturam Sanctis ostendetur.*

Nec hoc, fratres, breuiter prætereundum est, Ostendam illi salutare meum. Hoc dixit, Ostendam illi ipsum Christum. Quare? Non est visus in terrâ? Quid nobis magnum habet ostendere? Sed non est visus tali visu quali videbimus. Tali visu visus est, quali viderunt qui crucifixerunt. Ecce qui viderunt, crucifixerunt; nos non videmus, & credimus. Illi oculos habebant, & nos non habemus? Imò & nos cordis oculos habemus: sed per fidem adhuc videmus, non per speciem. (2. Cor. 5.) Quando erit species? Quando videbimus eum facie ad faciem, quod dicit Apostolus, (1. Cor. 13.) quod nobis promittit Deus in magno præmio omnium laborum nostrorum. Quidquid laboras, ad hoc laboras, vt videas. Magnum est quod visuri sumus, quando * tota merces nostra visio est; & ipsum hoc magnum visum est Dominus noster Iesus Christus. Ipse qui humilis visus est, ipse videbitur magnus, & lætificabit nos: videbitur quomodo videtur modò ab Angelis: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. (Ioan. 1.) Attendite ipsum Dominum qui hoc promisit, in Euangelio dicentem: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. (Ioan. 14.) Et quasi diceretur ei, Et quid ei dabis qui diligit te? Ostendam, inquit, meipsum illi.

O Catholice, si ad hoc laboras in terrâ, vt videas in cælo; & merces laborũ est visio Dei, ergo opera nostra sunt meritoria vitæ æternæ.

3. *Huius salutis pignora, sunt Sanguis Christi & Spiritus sanctus per Sacramenta in Ecclesiam effusus & diffusus.*

Desideremus, & amemus: flagremus, si sponsa sumus. Sponsus absens est, sustineamus: veniet quem desideramus. Tantum pignus dedit, non timeat sponsa ne deseratur à sponso; non dimittit pignus suum. Quod pignus dedit? Sanguinem suum fudit. Quod pignus dedit? Spiritum sanctum misit. Talia pignora dimittet ille sponsus? Si non amaret, talia pignora non daret. Iam amat. O si sic amaremus! Maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis. (Ioan. 15.) Amemus & imitemur, curramus post vnguenta eius, quomodo dicitur in Canticis canticorum: Post odorem vnguentorum tuorum currimus. (Cant. 1.) Venit enim, & oleuit, & odor ipsius impleuit totum mundum. Vnde odor? De cælo. Sequere ergo ad cælum, si non falsum respondes quod dicitur, Sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem.

Ritus veteris Ecclesiæ ad Sursum corda, quod in sacrificio Missæ respondebatur à populo tempore D. Augustini.

CAPVT V.

Ex Præfatione in Expositionem Psalmi nonagesimitertij super his verbis: Extendens cælum sicut pellem.

Lectio verbi disponit ad visionem Verbi.

1. *In hac vitâ datur nobis lectio verbi Dei ad exercitium fidei: in futurâ dabitur visio Verbi in præmium.*

2. *Ex meditatione verbi Dei fit, vt animus tamquam luminare in cælo, non turbetur nebulis terrenarum tentationum.*

1. *In hac vitâ lectio verbi Dei est pabulum peregrinantibus.*

CÆLVM, id est, firmamentum, intelligitur per figuram liber legis. Ideò quodam loco dicitur, Extendens cælum sicut pellem. (Psal. 103.) Si extenditur sicut pellis, tamquam liber est extentus, vt legatur. Transacto autem tempore quo legitur lex (propterea enim legitur lex, quia nondum venimus ad illam sapientiam, quæ implet corda & mentes intuentium) non opus erit vt aliquid ibi nobis legatur: quia in eo quod nobis legitur, syllabæ sonant & transeunt; illa autem lux veritatis non præterit, sed fixa permanens, inebriat corda videntium: quo modo dictum est, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos, quoniam apud te est Domine fons vitæ. (Psal. 35.) Et vide ipsum fontem: In lumine, inquit, tuo videbimus lumen. Modò ergò lectio

1.Cor 13. lectio necessaria est, quam diu ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, sicut dicit Apostolus: cum autem venerit quod perfectum est, auferetur quod ex parte est. Non enim liber necessarius erit, neque legemus in illâ ciuitate Ierusalem, vbi Angeli viuunt, vnde nos modò peregrinamur, & peregrinatio nostra gemit: gemit autem, si scimus quia peregrinamur. Nam odit valdè patriam, qui putat sibi benè esse cùm peregrinatur. Numquid in illâ ciuitate, vbi sunt Angeli, Euangelium legitur, aut Apostolus? Verbo Dei omnes pascuntur. Quod Verbum Dei vt sonaret nobis ad tempus, caro factum est, & habitauit in nobis. Ioan.1.

2. *Verbũ Dei est firmamentum: legentes verbũ, sunt luminaria in firmamento lucentia & quieta supra turbas terrarum.* Psal.1. Sed tamen ipsa lex, quæ scripta est, firmamentum nobis est: ibi si sit cor nostrum, non pellitur iniquitatibus hominum. Vide luminare in cælo. In lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Vult aliquis patienter ferre omnia? Non descendat de cælo, & in lege Domini meditetur die ac nocte. Ergo in cælo sit cor eius. Si in cælo est cor eius, omnes iniquitates quæ fiunt in terrâ ad tempus, omnes felicitates malorum hominum, omnes labores iustorum, meditanti die ac nocte legem Dei nulla sunt, & patienter tolerat omnia, & erit beatus, eruditus à Deo. Et quomodo est in firmamento cæli? Quia lex firmamentum est. Beatus vir quem tu erudieris Domine, & ex lege tuâ docueris eum, vt mitiges eum à diebus malignis, donec fodiatur peccatori fouea. Attendite ergo luminaria, quomodo procedunt, & occidunt, & redeunt. Agunt cursus suos, distinguunt diem & noctem, voluunt annos & tempora, & tanta mala fiunt in terrâ, illis quietem in cælo habentibus. Psal.93.

CAPVT VI.

Ex Tractatu in ipsum Psalmum nonagesimum tertium super his verbis: Qui formas dolorem in præcepto.

Æterna quies labore exigui temporis emitur.

1. *Iniunguntur nobis labores, vt assequamur requiem beatitudinis.*
2. *Inenarrabilis & incomparabilis est illa requies.*
3. *Tamen venditur nobis pro laboribus huius vitæ breuibus & leuibus.*
4. *Et quidem æterna requies merebatur emi æterno labore;*
5. *At Deus eum nobis vendit pro temporario labore, eoque non valdè longo, sed per exiguum dumtaxat vitæ spatium durante.*
6. *Et illum ipsum breuem laborem condire Deus voluit ineffabili dulcedine consolationum spiritualium.*

FORMAS, inquit, dolorem in præcepto, id est, de dolore præceptum nobis facis, vt ipse dolor præceptum sit nobis. Quomodo dolor est præceptum? Quia te flagellat qui pro te mortuus est, & non tibi promittit beatitudinem in istâ vitâ; & fallere non potest, & hîc non dat quod quæris. Quid verò dabit? vbi dabit? quantum dabit qui hîc non dat? qui hîc erudit, qui fingit dolorem in præcepto? Laboras hîc tu, sed requies tibi promittitur. Attendis te hîc habere laborem, sed attende qualem ille requiem pollicetur. Numquid cogitare poteris? Si illam posses cogitare, videres te nihil laborare ad compensationem. 1. *Laborandum est vt mereamur beatitudinem.*

Audi eum qui illam ex parte cernebat, qui dixit, Nunc scio ex parte. Quid ergo ait Apostolus? Etenim quod est ad præsens temporale & leue tribulationis nostræ, iuxta incredibilem modum & in incredibilẽ modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Quid est, æternum gloriæ pondus operatur in nobis? Quibus, inquam, operatur? Non respicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur: quę enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Noli esse piger in labore breuiter, & gaudebis incessabiliter. 2. *& quiete illa inenarrabili potiamur.* 1.Cor.13. 2.Cor.4.

Æternam vitam tibi daturus est Deus: cogita quanto labore emenda sit. Intendite, fratres. Venale est, venale est quod habeo, dicit tibi Deus, eme illud. Quid habet venale? Requiem, inquit, venalem habeo, eme illam. Dicis ei: Quantum valet? Audi. Pretium ipsius labor est: quomodo si diceret, Pretium illius aurum est. Non autem sufficeret hoc solum dicere, sed quæreres quantum aurum. Nondum dicitur tibi quantus futurus sit labor iste, vel quantum laboris de te exigatur. Tibi dicit Deus, Ego ostendo quanta sit illa requies: tu iudica quanto labore emenda sit. 3. *Labore breuissimo vẽditur æterna quies:*

Dicat ergo Deus, quanta futura sit ipsa requies. Beati qui habitant in domo tuâ, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hæc est requies sempiterna: sine fine erit requies ista, sine fine erit gaudium hoc, sine fine erit lætitia ista, sine fine erit incorruptio. Vitam æternam habebis, requiem quæ non habet finem. Quanto labore digna est requies quæ non habet finem? Si verum vis pronuntiare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. Verum hoc est: sed noli timere, misericors est Deus. Si enim haberes æternum laborem, numquam peruenires ad æternam quietem. 4. *cùm tamen sit æterna, & æterno labore emi digna.* Psal.83.

Ergo

5. *Sed temporalē dumtaxat exigit Deus, per paruulos vitæ exiguæ dies.*

Ergo vt aliquando peruenias ad id quod emis, non in æternum laborandum est: non quia non valet tanti, sed vt possideatur quod emitur. Digna est quidem emi labore perpetuo, sed necesse est vt labore temporali ematur. Certè tantus labor debuit esse, id est sempiternus, pro requie sempiternâ. Decies centena millia annorum in labore quid valent? Decies centena millia annorum habent finem: quod tibi dabo, dicit Dominus, non habebit finem. Qualis misericordia Dei? Nec dicit, Decies centena millia annorum labora: non dicit, Vel mille annos labora: non dicit, Quingentos annos labora: sed, Cùm viuis, inquit, labora in paucis annis. Inde iam requies erit, & finem non habebit.

6. *Hunc ipsum breuem leuéq; laborem multis solatiis cōdiuit Deus.* Psal. 93.

Et adhuc audi: Domine, secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, exhortationes tuæ iucundauerunt animam meam. Paucos annos laboras, & in ipsis laboribus non deest consolatio, non desunt gaudia quotidiana: sed noli gaudere in sæculo; gaude in Christo, gaude in verbo eius, gaude in lege eius. Ad ipsa gaudia pertinet quod loquimur, & quod auditis. Quantæ sunt istæ consolationes in tantis laboribus? verum est ergo quod dixit Apostolus. Etenim quod ad præsens est temporale & leue (2. Cor. 4.) tribulationis nostræ iuxta incredibilem modum, & in incredibilem modum, æternum gloriç pondus operatur in nobis. Ecce quantum pretium damus? quodam modò vnam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos. Siliquam laboris damus, ad requiem incredibilem percipiendam.

Siliqua est minimi & leuissimi ponderis nomen.

CAPVT VII.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum tertium super his verbis: Inter medium montium pertransibunt aquæ: *vbi nomine aquarum intelligit doctrinam salutarem.*

Verbum Dei in terrâ, per partes; in cælo, totum simul.

1. *Verbum Dei in hac vitâ mortali per syllabas tractatur.*

2. *In cælo, totum simul, sicuti est, à nobis semper videbitur.*

1. *Verbū Dei in hac vitâ tractatur per syllabas, velut per partes.* 1. Cor. 13.

OMNIS doctrina, quæ toto isto tempore dispensatur, transit. Inde dicit Apostolus: Et scientia destruetur, & prophetia euacuabitur. Quare ista euacuabuntur? Ex parte enim scimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est, euacuabitur. Nisi fortè putat charitas vestra, quia in illâ ciuitate, (cui dicitur, Collauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit vectes portarum tuarum,) (Psal. 147.) iam confirmatis vectibus, & clausâ ciuitate, vnde nemo exit amicus, & quò nemo intrat inimicus, codex ibi nobis legendus est, aut tractandus sermo, quemadmodum vobis modò tractatur. Ideò modò tractatur, vt ibi teneatur. Ideò modò per syllabas diuiditur, vt ibi totus atque integer per manifestam contemplationem cernatur.

2. *In cælo totum simul videbitur.* Ioan. 1.

Non tibi deerit verbum Dei, sed tamen non per litteras, non per sonos, non per codices, non per lectorem, non per tractatorem. Quomodo ergo? Sicut in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Non enim sic ad nos venit, vt inde discederet: quia in hoc mundo erat, & mundus per eum factus est. Tale Verbum contemplaturi sumus: apparebit enim Deus deorum in Sion. (Psal. 83.) Sed hoc quando? Post peregrinationem, finitâ viâ; si tamen post finitam viam non iudici tradamur, vt iudex mittat in carcerem. (Luc. 12.) Sed si finitâ viâ, sicut speramus, & optamus, & studemus, ad patriam venerimus; ibi contemplabimur quod semper laudabimus; nec illud deficiet quod nobis præstò erit, nec nos qui fruemur: nec fastidiet qui manducabit, nec deficiet quod manducabitur. Magna illa & mira contemplatio erit. Et quis de illâ dignè dicet isto tempore, cùm inter montes fluunt aquæ? Interim ergo fluant aquæ inter montes, & pertranseant: cùm pertranseunt aquæ, bibitur in peregrinatione, ne siti in viâ deficiamus.

CAPVT VIII.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum decimum nonum super his verbis: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est!

Incolatus exulantis à patriâ cælesti.

1. *Fideles incolatum tantùm habent in terrâ, non ciuitatem, aut possessionem.*

2. *Temporalis peregrinatio potest esse melior patriâ temporali: sed æterna patria melior est omni peregrinatione.*

3. *Non est verè incola, qui non continuò suspirat ad patriam.*

4. *Bona æterna verè sunt: temporalia bona sunt, & non sunt.*

5. *Persecutiones & pugnæ numquam desunt fidelibus in hac vitâ.*

6. *Proprium nomen boni, quod expectamus in cælo, est pax ab omni pugnâ.*

1. *Non domicilium habemus, sed peregrinationis diuersorium, in terrâ.*

MVLTVM, inquit, à te recessi, peregrinatio mea facta est longinqua. Nondum veni in patriam illam, vbi cum nullo malo victurus sum: nondum veni in illam societatem Angelorum, vbi scandala non timebo.

timebo. Quare autem nondum sum ibi? quia incolatus meus longinquus factus est. Incolatus, peregrinatio est. Incola dicitur, qui habitat in terrâ alienâ, non in ciuitate suâ. Longinquus, inquit, factus est, prolongatus est incolatus meus.

2. *Peregrinatio mundana, potest esse melior patriâ mundanâ, sed non cælesti.*

Et vbi longinquus? Aliquando, fratres mei, cùm peregrinatur homo, inter meliores viuit quàm in patriâ suâ fortè viueret: sed non sic est, quando ab illâ Ierusalem cælesti peregrinamur. Mutat enim homo patriam, & aliquando in peregrinatione illi benè est: inuenit amicos fideles peregrinando, quos in patriâ inuenire non potuit. Inimicos habuit, vt de patriâ pelleretur: & cùm peregrinatur, inuenit quod non habebat in patriâ. Non sic est patria illa Ierusalem, vbi omnes sunt boni. Quicumque inde peregrinatur, inter malos est; nec recedere à malis potest, nisi cùm redierit ad societatem Angelorum; vt ibi sit, vnde modò peregrinatur. Ibi sunt omnes iusti & sancti, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine litteris: quod enim nobis per paginas scriptum est, per faciem Dei illi cernunt. Qualis patria? Magna patria: & miseri sunt peregrinantes ab illâ patriâ.

3. *Verus incola semper anhelat ad patriam.*

Sed quid ait iste? Heu me, quia longinqua facta est peregrinatio mea! Heu, vox est miseriæ, vox est calamitatis & infelicitatis: sed tamen isti benè est in spe, quia iam vel gemere didicit. Multi enim & miseri sunt, & non gemunt: & peregrinantur, & redire nolunt. Iste iam volens redire, cognoscit infelicitatem peregrinationis suæ; & quia agnouit illam, redit: & ascendere incipit, quia canticum graduum cœpit cantare. Vbi ergo gemit, & inter quos habitat? Inhabitaui cum tabernaculis Cedar. Cedar, quantum meminimus ex interpretatione nominum Hebræorum, tenebras significat. Interpretatum Cedar Latinè, tenebræ dicuntur.

Idem Pater Augustinus Tractatu in Psalmum centesimum vigesimum septimum super his verbis, Videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ, *sic ait:*

4. *Sûper persistunt bona cæli, bona terræ fluût & refluût.* Exod. 3.

Consoletur te Deus, vt videas bona Ierusalem: illa enim bona sunt. Quare sunt? Quia æterna sunt. Quare sunt? Quia ibi est Rex qui dixit, Ego sum qui sum. Inferiora verò ista bona sunt, & non sunt: non enim stant, sed labuntur & fluunt. Et quamdiu, inquis, videbo bona Ierusalem? Omnibus diebus vitæ tuæ. Si vita tua æterna fuerit, in æternum videbis bona Ierusalem: ista autem bona non omnibus diebus vitæ tuæ vides. (Non enim, quando exis de corpore, moreris: perseuerat vita tua: corpus moritur, sed vita spiritus perseuerat. Oculi non vident, quia discessit qui per oculos videbat: vbicumque est qui per oculos videbat, videt aliquid.) Ergo tu talia desidera bona, quæ videas omnibus diebus vitæ tuæ, id est, cum quibus viuas in æternum. Quæ sunt ergo bona illa? Fratres, attendite. Dici possunt bona illa? aurum est? argentum est? fundus amœnus est? marmorati parietes sunt? tecta laqueata sunt? Absit.

5. *Fidelibus numquam deerût persecutiones; quos tam in pace Ecclesiæ quâ in bello semper tentat diabolus.*

Quid ergo est, fratres, bonum illud quo accendimur, cui suspiramus, quo inflammamur, propter quod adipiscendum & videndum tantos labores sustinemus? Sicut audistis cùm legeretur Apostolus, quia omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Non enim modò, quia diabolus per Reges non sæuit, ideò Christiani non patiuntur persecutionem. 2. Tim. 3. Si mortuus est diabolus, mortuæ sunt persecutiones: si autem ille aduersarius noster viuit, vnde non tentationes suggerit? Vnde non sæuit? vnde non minas aut scandala procurat? O si incipias piè viuere, videbis, quia omnis qui vult piè viuere in Christo, persecutionem patietur. Propter quid ergo patimur tantas persecutiones? Si enim in hac vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, (ait Apostolus) 1. Cor. 15. miserabiliores sumus omnibus hominibus. Propter quid damnati sunt ad bestias Martyres?

6. *Pax omnimoda, proprium nomen boni cælestis in vrbe Ierusalê, quæ est Visio pacis.*

Quod est illud bonum? dici potest? vnde? quæ lingua dicat, & quæ aures audiant? Et quidem illud nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Amemus tamen, & proficiamus. Videtis enim quia pugnæ non desunt, & pugnamus cum concupiscentijs nostris. Pugnamus foris, cum infidelibus & inobedientibus hominibus: 1. Cor. 2. Isa. 64. pugnamus intus, cum suggestionibus & perturbationibus carnalibus. Vbique pugnamus adhuc. Bonum nostrum, cui suspiramus, pax erit. Ecce magnum bonum, fratres, pax vocatur. Quærebatis quid vocaretur, an aurum esset, an argentum, an fundus, an vestis? Pax est. Non pax talis, qualem habent inter se homines, infidam, instabilem, mutabilem, incertam; nec pax talis, qualem secum habet ipse vnus homo: diximus enim, quia & secum pugnat homo: vsquequò domet omnes cupiditates, adhuc pugnat. Qualis ergo pax? Quam oculus non 1. Cor. 2. vidit, nec auris audiuit. Qualis pax? De Ierusalem: quia Ierusalem interpretatur Visio pacis.

CAPVT IX.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum vigesimum primum super his verbis: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem.

Cohortatio mutua ad pietatem.

1. *Mutuæ exhortationes peregrinantium ad loca sancta tempore Augustini; docent quomodo nos mutuò animare debeamus ad benè operandum; quæ est ad cælum via.*

2. *Humilitas stat etiam inter Angelos, vnde cecidit superbia.*

1. *Ex visu & pietate peregrinorum docetur, quomodo cælum versus peregrinandum nobis sit.* *Collige ex Augustini temporibus stationes, processiones, peregrinationes ad memorias Martyrũ & loca sancta: & pietatem Catholicam in illis obserua.*

FRATRES, veniat in mentem charitati vestræ, si qua fortè festiuitas* Martyrum, & locus aliquis sanctus nominatur, quò certo die turbæ confluunt ad celebrandam solemnitatem, illæ turbæ quomodo exsuscitant, quomodo se hortantur, & dicunt, Eamus, eamus? Et quæritur: Quò eamus? Et dicitur: Ad illum locum, ad sanctum locum. Inuicem sibi loquuntur, & tamquam incensi sigillatim faciunt vnam flammam: & ipsa vna flamma, facta ex collocutione sese accendentium, rapit illos ad sanctum locum, & cogitatio sancta sanctificat eos. Si ergo ad locum temporalem sic rapit amor sanctus, qualis amor debet esse qui concordes rapit in cælum, dicentes sibi, In domum Domini ibimus? Ergo curramus: curramus, quia in domum Domini ibimus. Curramus, & non fatigemur, quia illuc perueniemus, vbi non lassabimur. Curramus in domum Domini: iucundetur anima nostra in his quæ nobis dicuntur. Qui ea nobis dicunt, priores viderunt ipsam patriam, de longinquo clamantes ad posteriores: In domum Domini ibimus: ambulate, currite. Viderunt illam Apostoli, & dixerunt nobis, Currite, ambulate, sequimini, in domum Domini ibimus. Et quid dicit etiam vnusquisque nostrûm? Iucundatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

2. *Inter Angelos in cælo stat humilitas hominum, vnde excidit superbia diabolorum.*

Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem. Ecce habes domum Domini, si quærebas quid sit domus Domini. In illa domo Domini laudatur, qui condidit domum, ipse est deliciæ omnium habitantantium in domo. Ipse, sola spes hic, & res ibi. Ergo qui currunt, quid debent cogitare? Quasi ibi iam sint, & ibi stent. Magnum est enim ibi stare inter Angelos, & non deficere. Qui enim inde lapsus est, in veritate non stetit. Ioan. 8. Quicumque non sunt lapsi, in veritate stant: & ille stat, qui Deo fruitur: qui autem se frui voluerit, cadit. Quis verò se frui vult? Qui superbus est. Ideò ille qui semper stare volebat in atrijs Ierusalem, In lumine tuo, inquit, videbimus lumen, non in lumine nostro. Psal. 35. Item, Apud te, inquit, fons vitæ, non apud me. Et quid adiecit? Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatorum non moueat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Si ergo illi ideò non potuerunt stare, quia superbi fuerunt: humiliter tu ascende, vt dicas, Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem. Cogita qualis ibi futurus sis. Et quamuis adhuc in viâ sis, hoc tibi pone ante oculos, quasi ibi stes, quasi iam inter Angelos indeficiens gaudeas: & fiat in te quod dictum est, Beati qui habitant in domo tuâ, in sæcula sæculorum laudabunt te. Psal. 83.

CAPVT X.

Ex eodem Tractatu in ipsum Psalmum centesimum vigesimum primum super his verbis: Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.

Idipsum, & quidquid es & habes, à Deo es & habes.

1. *Participatio in Idipsum, est participatio Dei qui semper est idem.*

2. *Qui factus est pro nobis mortalis, vt nos reduceret ad Idipsum, hoc est, immortalitatem. Idipsum enim est æternitas & immutabilitas, quam a Deo participant Angeli & Sancti in cælo.*

3. *Omnes enim creaturæ ex seipsis mutabiles sunt: participatiuè tantùm sunt Idipsum, seu incorruptibiles.*

4. *Vnde Angelus & homo ideò ceciderunt, quia voluerunt sibi esse Idipsum, & non ex misericordiâ & participatione a Deo.*

IAM, fratres, quisquis erigit aciem mentis, quisquis deponit caliginem carnis, quisquis mundat oculum cordis, eleuet & videat quid est Idipsum. Quomodo dicam, nisi Idipsum? Fratres, si potestis, intelligite quid est, Idipsum. Nam & ego quidquid aliud dixero, non dico Idipsum. Contendimus tamen quibusdam vicinitatibus verborum & significationum, perducere infirmitatem mentis ad cogitandum Idipsum. Quid est Idipsum? Quod semper eodem modo est, quod non modò aliud, & modò aliud est. Quid est ergo Idipsum, nisi quod est? Quid est, quod est? Quod æternum est. Nam quod semper aliter atque aliter est, non est, quia non manet. non omnino non est, sed non summè est. Et quid est quod est, nisi ille, qui quando mittebat Moysen, dixit illi: Ego sum qui sum? & adiecit, Exod. 3.

1. *Idipsum, est semper idem, siue quod semper est & æternum.*

iecit,& ait:Dices itaque filijs Israel,Qui est, misit me ad vos. Ecce Idipsum. Ego sum qui sum. Qui est,misit me ad vos.

2. *Deus in Idipsum factus pro nobis caro, reduxit nos ad Idipsũ; hoc est, ad æternitatis hereditatẽ.* Luc.10.

Sed non potes capere: multum à te est intelligere, multum à te est apprehendere. Retine ergo, quòd pro te factus est ille, quem non potes capere. Retine carnem Christi, in quam leueris ægrotus, atque à vulneribus latronum semiuiuus relictus: & ad stabulum perducaris,& ibi saneris. Ergo curramus ad domum Domini ,& perueniamus ad ciuitatem vbi stent pedes nostri: ciuitatem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Idipsum est hoc,de quo dictum est: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ecce Idipsum,cuius anni non deficient. Fratres,nónne anni nostri quotidie deficiunt, nec stant omnino? Nam & qui venerunt, iam non sunt; & qui futuri sunt , nondum sunt. Iam illi defecerunt, & illi defecturi venturi sunt. Præteritæ horæ transierunt, futuræ nondum venerunt: & cùm venerint , & ipsæ transibunt & deficient. Qui sunt anni qui non deficiunt,nisi qui stant? Si ergo anni ibi stant; ipsi anni qui stant, vnus annus est; & ipse vnus annus qui stat,vnus dies est; quia ipse vnus dies nec ortum habet nec occasum, nec inchoatur ab hesterno, nec excluditur à crastino, sed stat semper ille dies. Et quod vis, vocas illum diem:si vis, anni sunt;si vis,dies est: quodcumque cogitaueris,stat tamen.Ipsius stabilitatis particeps est illa ciuitas, cui participatio est in idipsum. Meritò ergo, quia illius stabilitatis fit particeps,dicit iste qui illuc currit: Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem. Omnia enim ibi stant, vbi nihil transit. Vis & tu ibi stare, & non transire? Illuc curre. Idipsum nemo habet ex se.

Psal.101.

3. *Creatura ex se mutabilis, participatione Dei fit immutabilis.*

Intendite,fratres. Corpus habet, non est Idipsum, quia non in se stat. Mutatur per ætates, mutatur per mutationes locorum ac temporum,mutatur per morbos & defectus carnales: non ergo in se stat. Corpora cælestia non in se stant, habent quasdam mutationes suas,etsi occultas:certè de locis in loca mutantur, ascendunt ab Oriente in Occidentem, & rursus circumeunt ad Orientem: non ergo stant, non sunt Idipsum. Anima humana nec ipsa stat: quantis enim mutationibus & cogitationibus variatur? quantis voluptatibus immutatur? quantis cupiditatibus diuerberatur atque discinditur? Mens ipsa hominis, quæ dicitur rationalis,mutabilis est,non est Idipsum. Modò vult, modò non vult: modò scit, modò non scit: modò meminit, modò obliuiscitur.Ergo Idipsum nemo habet ex se.

Qui voluit ex se habere Idipsum,vt quasi ipse sibi esset Idipsum, lapsus est. Cecidit Angelus, & factus est diabolus. Propinauit homini superbiam, deiecit secum inuidentiâ eum qui stabat. Isti sibi voluerunt Idipsum esse, sibi principari, sibi dominari voluerunt. Noluerunt habere verum Dominum, qui verè est Idipsum: cui dictum est, Mutabis ea,& mutabuntur;tu autem idem ipse es.Iam ergo post tantum languorẽ,post tantos morbos,difficultates,labores,rẽdeat anima humiliata in Idipsum, & sit in illâ ciuitate, cuius participatio eius in idipsum.

4. *Ideò lapsi Angelus & homo, qui à se voluerunt esse, non à Deo accipere Idipsum.*

Psal.101.

CAPVT XI.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum trigesimum sextum super his verbis: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dũm recordaremur tui Sion.

Piorum fletus in Babylone ob exilium ex Ierusalem.

1. *Luctus sanctus ciuium Ierusalem in captiuitate Babylonis siue sæculi huius detentorum.*
2. *Finis vltimus ciuitatis Babylonis est pax temporalis,à quâ ciues Ierusalem abhorrent.*
3. *Sedendum est super flumina Babylonis, (quæ sunt negotia mundana) non in eis,nec sub eis.*
4. *Flendum in Babylone, sed pro recordatione & amore Sion cælestis:etiam cùm pacem Babylonis habemus.*

QVÆ sunt flumina Babylonis,&quid est nostrum sedere & flere in recordatione Sion?Si enim ciues inde sumus,non tantùm hoc cantamus, sed & agimus. Si ciues sumus de Ierusalem,id est, de Sion:si in istâ vitâ, in istâ confusione huius sæculi, in istâ Babyloniâ non ciues habitamus,sed captiui detinemur; oportet vt non tantùm ista decantemus, sed & faciamus affectu cordis pio,religioso desiderio æternæ ciuitatis.

1. *Ciues Ierusalem lugent se in Babylone detentos.*

Habet & hæc ciuitas, quæ Babylonia dicitur, amatores suos, consulentes paci temporali,& nihil vltrà sperantes, totuḿq; gaudium suum ibi figentes, & ibi finientes: & videmus eos pro Republicâ terrenâ plurimùm laborare.Sed tamen in eâ quicumque fideliter versantur,si non ibi appetant superbiam & perituram elationem, otiosamq́ue iactantiam, sed veram fidem exhibeant, quam possunt, quamdiu possunt, quibus possunt; non eos sinit Deus perire in Babyloniâ. Intelligit captiuitatem eorum Deus, & ostendit illis aliam ciuitatem cui verè debeant suspirare,pro quâ debeant cuncta conari, ad quam capessendam debeant ciues suos secum peregrinos,quantum valuerint, adhortari.

2. *Ciues Babylonis pacem sæculi colunt pro fine suo.*

3. *Ciues Ierusalem super flumina Babylonis sedent,non in eis, nec sub eis.*

O sancta Sion,vbi totũ stat,& nihil fluit! Quis

Quis nos in ista instabilia deiecit? Quare dimisimus conditorem tuum, & societatem tuam? Ecce inter fluentia & labentia constituti sumus: vix quisquam (raptus à flumine,) etiamsi tenere lignum potuerit, euadit. Humiliati ergo in captiuitate nostrâ, sedeamus super flumina Babylonis: non nos audeamus in illa flumina præcipitare, nec nos audeamus in nostræ captiuitatis malo atque tristitiâ superbè erigere: sed sedeamus, & sic fleamus. Sedeamus super flumina Babylonis, non infra flumina Babylonis: talis sit humilitas nostra, vt nos non mergat. Sede super flumina, noli in flumine, noli sub flumine: sed tamen sede humilis.

4. *Et flent in Babylone pro memoriâ Sionis, tametsi pace & delicijs Babylonicis abundent.* Inde oportet vt fleas, recordando Sion. Multi enim flent fletu Babylonico, quia & gaudent gaudio Babylonis: gaudent lucris, & flent damnis: vtrumque de Babyloniâ est. Flere debes, sed recordando Sion. Si recordando Sion fles, etiam quando tibi secundùm Babyloniam benè est, oportet vt fleas. Attendat quisque ipsam felicitatem suam quâ exultat: attendat, si non fluat illa felicitas, si potest certus esse de illâ quòd maneat in æternum. Si autem non est certus, & videt fluere vnde gaudet, fluuius Babylonis est: sedeat suprà, & fleat. Sedebit autem & plorabit, si recordatus fuerit Sion. O pax illa, quam videbimus apud Deum! ô pax illa, & sancta æqualitas Angelorum! ô illa visio, & spectaculum pulchrum! Ecce in Babyloniâ pulchra sunt, quæ ciues ipsius Babyloniæ tenent: sed non te teneant, non decipiant. Aliud est solatium captiuorum, aliud gaudium liberorum. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, cùm recordaremur tui Sion.

CAPVT XII.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum quadragesimum quartum super his verbis: Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum & in sæculum sæculi. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.

Gaudium in Deo, inamissibile.

1. Laudandus Deus pro omnibus, & in omnibus, tam aduersis quàm prosperis.

2. Securissimum gaudium est, in Deo gaudere, non in bonis temporalibus:

3. Deum enim semper habere possumus, non semper autem bona temporalia.

4. Exemplo beati Iob probat, gaudium in Deo non amitti per aduersa sæculi.

5. Deus enim tam aduersa quàm prospera in bonum nostrum cooperari facit.

6. Imò gaudendum magis in aduersis, quia tunc à Domino probamur.

7. Deus non potest à nobis sufficienter laudari; ideò semper debet laudari.

8. Etiam post mortem, cùm in Domino mortui fuerimus, Deum laudabimus, quia ad hoc Christus mortuus est.

LAVDA & benedic Dominum Deum tuum per singulos dies, vt cùm finiti fuerint singuli dies, & venerit sine fine vnus dies, eas ex laudibus in laudem, sicut ex virtutibus in virtutem. Per singulos, inquit, dies benedicam te: non transibit dies, quo te non benedicam. Nec mirum est, si læto die tuo benedicis Deum tuum. Quid si fortè illuxerit aliquis tristis dies, sicut se habent humanæ res, sicut est abundantia scandalorum, sicut est multiplicitas tentationum? Quid ergo, si accidat aliquid triste tibi, desines laudare Deum? desines benedicere Creatorem tuum? Si desinis, mentitus es, dicendo, Per singulos dies benedicam te Domine. Si autem non desinis, & si tibi videtur in die tristi esse malè, erit tibi in Deo tuo benè. Est enim (& quando malè est tibi) vbi benè tibi sit. Si enim in aliquo malo malè est tibi, procul dubio in aliquo bono benè tibi erit. Et quid tam bonum, quàm Deus tuus, de quo dictum est: Nemo bonus, nisi vnus Deus?

1. *In aduersis æquè ac prosperis Deum laudemus.* Psal. 83. Luc. 18.

2. *In Deo gaudendũ, non in bonis transitoriis.* Nam quàm sit secura ista laudatio, & quã sit securum hoc benè, intellige de ipso bono. Si enim gaudes de bono quod tibi accidit per diem, fortasse transibit alio die bonum hoc vnde gaudes. Benè, inquis, fuit mihi, bonum diem duxi: quia fortè lucra venerunt, aut inuitatus es, & in epulis diu fuisti. Gaudes, quia in epulis diu fuisti; alter te dolet, quia non erubuisti. Verumtamen de quocumque tali bono gaudeas, certè transitorium est. Si autem gaudeas in Domino Deo tuo, audies dicentem Scripturam: Delectare in Domino. Tantò firmiùs gaudebis, quantò est ille certior in quo gaudebis. Si enim gaudes de nummo, times furem: si autem gaudes de Deo, quid times? An times ne tibi quisquam auferat Deum? Deum nemo tibi auferet, si tu eum non dimiseris. Psal. 36.

3. *Possumus Deum semper adire, semper habere, non res alias.* Non enim sic est Deus, quo modo lux ista de cælo fulgens. Non, quando volumus, ad eam accedimus, quia non in omni loco lucet. Per infirmitatem nostram fortè fit, vt hieme nos delectet esse in ipsâ luce: nunc autem per æstatem videtis, quia magis eum locum quæsiuimus, vt in ipsâ luce non staremus. In Deo autem tuo vt stes, & in lumine veritatis eius delecteris, non quæris locum quo ad eum accedas; sed conscientiâ accedis, & conscientiâ recedis.

Psal. 33. Quod dictum est, Accedite ad eum, & illuminamini; animo accedite, dictum est, non vehiculo; affectibus accedite, dictum est, non pedibus. Et cùm in eo stabis, æstus non patieris. Spiritus enim spirabit tibi, & sub alis eius sperabis. Psal. 90.

4. *Deus non deseret aut dimittet volentes: sicut alia in aduersis à nobis detentibus & inuitis recedunt.*

Vides certè habere te quomodo delecteris per singulos dies. Non enim te dimittet Deus tuus, etiamsi aliquid triste acciderit. Quàm enim triste erat quod sancto viro Iob acciderat? quàm repentè, quàm multa mala irruerant? quemadmodum omnia de quibus gaudere putabatur, non de quibus gaudebat, diabolo tentante subtracta sunt; quemadmodum & filij mortui sunt? Perijt quod seruabatur, perierunt quibus seruabatur: nec tamen perijt, qui & illud & illos dedit. Quin & ipsi filij præsenti sæculo perierunt, agnoscendi & recipiendi in futuro. Illi autem viro, habenti aliud vnde gauderet (in quo verum erat quod modò commemorauimus, Per singulos dies, benedicam te) numquid, quia ille dies, quo totum perierat, tristis illuxit, ideò lux interior in corde defecit? Stetit quippe in illâ luce, & ait: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Ergo per singulos dies laudauit, qui etiam in die tam tristi laudauit. Iob 1.

5. *Dirigit Deus tam prospera quàm aduersa in salutem nostram.* Psal. 33. * *Magisterium totius vitæ spiritualis pro consolationis & desolationis tempore.*

Breue magisterium est, vt semper laudes Deum, veroque corde, non falsò dicas: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. * Breue mysterium est, scilicet, vt noueris eum misericorditer dare cùm dat, misericorditer auferre cùm tollit: nec te credas à misericordiâ eius derelinqui, qui tibi aut blanditur, dando ne deficias; aut te corripit exultantem, ne pereas. Siue ergo in eius donis, siue in eius flagellis, lauda eum. Laus flagellantis, medicina est vulneris. Per singulos, inquit, dies benedicam te.

6. *Tentationibus nos probat.*

Prorsus per singulos dies, fratres, benedicite: omnino quidquid acciderit, benedicite Deum. Etenim ne accidat aliquid quod ferre non potestis, ipse facit. Ideò cum timore debes esse quando tibi benè est, neque te ad hoc parare, quasi numquam tenteris. Si enim numquam tentaris, numquam probaris. Nónne melius est tentari & probari, quàm non tentatum reprobari? Et laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

7. *Debet semper laudari: quia numquam satis laudatur.*

Magnus Dominus, & laudabilis valdè. Quantum dicturus erat? quæ verba quæsiturus? quantam conceptionem conclusit in hoc vno verbo, Valdè? Cogita quantum vis. Quando autem potest cogitari qui capi non potest? Laudabilis est valdè, & magnitudinis eius non est finis. Ideò dixit Valdè, quia magnitudinis eius non est finis: ne fortè incipias velle laudare, & putes te laudando posse finire, cuius magnitudo finem non potest habere. Noli ergo te putare, eum (cuius magnitudinis finis non est) sufficienter posse laudare. Nónne ergo melius est, vt quomodo ipse non finitur, nec laus ipsius finiatur? Illius magnitudo sine fine est, & tua laudatio sine fine sit. De magnitudine eius quid dictum est? Magnitudinis eius non est finis. De tuâ laude quid? Laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi. Ergo, sicut eius magnitudinis non est finis, sic tuæ laudis non erit finis.

8. *Etiam post mortem Deum laudabimus.* Psal. 113. Eccli. 17. Ioan. 16. Matth. 22.

Non enim, cùm mortuus fueris in hac carne, desines laudare Dominum. Dictum est quidem, Non mortui laudabunt te Domine: sed illi, de quibus dicitur, A mortuo, velut qui non sit, perit confessio: non illi mortui, de quibus dixit, Qui credit in me, licet moriatur, viuet: quia Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuorum. Si enim numquam nisi ipsius eris, numquam à laude ipsius tacebis. Timere non potes, ne, dum hîc viuis, ipsius non sis: & cùm mortuus fueris, timere poteris ne non ipsius sis? Audi Apostolum promittentem tibi securitatem. Siue viuimus, inquit, Domino viuimus; siue morimur Domino morimur: siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus. Et vnde factum est, vt eius sis & mortuus? Quia pretio sui Sanguinis te redemit, pro te mortuus est. Quomodo te perdit seruum mortuum, cuius mors est pretium tuum? Ideò cùm dixisset Apostolus, Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus; vt ostenderet ipsum pretium, Ad hoc enim, inquit, Christus mortuus est, vt & viuorum & mortuorum dominetur. Verumtamen quia magnitudinis eius non est finis, & eum quem non cepimus, laudare debemus, (si enim capimus, magnitudinis eius est finis: si autem magnitudinis eius non est finis, capere quidem ex eo aliquid possumus, Deum tamen totum capere non possumus,) tamquam deficientes in eius magnitudine, vt reficiamur eius bonitate, ad opera respiciamus, & de operibus laudemus operantem, de conditis Conditorem, de creaturâ Creatorem.

Rom. 14.

Pia est S. Augustini ex Apostolo consideratio. Mortui laudabunt Dominũ: ideò enim mortuus est Christus, vt qui in eo moriuntur, viuant, & Deum laudent post mortem.

CA-

CAPVT XIII.

Ex eodem Tractatu in ipsum Psalmum centesimum quadragesimumquartum super his verbis: Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur: vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnitudinis decoris regni tui.

Ascensus ad laudem Dei per scalas creaturarum.

1. Dispositio ordinatissima diuersorum graduum in creaturis, confitetur laudem Creatoris.

2. Inde hauriunt Sancti copiosam materiam laudum diuinarum.

3. Qualibet species creaturæ habet gloriam decoris: sed regnum Dei, quod expectamus, habet magnitudinem gloriæ decoris.

1. *Rerũ creaturarum ordo decentissimus, Dei opificis laudem loquitur.*

DEVS ordinauit omnia, & fecit omnia. Quibusdam dedit sensum, & intellectum, & immortalitatem, sicut Angelis; quibusdam dedit sensum, & intellectum, cum mortalitate, vt hominibus; quibusdam dedit sensum corporis, nec intellectum, nec immortalitatem, sicut pecoribus; quibusdam verò nec sensum, nec intellectum, nec immortalitatem, sicut herbis, lignis, lapidibus, tamen & ipsa in genere suo deesse non possunt; & gradibus quibusdam ordinauit & ornauit creaturam, à terrâ vsque ad cælum, à visibilibus ad inuisibilia, à mortalibus ad immortalia. Ista contextio creaturæ, ista ordinatissima pulchritudo, ab imis ad summa conscendens, à summis ad ima descendens, nusquam interrupta, sed dissimilibus temperata, tota laudat Deum. Quare tota laudat Deum? Quia cùm eam consideras, & pulchram vides, tu in illâ laudas Deum. Vox certè quædam est mutę terræ, species terræ. Attendis eius speciem, vides eius fecunditatem, vides eius vires, quomodo concipiat semen, quomodo plerumque afferat quod non est seminatum: vides, & consideratione tuâ tamquam interrogas eam; & ipsa inquisitio, interrogatio est. Cùm autem inquisieris admirans, & perscrutatus fueris, & magnam vim, magnam pulchritudinem, præclaramque virtutem inueneris, quoniam apud se & à se habere hanc virtutem non posset, continuò tibi venit in mentem, quia non potuit à se esse, non potuit esse nisi ab illo Creatore. Et hoc quod in illâ inuenisti, vox confessionis ipsius est, vt laudes Creatorem. Nónne, consideratâ vniuersâ pulchritudine mundi huius, tamquam vnâ voce tibi species ipsa respondet: Non me ego feci, sed Deus?

Omnesque creaturæ voces sunt laudis diuinæ, quãdo consideramus, quidquid habẽt pulchri & boni, non à se habere, sed à Deo.

2. *Ex consideratione creaturarũ occasio nascitur glorificandi potentiam Creatoris.*

Ergo, confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant te. Vt in confessione operum tuorum Sancti tui te benedicant, ipsi Sancti tui inspiciant creaturam confitentem, & illorum vocem tu audi benedicentem. Etenim cùm Sancti tui benedicunt te, quid dicunt? Sequitur: Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Quàm potens, inquiunt, Deus, qui fecit terram! quàm potens Deus, qui impleuit terram bonis! quàm potens Deus, qui dedit vitas suas proprias animalibus! quàm potens Deus, qui semina diuersa dedit visceribus terræ, vt germinarent tantam varietatem fruticum & fructuum, cum tantâ specie arborum! quàm potens Deus, quàm magnus Deus! Tu interrogas, creatura respondet: & de responsione, tamquam confessione creaturæ, tu sancte Dei, benedicis Deum. Et potentiam tuam loquentur, vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnitudinis decoris regni tui. Sancti ergo tui commendant gloriam magnitudinis decoris regni tui. Est quædam magnitudo decoris regni tui, hoc est, regnum tuum habet magnum decorem: quandoquidem quidquid habet decorem, à te habet decorem.

3. *Gloria decoris est in qualibet creaturâ: magnitudo gloriæ decoris in regno Dei est.*

Ipsum regnum tuum qualem decorem habet? Non nos terreat regnum, habet & decorem quo delectemur. Etenim quale illud decus est, quo perfruentur Sancti, quibus dicetur, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei? Videte, fratres; &, si potestis, & quantum potestis, cogitate decorem regni illius quod venturum est, vnde est illud in Oratione nostrâ, Adueniat regnum tuum. Ipsum enim regnum optamus vt veniat, hoc regnum venturum Sancti prædicant. Mundum istum attendite, decorem habet. Quem decorem habet terra, mare, aër, cælum, sidera? Omnia hæc nónne omnem consideratorem terrent? Nónne pulchritudo ipsa sic eminet, vt quasi pulchrius nihil inueniri possit? Et hîc viuis in isto decore, in istâ pulchritudine propè iam ineffabili. Hîc viuunt tecum & vermiculi, & mures, & omnia terræ repentia & serpentia: ista tecum viuunt in decore isto. Quale decus est illius regni, vbi tecum non viuunt nisi Angeli? Ideò parum fuit vt diceret, Gloriam decoris. Potuit enim dici & gloria decoris cuiuslibet speciei etiam in hoc mundo constitutæ, vel de terrâ virentis, vel de cælo fulgentis: sed hæc verba, Magnitudinis decoris regni tui, aliquid commendant quod nondũ videmus, quod

Matth. 25.
Matth. 6.

nondum visum credimus, quod creditum desideramus, propter cuius desiderium omnia sustinemus. Est ergo magnitudo decoris cuiusdam: ametur, antequam videatur; vt, cùm visa fuerit, teneatur.

CAPVT XIV.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum quadragesimum quintum super his verbis: Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vitâ meâ: psallam Deo meo quamdiu sum.

Perseuerandum iugiter in Dei laudibus in hac & alterâ vitâ.

1. *Spes reditus ad beatam patriam consolatur animam in hoc sæculo peregrinantem.*
2. *Hac spe erecta exulis anima confert se strenuè ad Deum laudandum.*
3. *Carnis consilium animæ datum insidum est, & suspectum esse debet.*
4. *Ratio custodia suæ insistens consulit inferioribus potentijs, vt laudibus Dei attendant, relictisque rebus creatis ad Deum amandum se recolligant.*
5. *Animam inter laudes Dei distractam mens reuocat, vt Deo puriùs attendat & inhæreat.*
6. *Sed tenuiter hoc præstat in corpore mortis huius.*
7. *In vitâ hac mortali tam boni quàm mali peregrinantur: sed multum refert quò ambulent aut tendant.*
8. *Plenè laudabit anima Deum in vitâ æternâ: interim ex spe illius aliquid saltem conatur.*

1. *Solatium peregrinationis, spes reuersionis in patriam.* DELICIÆ & diuitiæ spiritus nostri, diuina sunt cantica, vbi & fletus sine gaudio non est. Fideli homini & peregrino in sæculo nulla est iucundior recordatio, quàm ciuitatis vnde peregrinatur: sed recordatio ciuitatis in peregrinatione, non est sine dolore atque suspirio. Spes tamen reditus nostri, certe etiam inter peregrinandum tristes consolatur & exhortatur. Rapiant cor vestrum verba Dei, & possessor vester vendicet sibi possessionem suam, id est, mentes vestras, ne auertantur in aliud. Vnusquisque vestrûm totus hîc sit, vt hîc non sit: id est, totus sit in verbo Dei quod sonat in terrâ, vt ab eo exaltetur, & non sit in terrâ. Ideò enim Deus nobiscum, vt & nos cum illo simus: nam qui, vt nobiscum esset, descendit ad nos, faciet vt cum illo possimus ascendere ad se. Interim ipse peregrinationem nostram non fastidiuit, non deseruit, qui nusquam est peregrinus, & qui condidit omnia.

2. *Excitat & erigit ad laudē Dei.* Ecce Psalmus sonat: cuiusdam vox est, (quæ, si vultis, vestra est,) exhortantis animam suam ad laudandum Deum, & dicentis sibi: Lauda anima mea Dominum. Aliquando enim in tribulationibus atque in tentationibus præsentis vitæ, velis nolis, conturbatur anima: cuius perturbationem in alio Psalmo quidam insinuat, dicens: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? *Psal. 41.* Vt autem auferat ab eâ eâdem perturbationem, suggerit gaudium nondum de re, sed de spe, & ait illi perturbatæ & anxiæ, tristi & mœrenti: Spera in Domino, quoniam adhuc confitebor illi. Hac ergo spe acceptâ, (quæ spes non potest esse sine gaudio, quamuis in rebus simus difficilibus secundùm istam vitam, & plenis procellarum & tempestatum,) hac spe erecta anima, quia gaudet in spe, (sicut dicit Apostolus, Spe gaudentes, in tribulatione patientes,) accipit erectionem quamdam in Deum vt laudet Deum, & dicitur ei: Lauda anima mea Dominum. *Rom. 12.*

Sed quis dicit? Caróne dicit, Lauda anima mea Dominum? Et potest caro bonum consilium animæ suggerere? Sed corpus inferius est animâ, consilium superiori dare non potest. Infelix est ipsa anima, si à corpore exspectet consilium. Caro benè obediens, famula est animæ: illa regit, hæc regitur; illa imperat, ista famulatur. Quando potest caro dare hoc consilium animæ? Quis est ergo, qui dicit, Lauda anima mea Dominum? Nihil inuenimus amplius in homine, quàm carnem & animam. Totus homo est, spiritus & caro. *3. Infidum est carnis consilium.*

An fortè ipsa anima sibi dicit, & sibi quodammodò imperat, & se exhortatur atque excitat? Quibusdam enim perturbationibus ex quadam sui parte fluctuabat, ex quadam verò parte, (illâ scilicet, quam vocant mentem rationalem, quâ cogitatur sapientia,) inhærens Domino, & iam suspirans in illum anima, aduertit quasdam suas inferiores partes perturbari motibus sæcularibus, & cupiditate quadam terrenorum desideriorum ire in exteriora, relinquere interiorem Deum: reuocat se ab exterioribus ad interiora, ab inferioribus ad superiora, & dicit: Lauda anima mea Dominum. Quid tibi placet in sæculo? Quid est quod vis laudare? Quid est quod vis amare? Quacumque corporeis sensibus conuerteris, occurrit tibi cælum, occurrit tibi terra. Quod amas in terrâ, terrenum est: quod amas & in cælo isto visibili, corporeum est. Vtrobique amas, & vtrobique laudas. Quomodo laudandus est ille qui fecit ista quæ laudas? Iam ergo diu occupata vixisti, & desideriorum diuersitate verberata, portas plagas, sauciata, diuisa per amores multos, vbique inquieta, nusquam secura. Collige ad teipsam quidquid tibi foris placebat, quære quem habeat auctorem. Nihil melius in terrâ, *4. Vigilat mens rationalis, & imperat inferioribus viribus laudis diuinæ officiū deserendo res creatas, & intro uertendo se ad Deum.*

verbi

verbi gratiâ, quàm hoc & illud: aurum, argentum, animalia, arbores, amœnitates, totam terram cogita. Quid melius in cælo sole, lunâ, sideribus? totum cælum cogita. Omnia ista simul bona valdè, quia fecit Deus omnia bona valdè. Vndique pulchritudo operis tibi commendat artificem. Miraris fabricam, ama fabricatorem. Non ita occupêris in eo quod factum est, vt recedas ab illo qui fecit. Hæc enim, quibus occuparis, sub te fecit, quia sub seipso te fecit. Si hærebis superiori, calcabis inferiora: si autem recedas à superiore, ista tibi in supplicium conuertentur. Consilium sibi dat ex luce Dei ipsa anima per rationalem mentem, vnde concepit consilium fixum in æternitate auctoris sui. Legit ibi quiddam tremendum, laudandum, amandum, desiderandum, & appetendum. Nondum tenet, nondum capit, coruscatione quadam perstringitur, non est tam valida vt maneat ibi. Itaque ad sanitatem colligit se quamdâ, & dicit, Lauda anima mea Dominum.

Gen. 1.

5. Et quid est, fratres? Nónne laudamus Dominum? Nónne quotidie hymnum nos cantamus? Nónne quotidie pro modulo nostro sonat os nostrum, parturit cor nostrum laudes Dei? Et quid est quod laudamus? Magnum est quod laudamus, sed quo laudamus adhuc infirmum est. Quando implet laudator excellentiam laudati? Ecce homo stat, cantat Deo aliquantò prolixiùs: & sæpè labia mouentur ad cantum, cogitatio autem nescio per quæ desideria volat. Stabat ergo mens nostra quodâ modo ad laudem Dei: sed anima nostra per diuersas cupiditates vel curas negotiorum huc atque illuc fluitabat. Quasi desuper attendit ipsa mens ad illam fluitantem hac atque illac, & ad molestiarum eius inquietudinem, & quasi conuersa alloquitur eam, Lauda anima mea Dominū. Quid est quòd de aliquibus rebus satagis? Quid est quòd te occupat cura rerum terrenarum atq; mortalium? Sta mecum, lauda Dominum.

Inter ipsas etiam Dei laudationes mens animã distractã reuocat ad se, vt intẽdat Deo, & attendat.

Praxis notanda in distractionibus orationis.

6. Sed quasi ipsa anima prægrauata, & non valens ita consistere, vt dignum est, respondet menti: Laudabo Dominum in vitâ meâ. Quid est, in vitâ meâ? Quia modò in morte meâ sum. Ergo quando exhortaris te, & dicis, Lauda anima mea Dominum; respondet tibi anima tua, Laudo quantum possum, tenuiter, exiliter, infirmiter. Quare? Quia quàm diu sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Quare sic laudas Dominum, non perfectè, non stabiliter? Interroga Scripturam: Quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Tolle mihi corpus quod aggrauat animã, & laudo Dominum. Tolle mihi terrenam habitationem deprimentem sensum multa cogitantem, vt à multis in vnum confluam; & laudo Dominum. Quamdiu autem ita sum, non possum, prægrauor.

Anima in mortali corpore instabiliter insistit laudationibus Dei.

2. Cor. 5.

Sap. 9.

7. Quid ergo? Silebis, & non laudabis perfectè Dominum? Laudabo Dominum in vitâ meâ. Quid est, in vitâ meâ? Spes mea tu es hîc, spes mea es tu hîc, dicimus: portio autem mea non hîc, sed in terrâ viuentium: nam ista terra morientium est. Hinc transimus, sed interest quò: quoniam & malus homo peregrinatur hîc, & bonus homo peregrinatur hîc. Non enim bonus transit, & malus hîc permanet: aut malus transit, & bonus hîc permanet. Ambo transeunt, sed non ambo ad vnum. Ergo, fratres, quoniam spes hîc pascit, vita autem nostra perfecta non est, nisi illa quæ promittitur (nam hîc gemitus, hîc tentationes, hic angustiæ, hîc mœrores, hîc pericula;) laudabit anima nostra in vitâ nostrâ Dominum, quomodo laudandus est, (secundùm quod dicitur in alio Psalmo, Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te,) quando totum negotium nostrum ipsa laus erit. Sed quando hoc? In vitâ, inquit, meâ. Modò enim quid est? Posset tibi dicere, Mors mea est. Vnde mors tua? Quia peregrinor à Domino. Si enim hærere illi, vita est; exulare ab illo, mors est.

In corpore mortis huius peregrinantur boni & mali, sed longè dispari termino via.

Psal. 141.

Psal. 83.

8. Sed quid te consolatur? Spes. Iam viue in spe: de spe lauda, de spe canta. Vnde mors tua est, non cantes: vnde viuis, inde canta: Mors tua est de mœrore huius sæculi: viuis de spe futuri sæculi. Laudabo, inquit, Dominum in vitâ meâ. Et quomodo laudabis Dominum Deum tuum? Psallam Deo meo quamdiu sum. Qualis illa laudatio, Psallam Deo meo quamdiu sum? Videte, fratres mei, quale erit illud esse. Vbi sempiterna laudatio erit, sempiternum esse erit. Numquid modò psallis Deo tuo, quamdiu es? Ecce psallebas: auertisti te ad aliquod negotium, iam nõ psallis, & es. Ecce es, & non psallis. Fortassis enim cupiditate inclinatus ad aliquid, non solùm non psallis, sed & offendis auditũ eius, & es. Sed quid ait, quamdiu sum? Aliquando fortè non erit? Imò in æternum erit ipsum diu, & ideò verè diu erit. Nam quidquid finem habet in tempore, quamlibet longum sit, diu non est. Psallam Deo meo quamdiu sum. Non nos deserat spes in istâ peregrinatione & tentatione, in istis improbitatibus & insidijs inimici, circumstrepentibus vndique tentationibus sæculi: non nos spes deserat vndique in laboribus & angoribus constitutos.

Hic interea ex spei solatio conabitur laudare; in patriâ plenè, in æternum laudabit anima nostra Dominum.

CAPVT XV.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum quadragesimum sextum super his verbis: Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus.

Laus operis præstat laudibus oris.

1. *Licitum est pro laudibus diuinis ab ipso Deo mercedem expectare:*

2. *Non ex nostro arbitrio aut electione, sed pro ipsius prouidentiâ, qui concedit profutura; nocitura verò misericorditer negat.*

3. *Landandus est autem Deus non solùm cantu & linguâ, sed multò magis totâ vitâ & opere.*

4. *Nam ex bono opere nostro laudatur, ex malo verò quodammodò blasphematur. Omnia ergo fiant in laudem eius.*

1. *Intuitu & spe mercedis Deum laudare licet.* LAVDATE Dominum, inquit, quoniam bonus est psalmus. Hæc est merces tota laudantium. Laudemus Dominum. Quare? Quoniam bonus est psalmus. Vellem, inquit aliquis, laudare Dominum, si mihi aliquid pro istâ laude donaret. Quis enim laudat gratis vel hominem? Expectant ergo aliquam mercedem laudatores hominum. Nullámne mercedem expectare aut petere aut sperare debet laudator Dei? Laudatur infirmus, & speratur de eo aliquid: laudatur Omnipotens, & nulla merces est? An forte hoc cupio quod ille dare non potest? Quid verò homo desiderat quod in manu Dei non sit? Cùm laudaueris hominem, fortè hoc cupis quod ab illo præstari non potest. Deum securus lauda, quem nemo potest dicere non posse præstare quod tu poteris desiderare.

2. *Sed mercedem petamus, qualē ipsi placuerit dare, & nobis expediat accipere.* Propositâ ergo spe mercedis alicuius laudare debemus Deum, non tamen fortè daturum quidquid cupimus. Pater est enim: & quod malè cupiunt filij, non dat. Laudemus & speremus, & desideremus non illud aut illud, sed quod iudicat dandum esse ipse quem laudamus. Ille enim nouit quid nobis dari expediat: nos autem intendamus quid nobis prosit accipere. Apostolus ait, Quid oremus sicut oportet nescimus. (Rom. 8.) Et ipse idem Apostolus Paulus sperabat sibi prodesse, si auferretur ab eo stimulus carnis suæ, angelus satanæ à quo colaphizabatur; sicut ipse confitetur & ait: Propter (2. Cor. 12.) quod Dominum ter rogaui vt auferret eum à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Desiderauit aliquid: non concessum est ei ad voluntatem, vt ipse consolaretur ad sanitatem.

3. *Nō linguâ tātùm, sed & vitâ laudandus Dominus.* Hic ergo quid nobis propositum est? Laudate, inquit, Dominum. Quare laudamus Dominum? Quoniam bonus est psalmus. Ipse psalmus laus Domini est. Hoc ergo ait, Laudate Dominum, quoniam bonum est laudare Dominum. Non sic prætereunter laudemus Dominum; puta, dictum est, & transijt: factum est, & siluimus: laudauimus, & tacuimus: cantauimus, & conquieuimus: imus in aliud fortè agendum quod restat, & aliæ actiones cùm occurrerint nobis, laudatio diuina cessabit in nobis. Non sic prætereunter laudemus Dominum, non sic. Nam lingua tua ad horam laudat, vita tua semper laudet. Inde ergo bonus psalmus. Psalmus quippe cantus est, non quilibet, sed ad psalterium. (*Psalmus, cantus ad ad psalterium, vbi manu, id est opere, pulsantur organa ad vocem cantantis.*) Psalterium autem quoddam organum est cantilenæ, sicut lyra, sicut cithara, & huiusmodi alia, quę inuenta sunt ad cantandum. Qui ergo psallit, non solâ voce psallit, sed assumpto etiam psalterio, accedentibus manibus voci concordat. Vis ergo psallere? Non solùm vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tuâ.

4. *Ex bono opere laudatur Deus, ex malo blasphematur.* Cùm voce cantaueris, silebis aliquando: vitâ sic canta, vt numquam sileas. Negotium dum agis si fraudem cogitas, siluisti à laude Dei: & quod grauius est, non solùm à laude siluisti, sed in blasphemiam perrexisti. Cùm ergo Deus laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deum: & cùm blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum. Itaque sic canta voce, vt corde non sileas, vitâ non taceas. Non cogitas in negotio fraudem: psallis Deo. Cùm manducas & bibis, psalle: modestè & frugaliter, & temperanter manducando atque bibendo. (*Praxis, quómodo cibus & potus noster laudēt Deum, vel blasphement.*) Quia hoc dicit Apostolus, Siue manducatis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. (1. Cor. 10.) Si ergo benè viuis, & pro his quæ manducas & bibis, & ad refectionem corporis sumis reparationemque membrorum, gratias agis ei qui tibi præbuit mortali & fragili ista supplementorum solatia: cibus tuus & potus tuus laudat Deum. Si verò modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentiâ te ingurgites, quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Post cibum & potum requiescis vt dormias: non in lecto aliquid turpiter agas, nec excedas vltra concessam licentiam in lege Dei. (*Quomodo quies & somnus noster laudēt Deum.*) Hæc agens laudas Deum, nec omnino silebit laudatio tua. Si ergo laudas, non tantùm linguâ tuâ, sed etiam assumpto bonorum operum psalterio canta, quoniam bonus est psalmus. Sic laudas Deum cùm agis negotium, laudas cùm cibum & potum capis, laudas cùm in lecto requiescis, laudas cùm dormis. Perficietur

ficietur in nobis laudatio Dei, cùm ad illam ciuitatem venerimus, quando effecti fuerimus æquales Angelis Dei: quando iam nos nulla corporalis necessitas vllâ ex parte sollicitat, non fames, non sitis interpellat, non æstus fatigat, non frigus constringit, non febris deijcit, non mors finit. Ad illam perfectissimam laudem exerceamus nos laudatione istâ in bonis operibus.

CAPVT XVI.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum quadragesimumseptimum super his verbis: Qui posuit fines tuos pacem.

Bonum pacis.

1. *Pulchritudo pacis amabilissima oculis & affectibus cordis.*
2. *Habenda est pax in omnibus negotiis: sed eam non habent hæretici, nec habere possunt.*
3. *Inchoatam dumtaxat hic habemus: ad plenam pacem in patriâ possidendam aspiramus:*
4. *Ibi enim erit pacis multitudo, & diuitiarum verarum thesaurus.*

1. *Pax oculis & affectui maximè amabilis.* QVI posuit fines tuos pacem. Quomodo exultastis omnes? Hanc amate, fratres mei. Multum delectamur, quando clamat de cordibus vestris pacis dilectio. Quomodo nos delectauit? Nihil dixeram, nihil exposueram, versum pronuntiaui, & exclamastis. Quid de vobis clamauit? Dilectio pacis. Quid ostendit oculis vestris? Vnde clamatis, si non amatis? Vnde amatis, si non videtis? Inuisibilis est pax. Quis est oculus, quo visa est vt amaretur? Neque enim acclamaretur, nisi amaretur. Hæc sunt spectacula (quæ exhibet Deus) rerum inuisibilium. Quantâ pulchritudine intellectus pacis corda vestra pulsauit? Quid iam ergo loquar de pace, aut de laude pacis? Præuenit omnia verba mea vester affectus. Non implebo, non possum, infirmus sum. Differamus omnes laudes pacis ad illam patriam pacis. Ibi eam pleniùs laudabimus, vbi eam pleniùs habebimus. Inchoatam in vobis si sic amamus, perfectam quomodo laudabimus? Ecce hoc dico, ô filij dilecti, ô filij regni, ô ciues Ierusalem, quoniam in Ierusalem visio pacis est, & omnes qui habent & amant pacem, benedicuntur in eâ.

Mos populi fidelis olim concionanti Episcopo per exclamationes applaudẽtis.

2. *In omnibus negotijs studendum paci.* Hanc quam nominatam sic amatis & diligitis, ipsam sectamini, ipsam desiderate: ipsam in domo, ipsam in negotio, ipsam in vxoribus, ipsam in filijs, ipsam in seruis, ipsam in amicis, ipsam in inimicis diligite. Ipsa est pax, quam non habent hæretici. Quid agit pax in huius adhuc regionis incertis, in istâ peregrinatione mortalitatis nostræ, cùm adhuc nemo est alteri conspicuus, nemo videt cor alterius, quid agit pax? De incertis non iudicat, incognita non confirmat. Procliuior est ad benè credendum de homine, quàm ad malè suspicandum. Non se multum dolet errare, cùm benè credit etiam de malo. Perniciosum est autem, cùm quis malè senserit fortè de bono, nesciens qualis sit. Quid perdo, si credo quia bonus est? Si incertum est vtrùm sit malus, licet quidem vt caueas ne fortè verum sit: non tamen damnes tamquam verum sit. Hoc pax iubet. Quære pacem, ait, & sequere eam. Hæresis quid monet? Damnat incognitos, damnat totum mundum. *Psal. 33.*

Pax neminem temerè damnat, quod faciunt hæretici.

3. *Pax in hac vitâ inchoatur, in alterâ consummatur. Eò adspirãt omnes. Galat. 5. 1. Cor 15.* Modò desideramus illam pacem, quam hic habemus in spe. Adhuc enim in nobisipsis qualis pax? Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Vbi plena pax in vno homine? Quando erit plena in vno homine, tunc erit plena in omnibus ciuibus Ierusalem. Quando erit plena pax? Quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc erit plena pax, tunc firma pax. Nihil tunc litigat aduersus animam in homine, non ipsa aduersum se ex quadam parte saucia, non carnis fragilitas, non indigentia corporis, non fames, non sitis, non æstus, non frigus, non lassitudo, non vlla inopia, non prouocatio rixæ, non certè ipsa sollicita cautela & vitandi inimici & diligendi. Hæc omnia, fratres mei, litigant aduersum nos: nondum est plena & perfecta pax. Quòd clamastis (qui iamdudũ nominatâ pace ex desiderio clamastis) clamor vester de siti erat, non de saturitate.

Ipse Pater Augustinus Tractatu in Psalmum trigesimum sextum super his verbis, Mansueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis, *sic ait:*

4. *Ibi enim multitudo pacis erit, & thesaurus omnis boni copiosissimus.* Terra est illa, de quâ sæpè locuti sumus, Ierusalem sancta. Mansueti liberabuntur de peregrinatione istâ, & in æternum viuent cum Deo, & de Deo. Ergo hereditate possidebunt terram. Quæ erunt diuitiæ ipsorum? Delectabuntur in multitudine pacis. Delectetur hîc impius in multitudine auri, in multitudine argenti, in multitudine mancipiorum, in multitudine postremò opum diuersarum, vinolentiæ, lautissimorum & luxuriosorum conuiuiorum. Nónne etsi semper hæc haberet, plangendus esset? Quæ erunt autem diuitiæ & deliciç tuæ? Multitudo pacis. Aurum tuum pax, argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax. Quidquid desideras, pax tibi erit. Hîc quod est aurum, non potest tibi esse argentum: quod vinum est, nõ potest tibi esse

esse panis: quod tibi lux est, non potest esse potus: Deus tuus totum tibi erit. Manducabis eum, ne esurias; bibes eum, ne sitias; illuminaberis ab eo, ne sis cæcus; fulcieris ab eo, ne deficias; possidebit te totum integrum totus integer. Angustias non ibi patieris propter alium, cum quo totum possidebis: totum habebis, totum & ille habebit: quia tu & ille vnum eritis, quod vnum totum Psal. 36. ipse Deus habebit, qui vos possidebit. Hæ sunt reliquiæ homini pacifico.

CAPVT XVII.

Ex Tractatu in Psalmum centesimum quadragesimum octauum super voce Alleluia.

De Alleluia, quod Latinè vertitur, Laudate Dominum.

1. *Laus Dei habet lætitiam: oratio ad Deum fit cum gemitu.*

2. *Duo tempora in ritu Ecclesiastici Officij, Quadragesimale & Paschale, significant gemitum huius vitæ per Christi passionem nos perducentium ad resurrectionem, & quietem ac lætitiam vitæ futuræ.*

3. *Laus Dei ex bonis operibus socianda est laudi eius vocali.*

1. *Laus Dei cũ lætitiâ, oratio cum gemitu fit.* MEDITATIO præsentis vitæ nostræ in laudem Dei esse debet: quia exultatio sempiterna futuræ nostræ vitæ, laus Dei erit. Et nemo potest idoneus fieri futuræ vitæ, qui se ad illam modò non exercuerit. Modò ergo laudamus Deũ, sed & rogamus Deum. Laus nostra lætitiam habet, oratio gemitum. Promissum est enim nobis aliquid quod nondum habemus, & quia verax est qui promisit, in spe gaudemus: quia tamen nondum habemus, in desiderio gemimus. Bonum est nobis perseuerare in desiderio, donec veniat quod promissum est, & transeat gemitus, & succedat sola laudatio.

2. *Tempus Quadragesimale huius vitæ gemitum, tempus Paschale futuræ vitæ lætitiam significat.* Propter hæc duo tempora, (vnum, quod nunc est in tentationibus & tribulationibus huius vitæ; alterum, quod tunc erit in securitate & exultatione perpetuâ) instituta est nobis etiam celebratio duorum temporum, ante Pascha & post Pascha. Illud quod est ante Pascha, significat tribulationem in quâ modò sumus: quod verò nunc agimus post Pascha, significat beatitudinem in quâ posteà erimus. Ante Pascha ergo quod celebramus, hoc & agimus: post Pascha autem per id quod celebramus, significamus quod nondum tenemus. Proptereà illud tẽpus in ieiunijs & orationibus exercemus: hoc verò tempus relaxatis ieiunijs in laudibus agimus. Hoc est enim Alleluia quod cantamus, quod Latinè interpretatur (vt nostis) Laudate Dominum. Illud ideò tempus ante Domini resurrectionem est: hoc tempus post resurrectionem Domini est, quo scilicet tempore significatur vita futura quam nondum tenemus: quia quod significamus post resurrectionem Domini, tenebimus post resurrectionem nostram. In capite enim nostro nobis vtrumque figuratum est, vtrumque demonstratum est. Passio Domini ostendit nobis vitam præsentis necessitatis, quâ oportet & laborare, & tribulari, & ad extremum mori: resurrectio verò & clarificatio Domini ostendit nobis vitam, quam accepturi sumus, cùm venerit retribuere digna dignis, mala malis, bona bonis.

(Obseruent Nouatores ieiunia & gemitus Quadragesimæ: Alleluia & gaudia Paschatis, & quidẽ exemplo Christi Iesv patientis & resurgentis.)

3. *Vocali laudi socianda est laus operum, seu vita, vt lingua & manu à nobis laudetur Dominus.* Et quodammodò mali omnes cantare nobiscum possunt Alleluia: si autem in malitiâ suâ perseuerauerint, canticum vitæ nostræ futuræ dicere possunt labijs, ipsam verò vitam, quæ tunc erit in veritate (nam nunc significatur illa veritas) obtinere non possunt, quia noluerunt meditari antequam veniret, & tenere quod venturum erat. Nunc ergo, fratres, exhortamur vos, vt laudetis Deum: & hoc est quod vobis dicimus, quando dicimus Alleluia, laudate Dominum. Dicis tu alteri, dicit ipse tibi: cùm se omnes exhortantur, omnes faciunt quod exhortantur. Sed laudate totis votis de totis vobis: id est, non solùm lingua & vox vestra laudet Deum, sed & conscientia vestra, vita vestra, facta vestra. Etenim laudamus modò in Ecclesijs quando congregamur: quisque cùm discedit ad propria, quasi cessat laudare Deum. Non cesset benè viuere, & semper laudat Deum. Tunc desinis laudare Deum, quando à iustitiâ, & ab eo quod illi placet, declinas. Nam si à vitâ bonâ numquam declines, lingua tua tacet, vita tua clamat: & aures Dei ad cor tuum. Quomodo enim aures nostræ ad voces, sic aures Dei ad cogitationes. Ergo, fratres, non tantùm ad sonum attendite, cùm laudatis Deum: toti laudate: cantet vox, cantet & vita, cantent facta: & si est adhuc gemitus, tribulatio, tentatio, sperate transitura omnia, & illum venturum diem, quo sine defectu laudabimus.

CAPVT XVIII.

Ex eodem Tractatu in ipsum Psalmum centesimum quadragesimum octauum super his verbis: Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis.

Liberatio à captiuitate longanimiter expectanda.

1. *Affectus & votum nostrum coniungit laudes nostras cum laudibus Beatorum in cælo.*

2. *Prædictio de finiendâ captiuitate Babylonicâ, figura est captiuitatis mundanæ finiendæ.*

3. Nam

3. Nam & hæc post vniuscuiusque fidelis mortem finitur, & loco eius sequitur plena libertas.

4. Intereà fideliter pugnandum contra quotidianas tentationes huius vitæ in captiuitate.

5. Spes tamen & amor collocetur in futuræ vitæ bonis, & securitate, ac futurâ libertate in patriâ.

1. *Pius affectus iungit laudes nostras laudibus Beatorum.*

COEPIT iste de cælo, vbi laudant omnia, & dicit, Laudate. Quare, cùm laudent, dicit, Laudate? Quia delectatus est in eo quòd laudant: & placuit ei quasi adiungere hortationem suam. Quomodo si venias ad homines bonum aliquod operantes cum gaudio, siue in vineâ, siue in messe, siue in aliquâ agriculturâ, placet tibi quod faciunt, & dicis, Facite, agite: non vt tunc incipiant facere quando dicis, sed quia placet tibi quòd facientes inueneris, adiungis gratulationem & exhortationem tuam. Dicendo enim, Facite, & exhortando facientes, voto quasi facis cum illis. In hac ergo exhortatione plenus spiritu Dei Propheta dicit hæc: & psalmus est Aggæi & Zachariæ, sic enim habet* titulus.

1. Esdr. 5. * S. Augustini elegãs argumẽtatio ex titulo Psalmi.

2. *Solutio captiuitatis Babylonicæ, figura liberationis à seruitute mundi ex Aggæo & Zachariâ.*

Isti duo Prophetæ eo tempore quo captiuus tenebatur populus in Babyloniâ, prophetabant etiam futurum finem captiuitatis, vt restauraretur ciuitas Ierusalem quæ bello ceciderat. Significauerunt ergo nobis in mysterio vitam futuram, vbi laudemus Deum post captiuitatem vitæ præsentis, vbi erit innouatio ciuitatis illius magnæ Ierusalem, vnde peregrini suspiramus, captiuati adhuc sub onere & sarcinâ corporis mortalis: vnde adhuc gemimus in peregrinatione, exultabimus autem in patriâ. Qui verò non gemit peregrinus, non gaudebit ciuis: quia desiderium nõ est in illo. Prophetæ ergo isti sancti magnam consolationem præbuerunt tunc captiuo populo secundùm carnem, id est, constituto in Babyloniâ sub Regibus alienigenis. Ostendebant enim per prophetiam futurum tempus liberationis à captiuitate, futurum tempus instaurationis Ierusalẽ. Sed illa omnia in figurâ gesta sunt, habent veritatem suam. Figurata sunt in antiquis, præsentia ostenduntur in nobis.

1. Cor. 10.

3. *Soluetur enim hæc captiuitas vniuscuiusque fidelis morte.*

2. Cor. 5. 1. Cor. 15.

Modò ergo quid dicit Apostolus? Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Nondum sumus in patriâ. Quando erimus in patriâ? Quando triumphabimus deuicto inimico diabolo, quando mors nouissima inimica destruetur: tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriâ. Vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus? Quando ergo nulla iam erit mortis contentio, quæ modò est, & facit nos gemere ex defectu & mobilitate rerum, & ex fragilitate carnis humanæ, tunc triumphabimus.

Contendunt nobiscum quotidie tentationes, contendunt nobiscum quotidie delectationes, etsi non consentiamus, tamen molestiam patimur & contendimus: & magnum periculum est, ne qui contendit vincatur. Si autem non consentiendo vincamus, molestias tamen patimur resistendo delectationibus. Non cessat, & non moritur hostis, nisi in resurrectione mortuorum. Sed præsumamus, fidamus; erigunt nos Aggæus & Zacharias: cantant futuram liberationem nostrã. Si illi populo cantauerunt, & impletum est; Christiano populo quod cantatur, non implebitur? Securi estote, non quidem in istâ peregrinatione vitæ huius, sed quomodo hîc agatis videte.

4. *Vsque ad mortem in hac captiuitate luctandum cum molestis tentationibus.* 1. Esdr. 5.

Non vobis placeat amor Babyloniæ, ne obliuiscamini ciuitatem Ierusalem. Et si corpus nostrum adhuc in Babyloniâ tenetur, cor nostrum ad Ierusalem præmittatur. Laudet ergo tota creatura Dominum, quia hoc ibi facturi sumus, quod hîc præmeditamur. Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Primò de cælis dixit, posteà de terrâ. Laudatur enim Deus qui fecit cælum & terram. Cælestia tranquilla sunt, pacata sunt: ibi semper gaudium, nulla mors, nulla ægritudo, nulla molestia: semper laudant Deum Beati. Nos autẽ adhuc in imo sumus: sed cùm cogitamus quomodo illic laudetur Deus, cor ibi habeamus. Non sine causâ audimus, Sursum corda. Leuemus cor sursum, ne putrescat in terrâ: quoniam placet nobis quod ibi agunt Angeli. Modò nos spes delectat, posteà res, cùm illuc venerimus. Laudate ergo eum in excelsis.

5. *Ita vt spẽ & affectũ in futuris bonis cælestis Ierusalẽ collocemus.*

Coloss. 3.

CAPVT XIX.

Ex eodem Tractatu in ipsum Psalmum centesimum quadragesimum octauum super his verbis: Statuit ea in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.

Felicitas æternæ vitæ datur ob mortem Christi.

1. Præceptum est cælestibus vt laudent Deum perenniter.

2. Ab eorum statu absunt necessitas, iniquitas, & miseria.

3. Tales per Dei misericordiam aliquando fore fideles, probat ex Dei omnipotentiâ, & Christi passione.

4. Magna est consolatio pusillanimorum, Christum venisse in terram, vt nos transferret ad cælum per merita passionis.

5. Incredibilius est Deum mori pro homine, quàm hominem viuere cum Deo. Prioris ergo exhibitio, posterioris est assecuratio.

6. Accepit à nobis vnde pro nobis moreretur: dabit nobis vnde cum ipso viuamus.

1. *Perennis Dei laus præcipitur Sanctis in cælo.*

STATVIT ea in sæculum, & in sæculum sæculi, scilicet omnia cælestia, omnia superiora,

riora, virtutes omnes atque Angelos, ciuitatem quamdam supernam, bonam, sanctam, beatam: vnde quoniam peregrinamur, miseri adhuc sumus: & quò redituri, in spe beati: quò cùm redierimus, in re beati. Statuit ea in sæculum, & in sæculum sæculi. Præceptum posuit, & non præteribit. Quale præceptum putatis habere cælestia & Angelos sanctos? Quale præceptum dedit illis Deus? Quale, nisi vt laudent illũ? Beati quorum hoc est negotium, laudare Deum.

Exulant à Beatis opera necessitatis, & iniquitatis, & miseriæ. Matth. 25.

2\. Non arant, non seminant, non molunt, non coquunt: opera enim sunt ista necessitatis, ibi necessitas non est. Non furantur, non deprædantur, non adulterantur: opera enim sunt ista iniquitatis, ibi iniquitas non est. Non frangunt panem esurienti, non vestiunt nudum, non suscipiunt peregrinum, non visitant ægrotum, non concordant litigiosum, non sepeliunt mortuum: opera enim sunt ista misericordiæ, ibi autem nulla miseria est, in quam fiat misericordia.

Erimus & nos tales ex Dei beneficio & Christi merito.

3\. O beati! Putamus erimus nos sic? Eia suspiremus, de suspirio gemamus. Et quid sumus vt ibi simus? Mortales, proiecti, abiecti, terra & cinis. Sed qui promisit, omnipotens est. Si ad nos attendamus, quid sumus? si ad illum, Deus est, omnipotẽs est. Non est facturus Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? Aut verò pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit Vnicum suum? Attendamus ad indicium dilectionis & promissionis Dei. Tales arrhas accepimus. Tenemus mortem Christi, tenemus Sanguinem Christi. Quis mortuus est? Vnicus. Pro quibus mortuus est? Vtinam pro bonis, vtinã pro iustis: Sed quid est? Etenim Christus, ait Apostolus, pro impijs mortuus est. Qui donauit impijs mortem suam, quid seruat iustis nisi vitã suam? Rom. 5.

Christus venit in terram, vt nos transferret in calũ, quod magno est solatio pusillanimis.

4\. Erigat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se auertat, non dicat, Non ero. Qui promisit, Deus est: & venit vt promitteret, apparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam. Venit ad regionem peregrinationis nostræ, accipere quod hîc abundat, opprobria, flagella, colaphos, sputa in faciem, cõtumelias, spineam coronam, suspensionem in ligno, crucem, mortem. Hæc abundant in regione nostrâ, ad talia commercia venit. Quid hic dedit? quid hic accepit? Dedit exhortationem, dedit doctrinam, dedit remissionẽ peccatorum: accepit contumelias, crucẽ, mortem. De illâ regione attulit ad nos bona, & in regione nostrâ ipse pertulit mala. Promisit tamen nobis, quòd ibi futuri simus vnde venit, & ait: Pater, volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum. Tanta præcessit dilectio: quia vbi nos eramus, fuit nobiscum; vbi ipse est, erimus cum illo. Ioan. 17.

Mori voluit Deus pro homine, vt homo viueret cum Deo.

5\. Quid tibi promisit Deus, ô homo mortalis? Quia victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede. Plus est iam quod fecit, quàm quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Vt viuas cum illo. Incredibilius est quòd mortuus est æternus, quàm vt in æternum viuat mortalis. Iam quod incredibilius est, tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? Non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est qui viuit in æternum?

IESVS incarnatus à nobis accepit mortalitatem, nos ab illo immortalitatem.

6\. Sed quomodo mortuus est Deus? Et vnde mortuus est Deus? Et potest mori Deus? Accepit ex te, vnde moreretur pro te. Non posset mori nisi caro: non posset mori nisi mortale corpus. Induit se vbi moreretur pro te, induet te vbi cũ illo viuas. Vbi se induit morte? in virginitate matris. Vbi te induet vitâ? in æqualitate Patris. Elegit sibi hîc thalamum castum, vbi coniungeretur sponsus sponsæ: Verbum caro factum est, vt fieret caput Ecclesiæ. Verbum enim ipsum non est pars Ecclesiæ; sed vt esset caput Ecclesiæ, carnem assumpsit. Quiddam vestrum iam sursum est, quod hic accepit, vbi mortuus est, vbi crucifixus est. Iam quædam primitiæ tuæ præcesserunt, dubitas quia secuturus es? Ioan. 1.

CAPVT XX.

Ex eodem Tractatu in ipsum Psalmum centesimum quadragesimum octauum super his verbis: Confessio eius in cælo & in terrâ, & exaltabit cornu populi sui.

Radix immortalitatis, Fides est militantis Ecclesiæ.

1. Omnes creaturæ piè considerantibus ipsarum pulchritudinem, profitentur laudem Creatoris.

2. Docentque ipsum, quia melior est omnibus, esse à nobis amandum præ omnibus.

3. Militantis Ecclesiæ status nunc est humilis & afflictus, at in cælo triumphabit.

4. Vnde hîc videtur quibusdam status fidelium & iustorum statui impiorum postponendus, sed in die retributionis alia rerum facies apparebit.

5. Radix immortalitatis nostræ est Christus verâ & viuâ fide agnitus.

Creaturarum pulchritudo laudem Creatoris confitetur.

1\. QVID est, Confessio eius in cælo & in terrâ? Quia ipse confitetur? Non, sed quia illum omnia confitentur, omnia clamant: omnium pulchritudo quodammodò vox eorum est confitentium Deum. Clamat cælum Deo, Tu me fecisti, non ego. Clamat terra, Tu me condidisti, non ego. Quomodo ergo clamant ista? Quando ea consideras, & hoc in eis inuenis, ex tuâ consideratione clamant, ex voce tuâ clamant,

clamant, Confeſſio eius in cælo & in terrâ. Attende cælum, pulchrum eſt: attende terram, pulchra eſt: vtrumque ſimul valdè pulchrum eſt. Ipſe fecit, ipſe regit, ipſius nutu gubernantur: ipſe traijcit tempora, momenta ipſe inſtaurat; per ſeipſum inſtaurat. Omnia ergo iſta laudant illum, ſiue in ſtatu, ſiue in motu, ſiue de terrâ deorſum, ſiue de cælo ſurſum, ſiue in vetuſtate, ſiue in renouatione. Cùm vides hæc, & gaudes, & attolleris in artificem, & inuiſibilia eius per ea quæ facta ſunt intellecta contueris, confeſſio eius eſt in cælo & in terrâ, id eſt, confiteris ei de rebus terrenis, confiteris ei de rebus cæleſtibus.

Rom. 1.

2. *Pulchra creatura conuincunt amandum præ omnibus Auctorem omniũ.*

Et quia ipſe fecit omnia, & melius illo non eſt aliquid, quidquid fecit, infra illum eſt; & quidquid in his placet, minus eſt quàm ipſe. Non ergo ita tibi placeat quod fecit, vt recedas ab eo qui fecit. Sed ſi amas quod fecit, multò magis ama eum qui fecit. Si pulchra ſunt quæ fecit, quantò magis pulcher eſt qui fecit? Confeſſio eius in cælo & in terrâ.

3. *Facies militantis Ecclesia, qua nunc afflicta eſt, poſt erit glorioſa.*

Et exaltauit cornu populi ſui. Modò cornu populi ſui humile eſt in trituris, in tribulationibus, in tentationibus, in tunſione pectorum. Quando exaltabitur cornu populi ſui? Quando venerit ipſe Dominus, & ortus fuerit ſol noſter, non iſte qui oculis videtur & oritur ſuper bonos & malos; ſed ille de quo dicitur, Vobis, qui timetis Deum, orietur ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius: & de quo dicturi ſunt ſuperbi & impij, Iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & ſol non eſt ortus nobis. Ipſe erit æſtas noſtra. Modò fructus per hibernum tempus in radice non apparent. Attendis quaſi aridas arbores per hiemem. Qui non nouit videre, aridam putat vitem, & fortè iuxtà eſt quæ verè aruit. Similes ſunt ambæ per hiemem; illa viuit, illa mortua eſt: ſed illius vita, & illius mors in abſcondito eſt. Æſtas procedit: vita illius clarificatur, mors illius manifeſtatur. Procedit honor foliorum, fecunditas fructuum: veſtitur vitis in facie ex eo quod habet in radice.

Matth. 5.

Malach. 4.

Sap. 5.

4. *Vix apparet in hac vitâ, an pij impiis ſint præferendi; apparebit in iudicio.*

Ergo modò, fratres, tales ſumus, quales ſunt & alij homines. Quomodo naſcuntur, manducant, bibunt, viuunt, & veſtiuntur, tranſigunt vitam iſtam: ſic & Sancti. Aliquando res ipſæ decipiunt homines, & ipſi dicunt, Ecce poſtquam hic cœpit eſſe Chriſtianus, numquid non ei dolet caput? Aut quia Chriſtianus eſt, quid habet plus quàm ego? O vitis arida, attendis iuxta te vitem nudam in hiberno, ſed non aridam per æſtatis vim. Veniet Dominus honor noſter, qui latebat in radice: & tunc exaltabit cornu populi ſui, poſt captiuitatem in quá mortaliter viuimus. Vnde dicit Apoſtolus: Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & tunc laus erit vnicuique à Deo.

1. Cor. 4.

5. *Chriſtus radix immortalitatis noſtræ.* Coloſſ. 3.

Sed dicis mihi, Vbi eſt radix mea? vbi eſt fructus meus? Si credis, noſti vbi eſt radix tua. Ibi eſt enim, vbi eſt fides tua, vbi eſt ſpes & charitas tua. Audi Apoſtolum: Mortui enim eſtis; quaſi per hiemem mortui apparebant. Audi quia viuunt: Et vita veſtra abſcondita eſt, inquit, cum Chriſto in Deo. Ecce vbi habes radicem. Quando ergo honore ornaberis? quando fecundaberis fructu? Audi illum ſequentem; Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloriâ.

LVDOVICI BLOSII PSYCHAGOGIAE LIBER QVARTVS

DECERPTVS EX SCRIPTIS D. GREGORII PAPAE.

CAPVT I.

Ex Libro primo capite decimo Moralis expositionis in Iob super his verbis: Vir erat in terrâ Hus nomine Iob. Iob 1.

Animus piorum cælo semper affixus.

1. *Stultorum animus in fallaci terrenæ felicitatis apparentiâ conquiescit:*
2. *At piorum desiderium semper est in cælestibus.*
3. *Vnde & terrena contemnunt, & sese istis alligari cum gemitibus dolent.*
4. *Et quia nullâ re temporali delectantur, iucundâ mentis introuersione cum solo Deo delicianter.*
5. *Secessus igitur à negotijs temporalibus Sanctis est semper in desiderio: nec in illo tamen secessu sinuntur esse sine afflictione:*
6. *Ne, si ibi plenâ pace fruerentur, vitam hanc nimis diligerent, & ad futuram minùs anhelarent.*
7. *Præterea, ne ex incremento virtutum superbirent, si nullis difficultatibus humiliarentur.*

1. *Felicitas terrena stultis apparet vera:* Si Iob dolens, & Hus consiliator dicitur, non immeritò per vtraque nomina electus quisque figuratur: quia nimirum consiliatorem animum inhabitat, qui dolens de præsentibus ad æterna festinat. Nam sunt nonnulli, qui vitam suam negligunt: & dum transitoria appetunt, dum æterna vel non intelligunt, vel intellecta contemnunt; nec dolorem sentiunt, nec habere consilium sciunt. Cumque superna, quæ amiserunt, non considerant, esse se (heu miseri!) in bonis infimis felices putãt. Nequaquam enim ad veritatis lucem (cui conditi fuerant) mentis oculos erigunt; nequaquam ad contemplationem patriæ æternæ, desiderij aciem tendunt: sed semetipsos in his ad quæ proiecti sunt, deserentes, vice patriæ diligunt exilium quod patiuntur: & in cæcitate quam tolerant, quasi in claritate luminis exultant.

At contrà, electorum mentes, dum transitoria cuncta nulla esse conspiciunt, ad quæ sint conditæ exquirunt: cumque eorum satisfactioni nihil extra Deum sufficit, ipsâ inquisitionis exercitatione fatigata illorum cogitatio, in Conditoris sui spe & contemplatione requiescit: supernis interseri ciuibus appetit: & vnusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus, mente tamen extra mundum surgit: ærumnam exilij, quam tolerat, deplorat, & ad sublimem patriam incessantibus se amoris stimulis excitat. 2. *Electis autem sola cælestia placent.*

Cùm ergo dolens videt quàm sit æternum quod perdidit, inuenit salubre consilium, temporale hoc despicere quod percurrit. Et quò magis crescit consilij scientia, vt peritura deserat; eò augetur dolor, quòd nec dum ad mansura pertingat. Vnde benè per Salomonem dicitur, Qui addit scientiam, addit & dolorem. Qui enim scit iam summa, quæ non habet adhuc; magis de infimis, in quibus retinetur, dolet. Rectè ergo in terrâ Hus habitare Iob dicitur: quia in scientiæ consilio electi vniuscuiusque dolens animus tenetur. 3. *Quare non nisi cum gemitu in terrenis detinentur.* Eccle. 1.

Idem Pater Gregorius Libro quarto capite vigesimo octauo suæ Moralis expositionis in Iob super his verbis, Qui ædificant sibi solitudines, *sic ait:* Iob 3.

Sancti viri quia nihil huius mundi appetunt, nullis proculdubiò in corde tumultibus premuntur: omnes quippe inordinatos desideriorum motus à cubili cordis manu sanctæ considerationis eijciunt: & quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur: solam namque æternam patriam appetunt: & quia nulla huius mundi diligunt, 4. *Ideò radio creaturarũ affecti, ad Deum introuersi, se recipiunt intra solitudinem cordis.*

magnâ mentis tranquillitate perfruuntur. Vnde & rectè dicitur: Qui ædificant sibi solitudines. Solitudines quippe ædificare, est à secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, & vnâ intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. An non cunctos à se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat: Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ? A frequentiâ quippe terrenorum desideriorum fugerat, & ad magnam solitudinem semetipsum contulerat; vbi eò tutiùs nihil extraneum conspiceret, quò incompetens nihil amaret. A tumultu rerum corporalium magnũ quemdã secessum petierat quietam mentẽ; in quâ tantò puriùs Deum cerneret, quantò hunc cum se solo solum inueniret.

Solitudo & silentium & secessus spiritualis Sanctorum in viâ mysticâ hic annotetur. Psal. 26.

Rursum Libro vigesimo tertio capite decimo quinto super his verbis, Increpat quoque per dolorem in lectulo, *ita dicit:* (Iob 33.)

5. *Ceterùm in hac etiã solitudine tentationes inueniunt.* Psal. 40.

Lectulus vel stratum, requies temporalis accipitur, sicut scriptum est: Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. Cùm enim quisque curis sæcularibus fatigatus, deserere per diuinam gratiam huius mundi itinera laboriosa cupit, & compungitur; cogitare solet, quomodo præsentis vitæ desideria fugiat, ab eius laboribus requiescat: sibique mox desideratæ quietis ordinem quærit, & velut quoddam stratum à cunctis laboribus cessationis locum inuenire concupiscit. Sed quia in hac vitâ adhuc homo positus, in cuiuslibet ordinis loco, in cuiuslibet secreti secessu, viuere sine tentationibus nullatenus potest: plerumque in id quod ad requiem construitur, maior dolor tentationis inuenitur. Rectè ergo per Prophetã dicitur, Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. Ac si diceret: Omne quod hîc sibi parauit ad requiẽ, hoc ei mutasti occulto iudicio ad perturbationem.

6. *Primùm quidam, ne ad futurã vitam minùs suspirarent.*

Quod pio quidem Dei consilio agitur, vt huius peregrinationis tempore electorum vita turbetur. Via quippe est vita præsens, quâ ad patriam tendimus: & idcircò hîc occulto iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patriâ diligamus. Solent enim nonnulli viatores, cùm amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare: eorumque gressus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo suis ad se pergentibus Dominus huius mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitæ præsentis requie quasi amœnitate viæ pascitur, magis eum diu pergere, quàm citò peruenire delectet: ne dum oblectatur in viâ, obliuiscatur quod desiderabat in patriâ.

7. *Deinde, ne ex quiete deuotionis superbiret.*

Quia ergo in hac vitâ omnis nostra (quam fortasse parauimus) requies turbatur; rectè dicitur, Increpat quoque per dolorem in lectulo, id est, in præsentis vitæ requie, vel tentationis nos stimulis, vel flagelli afflictione conturbat. Nam sæpe humanus animus, quamlibet breui tempore sine tentatione in bonis studijs fuerit, mox de eisdem studijs, in quibus quiescendo se exerit, & de ipsis virtutibus quibus multiplicari nititur, dum proficere se sentit, eleuatur. Vnde pio rectoris nostri moderamine impulsu tentationis afficitur, vt in eo ipsa profectus sui elatio comprimatur.

CAPVT II.

Ex Libro quarto capite vigesimo primo & vigesimo secundo Moralis expositionis in Iob super his verbis, Obtenebrentur stellæ caligine eius *(videlicet noctis, hoc est præuaricationis, quâ in Adam omnes peccauerunt:)* expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ. (Iob 3.)

Defectus & ignorantiæ etiam in Sanctis sunt in hac vitâ.

1. Sancti non permittuntur paruos defectus vincere, vt sciant se magnos vicisse non suis viribus, sed per Dei gratiam.

2. In cuius figuram Chananæus non deletur, sed Ephraimo tributarius subijcitur: & aliæ gentes relinquuntur ad erudiendum populum Dei, ne superbiat & otio torpescat.

3. Peccatum originale ignorantiam rerum cælestium mentibus nostris obduxit, velut stellis caliginem.

4. Vnde etiam perfecti, qui per Dei gratiam multum caliginis discusserunt; multùm tamen sibi adhuc relictum dolent.

5. Cùm enim altissimâ contemplatione fruuntur, sentiunt tamen caliginosam eam esse, præ illâ quam in patriâ expectant.

6. Ortus auroræ, est resurrectio, in quâ tota hæc caligo per Dei claram visionem dispelletur.

1. *Defectus parui in Sanctis permittuntur, vt sciant se non nisi Dei gratiâ magnis carere.*

SÆPE mens, quæ aduersa multa & fortia superat, vnum in se, & fortasse minimũ, quamuis magnâ intentione inuigilet, nõ expugnat. Quod diuinâ nimirum dispensatione agitur: ne ex omni parte virtutibus splendens, in elationem subleuetur: vt dum in se paruum quid reprehensibile videt, & tamen hoc subigere non valet, nequaquam sibi, sed auctori victoriam tribuat in his quæ subigere fortiter valet. Vnde & benè dicitur: Obtenebrentur stellæ caligine eius. Stellæ quippe huius noctis caligine obtenebrantur, quando & hi qui magnis iam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid retinentes sustinent, vt etiam magnâ vitæ claritate luceant, & tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant. Quod ad hoc (sicut

Defectus in Sanctis, sunt velut caligo in stellis, vnde etiam nolentes obscurantur.

(ſicut dictum eſt) agitur, vt mens proficiens ad virtutem iuſtitiæ, ſuâ meliùs infirmitate roboretur: & inde veriùs in bonis luceat, vnde etiam eam nolentem parua reprehenſibilia humiliter obſcurant.

2.

Eoſdem defectus figurant Chananai non deleti, ſed tributarij facti Iſraelitis: vt ex eo diſcant humilitatem & vigilantiam.

Ioſu. 16.

Vnde & benè, cùm Iſraëlitico populo percepta promiſſionis Terra diuideretur, Ephraim tribui Chananæus gentilis populus non occiſus, ſed factus tributarius dicitur, ſicut ſcriptum eſt: Habitauit Chananæus in medio Ephraim tributarius. Quid enim Chananæus, gentilis videlicet populus, niſi vitium ſignificat? Et ſæpè magnis virtutibus Terram promiſſionis ingredimur, quia ſpe intimâ de æternitate roboramur: ſed dum inter acta ſublimia, vitia quædam parua retinemus, quaſi Chananæum viuere in terrâ noſtrâ concedimus. Qui tamen tributarius efficitur: quia hoc ipſum vitium, quod ſubigere non poſſumus, ad vſum noſtræ vtilitatis humiliter retorquemus: vt eo de ſe mens & in ſummis vilia ſentiat, quo ſuis viribus etiam parua quæ appetit, non expugnat. Vnde & benè rurſum ſcriptum eſt: Hæ ſunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem. Ad hoc namque quædam minima vitia noſtra retinentur, vt ſeſe noſtra intentio ſollicitam in certamine ſemper exerceat; & eo de victoria nõ ſuperbiat, quo viuere in ſe hoſtes conſpicit, à quibus adhuc vinci formidat. Iſraël ergo reſeruatis gentibus eruditur, quando in quibuſdam minimis vitijs elatio virtutis noſtræ comprimitur; & in paruis ſibi reſiſtentibus diſcit, quod ex ſe maiora non ſubigit.

Iudic. 3.

3.

Caligo in ſtellis, ſignificat etiam ignorantiam ex peccato originis ortam.

Hoc tamen quod dicitur, Obtenebrentur ſtellæ caligine eius, intelligi & aliter poteſt. Nox quippe illa, conſenſus videlicet ad culpam, quæ ad nos primi parentis eſt exceſſu propagata, mentis noſtræ oculum tantâ obſcuritate perculit, vt omnis homo, in huius vitæ exilio cæcitatis ſuæ tenebris preſſus, quantalibet vi ad æternitatis lumen intenderit, penetrare non poſſit. Poſt culpam namque damnati peccatores naſcimur, atque ad hanc vitam cum mortis noſtræ merito venimus: & cùm ad ſupernæ lucis radium aciem mentis erigimus, ipſâ infirmitatis noſtræ obſcuritate caligamus.

4.

Quametiam non paruam ſentiunt perfecti, quamdiu in carne degunt.

Et quidem multi in hac infirmitate carnis tantâ virtute roborati ſunt, vt reſplendere mundo quaſi ſtellæ potuerint: multi in tenebris vitæ præſentis, dum ſuperiora de ſe exempla exhibent, aſtrorum more nobis deſuper lucent: ſed quantalibet coruſcatione operis fulgeant, quantolibet ſe igne compunctionis accendant, nimirum conſtat, quia dum corruptibili adhuc carne grauati ſunt, æternum lumen, ſicut eſt, videre nequaquam poſſunt. Dicat ergo, Obtenebrentur ſtellæ caligine eius: id eſt, etiam illi in contemplatione ſuâ, antiquæ noctis adhuc tenebras ſentiant, de quibus nimirum conſtat, quòd humano generi in huius vitæ caligine virtutum ſuarum iam radios expandant: quia etſi mente iam ad ſumma exiliunt, adhuc tamen in infimis primæ culpæ pondere grauantur. Vnde fit, vt & foris exempla lucis velut aſtra præbeant, & tamen intus vſque ad fixæ viſionis certitudinem, preſſi noctis caligine, non aſcendant.

5.

Nec ſolùm in actionibus vitæ, verùm & in altiſſimâ contemplatione caliginem adhuc ſibi offundi dolent.

Sæpè autẽ ita mens accenditur, vt quamuis in carne ſit poſita, in Deum tamen, omni ſubiugatâ carnali cogitatione, rapiatur: nec tamen Deum, ſicut eſt, conſpicit; quia hanc nimirum (ſicut dictum eſt) in carne corruptibili pondus primæ damnationis premit. Sæpè etiam ita, vt eſt, abſorberi deſiderat; vt æternam vitam (ſi poſſit fieri) ſine interuentu corporeæ mortis attingat. Vnde Apoſtolus Paulus, cùm ardenter internam lucem quæreret, ſed tamen vtcumque exterioris mortis damna formidaret, ait: Quamdiu ſumus in hoc habitaculo, ingemiſcimus grauati; eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt, à vitâ. Sancti igitur viri videre verum manè appetunt: &, ſi concedatur, etiam cum corpore illud attingere lucis intimæ ſecretum volunt. Sed quantolibet ardore intentionis exiliãt, adhuc antiqua nox aggrauat: & corruptibiles huius carnis oculos, quos hoſtis callidus ad cõcupiſcentiam aperuit, iuſtus iudex à contuitu interni ſui fulgoris premit. Vnde & benè ſubditur: Exſpectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ. Quantalibet namque intentione adhuc peregrina mens ſatagat, videre lucem, ſicut eſt, non valet: quia hanc ei cæcitas ſuæ damnationis abſcondit.

2. Cor. 5.

6.

In reſurrectione, tanquam ortu auroræ, viſio Dei caliginem omnem depellet.

Ortus verò auroræ, eſt illa noua natiuitas reſurrectionis, quâ ſancta Eccleſia etiam carne ſuſcitata, oritur ad contemplandum lumen æternitatis. Si enim ipſa carnis noſtræ reſurrectio quaſi quædam natiuitas non eſſet, de eâ Veritas non dixiſſet, In regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ. Eſſe ergo hanc ortam vidit, quam regenerationem vocauit. Sed quantalibet virtute electi nunc fulgeant, quæ erit illa nouæ natiuitatis gloria, penetrare nequeunt, quâ tunc cum carne ad contemplandum æternitatis lumen aſcendunt. Vnde & Apoſtolus Paulus ait, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Dicat ergo: Expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ;

Matth. 19.

1. Cor. 2.

auroræ: quia ſpontaneo vitio tenebrata noſtra infirmitas, niſi priùs per mortem pœnæ ſuæ debitum ſoluat, claritatem lucis internæ non penetrat.

CAPVT III.

Ex eodem Libro quarto capite trigeſimo Moralis expoſitionis in Iob ſuper his verbis: Ibi *(videlicet in intimo ſinu diuinæ lucis)* requieuerunt feſſi robore, & quondam vincti pariter ſine moleſtiâ: paruus & magnus ibi ſunt. Iob 3.

Pij in hoc ſæculo vincti vocari poſſunt.

1. Quò fortiores ſumus ex gratiâ Dei, eò nos debiliores agnoſcimus eſſe ex nobiſipſis.

2. Siquidem quantò magis creſcit Dei amor, tantò magis decreſcit amor carnis & mundi.

3. Vnde illuſtrationes ſublimes animam viſitantes ipſum corpus debilitant, & languidum reddunt.

4. Deus omnia continens, eſt locus animæ cum amore quieſcentis in Deo.

5. Iuſtorum mens, comparatione impiorum, tranquilla, ſuas tamen patitur perturbationes.

6. Quare tantis moleſtijs vexatos, rectè vinctos appellare poſſumus, qualis erat Paulus cupiens diſſolui.

7. In futurâ gloriâ erit inæqualitas in præmio, prout fuerit inæqualitas in merito.

1. *Fideles agnoſcunt ſe eò debiliores in ſeipſis, quò fortiorem gratiæ influxũ ſentiunt.*

OMNES qui in hoc mundo fortes ſunt, robore quaſi fortes ſunt, non robore defeſſi: qui verò in auctoris ſui amore roborantur, quò magis in concupitâ Dei fortitudine conualeſcunt, eò à propriâ virtute deficiunt: & quò robuſtiùs æterna appetunt, eò à temporalibus ſalubri defectione laſſantur. Hinc Pſalmiſta amoris ſui feſſus robore dicebat: Defecit in ſalutare tuum anima mea. Pſal. 118. In ſalutare enim Dei proficiendo defecerat, quia æternitatis lucem deſiderans, à carnis iam fiduciâ fractus anhelabat.

2. *Tantò etiam magis frigeſcit in eis amor mundi, quantò plus ardeſcit amor Dei.* Pſal. 83.

Hinc rurſum dicit: Concupiuit & defecit anima mea in atria Domini. Qui nimirum cùm diceret, Concupiuit, rectè ſubdidit, Et defecit: quia valdè minor eſt Diuinitatis cõcupiſcentia, quam non mox etiam proprius ſequitur defectus. Qui enim ad appetenda æternitatis atria accenditur, dignum profectò eſt, vt ab hoc temporalitatis amore laſſetur: vt tantò frigeſcat à ſtudio ſęculi, quantò ſurgit ardentior in amorem Dei. Quem ſcilicet ſi perfectè arripit, mundum etiam plenè derelinquit: & eo temporalibus funditus moritur, quo ad ſupernam vitam altiùs afflatu æternitatis animatur.

3. *Quare ſublimes Dei viſitationes corpus debilitent?* Cant. 5.

An non robore ſuo feſſam ſe inuenerat, quæ dicebat: Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt? Quia nimirum mens dum occultæ locutionis aſpiratione tangitur, à ſtatu ſuæ fortitudinis infirmata, ipſo, quo abſorbetur, deſiderio liquatur: & inde ſe apud ſemetipſam feſſam inuenit, vnde vltra ſe eſſe conſpicit fortitudinem, quam conſcendit. Hinc Propheta, cùm viſionem Dei ſe conſpexiſſe diceret, adiunxit: Elangui, & ægrotaui per dies plurimos, quia cùm ad virtutem mens aſtringitur, à fortitudine propriâ caro laſſatur. Hinc Iacob, qui Angelum tenuit, vno mox pede claudicauit: quia qui vero amore ſublimia reſpicit, iam in hoc mundo duplicibus incedere deſiderijs neſcit. Vno enim pede innititur, qui ſolo Dei amore roboratur: & neceſſe eſt vt alius marceſcat: quia mentis virtute creſcente, oportet procul dubiò vt carnis fortitudo torpeſcat.

Ex luctâ Iacob annotetur laſſatio, liquefactio, defectus, marcor, torpor claudicatio, carnis & carnalis concupiſcentiæ, quando in animâ fideli viuit & ardet amor Dei. Dan. 8. Gen. 32.

4. *Verus animæ amantis locus, Deus eſt.*

Beatus igitur Iob alta fidelium corda reſpiciat, atque perpendat quem ſinum intimæ quietis inueniunt, dum à viribus proprijs in Deum proficiendo laſſantur; & dicat, Ibi requieuerunt feſſi robore. Ac ſi apertè inſinuet, dicens, Illic requies lucis remunerat, quos hîc interiùs recreans profectus fatigat. Nec mouere debet, quòd lucem nominans, nequaquam ſubdit, In hac, ſed, Ibi. Quam enim continere electos conſpicit, quaſi locum noſtrum hanc eſſe deprehendit. Vnde Pſalmiſta, cùm incommutabilitatem æternitatis aſpiceret, dicens, Tu autem idem ipſe es, & anni tui nõ deficient; Pſal. 101. hanc Electorum locum eſſe denuntiat, ſubdens, Filij ſeruorum tuorum habitabunt ibi. Deus enim, qui ſine ſitu omnia continet, nobis ad ſe venientibus locus non localis manet.

5. *Et tamen anima in Deo quieſcens, non paucas in hac vitâ patitur tribulationes.* Ecce Sanctorum in hac vitâ moleſtias & vincula, tũ ex fragilitate carnis, tentationibus obnoxiæ, contra quas pugnant turbatâ pace quietis internæ; Sap. 9.

Ad quem locum dum pertingimus, etiam in hac vitâ mentis noſtrę tranquillitas, quanta fuerit perturbatio videmus: quia etſi iam iuſti in prauorum comparatione quieti ſunt, in æſtimatione tamen quietis intimæ omnimodò quieti non ſunt. Vnde benè ſubditur: Et quondam vincti pariter ſine moleſtiâ. Iuſtos enim quamuis nullus deſideriorum carnalium tumultus poſſideat: duris tamen vinculis eos, in hac vitâ poſitos, ſuæ moleſtia corruptionis ligat. Scriptũ quippe eſt, Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Eo itaque ipſo, quo adhuc mortales ſunt, corruptionis ſuæ pondere grauantur, & aſtricti moleſtiâ vincti ſunt: quia in illam adhuc libertatem vitæ incorruptibilis non exurgunt. Aliud namque de mente, aliud de corpore tolerant: & contra ſemetipſos quotidie interno certamine deſudant. An nõ duro moleſtiæ vinculo ligantur, quorum nimirũ mens ſine labore ignorantiâ ſoluitur, & non niſi cum ſtudio laboris eruditur? Quę coacta erigitur, libẽs iacet;

ab infimis vix leuatur, & tamen eleuata protinus labitur: semetipsam laboriosè vincendo superna conspicit, sed reuerberata lumen, quod se irradiauerat, refugit. An non duro molestiæ vinculo ligantur, quos cùm accensus spiritus ad sinum pacis intimæ pleno desiderio pertrahit, feruente certamine caro perturbat? Quæ etsi iam ante faciem velut ex aduerso acie erectâ non obuiat, adhuc tamen à mentis dorso quasi captiua submurmurat: & quamuis timendo, tamen turpi strepitu in corde speciẽ pulchræ quietis fœdat. Electi igitur etsi valenter omnia superant, cùm securitatem pacis æternæ desiderant, grauis eis est molestia adhuc habere quod vincant. Qui his exceptis etiam ea vincula sustinent, quæ grauis exteriùs necessitas astringit: esurire quippe, sitire, lassescere, vincula corruptionis sunt: quæ scilicet solui nequeunt, nisi cùm in illam immortalitatis gloriam nostra mortalitas permutatur. Replemus etenim refectionibus corpus, ne extenuatum deficiat: extenuamus abstinentiâ, ne nos repletum premat. Vegetamus hoc motibus, ne situ immobilitatis intereat: sed citiùs hoc collocando sistimus, ne ipsâ suâ vegetatione succumbat. Adiumentis hoc vestiũ tegimus, ne frigus interimat: & quæsita adiumenta proijcimus, ne calor exurat. Tot igitur diuersitatibus occurrentes, quid aliud agimus, quàm corruptibilitati seruimus? vt saltem multiplicitas impensi obsequij corpus sustineat, quod anxietas infirmę mutabilitatis grauat. Vnde benè per Paulum dicitur: Vanitati enim subiecta est creatura non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Vanitati quippe creatura non volens subditur, quia homo, qui ingenitæ constantię statum volens deseruit, pressus iustæ mortalitatis pondere, nolens mutabilitatis suæ corruptioni seruit. Sed creatura hęc tunc à seruitute corruptionis eripitur, cùm ad filiorum Dei gloriam incorrupta resurgendo subleuatur.

tum ex curis vitæ corporeæ, quibus necessario seruiunt magnâ alternatione molestiarũ, & variâ anxietate infirmæ mutabilitatis.

Rom. 8.

6. Hic itaque electi molestiâ vincti sunt, quia adhuc corruptionis suæ pœnâ deprimuntur. Sed cùm corruptibili carne exuimur, quasi ab his quibus nunc astringimur, molestiæ vinculis relaxamur. Præsentari namque iam Deo cupimus: sed adhuc mortalis corporis obligatione præpedimur. Iure ergo vincti dicimur, quia adhuc incessum nostri desiderij ad Deum liberum non habemus. Vnde benè Paulus, æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinas portans, vinctus clamat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Dissolui enim non quæreret, nisi se procul dubio vinctum videret.

Propter has vitæ molestias, etiam electi, vincti vocantur cum Apostolo, qui optat dissolui.

Philip. 1.

Sed quia, quod valdè mens amat, etiam in sermone sæpiùs replicat; beatus Iob, qui æternæ pacis frequentiam diligens conspicit, descriptioni eius adhuc inseruit, dicens, Paruus & magnus ibi sunt. Quia in hac vitâ nobis est discretio operum, erit in illâ proculdubiò discretio dignitatum: vt quo hîc alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Vnde in Euangelio Veritas dicit, In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diuersitas concors: quia tanta vis amoris in illâ pace nos sociat, vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Vnde & non æquè laborantes in vineâ, æquè cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multæ sunt, & tamen eumdem denarium dispares laboratores accipiunt: quia vna cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamuis non vna sit omnibus sublimitas vitæ. Paruum & magnum in hac luce conspexerat, qui ex voce capitis dicebat, Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Paruum & magnum conspexerat, cùm dicebat: Benedixit omnes timentes se Dominus, pusillos cum maioribus.

7. *In statu beatitudinis erit inæqualitas gloriæ & præmij, sicut in viâ inæqualitas gratiæ & meriti.*

Ioan. 14.

Concordia & gaudium mutuum in tantâ diuersitate graduum inter Sanctos in cælo, nascitur ex radice charitatis.

Matth. 20.

Psal. 138.

Psal. 113.

CAPVT IV.

Ex Libro quinto capite primo Moralis expositionis in Iob super his verbis: Quare data est misero lux? & vita his qui in amaritudine animæ sunt? Iob 3.

Aduersitas tutior quàm prosperitas.

1. Seculi prosperitatem non nisi cum dolore & timore patiuntur viri sancti:

2 Quoniam profectui spirituali perniciosior est quàm aduersitas.

3. Et animus quidem Electorum nec frangitur aduersis, nec corrumpitur prosperis:

4. Magis tamen prosperitatem formidant, quæ cogit eos inter amorem Dei, & honorum administrationem diuidi, & quasi in partes scindi.

5. Proinde potius eligunt luctum, quo dolent de peccatis & ærumnis exilij sui; & ex eo luctu solidum gaudium hauriunt.

SANCTI viri cùm sibi suppetere prospera huius mundi conspiciunt, pauidâ suspicione turbantur. Timent enim, ne hîc laborum suorum fructus recipiant: timent, ne quod diuina iustitia latens in eis vulnus aspiciat, & exterioribus eos muneribus cumulans, ab intimis repellat. Cùm verò taciti cogitant, quòd nec bona agunt, nisi vt soli Domino placeant, nec in ipsâ affluentiâ suæ prosperitatis exultant; minùs quidem de prospe-

1. *Sancti timent prosperitatem sæculi.*

prosperis occulta contra se iudicia metuunt, sed tamen eadem prospera, quia se ab intimâ intentione præpediunt, ægrè ferunt, & molestè præsentis vitæ blandimenta tolerant; quia per hæc se vtcumque tardari in interno desiderio non ignorant.

2. *tamquam plus inde periculi sit spiritui, quàm ex aduersitate.*

Plus enim in hoc mundo honor, quàm despectio occupat: & magis prosperitatis sublimitas, quàm necessitatis aduersitas grauat. Per hanc namque nonnumquam cum homo exteriùs premitur, ad concupiscenda quæ intus sunt liberiùs relaxatur: per illam verò animus, dum multis parere cogitur, à desiderij sui cursu retinetur. Vnde fit, vt sancti viri magis in hoc mundo prospera quàm aduersa formident. Sciunt namque, quia mens, dum blanda occupatione premitur, aliquando libens ad exteriora deriuatur. Sciunt, quia sæpè sic hanc clandestina cogitatio decipit, vt quomodo permutetur ignoret. Pensant autem, quæ sint interna bona quæ cupiunt; & cognoscunt, quàm nihil sit omne quod blandum temporaliter arridet: cunctaque huius mundi prospera mens eorum eo ægrè tolerat, quo supernæ felicitatis est amore sauciata; tantoq; magis in præsentis dulcedinis aspernatione erigitur, quantò hanc conspicit, quia furtiuè sibi in æternæ gloriæ despectu blanditur.

3. *Quare nec electos frangit aduersitas, nec corrumpit prosperitas.*

Vnde & beatus Iob, cùm supernam requiem contemplatus diceret, Paruus & magnus ibi sunt; adiungit, Quare data est misero lux? In Scripturâ sacrâ nonnumquam lucis appellatione, prosperitas; noctis autem nomine, huius mundi aduersitas designatur. Vnde & benè per Psalmistam dicitur: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. (Psal. 138.) Quia enim sancti viri ita prosperitatem sæculi despicientes calcant, sicut aduersitatem eius calcantes tolerant: per magnam mentis celsitudinem mũdi sibi & aduersa & prospera substernentes dicunt: Sicut tenebræ eius, ita lumen eius. Ac si apertè dicant: Sicut intentioni nostræ fortitudinem, eius tristia non premunt; ita hanc nec blanda corrumpunt.

4. *Prosperitas quodammodò partitur hominem inter Deum & mundum.*

Sed quia hęc (vt diximus) bonorum mentem etiam cùm non subleuant, perturbant: sancti viri, qui se in huius exilij ærumnâ miseros cognoscunt, clarescere in eius prosperitate refugiunt. Vnde benè nunc dicitur, Quare data est misero lux? Lux enim miseris datur, quando hi qui sublimia contemplantes, esse se in hac peregrinatione miseros agnoscunt, claritatem transitoriæ prosperitatis accipiunt. Et cùm valdè defleant, quia tardè ad patriam redeunt, tolerare insuper honoris onera compelluntur. Amor eos æternorum cõterit, & gloria de temporalibus arridet. Qui dum cogitant quæ sint quæ in infimis tenent, & quæ sint quæ de sublimibus non vident, quæ sint quæ se in terra fulciunt, quę autem de cęlestibus perdiderunt, prosperitatis suæ mœrore mordentur: quia etsi vident nequaquam ab eâ se funditus opprimi, pensant tamen sollicitè, cogitationem suam in amore Domini, & in eius dispensatione partiri.

5. *Meritò igitur præcigunt luctũ, tamquam veri gaudij & consolationis radicem.*

Vnde benè, cùm dicit, Quare data est misero lux? protinus adiungit, Et vita his qui in amaritudine sunt? In amaritudine quippe animę sunt omnes electi, qui vel punire flendo non desinunt quæ deliquerunt: vel graui se mœrore afficiunt, quia longè huc à facie Conditoris proiecti, adhuc in æternæ patriæ gaudijs non sunt. De quorũ corde benè per Salomonem dicitur: Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio illius non miscebitur extraneus. (Prou. 14.) In amaritudine namque sunt & corda reproborum, quia ipsis etiam prauis suis desiderijs affliguntur: sed eamdem amaritudinem nesciunt, quia pensare quod tolerant, sponte suâ excæcati, non possunt. At contrà, cor bonorum amaritudinem suam nouit: quia ærumnam exilij, in quâ proiectum laceratur, intelligit: & quàm sint tranquilla quæ perdidit, quàm confusa in quibus cecidit, sentit. Sed hoc amaricatum cor ad gaudium suum quandoque reducitur, atque in eius gaudio extraneus non miscetur; quia is, qui nunc ab hoc mœrore cordis foras se per desideria sæculi eijcit, seclusus tunc ab illâ intimâ eius solemnitate remanebit. Hi itaque, qui in amaritudine animæ sunt, mori mundo funditus concupiscunt: vt sicut in sæculo ipsi nihil appetunt, ita iam à sæculo nullâ obligatione teneantur.

CAPVT V.

Ex eodem Libro quinto capite decimonono Moralis expositionis in Iob super his verbis: Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius. (Iob 4.)

Allocutionis diuinæ secretum.

1. *Interna Dei allocutio, dicitur Verbum absconditum, quia non nisi à purgatis interiùs animis percipitur; & sentiri potest, verbis exprimi non potest.*

2. *Furtiuè suscipitur, quia mens se ab exterioribus subtrahit, vt eam vel raptim dumtaxat audiat.*

3. *Deus per contemplationem nobis susurrat potiùs, quàm loquitur: quia pauxillum de suâ gloriâ nobis ostendit in hac vita.*

4. *Venæ diuini susurrij sunt opera potentiæ & prouidentiæ ipsius, per quæ sese nobis insinuat.*

1. *Cur interna Dei allocutio dicatur Verbũ absconditũ.*

POTEST per Verbum absconditum, allocutio intimæ aspirationis * intelligi: de quâ Ioannes dicit, Vnctio eius docet vos de (1. Ioan. 2.) omni-

* In hoc susurrio

verbi absconditi explicat piè & mysticè Magnus Gregorius influxus & illapsus varios afflationis & adspirationis Spiritus sancti in animam deuotam sese insinuantis, quod vtiliter ob seruabit Asceta.

omnibus. Quæ nimirum aspiratio humanam mentem tangendo subleuat: & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desiderijs inflammat: vt nihil ei iam nisi quæ superna sunt libeat: & cuncta quæ interius de humanâ perstrepunt corruptione, contemnat. Absconditum ergo verbum audire, est locutionem sancti Spiritus corde concipere. Quæ profectò sciri non potest, nisi à quo haberi potest. Et quoniam valdè in humano genere pauci sunt, qui à desideriorum carnalium sorde purgati, ad perceptionem sancti Spiritus ipsâ hac purgatione dilatantur, verbum hoc absconditum dicitur: quia illud à quibusdam proculdubiò in corde concipitur, quod à maximâ hominum parte nescitur. Vel certè hæc ipsa afflatio sancti Spiritus, verbum absconditum est: quia sentiri potest, sed strepitu locutionis exprimi non potest. Cùm igitur diuina aspiratio sine strepitu mentem subleuat, verbum absconditum auditur: quia sermo spiritus in aure cordis silenter sonat.

2. *Debet mês abstrahi ab exterioribus, vt verbum hoc percipiat.*

Vnde & subditur, Et quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius. Venas superni susurrij auris cordis furtiuè suscipit: quia subtilitatem locutionis intimæ, afflata mens, & raptim & occultè cognoscit. Nisi enim se ab exterioribus abscondat, interna non penetrat. Occultatur autem, vt audiat; & audit, vt occultetur: quia & subtracta visibilibus, inuisibilia conspicit; & repleta inuisibilibus, visibilia perfectè contemnit. Venas itaque diuini susurrij furtiuè audire, est occultos diuinæ aspirationis modos tenuiter & latenter cognoscere.

3. *Quare interna allocutio susurrium dicitur.*

Quamuis adhuc vel susurrium, vel venas susurrij intelligere aliter valeamus. Qui enim susurrat, occultè loquitur, & vocem non exprimit, sed imitatur. Nos ergo, quousque carnis corruptione premimur, nullo modo claritatem diuinæ potentiæ, sicut in se incommutabilis manet, videmus: quia acies infirmitatis nostræ non sustinet hoc, quod de eius æternitatis radio super nos intolerabiliter fulget. Cùm ergo se nobis omnipotens Deus per rimas contemplationis indicat, nequaquam nobis loquitur, sed susurrat: quia etsi se plenè non intimat, quiddam tamen de se humanæ menti manifestat. Tunc autem nequaquam iam susurrat, sed loquitur, cùm eius nobis species certa reuelatur. Hinc est enim, quòd in Euangelio Veritas dicit: Palàm de Patre meo annuntiabo vobis. Hinc Ioannes ait: Videbimus eum sicuti est. Hinc Paulus dicit: Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.

Ioan. 16. 1. Ioan. 3. 1. Cor. 13.

4. *Opera diuinæ prouidentia sunt venæ susurrii, quibus Deus se nobis insinuat, & quodammodò in cor nostrum deriuat.*

Nunc autem diuinum susurrium tot ad nos venas habet, quot creatis operibus ipsa Diuinitas præsidet. Dum enim cuncta quæ sunt creata cernimus, in Creatoris admirationem subleuamur. Nam sicut aqua leniter fluens, rimata per venas quæritur vt augeatur; tantoque se latiùs fundit, quantò venas apertiores inuenerit: ita nos, dum studiosè Diuinitatis notitiam ex creaturæ eius consideratione colligimus, quasi susurrij illius ad nos venas aperimus: quia per hoc quod factum cernimus, virtutem Creatoris admiramur; & per ea quæ sunt in publico, illud ad nos emanat quod latet in occulto. Quasi enim per quemdam ad nos sonitum erumpit, dum consideranda nobis sua opera ostendit: in quo semetipsum vtcumque indicat, dum, quàm sit incomprehensibilis, manifestat. Quia igitur considerare eum dignè non possumus, non eius vocem, sed vix susurrium audimus: plenè enim perpendere neque ipsa, quæ sunt creata, sufficimus. Rectè autem dicitur, Quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius: proiecti quippe à paradisi gaudijs, & cæcitatis pœnâ mulctati, vix susurrij venas apprehendimus; quia ipsa quoque mira eius opera raptim tenuiterque pensamus.

CAPVT VI.

Ex Libro sexto capite decimo octauo Moralis expositionis in Iob super his verbis: Ingredieris in abundantiâ sepulchrum, sicut infertur aceruus in tempore suo. Iob 5.

Iustorum mors, est messis ipsorum.

1. *Mors iustorum, est ipsis ingressus ad requiem & abundantiam.*
2. *Acerui tritici, & cœtus iustorum comparatio aptissima.*
3. *Vita præsens est bonis tempus alienum; futura verò tempus suum & proprium.*
4. *In mundo habent iusti luctum & fletum, in cælo risum cordis & iubilum.*
5. *Interiora Austri, status felix Beatorum diuinâ luce & charitatis feruore fruentium.*
6. *Visio clara Dei desiderium habet sine anxietate, & satietatem sine fastidio.*

1. *Iustis mors est ianua ad vitam & retributionem.*

POTEST per sepulchrum non solùm in hac vitâ nostra contemplatio, sed etiam quies æternæ & intimæ retributionis intelligi: in quâ tantò veriùs quiescitur, quantò in nobis corruptionis vita perfectiùs necatur. In abundantiâ ergo sepulchrum ingreditur, qui post congesta vitæ præsentis opera, mutabilitati suæ plenè mortuus, in secreto veri luminis occultatur. Vnde & per Psalmistam dicitur: Abscondes eos in abscondito vultus tui, à conturbatione hominum. Quod benè etiam compa- Psal. 30.

ratio

ratio adiuncta commendat, cùm dicitur, Sicut infertur aceruus in tempore suo.

2. *Sicut cùm triticum demetitur, ab iniuriâ temporis in horreo reconditur.*

Frumentum quippe in segete sole tangitur, quia in hac vitâ humana anima respectu superni luminis illustratur; pluuias percipit, quia veritatis eloquio pinguescit; ventis concutitur, quia tentationibus exercetur; & secum crescentes paleas portat, quia nequiorem contra se quotidie vitam peccantium tolerat; atque ad aream deductum triturationis pondere premitur, vt à palearum connexione soluatur: quia mens nostra cælesti disciplinæ supposita, dum correctionis flagella percipit, à societate carnalium mundior recedit; & relictis paleis ad horreum ducitur, quia foris remanentibus reprobis, electa animo ad supernæ mansionis gaudia æterna subleuatur.

3. *Fideles habent vitam hanc pro tempore alieno, futuram pro suo.*

Benè ergo dicitur, Ingredieris in abundantiâ sepulchrum, sicut infertur aceruus in tempore suo: quia dum post afflictionem iusti præmia patriæ cælestis inueniunt, quasi post pressuras ad horreum grana deferuntur; & in alieno quidem tempore percussiones sentiunt, sed in suo à percussione requiescunt. Electis quippe alienum tempus est, vita præsens. Vnde & quibusdam adhuc infidelibus Veritas dicit: Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Et rursum: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Sepulchrum ergo in tempore suo sicut frumenti aceruus ingreditur: quia ille æternam requiem percipit, qui priùs hîc, vt ab exurendis paleis liber sit, disciplinæ pressuras sentit.

Ioan. 7.

Luc. 22.

Idem Pater Gregorius Libro octauo capite trigesimo primo suæ Moralis expositionis in Iob super his verbis, Donec impleatur os tuum risu, & labia tua iubilo, *scribit in hunc modum:*

Iob 8.

4. *In mundo flent electi, in cælo ridebunt.*

Os iustorum tunc risu replebitur, cùm eorum corda, finitis peregrinationum fletibus, æternæ lætitiæ exultatione satiabuntur. De hoc risu discipulis Veritas dicit: Mundus gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Et rursum: Videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. De hoc risu sanctæ Ecclesiæ Salomon ait: Ridebit in die nouissimo. De hoc iterùm dicit: Timenti Deum benè erit in extremis. Non autem tunc risus erit corporis, sed risus cordis. Risus enim nunc corporis de lasciuiâ venit dissolutionis: nam risus cordis tunc de lætitiâ nascetur securitatis. Cùm ergo electi omnes implentur gaudio manifestæ contemplationis, quasi ad hilaritatem risus exiliunt ex ore mentis. Iubilum verò dicimus, cùm tantam lætitiam corde concipimus, quantam sermonis efficaciâ non explemus: & tamen mentis exultatio hoc, quod sermone non explicat, ore sonat. Benè autem os risu impleri dicitur, & labia iubilo; quia in illâ æternâ patriâ, cùm iustorum mens in exultatione rapitur, lingua in cantũ laudis eleuatur. Qui quoniam tantũ vident quantum dicere non valent, in risu iubilant: quia non explendo resonant quod amant.

Ioan. 16. Ibidem. Prou. 31. Eccli. 1.

Risus corporis & cordis discrimen.

Quid iubilus.

Item Libro nono capite sexto super his verbis, Qui facit interiora Austri, *sic ait:*

Iob 9.

5. *Felix Beatorum conditio explicatur per interiora Austri.*

Quid hoc in loco Austri nomine, nisi feruor sancti Spiritus designatur? Quo dum rèpletus quisque fuerit, ad amorem patriæ spiritualis ignescit. Interiora ergo Austri, sunt occulti illi Angelorum ordines, & secretissimi patriæ cælestis sinus, quos implet calor Spiritus sancti. Illuc quippe Sanctorum animæ & nunc corporibus exutæ, & posteà corporibus restitutæ, perueniunt, & quasi in Austri abditis occultantur. Ibi per diem, quasi in meridiano tempore, ardentiùs solis ignis accenditur: quia Conditoris claritas, mortalitatis nostræ iam pressa caligine, manifestiùs videtur; & velut sphæræ radius ad spatia altiora se eleuat, quia de semetipsâ nos Veritas subtiliùs illustrat. Ibi lumen intimæ contemplationis sine interueniente cernitur vmbrâ mutabilitatis; ibi calor summi luminis sine vllâ obscuritate corporis; ibi inuisibiles Angelorum chori, quasi astra, in abditis emicant, qui eo nunc ab hominibus videri nequeunt, quo flammâ veri luminis altiùs perfunduntur.

Rursum Libro decimo octauo capite vigesimo octauo super his verbis beati Petri Apostoli, In quem desiderant Angeli prospicere: *& super his verbis Saluatoris*, Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est, *ita dicit:*

1. Pet. 1. Math. 18.

6. *Beatorum desiderium sine anxietate, & satietas sine fastidio; quia & satiati desiderant, & desiderantes satiantur.*

Deum Angeli & vident, & videre desiderant; & sitiunt intueri, & intuentur. Si enim sic videre desiderant, vt effectu sui desiderij minimè perfruantur, desiderium sine fructu anxietatē habet, & anxietas pœnam. Beati verò Angeli ab omni pœnâ anxietatis longè sunt: quia numquam simul pœna & beatitudo conueniunt. Rursus cùm eos dicimus Dei visione satiari, quia & Psalmista ait, Satiabor, dum manifestabitur gloria tua; considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Vt ergo vtraq; rectè sibi conueniant, dicat Veritas, quia semper vident: dicat prædicator egregius, quia semper videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur: & satiantur sine

Psal. 16.

S. GREGORIVS MAGNVS.

sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longè abest à siti necessitas, longè à satietate fastidium: quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. Videbimus igitur Deum: ipsumq; erit præmiū laboris nostri, vt post mortalitatis huius tenebras, * accessâ eius luce gaudeamus.

* Accedemus enim ad Dei lucē inaccessam per lumen gloriæ, quādo in lumine Dei videbimus lumē Dei, & Deum sicuti est.

CAPVT VII.

Iob 7.

Ex Libro octauo capite quarto Moralis expositionis in Iob super his verbis: Sicut seruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui.

Expectant Iusti stipendium laborum vitam æternam.

1. Tentationes & ærumnæ huius sæculi, cogunt nos suspirare ad requiem cæli.

2. Hic enim seruituti corruptionis subijcimur, ibi libertate beata immortalitatis donabimur.

3. Solamur labores seruitutis spe mercedis æternæ, quam illic recipiemus:

4. Cuius intuitu omnino leue fit, quidquid velut graue hic pro Deo laborando ferimus, quando Pauli exemplo passiones huius temporis cum futurâ gloriâ comparamus.

1. *Mala sæculi compellunt ad desiderium cæli.*

VMBRAM seruo desiderare, est, post tentationis æstum, sudoremque operis, æterni refrigerij requiē quærere. Hanc namq; vmbram seruus ille desiderauerat, qui dicebat: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Et rursum: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est! Qui quasi à labore agri æstum fugiens, atque ad obtinendam requiem, refrigerij tegmen quærens, iterùm dicit: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. Hanc vmbram comprehendere Paulus anhelabat: desiderium habens dissolui, & cum Christo esse. Ad hanc vmbram ex desiderij iam perfectione peruenerant qui dicebant, Nos qui portauimus pondus diei & æstus.

Psal. 41. Psal. 119. Psal. 41. Philip. 1. Matth. 20.

2. *In sæculo enim corruptioni subijcimur: in cælo libertate immortalitatis donabimur.*

Benè autem qui desiderare vmbram dicitur, seruus vocatur: quia electus quisque quousque infirmitatis conditione constringitur, sub dominātis corruptionis iugo, quasi sub æstus anxietate retinetur. Qui nimirum cùm à corruptione exutus fuerit, tunc sibimetipsi liber & tranquillus innotescit. Vnde & rectè etiam per Paulum dicitur: Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Electos enim nunc pœna corruptionis aggrauat, sed tunc incorruptionis gloria exaltat: & quantum ad præsentis necessitatis pondera, nunc in Dei filijs de libertate nihil ostenditur, tantum ad subsequētis libertatis gloriam, tunc in Dei famulis de seruitute nihil apparebit. Creatura ergo, seruitute corruptionis exutâ, & dignitate libertatis acceptâ, in filiorum Dei gloriam vertitur: quia vnita Deo per spiritum, quasi hoc ipsum quòd creatura est, transisse ac subegisse declaratur. Sed quia adhuc vmbram desiderat, seruus est: quia quousque æstum tentationum tolerat, iugum miseræ conditionis portat.

Rom. 8.

Vbi aptè subditur: Et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui. Mercenarius etenim lassescentem animum ad considerandum laboris præmium reuocans, vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat: & quod graue perpendit ex opere, leue existimat ex remuneratione. Sic electi quique dum mundi huius aduersa patiuntur, cùm inhonestates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse grauia quibus exercentur pensant: sed cùm mentis oculum ad æternæ patriæ considerationem tendunt, ex comparatione præmij, quàm sit leue quod patiuntur, inueniunt. Quod enim valdè esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione prouidâ ex remuneratione leuigatur.

3. *Solamen præsentis doloris & laboris, consideratio est mercedis futuræ.*

Hinc est quòd Paulus semper seipso robustior, contra aduersa erigitur, quia nimirum finem sui operis sicut mercenarius præstolatur. Graue namque quod sustinet æstimat: sed leue hoc per præmij consideratiōnē pensat. Ipse quippe quàm sit graue quod patitur indicat: qui in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, se fuisse testatur: qui à Iudæis quinquies quadragenas vnâ minus accepit: qui ter virgis cæsus, semel lapidatus est: ter naufragium passus, nocte & die in profundo maris fuit: qui pericula fluminum, latronum, ex genere, ex gentibus, in ciuitate, in solitudine, in mari, in falsis fratribus pertulit: qui in ærumnâ & ieiunijs multis, in fame & siti, in frigore & nuditate laborauit, qui foris pugnas, intus timores sustinuit: qui vltra vires grauatum se asserit dicens, Supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed quomodo remunerationis linteo sudores tanti laboris tergat, ipse denuntiat, dicens: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Finem itaque operis quasi mercenarius præstolatur: quia dum profectum remunerationis considerat, vile æstimat quod pænè deficiens laborat.

4. *Ita leuis redditur quidquid hic pro Deo toleratur, quādo cum Paulo remunerationis linteo sudores laboris tergimus.*

2. Cor. 1. 1. Cor. 1. Rom. 8.

CAPVT

CAPVT VIII.

Ex eodem Libro octauo capite duodecimo Moralis expositionis in Iob super his verbis: Numquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? Iob 7.

Gustus aliquis felicitatis in carcere vitæ huius.

1. *Cælestia quò magis considerantur, eò ardentiùs desiderantur.*

2. *Inde conqueruntur Sancti, quòd tam diu in carcere huius vitæ detineantur cum impijs.*

3. *Sed hoc ideò facit Deus, vt desiderium dilatione crescat, & purgetur.*

4. *Gustus Deitatis, quem hic in contemplatione percipimus, Saliua dicitur.*

5. *Eam non permittimur deglutire: quia hic plenum saporem Diuinitatis non obtinemus.*

6. *Quòd igitur aliquem gustum percipimus, diuinæ pietatis est.*

1. *Amor cælestium ex eorũ crebrâ meditatione augetur.* SANCTI viri, quò mundiori corde cælestium arcana considerant, auctis ad hæc quotidie ardoribus anhelant. Ibi iam plenè satiari desiderant, vnde adhuc parum aliquid ore contemplationis degustant. Perfectè cupiunt carnis stimulum subdere, nihil in cogitatione illicitum de eius iam corruptione tolerare: sed quia scriptum est, Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem; (Sap. 9.) intentione iam quidem vltra semetipsos eminent, sed tamen adhuc infirmitatis suæ incertis motibus subditi, corruptionis suæ se carcere clausos dolent.

2. *Propterea vita hæc Sanctis carcer quidam reputatur.* Ait ergo: Numquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? Ac si apertè diceret: Mare vel cetus, (iniqui videlicet, eorumque auctor malignus spiritus) quia effrenari ad solam perpetrandæ iniquitatis licentiam appetunt, rectè pœnæ suæ carcere constringuntur: ego autem, quia iam æternitatis tuæ libertatem desidero, cur adhuc meæ carcere corruptionis premor?

3. *In quo eos detinet Deus, vt crescat in eis amor cælestium.* Quod tamen nec à iustis superbè requiritur, quia amore veritatis accensi, infirmitatis suæ angustias transgredi perfectè concupiscunt: nec ab auctore iustorum iniustè disponitur, quia electorum suorum vota differens cruciat, crucians purgat, vt ad percipiendum quod desiderant, quandoque meliùs ex dilatione conualescant. Electi autem quousque ab intimâ quiete differuntur, ad cor suum redeunt: ibique à carnis suæ tumultibus absconsi, quasi amœnissimum secretum petunt. Sed in eo sæpè tentationis aculeos sentiunt, carnis incentiua patiuntur; & ibi grauissimos labores inueniunt, vbi magnam requiem à labore quæsierant.

Idem Pater Gregorius eodem Libro octauo capite decimo octauo suæ Moralis expositionis in Iob super his verbis: Vsquequò non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam saliuam meam? *scribit in hunc modum:* Iob 7.

4. *Tenuis contemplatio, quâ Deum hic gustamus, Saliua vocatur.* Saliua in os ex capite labitur, ab ore verò ad ventrem ducitur, cùm glutitur. Quid itaque est caput nostrum, nisi Diuinitas, per quam existendi principium sumimus, vt creatura simus? Quid autem venter noster est, nisi mens, quæ dum cibum suum, supernum videlicet intellectum, suscipit, refecta procul dubio omnia membra actionum regit? Quid ergo saliuæ nomine, nisi sapor intimæ contemplationis accipitur? quæ ad os à capite defluit: quia de claritate conditoris adhuc in hac vitâ nos positos, vix gutta reuelationis tangit.

5. *Saliuam autem non deglutimus, quia Deum hic plenè non capimus, nec sapimus.* Hæc saliua ad os quidem labitur, vt verò ad ventrem vsque perueniat, nondum glutitur: quia Diuinitatis contemplatio sensum tangit, sed plenè mentem non reficit: quoniam perfectè animus conspicere non valet, quod adhuc (quia caligo corruptionis præpedit) raptim videt. Ecce enim electorum mens iam terrena desideria subijcit, iam cuncta quæ considerat præterire transcendit: iam ab exteriorum delectatione suspenditur, & quæ sint bona inuisibilia rimatur: atque hæc agens plerumque in dulcedinem supernæ contemplationis rapitur: iamque de intimis aliquid quasi per caliginem conspicit, & ardenti desiderio interesse spiritualibus Angelorum ministerijs conatur: gustu incircumscripti luminis pascitur, & vltra se euecta, ad semetipsam relabi dedignatur. Sed quia adhuc corpus quod corrumpitur aggrauat animam, inhærere diu luci non valet, quam raptim videt. Ipsa quippe carnis infirmitas transcendentem se animam retrahit, atque ad cogitanda ima ac necessaria suspirantem reducit. Saliua ergo ex capite defluens os tangit, sed ad ventrem minimè peruenit: quia liquore supernæ contemplationis iam quidem intellectus noster infunditur, sed nequaquam mens plenè satiatur. In ore etenim gustus est, in ventre satietas. Saliuam itaque glutire non possumus, quia supernæ claritatis bono satiari non permittimur, quod adhuc ex tenuitate gustamus. (Omnis contemplatio in vitâ mortali est velut per caliginem, & cũ relapsu à cælestibus ad terrestria, ob grauamen corporis nos ad ima retrahentis. Sap. 9.)

6. *Gustus hic est ex Dei pietate: dilatio verò ex peccati corruptione.* Sed quia hoc ipsum, quòd vtcumque iam super nos cognoscimus, ex pietate parcentis est; quòd verò hoc percipere perfectè non possumus, adhuc ex pœnâ vetustæ damnationis, rectè dicitur, Vsquequò non parcis mihi, nec dimittis me vt glutiam saliuam meam?

meam? ac si apertè diceretur: Tunc homini plenè parcis, cùm hunc ad perfectionem tuæ contemplationis admiseris: vt claritatem tuam raptus interius videat, & eum carnis suæ corruptio exteriùs non repellat. Tunc permittis vt saliuam glutiam, cùm me sapore tuæ claritatis vsque ad abundantiam satietatis infuderis: vt nequaquam iam per indigentiam gustu oris esuriam, sed in te solidatus, irrigato mentis ventre subsistam.

CAPVT IX.

Ex libro decimo quinto capite vigesimo sexto Moralis expositionis in Iob super his verbis: Quis est Omnipotens, vt seruiamus ei? Iob 21.

Explosio Atheismi.

1. *Nimius affectus rerum visibilium parit Atheismum.*

2. *Prudenter tamen considerantes visibilia, ex eis inuisibilia colligunt: dum non nisi per inuisibilem animum ea conspici animaduertunt.*

3. *Cognitio Dei per fidem accendit ad quærendam eius cognitionem per speciem:*

4. *Quæ ideò differtur, vt amor ipsâ dilatione augeatur.*

5. *Ipsammet Dei maiestatem in cælo videre & intueri expectamus.*

6. *Ad solium Dei in hac vitâ peruenire, est omnia euenta ad iustissimam eius prouidentiam referre.*

7. *Solus Deus est principaliter: reliqua nec sunt, nec mouentur, nisi ab illo.*

8. *Solus ergo Deus à spirituali viro in omnibus euentis, & præsertim in flagellis, cogitandus est & timendus.*

1\. *Ex affectu visibilium pullulat Atheismus.*

MENS hominis malè exteriùs fusa, sic in rebus corporeis sparsa est, vt neque ad semetipsam intus redeat, neque eum qui est inuisibilis cogitare sufficiat. Vnde carnales viri, iussa spiritalia contemnentes, Deum quia corporaliter non vident, quandoque ad hoc perueniunt, vt etiam non esse suspicentur. Vnde nunc dicitur, Quis est Omnipotens, vt seruiamus ei? Esse enim (sicut dictum est) non credunt, quem corporaliter non intuentur.

2\. *Visibilia prudenter & moderatè inspecta, perducunt ad inuisibilis Dei notitiam & amorem.*

Qui si auctorem omnium Deum humiliter quærerent: id quod non videtur, eâ re quæ videtur, esse melius, in semetipsis inuenirent. Ipsi quippe ex animâ inuisibili & corpore visibili subsistunt: & si hoc ab eis quod non videtur abstrahitur, illicò corruit quod videtur. Et patent quidem carnis oculi, sed videre quidquam vel sentire non possunt. Sensus enim visionis perijt, quia abscessit ille inuisibilis spiritus, qui per eius respicere fenestras solebat. Quia ergo rebus visibilibus inuisibilia præstantiora sunt, carnales quique ex semetipsis pensare debuerunt: atque per hanc (vt ita dixerim) scalam considerationis tendere in Deum; quia eo est, quo inuisibilis permanet: & eo summus permanet, quo comprehendi nequaquam potest.

Ecce scala considerationis rerũ visibilium, quâ ascenditur ad Deum.

Idem Pater Gregorius Libro decimo sexto capite duodecimo suæ Moralis expositionis in Iob super his verbis, Quis mihi tribuat vt cognoscam, & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius? *sic ait:* Iob 23.

3\. *Notitia Dei per fidem accendit ad quærendam visionem eius per speciẽ, seu in semetipso.*

Electus quisque nisi Deum cognouisset, vtique non amaret. Sed aliud est, cognoscere per fidem; atque aliud, per speciem: aliud, inuenire per credulitatem; aliud, per contemplationem. Ex quâ re agitur, vt electi omnes eum, quem fide cognouerunt, videre quoque per speciem anhelent. Cuius amore flagrantes æstuant: quia eius dulcedinis suauitatem iam in ipsâ suæ fidei certitudine degustant. Quod benè ille in Gerasenorum regione sanatus à dæmonibus designat, qui vult abire cum Iesu, sed ei à Magistro salutis dicitur, Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecerit Deus. Luc. 8.

4\. *Hæc visio ideò differtur, vt amor dilatione augeatur.*

Amanti enim adhuc dilatio imponitur: vt ex dilati amoris desiderio, meritum retributionis augeatur. Fit ergo nobis omnipotens Deus dulcis in miraculis, & tamen in suâ celsitudine manet occultus: vt & quædam monstrando de se, occultâ nos inspiratione in suo amore succendat, & tamen abscondendo maiestatis suæ gloriam, amoris sui vim per æstum desiderij augeat.

5\. *Maiestatẽ ipsam substantiamq́; Dei in cælo intuebimur inter Angelos.*

Nisi enim sanctus vir videre hunc in suâ maiestate quæreret, non vtique subinferret, Et veniam vsque ad solium eius. Quid namque est Solium Dei, nisi illi Angelici spiritus, qui (Scripturâ teste) Throni vocati sunt? Qui ergo vsque ad solium Dei venire vult, quid aliud quàm esse cum Angelicis spiritibus concupiscit, vt nulla iam defectiua temporum momenta sustineat, sed ad permanentem gloriam in contemplatione æternitatis exurgat? Coloss. 1. Apoc. 5.

6\. *Omnia huius vitæ euenta in Dei iustam prouidentiam & occulta iudicia referantur.*

Quæ tamen verba etiam in hac vitâ positis iustis conueniunt. Nam cùm contra votum suum atque desiderium quodlibet agi conspiciunt, ad occulta Dei iudicia recurrunt, vt in eis videant quia inordinatè intus non disponitur, quod inordinatum foris currere videtur. Cùm enim præsidentem Angelicis spiritibus Creatorem omnium fidei oculis contemplantur, ad eius nimirum solium veniunt. Et quia considerant, quoniam is, qui mirè Angelos regit, iniustè homines non disponit: profectò inueniunt causales rationes quàm iustæ sint, licet ipsæ causæ extrinsecus videantur iniustæ;

iustæ; dumq́; id humiliter faciunt, semetipsos sæpè in suâ voluntate reprehendunt: sua in se nonnumquã vota dijudicant, dũ meliora esse ea, quæ disponit Conditor, pensãt.

Rursum eodem Libro capite decimosexto super his verbis, Ipse enim solus est, *scribit in hunc modum:* Iob 23.

7. *Deus est solus verè & principaliter: reliqua verè quodammodò non sunt, quia sine Deo non sunt.* Sap. 1.

Numquidnam non sunt Angeli & homines, cælum & terra, aër & maria, cuncta volatilia, quadrupedia, atque repentia? Et certè scriptum est, Creauit vt essent omnia. Cùm ergo in rerum naturâ tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur, Ipse enim solus est? Sed aliud est, esse; aliud, principaliter esse: aliud, mutabiliter; atque aliud, immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt: quia in semetipsis minimè subsistunt, & nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. Cuncta namque in illo subsistunt à quo creata sunt: nec ea quæ viuunt, sibimetipsis vitam tribuunt: neque ea quæ mouentur & non viuunt, suis nutibus ad motum ducuntur: sed ille cuncta mouet, qui quædam viuificat, quædam verò non viuificata in extremam essentiam, mirè ordinans, seruat.

8. *Vir sãctus in omnibus solũ Deum videt & timet, quia solus est; & creatura, nisi à Deo regantur, nec sunt nec agunt.*

Cuncta quippe ex nihilo facta sunt: eorúmque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret. Omnia itaque quæ creata sunt, per se nec subsistere præualẽt, nec moueri: sed in tantum subsistunt, in quantũ vt esse debeant acceperunt: in tantum mouentur, in quantũ occulto instinctu disponuntur. In omni igitur causâ solus ipse intuendus est, qui principaliter est. Qui etiam ad Moysen dicit, Ego sum, qui sum. Sic dices filijs Israel, Qui est misit me ad vos. Cùm itaque flagellamur per ea quæ videmus, illum debemus sollicitè metuere quem non videmus. Vir itaque sanctus despiciat quidquid exteriùs terret, quidquid per essentiam suam (nisi regeretur) ad nihilum tẽderet: & mentis oculo, suppressis omnibus, intueatur vnum, in cuius essentię cõparatione, esse nostrũ non esse est: & dicat, Ipse enim solus est. Exod 3.

CAPVT X.

Ex libro vigesimo secundo capite secundo Moralis expositionis in Iob super his verbis: Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea: Si lætatus sum super multis diuitijs meis, & quia plurima reperit manus mea. Iob 31.

Temporalibus diuitijs vtendum, non fruendum.

1. *Temporalia non ad amorem, sed ad vsum dumtaxat habenda: ne si illis per affectum adhæreamus, cum eisdem pereamus.*

2. *Imperfectorum est, lætari affluentiâ terrenarum rerum, etiam quibus licitè vtuntur; perfectorum, easdem prorsus despicere.*

3. *Impositos tamen, non quæsitos honores perfecti sedulò administrant: licet eos interiùs ex animo fastidiant.*

4. *Nihil igitur temporale concupiscere, præstat menti securitatem ab omni timore.*

5. *Vt autem illam securitatem à Deo esse cognoscamus, non à nobis ipsis; manente quietis internæ desiderio, sæpè exteriùs permittimur turbari.*

SANCTVS vir nec aurum robur, nec sibi esse obrizum fiduciam credidit: quia spem atque delectationem suam in solius gratiâ Conditoris fixit. Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere est, in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare. Stante enim in perpetuum Deo, transeunt omnia. Quid ergo nisi ab stante fugere est, transeuntibus rebus inhærere? Quis namque vmquam decurrentium fluminum tumidis vorticibus raptus, manere ipse fixus potuit, deorsum vndâ defluente? Quisquis ergo defluere deuitat, superest vt quod defluit fugiat: ne per hoc quod amat, in hoc cogatur peruenire quod vitat. Qui enim rebus labentibus inhæret, illo videlicet trahitur, quò tendit quod tenet. Priùs itaque curandum est, ne quis temporalia diligat: ac deinde, ne in eisdem temporalibus quæ non ad delectationem sibi, sed ad vsum retinet, fiduciam ponat: quoniam coniunctus decurrentibus mox statum suum animus perdit. Nam vitæ præsentis fluctus trahit quem leuat: & valdè demens est qui in vndâ voluitur, & plantam figere conatur. 1. *Qui nimio affectu adhæret temporalibus, in illis peribit, sicut, qui in aquâ ambulat, mergitur.*

Sed sunt plerique, qui etsi in rebus transeuntibus fiduciam nequaquam ponunt, cùm tamen sibimet ad vsus necessarios abundè adsunt, mente tacitâ lætantur. Quâ in re dubium non est: quia tantò minus quisque dolet quòd desint æterna, quantò magis gaudet quòd adsint temporalia: & qui minùs dolet quòd desunt temporalia, certiùs expectat vt adsint æterna. Hoc itaque de terrenis rebus gaudium beatus Iob non se habuisse testificans subiungit, dicens, Si lætatus sum super multis diuitijs meis, & quia plurima reperit manus mea. Sancti quippe viri in huius peregrinationis ærumnâ, quoniam eam, quam appetunt, adhuc Creatoris sui speciem contemplari minimè finuntur, omnem præsentis vitæ copiam inopiam deputant: quia videlicet nil extra Deum sufficit menti, quæ veraciter Deum quærit. Electi ergo de multâ abundantiâ minimè lætantur: quam videlicet pro amore cælestis patrimonij, aut largiendo dispergunt, aut despiciendo deserunt. 2. *Quare in rebus trãseuntibus sperare vel lætari imperfectorũ est; eas despicere, perfectorum.*

Q Idem

S. GREGORIVS MAGNVS.

Idem beatus Pater Gregorius Libro decimo octauo capite vigesimo quinto suæ Moralis expositionis in Iob, declarans, quia qui solam cælestem patriam diligunt, terrenæ patriæ curis aliquando subiacere videntur, sic ait:

3\. *Et tamen possunt perfecti res huius sæculi sibi impositas in Dei timore administrare, sed non appetere.*

Aliquando contingit, vt qui solam cælestem patriam diligunt, terrenæ patriæ curis subiacere videantur. Quorum tamen ministerium à prauorum operibus plerumque in actu, nonnumquam verò ante supernum Iudicem in solâ cogitatione discernitur. Pleni quippe supernâ sapientiâ discernunt, qualiter debeant & ad aliquid vacare intrinsecus, & ad aliquid extrinsecus occupari: vt si fortè occultâ Dei ordinatione aliquid eis non appetentibus de huius sæculi curis imponitur, credant Deo quem diligunt: & præ amore eius, intrinsecus solam illius desiderent visionem; præ timore verò eius, impositam sibi extrinsecus humiliter expleant actionem: vt & vacare Deo appetant ex gratiâ dilectionis, & rursum curas superimpositas ex conditione expleant seruitutis. Cùm occupationes extrinsecus perstrepunt, intrinsecus in amore pacatissima quies tenetur: atque occupationem tumultus exteriùs perstrepentis, dispensat interiùs præsidens iudex ratio; & tranquillo moderamine, ea quæ circa se minùs sunt tranquilla, disponit. Sicut enim vigor mentis, frenandis præest motibus carnis; sic sæpè superimpositos tumultus occupationis benè regit amor quietis: quia exteriores curæ, si peruerso amore non appetuntur, non confuso sed ordinato animo ministrari queunt. Sancti etenim viri nequaquam eas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt: & quamuis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant. Quas quidem summopere (si liceat) vitare festinant: sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, & exercent quod vitant. Intrant enim ad cor suum, & ibi consulunt quid velit occulta voluntas Dei: seseque subditos debere esse summis ordinationibus cognoscentes, humiliant ceruicem cordis iugo diuinæ dispensationis. Quisquis verò talis est, quilibet tumultus versentur extrinsecus, numquam ad eius interiora perueniunt. Itaque agitur, vt aliud intrinsecus voto, aliud extrinsecus teneatur officio.

Quibus cura incūbit administrandi tēporalia, intus vacent diuino amori, dum foris agunt officium seruientis; magis in eo Dei voluntati obtemperantes, quam suo iudicio aut affectui.

Idem Libro vigesimo secundo capite decimo super his verbis, Si expaui ad multitudinem nimiam, *dicit:* Iob 31.

4\. *Ex vero contemptu sæculi oritur firma securitas animi.*

Magna est securitas cordis, nihil concupiscentiæ habere sæcularis. Nam si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest; quia aut non habita concupiscit vt habeat, aut adepta metuit ne amittat: & dum in aduersis sperat prospera, in prosperis formidat aduersa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus voluitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Sin verò semel in appetitione supernæ patriæ forti stabilitate animus figitur, minùs rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe externis motibus eamdem intentionem suam quasi quemdam secretissimum secessum petit: ibique incommutabiliter inhærens, & mutabilia cuncta transcendens, ipsâ iam tranquillitate quietis suæ in mundo extra mundum est. Excedit profectò ima omnia, intentione summorum: & cunctis rebus, quas non appetit, libertate quadam se superesse sentit: nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quam intuetur foris; quia terrena omnia, quæ concupita opprimere mentem poterant, despecta subteriacent. Vnde benè per Prophetam dicitur, Statue tibi speculam: vt dum quisque speculatur summa, supereemineat infimis. Ierem. 31. Hinc etiam Habacuc dicit, Super custodiam meam stabo. Habac. 2. Stat quippe super custodiam suam, qui per solertiam disciplinæ terrenis desiderijs non succumbit, sed supereminet; vt dum semper stantem appetit æternitatem, infra se sit ei omne quod transit.

5\. *Sæpè autē tranquillus sanctorum animus exteriùs inflatur, vt à Deo esse securitatem suam agnoscat. Et sic quidquid acciderit exteriùs, in nullo eos turbat interiùs.*

Tamen quia sanctus vir quantalibet virtute profecerit, eum in hac vitâ positum adhuc extrinsecus carnis infirmitas premit, (vnde scriptum est, Quamquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vanè conturbatur) plerumque agitur vt & turbetur exteriùs, & imperturbabilis duret interiùs: vt quod vanè conturbari potest, de infirmitate carnis fit, quamuis in imagine Dei ambulet de virtute mentis: quatenus & roboretur intus diuino adiutorio, & tamen adhuc foris sarcinâ prematur humanâ. Vnde benè Habacuc iterùm vnam sententiam protulit ad vtrumque seruientem. Psal. 38. ait enim: Et introiuit tremor in ossa mea, & subtus me turbata est virtus mea. Habac. 3. Ac si diceret, Non mea virtus est, in quâ superiùs raptus imperturbabilis maneo; sed meæ infirmitatis est, in quâ inferiùs turbor. Ipse ergo super se imperturbabilis est, ipse sub se perturbabilis: quia super se ascenderat, in quantum rapiebatur ad summa; & sub semetipso erat, in quantum adhuc trahebatur ad infima. Ipse super se imperturbabilis est, quia in Dei iam contemplationem transierat: ipse sub se perturbabilis, quia sub semetipso

metipso

metipso adhuc infirmus homo remanebat. Sic itaque, sic perfecti omnes, quamuis adhuc aliquid turbulentum de infirmitate carnis tolerent, iam tamen intrinsecus tranquillissimo secreto perfruuntur per contemplationem mentis, vt quidquid acciderit exteriùs, in nullo eos turbet interiùs.

CAPVT XI.

Iob 33. *Ex Libro vigesimo tertio capite decimotertio Moralis expositionis in Iob super his verbis:* Erudiens eos instruit disciplinâ.

Mala huius vitæ inducunt amorem futuræ.

1. *Consideratio malorum huius vitæ, eam odiosam reddit: consideratio bonorum vitæ futuræ, eam nobis facit desiderabilem.*

2. *Solus ille rectè expendit mala huius vitæ, qui ad futuræ vitæ bona anhelat.*

3. *Vnde sæpè diuinorum dulcedinem gustat; sed ob vitæ istius necessitatem diu inhærere non permittitur, ex quo subinde in dulces lacrymas resoluitur.*

1. *Odium vitæ præsentis, & desiderium futuræ, ex vtriusque rectâ consideratione. Mala vitæ præsentis.* 2. Cor. 5. Rom. 7.

QVASI quædam plagæ percussionis sunt, lamenta compunctionis. Iusti viri anima in compunctione vehementer afficitur: & cùm, mala vitæ præsentis solerter attendens, mœrens considerat vbi est; & cùm bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia necdum adipiscitur, lugens conspicit vbi non est. Mala præsentis vitæ Paulus pensabat, cùm diceret: Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Et: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et rursum bona æternæ patriæ considerabat, *Bona vitæ futuræ.* 1. Cor. 13. dicens: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Atque iterùm: 2. Cor. 5. Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex eo habemus domum non manufactam, æternam in cælis. Ephes. 1. Cuius domus bona intuens, Ephesijs dicit: Vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus. Mala vitæ præsentis beatus Iob considerans, ait: Iob 7. Tentatio est vita humana super terram. Vnde Dauid quoque ait: Psal. 38. Vniuersa vanitas omnis homo viuens. Et quamquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vanè conturbatur. Qui rursum æternam patriam contemplatus, & hæc mala pensans in quibus erat, atque illa bona considerans in quibus adhuc non erat, ait: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est! Et, Ego dixi in excessu meo, proiectus sum à vultu oculorum tuorum. Subleuatus in ecstasi, à vultu oculorum Dei vidit se esse proiectum. S. GREGORIVS MAGNVS. Psal. 119. Psal. 30.

2. *Solus ille benè contemnit bona sæculi, qui contemplationis gustu cognouit bona cæli.*

Post interni quippe luminis visionem, quæ in eius animâ per contemplationis gratiam radio claritatis emicuit, ad semetipsum rediijt: & cognitione præceptâ, vel quibus illic bonis deesset, vel quibus malis hîc adesset, inuenit. Neque enim quis vitæ præsentis mala sicut sunt conspicere præualet, si bona æternæ patriæ per contemplationis gustum contingere necdum valet. Vnde à vultu oculorum Dei proiectum se esse cognouit: subleuatus quippe vidit, quod se hîc videre non posse, ad se relapsus ingemuit. Perfectam scilicet animam ista compunctio afficere familiariùs solet, quâ omnes imaginationes corporeas insolenter sibi obuiantes discutit, & cordis oculum figere in ipso radio incircumscriptæ lucis intendit.

3. *Dulcedo contemplationis cælestium in sapore interno nonnisi raptim & cursim obtinetur.*

Vnde aliquando ad quamdam inusitatam dulcedinem interni saporis admittitur, ac raptim aliquo modo ardenti spiritu afflata renouatur; tantoque magis inhiat, quantò magis quod amet degustat; atque hoc intra se appetit, quod sibi dulce sapere intrinsecus sentit: quia videlicet eius amore dulcedinis sibi coram se viluit, & postquam hanc vtcumque percipere potuit, quid sine illâ dudum fuisset, inuenit. Cui inhærere conatur, sed ab eius fortitudine, suâ adhuc infirmitate repellitur: & quia eius munditiæ contemperari non valet, flere dulce habet, sibique ad se cadenti infirmitatis suæ lacrymas sternere. Neque enim mentis oculum potest in id, quod intra se raptim conspexerat, figere: quia ipso vetustatis suæ vsu deorsum ire compellitur. Inter hæc anhelat, æstuat, super se ire conatur; sed ad familiares tenebras suas, victa, fatigatione relabitur.

CAPVT XII.

Ex Libro vigesimoquarto capite quinto Moralis expositionis in Iob super his verbis: Videbit *(scilicet homo tentatus & afflictus)* faciem eius in iubilo. Iob 33.

Amaritudo disponit ad dulcedinem & iubilum cordis.

1. *Dulcedo spiritualium delectationum nullis verbis potest exprimi, ideò iubilum cordis vocatur.*

2. *Ad eas præparatur animus quasi purgandus per amaritudinem afflictionis.*

3. *Quomodo in mysticâ Dei contemplatione anima dicatur Deum non videndo videre.*

4. *Hæc*

4. *Hæc qualiscumque cognitio Dei per gustum spiritualem, facies Dei quodammodò vocari poterit.*

1. *Iubilū cordis vocatur ineffabilis dulcedo spiritus in Deo occupati.* IVBILVM dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri: & tamen quibusdam motibus proditur, quamuis nullis proprietatibus exprimatur. Vnde Dauid Propheta, intuens electorum animas tantum gaudium mente concipere, quantum sermone non valent aperire, ait: Beatus populus qui scit iubilationem. (Psal. 88.) Non enim ait, Qui loquitur, sed, Qui scit: quia sciri quidem iubilatio intellectu potest, sed dicto exprimi non potest. Sentitur quippe per illam quod vltra sensum est. Et cùm vix ad hoc contemplandum sufficiat conscientia sentientis, quomodò ad hoc exprimendum sufficiet lingua dicentis?

2. *Non gustatur, nisi anima priùs afflictionibus purgetur.* Quia ergo cordibus nostris lux se veritatis insinuans, modò districtam iustitiam prætendendo contristat, modò interna gaudia aperiendo lætificat; post tentationum amaritudines, post tribulationum luctus aptè subiungitur: Videbit faciem eius in iubilo. Menti enim nostræ de consideratione cæcitatis suæ priùs ignis tribulationis immittitur, vt omnis vitiorum ærugo concremetur; & tunc, mundatis oculis cordis, illa lætitia patriæ cælestis aperitur: vt priùs purgemus lugendo quod fecimus, & postmodum manifestiùs cōtemplemur per gaudium quod quæramus. Priùs à mentis acie, exurente tristitiâ interpositâ, malorum caligo detergitur, & tunc resplendente raptim coruscatione incircumscripti luminis illustratur. Quo conspecto vtcumque in gaudio cuiusdam securitatis absorbetur: & quasi post defectum vitæ præsentis, vltra se rapta, in quadam nouitate aliquo modo recreatur.

3. *Mystica contemplationis descriptio, in quâ est visio sine visione.* Ibi mens ex immenso fonte, infusioni superni roris aspergitur: ibi non se sufficere ad id ad quod rapta est, contemplatur: & veritatem sentiendo, videt, quia quanta est veritas, non videt. Cui veritati tantò magis se longè abesse existimat, quantò magis appropinquat: quia nisi illam vtcumque conspiceret, nequaquam eam conspicere se non posse sentiret. Adnisus ergo animi dum in illam intenditur, immensitatis eius coruscante circumstantiâ reuerberatur. Ipsa quippe cuncta implens, cuncta circumstat; & idcircò mens nostra nequaquam se ad comprehendendam incircumscriptam circumstantiam dilatat, quia eam inopiâ suæ circumscriptionis angustat.

4. *Mystica Theologia, quadam visio faciei diuinæ vocari potest; testibus Iacob & Paulo.* Vnde ad semetipsam citiùs labitur, & prospectis quasi quibusdā veritatis vestigijs, ad sua ima reuocatur. Hæc ipsa tamen per contemplationem facta, non solida nec permanens visio, sed (vt ita dixerim) quasi quædam visionis imitatio, Dei facies dicitur. Quia enim per faciem quemlibet agnoscimus, non immeritò cognitionem Dei, faciem eius vocamus. Vnde Iacob, postquam cum Angelo luctatus est, ait, Vidi Dominum facie ad faciem. (Gen. 32.) Ac si diceret, Cognoui Dominum, quia me cognoscere ipse dignatus est. Quam cognitionem plenissimè fieri Paulus testatur in fine, dicens, Tunc cognoscam sicut & cognitus sum. (1. Cor. 13.) Quia ergo post laborum certamina, post tentationum fluctus, sæpè in excessu anima suspenditur, vt per cognitionem diuinam præsentiam contempletur, (quam tamen præsentiam & sentire possit, & explicare non possit) rectè post tot labores, de hoc tentato homine dicitur, Videbit faciem eius in iubilo.

CAPVT XIII.

Ex Libro vigesimoseptimo capite octauo Moralis expositionis in Iob super his verbis: Annuntiat de eâ *(videlicet luce patriæ cælestis)* amico suo, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere. Super hoc expauit cor meum, & motum est de loco suo. (Iob 36.)

Cælum possessio nostra.

1. *Cùm nos ipsos tantùm, statumque nostrum comparamus ad cælites, ad eos nos ascendere posse desperamus.*

2. *At Deus nos suâ charitate dignatus, voluit cælum esse possessionem nostram.*

3. *Et ad eam nos ascendere posse annuntiauit, cùm Filium suum pro nobis in carnem descendere voluit.*

4. *Tanta Dei dignatio, vnde nobis orta est tanta exaltatio, debet nos in stuporem admirationis rapere:*

5. *Et de loco terrenæ delectationis, amorem cordis nostri transferre ad locum æternæ beatitudinis.*

1. *Si nosipsos consideramus, quasi desperamus ad cælum peruenire.* CVM de cælesti patriâ loquimur, cui inesse mirâ claritate prædita Angelorum agmina audimus, cui rerum omnium Conditor præsidet, quam visione suâ reficiens replet, cui vera hereditas lux est, & defectus eiusdem luminis nullus est: ad nosmetipsos mentem reducimus, & quòd terrena gestemus membra, cogitamus: pensamus, quòd nati in tenebris, atque à radijs intimæ lucis alieni, tantò nequiùs viximus, quantò rebus corporalibus dediti, à spiritualibus longiùs degebamus. Quâ consideratione permotum cor, ac male sibi conscium, trepidat: & tantæ illius, quam audit, patriæ ciuem se fieri posse desperat.

Vnde

2. *At Dei benignitatem intuentes, cælum possessionem nostram fore confidimus.*

Vnde hic aptè (quò mens pauida ad fiduciam reducatur) de hac luce dicitur: Annuntiat de eâ amico suo, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere. Amicus veritatis, est rectæ amator actionis. De hac igitur luce æternæ patriæ amico suo Deus annuntiat quòd possessio eius sit, vt nequaquam propter infirmitatis suæ fragilitatem desperet: nequaquam hoc quòd creatus, sed quòd recreatus est penset: & tantò certius sciat, quia illius lucis claritatem possideat, quantò nunc vitiorum pulsantium tenebras veriùs calcat.

3. *Christus ad nos veniens, hoc nobis annuntiauit gaudium.*

Benè autem in promissione subiungitur, Et quod ad eam possit ascendere. Quid enim difficilius, quàm homini in terrâ edito, terrena & fragilia membra gestanti, cælorum alta conscendere, supernorum spirituum arcana penetrare? Sed eorumdem spirituum ad nos Conditor venit, seque hominem etiam sub ipsis exhibuit: sicut de illo Patri per Prophetam dicitur: Minuisti eum paulò minùs ab Angelis. Et quia inter nos & eosdem spiritus discordantis vitæ scandalum reperit, mirâ potētiâ, mirabiliori etiam pietate summa creans, ima suscipiens, ima cum summis iunxit. Hinc est quòd de eodem Rege nato, Angelorum chori in eius annuntiatione prodeunt, hymnum dicunt: & deuictâ prauæ vitæ discordiâ, hos quos dudum despexerant, ciues agnoscunt, consono ore prædicantes: Gloria in excelsis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. Ac si apertè dicant: Quos à nobis malitia disiunxerat, iam nunc in terrâ nata bonitas iungit. Is ergo qui propter nos minor Angelis extitit, æquales nos Angelis virtute suæ minorationis fecit. Vnde & moriendo docuit mortem non metui, resurgendo de vitâ confidi, ascendendo de cælestis patriæ hereditate gloriari: vt quò caput præisse conspiciunt, illuc se subsequi & membra gratulentur. Ergo si desperat humana fragilitas, Vnigeniti Sanguinem consideret: & in pretio suo conspiciat, quàm magna est quæ tanti valet. Perpendat sollicite, quò caput præcessit: confidat cælos, speret supernam patriam, Angelorum se sociam sciat, atque in suo capite prælatam se etiam Angelis gaudeat. Dicatur igitur rectè de hac luce internæ patriæ: Annuntiat de eâ amico suo, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.

Psal. 8. — *Incarnatio Domini nos cū Angelis in communionem cōcordiamq; reduxit, vt & homines ciues cælestis Ierusalem esse possent.* — *Luc. 1.* — *Pretio magno cōmunicatione illius ciuitatis nobis redemit Christus, pro nobis Sanguinem fundens.*

4. *Hinc attoniti admiremur benignitatem Redēptoris:*

Sed valdè mira sunt ista, quòd homo in terrâ editus, atque à cælesti patriâ exigentibus meritis longè damnatus, non solùm ad statum conditionis reducitur, sed etiam gloriosiùs exaltatur: vt qui paradisum perdidit, cælum recipiat; & non solùm hunc debiti sui reatus non teneat; sed huic post culpam dona cumulatiùs excrescant: vt ille contemptor Dei, ille imitator diaboli, si ad fructum pœnitentiæ redeat, vsque ad celsitudinem cōtemplandæ intimæ lucis ascendat. Cuius itaque cor non in huius pietatis admiratione exiliat? cuius torpor non in subleuatione tantæ considerationis expauescat? Vnde & aptè subiungitur: Super hoc expauit cor meum. Ac si dicat: In admirationis excessu se transtulit: & quia nouę spei spiritu mens afflata est, semetipsam, qualis in vetustâ cogitatione fuerat, reliquit.

5. *Affectūq; cordis è terrâ in cælū sursum gamus transferre.*

Benè autem dicitur, Et motum est de loco suo. Locus quippe humani cordis est delectatio vitæ præsentis. Sed cùm diuinâ aspiratione cor tangitur, locus nostri cordis fit amor æternitatis. Consideratione igitur æternæ patriæ de loco suo animus mouetur: quia, derelictis infimis, in supernis cogitationibus ponitur. Priùs enim quæ essent æterna nesciebat, in præsentium delectatione torpuerat, simulque ipse transiens, amore transeuntia tenebat. Sed postquam quæ essent æterna cognouit, postquam supernæ lucis radios raptim contemplando contigit, admiratione summorum, sese ab infimis suscitatus eleuauit: vt nulla iam ei, nisi quæ æterna sunt, placeant; &, despectis transeuntibus, sola quæ permanent requirat. Benè ergo dicitur, Super hoc expauit cor meum, & motum est de loco suo: quia pigrum cor, & terrenis dudum cogitationibus deditum, cùm repente per excessum se ad summa suspendit, cogitationis infimæ locum mutauit.

CAPVT XIV.

Ex libro vigesimonono capite secundo Moralis expositionis in Iob super his verbis: Præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum. *Iob. 38.*

Profectus piorum continuus vsque ad claram Dei visionem.

1. *Fideles in Dei amore proficientes, sunt velut aurora discedens à tenebris noctis, sed nondum accedens ad plenum diem.*

2. *Quia in multis adhuc offendunt (licet iam magnas impietatis tenebras reliquerint) donec in aliâ vita ad plenum charitatis diem peruenerint.*

3. *Semper tamen de bono in melius proficiunt: sicut aurora appropinquat ad Solem.*

4. *Pastus animarum fidelium est æternæ felicitatis pabulum.*

1. *Aurora discedens à nocte, fidelis deserens pristinos defectus, necdum attingens ad meridiem perfectionis.*

AVRORA, vel diluculum, noctem quidem præterijsse nuntiant, non tamen diei claritatem integram ostentant: sed dum illam pellunt, hanc suscipiunt, & lucem tenebris permixtam tenent. Quid itaque in hac vitâ omnes qui veritatem sequimur, nisi

S. GREGORIVS MAGNVS.

nisi aurora vel diluculum sumus? quia & quædam iam quæ lucis sunt agimus, & tamen in quibusdam adhuc tenebrarum reliquijs non caremus. Per Prophetam quippe Deo dicitur, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. (Psal. 142.) Rursumque scriptum est, In multis offendimus omnes. (Iacob. 3.) Paulus quoque ait, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. (Rom. 7.)

2. *Quia licet ad lucem gratia venerit, adhuc in multis offendit, donec in luce gloriæ plena dies affulserit.*

Vbi ergo lex peccati cum lege mentis contendit, profectò adhuc aurora est: quia lux, quæ iam emicuit, necdum prætereuntes funditus tenebras pressit. Adhuc aurora est: quia dum lex carnis legem mentis, & lex mentis legem carnis percutit, inter se vicissim lux & vmbra confligit. Vnde rursum Paulus, cùm diceret, Nox præcessit, nequaquam subdidit, Dies venit: sed, Dies autem appropinquauit. (Rom. 13.) Qui enim post discessum noctis iam non venisse, sed appropinquasse diem insinuat, esse se procul dubio ante solem post tenebras adhuc in aurorâ demonstrat. Tunc autem plenè sancta Electorum Ecclesia dies erit, cùm ei admixta peccati vmbra iam non erit. Tunc plenè dies erit, quando interni luminis perfecto feruore claruerit. Tunc plenè dies erit, quando nullam malorum suorum tentantem memoriam tolerans, omnes à se tenebrarum etiam reliquias abscondet.

3. *Locus auroræ, plena claritas diei: locus animæ, clara visio Dei; ad quam quotidianis profectibus continuò appropinquandum.*

Vnde & benè hæc aurora quasi in transitu adhuc demõstratur, cùm dicitur, Ostendisti auroræ locum suum. Cui enim locus suus ostenditur, profectò ex alio ad aliud vocatur. Quis est enim locus auroræ, nisi perfecta claritas visionis æternæ? Ad quem cùm ducta venerit, iam de transactæ noctis tenebris nihil habebit. Nunc autem adhuc tentationum molestias sustinet: quia dum per intentionem cordis ad aliud festinat Ecclesia, ad locum suum tendit Aurora. Quem locum si mente non cerneret, in huius vitæ nocte remaneret. Sed cùm quotidie contendit perfici, & in lucem quotidie augeri, locum suum iam conspicit, & plenè sibi clarescere solem quærit. Locum suum aurora considerat, quando sancta anima ad contemplandam conditoris sui speciem flagrat. Ad locum suum pertingere aurora satagebat, cùm Dauid diceret, Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? (Psal. 41.) Locum suum veritas auroræ monstrabat, cùm per Salomonem diceret: Quid habet amplius sapiens à stulto, & quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita? (Eccle. 6.) Ad hunc locum, quem cognouerat, peruenire aurora festinabat, cùm Paulus desiderium habere se diceret dissolui, & cum Christo esse. (Philip. 1.) Et rursum, Mihi, inquit, viuere Christus est, & mori lucrum. Et rursum, Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis. (2. Cor. 5.)

Idem Pater Gregorius Libro trigesimo capite vndecimo suæ Moralis expositionis in Iob super his verbis, Separantur filij earum *(videlicet ceruarum, hoc est Prædicatorum)* & pergunt ad pastum, egrediuntur, & non reuertuntur ad eas, *ait:* (Iob 39.)

4. *Felicitas æterna pastus est animarum deuotarū in pascuis æternæ viriditatis.*

Pastum Scriptura sacra illud viriditatis æternæ pabulum vocat, vbi iam nostra refectio nullius defectus ariditate marcescet. De quo pastu per Psalmistam dicitur, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. (Psal. 22.) Et rursum, Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. (Psal. 94.) De quibus nimirum pascuis Veritas per semetipsam dicit, Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. (Ioan. 10.) Pergunt ergo ad pastum, quia de corporibus exeuntes, illa pabula æternæ viriditatis inueniunt. Egrediuntur, & non reuertuntur ad eas; quia in illâ suscepti contemplatione gaudiorum, iam nullatenus indigent verba audire docentium. Egressi itaque ad eas iam non redeunt; quia angustias vitæ præsentis euadentes, vltrà à Doctoribus prædicationem vitæ accipere non requirunt. Tunc quippe impletur quod scriptum est: Non docebit vltrà vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum, dicit Dominus. (Ierem. 31. Hebr. 8.)

CAPVT XV.

Ex Libro trigesimo capite duodecimo Moralis expositionis in Iob super his verbis Domini: Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit? cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terrâ salsuginis. (Iob 39.)

Solitudo contemplationis. Concentus cælorum ab electis auditur, non à reprobis.

1. *Magna seruitus est, impediri vinculis negotiorum secularium:*

2. *A quâ liberat gratia diuina, cùm cupiditatum interna vincula dissoluit, & ad solitudinem cordis per contemplationem adducit.*

3. *Silentium contemplationis quasi dimidiâ tantùm horâ durat, quia illam tot vitæ huius necessitates crebriùs interpellant, tumultuoso strepitu sese ingerentes.*

4. *Debet autem solitudo mentis esse in loco salsuginis, vt semper sitiat quietem spiritus.*

5. Deus

5. Deus hîc nobis loquitur per multa verba Prædicatorum, tamquam cælorum concentum: in patriâ per vnicum Verbum æternum, enarrans rationes cælorum.

6. Stupenda iudicia Dei, in eo quòd secreta cælestia quibusdam manifestantur, quibusdam absconduntur.

1. *Seruitus est, negotijs sæcularibus alligaris libertas, nihil concupiscere.*

QVIS dimisit onagrum liberum? Subaudis, nisi ego. Onager qui in solitudine commoratur, non incongrue vitam eorum significat, qui remoti a turbis sæcularibus conuersantur. Qui apte etiam liber dicitur; quia magna est seruitus sæcularium negotiorum, quibus mens atteritur vehementer, quamuis in eis sponte desudet. Cuius seruitutis conditione carere, est in mundo iam nihil concupiscere. Quasi enim quodam iugo seruitutis premunt prospera, dum appetuntur; premunt aduersa, dum formidantur. At si quis semel à dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam iam in hac vitâ libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo aduersitatis terrore coarctatur.

2. Hoc graue seruitutis iugum Dominus vidit sæcularium ceruicibus impressum, cùm diceret: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Asperum quippe iugum, & duræ (sicut diximus) seruitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in nõ stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis desiderijs, ab appetitione rerum temporalium securitate mentis exoneratur. Et vincula eius quis soluit? subaudis, nisi ego? Soluuntur verò vniuscuiusque vincula, dum diuino adiutorio interna desideriorum carnalium retinacula disrumpuntur. Soluit itaque Deus onagri vincula, quando ab Electi vniuscuiusque animo infirmarum cogitationum nodos rumpit, & propitius dissipat omne quod illectam mentem ligabat. Sequitur, Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terrâ salsuginis. Hoc loco debemus intelligere solitudinem cordis. Itaque benè cõuersantibus primum solitudo mentis tribuitur: vt exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, vt ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importunè se offerentium leuium cogitationũ, quasi quasdam circumuolãtes muscas ab oculis mentis abigant manu grauitatis; & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, vbi cum illo, exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur.

Matth. 11.

Ab illâ seruitute liberat Deus suâ gratiâ concupiscentiam refrenans carnalium desideriorum; & ad solitudinẽ cordis internã deducens. Vbi obserua solitudinẽ cordis mysticæ Theologiæ frequentatam.

3. *Negotia vitæ interpellãt quietem, solitudinem, & silentium contemplationis.* De hoc secreto cordis aliàs dictum est, Factum est silentium in cælo quasi dimidiâ horâ. Cælum quippe Ecclesia vocatur electorum, quæ ad æterna & sublimia, dum per subleuationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vitâ non potest esse perfectum, tactum dimidiâ horâ dicitur. Nolenti quippe animo dum cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intendentem, rursum ad respicienda terrena, cordis oculum violenter trahunt. Vnde scriptum est: Corpus quod corrumpitur aggrauat animã, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Benè ergo factũ hoc silentium non integrâ, sed dimidiâ horâ, describitur: quia hîc contemplatio nequaquam perficitur, quãuis ardenter inchoëtur. Quia ergo viri à desiderijs carnalibus alieni, hoc silentium mentis inhabitant, huic onagro Dominus in solitudine domum dedit, vt turbâ desideriorum temporalium non prematur.

Apoc. 8.

Sap. 9.

4. *Semper tamen in medio negotiorum ad contemplationem suspirandum est.* Sequitur, Et tabernacula eius in terrâ salsuginis. Salsugo accendere sitim solet. Et quia sancti viri, quamdiu in huius vitæ tabernaculis degunt, ad supernam patriam desiderij sui quotidianis æstibus accenduntur, in terrâ salsuginis tabernacula habere perhibentur. Incessanter quippe accenduntur, vt sitiant, sitiunt vt satientur, sicut scriptum est, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Matth. 5.

Idem Pater Gregorius eodem Libro trigesimo capite quinto suæ Moralis expositionis in Iob super his Domini verbis, Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet? *(vbi subintelligere oportet*, nisi ego) *sic dicit:* Iob 38.

5. *Per multa verba hic nobis loquitur Deus: in cælo per vnicum solum Verbũ increatum cælorum rationes enarrat.* In hac vitâ infirmitati nostræ Dominus non apertâ specie maiestatis suæ, sed Prædicatorum suorum voce loquitur: vt corda adhuc carnalia carnalis lingua pulset; & tantò faciliùs insueta percipiant, quantò ea per sonitum consuetæ vocis audiunt. At postquam per mortem in puluerem caro resoluitur, & per resurrectionem puluis animatur; tunc de Deo audire verba non quærimus: quia vnum ipsum, quod implet omnia, iam per speciem Dei Verbum videmus. Quod nobis tantò altiùs sonat, quantò & mentes nostras vi intimæ illustrationis penetrat.

netrat. Sublatis namque orientibus & occidentibus verbis, quasi quidam sonus æternæ prædicationis fit ipsa imago internæ visionis. Vnde & rectè nunc ad beatum Iob Dominus dicit, Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet? Quid enim per cælorum rationem accipitur, nisi vis superna secretorum? Quid per cæli concentum, nisi concors Prædicantium sermo signatur? Conditor igitur noster cùm cælorum rationem narrare cœperit, dormire cæli concentum facit: quia cùm iam nobis per speciem ostenditur, nimirum Prædicantium verba subtrahuntur. Hinc enim per Ieremiam Dominus dicit: Non docebit vltrà vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum vsque ad maximum, dicit Dominus. Hinc Paulus ait: Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.

Obseruabis hic explicationis anagogicæ elegans exemplū. — Ieremi. 31. — 1. Cor. 13.

6. Sed postquam verba hæc Dominica quomodo de futuro intelligenda sint diximus, nunc etiam quid de præsenti insinuent, indicemus. Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet? *Cælorum rationem Dominus narrat, dum nunc insinuando superna secreta, Electorum suorum mentes illuminat. Concentum verò cæli dormire facit, dum concordes Angelorum hymnos, atque illa cælestium virtutum gaudia, reproborum cordibus iusto iudicio abscondit. Qui concentus cæli quamuis in se intrinsecus vigilet, in ipsâ tamen reproborum ignorantiâ extrinsecus dormit. Enarratur ergo secreti cælestis ratio, & tamen concentus cæli dormire permittitur: quia & alijs per inspirationem supernæ retributionis scientia panditur, & alijs, quæ sit internæ laudis suauitas, occultatur. Narratur cælorum ratio: quia Electorum mentibus, quæ sit supernorum retributio, indesinenter aperitur: vt nimirum sine cessatione proficiant, & transcurrentes visibilia, sese ad inuisibilia extendant. Omne enim visibile, quod in hac vitâ reprobos figit, hoc Electos ad alia impellit: quia dum bona quæ facta sunt respiciunt, in eum à quo facta sunt inardescunt: tantoque eum præstantiùs amant, quantò illum hoc, quod ipse bonum condidit, præire considerant. Loquitur quippe hoc eis intrinsecus, quod silenter sonat inuisibilis lingua compunctionis: quam tantò pleniùs intus audiunt, quantò ab exteriorum desideriorum strepitu perfectiùs auertuntur. His itaque concentus cæli non dormit, quia eorum mens, quæ sit laudis supernæ suauitas, apposità amoris aure cognoscit. Intus enim quod appetunt, audiunt; & de cælestium bonorum præmijs ipso desiderio diuinitatis instruuntur. Vnde & præsentem vitam non solùm aduersantem, sed etiam fauentem grauiter tolerant: quia eis onerosum est omne quod cernitur, dum ab eo quod intus audiunt differuntur. Omne quod sibi præstò est, graue æstimant: quia illud non adest ad quod anhelant. Indesinenter autem eorum mens ipsis temporalitatis laboribus fessa, in illud cœleste gaudium resumenda suspenditur, dum in aure cordis intrò erumpente concentu cæli, societatem quotidie supernorum ciuium præstolatur. Iste concentus supernæ laudis in aurem illius eruperat qui dicebat, Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei: In voce exultationis & confessionis, sonus ciuitatis epulantis. Qui igitur intus vocem exultationis & confessionis, ac sonum ciuitatis epulantis audierat, quid illum aliud nisi cæli concentus excitabat? Qui tamen concentus reprobis dormit: quia eorum cordibus nequaquam per vocem compunctionis innotescit. Non enim cōsiderare illam desiderabilem supernorum ciuium frequentiam student: nullo ardoris radio illa solemnitatis internæ festa conspiciunt, nullâ in intimis contemplationis pennâ subleuantur. Solis namque visibilibus seruiunt: & idcircò nil supernæ suauitatis intrinsecus audiunt: quia eos (sicut superiùs diximus) in aure cordis curarum sæcularium surdi tumultus premunt. Quia igitur occultâ dispensatione iudicij, quod alijs aperitur, alijs clauditur, quod alijs detegitur, alijs occultatur, dicatur rectè: Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?

Quàm admirādum, quòd secreta cælestia occultātur reprobis, reuelantur electis. — * Subdit Gregorius pulchram tropologiam. — Cælorum ratio & cōcentus manifestatur Electis, quando eos ad cogitāda, & sperāda, & quærenda cælestia excitat Deus. — vt eorum conuersatio sit in cælis, patientia in terris. — Psal. 41. — Dormit & occultatur reprobis concentus cæli, dum de retributione cogitare pleni sæcularibus curis negligunt.

CAPVT XVI.

Ex Libro trigesimo primo capite decimonono Moralis expositionis in Iob super his verbis: Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum sibi? In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus: inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt. Iob 39.

Virtus boni Contemplatoris, & fidelis Prædicatoris.

1. Contemplatiua vita Electorum comparatur volatui aquilarum: eleuantur enim ex Dei vocatione ad cælestia cogitanda, & terrena despicienda.

2. Idque ita serio, vt tota eorum intentio sit in cælis, nulloque modo in inferioribus.

3. In petris nidificant, qui in imitandis præcedentium Sanctorum exemplis student;

4. Et

4. *Et ad Angelorum beata consortia anhelant:*

5. *Sed escam suam, summum bonum suum, solum Deum æstimant, quem supra Angelos eminere conspiciunt & gratulantur:*

6. *Eadem omnia alio loco parallelo ex Isaia Prophetiâ ostendit.*

7. *Fidelis prædicator vocatus ad passionem aut mortem pro veritate tolerandam exultat, non tamen sine horrore partis inferioris.*

8. *Ita fortis miles ante certamen trepidat, in ipso constanter pugnat; & potio amara displicet gustui, sed placet propter sanitatem.*

1. *Aquilæ volatus, est vita contemplatiua volātiū ad cælestia, & terrestria spernentium.*

HOc loco aquilæ nomine, subtilis Sanctorum intelligentia, & sublimis eorum contemplatio figuratur. Cunctarum quippe auium visum acies aquilæ superat, ita vt solis radius fixos in se eius oculos nullâ lucis suæ coruscatione reuerberans claudat. Ad præceptum ergo Dei eleuatur aquila, dum iussionibus diuinis obtemperans, in supernis suspenditur fidelium vita. Quæ & in arduis nidum ponere dicitur; quia desideria terrena despiciens, spe iam de cælestibus nutritur. In arduis nidum ponit; quia habitationem mentis suæ in abiectâ & infimâ conuersatione non construit. Videamus aquilam nidum spei sibi in arduis construentem, quæ ait, Nostra conuersatio in cælis est. Et rursum, Qui conresuscitauit & consedere nos fecit in cælestibus. In arduis habet nidum: quia profectò in supernis figit consilium. Non vult mentem in ima deijcere, non vult per abiectionem conuersationis humanæ in infimis habitare. Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cùm se consedere Christo in cælestibus testaretur: sed ibi erat, vbi ardentem iam mentem fixerat; non illic, vbi eum necessariò pigra adhuc caro retinebat.

Philip. 3. Ephes. 1.

2. *Contēplatiuus in terrâ manens corpore, intētione mortis in cælo est.*

Hoc namque esse speciale specimen Electorum solet, quòd sic sciunt præsentis vitæ iter carpere, vt per spei certitudinem nouerint iam se ad alta peruenisse: quatenus cuncta quæ præterfluunt, sub se esse videant; atque omne, quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent. Hinc est enim quòd sequenti se animæ per Prophetam Dominus dicit, Sustollam te super altitudines terræ. Quasi quædam namque inferiora terræ sunt, damna, contumeliæ, egestas, abiectio: quæ ipsi quoque amatores sæculi, dum per latæ viæ planitiem ambulant, vitando calcare non cessant. Altitudines autem terræ sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, diuitiarum abundantia, honor & sublimitas dignitatum: quæ quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cælestibus figitur, mox quàm abiecta sint cernitur, quæ alta videbantur. Nam sicut qui in montem conscendit, eo paulatim cetera subteriacentia despicit, quo ad altiora gressum ampliùs tendit: ita qui in summis intentionem figere nititur, dum annisu ipso nullam præsentis vitæ gloriam esse deprehendit, super terræ altitudines eleuatur; & quod priùs, in imis desiderijs positus, super se credidit, pòst ascendendo proficiens, sibi subesse cognoscit.

Isa. 58.

Infima terræ, sunt afflictiones:

altitudines terræ, prosperitates.

3. *Exemplis Christi & Sanctorum inhærere, est in petris nidificare.*

Sequitur, In petris manet. In sacro eloquio cùm singulari numero petra nominatur, quis alius quàm Christus accipitur? Paulo attestante, qui ait, Petra autem erat Christus. Cùm verò petræ pluraliter appellantur, membra eius, videlicet sancti viri, qui illius robore solidati sunt, exprimuntur. Quos nimirum Petrus Apostolus lapides vocat, dicens: Vos tamquam lapides viui coædificamini. Ista itaque aquila, quæ ad veri solis radios cordis oculos exerit, in petris manere dicitur; quia in dictis antiquorum & fortium Patrum mentis statione collocatur. Eorum quippe vitam, quos in viâ Dei præisse conspicit, ad memoriam reducit; atque in celsitudine illorum fortitudinis studendo, nidum sibi construit sanctæ meditationis: cumque eorum acta dictaque tacitè cogitat, cùm præsentis vitæ gloriam, in comparatione æternæ excellentiæ quàm sit abiecta considerat, quasi sub se esse ima terrarum in petris residens obseruat.

1. Cor. 10.

1. Pet. 2.

4. *Angeli beati etiam vocantur petræ, silices, rupes; in quibus contemplatio ponit nidum sibi.*

Possunt etiam petræ sublimes virtutum cęlestium Potestates intelligi, quas non iam quasi more arborum huc atque illuc ventus nostræ mutabilitatis inclinat: quia, velut petræ in arduis sitæ, ab omni metu mutabilitatis alienæ sunt; & ad soliditatem fixæ celsitudinis, ipsâ, cui inhærent, æternitate duruerunt. Vir itaque sanctus cùm terrena despicit, more se aquilæ ad altiora suspendit; & per contemplationis spiritum subleuatus, perennem Angelorum gloriam præstolatur; atque huic mundo hospes, illa appetendo quæ aspicit, iam in sublimibus figitur. Rectè ergo dicitur, In petris manet, id est, intentione cordis inter illas cælestes Virtutes residet, quæ per æternitatis suæ fortitudinem tantâ iam soliditate fixæ sunt, vt in nullo culpæ latere mutabilitatis varietate flectantur. Vnde & aptè sequitur, Et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Qui enim sunt alij prærupti silices, nisi illi fortissimi Angelorum chori, qui quamuis non integri, tamen in proprio statu fixi, cadente cum suis angelis diabolo remanserunt? Prærupti enim sunt: quia pars eorum cecidit, pars remansit: qui integri

Angeli rectè vocantur prærupti silices, propter malorum lapsum, & bonorum perseuerantiam.

S. GREGORIVS MAGNVS.

integri quidem stant per qualitatem meriti, sed per numeri quantitatem sunt prærupti. Hanc præruptionem restituere Mediator venit; vt redempto humano genere illa Angelica damna farciret, & mensuram cælestis patriæ locupletiùs fortasse cumularet. Quod verò ait, Inaccessis rupibus, nimirum qui prærupti silices, ipsi sunt inaccessæ rupes. Cordi enim peccatorum hominum valdè inaccessa est claritas Angelorum: quia quo ad pulchra corporalia cecidit, eo à spirituali specie oculos clausit.

& inaccessæ rupes, quia bonis Angelis nullus malus homo adiũgetur.

5\. *Solũ Deum Angelis superiorẽ, bonũ suum esse gratulatur & agnoscit contemplatiuus.*

Sed quisquis ita cõtẽplatione rapitur, vt per diuinam gratiam subleuatus, intentionẽ suam iam Angelorũ choris interserat, & fixus in sublimibus, ab omni se infimâ actione suspendat; non ei sufficit gloriam Angelicæ claritatis aspicere, nisi eum etiam, qui est super Angelos, valeat videre. Sola namq; eius visio, vera mentis nostræ refectio est. Vnde cùm dixisset hanc aquilam in petris manere, & in præruptis silicibus atque inaccessis rupibus cõmorari; illicò subdidit, Inde contemplatur escam: id est, ex illis choris Angelicis tendit oculum mentis ad cõtemplandum gloriam supernæ Maiestatis; quâ non visâ adhuc esurit, quâ tandem visâ satiatur. Scriptum quippe est, Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & satiabitur. Et rursum, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabũtur. Quis verò mentis nostræ cibus sit, indicatur apertè, cũ dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. * Et quia, interpositione corruptibilis carnis grauati, Deũ, sicut est, videre non possumus; rectè subiungitur: Oculi eius de longè prospiciunt. Quantumlibet enim in hac vitâ positus quisque profecerit, necdum Deum per speciem, sed per ænigmatis speculum videt. E vicino autem cùm respicimus, veriùs cernimus: cùm verò lõgiùs aciem tendimus, sub incerto visu caligamus. Quia igitur sancti viri in altâ se contemplatione erigunt, & tamen Deum, sicut est, videre nõ possunt; benè de hac aquilâ dicitur, Oculi eius de longè prospiciunt. Ac si diceret, Intentionis aciem fortiter tendunt, sed necdũ propinquum aspiciunt, cuius claritatis magnitudinẽ penetrare nequaquam possunt. A luce enim incorruptibili caligo nos nostræ corruptionis obscurat: cumque & videri aliquatenus potest, & tamẽ videri lux ipsa, sicut est, non potest, quàm longè sit indicat. Quam si mens vtcumq; non cerneret, nec quia longè esset videret: si autẽ perfectè iam cerneret, profectò hanc quasi per caliginẽ non videret. Igitur quia nec omnino cernitur, nec rursum omnino nõ cernitur; rectè dictũ est, quia à lõgè Deus videtur.

Isa. 33.

Matth. 5.

* Oculus contemplãs in hac vitã Deum per ænigma fidei, obscurè tantũ & confusè prospicit; quòd hic dicitur de longè: at in cælo ex vicino Deũ videbimus; id est per speciem, clarè & distinctè.
1\. Cor. 13.

6\. *Isaiæ verba Iobi verbis affinia de contẽplatione.* Isa. 33.

Libet ad medium Isaiæ verba deducere, atque hæc & illa, quia vno spiritu proferantur, indicare. Qui cùm actiuæ vitæ virtutes exprimeret, dicens,* Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem: qui proijcit auaritiam ex calumniâ, & excutit manus suas ab omni munere. qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum; illicò ab eiusdem actiuę vitæ gradibus, ad quæ contemplationis culmina ascendatur, adiunxit, dicens: Iste in excelsis habitabit; munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquę eius fideles sunt: Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè. In excelsis namq; habitare, est cor in cælestibus ponere. Et munimenta saxorum sublimitas nostra est, cùm fortium Patrum præcepta & exempla respicimus, atque ab infimâ cogitatione separamur. Munimenta saxorum sublimitas nostra est, cùm mente choris castrisque cælestibus iungimur; & insidiantes malignos spiritus, ipsi stantes in arce cordis, quasi subterpositos expugnamus. Tunc nobis etiam panis datur; quia in supernis erecta intentio nostra, æternitatis cõtemplatione reficitur. Aquæ item nostræ fideles sunt; quia doctrina Dei, quod hîc per spem promittit, hoc illic in munere exhibet. Sapientia namque huius mundi infidelis est, quia mansura post mortem non est. Aquæ nostræ fideles sunt; quia verba vitæ, quod ante mortem insinuant, hoc etiam post mortem demonstrant. Regem in decore suo oculi nostri conspiciunt; quia Redemptor noster in iudicio & à reprobis homo videbitur, sed ad Diuinitatis eius intuendam celsitudinem, soli qui electi sunt subleuantur. Quasi enim quamdam fœditatem Regis videre est, solam seruilem formam, in quâ ab iniquis despectus est, cernere. Sed ab electis in decore suo Rex cernitur; quia vltra semetipsos rapti, in ipso Diuinitatis fulgore oculos cordis figunt. Qui quamdiu in hac vitâ sunt, quia illam viuentium patriam, sicut est, videre non possunt, rectè adiungitur, Cernent terram de longè. Quod ergo hîc ait, Eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum sibi; hoc illic dicitur, In excelsis habitabit. Quod hîc dicitur, In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus; hoc illic subijcitur, Munimenta saxorum sublimitas eius. Quod rursus hîc subinfertur, inde contemplatur escam; hoc illic quoque subditur, Panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt, Regem in decore suo videbunt oculi eius. Et quod hîc subiungitur, Oculi eius de longè prospiciunt; hoc illic aptè subijcitur, Cernent terram de longè.

* Documenta contẽplatiuis: 1. Actiua, gradus ad contemplatiuam.

2\. Contẽplator corde in cælis versetur; Sanctis & Angelis affectu inhęreat, eos imitando & implorando.

3\. Deum solũ escam suam reputet in contẽplatione æternitatis.

4\. Doctrinæ Dei fideliter innitatur pro hac & alterâ vitâ.

5\. Christũ in gloriâ diuinâ intueatur.

6\. Sed hîc de longè videt quidquid videt contemplatiuus; ideò non optet videre Deum vt in cælo videtur, quamdiu adhuc in terrâ viuit.

Idem

Idem beatus Pontifex Gregorius Libro trigesimo primo capite decimosexto suæ Moralis expositionis in Iob, super his Domini verbis, Vbi audierit buccinam (*scilicet equus, id est, fortis quisque Prædicator*) dicit Vah, *scribit in hunc modum:*

Iob 39.

7. *Prædicator fortis & fidelis exultat, cùm pro veritate dura patitur aut mortem subit, non tamen absque carnis infirmæ trepidatione.*

His profectò verbis ostenditur, quòd hoc loco à Domino de equo irrationali nihil dicatur: neque enim Vah dicere brutum animal potest; sed dum asseritur dicere, quod omnino dicere non valet, innuitur quem designet. Vah quippe, sermo exultationis est. Equus ergo cùm audit buccinam, Vah dicit; quia fortis quisque Prædicator, cùm certamen passionis sibi propinquare considerat, de exercitio virtutis exultat: nec terretur pugnæ periculo, qui victoriæ lætatur triumpho. Equo itaque est Vah dicere, Prædicatorem sanctum de venturâ passione gaudere. Sed Prædicator fortis gloriam passionis appetit, si discrimen mortis subire pro Domino quærit; quid est quòd ipsi fortissimo Prædicatori (qui ex robusto corde virtutem traxit nominis,) Petro Veritas dixit, Cùm senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis? Quomodo de passione gaudet, qui cinctus ab alio, ire quò ducitur non volet? Sed si pensamus qualiter animus, appropinquante passione & mortis metu, quatitur, & tamen de venturo regni præmio lætatur; intelligimus quomodo gloriosi certaminis subire periculum volens nolit: quia & in morte considerat quòd tolerans paueat, & in fructu mortis aspicit quod appetens quærat. Videamus Paulum, quomodo amet quod refugit, quomodo refugiat quod amat. ait enim, Desiderium habens dissolui, & cum Christo esse: &, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: & tamen dicit, Qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus grauati, eò quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est, à vitâ. Ecce & mori desiderat, & tamen carne exspoliari formidat. Cur hoc? Quia etsi in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna perturbat: & quamuis vincat amor subsequentis muneris, tangit tamen mœrore animum pulsus doloris.

In Petro & Paulo videat hic Prædicator in angustijs martyrij ante crucē & mortem stans sensualitatem quidem timidè retrahentem, sed rationē & partem voluntatis superiorem fidei & charitatis brachijs auidè amplexantē.

Ioan. 21.

Philip. 1.

2. Cor. 5.

8. *Exemplo viri fortis, qui in prælij procinctu palpitat & tremit; at in conflictu festinat & sæuit: & ægroti, qui amarā potionē gustu abhorrente sanitatis amore sumit.*

Sicut enim vir fortis, cùm vicino iam belli certamine armis accingitur, & palpitat, & festinat, tremit & sæuit; quasi pauere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer vrgetur: ita vir sanctus, cùm passioni se propinquare conspicit, & naturæ suæ infirmitate concutitur, & spei suæ soliditate roboratur; & de vicinâ morte trepidat, & tamen quòd moriendo veriùs viuat, exultat. ad regnum quippe non potest nisi interpositâ morte transire: idcircò & confidendo quasi ambigit, & quasi ambigendo confidit; & gaudens metuit, & metuens gaudet: quia scit quòd ad brauium quietis non perueniat, nisi hoc quod interiacet, cum labore transcendat. Sic nos, cùm morbos à corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus, certi autem de subsequenti salute gaudemus. Quia enim peruenire corpus aliter ad salutem non valet, in potu libet etiam quod tædet: cumque amaritudini inesse vitam animus conspicit, mœrore turbatus hilarescit. Dicatur ergo, Vbi audiuerit buccinam, dicit, Vah: quia Prædicator fortis cognito certaminis nuntio, etsi vt homo ad vim percussionis trepidat, per spei tamen certitudinem ad præmium remunerationis exultat.

CAPVT XVII.

Ex Libro trigesimo quinto capite decimotertio Moralis expositionis in Iob, de tribus filiabus Iob, de quibus scriptum est, Vocauit (*scilicet ipse Iob, typum Domini gerens*) nomen vnius Diem, & nomen secundæ Casiam, & nomen tertiæ Cornustibij. Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersâ terrâ: deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum. Iob 42.

Status innocentiæ, gratiæ, & gloriæ.

1. *Tres status siue dotes naturæ humanæ per tres filias Iob adumbrantur: innocentia originalis, iustitia gratiæ & bonorum operum in hac vitâ, & gloria post resurrectionem:*

2. *Ad quam non peruenitur, nisi per pulchritudinem virtutum in fide Christi fundatam.*

3. *Non tamen soli perfecti virtutibus, sed etiam imperfecti habent in Ecclesiâ locum & meritum:*

4. *Et habebunt in cælo gloriæ præmium vnicuique sufficiens quidem, sed dispar in participatione, pro disparitate in operatione.*

1. *Tres filiæ Iob, tres amabiles naturæ humanæ status significant; innocētia, gratia, gloria.*

QVIA genus humanum, & conditum luce innocentiæ claruit, & redéptum exercitio bonorum operum odorem suauitatis aspersit, prima filia Iob rectè Dies: secunda non incongruè Casia (quæ est herba seu frutex suauissimi odoris) nominatur: quia verò idem genus humanum etiam carnis resurrectione est renouatum, in illo concentu æternæ laudis assumitur tertia filia, quæ Cornustibij vocatur. Quid enim per Cornustibij; (*hanc vocem beatus iste Pontifex Gregorius ex cornu & tibiâ compositam esse intelligit: alij à cornu & stibio, quo oculi ad elegantiam, nitorem, & claritatem pingi solent, deriuant*) nisi lætantium cantus exprimitur? Ibi enim veraciter adimpletur,

Psal. 95. impletur, quod per Prophetam dicitur, Cantate Domino canticum nouum. Ibi, inquam, hoc veraciter adimpletur, vbi canticum laudis Dei non iam ex fide, sed ex specie contemplatâ cantatur. Ibi à nobis Conditor noster laudum suarum veraces cantus recipit, qui humanum genus & condendo Diem, & redimendo Casiam, & assumendo Cornustibij, fecit. Qui enim lux fuimus conditi, & nunc sumus casia redempti; erimus quandoque cornustibij, in exultatione æternæ laudis assumpti.

2. *Ad gloriā non peruenitur, nisi per gratiā Christi, virtutesq; in eo fundatas.* * Similitudine sponsę depingitur hic animarū sanctarum interna pulchritudo & ornatus.

Sed priusquam ad nuptiarum thalamum sponsa perueniat, * omnem à se vitæ fœditatem respuit: & sponsi amori præparans, sese per species virtutum comit. Studet quippe interni arbitrij iudicio placere, & intimis desiderijs subleuata, fœdos mores conuersationis humanæ transcendere. Vnde benè & de eisdem filiabus beati Iob subditur, Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersâ terrâ. Electorum quippe animæ, omne humanum genus quod in terrâ secundùm hominem conuersatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt: quantoque se exteriùs affligendo despiciunt, tantò se veriùs intus componunt. Hinc est enim quòd sanctæ Ecclesiæ, quæ electorum pulchritudine decoratur, per Psalmistam dicitur, Concupiuit Rex speciem tuam. (Psal. 44.) De quâ paulò pòst subditur, Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Nam si foris gloriam quæreret, intus speciem, quam Rex concupisceret, non haberet.

3. *Etiam imperfecti bonæ volūtatis in Ecclesiâ sanctâ computantur.*

In quâ quidem sanctâ Ecclesiâ, quamuis multi virtutum decore fulgeant, atque ipsâ viuendi perfectione ceterorum merita excedant: nonnulli tamen, quia ad altiora assequenda non sufficiunt, infirmitatis suæ conscij, pietatis eius gremio continentur. Qui, in quantum præualent, mala vitant: quamuis, in quantum appetunt, altiora bona non impleant. Quos tamen benignè Dominus suscipit, eosque apud se pro modo dignæ retributionis admittit. Vnde & sequitur, Deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum. Ipsæ ergo ex perfectorum merito speciosæ memorantur: ipsæ etiam quasi ex imperfectorum typo velut infirmæ hereditatem inter fratres accipiunt.

4. *Vnde & ipsis in cælo paratur beatitudinis præmiū; sed dispar, iuxta meritorum disparitatem.*

Vsus namq; vitæ veteris non habebat, vt hereditatem feminæ inter masculos sortirētur: quia legis seueritas fortia eligens, infirma contemnens, districta potiùs studuit, quàm benigna sancire. Sed pio nostro Redemptore veniente, nullus infirmitatis suæ conscius, de sortiendâ cælestis patrimonij hereditate desperet. Pater enim noster inter masculos etiam feminis iura successionis tribuit: quia inter fortes atque perfectos, infirmos & humiles ad sortem supernæ hereditatis admittit. Vnde ipsa Veritas in Euangelio dicit, In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Ioan. 14 Apud Patrem quippe mansiones multæ sunt: quia in illâ beatitudinis vitâ non dispari, vnusquisque iuxta meritum dispar, locum disparem percipit: sed eiusdem disparilitatis damna non sentit, quia tantum sibi, quantum perceperit, sufficit. Sorores ergo cum fratribus ad hereditatem veniunt, quia infirmi illuc cum fortibus admittuntur: quatenus si quis per imperfectionem non erit summus, ad hereditatis tamen sortem per humilitatem non sit extraneus. (1. Cor. 15. *Discant Nouatores varietatē vt meriti, ita præmij.*) Quas benè Paulus mansiones iuxta merita distributas insinuat, cùm ait, Alia claritas solis, & alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stellâ differt in claritate.

CAPVT XVIII.

Ex Homiliâ decimâ in Ezechielem Prophetam super his verbis: Abij amarus in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum confortans me. Ezech. 3.

Amaritudo temporalium in exilio vitæ dulcescit expectatione gloriæ.

1. *Dulcedo rerum temporalium gustanti spiritualia vertitur in amaritudinem.*
2. *Vnde oritur sancta indignatio, quòd temporalibus subsimus; & dolor, quòd a cælestibus absimus.*
3. *Neutrum tamen dolorem & indignationem sincerè & ex toto corde præstamus, nisi Spiritus sancti gratiâ roborati.*
4. *Mundus hic est desertum & exilium sponsæ Ecclesiæ à Sponso suo peregrinantis.*
5. *Vnde sancta anima toto conatu à sæculi negotijs fugiunt, vt ad Sponsum citiùs ascendant.*
6. *Duplex stola beatitudinis; vna est, gloria perfecta animæ etiam ante resurrectionem; alia, glorificatio corporis post resurrectionem.*

1. *Amarescunt tēporalia post gustū spiritualium.*

MENTEM quam Spiritus sanctus replet, in amaritudinem temporalium, delectatione æternorum commouet. Dulce enim est esse in rebus humanis, sed ei qui adhuc de cælestibus gaudia nulla gustauit: quia quantò minùs æterna intelligit, tantò delectabiliùs in temporalibus requiescit. At si quis iam cordis ore gustauerit, quæ sit illa dulcedo cælestium præmiorum, qui illi hymnidici Angelorum chori, quæ incomprehensibilis visio sanctæ Trinitatis: huic quantò illud dulce sit quod intus videt, tantò in amaritudinem vertitur omne quod foris sustinet. Rixatur secum

secum de his quæ malè egisse se recolit, & sibimetipsi displicet, cùm ei ille placere iam cœperit qui omnia creauit. Reprehendit se de cogitationibus, insequitur de verbis, & punit flendo de factis. Supernis inhiat, terrena iam omnia per mentis despectum calcat. Et quamdiu illud quod desiderat adhuc per speciem non habet, flere dulce habet, seseque continuis lamentis affligere. Et quia necdum se esse in patriâ, ad quam creatus est, videt, in huius vitæ exilio nihil ei plus quàm sua amaritudo placet.

2. *Propterea deuotus animus dolet se abesse à cælestibus, & subesse necessitati corporis.*

Dedignatur itaque subiacere temporalibus, & ardenter suspirat æternis. Vnde rectè quoque per Salomonem dicitur: Eò quòd in multâ sapientiâ multa sit indignatio, & qui apponit scientiam, apponit dolorem. (Eccli. 1.) Cælestia etenim cognoscentes, terrenis animum subdere dedignamur. Et dum plus sapere incipimus, de his quæ malè egimus, nobisipsis irascimur, & fit in multâ sapientiâ multa indignatio: quia quantò plus proficimus in cognitione, tantò nobis indignamur ampliùs de peruerso opere. Atque cum scientiâ dolor crescit: quia quantò magis æterna cognoscimus, tantò magis esse nos in huius exilij miseriâ dolemus. In multâ ergo sapientiâ multa est indignatio: quia si æterna iam sapimus, concupiscere temporalia dedignamur. Si æterna iam sapimus, nosmetipsos despicimus, & dolemus egisse hoc, quod nos potuit ab amore æternitatis separare. Reprehendit semetipsam conscientia, accusat quod egit, damnat per pœnitentiam quod accusat: fit rixa in animo, parturiens pacem cum Deo.

3. *Nemo tamen sic afficitur, nisi Spiritu sancto cor tangente, & confortante & eleuante.*

Sed sciendum, quia nullus hæc pro amore omnipotentis Domini ex toto corde agere præualet, nisi is cuius animum Spiritus sanctus assumpserit. Nam quando homo sufficiat ex suâ virtute terrena despicere, cælestia amare, pacem cum Deo quærere, secum rixam subire, in cogitatione semetipsum reprehendere, & gemitibus punire? Nullus hæc agere, nisi quem diuina gratia roborauerit, valet. Vnde & subditur: Manus enim Domini erat mecum confortans me. (Ezech. 3.) Ad bona quippe assurgere perfectè non possumus, nisi nos spiritus & præueniendo eleuet, & subsequendo confortet.

Idem Pater Gregorius in Expositione quam edidit in Cantica canticorum super his verbis, Quæ est ista quæ ascendit per desertum? *dicit:* (Cant. 3.)

4. *Anima sancta in terris, vt deserto, exulat, & peregrinatur à Sponso.*

In deserto, (vtique in hoc mundo) sancta quæque anima viuit, dum à regno exul inter bestias, videlicet dæmones, degit. Hîc enim etsi non omnino à Sponso deseritur, tamen quamdiu in carne est, nondum ad certam eius visionem admittitur, dum ab eo per exilia & tentationes peregrinatur: quia autem adhuc cum eo non regnat, deseri ab eo sibi videtur. Ob hoc semper laborat vt ascendat, vt quem valdè diligit magis ac magis sentiat: quatenus quoniam perfectè eum in deserto non tenet, vel ipso eius desiderio se reficiat: vt sic in viâ roborata, quandoque ad hoc quod diu concupiuit perueniat.

5. *Fugiat ergo affectus è mundo ad Sponsum in cælo.*

Sunt quippe nonnulli, qui dum omnia visibilia fastidiunt, mentem in cælestia erigunt: & quia in infimis nihil quod eis dulcescat conspiciunt, totum cor ad superna amanda conuertunt. Hi ab omnibus malis moribus se exuunt, censum mundi cum cupiditatibus contemnunt, spe ad inuisibilia tendunt: & quò ampliori desiderio illis inhærent, eò magis ac magis molestè corruptionem ferunt quam habent. Hi nimirum per desertum ascendunt: quia dum in hoc mundo inter tentationes viuunt, quò amplius, dum hîc morantur, deseri metuunt, eò quidem fortiùs ista deserunt, & feruentiùs ad illa gradiuntur: in quibus cùm fuerint, nihil amplius, quod eos amoueat, iam timebunt.

Rursum in Explanatione Septem Psalmorum pœnitentialium super his verbis, Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata, *ait:* (Psal. 50.)

6. *Animæ & corporis glorificatio, duplex stola beatitudinis, ex Dauidis Psalmo & Ioannis Apocalypsi.*

Tunc quidem verum & inæstimabile gaudium habituri sunt Sancti, cùm audituri sunt, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. (Matth. 25.) In eo autem, quòd ait, gaudium & lætitiam, duplicem Sanctorum venerationem intellige: qui visione claritatis Dei in illâ die, quantum cogitare non possumus, illustrati, sicut animarum perfruentur beatitudine, ita etiam corporis vestientur incorruptione. De ipsis enim scriptum est, In terrâ suâ duplicia possidebunt. (Isa. 61.) Sancti etenim viri mundi gloriam mentis despectu calcantes, omnes in se carnales voluptates mortificant, vt in Deo postmodum perenniter viuant. Qui quoniam mundi miserias pro Deo pati minimè refugiunt, beatitudinis æternæ retributionem acquirunt. Quæ nimirum beatitudo & animabus eorum ante resurrectionem tribuitur, & corporibus nihilominùs post iudicium conferetur: sicut in Apocalypsi Ioannes Apostolus scribit, dicens: Vidi sub altari Dei animas, (Apoc. 6.) & datæ sunt eis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conseruorum & fratrum ipsorum. Quid namque est, singulas illis stolas albas tribuere,

buere, nisi animabus eorum beatitudinis æternæ immortalitatem conferre? Quid verò est, donec electorum numerus impleatur requiescere, nisi futuræ resurrectionis gloriam expectare? In quâ nimirum iterum singulas stolas albas accipient: quia immortalia & incorruptibilia corporum suorum vestimenta resument. Quia ergo sancti viri ad æternæ felicitatis præmia non solùm animâ, sed etiam corpore post iudicium transeunt: rectè de eis dicitur, quia in terrâ suâ duplicia possidebunt. Huius incrementa felicitatis Propheta intuens ait, Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Animarum nostrarum ossa virtutes sunt: quæ nimirum in hac vitâ humiliantur, quia assiduis tentationum impugnationibus indesinenter turbantur. (Iob 7.) Tentatio enim est vita hominis super terram. In æternâ autem vitâ non solùm inuictæ potestatis accipient fortitudinem, sed etiam nullam vitiorum aduersantium sentient impugnationem.

CAPVT XIX.

Ex Homiliâ decimâ quintâ in Ezechielem Prophetam super his verbis: (Ezech. 40.) Mensus est thalamum vno calamo in longum, & vno calamo in latum; & inter thalamos quinque cubitos.

Anima fidelis, thalamus Christi.

1. *Animæ fideles amore Christi sauciæ, ipsius thalami sunt.*

2. *Eò æquanimiùs patiuntur eius aspectum & amplexum differri, quò plures animas secum ad Sponsum optant adducere.*

3. *Longitudo thalami æqualis latitudini; quantus amor Dei, tantum studium de profectu proximi; & tanta longanimitas patientiæ, quanta latitudo charitatis.*

4. *Etiam animæ imperfectæ, licet nondum sint thalami, quia tamen in charitate perseuerant, ad gloriosum Christi palatium spectant.*

5. *Pulchra varietas membrorum Ecclesiæ, perfectorum, proficientium, & inchoantium.*

6. *Vnde imperfectorum summa consolatio, quia etiam ipsi pertinent ad ferculum Christi.*

7. *Non semper proficiuntur perfectiones, per quas tamen etiam perfecti custodiuntur.*

1. *Christus thalamum habet in animâ sanctâ amore Dei vulneratâ.*

QVI sunt in sanctâ Ecclesiâ thalami, nisi eorum corda in quibus animæ per amorem Sponso inuisibili iunguntur, vt eius desiderio mens ardeat, nulla iam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, & amoris amplexu in cælestis Sponsi visione requiescere? Mens itaque, quæ iam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit: sed ad illam quam diligit medullitus suspirat, feruet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipsa salus sui corporis: quia transfixa est vulnere amoris. Vnde & in Canticis dicit, Vulnerata charitate ego sum. (Cant 4.) Mala autem est salus cordis, quæ dolorem huius vulneris nescit. Cùm verò anhelare iam in cælesti desiderio, & sentire vulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ priùs ægrotabat ex salute.

2. *Vnica consolatio dilata beatitudinis, est spes alios ad Spõsum perducendi, vnde semet solantur zelatores animarum.*

Menti autem Sponsum suum fortiter amanti, de amore vitæ præsentis vna solet esse consolatio; si per hoc quòd ipsa ab eius visione differtur, aliorum animæ eius verbo proficiant, & ad cælestem Sponsum amoris facibus inardescant. Mœret: quia differri se conspicit. Triste est ei omne quod aspicit: quia illum adhuc non videt quem videre concupiscit. Sed est, vt dixi, non parua consolatio, si feruens anima differtur, & per eam multæ colliguntur: vt tardè eum cum multis videat, quem sola videre citiùs volebat. Vnde rursus in Cantico Sponsa dicit, (Cant.2.) Fulcite me floribus, stipate me malis, quià amore langueo. (*Flores sunt imperfectæ animæ.*) Quid namque sunt flores, nisi animæ bonum iam opus inchoantes, & desiderium cæleste redolentes? Quid mala de floribus, nisi perfectæ iam bonorum mentes, quæ ad fructum perueniunt boni operis de initio sancti propositi? (*Mala, animæ perfectæ.*) Quæ ergo amore languet, fulciri quærit floribus, stipari malis: quia si illum, quem desiderat, videre adhuc non permittitur; magna est ei consolatio, si aliorum profectibus lætetur. (*His fulcitur anima cadens in deliquium ob dilatos Sponsi amplexus.*) Anima ergo sancta amore languida, floribus malisque fulciatur, vt requiescat in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei. Pensemus ergo qualis thalamus Pauli mens fuerat, qui dicebat: (Philip. 1.) Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Omnipotenti Deo quantum se amore coniunxerat, qui sibi vitam Christum tantummodò, & mori lucrum esse deputabat? Hinc est quod iterùm dicit: Desiderium habens dissolui, & cum Christo esse, multò magis melius. Sed ecce, qui dissolui desiderat, quo amore langueat videamus. Quia interim differri te conspicimus, fulciri quæso floribus non requiris? Quærit planè; nam sequitur, Permanere autem in carne necessarium propter vos. Et proficientibus discipulis dicit: (1. Thess. 2.) Quæ est enim nostra spes aut gaudium aut corona gloriæ? Nónne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum?

Hinc

3\. *Quantum crescit in animâ amor Dei, tantum & proximi dilectio. Tanta etiam est patientia erga proximos, quanta in Deum charitas.*

Hinc est quòd idem thalamus vno calamo in longum, & vno calamo in latum dicitur mensus. Longitudo quippe ad longanimitatem expectationis pertinet, & latitudo ad amplitudinem charitatis. Tantum ergo vnusquisque thalamus habet in longitudine, quantum & in latitudine habere potuerit: quia mens cælesti desiderio succensa, quantum amorem habuerit ad colligendum proximum, tantam & longanimitatem exhibet ad expectandum Deum: & patienter portat moras longitudinis, quia se in profectu proximi dilatat amplitudo charitatis. Potest etiam ipsa longitudo longanimitatem patientiæ, quæ exhibetur proximo, designare. Et quia latitudo charitatem signat, quæ sinum mentis aperit, & amicos simul atque inimicos in amorem recipit, tanta est longitudo thalami, quanta latitudo: quia quantum lata mens fuerit per amorem, tantum erit & patiens per longanimitatem. Nam tantum quisque portat proximum, quantum amat. Si enim amas, portas: si desistis amare, desistis tolerare. Quem enim minùs diligimus, minùs etiam toleramus: quia irruente fastidio, citiùs facta proximi adducuntur in grauedinem ponderis, quæ nobis non leuat penna charitatis.

4\. *Imperfectæ animæ, licet non sint thalami, tamen per vnionem charitatis etiam ad ædificium cæleste pertinent.* Apoc. 1.

Sequitur, Et inter thalamos quinque cubitos. Vnum supra thalamum dixerat, postmodum quinque cubitos esse inter thalamos narrat: eâ videlicet ratione, quia multi thalami vnum faciunt, sicut & multæ Ecclesiæ vna Ecclesia vocatur. Vnde & in Ioannis Apocalypsi septem Ecclesijs scribitur, per quas vna Catholica designatur. Hi itaque qui in sanctâ Ecclesiâ (sicut diximus) feruenti amore Deum videre sitiunt, eique iam per desiderium coniunguntur, thalami vocantur. Sed tamen sunt in eâ quidam qui penetrare subtilia non valentes, & quinque adhuc corporis sensibus depressi, tantò minùs amant eum qui fecit omnia, quantò ampliùs in his quæ facta sunt illigantur. Et iam quidem exercere se in timore Domini, & amore proximi se extendere student, bona opera corporaliter agere, eleëmosynis peccata redimere: sed quia vi amoris intimi ardere ad cæleste desiderium nesciunt, quasi adhuc deuincti corporeis sensibus tenentur. Isti itaque thalami non sunt, sed tamen inter thalamos continentur: quia per eorum ducatum, qui visionem Dei perfectè diligunt, & ipsi ad profectum mentis diriguntur. Inter thalamos ergo quinque sunt cubiti; quia hi, qui ab exterioribus quinque sensibus adhuc ad intellectum mysticum non assurgunt, dum inter eos sunt qui spiritu amoris feruent, velut manentes inter thalamos in fidei constructione proficiunt, & à mensurâ cælestis ædificij disiuncti non sunt. Nam & paulatim se ab appetitu corporalium sensuum subtrahunt: & dilatato mentis spatio imitantes charitatem, quam conspiciunt, hinc inde ad thalamos extenduntur. Quòd ergo non per sex cubitos, sed per quinque descripti sunt, ipsa adhuc eorum imperfectio designatur. Sed tamen per bonum desiderium in mensurâ spiritalis ædificij esse memorantur, quia ex voce Ecclesiæ per Psalmistam dicitur: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. (Psal. 138.) Qui Psalmista iterùm dicit: Benedixit omnes timentes se Dominus, pusillos cum maioribus. (Psal. 113.) Hi itaque & imperfecti sunt & pusilli: in quantum tamen cognoscere præualent, & Deum & proximum diligunt: atque ideò bona, quæ possunt, non negligunt operari. Qui etsi necdum ad spiritalia dona proficiunt, vt vel ad perfectam operationem, vel ad succensam contemplationem animam exserant; tamen ab amore Dei & proximi (in quantum præualent) non recedunt. Vnde fit vt ipsi quoque, etsi minori loco, in sanctâ tamen ædificatione sint positi: quia etsi ad doctrinam, si ad prophetiam, si ad miraculorum gratiam, si ad contemptum mundi plenius exequendum fortasse minores sunt; tamen in timoris & amoris fundamento sunt, in quo solidantur: quia etsi igne cælestis desiderij non ardent, in ipsis exterioribus, quæ exercere sufficiunt, vapore charitatis animantur, & inter proximorum præcellentium ædificia continentur.

5\. *Varietas membrorũ & vocationum in Ecclesiâ; ab Allegoriâ ferculi Salomonis ex varijs partibus confecti.* Cant. 3.

Vnde & rectè sponsa in Canticis canticorum loquitur, dicens: Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: mediâ charitate constrauit propter filias Ierusalem. Salomon, videlicet pacificus noster, sibi de lignis Libani ferculum fecit: Libani quippe ligna cedrina, valdè sunt imputribilia. Ferculum itaque Regis nostri, sancta Ecclesia est, quæ de fortibus Patribus, id est, de imputribilibus mentibus, est constructa. Quæ rectè ferculum dicitur, quia ipsa fert quotidie animas ad æternum conuiuium Conditoris sui. Cui ferculo columnæ argenteæ factæ sunt: quia Prædicatores Ecclesiæ sanctæ, eloquij luce resplendent. Est autem cum columnis argenteis reclinatorium aureum; quia per hoc quod à sanctis Prædicatoribus lucidè dicitur, mentes audien-

dientium fulgorem charitatis intimæ, in quâ reclinentur, inueniunt. Per hoc enim quòd luculentè & apertè audiunt, in illud quod clarescit in corde requiescunt. Columnæ ergo argenteæ & reclinatorium aureum factum est; quia per lucem sermonis inuenitur apud animum claritas quietis. Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo; quia ad clarum quod intus aspicitur, per tribulationem sanguinis peruenitur.

6.

Etiam imperfectæ animæ pertinent ad ferculum Salomonis, si mediocri charitate ament Deum quantum possunt.

Quid ergo nos miseri, atque ab omni fortitudine destituti, quid acturi sumus? Ecce in hoc ferculo columna esse non possumus; quia in nobis nec fortitudo operis, nec lumen emicat prædicationis. Reclinatorium aureum non habemus; quia necdum, sicut oportet, per intellectum spiritalem requiem internæ claritatis aspicimus. Ascensus purpureus non sumus; quia pro Redemptore nostro fundere sanguinem non valemus. Quid ergo de nobis agendum est? Quæ spes erit, si nullus ad regnum peruenit, nisi qui summis virtutibus præditus fuerit? Sed adest quoque nostra consolatio. Amemus, in quantum possumus, Deum, diligamus & proximum; & simul quoque nos ad Dei ferculum pertinemus: quia, sicut illic scriptum est, Mediâ charitate constrauit. Habe quippe charitatem, & ibi sine dubio pertines, vbi & columna argentea erigitur, & ascensus purpureus tenetur. Nam quia hoc propter nostram infirmitatem dicitur, apertè monstratur, cùm illic protinus subdidit, Propter filias Ierusalem. Sermo etenim Dei, qui non filios, sed filias dicit, quid aliud per sexum femineum, quàm mentium infirma signauit? Quòd ergo illic inter columnas argenteas, inter reclinatorium aureum, & inter ascensum purpureum, inesse media charitas dicitur propter filias Ierusalem; hoc hîc inter thalamos per quinque cubitos designatur: quia & qui in virtutibus infirmantur, si ipsi bona, quæ possunt, facere cum charitate non negligunt, à Dei ædificio alieni non sunt.

7.

Qui aliis præficiuntur, non semper excellunt contemplationis gratiâ, præ subditis quibus præsunt; ex Allegoriâ Tabernaculi Moysaici.

Idem Pater Gregorius Libro vigesimo quinto capite decimo sexto suæ Moralis expositionis in Iob, ait:

Sæpè misericors Deus, quò suos tenerè diligit, eò sollicitè ab externis actionibus abscondit. Nam & plerumque paterfamilias ad eum laborem seruos dirigit, à quo subtiliùs filios suspendit: & inde filij sine vexatione decori sunt, vnde serui in puluere fœdantur. Quod quàm rectè in Ecclesiâ diuinitus agatur, ipsâ tabernaculi constructione signatur. Ad Moysen quip-

Exod. 15.

pe diuinâ voce præcipitur, vt ad tegenda interiùs Sancta sanctorum ex bysso, cocco, atque hyacintho vela texantur: iussumque est, vt ad protegendum Tabernaculum, vela cilicina & pelles extenderet, quæ nimirum vel pluuias, vel ventos, vel puluerem tolerarent. Quid ergo per pelles & cilicia, quibus Tabernaculum tegitur, nisi grossas hominum mentes accipimus? quæ aliquando in Ecclesiâ occulto Dei iudicio, quamuis duræ sint, præficiuntur. Quæ quia seruire curis temporalibus non timent, oportet vt tentationum ventos & pluuias de huius mundi contrarietatibus portent. Quid verò per hyacinthum, coccum byssumque signatur, nisi Sanctorum vita tenera, sed clara? quæ dum cautè in tabernaculo sub cilicijs & pellibus absconditur, in suâ integrâ pulchritudine seruatur. Vt enim in interiora Tabernaculi byssus fulgeat, coccus coruscet, hyacinthus cæruleo colore resplendeat; desuper pelles & cilicia, imbres, ventos & puluerem portant. Qui igitur magnis virtutibus in sanctæ Ecclesiæ sinu proficiunt, Præpositorum suorum vitam despicere non debent, cùm vacare eos rebus exterioribus vident: quia hoc quòd ipsi securi intima penetrant, ex illorum adiumento est, qui contra procellas huius sæculi exteriùs laborant. Quam enim candoris sui gratiam retineret, si byssum pluuia tangeret? aut quid fulgoris atque claritatis coccus vel hyacinthus ostenderet, si hæc susceptus puluis fœdaret? Sit ergo desuper textura cilicij fortis ad puluerem, sit interiùs color hyacinthinus aptus ad decorem. Ornent Ecclesiam, qui solis rebus spiritualibus vacant: tegant Ecclesiam, quos & labor rerum corporalium non grauat. Nequaquam ergo contra Rectorem suum exteriora agentem murmuret is, qui intra Ecclesiam sanctam iam spiritaliter fulget. Si enim tu securè interiùs vt coccus rutilas, cilicium, quo protegeris, cur accusas?

Præpositi minus perfecti non debẽt contemni à perfectis contemplatoribus: cùm isti per illorũ curas nutriantur & conseruentur.

CAPVT XX.

Ex Homiliâ decimâ sextâ in Ezechielem super his verbis, quæ in Cantico canticorum habentur: Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hiems transijt, *&c.*

Beatitudinis cælestis magnitudo.

1. *Felicissimus status animæ beatæ.*
2. *Quidquid fit pro hoc sæculo, perit: quod pro futuro, semper manet.*
3. *Quàm vilis & misera sit hæc vita, comparata vitæ cælesti.*

4. *Bre-*

4. *Breuis & summaria descriptio beatitudinis æternæ.*

5. *Ardens & deuota ad eam quærendam incitatio.*

1. *Status felix beatarum mentium, vt floridum ver post tristem hiemem.*

SANCTÆ Ecclesiæ, veri luminis diem quasi tempus vernale præstolanti, per Sponsi vocem dicitur: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hiems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terrâ. Siue enim sancta Ecclesia, seu vnaquæque electa anima, cælesti Sponso est amica per amorem, columba per Spiritum, formosa per morum pulchritudinem. Quæ cùm iam de corruptione carnis ducitur, ei proculdubiò hiems transit: quia præsentis vitæ torpor abscedit. Imber quoque abit & recedit: quia cùm ad contemplandum in suâ substantiâ omnipotentem Deum educitur, iam verborum guttæ necessariæ non erunt, vt pluuia debeat prædicationis infundi. Nam quod minùs audire potuit, amplius videbit. Tunc apparent flores in terrâ: quia cùm de æternæ beatitudinis vitâ quædam suauitatis primordia prægustare anima cœperit, quasi iam in floribus bonum illud incommutabile odorata exit, quod (postquam egressa fuerit) in fructu vberius habebit. Vnde & illic subditur, Tempus putationis aduenit. In putatione quippe sarmenta sterilia reciduntur; vt ea quæ præualent, vberiùs fructum ferant. Nostræ itaque putationis tempus tunc aduenit, quando infructuosam ac noxiam corruptionem carnis deserimus, vt ad fructum animæ peruenire valeamus. Qui fructus nobis erit vberrimus, visio Dei.

Idem Pater Gregorius Homiliâ vigesimâ septimâ in Euangelia super his verbis, Et fructus vester maneat, *ait:* Ioan. 15.

2. *Id solùm perseuerat, quod procælo facimus; quia solus cæli fructus manet.*

Omne quod secundùm præsens sæculum laboramus, vix vsque ad mortem sufficit. Mors namque interueniens, fructum nostri laboris abscindit. Quod verò pro æternâ vitâ agitur, etiam post mortem seruatur: & tunc apparere incipit, cùm laborum carnalium fructus cœperit non videri. Ibi ergo illa retributio inchoat, vbi ista terminatur. Quisquis igitur iam æterna cognouit, apud eius animum temporales fructus vilescant. Tales fructus operemur qui maneant: tales fructus operemur, qui (cùm mors cuncta interimat) ipsi exordium à morte sumant. Nam quòd à morte incipiat fructus Dei, testatur Propheta, qui
Psal. 126. dicit, Cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hereditas Domini. Omnis qui dormit in morte, perdit hereditatem terrenam; sed cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hereditas Domini, quia Electi Dei postquam peruenerint ad mortem, tunc inueniunt hereditatem.

Et Homiliâ trigesimâ septimâ in Euangelia dicit:

3. *Miseria sæculi, comparatione paradisi.*

Si consideremus, fratres charissimi, quæ & quanta sint quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Terrena namque substantia, supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quàm quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ felicitatis quanta sint gaudia: Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?

Rursum Homiliâ decimâ quartâ in Euangelia super his verbis, Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet, *scribit in hunc modum:* Ioan. 10.

4. *Typica delineatio beatitudinis æternæ per epitomen.*

Ingredietur ad fidem, egredietur verò à fide ad speciem, à credulitate ad contemplationem: pascua autem inueniet in æternâ refectione. Oues ergo eius pascua inuenient: quia quisquis illum corde simplici sequitur, æterno viriditatis pabulo nutritur. Quæ autem sunt istarum ouium pascua, nisi interna gaudia semper virentis paradisi? Pascua namque electorum sunt, præsens vultus Dei: qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens vitæ cibo satiatur. In istis pascuis de æternitatis satietate lætantur, quia iam laqueos voluptuosæ temporalitatis euaserunt. Ibi hymnidici Angelorum chori, ibi societas supernorum ciuium, ibi dulcis solemnitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntium; ibi prouidus Prophetarum cœtus, ibi iudex Apostolorum numerus, ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, tantò illic lætior, quantò hìc duriùs afflictus; ibi Confessorum constantia, præmij sui perceptione consolata; ibi fideles viri, quos à virilitatis suæ robore voluptas sæculi emollire non potuit; ibi sanctæ mulieres, quæ cum sæculo & sexum vicerunt; ibi pueri, qui hìc annos suos moribus transcenderunt; ibi senes, quos hìc & ætas debiles reddidit, & virtus operis non reliquit.

5. *Exhortatio fortis*

Quæramus ergo, fratres charissimi, hæc

S. GREGORIVS MAGNVS. *& salubris, ad beatitudinem totis votis quærendam.*

pascua, in quibus cum tantorum ciuium solemnitate gaudeamus. Ipsa nos lætantium festiuitas inuitet. Ecce in cælestibus electorum ciuium lætitia agitur, vicissim de se omnes in suo conuentu gratulantur: & tamen nos ab amore æternitatis tepidi, nullo desiderio ardemus, interesse tantæ solemnitati non quærimus: priuamur gaudijs, & læti sumus. Accendamus ergo animum, fratres, recalescat fides in id quod credit, inardescant ad superna nostra desideria. Ab internæ solemnitatis gaudio, nulla nos aduersitas reuocet: quia etsi quis ad locum propositum ire desiderat, eius desiderium quælibet viæ asperitas non immutat: nulla nos prosperitas blandiens seducat; quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliuiscitur ire quò tendebat. Toto ergo desiderio ad supernam patriam animus anhelet, nihil in hoc mundo appetat, quod constat, quia citiùs relinquat: vt si cælestis pastoris veraciter oues sumus, quia in viæ delectatione non figimur, æternis pascuis in peruentione satiemur: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LVDO-

LVDOVICI BLOSII PSYCHAGOGIAE APPENDIX EX RVPERTO ET ALIIS SELECTA.

CAPVT I.

Amor Dei. Beatitudo. Vocatio gentium.

1. *Tenerrimus amor Dei erga Sanctos de pugnâ seculi in beatitudinem cæli receptos.*
2. *Beatitudo nihil est aliud, quàm fluuius abundantissimus veræ cognitionis & amoris.*
3. *Amabile argumentum diuinæ laudis, quòd, qui erant tam longè à Deo, per gratiam ipsius ad regnum tamen peruenerint.*

Rupertus Abbas Tuitiensis super his verbis Apocalypseos, Agnus Dei, qui in medio throni est, reget eos *(videlicet Sanctos in cælum assumptos)* & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, *ita scribit:* Apoc. 7.

1. *Amor Dei erga Sanctos in suauissimâ eorum consolatione; ex similitudine matris filio dulcissimè blandientis.* Psal. 35.

ISTI fontes aquarum, ad quos deducet eos Agnus qui regit eos, illi sunt fontes, siue ille fons atq; torrens quem prospiciebat Psalmista cùm diceret, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ. Quis hæc explanare sufficiet? Quis dignè hæc tractabit aut exponet? Imò quis ista sensu percipiet? Qualem autem & quantum diuinæ charitatis affectum nobis intimare Scriptura laborat, dicendo, Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum? Deficimus in hac admiratione. Magnificentiùs exprimi non potuit multitudo consolationis, quæ in isto sæculo flentibus reposita illic est Sanctis & Electis Dei. Huiusmodi namque dictio à similitudine tracta est matris, quæ paruuli sui fletum ferre non sufficiens, oculos eius & faciem manu tergit, mulcet osculis. Pro intimando nobis tanto affectu suo, idem Deus in Prophetâ inter cetera dicit, Pueri Isa. 66. eorum in humeris portabuntur, & super genua consolabuntur. Statimque ad ipsos paruulos apostrophen facit, ac dicit eis: Quemadmodum mater consolatur filios suos, ita & ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini.

Item super his verbis Apocalypseos, Ostendit mihi flumen aquæ viuæ, splendidum quasi crystallum, *ipse idem Rupertus, loquens de gaudiis cælestis Ierusalem, scribit in hunc modum:* Apoc. 22.

2. *Beatitudo est flumen cognitionis & amoris.* Psal. 45. Isa. 66.

Illud flumen est abundantia lætitiæ & iucunditatis, de quâ Psalmista, Fluminis, inquit, impetus lætificat ciuitatem Dei. Et Isaias in consolatione filiorum huius Ierusalem ait, Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declino in eos vt flumen pacis, & vt torrens inundans gloriæ gentium. Ergo flumen istud Dominus est, & verè: quia Spiritus sanctus est. Spiritus sanctus est hoc flumen pacis, hic torrens gloriæ, hoc flumen lætitiæ, hic torrens voluptatis, & vbertas domus Dei. Ipse namque est amor Sponsi & Sponsæ in illâ gloriosâ ciuitate. Quid enim est tota illius vitæ vel ciuitatis beatitudo, nisi iste amor? De isto amore omnes sancti Angeli, & omnes omnium Sanctorum viuunt animæ. Idcircò cùm dixisset, Et ostendit mihi flumen, benè addidit, Aquæ viuæ. Et quia talis aqua viuificando illuminat atque confirmat, benè ait, Splendidum tamquam crystallum; in crystallo namque claritas est simul & firmitas; quæ sunt pulchra vitæ illius insignia, vbi & corda nostra translucebunt, & corpora nostra beatâ immortalitate, immortalique beatitudine firma erunt.

Apoc. 21. *Super his quoque verbis Apocalypseos,* Ambulabunt gentes in lumine eius, *(scilicet supernæ Ierusalem)* & Reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam, *ait prædictus Rupertus:*

3. *Miraculum diuini amoris in vocatione gentilium.* Ambulabunt gentes, inquit. Hoc dicto magnifica contingit atque commemorat beneficia, vel opera misericordiarum Domini. Non enim parum ponderis aut momenti habet, quod gentes appellat eos hîc, qui ambulant in tali lumine tam gloriosæ ciuitatis. Idem enim est ac si dicat: Illi, qui 1. Cor. 12. priùs erant gentes, ad simulacra muta, prout ducebantur, euntes, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo: Ephes. 2. illi, inquam, in tali ciuitate, in talis ciuitatis lumine ambulabunt, facti domestici Dei. Mirabuntur quippe, & ora ipsorum semper plena laudibus gratiæ Dei erunt, quòd de tam longinquo in illam sint ciuitatem Psal. 106. congregati, vtpote quos (vt dicit Psalmus) de regionibus Deus congregauit, à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari: de quibus etiam subiungitur, Errauerunt in solitudine, in inaquoso, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Horum tunc eos meminisse iuuabit, ambulantes per amplitudinem eiusdem magnæ ciuitatis; & ob hoc quòd talem ciuitatem inuenerunt, cantare Psal. 88. in æternum misericordias Domini. Nam hoc est, quod hîc protinus subiungit: Et Reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam. Reges terræ ijdem qui & gentes sunt: omnes enim illic regnabunt, omnes regnum & Sacerdotes Christi erunt. Regnabunt in sæcula sæculorum, & eiusdem regni sui gloriam & honorem afferent in illam, sempiternas agendo gratias illi qui fecit eis hæc, qui glorificauit eos immortali beatitudine animarum, & honorificauit eos beatâ immortalitate corporum.

CAPVT II.

Amor Dei erga nos, & noster erga Deum.

1. *Vnguentum effusum, Verbum est incarnatum.*
2. *Ex eo elucet ineffabilis amor Dei in nos:*
3. *Quo videlicet nobilitauit naturam nostram;*
4. *Et condemnatur ingratitudo nostra.*
5. *Fuit quædam exinanitio Maiestatis Diuinæ.*
6. *Primus gradus salutis est abnegatio sæculi.*
7. *Solus Christus desiderandus.*
8. *Pœnitentia semper exercenda.*
9. *Perfectorum exercitatio in piâ deuotione.*
10. *Perfecta sui abnegatio.*
11. *Myrrha mortificationis, thuribulum deuotionis.*
12. *Vnitas fidei, & charitas, munimenta animæ.*
13. *Soli Christo ostium animæ reserandum.*
14. *Vicissitudo consolationum & desolationum in Sanctis:*
15. *Non statim audiuntur, sed tempore commodo.*
16. *Arctissima debet esse cordis custodia.*
17. *Semper de Christo Sponso cogitandum & loquendum.*
18. *Eucharistiæ mirabilis efficacia.*
19. *Cupiditates abscindendæ.*
20. *Ad diem æternitatis semper anhelandum.*

Philo Græcus Carpathius Episcopus in Commentariolo quem scripsit in Canticum canticorum, dicit ea quæ sequuntur:

DVM diuina Scriptura vnguentum effusum vocat nomen Iesu Christi, immensam ipsius misericordiam atque pietatem erga nos ostendit. Tunc enim verè fuit effusum, cùm ipse sese nostrâ mortalitate contexit, vt nos suâ immortalitate donaret: tunc sese totum nobis per viscera suæ pietatis effudit, cùm pro nobis mori vel crudelissimè non recusauit. Hoc, hoc est nomen illud effusum, hæc summa charitas, hic ardentissimus amor Creatoris ad creaturam. Quale fuit, quæso, & quantum hoc est nomen suauissimum, mellifluum, planeque cæleste ac salutare? Lætare mater Ecclesia, tanti nominis tamque salutaris suauitate referta. Exulta Sponsa, diuinissimo hoc vnguento perfusa. Erumpe in gratiarum actiones: age iam diues, & clama, Vnguentum effusum nomen tuum, dilecte mi; vnguentum effusum nomen tuum, clementissime mi. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? 1. Cant. 1. *Verbum incarnatum, vnguentum diuinitatis in nos effusum.* Psal. 115.

Filius Patri coæternus, eiusdemque substantiæ atque naturæ cum Spiritu sancto, humanam carnem & integrum hominem suscepit. Tam ineffabili charitate vulneratus est Deus erga genus humanum, Creator omnium erga creaturam, summus erga infimum, æternus & immortalis erga temporarium & periturum, infinitus & immensus erga pusillum & angustum planeque breuissimum. O incomparabilem amorem! ô inauditam charitatem! ô maximè infinitam Dei misericordiam summamque pietatem! Quis te non vehementer amet ac colat, summe Deus, amabilissime Iesu, clementissime Redemptor? Saxeus ac ferreus, adamantinus ille prorsus ac miser & miserabilis, qui non te vnum vehementer cupit, te adorat, tibi seruit, tibi semper adhæret, ad teque vnum tandem peruenire contendit. 2. *In tantâ incarnationis dignatione, Dei ineffabilis amor prouocans amorem nostrum.*

Parum profuerat benignissimè creasse, nisi nos clementissimè redemisset Deus. Quàm nobilis facta est creatura rationalis, postquam summum Deum Auctorem omnium suæ mortalitatis meruit habere participem? 3. *Nobilitatur inde natura nostra, cuius immortalitatem Deus voluit participare.*

cipem? vt iure dicere iam possit, Deus homo, & homo Deus. Quis audiens non totus inflammetur? Quis intelligens non inardescat in illum redamandum, colendumque sanctissimè? Ingratissimus ille prorsus, planeque lapideus, & omnis humanitatis expers, qui talem ac tantum Creatorem & Redemptorem suum non studiosissimè veneratur & colit.

4. *Exprobrat ingratitudinem & superbiam & auaritiam nostram tanta Dei charitas.* Matth. 15.

Rex cælestis immensæ charitatis ardore victus, & ineffabili magnitudine suæ bonitatis, ad mortalia & dolorifica voluntariè accessit: vtque nos suâ immortalitate donaret, nostrâ est mortalitate vestitus, nusquam nos deserens, nullibi destituens, sed vbique fouens ac tuens: ait enim, Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. O incomparabilem vim amoris! ô summam bonitatem! ô infinitam sapientiam! Quid te, Domine, mouit ad hominē creandum? quid rursus ad eumdem redimendum? Solus amor. Hæc quæso parumper animaduertite ingrati, hæc cogitate superbi, hæc meditamini auari. Videte carnales, an maior vlla vis amoris esse possit, quàm quæ Domini nostri Iesu Christi erga nos fuit, extatque quotidie, & durat æterna. Deus immortalis, æternus, immutabilis, omnipotens, Creator omnium ac Rector, summa sapientia, cui cælum sedes, & terra scabellum pedum eius; qui cuncta pugillo virtutis suæ continet, nullius egens, amore victus hominis è cælo descendit, vterum Virginis ingressus, humanitatem nostram assumpsit, factus perfectus homo, idemque mortalis, qui semper increatus est & immortalis; factus passibilis, qui semper est immutabilis, vt nos à sempiternâ morte redimeret. Nos tamen immemores, nos ingrati atque superbi, tot ac tanta tamque immensa summi Dei beneficia & sempiterna, facilè obliuiscimur atque negligimus? O miseri, planeque calamitosi, quicumque Christianorum non hæc assiduè recordantur, eorumque auctorem Deum ipsum non sanctissimè colunt ac prædicant!

5. *Exinaniuit se Deus, pro salute hominum ingratorum tam indigna passus.* Philip. 2.

Christus Iesus vniuersam suam pro amore nostri despexit dignitatem, æternum illud imperium (vt ita loquamur) exutus & potestatem, egentissimus rerum humanarum pro nobis factus, formam serui accipiens, à Scribis & Pharisæis Herodeque contemptus atque despectus, illusus & consputus, flagellis tortus, & inter peccatores crudelissimè tandem occisus, eorumque simillimus falsissimè iudicatus. O immensam immortalis Regis & Conditoris omnium erga mortalem seruum charitatem! O ingratissimum genus humanum, quòd talem ac tantum Redemptorem tuum non ardentissimè redamas ac colis, pro eoq; non vnam mortem, sed mille libentissimè non desideras! quandoquidem hi felicissimè semper obeunt, qui pro Deo voluntariè pati non detrectant.

6. *Abnegatio sæculi, gradus primus ad salutarem sapientiam & cæli desiderium.*

Hic est primus veluti gradus ad salutem & veram sapientiam, despicere terrena omnia, vt cælestia consequamur; sponte relinquere quæ diu retineri non possunt, mortalia cuncta fugere, vt æternis non indigni omnino esse iudicemur. Væ væ amatoribus huius sæculi, væ cupientibus hîc delectari! Ad cælestem patriam festinare iubemur: illuc studio & voluntate gradi, eò dirigere cogitatus nostros omnes, illic mente versari ac pasci: nec aliud quidquam dies ac noctes meditari ac velle, quàm summo illi bono semper inhærere. Tunc enim verè felices atque beati futuri sumus in sempiternum, cùm illo solo sine fine fruemur: testante Dauid qui ait, Tunc satiabor Domine, cùm mihi apparuerit gloria tua. Psal. 16.

7. *Nihil desidera nisi Christum Sponsum, ô castissima sponsa.* 1. Cor. 3.

Christianos hortari necesse est, vt posthabitis atque relictis omnibus, nihil aliud in vitâ hac periturâ appetant, quàm cælestem illum Sponsum reuelatâ facie tandem aliquando intueri posse, à quo fideles amici sui omnes, & castissimæ quæque Sponsæ, vbertate Diuinitatis suæ inebriantur, & torrente voluptatis suæ perfruuntur. Apud hunc enim solum fons vitæ manat, & in lumine gratiæ suæ videri potest. Psal. 35.

8. Cant. 5. *Quotidianâ pœnitentiâ pedes suos sponsa lauat.*

Pedes suos Sponsa lauit, cùm præterita suæ vitæ errata correxit, quotidieque commemorando quæ deliquerit, assiduis lacrymis se purgat, suspirat ac gemit, doletque vehementer se contra legem Domini dissolutè ambulasse, turpia concupiisse, inhonesta atque iniusta peregisse, nihil boni, nihil sancti à se factum esse. Studet mundari pœnitentiâ, vt immaculata aliquando Sponso appareat, eique vitâ moribusque placeat in animi honesti quiete atque otio.

9. *Pietas est occupatio perfectorum.*

Sunt qui nullis vinculis huius profani sæculi annexi, non modò diuina mandata omnia implere studiosè curant ac sanctè, verùm etiam, posthabitis atq; relictis despectisque omnino cunctis rebus humanis, soli Deo placere, seruireque nituntur. Hi sacras litteras meditantur, frequenter orant, desiderio regni cælestis ardent, præterita sua delicta deflent, lacrymis se mundant: nihilque aliud student ac volunt, quàm Sponsum promereri semel & adipisci, cum eoque regnare in sempiternum. Hi non solùm de cælestibus potant, sed ad ebrietatem vsque felicissimè complentur. Videlicet hoc opus Spiritus sancti est, qui mentem, quam replet, illu-

illuminans irrorat, & irrorans illuminat: vt & de luce eius videat quid appetat, & de rore refrigeretur, ne turpiter incalescat.

10\. *Abnegatio sui suaue aroma coram Deo est; cùm spõsa optat inhærere Sponso.*

Sunt certè nonnulli adhuc in carne positi, qui dum omnia visibilia fastidiunt, mentem in cælestia attollunt: nihilque aliud optant ac student, quàm sese Sponso suo per intimos cordis affectus adiungere, in eoque solo delectari ac pasci, spretis omnibus rebus mundi, seque metipsis neglectis atque mactatis in corde, in carne, in actu & habitu, in omni denique opere ac verbo. Solo diuino amore accensi, veluti virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, à deserto in cælum ascendunt, odorem sanctitatis & bonæ famæ, subtilitatemque mentis & recti iudicij olentes. (Cant. 3.)

11\. *In myrrhâ notatur carnis mortificatio, & in thuribulo aromatum, sponsæ deuotio.*

Fidelis anima dum carnem suam à putredine vitiorum purgat ac seruat, dum omnes mundi voluptates continentiâ superat ac vincit, quasi myrrham mortuo corpori illinit, vt post iudicium à corruptione illâ æternâ integrum incorruptumque permaneat. Cùm verò se ad cælestia maiori desiderio accendit, depulsis à cordis cubiculo importunis cogitationibus quibusque, reiectisque curis omnibus & studijs rerum caducarum, cor suum ignitum veluti thuribulum coram Deo odoratissimum facit. In quo quidem corde dum per amorem virtutes colligit, quasi carbones in thuribulum congerit, quibus seipsam mens in conspectu Dei igne charitatis accendat. Dum feruentes & mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo exhalat: vt coram Sponso suauè redoleat, & proximos quosque ad eius amorem per bona exempla concitare non desinat.

12\. *Anima munitur præsidio fidei & charitatis in pugnâ cum hostibus.*

Dum Sponsa se fidei vnitate colligit ac tegit, charitateque munit, nullus aditus ad irruendum hosti patere potest, nullus ad expugnandum datur ingressus: sicque collecta in semetipsâ & conglobata, incolumis est omnino, pacifica atque tranquilla; nihilque aliud die noctuque meditatur ac studet, quàm mentis oculos vitæ sanctimoniâ tergere atque purgare; eosque ad supernam illam beatitudinis pacem visionemque conuertere.* Sed quoniam hîc nulli mortalium eam sicuti est videre datur (quis enim adhuc exul & peregrinus, corruptibilis, tamque longè à patriâ, lumen cælestis aulæ intueri possit & perlustrare?) idcircò dicitur Sponsæ tantæ lucis auidissimæ, paulisper expectandum, donec tempus illud aduenerit, quo præsens lumen ipsum, sicuti est, spectare poterit. Tunc enim Sponsa, non vt modò per speculum in ænigmate & veluti caliginoso aëre lucem ipsam æternam contemplabitur atque cognoscet, sed vti est & cognoscet & cognoscetur. (1. Cor. 13.) (1. Ioan. 3.)

* Vita præsens retardat spõsam ab amplexu Sponsi; ad quem nemo in hac cõtemplator admittitur.

13\. *Ostium animæ soli Christo ex amore aperiendum; qui etiam quærendus est à sposâ, si ab ostio abiuerit.* (Cant. 5. Luc. 24.)

Pessulum ostij cælesti Sponso reseramus, cùm depulsis illecebris vitiorum atque luxuriæ, in amorem Iesu Christi nos totos expandimus: nihilque Sponso venienti obsistimus, sed illi soli pulsanti aperimus, ipsumque nobiscum perpetuò inhabitare rogamus, clamantes, Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit. Et quoniam, dum in hac mortali carne sumus, non id perfectè statim facere possumus (nemo enim, vt dicitur, repentè fit summus) adnitendum est indies, vt hoc quàm maximè consequamur: nullique alij quàm Deo nostro placere studeamus. Et quamquam interdum, dum magis ac magis Sponso ipsi appropinquare contendimus, is longiùs abire nobis videatur, haud tamen omittendum est vmquam, quin illum ipsum studiosissimè perquiramus, inclamemus, deprecemur.* Tunc enim maximè nobis præstò aderit, cùm longissimè abscessisse timebitur: fingit enim se longiùs ire, vt rogetur impensiùs, studiosiùs inquiratur, diligentiùs conseruetur.

* Videat sponsa causas, cur Sponsus interdum subtrahat præsentiæ consolationem.

14\. *Christus solatia miscet amaritudinibus, vt sponsa auidiùs adhæreat Deo.* (Sap. 9.)

Vim amoris Iesu Christi (qui se per Spiritum sanctum desideranti animæ infundit) diu sustinere nõ valet sponsa corpore adhuc inclusa. Corpus enim quod corrũpitur, aggrauat animam, & sensum multa diuina cogitantem deprimit. Rapitur sæpè anima cælesti amore incensa ad æterna illa gaudia contemplanda: sed diu illic esse nequit sarcinâ corporis onusta; relabitur igitur egressa. Tantâ interdum lacrymarum & spiritus suauitate perfunditur, vt capere vix possit quod intus certò sentit: & dum auidius atque vberiùs apprehendere conatur, iam sentire desinit quod sibi modò iucũdissimè tenere videbatur. Quare sollicitior fit ad quærendũ quod tam præsens habebat: multoque labore ac studio disquirit, modò legendo, modò meditando, nunc hoc nũc illud charitatis opus agendo: nec tamen semper illi datur inuenire quod quærit; idque mirâ fit diuinæ gratiæ dispensatione. Sæpè enim nobis vtiliter negatur à Deo, quod auidissimè (sed ignari quid melius nobis sit) postulamus.

15\. *Differtur responsum Dei ad vota animæ, vt detur suo tempore.*

Vocat dilectum suum, nec exauditur sponsa & fidelis anima, cùm orando, meditando, & benè agendo, dulcedine illius diuinæ præsentiæ satiari appetit, nec tamen adhuc illi datur quod exoptat. Vellet enim assiduè alimoniâ cælesti pasci, internâ illâ suauitate frui, his delicijs æternis impleri, quibus solis se beari posse intelligit: sed corruptibilis mole corporis impedita, sæpè conata decidit: in seque reuersa, per sacras litteras & San-

& Sanctorum ſcripta ac geſta, ſibi quærendum Sponſum adhuc eſſe videt, donec tempus aduenerit, quo à corpore euocetur.

16. *Cuſtodia cordis cæleſtia ſemper cogitantis.*

Maxima prorſus laus & commendatio eſt cuiuſque fidelis animæ, cordis arcana ſanctiſſimè cuſtodire, eaque illibata atque ſincera retinere, depulſis omnibus illecebris voluptatum, & deſiderio rerum humanarum longiſſimè abdicato; ſolaque cæleſtia contemplari animo, mente capere, & cogitatione complecti: nec aliud meditari ac velle (quamdiu huic carceri teterrimo incluſi ſumus) quàm ſoli Deo interno animi deſiderio ſemper inhærere, eique aliquando in ſempiternum coniungi velle.

17. *Anima fidelis ſemper de Sponſo ſuo cogitet & loquatur, vel de Sponſi ſui amicis.*

Sancta quæque anima indiſſolubili ſanctitatis vinculo, Sponſo Chriſto Ieſu copulata permanere ſtudet, illique ſoli ſemper adhærere deprecatur & ſupplicat; nec vllo temporis puncto de eo ſanctè loqui, cogitare prudenter, meditarique deſiſtit: nunc ipſius ineffabilem charitatem, quâ mortalis homo pro ſe redimendâ fieri non dubitauit; nunc ſummam prouidentiam & poteſtatem, quâ cuncta per ſe creauit, ſapientiſſimeque moderatur & regit. Dum hæc igitur & alia quamplurima huiuſmodi ſecum ipſa recenſet, & altâ mente volutat, ardet abſentis deſiderio, inflammatur charitate: & quo modo poteſt, ſeſe illi ipſi tandem aliquando præſentem præſenti adiungere laborat: modò per ſuas ipſius preces & lacrymas, modò per aduocatos ac nuntios & deprecatores illos, quos vel proximos Sponſo fidei & vitæ meritis, vel iam præſentes adſtare fruique cognoſcit, hocque tamdiu facit, donec ſibi optata donentur.

18. *Suauitas Eucharistia admiranda faucibus ſponſa.* Pſal. 33. Cant. 7.

Rectè Regius ille Vates ita canit: Guſtate & videte quàm ſuauis eſt Dominus. Spiritualem & ſalutarem eſcam Corporis ac Sanguinis Ieſu Chriſti guſtans fidelis anima, guttur habet vt vinum bonum. Hoc enim vinum ſanctè potum, dolores omnes animi ſedat atque componit, ebrietatem omnem rerum caducarum tollit, cor exhilarat atque confirmat, omneſque morbos internos facillimè ſanat ac curat, eſtque æternæ vitæ ſalutaris vnda, fons, & origo. Rectis corde hæc lætiſſima eſca, cæleſtis panis ſuperſubſtantialiſque, & ſalutaris potus, diuinam refectionem adfert. Ineffabile & cæleſte conuiuium eſt, Angelorum choris optabile. Si ſapimus, adnitemur per hunc verum panem Chriſto Ieſu honeſtate vitæ & morum integritate ſemper hærere.

19. *Quærenti Chriſtum ſponſa abijcienda eſt omnis cupiditas ſæcularis.*

Qui deſiderat Sponſum Chriſtum Ieſum quærendo inuenire, inuentum poſſidere, poſſidendo frui, debet ſe (quamdiu viuit in hac valle miſeriarum) abſtrahere ab omni cupiditate rerum humanarum, nihil niſi neceſſarium humanæ vitæ (idque bono modo & iuſto) appetere ac velle, honores fugere, diuitias aſpernari, curioſitates hominum & rerum caducarum euitare, & (quoad fieri poteſt) in meditatione futuræ vitæ & deſpectione præſentis commorari. Et quamuis in hoc mundo nemo perfectè poſſit ab omni rerum perturbatione conquieſcere, adniti tamen debemus, vt precibus aſſiduis & ſtudio bonæ voluntatis diuinum auxilium ſemper implorantes, in cubilibus noſtris, hoc eſt, in cordibus & animabus, nihil niſi Deum ipſum habeamus, in eoque ſolo delectemur & quieſcamus. Sicque ſurgentes ab humanis ad diuina, quæramus Sponſum noſtrum: & facilè eum inueniemus vel in hac vitâ, ſed in futurâ verè poſſidebimus.

O veram diem illam, in quâ nulla nox, nulla mutabilitatis vmbra, nullæ rerum viceſ inſunt, ſed omnia lucidiſſima, ſtabiliſſima, æterna! Ad hanc vnam viri boni quotidie peruenire nituntur. Nam huius ſæculi dies, vmbrarum caligine obducta, non ſinit nos lucem illam inacceſſibilem intueri: ſed caligamus in luce mundanæ varietatis; ob idque ſanctæ animæ hinc euolare cupientes, ad illam æternam ſemper anhelant per contemptum rerum humanarum, per iuſtitiam & innocentiam, ſummamque cordis humilitatem. 20. *Semper cogita æternitatem, & ad eam toto corde adſpira.*

CAPVT III.

§. I.

Beatitudo cæleſtis.

1. *Contemplatio beatitudinis cæleſtis:*
2. *Quoad intellectum viſione clarâ illuſtratum:*
3. *Quoad voluntatem amore inflammatam:*
4. *Quoad mutuam ſocietatem, vnde creſcit gaudium ſingulorum.*
5. *Singuli habent totum quod ſufficit.*
6. *Occupatio eorum continua, laus Dei.*

Laurentius Iuſtinianus Patriarcha Venetus in Libro quem edidit de Diſciplinâ & perfectione monaſticæ conuerſationis, loquens de felicitate animarum in cæleſti patriâ cum Chriſto regnantium, dicit:

O si ſcirent mortales, qualia & quanta ſint gaudia electis repoſita in cælorum conuiuio! O ſi Chriſto famulantes guſtarent, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, excuterent prorſus à ſe omnem torporem, omnemque mentis hebetudinem abijcerent ſine morâ! Quæ autem mens non ferueat deſiderio, nõ elangueat charitate, non repleatur exultatione, ſi recogitet diligenter delicias Paradiſi, ſi humani ſpiritus futuram gloriam 1. *Beatitudo à famulis Dei per meditationem prægustanda.* 1. Cor. 2.

gloriam assiduè meditetur? Magna quippe est & immensa, atque Angelorum beatitudini per omnia coæquanda.

2. *Intellectus lumine gloriæ adiutus quàm videt admiranda in Deo.*

Diuinis namque splendoribus & perpetuâ charitate fulgebit rationalis potentia. Incomprehẽsibili lumine, veritate perspicuâ, serenitate lucidissimâ, & iucundâ visione illustrabitur. Nam fecunda Dei verbo, & clarâ ei inhærens visione, inscrutabilia secretorum Dei iudicia, & ineffabilia sapientiæ ipsius arcana, vero percipiet cognitionis intuitu. Videbit Deum in seipso, videbit se in Deo, & Deum in se: videbit Deum in creaturis, & creaturas in Deo: sicque ineffabili luce decorabitur. Lumine nempe gloriæ circumfusa, æternum ab æterno æternaliter genitum contuebitur: atque meridiano splendore illustrata sine differẽte vel obnubilante medio Dei essentiam contemplabitur. * Videbit Deum sicuti est, tantò perspicaciùs, quantò ardẽtiùs eum in pręsenti vitâ dilexit. Hæc namque beata visio, & visionis admiratio, vita ęterna est: quam Dei sapientia, passibili vnita naturæ, per crucis patibulum aspersionemq; Sanguinis sui, prædestinatis acquisiuit fidelibus: * non ex ipsorum præcedentibus meritis, sed propriâ, merâ, liberâ, & suâ ipsius gratuitâ dignatione.

* Mensura videndi Deum ex mensurâ charitatis; nam Deum clariùs videt qui ardentiùs amauit.

* Ita sentit magnus ille Patriarcha de Prędestinatione ad vitã æternam.

3. *Voluntatis beatificus amor & gaudium per modum raptus vel ecstasis.*

Concupiscibilis quoque potentia, & ipsa plenissimâ atque perfectâ abundabit charitate. Tota etenim in Deum tendens, tota Deo plena, Deum ex toto corde, ex totâ animâ, & ex omnibus viribus diliget: supra quàm dici potest exuberabit gaudio præ multitudine amoris. Per charitatis quippe excelsum, & sobriam ebrietatẽ extra se rapietur: ac supra se euecta, & in Deum posita, atque Deo vnita, non aliunde quàm de Dei gloriâ, de ipsius bonitate, immensitate, æternitate, virtute, & sapientiâ beata erit.

4. *Societas amabilissima Sanctorũ de mutuâ felicitate gaudentium; per amoris casti latitudinem.*

Mutui siquidem amoris suaue vinculum, & participatio diuinæ charitatis, quidquid proprium est, commune faciet. Nam perfectus amor, & amoris vera vnitas nil habet priuatum, nil possidet singulare. Exponit sua, tribuit se liberalissimâ charitate. Non inuidet, non abscondit, non negat quod habet, sed totum communicat diligenti dilecto. Ex hoc nempe, sanctarum animarum cum Christo & in Christo regnantium felicitatis & amoris casti latitudo vtcumque cognoscitur, quæ cùm Deo perfectissimo charitatis contubernio coniunctæ sint, bonorum omniũ, & totius beatitudinis ipsius participes esse merentur: quamuis aliter ipse de seipso, quàm illæ de ipso gaudeant.

5. *Singulorũ desideria satiantur tum in se, tum in aliis; de numerosâ Beatorum gaudia participantium societate gratulando.*

Satis illis erit, quòd plenæ erunt exultatione, cognitione perspicuæ, refertæ lætitiâ, iubilatione festiuæ, charitate superferuidæ, amore exuberantes, & vltrà quàm humanus sensus, de Deo in Deum ineffabili iucunditate & iucundâ dilectione perfusæ. Nihil aliud appetent, nil quærent, Dei lætissimæ visionis capaces. De puro namq; fonte æternæ vitæ haurientes aquam sapientię, & diuinę charitatis suauissimum liquorem, inebriabuntur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis gloriæ ipsius sufficienter potatæ, atque deificæ effectæ, de cetero sitire non poterunt. Psal. 35. Saturabuntur charitate, laudabunt infatigabiliter, delectabunturq; mirificè in multitudine pacis, & gratulabuntur de numerositate societatis. Ex ipsâ siquidem locupletiores effectæ pro participatione fraternæ beatitudinis, inexplebili replebuntur exultatione: & præ nimio charitatis ardore, communem omnium proprium singularem existimabunt honorem.

6. *Vna omniũ occupatio, Deum & Sanctos videre, amare, laudare.*

Occupabuntur in Dei laudibus, ipsumq; toto laudabunt affectu. Lętabuntur insuper de Angelorum consortio, de speciositate, de plenitudine, & de felicitate ipsorũ tamquam de conciuibus suis. Nam ibi Angelorum hominumque concors erit voluntas, grata societas, æqualis gloria, eadem beatitudo, consona, dulcis, ęterna, indefessa, melliflua, perfectaq; Dei laudatio. In Dei quippe clarâ visione absorpti, præ admiratione, præ satietate, præ gaudio, præ delectatione, præ amoris ardore, diuina præconia laudesque ipsius Dei omnino tacere nequibunt, iuxta illud citharœdæ Dauid: Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Psal. 83. Inhærendo etenim Deo, & cum ipso vnum effecti, nil aliud quàm Deum laudare valebunt. Ab immensitate decoris, à perennitate gloriæ, à suauitate spiritus, à liberalitate infusionis, à continuatione gaudij, ab inhæsione Dilecti totaliter comprehensi, omnes circumfusi quodam irreuerberabili intuitu, & donati imperturbabili pace, Dei beatissimâ fruentur essentiâ. Sicque totus rationalis spiritus, Dei insignitus imagine, in suum se transformabit Auctorem, nullâ deinceps polluendus labe, nulloque timore turbandus. Tunc laborum suorum percipiet fructum: & quanta qualisque eius erit gloria, manifestè patebit. Tunc Electi omnes pari voce exultationis, lætoque animo decantabunt, Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum: Psal. 47. seque erigentes in Deum, nec se præ multitudine suauitatis & amoris continere valentes, cum ingenti iubilatione pronuntiabunt quod sequitur, Secundùm nomen tuum, ô Deus, sic & laus tua in sæcula sæculorum, Amen.

§. II.

§. II.

Societas Beatorum.

1. *Mansiones Angelorum:*
2. *Et hominum.*
3. *Felicitas mansionum.*
4. *Aspiratio ad eas.*

Ioan. 14. *Idem in Fasciculo amoris super his Domini Iesu verbis*, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, *sic scribit:*

1. *Mansiones Angelorũ per nouem choros.* DOMVS hæc Patris, de quâ loquitur Sapientia, cælorum habitatio est, quæ est præclara domus & sublimis, æterno coruscans lumine, luminosa in se, ciuium innumerositate referta, diuitijs plena, dignitatibus insignis, fulgens honoribus, pace secura, latitudine incomprehensibilis, gaudio abundans, omniumque locuples bonorum. Ordinibus quidem distincta est, decorata gradibus, & mansionibus segregata. Habent enim in eadem domo Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim ac Seraphim proprias mansiones diuisas, in quibus honorabiliter exaltati, perpetuas Deo exhibent laudes.

2. *Mansiones hominum per septem ordines.* Non solùm autem hi Angelici spiritus, qui ab initio domus huius habitatores fuere, proprijs in cælesti aulâ nobilitantur mansionibus: verùm etiam quotquot homines prædestinati sunt ad salutem. Ambigendum etenim non est, Patriarchas sanctos, sublimes Vates, Apostolorum honorabile collegium, Martyrum laureatum chorum, concordem Confessorum numerum, Virginum candidatum exercitum, sacratumque Sacerdotum ordinem, speciales in ipsâ domo possidere mansiones. In vno siquidem vniuersæ mansiones sunt loco: vna tamen quæque earum pro meritis inhabitantium fulget, delicijsque exuberat spiritalibus.

3. *Virorumq. gloria, felicitas, cocordia, speciositas, capacitas, æternitas.* Quis verò domus huius gloriam, incolarum felicitatem, concordiam animorum, mansionumque speciositatem enarrare sufficiat? Generositatem ipsius atque excellentiam à longè & ex parte cognoscens Propheta amator effectus illius, eiusque particeps esse desiderans, in exultatione spiritus aiebat: Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. (Psal. 83.) Alibi quoque inquit sic: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. (Psal. 25.) Meritò concupiscentiæ illius deficiebat amore: nam superexcedit bonum omne quod vidit oculus, auris audiuit, & in cor hominis ascendit. (1. Cor. 2.) Domus illius decorem nullus agnoscit, & negligit; nullus possidet, & amittit: sempiterna vtique est, diuino irradiata splendore, innumerabilium habitatorum capax, cunctorumque delectabilium contentrix. In ipsâ facie ad faciem videtur Deus, intelligitur Verbum, amborum Spiritus adoratur. Non annua, sed continua ibi celebratur solemnitas: & sponsa Sponso, castissimo atque puro dilectionis connubio, copulatur, fecundaturque spiritu & amore. Nil est ibi quod displiceat, nil quod amantium perturbare valeat animos, reperitur. Ibi sponsa tota pacifica est, tota læta, semper fidelis, nusquam coinquinata, numquam dilectione languescens. Ex fruitionis gustu, charitatis indeficienter desiderium ibi innouatur; ex charitate autem, dilectionis modificatur ebrietas. Semper in illâ domo sobrietas cum ebrietate viget, satietas cum desiderio perseuerat. Mutui amoris tanta est in eâ suauitas, tantaque pro communicatâ felicitate fraternitas, vt fiat cooperante charitate conuiuium vnum, populus vnus, & cor vnum in sacrosancto osculo charitatis.

4. *Deuota suspiria ad hanc cælestem habitationem.* * *Exemplũ orationis pro anhelantibus ad patriæ cælestis gaudia.* O* domus Dei! ô præfulgidæ mansiones! ô ciuitas Regis summi! quanta in te sunt gaudia, & quàm gloriosa sunt de te dicta? Dilexi quidem speciem tuam, & concupiui iucunditatem exultationis quæ est in te. Ad te (fateor) suspirat cor meum, quoniam in te sunt lætitiæ meæ, laborumque meorum concupitus finis. In te temporalem (quamuis minimam & caducam) quam contempsi felicitatem, restaurandam esse non ambigo. Sapientiæ contubernium cui afficior, me in te adipisci confido: diuinam etiam quam desiro perficere laudem, in te persoluere non diffido. Meritò proinde diligo te, quæro te, clamo ad te, quiesco in te, vulneror propter te, sitio te, & cupio affectu anxio videre te, plateasque tuas auro stratas, muros tuos sapphiro & smaragdo omnique pretioso constructos lapide, ciues tuos immortalitatis candore fulgentes, Regem tuum diuino diademate renitentem quidem in se, vniuersis vero beneuolum, atque in adstantium omnium oculis honorabilem. Vtinam tuarum saltem vnam minimam habere merear mansionum, quas æterna Sapientia præparauit electis suis regnaturis in te!

§. III.

Visio Dei.

1. *Clara Dei visio.*
2. *Contemplatio Trinitatis.*
3. *Contemplatio Verbi incarnati.*

Idem in Libello de Obedientiâ dicit:

1. *Visio Dei in seipso & sicuti est.* IN supernâ patriâ ciuitatis nouæ Ierusalem, plenâ gaudijs, & inextinguibili luce perfusâ, se videndum, sicuti est, exhibet ac manifestat Deus: quæ profectò manifestatio satietatem perfectam sine fastidio confert, quietem pacatissimam tribuit, iubilationem perpetuam ingerit, beatitudinem æternam parit, & diuinæ laudis desideria rediuiua ac iucunda immittit. Sanè ciuitas illa (sicut scriptum est) non eget sole, neque lunæ aut stellarum claritate, quâ irradietur vt fulgeat: quoniam Agnus ipse qui occisus est, suo illam splendore illuminat. Nec immeritò. Candor namque est lucis æternæ, speculum sine maculâ, iustitiæ sol, & splendor diuinæ Maiestatis. Apoc. 21. Sap. 7. Malach 4. Hebr. 1.

2. *Contēplatio superbenedictæ Trinitatis in tribus personis & vnâ essentiâ.* O ciuitas sancta Ierusalem, quàm gloriosa dicta sunt de te? quanta gaudia percipiuntur in te? Qui enim semel introducuntur in te, de te numquam egressuri, vident Regem in decore suo, sine initio æternum, sine contradictione omnipotentem: Filium quoque illi consubstantialem, & per omnia in maiestate, in bonitate, in æternitate, in potestate, in gloriâ similem; sine principio, sine tempore, sine detrimento, & sine fine genitum: atque Spiritum sanctum ab vtroque procedentem, qui vtrosque complectitur, tamquam charitatis indissolubile vinculum, & pacis suauissimum osculum, mutuique amoris amplexus beatissimus. Vident (inquam) Trinitatem sanctissimam, Patrem, Verbum, & Spiritum sanctum, Deum vnum, in personis diuisum, coæternum in substantiâ, in potentiâ æqualem, indiscretum in operatione, & in voluntate concordem. Ex quâ videlicet visione, eorum ratio repletur veritatis lumine, eorum voluntas flagrantissimâ exuberat charitate, eorumque memoria, actu vnico illi inseparabiliter inhærendo qui est, beatâ fruitione satiatur. Psal. 86. Isa. 33.

3. *Verbi incarnati contēplatio in humanâ IESV Christi specie.* Huic quoque sacratissimæ Trinitatis visioni deificæ additur illis contemplatio alia consimilis Dei & hominis Iesu Christi Domini nostri humanæ speciei, quæ vtique totam ciuitatem cælestis ipsius Ierusalem, cohabitantiumque in eadem innumerabilem multitudinem lætificat, pascit & inebriat. De illius siquidem plenitudine gratiarum, de Diuinitatis ipsius æterno fonte torrens profluit voluptatis, quo inebriantur omnes vsque ad satietatem, repleti exultatione quadam sobriâ sitis perpetuæ. Introducuntur quippe ad Verbi contemplationem per ipsum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, & in eodem cum admirabili exultatione intelligunt rerum causas, existentium proprietates, assistentium gloriam, officia ministrantium, & quàm veriùs quamque perfectiùs vniuersa quæ sunt, in ipso viuunt quàm in se. Se denique in illo aspiciunt, sicut & singula: in illo se mutuò diligunt dilectione sanctâ, communicatione beatâ, indissolubili charitate, pace perenni: quoniam omnia in omnibus est qui est, & in ipso omnes vnum sunt. Egrediuntur ergo ad contemplandam humanæ speciei ipsius Mediatoris præclarissimam formam, supra cunctos hominum filios decoram: de quâ profectò emanant clementiæ, bonitatis, dilectionis, grauitatis, venerationis, & pacis indeficientes riuuli: nec non quidam Diuinitatis ineffabiles radij, atque æterni luminis veritates innumerabiles, quibus omnibus reficiuntur vniuersorum affectus ipsam intuentium: qui vtique eumdem Mediatorem amoris igniti complectuntur desiderijs, efferunt laudibus, spirituali modulatione glorificant, & gratiarum exhibitione honorant, confitentes se ab illo esse, & quòd sunt ipsius iustificati gratiâ, redempti Sanguine, charitate saluati, atque glorificati meritis. Ioan. 1. Psal. 35. Colos. 1.

§. IV.

Occupatio Beatorum.

1. *Qualis futura in cælo laus Dei.*
2. *Sancta & sobria ebrietas Beatorum ex fonte ipso vitæ bibentium.*

Idem in Libello de Humilitate ait:

AD supernam patriam quisquis introducitur, ingreditur in pascua virentia quæ non marcescunt, in delicias suaues quæ numquam deficiunt, in sapientiæ thesauros qui non depereunt, in veritatis splendores qui nequaquam obnubilantur; in regionem viuorum Deum incessabiliter laudantium, in ciuitatem Ierusalem æterni solis illustratione præfulgidam, & in sanctam Sion mille millium Angelorum agminibus decoratam, nec non Sanctorum omnium choris decenter ornatam. Qui vniuersi vnâ voce, pari modulatione, intentione consimili Deum ignito affectu quantum valent, laudant, dicentes, Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen. Coronas suas singuli submittunt 1. *Æterna laus Dei in cælo.* Apoc. 7. Apoc. 4.

mittunt ante ipsius maiestatis perpetuum thronum. Id etenim quod honoris, quod venerationis, quod laudis offerunt Conditori, plenum est charitate, humilitate submixum, admiratione permistum, satietate perfusum, & fruitionis auiditate feruidum.

2. *Beata ebrietas Sanctorum in cælesti gloriâ.*

Bibunt quippe & sitiunt, saturantur & esuriunt, superabundant, & repleti concupiscunt. De vbertate siquidem voluptatis æternæ inebriantur; delectabiliter, sapienter, & sobriè haurientes de viuo fonte diuinæ dulcedinis suauissimum potum, & de lumine beatificæ visionis inextinguibile lumen: quemadmodum Propheta commemorans confitetur Domino. Inebriabuntur (inquit) ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. O beata ebrietas sobrietate referta, quæ præ sui exuberatione & sapore sumentem eleuat in Deum, & coniungit Deo, vt fiant vnum in idipsum! O fons vitæ, qui apud Deum esse denuntiatur, de quo vtique vniuersi, qui in cælesti sunt conuiuio, absque vllâ ipsius fontis diminutione, percipiunt ad satietatem beatam atque perfectam! Hunc enim fontem idem Propheta ardentissimè cupiebat, dum diceret, Sitiuit anima mea ad Deum * fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Expressiùs autem, qualis iste sit fons, Sapiens indicauit, quando ait; Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis. De hoc autem Verbo Ioannes Euangelista testatur, dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

Psal. 35.

* *Psal. 41. legitur ex Hebræo Deum fortem.*

Eccli. 1.

Ioan. 1.

§. V.

Gloria corporis.

1. Quatuor dotes corporis gloriosi, quando corruptibile hoc induet immortalitatem.
2. Delectationes sanctæ sensuum.

Idem in Libro de Disciplinâ & perfectione Monasticæ conuersationis, scribens de corporis humani beatitudine post resurrectionem, ait:

1. *Corporum gloriosorũ dotes quatuor numerantur.*

CARO humana, licet contemptibilis appareat, & ex peccati pœnâ calamitatibus plena sit: licet ex debito originalis culpæ temporali morti subiaceat, & exanimis effecta, in puluerem sit redigenda; tamen quòd propriam quandoque resumptura formam, & in cælestem prouehenda sit gloriam, dubium non est. Decorem quippe immortalitatis induet, omni depositâ corruptibilitate. Nullum sui patietur detrimentum, nullámve membrorum diminutionem. Non iam aliquem dolorem, nec de susceptâ gloriâ post resurrectionem sentiet amissionis timorem. Semper hilaris, semper iucunda erit: quia erit de æternitate secura. Nimiâ quoque claritate fulgebit: ita vt solis septies transcendat splendorem. Non autem lumine suo intuentium se reuerberabit aspectum, sed eum ineffabili quodam modo confortabit clarificabitque. Erit tota eius substantia corporeis oculis visibilis: adeò vt viscerum ceterorúmque membrorum harmonia, Conditoris declaret magisterium admirandum. Tantâ insuper agilitate erit prædita, vt in momento in omnibus obtemperet imperio spiritus præsidentis: absque retardatione, & sine vllâ grauedine eò se diuertet, quò impetus spiritus diriget ipsam. Denique cùm in hac vitâ degit & peregrinatur à Domino, animalis naturæ est: post verò resurrectionis gloriam, tota spiritualis efficietur, ita vt omne solidum ei sit peruium. Non claustris teneri poterit inclusa, non vinculis religata, non restricta custodibus: sed liberam ingrediendi & egrediendi vbique recipiet facultatem. Nunc quoque cùm sit passibilis, & varijs ægritudinibus diuersisque casibus subiecta videatur, in tantum vt non prætereat temporis momentum, in quo propriâ non flagelletur necessitate vel fragilitate; tunc certè, omni fatigatione semotâ, incorruptibilitate vestietur. Tunc quodam ineffabili repleta gaudio cantabit, Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Gloriâ quippe, & honore, & immortalitate, & æternitate circumamicta, suo inhærebit Auctori. Sine deformitate, sine læsione, & absque maculâ resurget in mensuram ætatis plenitudinis Christi, reformataque per omnes suos sensus, multimodis exuberabit delicijs.

LAVRENTIVS IVSTINIANVS.

Immortalitas, quæ à Theologis ad impassibilitatem reuocatur.

1. Claritas.

2. Agilitas.

3. Subtilitas.

4. Impassibilitas, ad quam à Theologis reuocatur immortalitas.

1. Cor. 15.

Pulchritudo pars est claritatis.

Ephes. 4.

2. *Delectationes sensuum. Visus.*

Delectabitur oculus in amabili Redemptoris aspectu: quando videbit Regem in decore suo gloriâ ornatum, ac diademate redimitum, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis cordis illius, quando cælum mirabiliter solis, lunæ, stellarumque splendore rutilans intuebitur. Harmonia cælorum, melodica cantica ciuium supernorum, non mediocriter mulcebunt auditum: super muros namque Ierusalem custodes constituti sunt, qui die noctuque nomen Domini laudare non cessant. Sed & per vicos & plateas illius à cunctis infatigabiliter Alleluia cantatur. Fragrans quoque suauitas

Isa. 33.
Cant. 3.

Auditus.

Isa. 61.

Odoratus.

* Allusio ad Cant. 1. Trahe me, post te curremus in odoré vnguentorum tuorum.

suauitas cælestium odoramentorum mirâ liquefactione resperget odoratum.* Hos prælibauerat (tenuiter tamen) qui dicebat, Odor tuus, ô Domine, excitauit in me concupiscentias æternas. Indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium, mellifluâ quadam & iucundâ satietate oris saginabit palatum. Nec mirum: nam exultationes Dei in gutture eorum erunt, & misericordias Domini in æternum Sancti cantabunt. Ipse demum tactus sibi congruis abundabit delicijs. Fas etenim non est, vt in illâ cælorum gloriâ quidquam vacet à Dei laude: quin potiùs iustum, vt cuncta corporis membra suum modo proprio efferant Conditorem, quatenus sicut ab ipso sumpsere principium, ita & in illo deducant suæ beatitudinis finem, vt sit Deus omnia in omnibus.

Gustus. Psal. 149. Psal. 33. Tactus.

CONCLVSIO PSYCHAGOGIÆ.

1. *Per Psychagogiam hanc Catholici sese accendunt ad amorem Dei.*

2. *Hæreticis extra Ecclesiam manentibus, nullum opus pietatis profert fructum æternæ vitæ.*

3. *Sacra lectio & meditatio, solatia sunt fidelium viatorum ex fatigatione viæ sese in amœnâ vmbrâ reficientium.*

4. *In quibus perseuerantes excipientur æternis gaudiis.*

1. *Humiles Catholici fructum amoris Dei carpent ex Psychagogiâ.*

EA quæ hactenus dicta sunt ex Patrum scriptis collecta, sufficiant, ne vltra modum excrescat nostra Psychagogia: quæ (vt speramus) non parum vtilitatis pariet his qui humilitatem Deo placentem sectantur, & in vnitate Ecclesiæ Catholicæ sese continentes, per lectionem sacram, precesque sanctas, & consimilia exercitia, ad Dei patriæque cælestis amorem se accendere student.

2. *Extra Ecclesiam nullum bonũ opus prodest ad salutem æternam.*

Ab istorum felicissimâ sorte longissimè absunt superbi hæretici, qui ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ absque vllo timore resiliunt, & eiusdem Ecclesiæ decretis parêre recusant. His nec lectio sacra, nec oratio, nec lacrymarum effusio, nec eleëmosynarum largitio, nec aliud quidquam quod ex se bonum est, vtilitatem aliquam adfert. Ipsi enim, cùm scindant vnitatem, non possunt habere charitatem: iam quia charitatem non habent, nihil prorsus faciunt quod eis prosit ad salutem. Sed de his aliàs: nam propediem conficere atque in publicum emittere statuimus* Collyrium aliud curandis istiusmodi hominum oculis aptum.

* Collyriũ hæreticorum à Blosio hic promissum præstabitur in Classe decimâ, quæ Polemica vocatur.

3. *Consolatio fidelium in sacrâ lectione & meditatione suauitatẽ spiritus gustãtium.*

Beati prorsus illi, qui simplicitatem integritatemque fidei seruantes, & Matri Ecclesiæ se per omnia humiliter subdentes, dicta Sanctorum venerantur, & ea libenter legunt, seseque internis studijs assuefaciunt; vt gustatâ Spiritus sancti suauitate, æquiori tranquillioreque animo calamitates huius sæculi perferant. Nam sacræ lectioni, meditationi, contemplationi, pijs precibus, diuinisque laudibus insistere, beatam Mariam Virginem Deiparam ceterosque cæli ciues colere, tale est homini verè spirituali inter tentationes & tædia vitæ præsentis, quale est fesso viatori, remissis grauibus sarcinis, residere sub vmbrâ odoriferæ arboris, in medio horti, gratâ amœnitate graminum, florumque & aquarum præterfluentium arridentis.

Huiusmodi studiorum & exercitiorum chara solatia, vir spiritualis habet interim dum peregrinatur à Domino. Ceterùm finitâ peregrinatione, perueniet ad cælestem illam beatamque patriam: vbi (sublatis omnibus miserijs atque impedimentis) æternâ requie perfruetur, adeptus bonum illud quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: vbi reuelatâ facie clarissimè, iucundissimè, perpetuoque contemplabitur fulgentissimam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnum summè suauem summeque amabilem Deum: Ipsi honor, gloria, & imperium, in sæcula sæculorum, Amen.

4. *Qui in iis persistunt, cælum obtinebunt.*

Isa. 64. 1. Cor. 2.

CLAVSVLA PRECATORIA.

Psalmus breuis, centesimus decimus sextus.

LAVDATE *Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.*

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. Amen.

Hymnus de IESV.

IESVS, *dulcedo cordium,*
Fons veri, lumen mentium,
Excedit omne gaudium,
Et omne desiderium.

IESVS, *sole lucidior,*
Et balsamo suauior,
Omni dulcore dulcior,
Et cunctis amabilior.

Bonum mihi diligere
IESVM, *nil vltrà quærere,*
Mihi prorsus deficere,
Vt illi queam viuere.

O beatum incendium!
O ardens desiderium!
O dulce refrigerium!

Amare

Amare Dei Filium.
Hic amor ardet dulciter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Et delectat feliciter.
Quàm grata, quàm vernantia,
Quàm mellita, quàm fulgida
Sunt Christi IESV *Vulnera!*
Hunc decet laus per sæcula, Amen.

Hymnus ad MARIAM.

A*VE Virgo gratiosa,*
Virgo sole clarior:
Mater Dei gloriosa,
Fauo mellis dulcior.
Tu es illa speciosa,
Quâ nulla est pulchrior:
Rubicunda plus quàm rosa,
Lilio candidior.
Tu es grata lux piorum,
Grata lux Ecclesiæ,
Fulgens portus afflictorum,
Regina clementiæ.
Dele sordes peccatorum
Mater indulgentiæ:
Luctum solare mæstorum
Aurora lætitiæ.
Veni, veni, propera,
Vnge corda misera,
Charum fundens oleum.
Tua semper vbera
Nostra sanent vulnera,
Cæli iubar aureum, Amen.

Ad IESVM & MARIAM.

A*VE dulcis* IESV, *fili Dei viui, fili Virginis purissimæ.*
Aue MARIA *gratiâ plena, Dominus tecum.*
Laus tibi CHRISTE *Redemptor, laus tibi* MARIA *mater Dei in æternum. Amen.*

COMPARATIO REGIS ET MONACHI;

LIBELLVS EX GRÆCO S. IO. CHRYSOSTOMI A LVDOVICO BLOSIO LATINE REDDITVS.

Illustri & genere & moribus adolescenti

IOANNI MOLEMBASIO

LVDOVICVS BLOSIVS

S. D.

SI de meo in te amore ita sentires, dulcissime MOLEMBASI, *vt eum vehementem esse crederes dum scriberem; rursum, dum silerem, frigidum ac remissum: iamdudum, sat scio, tibi venissem in suspicionem, qui tam diu nihil scripsi. Sin est, vt ex animo magis, quàm ex litteris, studij erga te mei magnitudinem æstimare velis; tam persuasum tibi habe, Blosium tui esse amantissimum. Et ne desit eius rei certum testimonium, en mitto ad te libellum D. Joannis Chrysostomi, in quo vir ille summus, summâ item dicendi facultate, verum Monachum confert cum Rege. Hunc nusquam hactenus vidi Latinè redditum. Eum iure dixerim meum: cùm non minùs laborarim dum Latinum facerem, imò magis etiam fortasse, quàm ipse Chrysostomus dum Græcè scriberet. Ceterùm illud abs te sedulò peto, mi* MOLEMBASI, *vt animæ tuæ curam numquam negligas, sed frequenter apud temetipsum cogites, quàm sit breuis vita præsens, & quàm vana sint blandimenta huius sæculi. Non est sanè quòd multum tibi metuam, qui ad omnem pietatem semper fuisti propensus: sed ea est natura feruentioris amoris, vt tunc quoque, quando omnia sunt tuta, moueat, & suâ sponte currentes incitet. Vale feliciter in* CHRISTO, φίλε μου ποθεινότατε. *Louanij Calendis Maij, anno à* CHRISTO *nato*, M. D. XXVII.

IOAN-

ΙΩΑ'ΝΝΟΥ ΤΟΥ͂ ΧΡΥΣΟΣΤΟ'ΜΟΥ ΣΥ'ΓΚΡΙΣΙΣ

Βασιλικῆς δυναστείας, καὶ πλούτου, καὶ ὑπεροχῆς, πρὸς Μοναχὸν συζῶντα τῇ ἀληθεστάτῃ, καὶ κατὰ ΧΡΙΣΤΟ'Ν Φιλοσοφίᾳ.

ΟΡΩ͂Ν ἐγὼ τοὺς πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων τὰ δοκοῦντα εἶναι καλὰ μᾶλλον ἀγαπῶντάς τε καὶ θαυμάζοντας ἢ τὰ φύσει χρηστὰ, καὶ ὡς ἀληθῶς ἀγαθά· ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω, περὶ ἑκατέρων βραχεῖς ποιήσασθαι τοὺς λόγους, καὶ παραθεῖναι νῦν ἀλλήλοις τά τε καταῤῥαθυμημένα παρὰ πολλοῖς, τά τε πολλῆς τυγχάνοντα σπουδῆς· ἵνα μαθόντες τὸ διάφορον ἑκατέρων, τὰ μὲν, ὡς ἄξια σπουδῆς καὶ σωτηρίας, περὶ πολλοῦ ποιησώμεθα, τῶν δὲ καταφρονεῖν παιδευθῶμεν, ὡς οὐδενὸς ἀξίων. Οὐκοῦν ἀγαπᾶται μὲν πλοῦτος, καὶ δυναστεία, καὶ ἀρχὴ, καὶ δόξα· καὶ μακαρίζουσιν οἱ πολλοὶ τοὺς τῶν ἐθνῶν Ἄρχοντας, καὶ φερομένους ἐπὶ λαμπρῶν ὀχημάτων, καὶ κηρύκων βοῆς ἀπολαύοντας, καὶ δορυφορίας πολλῆς· καταφρονεῖται δὲ τῶν φιλοσοφούντων ὁ βίος, καὶ τὴν μονήρη δίαιταν ᾑρημένων. Κἀκεῖνοι μὲν φανέντες, πρὸς ἑαυτοὺς ἐπιστρέφουσι τὸν δῆμον· οὗτοι δὲ φανέντες, οὐδενὸς ὀφθαλμοὺς, ἢ κομιδῇ γε ὀλίγων, πρὸς ἑαυτοὺς ἕλκουσι. Καὶ τούτων μὲν οὐδεὶς ἂν ἐπιθυμήσειε γενέσθαι ὅμοιος, ἐκείνων δὲ ἅπαντες. Καίτοι γε δυναστείαν μὲν κτήσασθαι, καὶ ἀρχὴν ἔθνους λαβεῖν, χαλεπόν τε, καὶ τοῖς πολλοῖς ἀδύνατον. Καὶ πολλῶν ἂν δεηθεῖεν χρημάτων οἱ τῆς ἀρχῆς ἐρασταί· τὸ δὲ μονήρη βίον ἑλέσθαι, καὶ τῇ τοῦ Θεοῦ λατρείᾳ συζῆν, πᾶσιν ὁμοίως εὔπορόν τε, καὶ ῥᾴδιον. Καὶ τῆς μὲν ἀρχῆς ἡ κτῆσις τῷ βίῳ τούτῳ συνδιαφθείρεται, μᾶλλον δὲ καὶ ζῶντας ἀπολιμπάνει τοὺς ἑαυτῆς ἐραστάς· ἤδη δέ τινας εἰς κίνδυνον μέγαν ἢ ἀδοξίαν καθίστησιν. Ὁ δὲ μονήρης βίος νῦν τε πολλῶν ἀγαθῶν ἀναπίμπλησι τοὺς δικαίους, καὶ μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν λαμπροὺς καὶ χαίροντας ἐπὶ τὸ δικαστή-

IOANNIS CHRYSOSTOMI LIBELLVS,

In quo potentia, opulentia, eminentiaq; Regis confertur cum Monacho viuente in verissimâ & CHRISTO consentaneâ Philosophiâ.

CVM bonam hominum partem hoc vitio laborare videam, vt ament admirenturq; vehementiùs ea quæ præter opinionem boni nihil habent, quàm ea quæ naturâ ac re ipsâ bona vtiliaque sunt; operæ pretium existimaui, vt de vtrisque nonnihil in præsens dicerem, conferendo inter se, & quæ negligere, & in quibus studium maximum conferre mortalium vulgus consueuit: vt interuallo, quod inter vtraque est, agnito, illa quidem, vt salutifera studioque digna, magnifacere; hæc, vt nullius momenti, contemnere discamus. Igitur ista sunt vel in primis gratiosa, diuitiæ, potentia, Regnum, gloria: beatosque vulgus eos prædicat, quos ad Imperium euectos esse, quos curru sublimes ferri, quos præconia satellitumque multitudinem consecutos esse viderit; despectâ interim eorum vitâ, qui Philosophiam sequuntur, vitamque in solitudinibus degunt. Illi si quando in publicum prodeunt, vniuersam in se plebem rapiunt: hi verò nullius, aut certè paucorum admodum, oculos ad se conuertunt. Rursum his nemo est qui similis esse cupiat, illis in vniuersum omnes. Atqui potentem esse, administrationem populi suscipere, res est vt plena negotij, ita paucissimis concessa. Siquidem eos magnâ etiam pecuniæ vi instructos esse oportet, qui Imperium ambiunt: ceterùm, vitam solitariam amplecti, Deique cultui deditum esse, omnibus perinde commodum & facile est. Porrò, Imperij possessio vnà cum hac vitâ deperditur, imò potiùs viuos sui amatores deserit: iam verò nonnullos in summum discrimen atque ignominiam adducere consueuit. Sed vita quæ in solitudine transigitur, præterquam quòd hic bonorum copiâ iustos repleat, etiam post mortem fulgentes eos, gaudioque plenos ad Dei Salua-

toris

toris tribunal adducet: cùm interim magna pars eorũ qui Principes fuerint, vitę malè actæ grauissimas pœnas dabunt. Age igitur, huius Philosophiæ bona cum eis comparemus, quæ vtilitatis speciem tantùm habent, cuiusmodi sunt quæ à potestate gloriaque sæculi huius proficiscuntur, discamusque ecquid sit discriminis inter hęc duo genera bonorum: ex mutuâ enim collatione, perspicua magis erunt. Quin potiùs ipsam, si videtur, totius boni summam, Regnum dico, cum hac Philosophiâ conferentes, quid fructus vtraque adferat, spectemus: id quod fiet, si quibus Princeps, quibus item Philosophus imperet, exactè priùs didicerimus. Principis igitur Imperium est, vrbibus, regionibus gentibusque quamplurimis præesse, Duces, Tribunos, exercitus, populos, Senatus, quò velit, solo nutu circumducere: qui autem se totum Deo tradidit, & vitæ solitariæ rationem est amplexus, is iram, inuidentiam, auaritiæ pestem, voluptatem, breuiter quidquid virtuti repugnat, sub imperio habet; semper sollicitus, ne aut animum à vitijs vinci, aut rationem sæuæ tyrannidi seruire patiatur: sed magis vt mentem cælestibus continenter occupatam habeat, Dei timorem prauis affectibus præficiens. Huiusmodi quidem Princeps, atque huiusmodi Monachus obtinet imperium: quare longè æquius fuerit, hunc posteriorem Regem appellare, quàm eum qui purpurâ coronâque sit conspicuus, aut quem aurea ferat sedes. Nam hic demum Regis vocabulo dignus est, qui iræ inuidiæque morbo, tum voluptatibus vniuersis frena inijcere nouit: qui quidquid agit, id ad Dei leges exigit; qui mentem in libertate conseruat, qui animum sub imperium voluptatum venire non sinit. Equidem lubens conspexerim eiusmodi aliquem populorum, terræ, maris, vrbium, exercituumque Dominum esse. Etenim qui animi affectibus rationem velut moderatricem quampiam præficere potuisset, idem etiam hominibus ipsis facilè præesset, diuinis legibus adiutus: fieret itaque, vt hunc cum omni mansuetudine inter ciues versantem animaduertentes subditi, non secùs atque patrem amplecterentur. At qui hominum Princeps videtur, quem tamen ipsum iracundiæ lues, Imperij cupiditas, voluptatumque libido seruum detinet, primùm quidem his, quibus imperat, ridiculus erit, qui cùm coronam gemmis auroque contextam gestet, prudentię curam negligat: & cùm purpurâ toto corpore reluceat, animum interim nullo ornamento commendatum habeat; quin quo pacto Imperium administrandum sit, penitus ignoret. Quî enim fieri poterit, vt qui suipsius Imperator esse non norit, alios

ειον ἄγει τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός· ὅτι τῶν ἀρξάντων οἱ πλείους μεγάλην ὀφθήσονται διδόντες τὴν βεβιασμένων τὴν δίκην. Φέρε δή, παραθέντες ἀλλήλοις τά τε τῆς φιλοσοφίας ἀγαθά, τά τε δοκοῦντα εἶναι χρηστά, τῆς ἐν τῷ παρόντι βίῳ δυναστείας καὶ δόξης, καταμάθωμεν τὸ διάφορον ἑκατέρων τῶν ἀγαθῶν· παράλληλα γὰρ ἔσται φανερώτερα. Μᾶλλον δέ, εἰ δοκεῖ, τὴν κορυφὴν τῶν ἀγαθῶν, τὴν βασιλείαν λέγω, τῇ φιλοσοφίᾳ παραθέντες, θεωρήσωμεν ἑκατέρας κτήσεως τοὺς καρποὺς καταμαθόντες ἀκριβῶς, τίνων μὲν ὁ βασιλεύς, τίνων δὲ ὁ φιλόσοφος ἄρχει. Οὐκοῦν, ὁ μὲν βασιλεὺς πόλεσι, καὶ χώραις, καὶ πολλοῖς ἐφίστηκεν ἔθνεσι, καὶ στρατηγούς, καὶ ὑπάρχους, καὶ στρατόπεδα, καὶ δήμους, καὶ βουλὰς τοῖς ἑαυτοῦ νεύμασιν ἄγων· ὁ δὲ Θεῷ δεδωκὼς ἑαυτόν, καὶ τὸν μονήρη βίον ᾑρημένος, θυμοῦ, καὶ φθόνου, καὶ φιλαργυρίας, καὶ ἡδονῆς, καὶ τῶν ἄλλων ἄρχει κακῶν, σκοπῶν ἀεὶ καὶ φροντίζων, ὅπως ἂν μὴ συγχωρήσειε τῇ ψυχῇ ὑπὸ τοῖς αἰσχροῖς γενέσθαι πάθεσιν, μηδὲ δουλωθῆναι τὸν λογισμὸν τυραννίδι πικρᾷ· ἀλλ' ἀνωτέρω πάντων ἀεὶ τὴν διάνοιαν ἔχει, τὸν τοῦ Θεοῦ φόβον ἐπιστήσας τοῖς πάθεσιν. Τοιαύτην μὲν οὖν ὁ βασιλεύς, τοιαύτην δὲ ὁ Μοναχὸς ἀρχὴν καὶ δυναστείαν κέκτηται, ὥστε δικαιότερον ἄν τις τοῦτον βασιλέα καλέσειεν, ἢ τὸν ἁλουργίδι καὶ στεφάνῳ λαμπόμενον, καὶ καθήμενον ἐπὶ θρόνου χρυσοῦ. Βασιλεὺς γὰρ ὡς ἀληθῶς, ὁ θυμοῦ καὶ φθόνου καὶ ἡδονῆς κρατῶν, καὶ πάντα ὑπὸ τοὺς νόμους ἄγων τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸν νοῦν ἐλεύθερον τηρῶν, καὶ οὐκ ἐῶν ἐνδυναστεῦσαι τῇ ψυχῇ τὴν δεσποτείαν τῶν ἡδονῶν. Τὸν τοιοῦτον ἡδέως ἂν ἴδοιμι καὶ δήμων, καὶ γῆς, καὶ θαλάσσης ἄρχοντα, καὶ πόλεων, καὶ στρατοπέδων. Ὁ γὰρ τοῖς πάθεσι τῆς ψυχῆς τὸν λογισμὸν ἐπιστήσας, ῥᾳδίως ἂν ἐπισταίη καὶ ἀνθρώποις μετὰ τῶν θείων νόμων· ὥστε αὐτὸν ἐν πατρὸς τάξει τοῖς ἀρχομένοις εἶναι, μετὰ πάσης ἡμερότητος ὁμιλοῦντα ταῖς πόλεσιν. Ὁ δὲ ἀνθρώπων μὲν ἄρχειν δοκῶν, θυμῷ δὲ καὶ φιλαρχίᾳ καὶ ἡδοναῖς δουλεύων, πρῶτον μὲν καταγέλαστος εἶναι δόξειεν ἂν τοῖς ἀρχομένοις, ὅτι στέφανον μὲν φορεῖ λιθοκόλλητον καὶ χρυσοῦν, σωφροσύνῃ δὲ οὐκ ἐστεφάνωται· καὶ ἁλουργίδι μὲν ὅλον τὸ σῶμα λάμπεται, τὴν δὲ ψυχὴν ἀκόσμητον ἔχει, ἔπειτα δὲ οὐδὲ ὅπως μεταχειρίσαιτο τὴν ἀρχὴν ἐπίσταται. Ὁ γὰρ ἑαυτοῦ μὴ δυνηθεὶς ἄρχειν, πῶς ἂν ἑτέρους δυνηθείη κα-

τευθύνειν

εὐθύνειν τοῖς νόμοις; Εἰ δὲ βούλει καὶ τὸν πόλεμον ἑκατέρων ἰδεῖν, εὑρήσεις τὸν μὲν δαίμοσι μαχόμενον, καὶ κρατοῦντα, καὶ νικῶντα, καὶ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ στεφανούμενον· (μετὰ γὰρ τῆς θείας ῥοπῆς ἐπὶ τὸν πόλεμον ἔρχεται, οὐρανίοις πεφραγμένος ὅπλοις, ὥστε ἀνάγκη τοῦτον γενέσθαι τὸν κρατοῦντα·) τὸν δὲ βασιλέα βαρβάροις μαχόμενον. Ὅσῳ δὲ τῶν ἀνθρώπων οἱ δαίμονες φοβερώτεροι, τοσούτῳ λαμπρότερος ὁ τούτων κρατῶν τοῦ νικῶντος ἐκείνους. Εἰ δὲ καὶ τὴν αἰτίαν ἑκατέρου πολέμου καταμαθεῖν βουληθῇς, πολὺ τὸ οὐκ ἴσον εὑρήσεις. Ὁ μὲν γὰρ ὑπὲρ εὐσεβείας καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ λατρείας πολεμεῖ τοῖς δαίμοσιν, ἢ πόλεις ἢ κώμας ἐκ τῆς πλάνης ἐξαρπάσαι ποθῶν· ὁ δὲ μάχεται βαρβάροις ὑπὲρ τόπων, ἢ ὅρων, ἢ χρημάτων ἁρπασθέντων, ἢ πλεονεξίας, καὶ ἔρωτος ἀρχῆς ἀδίκου παρακαλούσης ἐπὶ τὴν μάχην. Ἔνθα δὴ πολλοὶ πολλάκις βασιλεῖς, τῶν μειζόνων ἐπιθυμήσαντες, καὶ τὰ παρόντα προσαπώλεσαν. Ἡ μὲν οὖν ἀρχὴ, καὶ οἱ πόλεμοι τοσοῦτον ἀλλήλων διαφέροντας ἔδειξαν, τόν τε βασιλέα, καὶ τὸν ἐσπουδακότα τῇ τοῦ Θεοῦ λατρείᾳ συζῆν. Γνοίη δ' ἄν τις αὐτοὺς ἀκριβῶς, τὸν βίον ἑκατέρου, καὶ τὰς πράξεις τὰς παρ' ἡμέραν σκοπῶν. Εὕροι γὰρ ἂν ὡς ἀληθῶς τὸν μὲν ὁμιλοῦντα Προφήταις, καὶ τῇ Παύλου σοφίᾳ τὴν ψυχὴν καλλωπίζοντα, μεταπηδῶντα συνεχῶς ἀπὸ μὲν Μωσέως πρὸς Ἠσαΐαν, ἀπὸ δὲ τούτου πρὸς Ἰωάννην, ἀπὸ δὲ τούτου πρὸς ἕτερον· τὸν βασιλέα δὲ συνεχῶς ὁμιλοῦντα ταξιάρχοις, καὶ ὑπάρχοις, καὶ δορυφόροις. Οἷς δέ τις ὁμιλεῖ συνεχῶς, τούτοις ἀφομοιοῦται τὸ ἦθος. Οὐκοῦν ὁ μὲν μονάζων πρὸς τὰ τῶν Ἀποστόλων καὶ Προφητῶν ἤθη ἐκτυποῦται τὴν γνώμην· ὁ δὲ βασιλεὺς πρὸς τὰ τῶν στρατηγῶν, καὶ δορυφόρων, καὶ ὑπασπιστῶν, ἀνθρώπων οἴνῳ δουλευόντων, καὶ ἡδοναῖς χαριζομένων, καὶ τὸ πλέον τῆς ἡμέρας διατριβόντων ἐν πότῳ, οὐδὲν καίριον ἢ καλὸν διὰ τὸν οἶνον ἐπισταμένων. Οὕτως ἄρα, καὶ διὰ τοῦτο τὸν μονήρη βίον προσήκει μακαρίζειν μᾶλλον, ἢ τὸν ἐν δυναστείᾳ καὶ βασιλείᾳ, καὶ σκήπτροις. Εἰ δὲ καὶ τῆς νυκτὸς τὸν χρόνον ἐξετάζειν βουληθείημεν, τὸν Μοναχὸν μὲν ὀψόμεθα τῇ

legibus moderari queat? Iam si cognoscere libet, cum quibus vterque bellum gerat, Monachum quidem cum dæmonibus ipsis confligentem inuenies, hunc vincere, hunc à Christo coronam accipere: (neque enim, cùm Dei propensione, armaturáque cælesti septus, ad certamen accedat, poterit non superior euadere:) at Regem cum Barbaris decertantem comperies. Verùm vti formidabiliores sunt dæmones quàm homines, ita præclariùs facit qui illos vincit, quàm qui hos superat. Quòd si id quoque perdiscere voles, quibus de causis vterque certamen ineat, eas multum inter se dissimiles reperies. Nam alter, quò pietatis studium Deique cultum retineat, quò vrbes & pagos ab errore vindicet, cum dæmonibus assiduè concertat: alter pro locis, pro finibus, pro pecuniâ quam violenter rapuit, aut quòd plura etiam conquirere cupit, cum Barbaris digladiatur, regno nimirum præter æquitatem parto ad pugnam prouocante. Hîc itaque non rarò contingit, vt multi inter Principes, dum maiora affectant, ea etiam amittant quæ præsentia habent. Hæc sanè imperiorum certaminumque diuersitas, vel sola abundè ostendit, quantum sit discriminis inter Regem, & eum qui diuino cultui deditus viuere studet. Quamquam hac etiam ratione penitus cognosci poterunt, si quispiam obseruet, quodnam vitæ genus vterque sequatur, & quibus studijs quotidie se occupet. Inueniet enim profectò hunc quidem nunc cum Prophetis miscere colloquium, mox Pauli doctrinâ animum ornare, assiduè à Moyse ad Isaiam, rursum ab hoc ad Ioannem, porrò hinc ad alium quempiam transilire: Principem verò inter Tribunos, inter Centuriones, inter satellites numquam non versari. Atqui cum quibus quis iugiter consuetudinem habet, hos ferè moribus exprimere consueuit. Quo fit, vt Monachus ad Apostolorum Prophetarumque mores animum formet: Rex verò eorum viuendi rationem sequatur, quos belli Duces, satellites, corporisque defensores habet: homines scilicet qui vinolentiæ seruiunt, qui libidinibus indulgent, qui potiorem diei partem compotationibus impendunt, qui denique ob nimiam temulentiam, neque opportunum, neque honestum quidquam exequi norunt. Proinde vel hoc vno nomine dignior videri debet vita solitaria quæ laudibus euehatur, quàm ea quæ in potestate, Imperio, sceptrisque traducitur. Porrò autem, si noctis etiam tempus excutere velimus, Monachum quidem diuino

uino cultu precandique studio ornatum, multo ante aues canere, cum Angelis conuictum agere, cum Deo familiariter colloqui, & vt vno verbo expediam, bonis cælestibus frui videbimus: contrà, eum qui multis gentibus, multis militum copijs præest, qui terræ marisque quamplurimum sub Imperio obtinet, in strato porrectum stertentemque conspiciemus. Neque id mirum. Ille enim tantum cibi sumit, quantum haudquaquam profundum somnum exigat: hunc verò deliciæ potusque sopiunt, & in multam lucem in lecto detinent. Ad hæc Monacho tum vestis tum mensa mediocris, conuictores præterea, qui virtutem eamdem meditentur & exerceant: at Princeps, vt auro ornetur, vt mensâ splendidè instructâ vtatur, necessarium est. qui si stolidus sit, nimirum suâ stultitiâ dignos nanciscetur conuiuas; sin verò sanæ mentis quidquam habeat, iustos fortassis & frugi habebit, sed prioribus illis longè inferiores. Videlicet vt maximè philosophetur Princeps, numquam tamen vel minimum ad illam Monachi probitatem accedere poterit: etenim siue iter faciat, siue se in vrbe contineat, siue in pace viuat, siue bello tumultuetur, numquam non est grauissimus subditis. Iam dum vectigalia exigit, dum copias cogit, dum captiuorum multitudinem agit, dum vincitur, addam & dum vincit ipse, quàm multis domesticis malis eos replet, in quos habet imperium? Nam si superior euadat, continuò molestus efficietur, vt qui trophæis clarus, tum maximè insolescit, militibusque potestatem faciet vt rapiant, vt prædentur, vt iter facientes iniuriâ afficiant, vt vrbes obsideant, vt pauperum casas populentur, vt eos quotidianis premant exactionibus, à quibus hospitio excepti fuerint. (quæ omnia nulla omnino lex permittit) tantæ insaniæ veterem nescio quam consuetudinem prætexens, iniustam eam, & cum legibus pugnantem. Quibus tamen malis opulentum quidem hominem Princeps non lædit, ceterùm pauperi damnum infert: velut reuerà eos reueritus qui facultatibus abundant. At non ad eum modum Monachus: verùm cùm in publicum prodit, beneficij quidpiam secum defert, quo tum diuitibus tum pauperibus ex æquo gratificetur; vnicâ eademque veste quotidie vtens, prætereà puram bibens aquam, idque longè suauiùs quàm præclarum vinum: ad hæc nullum omnino beneficium ab opulentis in suum ipsius vsum postulans, sed in eorum vtili-

τῇ Θεοῦ λατρείᾳ, καὶ ταῖς εὐχαῖς κοσμούμενον, πολὺ πρότερον ᾄδοντα τῶν ὀρνίθων, Ἀγγέλοις συμβιοτεύοντα, Θεῷ λαλοῦντα, τῶν οὐρανίων ἀγαθῶν ἀπολαύοντα· τὸν δὲ πολλοῖς ἔθνεσιν ἐφεστηκότα, καὶ δήμοις, καὶ στρατοπέδοις, καὶ πολλῆς μὲν γῆς, πολλῆς δὲ ἄρχοντα θαλάττης, ἐπὶ τῆς κλίνης ἀνατετραμμένον καὶ ῥέγχοντα. Ἐκεῖνος μὲν γὰρ τοσούτοις τρέφεται σιτίοις, ὅσα οὐκ ἂν ἀπαιτήσειε τὸν Μοναχὸν ὕπνον βαθύν· τὸν δὲ ἡ τρυφὴ κατακοιμίζει καὶ ὁ πότος, μέχρις ἡμέρας αὐτῆς ἐν τῇ κλίνῃ κατέχων. Ἔστι τοίνυν τῷ μὲν Μοναχῷ καὶ ἀμπεχόνη καὶ τράπεζα μετρία, καὶ σύσσιτοι τῆς αὐτῆς ἀρετῆς ἀθληταί· τὸν βασιλέα δὲ λίθοις τε ἀνάγκη καὶ χρυσῷ καλλωπίζεσθαι, τράπεζάν τε παρατίθεσθαι λαμπράν, καὶ χρῆσθαι συσσίτοις, εἰ μὲν ἄφρων εἴη, τῆς ἑαυτοῦ κακίας ἀξίοις, εἰ δὲ νοῦν ἔχοι καὶ σωφρονοίη, χρηστοῖς ἴσως καὶ δικαίοις, πολὺ δὲ λειπομένοις τῆς ἐκείνων ἀρετῆς. Οὕτω κἂν φιλοσοφῇ βασιλεύς, οὐδὲ κατὰ μικρὸν ἐγγὺς ἐλθεῖν τῆς τοῦ μονάζοντος καλοκαγαθίας δυνήσεται. καὶ γὰρ ἐν ὁδοιπορίαις βαρύς ἐστι τοῖς ὑπηκόοις, καὶ πόλιν οἰκῶν, καὶ εἰρήνης ἀπολαύων, καὶ πολέμων ἁπτόμενος. Φόρους τε εἰσπραττόμενος, καὶ στρατεύματα συγκροτῶν, καὶ αἰχμαλώτους ἄγων, καὶ νικῶν, καὶ ἡττώμενος, τῶν οἰκείων κακῶν ἀναπίμπλησι τοὺς ἀρχομένους. Καὶ νικῶν, ἀφόρητος γίνεται· καλλωπιζόμενός τε τοῖς τροπαίοις, καὶ μέγα φρονῶν, καὶ τοῖς στρατιώταις παρέχων ἄδειαν ἁρπάζειν, συλᾶν, τοὺς ὁδοιπόρους ἀδικεῖν, τὰς πόλεις ἐν τῇ καθέδρᾳ πολιορκεῖν, τὰς τῶν πενήτων πορθεῖν οἰκίας, τοὺς ὑποδεξαμένους εἰσπράττεσθαι καθ' ἑκάστην ἡμέραν, (ἃ μηδεὶς ἐπιτρέπει νόμος) ἐπὶ προφάσει τινὸς ἔθους ἀρχαίου, παρανόμου τε καὶ ἀδίκου. Καὶ τὸ μὲν ἔβλαψεν οὐδὲν ὁ βασιλεὺς τοῖς τοιούτοις κακοῖς, τὴν πενίαν δὲ ἐκάκωσεν, ὥσπερ ὡς ἀληθῶς αἰσχυνόμενος τοὺς εὐπόρους. Οὐ μήν γε ὁ Μοναχὸς οὕτως, ἀλλ' ἅμα τε ὤφθη, καὶ πλουσίων καὶ πενήτων χάριν τινὰ κομίζων ἦλθε καὶ τούτοις κἀκείνοις ὁμοίως, ἱματίῳ μὲν ἑνὶ δι' ἔτους χρώμενος, ὕδωρ δὲ πίνων, ἥδιον ἢ θαυμαστὸν οἶνον· ὑπὲρ ἑαυτοῦ μὲν οὔτε μίαν, οὔτε μικράν, οὔτε μείζω χάριν παρὰ τῶν πλουσίων αἰτῶν, ὑπὲρ δὲ τῶν ἐν ἐνδείᾳ πολ-

πολλάς τε καὶ συνεχεῖς, ἀμφοτέροις λυσιτελούσας, τοῖς τε παρέχουσι καὶ τοῖς κομίζεσθαι μέλλουσιν. Οὕτω κοινὸς ἔσται ἰατρὸς καὶ πλουσίων καὶ πενήτων ὁμοίως, τοὺς μὲν ἁμαρτημάτων ἐλευθερῶν διὰ τῆς ἀγαθῆς νουθεσίας, τοῖς δὲ λύων τὴν ἔνδειαν. Βασιλεὺς δὲ τάς τε εἰσφορὰς κουφοτέρας εἶναι κελεύων, τοὺς πλουσίους μᾶλλον, ἢ τὴν πενίαν ὠφέλησε· καὶ τὰ ἐναντία ποιῶν, τοὺς μικρὰ κεκτημένους ἔβλαψε. Τὸν μὲν γὰρ πλούσιον ὀλίγα ἂν βλάψειεν ἡ χαλεπότης τῶν εἰσφορῶν, τὰς δὲ τῶν πενήτων οἰκίας, ὥσπερ χειμάρρους περισύρει, οἰμωγῆς τε ἐμπιπλῶσι τὰς κώμας· καὶ οὔτε γῆρας ἐλεεινὸν τοῖς εἰσπραττομένοις τοὺς φόρους, οὔτε χηρεία γυναικῶν, οὐκ ὀρφανία παίδων· ἀλλὰ κωμάζουσι πάντα τὸν χρόνον, κοινοί τινες πολέμιοι τῆς χώρας, ἅπερ οὐκ ἐξήνεγκεν ἡ γῆ, ταῦτα τοὺς γεωργοὺς εἰσπραττόμενοι. Φέρε, κἀκεῖνο ἐξετάσωμεν, τί μὲν ὁ Μοναχὸς, τί δὲ ὁ βασιλεὺς τοῖς ὑπηκόοις χαρίζεται. Οὐκοῦν ὁ μὲν χρυσὸν, ὁ δὲ πνεύματος χάριν. Καὶ ὁ μὲν ἔλυσε πενίαν, ὅτ᾽ ἂν ᾖ χρηστὸς, ὁ δὲ ψυχὰς τυραννουμένας ὑπὸ δαιμόνων ἠλευθέρωσε ταῖς προσευχαῖς. Κἂν συμβῇ τινα τοιαύταις χειμάζεσθαι συμφοραῖς, τὸν βασιλέα μὲν ὥσπερ τὰ ἄψυχα παρέρχεται, ἐπὶ δὲ τὴν τῶν Μοναχῶν οἰκίαν καταφεύγει, ὥσπερ ὁ λύκον ὑποφεύγων, καταφεύγων δὲ ἐπ᾽ ἄνδρα θηρευτὴν ξίφος ἐν τῇ χειρὶ φέροντα. Ὅπερ γὰρ τῷ θηρευτῇ ξίφος, τοῦτο προσευχὴ τῷ μονάζοντι· οὐ γὰρ οὕτω φοβερὸν τοῖς λύκοις τὸ ξίφος, ὡς τοῖς δαίμοσιν αἱ προσευχαὶ τῶν δικαίων. Οὐ τοίνυν μόνον ἡμεῖς πρὸς τοὺς ἁγίους Μοναχοὺς ἐν ταῖς χρείαις καταφεύγομεν, ἀλλὰ καὶ οἱ βασιλεῖς αὐτοὶ πρὸς τούτους καταφεύγουσιν ἐν καιροῖς φοβεροῖς, ὥσπερ οἱ πτωχεύοντες ἐν λιμῷ πρὸς τὰς τῶν πλουσίων οἰκίας. Οὐκ Ἀχαὰβ ὁ τῶν Ἰουδαίων βασιλεὺς ἐν λιμῷ καὶ σιτοδείᾳ τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας εἶχεν ἐν ταῖς Ἠλιοῦ προσευχαῖς; Οὐκ Ὀζίας τὴν αὐτὴν ἔχων ἀρχὴν καὶ δυναστείαν, νοσῶν, καὶ μέλλων τελευτᾶν, ἐφεστηκότα τὸν θάνατον ὁρῶν, ἐπὶ τὸν αὐτὸν Προφήτην κατέφυγεν, ὡς θανάτου δυνατώτερον, καὶ ζωῆς χορηγόν; Καὶ μὴν καὶ πολέμου καταρραγέντος, καὶ τῆς Παλαιστίνης ἐκ βάθρων αὐτῶν ἀνασπασθῆναι κινδυνευούσης, οἱ τῶν Ἰουδαίων βασιλεῖς ἀφέντες τὴν στρατείαν, καὶ τε-

tatem qui indigentiâ laborant, plurima creberrimaque: sic demum vtrisque vtilia futura, & his qui dant, & his qui accipiunt. Atque ita pauperibus & diuitibus communis medicus aduenit, dum & hos suo hortatu à peccatis liberos reddit, & illos paupertatis molestiâ liberat. Princeps verò si tributum leuius esse iubeat, magis hic diuitum quàm pauperum commodo consulit: sin diuersum præcipiat, iam eos qui pauca possident certissimo damno afficit. Etenim exactiones vt maximæ grauissimæque sint, diuitibus parum admodum nocere possunt: cùm interim totas pauperum domos, velut torrens quispiam, detrahant, & vicos vlulatu repleant: non hîc senectute, non mulierum viduitate, non filiorum orbitate ad misericordiam prouocantur hi qui vectigalia exigunt, sed petulantiâ quadam acti, quæ terra non protulit, hæc velut communes regionis hostes ab agricolis quotidie repetunt. Age verò, illud quoque excutiamus, quibus obsequijs Monachus, quibus item Princeps subditos demereri possit. Igitur hic quidem aurum, ille spiritus gratiam largitur. Rursus hic, vbi benignior vult esse, paupertatis malum tollit: ille animas sub dæmonum tyrannidem redactas, pristinæ libertati suis precibus restituit. Etsi quando contingat vnum aliquem id genus calamitatibus fluctuari, is eo modo quo inanimata solent, Regem pertransiens, ad Monachorum domicilium ocyùs contendit, haud aliter quàm si lupum fugeret, & ad venatorem ferrum manu gestantem confugeret. Nam quod venatori ferrum, hoc planè Monacho est deprecatio: neque enim ita formidabile lupis est venabulum, vti dæmonibus iustorum preces. Nec verò soli nos, dum necessitas quæpiam vrget, ad sanctos hosce Monachos confugimus; quin ipsi quoque Reges, si quid metuunt, ad hos, velut esurientes mendici ad diuitum domos, fugere consueuerunt. An non Achab, ille qui Iu- 3.Reg.18.
dæorum populo præerat, cùm ob penuriam rei frumentariæ fames desæuiret, omnem salutis spem in Eliæ precibus collocauit? An non Ochozias idem Imperium 4.Reg.1.
eamdemque potestatem obtinens, cùm ægrotus decumberet, mortique proximus præsentem finem cerneret, ad illum ipsum Prophetam, tamquam ad eum qui superior esset morte, quique vitam largiri posset, confugit? Certè Iudæorum Principes, cùm bello conflixissent, periculumque esset, ne Palæstina ab ipsis fundamentis euelleretur, relicto tum equestri

tum

tum pedestri exercitu, relictis sagittarijs,
4. Reg. 6. relictis Ducibus ac Centurionibus, ad Elisei preces confugerunt: sibi enim persuaserant, Dei famulum auxilium longè præsentius allaturum, quàm multæ militum myriades adferre potuissent. Hoc ipsum æmulatus Rex Ezechias, cùm bellum Persicum constanter vrgeret, eoque periculi vrbs redacta esset, vt iam iam solo æquanda putaretur, & hi qui in muro stabant, non aliter tremore ac metu agitarentur, quàm dum aut tonitruus exspectatur, aut terræmotus aliquis exortus vniuersa mouet, solas Isaiæ preces innumeræ Persarum multitudini opposuit. Neque sanè suâ spe frustratus est: nam simulatque Propheta ille manus in cælum sustulit, illicò Deus, demissis è cælo iaculis, bellum, quod à Persis inferebatur, soluit: Principes interim docens, cuiusmodi opinionem de his habere debeant, quos sibi famulos delegit, nempe talem, vt eos communes orbis seruatores esse credant: quò ceteri quoque, quos viri iusti exhortantur, omnibus studijs posthabitis, etiam pijs & honestis, eorum consilia reuereri, ac sanctis monitionibus parere primùm discant. Sed non ex his tantùm vtriusque discrimen animaduertere licet; verùm hac etiam ratione, si tum hunc tum illum excidere, hoc est, & Monachum virtute, & Principem Imperio spoliari contingat. Ille enim simulatque peccata sua, oratione, lacrymis, luctu, pauperumque curâ diluerit, sibi ipsi facile restituetur, & ad pristinam dignitatem nullo negotio recurret. Rex autem posteaquam decidit, quàm multis opus habet qui auxilientur, qui arma gestent? quot equitibus, quot equis, quàm magnâ pecuniæ vi indiget? quantum periculorum accedere cogitur? breuiter, tota eius salus ex alieno pendet auxilio. Sed illum alterum (si quidem voluerit ipse, operamque dederit vt animum
Luc. 17. mutet) salus vltrò sequetur. Regnum enim, inquit, cælorum intra vos est. Porrò Regi quidem mors est formidabilis, at ei qui philosophiam hanc sequitur, ne tristis quidem: neque enim vllâ ratione fieri potest, vt qui opes, voluptates deliciasque fortiter contemnit (quorum solâ gratiâ plurimi mortales viuere cupiunt) non, inquam fieri potest, vt is transitum ex hac vitâ non æquissimo ferat animo. Iam si vtrumque trucidari contingat, nimirum Monachus ob pietatem defendendam, caput periculis objiciet, mortali vitâ cum immortali feliciter permutatâ: Princeps verò à tyranno quopiam qui Im-

4. Reg. 11. 19. Isa. 37.

ζὺς, καὶ τοξότας, καὶ ἱππέας, καὶ στρατηγοὺς, καὶ ταξιάρχους, ἐπὶ τὰς Ἐλισσαίου προσευχὰς κατέφυγον· ἡγοῦντο γὰρ, αὐτοῖς ἀντὶ πολλῶν μυριάδων ἔσεσθαι θεράποντα τοῦ Θεοῦ. Τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ Ἐζεκίας, τοῦ Περσικοῦ πολέμου συστάντος, καὶ τῆς πόλεως περὶ τὴν ἐδάφαν αὐτὸν εἰς κίνδυνον μέγιστον καταπεκλιμένης, καὶ τῶν ἐπὶ τῷ τείχει τρεμόντων, καὶ δεδοικότων, καὶ σειομένων, καθάπερ ἐν προσδοκίᾳ βροντῆς, ἢ σεισμοῦ πάντα κινοῦντος, τὰς Ἡσαΐου προσευχὰς ὁ βασιλεὺς ἀντέστησε ταῖς πολλαῖς τῶν Περσῶν μυριάσι. Καὶ οὐκ ἐψεύσθη τῆς ἐλπίδος· ἅμα τε γὰρ ὁ Προφήτης τὰς χεῖρας ἦρεν εἰς οὐρανὸν, καὶ τοῖς ἐξ οὐρανοῦ βέλεσιν ὁ Θεὸς τὸν Περσικὸν κατέλυσε πόλεμον· παιδεύων τοὺς βασιλεῖς κοινοὺς τῆς γῆς ἡγεῖσθαι σωτῆρας τοὺς ἑαυτοῦ θεράποντας, ὅπως ἂν παιδευθεῖεν, καὶ παρακαλούμενοι παρὰ τῶν δικαίων, ἐπὶ πᾶσαν πρᾶξιν ἀγαθὴν καὶ φιλάνθρωπον αἰδεῖσθαι τὰς συμβουλίας, καὶ πείθεσθαι ταῖς ἀγαθαῖς νουθεσίαις. Οὐ τοίνυν ἐκ τούτων μόνον ἐστὶ τὸ διάφορον ἰδεῖν ἀμφοτέρων, ἀλλὰ κἂν ἐκπεσεῖν συμβῇ καὶ τοῦτον κἀκεῖνον, τὸν μὲν τῆς ἀρετῆς, τὸν δὲ τῆς βασιλείας στερηθῆναι. Ὁ μὲν ῥᾳδίως ἂν ἑαυτοῦ γένοιτο, καὶ ταχέως διὰ προσευχῆς, καὶ δακρύων, καὶ πένθους, καὶ θεραπείας πτωχῶν, τὰς ἁμαρτίας ἀποτριψάμενος, πάλιν ῥᾳδίως ἐπὶ τὴν προτέραν ἀρχὴν ἀνατρέχει· βασιλεὺς δὲ ἐκπεσὼν πολλῶν μὲν ἂν δεηθείη συμμάχων, πολλῶν δὲ ὁπλιτῶν, καὶ ἱππέων, καὶ ἵππων, καὶ χρημάτων, καὶ κινδύνων, καὶ ὅλως ἐν ἑτέροις ἔχει τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας. Ὁ δὲ τῇ βουλήσει, καὶ τῇ σπουδῇ, καὶ τῇ μεταβολῇ τῆς γνώμης ἑπομένην ἕξει τὴν σωτηρίαν εὐθέως. Ἡ βασιλεία γάρ, φησι, τῶν οὐρανῶν ἐντὸς ὑμῶν ἐστι. Καὶ μὴν ὁ θάνατος τῷ μὲν βασιλεῖ φοβερὸς, τῷ φιλοσοφοῦντι δὲ ἄλυπος· τὸν γὰρ ὑπερορῶντα πλούτου καὶ ἡδονῆς καὶ τρυφῆς, (ὧν ἕνεκα ζῆν ἐπιθυμοῦσιν οἱ πολλοὶ,) καὶ τὴν ἐνθένδε μετάστασιν, ἀνάγκη ῥᾳδίως φέρειν. Εἰ δὲ καὶ σφαγῆναι τοῦτον συμβαίη κἀκεῖνον, ὁ μὲν ὑπὲρ εὐσεβείας ἐπισπάσεται κινδύνους, ἀθάνατον ζωὴν καὶ οὐράνιον διὰ θανάτου πραγματευόμενος· βασιλεὺς δὲ τύραννον ἕξει σφαγέα καὶ τῆς ἀρχῆς ἐραστὴν,

στιν, ἐλεεινὸν θέαμα καὶ δεινὸν μετὰ τὴν σφαγὴν γινόμενος. Μοναχὸν δὲ ἰδεῖν ὑπὲρ εὐσεβείας ἐσφαγμένον, ἡδὺ καὶ σωτήριον θέαμα. Καὶ ὁ μὲν τοὺς ἐραστὰς τῶν οἰκείων ἀγαθῶν μιμητὰς ἕξει καὶ μαθητὰς πολλοὺς, εὐχομένους αὐτοῦ φανῆναι παραπλησίους· ὁ δὲ πολλοὺς ἂν ἐν προσευχαῖς ἀναλώσειεν λόγους δεόμενος τοῦ Θεοῦ, μηδένα φανῆναι τῆς βασιλείας ἐραστήν. Καὶ τὸν μὲν οὐδεὶς ἂν ἀποκτεῖναι τολμήσειεν, εἰς τὸν Θεὸν ἀσεβεῖν ἡγούμενος, εἰ τὸν τοιοῦτον ἀνέλοι· τῷδε πολλοὶ σφαγεῖς ἐφεστήκασιν ἐρασταὶ τυραννίδος. Διόπερ ὁ μὲν φρουρεῖται στρατιώταις, ὁ δὲ πόλεις τειχίζει ταῖς εὐχαῖς, οὐδένα δεδοικώς. Ὁ δὲ βασιλεὺς ἀεὶ φόβῳ συζῇ καὶ προσδοκίᾳ σφαγῆς· ὁ μὲν γὰρ ἐπικίνδυνον ἔχει πλεονεξίαν, ὁ δὲ ἀσφαλῆ σωτηρίαν. Περὶ μὲν οὖν τῶν ἐν τῷ παρόντι βίῳ πραγμάτων, ἱκανῶς εἰρῆσθαί μοι δοκεῖ. Εἰ δὲ καὶ τὸν * ἀγῶνα τὸν μέλλοντα βουληθείημεν ἐξετάζειν, τὸν μὲν ὀψόμεθα λαμπρὸν καὶ περίβλεπτον ἁρπαζόμενον ἐν νεφέλαις εἰς ἀπάντησιν τοῦ Κυρίου εἰς ἀέρα, κατὰ τὸν ἡγεμόνα καὶ παιδευτὴν τοῦ σωτηρίου τούτου βίου, καὶ πάσης ἀρετῆς. Ὁ δὲ βασιλεὺς, ἐὰν μὲν δικαίως φανείη καὶ φιλανθρώπως διοικήσας τὴν ἀρχὴν, (πολὺ δὲ τοῦτο σπάνιον) ἐλάττονος ἔσται σωτηρίας τε καὶ τιμῆς· οὐ γὰρ ἴσου, οὐκ ἴσου βασιλεύς τε χρηστὸς, καὶ Μοναχὸς ἄκρως τῇ τοῦ Θεοῦ λατρείᾳ συζῶν. Εἰ δὲ φανείη πονηρὸς καὶ σκαιὸς, πολλῶν κακῶν ἐμπεπληκὼς τὴν γῆν, τίς ἂν εἰπεῖν δυνηθείη τὰς συμφορὰς, ἃς ὀφθήσεται συνεχόμενος, πυρὶ καιόμενος, μαστιγούμενος, στρεβλούμενος, τοιαῦτα πάσχων, ἅπερ οὔτε λόγῳ ῥητὰ, οὐδὲ ἔργῳ φορητά; Ταῦτα πάντα δεῖ λογιζομένους, καὶ μανθάνοντας, μὴ τοὺς πλουτοῦντας θαυμάζειν· ὁ γὰρ τούτων δεσπότης πεφηνὼς, οὐδὲ κατὰ μικρὸν ἐγγὺς ἐλθεῖν δύναται τῆς τοῦ Μοναχοῦ ἀρετῆς. Ὅταν οὖν ἴδῃς πλούσιον ἐσθῆτι κεκοσμημένον, χρυσῷ καλλωπιζόμενον, ἐπ' ὀχημάτων φερόμενον, ἐξόδους ἐξιόντα λαμπρὰς, μὴ μακαρίσῃς τὸν ἄνθρωπον· πρόσκαιρος γὰρ ὁ πλοῦτος, καὶ τὸ δοκεῖν εἶναι κα-

*legendum puto, αἰῶνα τὸν μέλλοντα.

perium ambiebat, iugulabitur, miserabile simul & triste spectaculum à cæde relictus. Atqui Monachum, qui pro pietate mortem oppetierit, omnes summa cum voluptate summoque salutis profectu spectant. Ad hæc multi erunt, qui huius bona expetant, qui virtutem æmulentur, qui discipuli esse cupiant, plurimi qui votis ardentibus id optent, vt ei quàm proximi esse videantur: sed Rex multis hoc apud Deum precibus agit, ne quisquam exoriatur qui ad Imperium aspiret. Præterea nemo est qui Monacho vitam auferre audeat, ratus se impietatem in Deum admissurum, si eiusmodi virum è medio tolleret: cùm interim plurimos reperias regnum ambientes, qui Principi continenter immineant, eius iugulum ferire parati. Quapropter hic à militibus custoditur: ille neminem formidans, etiam vrbes suis precibus velut muro quopiam defendit. Princeps in perpetuo timore, atque adeò mortis expectatione vitam agit, vt qui dignitatem illam, quâ ceteros excellit, magno cum periculo coniunctam habeat; at Monachus modis omnibus tutâ fruitur salute. Verùm de his quæ ad præsentem vitam attinent, satis mihi videor disseruisse. Nunc si futuri illius sæculi statum etiam perscrutari velimus, Monachum quidem fulgentem ac conspicuum videbimus in nubibus rapi in occursum Domini in aëra, quemadmodum inquit dux ille salutiferæ vitæ, simulque vniuersæ virtutis doctor Paulus. Princeps autem, si iustè & quâ decuit humanitate imperium administrarit (quamquam & id rarum) salutem quidem consequetur, sed honore longè inferiorem. Neque enim pari, non, inquam, pari præmio digni sunt, bonus Princeps, & Monachus qui per omnem vitam diuinum cultum exactissimè seruauit. Sin perditus ac ferox fuerit, terramque multis malis repleuerit; quis iam enarrare queat calamitates quas sustinebit, dum igne cremabitur, dum flagris concidetur, dum torquebitur; breuiter, dum ea patietur, quæ neque sermone consequi, neque reipsâ tolerare mortalium quisquam possit? Hæc omnia perpendentes ac discentes assiduè, non eos admirari conuenit qui opibus abundant; præsertim cùm iam palàm sit, illarum dominium ne minimum quidem ad singularem Monachi virtutem accedere posse. Itaque cùm videris quempiam è numero diuitum vestium ornatu auroque conspicuum, curru sublimem vehi, & magno apparatu è domo prodire, caue beatum hominem dixeris: istæ siquidem temporariæ opes, simulque omnia ea quæ speciem

1\. Thess. 4.

T tantùm

tantùm boni habent, vnà cum hac vitâ pereunt. Ceterùm vbi Monachum conspexeris solum iter facientem, humilem, mitem, tranquillum, mansuetum; hunc tu virum beatum prædica, fac huius philosophiam referre videaris, id apud Deum precibus contende, vt iusto sis quàm proximus. Math.7. Petite, enim inquit, & dabitur vobis. Hæc sunt quæ vero nomine bona appellantur, hæc quæ salutem nobis conciliant, hæc denique quæ perpetuò manent Christi erga nos charitate ac prouidentiâ, cui gloria, & Imperium in sæcula sæculorum, Amen.

λὸν, τῷ βίῳ τούτῳ συνδιαφθείρεται. Μοναχὸν δὲ ἰδὼν βαδίζοντα μόνον, ταπεινὸν, καὶ πρᾶον, καὶ ἡσύχιον, καὶ ἥμερον, ζήλωσον τὸν ἄνδρα, φάνηθι μιμητὴς τῆς ἐκείνου φιλοσοφίας, εὖξαι γενέσθαι τῷ δικαίῳ παραπλήσιος. Αἰτεῖτε, γάρ φησι, καὶ δοθήσεται ὑμῖν. Ταῦτα γὰρ ὡς ἀληθῶς καλὰ, καὶ σωτήρια, καὶ μόνιμα διὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ φιλανθρωπίαν καὶ πρόνοιαν, ᾧ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

VENE-

VENERABILIS PATRIS

D. LVDOVICI BLOSII

ABBATIS LAETIENSIS

ORDINIS S. BENEDICTI

SACELLVM

ANIMÆ FIDELIS

PARTIBVS III. DISTINCTVM.

I. Tabella spiritualis, continens breuem Institutionem Vitæ Christianæ, expeditissimamque rationem perueniendi ad sincerum amorem Dei.

II. Preculæ admodum piæ, quibus anima fidelis in vitæ sanctitate & Dei amore plurimùm crescere confirmariq́ue poterit.

III. Dicta quorumdam Patrum verè aurea, ex quorum diligenti lectione anima humilis ineffabilem vtilitatem consequetur.

LVDOVICI BLOSII IN SACELLVM ANIMÆ FIDELIS

PRÆFATIO.

I. Sacellum animæ fidelis tyronibus conſcriptum eſt. Præpoſtera multorum cura ſcientiam pietati præferentium.

II. Quâ attentione & perſeuerantiâ legenda ſint quæ hîc afferuntur.

III. Dolendus Monachorum illorum ſtatus, qui, ſpiritualitate neglectâ, mundanis ſolatijs implicantur.

IV. Reducenda eſſe ſtudia ſpiritualitatis, præſertim in Nouitijs & iuuenibus, quos oportet deuotioni & abnegationi aſſueſacere.

HVNC Libellum collegi & conſcripſi tyronibus ſpiritualibus, ſiue in ſæculo, ſiue in Monaſterio aliquo vitam degant: inter quos ego numerari, & nouiſſimum locum tenere exopto. Omnes ſanè Chriſtiani deberent ſpirituales eſſe: ſed perplures vitijs ſuis gratiam Dei à ſe miſerè excludunt. * *Nonnulli litteris vel ſcientiæ ita dant operam, vt interim pietatem negligant: quod vtique vanum, peruerſum atque iniquum eſt. Niſi enim ipſis litteris ac ſcientiæ veras virtutes amoremque Dei coniungamus & præponamus, Deo diſplicet quod agimus. Equidem in hoc Libello adnotaui ſimpliciter, & quàm potui apertiſſimè, ea quæ pietatis ſunt, quæque ad ſpiritualem vitam pertinent, ſicut ex ſcriptis Patrum intelligere potui: attamen illa quæ ſcripſi, ſtrenuum ac bonâ firmaque voluntate præditum Lectorem requirunt.* 1.

1. *Opus hoc vtile erit veræ pietatis amatoribus.*

* Studium ſciētiæ malè præfertur ſtudio pietatis.

Quiſquis ergo hoc ipſo Libello iuuari cupit, non erit contentus ſi ſemel eum perlegerit: verùm indies vel certè frequenter aliquid attentâ mente ad honorem Dei in illo leget, non vagè, ſed ordinatè (etiam ſi parum fortè ei arrideat ipſa lectio) & ſæpiùs omnia releget, idque ad eum finem, vt pias inſtitutiones ibi deſcriptas in opus pro modulo ſuo proferat. * *Neque deſpondebit animum, propterea quòd in initiis ex infirmitate humanâ quotidie contraria his quæ legit admittat: ſed immobiliter in ſancto propoſito, quod ſemel aſſumpſit, Deo adiuuante perſtabit, perſeuerabitque, quidquid etiam accidat. Sic demum, & non aliter, eximium fructum ex lectione referet.* * *Preculas verò in eodem Libello poſitas, mente tantùm orabit, ſine verborum prolatione, niſi malit etiam verba ipſa pronuntiare. Perpendet apud ſe, quantæ dignitatis res ſit, precari Deum, & colloqui cum Deo. Ipſius Domini honorem in ſuis ſpiritualibus exercitiis purè ſpectabit. Si Deus internum guſtum & conſolationem ei donauerit, humiliter & gratè eam gratiam ſuſcipiet: cauens diligenter, ne ob illam ſibiipſi placeat, & ne illi nimiùm innitatur.* * *Non in ſeipſo, ſed in Deo delectari appetet. Sanè præſtiterit eum vel vnicam Precatiunculam, etiam ſine ſenſibili ſapore, ſeipſum abnegando, ad æternam Dei laudem & gloriam legere, quàm ex naturali deſiderio & affectu quærendo ſeipſum, explere centum ſibi multùm ſapidas.*

2. *Attentè, crebrò, & ordinatè legenda quæ hîc afferuntur.*

* Conſtans praxis corũ quæ leguntur optima eſt.

* Quanta res ſit cum Deo loqui, ex formulis endologicis quæ mox proponentur.

* Propria voluntas in his exercitijs abneganda debet.

 Fide-

Fideliter perseuerando in precibus, impetrabit à Deo quidquid suæ saluti necessarium & vtile est. Neque enim fieri potest, vt vel minima Precatiuncula ritè fusa careat fructu, & Deo non placeat. * Meminisse autem debebit, discretionis moderationem semper & vbique seruandam esse, ne natura, nimietate prægrauata, oneri succumbat. Non ita se astringet ad certum aliquem Orationum numerum quotidie complendum, quin charitate vel obedientiâ requirente, seu Deo exigente, paratus sit mox illas omittere. Si enim in hunc modum Deum propter Deum reliquerit, & nullum exercitium cum inordinatâ proprietate retinuerit aut possederit, Deo multùm charus erit.

* Discretio in omnibus seruetur.

3. Quàm deplorandi plerique Religiosi, qui spiritualitatem negligunt, & mundi vana solatia venantur.

Dolendum profectò est, multos non solùm ex his qui in sæculo viuunt, verùm etiam ex his qui in Monasterijs habitant, & sacræ Religionis habitum gerunt, studia pietatis salutiferæque abnegationis paruipendere atque abijcere. O rem sanguineis lacrymis deflendam! Illi qui ex professione monasticâ obligati sunt tendere ad vitæ perfectionem, scientes volentesq; innumeris vitiis impliciti remanent. Pro nihilo ducunt, * si pretiosum tempus inutiliter consumant: vanitatibus, nugis, ineptisque fabulis dediti sunt: impuro creaturarum amore detinentur: familiaritates & amicitias sibi nocentissimas cum diuersis personis cupidè contrahunt: superfluo cibo & potu delectantur: carnales delicias ac lautitias magnifaciunt, auidéque expetunt: quid sit sui mortificatio & resignatio, prorsus se ignorare, vitâ ac moribus testantur: propriam voluntatem mordicus retinent; & ei infeliciter obsequuntur: in omnibus quæ agunt, seipsos inordinatè quærunt: grandes sunt in oculis suis, & sibiipsis stolidissimè placent: odio, inuidiâ, obtrectationibus, conuitiis sese mutuò insectantur: incuriosi, segnes, & corde voluntariè vagi sunt in seruitio Dei: sacras lectiones negligenter & cum tædio audiunt: friuola amant, friuola cogitant, friuolis inhiant: terrenis fluxisque rebus ac negotiis sæcularibus sese totos immergunt, adeò vt cælestia atque æterna omnino obliuioni tradidisse videantur.

* Catalogus imperfectionum, quas Monachus verè spiritualis execrari debet.

4. Animo cōpatientis hæc dici, nō insultantis, cum desiderio reducēdi studia antiquæ pietatis: quod maximè in Nouitijs procurandum.

Verùm nullus putet me ista maligno animo commemorare: neque enim ita est. sed ex commiseratione & amore hæc à me dicuntur. Admodum namque cupio, vt huiusmodi mala eliminentur è locis Deo dicatis, in quibus tamen plurimi adhuc Dei gratiâ integerrimè viuunt. Res citò in omnibus religiosis Sodalitatibus meliùs haberent, si humilitatis, mortificationis, veræque deuotionis exercitia Monachis cordi essent, sicut olim Patribus cordi fuerunt. Nam per illa amor Dei in homine alitur, confirmatur, conseruaturque: & qui illa deserunt, paulatim efficiuntur frigidi, cæci, insensibiles, & Dei propriæque salutis immemores. Vt igitur filia Sion, Ordo videlicet monasticus, amabilem decorem, quem perdidit, recipiat; vnusquisque inito sancto proposito, assumptisque pijs exercitiis, puriùs viuere adnitatur: nam Deus certè paratus est ferre auxilium. * Curetur seriò in Cœnobijs, vt iuuenes diligentissimè sese in pietate & suiipsorum propriæque voluntatis abnegatione ac resignatione exerceant: curetur, inquam, vt Deum in omnibus purè intendere & amare, cunctosq; homines sincerâ charitate complecti discant. Siquidem in hoc consistit vera Religio, & iste est scopus omnium rituum, institutorum, ordinationum, cærimoniarumque monasticarum. Moneantur opportunè, importunè, vt huic præclarissimo studio sese totos tradant, ipsumque contineant. Hinc enim apti promptique erunt ad omnia bona opera ritè peragenda. Hinc psalmodia, & quidquid Spiritus sanctus dictauit, eis dulcescet, & claustra conuertentur in paradisum amœnissimum. Hinc denique vitam verè spiritualem, & suâ professione dignam, Deoque gratam agent, quam haud dubiè mors sancta consequetur. Eam nobis omnibus concedere dignetur dulcissimus Dominus Deus noster, qui est benedictus in sæcula.

* Spiritualis vitę sanctitas in Cœnobijs per bonam Nouitiorū culturam optimé proueniet.

LVDO-

LVDOVICI BLOSII SACELLI ANIMÆ FIDELIS PARS PRIMA, SIVE TABELLA SPIRITVALIS CONTINENS BREVEM INSTITVTIONEM VITÆ CHRISTIANÆ EXACTISSIMAMQ. RATIONEM PERVENIENDI AD SINCERVM AMOREM DEI.

§. I.

Præcepta vitæ seorsim, & cum alijs innocenter transigendæ.

1. Charitas & fides Catholicæ Ecclesiæ amplexanda: hæresis omnis damnanda est.

2. Sacramenta reuerenter frequentanda.

3. Fragilitas nostra moderatè ferenda, nec vnquam deponenda spes salutis.

4. Humilitas exercenda: superbiæ motus statim reprimendi, in quibus peccatum non est, quamdiu voluntas repugnat.

5. Patiens toleratio afflictionum & reprehensionum, pro satisfactione est peccatorum.

6. Alios nullatenus despiciamus.

7. Obediētia vnicè amanda, quæ maximi est meriti.

8. Iudicia temerariè non ferenda: peccantes tamen discretè corripiendi: etiam hostes in Christo diligendi.

9. Deo gratias agamus, omnia bona ac dona ei soli adscribendo.

10. Simus in Christo diuites, in nobis ipsis pauperes: nec tamen bona opera negligamus.

11. Custodia sensuum & linguæ: sobrietas & gulæ mortificatio.

12. Cauenda societas & occasio malorum: mores sint quidem sociabiles, graues tamen & sancti.

1. Eccle. 5. *Charitas & fides vera, intra Ecclesiam Catholicam solam.*

DEVM *time* & ama, firmiter retinens veram orthodoxamque fidem, & constanter permanens in Catholicâ ac Romanâ Ecclesiâ. Doctrinam hæreticorum, qui opiniones eidem sanctæ Ecclesiæ contrarias pertinaciter defendunt, execrare & fuge. *Deus enim eos omnes, qui per hæreses & schismata sese ab vnitate Ecclesiæ separant, abominatur. Isti homines sunt superbissimi: & nisi ipsi errores suos ante mortem deserant, deponantque, ac se corrigant, in æternum peribunt.

*Hæreticos abominatur Deus.

Vt puritatem conscientiæ adipiscaris, confitere satis frequenter humili contritoque corde peccata tua coram Sacerdote, qui auctoritatem te absoluendi habeat: sed reijce superfluos atque inanes scrupulos. Et pro viribus corrigens vitam tuam, venerabile Sacramentum Eucharistiæ certis diebus fideli grataque mente suscipe. Glorifica Dominum Deum tuum, qui largissimâ bonitate, ineffabilique charitate suâ, tam ingentem thesaurum reliquit Ecclesiæ suæ, & te admittere dignatur ad mensam illam cælestem sacrumque conuiuium, in quo verè Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ pignus datur.

2. *Frequententur Sacramenta Confessionis & Communionis.*

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10.

Vbi cœperis meliùs viuere, sæpè fortè ex fragilitate humanâ (quando occasio sese offeret) excedes elatione animi, aut impatientiâ & iræ motu, aut torpore, aut sensuali carnalique affectu, eiusque potus & cibi intemperantior, vel plus satis hilaris, vel immodicè sollicitus: sed propter hoc, atque alios huiusmodi defectus, nullo modo debes despondere animum, etiamsi omni vitæ tuæ tempo-

3. *Humana fragilitas in defectibus & lapsibus toleranda, nec ob id desperandum.*

tempore liber ab illis esse nequiueris. * Quin potius mox post culpam admissam humiliter ingemisce ac dole, quòd studiosius te non custodieris; penitusque auersare etiam minimam peccati maculam: & petitâ amanter à misericordissimo Deo veniâ, respira, & confide, te ab illo receptum esse in gratiam. * Sed & si cõtingat te in grauissima scelera (quod Deus auertat) ruere, toties resurge quoties cadis: neque vmquam spem salutis abijcias. Reuertere ad benignissimum Deum tuum, & ipse te libentissimè suscipiet. Vult enim & potest cuilibet fideli homini verè contrito ignoscere, eumque ab omni salutis impedimento (qualecumque etiam illud sit) eripere & expedire. Hoc indubitanter credendum est. * Vnde homo Deum magis inhonorare nequit, nec maiorem illi irrogare iniuriam, quàm si ob multitudinem aut grauitatem criminum suorum, desperet de eius misericordiâ: quæ vtique infinito maior est, quàm sint aut esse possint omnia totius mundi peccata. Igitur à spei certitudine, nulla te vmquam malorum tuorum qualitas, nulla numerositas vel quantitas frangat. Deus enim, qui est summè bonus, misericors, clemens & pius, non vult mortem ac damnationem peccatoris: sed cupit vehementer vt conuertatur peccator, & ad vitam beatitudinemque æternam perueniat.

* Resipiscentia velox à peccato.

* Spes salutis nec in grauissimis peccatis abijcienda, cùm Deus tam sit misericors.

* Deum maximè inhonorat, qui de misericordiâ eius desperat.

Ezech. 18. & 33.

4\. Humilis & paruulus semper esto in oculis tuis, ac teipsum nihilipende. Non reputes magna esse opera bona quæ facis: sed agnosce, illa esse exigua admodum atque imperfecta. Statim vbi sentis in te oriri superbiam, vanam gloriam, tuiipsius complacentiam, honoris mundani ac laudis humanæ cupiditatem; mox detestare huiusmodi vitia fœdissima; ita vt licet illa sentias, non tamen eis consentias. * Si enim ratione ac voluntate resistis ac reluctaris, si tibi ex animo illa displicent, nihil oberunt. Peccatũ namque ex voluntate depẽdet, adeò vt si voluntarium non fuerit, etiam peccatum non sit.

1\. Reg. 15. *Humilitatis virtute motus superbia statim reprimantur.*

* Ne affligatur scrupulosus ob qualescumque motus contra voluntatem & citra consensum exsurgentes: qui enim sentit, & non consentit, imò resistit & reluctatur, nullũ damnum accipit.

5\. Non perturberis, dum alij te contemnunt, aut de te malè loquuntur, tibique infesti sunt: sed Iesum Christum imitatus, animi tranquillitatem, mansuetudinem ac patientiam in omni tribulatione retinere stude. Meminisse debes, te innumeris enormibusque peccatis tuis inferni supplicia sæpiùs commeruisse, sed Deum clementissimum tibi pepercisse, teque perdere noluisse. Vnde iustissimum est, vt tu molesta quæq; æquanimiter & sine impatienti murmuratione, ac verborum asperitate, aut mordacitate vel exprobratione, & sine multis ineptisve querimonijs perferas: etiamsi creaturæ omnes, Deo permittente, grauiter te affligant atque persequãtur. * Admoneri atque etiam reprehendi non recuses: nec tibiipsi nimium patrocinari velis, ne patrocinio veritatis destituaris. Vbi ipsi veritati simpliciter satisfeceris; deinceps te Deo defendendum committe. Culpam item tuam libenter agnosce, ita enim magnam gratiam apud Deum promereberis.

Matth. 5. *Patientia in afflictionibus est loco satisfactionis pro peccatis debita.*

* Reprehẽsiones non recusandæ, sed cum culpæ agnitione ferendæ.

Neminem vmquam despicias, nemini te præferas: sed omnibus teipsum in corde tuo submitte, infra omnes sine fictione te deprime, omnium vilissimum atque peruersissimum te arbitrare. Et reuerà dignus non es quem terra sustineat, propter ingratitudinem malitiamque tuam insignem. Ex teipso ad malum semper propensus es: & nisi Deus te seruaret, scelera magis horrenda assiduè committeres, quàm vmquam aliquis flagitiosus homo admisit. 6.

6\. *Aliorum despicientia omnino cauenda; quia tu ipse magis es despicabilis.*

Non nimis inhæreas tuo sensui, sed alijs conuenienter cede, verborumque inutiles contentiones deuita: & propriâ voluntate relictâ, humiliter prompteq; obedi propter Deum. * Melius est ex simplici obedientiâ vrticas & zizania extirpare, quàm ex propriâ voluntate sublimi rerum cælestium contemplationi operam dare. Sacrificium enim Deo gratissimum est, propriæ voluntatis abnegatio. Qui Præpositis suis rebellis est, & obtemperare non vult; diuinam gratiam à se excludit, nullaque ratione Deo placere potest, quamdiu talis est. 7.

7\. *Abnega teipsum ex obedientiâ.*

* Obserua magnum meritum obedientiæ in re paruâ.

A iudicijs temerarijs & suspicionibus sinistris abstine: neque enim tibi licet iudicare, & ex leuibus signis malum firmiter æstimare de corde alterius, quod tibi incognitum est. Etiam animi amaritudinem vel displicentiam aduersus aliquem facilè non concipias. Quòd si ex fragilitate aut surreptione iam fortè concepisti, non eam retineas, sed mox depone atque abijce. Dicta & facta aliorum in bonam partem (quoad fieri potest) interpretare: & eorum defectus benignè supporta, vti ratio, æquitas & vera discretio admittit, iuxta verba Apostoli dicentis: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Qui enim amat proximum, tolerat eum: & qui proximum rationabiliter tolerare non vult, conuincitur illum minùs diligere. * His qui malè agunt, & omnibus tentatis atque afflictis, commiserationem compassionemque impende; ita tamen, vt congruum iustitiæ zelum in peccata ad honorem Dei exercere non negligas. Neque enim laudabilis amor, sed culpandus languor est, malè dissimulare in homine illa quæ Deus odit, & quæ animã deturpant ac vulnerant. * Blanda & lenis admo- 8.

8\. *Suspiciones & iudicia temeraria vitanda, & proximus patienter tolerandus.*

Galat. 6.

* Compassio cum zelo bono.

* Correptio lenis & sine odio.

admonitio atque correptio laudanda est: Præpositi tamen asperam increpationem interdum adhibere coguntur delinquentibus, sed sine odio hoc facere debent. *Omnes homines etiam eos qui tibi aduersantur vel iniuriam irrogant, sincerâ dulcique charitate complectere, tamquam fratres, eumdem tecum Creatorem Patremque cælestem habentes. Memineris, eos secundùm animam nobilissimâ Dei imagine insignitos esse, & infinito amore à Deo diligi. Igitur omnibus benignum, fauorabilem ac beneuolum te exhibe, omnibus æternam beatitudinem exopta, omnibus parato animo succurre, dum ipsi ope tuâ indigent, & tu illos benè adiuuare potes. Si non aliter vales, saltem oratione eis opitulare.

*Charitas erga hostes.

9. *Gratiarum actione omnia Deo accepta referamus, nihil nobis arrogemus.*

Age gratias Deo, eumque lauda pro beneficijs ipsius tam spiritualibus quàm corporalibus quæ percipis: & agnosce te illis prorsus indignum esse. Age etiam gratias, & gaude pro bonis quæ alijs à Deo concessa sunt. Caue summopere, ne de aliquo Dei dono vanè glorieris, & tibiipsi placeas. Caue item, ne aliquid boni tibi adscribas: quia quidquid boni habes, non à teipso illud habes, sed à Deo accepisti: & nihil propriè tuum est, nisi peccatum.

1. Cor. 4.

10. *Diues in Christo, in teipso pauper confide in Deo solo, in quo omnis spes salutis.*

Paupertimus quidem es in teipso: sed si munere Dei bonam voluntatem & veram humilitatem retines, diues admodum es in Christo; potes enim ex illius inæstimabilibus bonis abundè supplere inopiam tuam. Ergo pro virtutibus quæ tibi desunt, & pro perfectâ sanctitate quâ cares, offer Deo perfectissimas virtutes, sanctissimamque conuersationem Domini Iesu. Roga ipsum dulcissimum Redemptorem tuum, vt pro te coram Patre suo cælesti plenissimè respondeat, suppleat ac satisfaciat. Is enim ad hoc venit in mundum, vt humiles & bonæ voluntatis homines meritis suis locupletet, redimat ac saluet, quantumcumque etiam grauiter peccauerint. Cùm ex teipso nihil boni facere, & ne vnam quidem sanctam cogitationem habere possis, numquam confidas in tuo conatu, aut tuis viribus; sed confide in potenti auxilio gratiæ Dei. *Omnem etiam salutis spem colloca in misericordiâ ac bonitate Conditoris tui, in meritis, Passione, Sanguine & morte Iesu Christi, potiùs quàm in bonis operibus quæ facis. Scito, satisfactionem Domini Iesu immensam esse: nam & vnica pretiosi Sanguinis eius guttula, mille mundorum diluendis peccatis sufficere poterat. Verumtamen debes magnâ diligentiâ benè agere, & satisfacere pro peccatis tuis, vitiaque in te mortificare omnibus diebus vitæ tuæ.

2. Cor. 3.

*Satisfactio Iesu Christi infinita, in quâ vnica Sanguinis guttula mille mundis redimẽdis sufficiebat, facit vt spem salutis non tam ponamus in meritis nostris quã in misericordiâ Dei.

11. *Custodia cordis, sensuum, linguæ; & gulæ refrenatio.*

Quando praua desideria vel cupiditates noxiæ in te exoriuntur, renuntia eis propter Deum. Sensus tuos exteriores ac linguam tuam diligenter refrena. Vitium detractionis & maledicentiæ, ac peccatum mendacij perhorresce, adnitereque vt circumspectus sis in omnibus. Sanè, si sensuum oblectamentis ac voluptatibus, loquacitatique nimis deditus fueris, nullum in veris virtutibus profectum facere poteris. Lautum delicatumque cibum ac potum inordinatè non exquiras. Vitato etiam immoderationem: & ab aucupatione sensualis terrenæque delectationis sis alienus, dum sumis alimenta. Hìc maximè vigilandum est: quia cùm quotidie manducare & bibere oporteat, quotidie etiam homo in periculo exercendi versatur.

12. *In sociali vitâ occasiones peccati vitanda: mores maturi & benigni.*

Eam societatem, quæ te à Deo auertere potest, & occasiones peccandi, prudenter fuge. Nulli homini, nulli creaturæ per inordinatum affectum aut amorem adhæreſcas. Potes quidem ex rebus creatis aliquod solatium secundùm Deum capere, sed eis inhærere non debes. Viue tamquam peregrinus & aduena in hoc sæculo. Reuerà enim hìc in terrâ non nisi miserum exilium est, & hiems aspera: at in cælo vera patria est, & æstas amœnissima. Sis in moribus, verbis & gestibus tuis honestus, placidus ac maturus: & non vitiosè quæras placere alicui homini. Satis quidem laudabile fuerit, vt inter eos, cum quibus versaris, exhibeas te moderatè hilarem, minimeque tetricum: sed ineptam leuitatem, dissolutumque & nimium risum omnino vitare debes. Sis etiam in his quæ tibi agenda sunt, consideratus ac modestus, non autem præceps aut indecenter concitatus: ita vt animi libertatem & quietem vtique (quantum potes) retineas.

1. Pet. 2.

§. II.

Interioris hominis institutio.

1. *Intentio sit recta & pura, in solum Dei beneplacitum relata.*
2. *Sollicitudo omnis in prouidentiam Dei humiliter reycienda: ita quidem fiduciam in Deo collocando, vt tamen iuxta vires tuas facias quod in te est.*
3. *Aduersa autem ipso Dei amore fortiter toleranda.*
4. *Resignatio propriæ voluntatis in omnibus operibus exercenda.*
5. *Cordis puritas vigilantissimè custodienda.*
6. *Tempus sanctè transigendum, maximè autem oratione, meditatione Passionis, & cultu Sanctorum.*
7. *Pia consolatio imperfectorum, quòd Deus numquam deserat bonam voluntatem.*
8. *Diuina præsentia semper cogitanda.*

9. *Hæc*

9. *Hæc pauca fac, & sorte tuâ contentus esto; & saluaberis per bonam tuam voluntatem cum Dei misericordiâ, qui etiam imperfectos non reijcit ab amicitiâ suâ.*

1\. *Intentione purâ, opera tua commenda cordi Iesv.*

In omnibus quæ agis aut omittis, specta purè Deum. Quidquid, inquam, agis vel omittis, age id aut omitte propter honorem atque amorem Dei, & ad gloriam nominis eius. Commenda ipsa opera tua dignissimo mellifluoque cordi Iesu Christi emendanda ac perficienda, & offer illa Deo in laudem æternam, in vnione perfectissimorum operum Domini Iesu.

2\. *Inquietudo & sollicitudo nimia resecanda, cum fiduciâ Dei prouidentiæ inhærendo, non tamen absque cooperatione tuâ.*

Inquietas inordinatasque sollicitudines reijce, & teipsum atque omnia fine hæsitatione aliquâ Dei prouidentiæ committe, eiusque bonitati ac benignitati firmiter innitere, pleneque confide. Ipsi enim cura est de te: ipse tui amantissimus, salutisque tuæ cupidissimus est, & omnia illi possibilia sunt. Confuge semper in tuis necessitatibus ad benignissimum Iesum, & ad dulcissimam ipsius matrem Virginem Mariam, eosq; seriò implora: ita enim magnam cordis securitatem obtinere poteris. Enimuerò si tu teipsum, cunctaque negotia, in prouidentiam Dei fideliter proieceris, & ei per humilem inconcussamque fiduciam innixus fueris, credens illum & posse & velle tibi opitulari: meliùs habebunt omnia, quàm si die ac nocte sollicitus & anxius vires tuas omnes consumeres. Sicut Deum nimis diligere non potes, ita & eidem nimium confidere non potes; modò intentio tua sit sincera, & tu, quod in te est, præstare non negligas. Quantò ista fiducia fuerit plenior atque humilior, tantò etiam erit Deo acceptior, & ad impetrandum efficacior. Ipsa enim vim quodammodò infert Deo: cuius nimirum tanta honestas, benignitas ac charitas est, vt nullâ ratione deserere possit illum, qui ex animo ei confidit, & in eo sperat. * Neque verò vlla peccata tua, quantumuis enormia ac multa, debent à te sanctam hanc erga Deum fiduciam repellere: quoniam Deo æquè facile est, grauissima quæque peccata tibi, sicut leuissima, in momento condonare; & tu ex vno quolibet peccato citiùs exsurgere non vales, quàm è centum millibus. Ingens planè felicitas est, vel in extremo vitæ tempore firmam, humilem, amorosamque in Deum fiduciam posse adipisci.

* Grauissima peccata non debent fiduciam pœnitenti auferre: cùm Deo æquè facilè sit grauia ac leuia condonare.

3\. *Aduersa fortiter & resignato animo ferenda, ob ingens meritum, & quia signa sunt electionis diuinæ.*

Quælibet aduersa, tam interna quàm externa. * de manu Dei suscipe, non aliunde, etiamsi culpâ tuâ accidant, aut à creaturis inferantur. Tu illa humili resignatoque animo ad finem vsque propter Deum tolera: certò credens, & optimum, & saluti tuæ conuenientissimum esse, quidquid ipse Deus tibi euenire permittit. Et quæcumque te quouis modo grauant, ac tibi molesta sunt, offer Deo in laudem æternam, in vnione venerandæ Passionis Christi. Afflictio tam spiritualis quàm corporalis, amore Dei patienter perlata, res est admodum præclara, amabile signum electionis diuinæ. Homini vtilius est etiam modicum grauamen pro Dei honore sustinere, quàm multa alia grandia opera patrare. Igitur si spirituali cognitione, sensibilique deuotione subtractâ, sentis te obtenebratum, tardum, frigidum, aridum, inopem, & velut à Deo derelictum atque proiectum; in animi mœrore & grauibus pressuris plerumque corriperis; si quamdiu viuis, metu atque angore implicaris; si diris tentationibus, varijsque vitiorum impulsibus vehementer impeteris; si diuturnis doloribus & morbis, aut etiam morte amicorum ac damnis rerum, molestissimisque persecutionibus hominum exerceris: non propterea despondeas animum, nec inordinate turberis, sed per ista agnosce dulcissimam Dei fidelitatem & benignitatem erga te. * Certus omnino sis, Dominum Deum tuum ex summâ charitate, quâ te diligit, mittere tibi pro æternâ salute tuâ cunctas tribulationes & grauamina quibus premeris. Qui etiam vsque adeò diligentem & paternam tui curam gerit, vt nullo modo permissurus sit te affligi supra vires tuas, sibi optimè perspectas.

* Mala pœnæ à Deo iusto immittuntur; quæ tamen cum culpâ nostrâ vel alienâ iuncta sunt, ea à Deo tantùm permittuntur: quamuis sæpè in sacris Litteris dicatur Deus talia velle mittere, facere. Ita Iob mala à prædonibus & diabolo sibi illata, dicit esse à Deo, & manu Dei; mala de manu Dei suscipienda; Deum dedisse, Deū abstulisse; manu Dei sese sic tactum esse.

* Grauamina in bonum nostrū à Deo mittuntur per summam charitatem.

4\. *Resignatio sui in omnibus, etiam ad subeundū Purgatorium longo tempore, si sit voluntas Dei.*

Resigna te funditus & permitte Deo, subijciens atque conformans omni studio voluntatem tuam voluntati & dispositioni illius: ita vt ipsa gratissima voluntas Dei sit semper summa consolatio tua. Hac enim ratione, in omni rerum euentu verâ cordis pace gaudere poteris. Igitur nihil aliter velis in rebus & amicis tuis, in animâ & corpore, in vitâ & morte, in tempore & æternitate, quàm Deus vult ac gratum habet. Quando autem ex infirmitate humanâ subrepit tibi alia voluntas, corrige eam ad Dei voluntatem. Et licet fortè metuas & trepides, ac pusillanimis tristisque sis, resigna te nihilominùs Deo, & dicito: Domine, ***non mea voluntas, sed tua fiat***; ita enim eris rectus corde, & Deo placebis. Luc. 22. Etiamsi iamiam tibi ex hac vitâ migrandum esset, & pulchritudo diuinæ iustitiæ exigeret, vt post mortem longo tempore in Purgatorio detinereris, tu in hoc quoque voluntatem & dispositionem Dei libenter pro honore amoreque ipsius amplecti deberes. * Citiùs cælum cum terrâ periret, quàm Deus hominem, sese illi resignantem permittentemque, & benignitati eius humiliter confidentem, abijceret aut desereret. Quamuis autem

* O securitas hominis verè resignati ad omnē Dei voluntatē! sed & imperfectè resignatus gratiā Dei non amittet.

tem quis in ferendâ afflictione non semper æque resignato sit animo, non tamen propterea gratiam Dei amittit, modò ne pertinaciter aduersus Deum calcitret atque rebellet.

5. *Cordis puri felicitas, impuri infelicitas.*

Seruandæ cordis puritati iugiter inuigila: & vbicumque animaduertis te quærere teipsum seu proprium commodum, mox etiam teipsum desere atque abnega propter Dominum. Considera, quæso, quanta sit infelicitas eorum, qui, munditiâ cordis neglectâ, timoreque Dei abiecto, seipsos in omnibus quærunt, ac sponte in cœno iniquitatis remanent: qui, inquam, cunctas Dei adhortationes, præcepta, comminationes, promissa, beneuolentiamque omnem contemnentes, propriam voluntatem peruersissimè sequuntur, & contra suam ipsorum salutem agere pro nihilo ducunt. Hi enim seueritatem diuinæ iustitiæ omnino experientur, & horrenda inferni supplicia, ignemque æternum perpeti debebunt, nisi per veram pœnitentiam Deo reconcilientur.

6. *Temporis habenda ratio, maximè circa exercitia spiritualia orationis, meditationis de Passione, & varij cultus B. V. Mariæ & Sanctorum.* Matth. 7.

Omne tempus ad Dei laudem atque honorem expende: & dum otium suppetit, valetudoque admittit, da operam sanctis orationibus vel lectionibus ac meditationibus. Humiliter, diligenter ac perseueranter orando, impetrabis quidquid saluti tuæ expedit. Fidelis enim & indubitata est promissio Domini dicentis, Petite, & dabitur vobis. Numquam Deus paruipendit orationem hominis bonæ voluntatis, sed eam mox in libro suo scribi iubet, quamlibet etiam insipida sit ei qui illam ritè peragit. Memoriâ repete quid pro te fecerit ac pertulerit dulcis Iesus. Meditatio passionis eius sit tibi vnicè chara: ex eâ enim ingentes planè vtilitates consequêris. Deiparam Virginem Mariam, aliosque cæli ciues deuotâ mente venerare & inuoca, illorumque Imaginibus honorem exhibe, & eorum auxilio, precibus ac meritis satis confide. In huiusmodi pijs exercitijs fideliter versare, siue Deus sensibilem gratiam & consolationem tibi præstet, siue non præstet. * Et quamuis in orationibus tuis attentus esse fortè nequeas, non ob id perturbari, aut orationis exercitium deserere debes; quia mentis instabilitas & distractio, quam quis inter orandum præter voluntatem suam patitur, orationis fructum non tollit. Ergo placidè facias quod in te est, dum oras: & si ex infirmitate humanâ distraheris, pacatus tranquillusque permane, resignans te Deo quâ potes humilitate. Ipse enim exactè nouit quàm sis infirmus & impotens, nec quidquam abs te exigit, quod vires tuas prorsus excedat.

* Mentis euagatio placidè excutienda, faciendo quod in te est dum oras, & resignando te humiliter in Dei voluntatẽ.

7. *Pia consolatio imperfectorũ, quod bonus Deus conatus nostros videns eos facilè approbat.*

Scito, & memoriæ commenda pro tui consolatione, quòd quamdiu verè cupis & conaris benè agere ac placere Deo, & voluntatem tuam ab illo non auertis, sæpiusq; doles atque ingemiscis propter imperfectionem tuam, multiplicesque defectus tuos; ipse Deus haud dubiè, pro ineffabili bonitate & charitate suâ, reputat exercitia atque opera tua digna æternâ remuneratione. * Misericordissimus, mitissimus, dulcissimusque Pater est: ob idque te paruulum & imperfectum filium suum tolerat, ac tenerrimè diligit, bonam voluntatem tuam & desiderium conatumq; tuum videns atque approbans. Vnde & tu in bonâ conscientiâ tuâ, tamquam in amœno paradiso, lætus commorari potes, humilitati resignationiq; propriæ voluntatis sedulò dans operam.

* Deus non deserit bonam voluntatem, etiam imperfectorũ; quod est magnum fundamentum cõsolationis pusillanimiũ: qui semper putant sese nil dignum gerere æternâ remuneratione.

8. *Diuina præsentia.*

Cùm Dominus Deus, qui vbique totus est, semper tibi præsens sit, & ipse Christus Iesus vera atque iucundissima lux incessanter in nudâ animæ tuæ essentiâ fulgeat: disce frequenter recordari amabilis præsentiæ illius, eamque simplici cogitatione pro modulo tuo attendere ac sanctè venerari. Nam inde purissimam lætitiam concipere, & eximiam Dei gratiam obtinere poteris. Sed hæc hactenus.

9. *Qui hæc seruat, saluabitur, nõ obstãtibus paruis defectibus, quos in homine imperfecto, sed bonæ volũtatis, videt & tolerat Deus, & pro eiusmodi etiam pretium Sanguinis sui offert.*

Profectò, si tu bonæ voluntatis es, &, ab omni fuco vitiosaque simulatione alienus, Deum diligere, eique seruire ac placere ex animo desideras, studens diligenter instituere vitam tuam secundùm pauca hæc præcepta: beatus omnino eris, quamlibet etiam imperfectus sis, & frequenter in defectus aliquos ex fragilitate humanâ labaris. In his enim quæ tibi desunt, perficieris, saltem post mortem. Benignissimus Deus plerumque in electis suis aliqua vitia & defectus per omnem eorum vitam residere permittit, ad magnam illorum vtilitatem. Et Christus Iesus venit in mundum, laborauit, ærumnas ac tormenta pertulit, Sanguinem fudit & mortuus est, non solùm pro magnis & perfectis filijs suis, verùm etiam pro paruis atque imperfectis. Neque illis tantùm, sed & istis daturus est æternam hereditatem.

Tu igitur, contentus eâ mensurâ gratiæ quam tibi largiri dignatur Deus, bono sis animo, & constanter perseuera in proposito desiderio, atque conatu piè sancteque viuendi, ac semper proficiendi: ita enim feliciter tandem peruenies ad patriam cælestem, vbi clarè videbis Deum, & eum perfectè amabis atque laudabis in sæcula sæculorum.

Prolixiùs de his scripsi in Conclaui animæ.

§. III.

§. III.

Expeditissima ratio perueniendi ad sincerum amorem Dei.

1. Vt omnia tua agas & patiaris, ob solam Dei voluntatem & beneplacitum; nihil autem, nisi priùs videris id ei non displicere.

2. Resignatio & abnegatio sui, cum humilitate & dilectione proximi, & sensualitatis mortificatione.

3. Praxis vim faciendi propriæ voluntati ob Dei amorem.

4. Modus excipiendi omnem aduersitatem, & omne vitium superandi, ob solius Dei intuitum; qui nos nostraque tenerrimè amat & procurat.

5. Sola Dei gloria & voluntas eius, non nostrum commodum aut solatium, debet esse actionum scopus & finis.

6. Frequenter orandum & meditandum, maximè de vitâ Christi Domini: spiritus per crebras aspirationes in Deum erigendus.

7. Cauenda valdè gula spiritualis, solam dulcedinem in exercitijs quærens, quæ periculis & incommodis obnoxia.

8. A facie Domini numquam fugiendum, quantumuis peccaueris.

9. Perseuerandum in hoc exercitio omnia ad voluntatem diuinam referendo: etiamsi sensualitatis repugnantiam sentias.

1. *Teipsum obserua vt nihil agas, quod Deo displiceat, cum vitæ scopus sit placere Deo per puram intentionē.*

SI verè Deo vis placere, atque ad eximium eius amorem peruenire, obserua teipsum iugiter ac vigilanter in cunctis operibus, verbis, cogitationibus, affectibus, passionibus, sensibus ac gestibus tuis: sedulò refrenans ac mortificans propter Deum vitia & prauas concupiscentias tuas, atque abstinens ab omnibus, quæ honori voluntatique Dei contraria esse nosti. Specta purè Deum, seu honorem, gloriam ac voluntatem eius in omnibus: ita vt amore vel honore ipsius mouearis ad quæuis agenda, potiùs quàm propriâ vtilitate aut consolatione. Quando animaduertis, te quidpiam velle aut cupere ex propriâ voluntate, seu naturali desiderio, tuum commodum quærendo; mox facito tibiipsi vim, & voluntatem eò transfer, vt idem velis meliori modo, nempe quia illud vult, desiderat, & acceptum habet Deus, qui omni obsequio dignissimus est, & de quolibet recto opere quod tali intentione peragis, plurimum gaudet. * Antequam inchoës opus quod aggredi vis, conijce, vel erige primùm interiorem aspectum in Deum: & vbi senseris te ideò illud velle agere, quia Deus vult & gratum habet, tunc demum opus incipe, paratus id non agere, si scires Deo non placere. Quotiescumque tibi euenit aduersum aliquid, non aliunde illud suscipias quàm de manu Dei, & hoc ipsum humiliter patienterque tolerare disce; reflectens mentis oculos ad humilitatis ac mansuetudinis exempla, quæ tibi ostendit mitissimus Dominus tuus Iesus Christus. Opta ex animo, vt gratissima Dei voluntas semper in te perficiatur.

** Bona & pia praxis puræ intentionis.*

Profectò, si tu, voluntatem propriam abnegando, te totum Deo resignare, ac sanctæ voluntati eius conformare subijcereque adnisus fueris: si vilitatem tuam nihilumque tuum agnoscens, (nam ex teipso nihil es, & nihil potes,) te ex corde humiliaueris, & infra omnes homines depresseris ac floccifeceris: si nihil boni tibiipsi adscripseris, & tui complacentiâ vanaque gloriâ reiectâ, laudari, in pretio esse, meliorque vel sanctior alijs haberi non appetiueris: si iudicaueris te indignum quidem omnibus Dei donis quæ percipis, dignum verò quem cuncti homines contemnant & persequantur: si reprehensus, læsus, & qualibet iniuriâ affectus, tranquillam mansuetudinem ac patientiam seruare, aut etiam inde gaudere studueris: si obstinatus ac pertinax in proprio sensu non fueris, & superioribus tuis atque alijs humiliter libenterque in rebus licitis obtemperaueris: si omnes homines, etiam eos qui te infestant & affligunt, sincerâ charitate tamquam fratres & sorores, ad eamdem hereditatem cælestem tecum vocatos, dilexeris, nihilque odij, amarulentiæ, aut auersionis aduersus aliquem in te residere permiseris: si denique illicitis sensuum voluptatibus & oblectamentis propter Deum renuntiaueris, & nulli terrenæ caducæque rei per inordinatum affectum adhæseris: charissimus Deo eris. Itaque curabis omni studio, quotidie ista re ipsâ complere pro viribus: aliàs parum aut nihil in verâ sanctitate, sinceroque Dei amore proficies. * Neque enim vitia extirpare, & perfectas virtutes adipisci poteris, sine strenuâ decertatione, & diligenti conatu gratiâ Dei suffulto. nam paucos inuenire est, quos Deus absque ipsorum grandi labore & diuturnâ pugnâ ad summa prouehat. 2.

2. Abnegatio & resignatio sui, cum varijs praxibus virtutum humilitatis, amoris erga proximum, & propriæ mortificationis.

** Vitia non extirpātur nisi magno labore & diuturnâ pugnâ.*

Proinde quando aliquid (permittente Deo) eueniet tibi molestum, quod naturaliter refugis atque abhorres, stude mox inflectere & compellere voluntatem tuam, vt illud sufferas, vel etiam cupias ac ames sufferre, propter Deum. * Exempli gratiâ. Si contemneris ab alijs, statim inflecte & compelle voluntatem, vt velis & desideres nihilipendi, ac vilis haberi, ad honorem Dei. * Quando item senties te malè cōcupiscere & appetere quidpiam, quod naturam sensualitatemque tuam delectat; inclinabis similiter & coges voluntatem, vt id respuas & relinquas, aut auerseris, propter Dominum. 3.

3. Voluntati quomodo vis facienda.

** Vide praxes in aduersis & cōtemptu.*

** in oblectamentis.*

* In passionibus animi, vt irâ, odio, superbiâ.

num.* Hoc ipsum studiosè facies, quandocumque senties vitium aliquod suboriri. Aduersus iram, inclinabis voluntatem tuam ad mansuetudinem: aduersus odium, inflectes ipsam voluntatem ad dilectionem, & charitatis dulcedinem: aduersus superbiam vel auersionem, quâ aliquem in corde tuo vilipendis aut contemnis, abijcies te itidem in corde tuo, per voluntatis inclinationem coactionemque, ad pedes eius quem despiciebas. Nam cùm data sit tibi à Deo voluntas libera, tu potes eam, quotiescumque libet, ad bonum inclinare, atque à malo auertere, ipso Domino adiuuante, qui fidelibus & pijs numquam deest. Si frequenter ita egeris, paulatim confringentur & eneruabuntur in te propensiones prauæ seu habitus mali, ac boni inferentur, conualescentque.* Sed & quando nihil tribulationis aut aduersitatis accidit, nullaque inordinata cupiditas aut passio exurgit; fructuosum admodum est, mente & cogitatione concipere ea quæ occurrere possunt, ac voluntatem ad illa amplectenda aut reijcienda (vt dictum est) inflectere.

* In pace ad bellum futurum parandus animus.

4.
Solo Dei intuitu tribulationes & tentationes vincendæ.

Si aduersitate quapiam emergente vel instante, corripuerit te inordinata tristitia, metus, anxietas & sollicitudo; memineris te tuum non esse, sed Dei, à quo factus es: memineris item, te à Deo, qui te fecit, immenso amore diligi. Quod cùm ita sit, ipse Deus, cuius es, & qui te ardentissimè amat, haud dubiè gerit fidelem curam tui, & nihil tibi euenire permittit, quod non expediat. Iam verò etiam ob id excellenti modo tu Dei es, & ipse tuus, quòd eius voluntatem sequi & amare statuisti, plus quàm tuam. Vnde & nimiam superfluamque tristitiam, formidinem ac sollicitudinem reijcere, & te totum atque omnia securè Deo committere, eique firmiter inniti & confidere debes: maximè cùm scias, quamlibet tribulationem tibi prouenire de manu ipsius Domini, cuius beneplacitum ac desiderium est, vt illam æquanimiter feras.* Quòd si aliquâ pœnâ vel molestiâ liberari cupis aut oras, opta id magis, vt puriùs Deo seruias, eique gratior sis, quàm vt molestiam non sentias.* Præterea vt teipsum à malâ vel inani tristitiâ remedio sublimiori extrices, memoriâ repete, iustissimum esse, vt semper in Deo aut propter Deum gaudeas, qui numquam non tibi præsens est cum infinitis bonis, quæ sibiipsi & tibi possidet. Deus enim, siue essentia Dei, tibi propinquior & interior est, quàm sis ipse tibi: & nisi ille præsentiâ virtuteque suâ te conseruaret, mox redigereris in nihilum; quia omnia creata ab illo dependent, & sine eo nihil sunt. Neque mireris, quòd cùm tibi tam præsens & intimus sit, non magis eum cognoscas. Ipse enim (vt diuina Scriptura ait) *Deus est absconditus* & occultus. Reuelat autem sese, & diuitias suas patefacit electis suis quando vult, quantum vult, & sicut expedit. Conuenit planè vt voluntatem tuam inclines ad concipiendam sanctam quamdam complacentiam & gratulationem (etiamsi id tibi parum fortè sapiat,) de incomprehensibili gloriâ & dignitate Domini Dei tui: ita vt gaudeas, atque etiam pro perfectâ beatitudine tuâ ducas, quòd illa Maiestas tantam potestatem, tantas opes, tantamque claritatem obtineat: quem quidem affectum verus & sincerus Dei amor parit. Beatus sanè esses, si toto corde dicere posses: O quantum bonum possideo, cùm Deus meus, qui mihi magis est ego quàm ego ipse sim, adeò immensam gloriam, immensaque bona possideat! nam illum reuerà pro meo magis habeo ac teneo, quàm vmquam quidquam habui & tenui.* Hac ratione non solùm inutilem tristitiam, verùm etiam ineptam lætitiam à te ablegabis. Pudebit enim te vanè gaudere, si recordatus fueris, Deum tuum summè iucundum, summè amabilem, summè fulgidum & serenum, summeque gloriosum, tibi semper esse præsentem; in quo, & propter quem solum exultare debes. Quæuis etiam vitia & inordinationes prædictâ ratione superari poterunt.* Ceterùm nonnullos inuenire est bonæ voluntatis homines, qui licet mortem potiùs subirent, quàm in Deum volentes ac scientes peccarent; per omnem tamen vitam mœrore, metu, varijsque tentationibus & angustijs premuntur. Hi rariùs quidem spirituale gaudium sentiunt: quia tamen Deo sese humiliter resignant, & vitijs suis diligenter propter Deum resistunt, Deo plurimùm placent. Eos ardenter diligit Deus, & ideò permittit illos ita angi. Si enim à mœrore, metu & angustijs prorsus liberarentur, facilè ad seipsos vanè reflecterentur, & per animi elationem perderent gratiam Dei. Isti, & quotquot viuunt in gratiâ Dei & charitate, ac proficiunt quantum possunt, non debent nimiùm metuere, propterea quòd imperfecti sint.

* In tribulationibus ora liberari, vt Deo meliùs seruias, non vt molestiam euadas & tibi melius fit.

* Ecce antidotum cõtra malã & inanem tristitiam. Gaude ob Deum præsentem: & de eius gloriâ gratulare Deo.

Isa. 45.

* Eadẽ Dei præsentia, ineptæ lætitiæ remedium est, & omnium vitiorum medicina.

* Multos bonæ voluntatis homines per totam vitam affligi permittit Deus, quia sic expedit eorũ saluti.

Rursus te exhortor, vt semper vigiles, ac vitiosis propensionibus tuis viriliter relucteris, corque tuum ab omni peccato mundum (quantum in te est) conserues: confidens interim non in conatibus vel viribus tuis, sed in paratissimo Dei auxilio. Omnia

5.
Voluntas Dei sola debet esse finis operũ nostrorum, & omniũ spiritualium desideriorum.

Omnia quæ agis aut omittis, & quæ pateris, age & omitte, ac perfer propter Dei amorem, & ad laudem nominis eius, seu vt ipsi Domino placeas, gratumq́ue ei præstes obsequium: nusquam quærens teipsum inordinatè, sed vbique spectans (sicut dixi) honorem, gloriam, voluntatem ac beneplacitum Dei. * Si vis, potes, attentâ & subleuatâ in Deum mente, dicere vel cogitare hæc aut consimilia verba: *Domine, ego ex puro tui amore ad gloriam nominis tui æternam, propono & desidero hoc agere iuxta gratam voluntatem tuam.* Vel ista: *Domine Deus, ego volo illud omittere, illud tolerare ac perpeti pro tuo honore & amore, vt tibi placeam.* Quando spiritualem gratiam ac virtutem aliquam, vel etiam felicitatem supernam petis à Deo, magis te moueat Dei honor, voluntas & desiderium quo cupit vt illa petas, & in mensurâ congruâ habeas, atque ita charitate ornatus, gratum ei obsequium exhibeas, & post hanc vitam in æternum beatus sis; quàm commodum aut gaudium quod inde consecuturus es. Et quid æquius ac dignius, quàm vt Deum, qui est summum atque infinitum bonum, dilectione & intentione in omnibus prosequamur, multùm semper illi placere desiderantes, sublimemq́ue illius voluntatem & gloriam habentes pro scopo in cunctis actionibus, omissionibus, desiderijs atque afflictionibus nostris? * Verumtamen non est malum, sed bonum ac laudandum, piè exoptare gloriam cælestem, & diuinæ gratiæ consolationem: sed eam ita optare, vt dixi, longè præcellentissimum est. Planè, quò puriùs intentionem tuam in Deum sine aliquâ tuiipsius quæsitione direxeris, eò opera tua Deo acceptiora & maioris meriti erunt, siue sint spiritualia, siue corporalia; siue magna, siue parua.

* Modus operandi ad Dei gloriam per orationem iaculatoriâ.

* Finis actionum optimus ad gloriam & amorẽ Dei, non excludit alios bonos & laudabiles fines.

6. *Laudatur sacra exercitia lectionis, orationis, meditationis, præsertim de vitâ & passione Christi.* Luc. 11.

Porrò vnicè necessarium est, vt crebrò per sacram lectionem vel meditationem & orationem teipsum recolligas, ac præsentem Deo exhibeas, postulesq́ue ab illo ea quibus indiges. Ipse enim dixit: *Petite, & accipietis.* Debes etiam inuocare & honorare beatissimam Dei Genitricem Virginem Mariam, atque alios cæli ciues. Sed ante omnia recoles gratâ mente illa, quæ pro te fecit ac pertulit clementissimus Iesus; & imitaberis pro modulo tuo sanctissimas virtutes eius. Sanè, nisi tu amabilem humanitatis Christi imaginem per deuota exercitia, & humilem imitationem studueris animæ tuæ imprimere, frustrà ad Diuinitatis eius eximiam sapidamq́ue cognitionem adspiras: nam humanitas, vera via & ianua est ad Diuinitatem. * Vtile admodum fuerit, vt per sanctam cogitationem & desiderium te ad Deum simpliciter conuertere erigereq́ue quouis in loco consuescas. Si vacat aut libet, potes cum Domino Iesu familiariter colloqui hoc vel simili modo: *O dulcißime Iesu! ô vita animæ meæ! ô totum desiderium & gaudium meum! quando mihiipsi perfectè moriar, & te ardentißimè diligam? quando tibi pro gratißimâ voluntate tuâ placebo? O vtinam à meipso totus deficerem, totus ab immenso amoris tui incendio absorberer & liquefierem! Eia, amabilis Domine, da vt diligam te ex toto corde, ex totâ animâ, & ex omnibus viribus meis. Quando videbo te facie ad faciem, tibiq́ue iam inseparabiliter adhærebo? Tu es verum, vnicum, & æternum bonum meum.* His alijsq́ue eiusdem farinæ preculis & suspirijs alloquêris dilectum Sponsum animæ tuæ: qui sicut te petere iussit, & se exauditurum pollicitus est; ita &, pro suâ immensâ liberalitate, nullum prorsus desiderium, vel gemitum à te piè emissum, permittet ad te vacuum redire. Aut enim nouam gratiam tibi infundet, aut charitatem ceterasq́ue virtutes augebit corroborabitq́ue, aut te arctiùs sibi astringet, & dulciùs reficiet. Quò crebriùs huiusmodi amorosas preculas ad Deum fuderis, eò magis ipse te accendet ad progrediendum de virtute in virtutem, & ad contemplandum in cælo vultum suum mellitissimum. Vide ergo, ne per desidiam tanta bona negligas, quæ per bonas cogitationes & pia desideria momentis omnibus obtinere potes ad gloriam Dei.

* Breues aspirationes ad Deũ magnopere iuuantes ad familiaritatem cũ Deo. In viâ spirituali magnas pariũt vtilitates.

Matth. 7. Luc. 11. Ioan. 16.

* Caue autem summopere, ne ipsa diuini amoris exercitia impurè suscipias ac peragas. Multum enim displiceret Deo, si ob hoc solum illis te traderes, vt voluptatem inde caperes, & in teipso delectareris. Displiceret, inquam, Deo, si gulâ spirituali te inquinares, & cum pretioso diuinæ gratiæ balsamo, stercus propriæ delectationis commisceres. Igitur amplectere deuota exercitia ad honorem Dei, vt & virtutibus iuxta Dei voluntatem orneris, atque in vero Dei amore magis magisq́ue proficias, & ipsi Domino placeas. Si tibi Deus consolationem suauitatemq́ue internam præstiterit, agnosce te illâ indignum esse, & eam humili gratoque animo ad Dei gloriam suscipe: studens interim seruare te ab eâ tam liberum & intactum, quasi nihil tale accepisses. * Sincerus & sublimis amor Dei in hoc consistit

7. *Gula spiritualis propter solam dulcedinem pijs exercitijs insistẽs, displicet Deo.*

* Magnam partem huius numeri VII. laudat & exscribit R. P. Iacobus Aluarez de Paz Societatis IESV, Tom. 3. lib. 4. p. 3. cap. 6.

Psal. 144. 146.

* Sincerus Dei amor

Indifferens esse ad dulcedinē vel amaritudinem, & pluris facit Dei bonū & gloriam quam suas spirituales delicias.

consistit, vt siue cum dulcedine, seu sine dulcedine, velimus cupiamusque, vel gaudeamus Deum esse quod est; ac tantam gloriam, tantum dominium, tantam opulentiam obtinere, quantam obtinet: desiderantes etiam, vt omnes ei ritè seruiant, eumque diligant & glorificent, qui est omni honore, amore & obsequio dignissimus. Ipse enim creauit cælum & terram, & nos & omnia. *Magnitudinis eius non est finis, & sapientiæ eius non est numerus.* Potest omnia, videt omnia, scit omnia, ipsas quoque abditissimas cordium cogitationes, intentiones atque affectiones omnes perspectas habet. Ipse est summum & incommutabile bonum, atque intermina plenitudo potentiæ, nobilitatis, dignitatis, sanctitatis, claritatis, pulchritudinis, bonitatis, dulcedinis, beatitudinis, & omnigenæ perfectionis. Diligamus ergo Deum, non potissimùm propter illa quæ ab eo recipimus vel expectamus, sed propter ipsummet, qui est infinitè amabilis. Constituamus nobis pro fine laborum nostrorum ac requie nostrâ gloriam eius; & illam pluris faciamus ac magis amemus quàm nostram, ipsamque habeamus pro nostrâ propriâ. Non nobis omnino sufficiat suauitas, quam persentimus in obsequijs ipsi Domino à nobis propter expectatam gloriam cælestem præstitis. * Quamuis enim bona sit hæc suauitas, non tamen illam Deus ob id largitur, vt in eâ solâ quiescamus, sed vt per eam faciliùs vitia in nobis mortificemus, sæculique vanitates deseramus, & firmiores stabilioresque permaneamus in cultu Dei, ac tandem gustum eximium percipiamus in consideratione immensæ excellentiæ & gloriæ eiusdem Domini Dei nostri. Expende diligenter apud teipsum ea quæ dixi. Verumtamen non nimiùm deijciaris animo, si ad sublimem illum Dei amorem pro desiderio tuo, & tam excellenter vt cupis, in hac vitâ pertingere non potueris. Humilis esto, & lauda dulcissimum Deum tuum, cuius fidelitas & dilectio erga te tanta est, vt tibi in hoc exilio non det ea quæ sine vanâ tui complacentiâ portare non posses. Reddet autem perenniter in cælo vicem sanctis desiderijs tuis. Interim ergo consolentur te hîc verba, quæ cecinerunt sancti Angeli, dicentes: *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Et quia eminentiorem Diuinitatis cognitionem non accipis, conquiesce in amabili humanitate Christi, in quâ, ceu venerabili quodam templo, ipsa fulgida Diuinitas habitat: ibi enim securus esse poteris. * Scito autem, certum indicium verissimi amoris esse, si æquè Deum diligis dum se asperum exhibet, sicut dum se præbet suauem; ac voluntatem tuam voluntati illius, tam in amaris quàm dulcibus, humiliter resignas & permittis.

Psal. 144. 146.

* Quare concessa suauitas interna; & quid agendū, quando ea subtrahitur.

Luc. 2.

* Amoris veri certū indicium, resignatio in amaris & dulcibus.

8\. *Præsentia Dei non est deserenda, ne quidem cum peccaueris: sed tunc purâ intentione à Deo petenda venia, & citò resumenda coram Deo pia proposita.*

* Insinuantur hîc actus contritionis de peccato ob amorē Dei super omnia.

Postremò seriò admodum moneo te, ne vllâ ratione à facie Dei tui procul fugias, quando aduertis te grauiter distractum, tentatum, vel etiam prolapsum esse ac peccasse. Statim vt hoc accidit, resurge, & reuertere pœnitens ad misericordissimum Dominum: neque vnquam de veniâ desperaueris. * Magis autem doleas, quòd peccando displicueris ipsi celsissimo, benignissimo, amabilissimoque Domino Deo tuo, & contra voluntatem ipsius egeris, ac paternos eius oculos offenderis, quàm quòd damnum & supplicium inde commeritus sis. Pete tibi à Deo ignosci, non ob hoc potissimùm vt pœnam euadas, aut perditam gratiam, virtutes & ius ad cælestem gloriam recuperes: sed magis vt acceptâ veniâ sis Deo gratior, eumque ames, & ab eo non separeris. Ergo post culpam admissam, resume sanctum propositum, rursusque viriliter incipe, te totum cælesti Patri tuo humiliter & confidenter offerens ac tradens. Ipse proculdubiò te ita ad se redeuntem suscipiet, consolabitur, & saluum faciet, pro ineffabili bonitate suâ, quæ finem non habet.

9\. *Persevera diligenter in hoc exercitio volūtatis propria in diuinam resignādi, ob magna eius commoda & merita.*

Relege crebrò has institutiones, & eas in opus deducito, iuxta gratiam quam à Deo acceperis. Obserua, inquam, vigilanter te ipsum intus ac foris: & omnia opera tua perage propter Deum: voluntatem item tuam diligenter inflecte ad ea quæ ipsi Domino accepta sunt, illamque auerte ab his quæ eidem Domino displicent; vt hac ratione firmentur in te boni habitus, malis euersis. Licet verò sæpè videaris tibi admodum debiliter illam inflectere vel cogere ad ea quæ Deus requirit aut amat, non tamen ob id omittas huiusmodi sanctum studium, quod paulatim maiorem vim accipiet. Et profectò, in singulis hisce voluntatis ad bona inclinationibus, quas ad placendum Deo feceris, singulare meritum obtinebis; etiamsi in te remaneat quædam sensualitatis repugnantia. Præclarè quidem per humilem, piam & frequentem orationem impetrabis à Deo quæcumque tibi necessaria sunt: attamen etiam extra illam voluntas & desiderium sedulò (vt dixi) inflectenda sunt ad ea quæ Domino placent. Certè quando vis cupisve

pisve

pisve intentionem cogitationemque tuam in Deum dirigere, cum amare, & in eo vel de eo gaudere: hoc ipsum idem propemodum est cum oratione. * Porrò ipsa mentis cogitationisque ad Deum conuersio, & voluntatis inclinatio, non est facienda cum inquietudine aut anxietate animi; sed tranquillè ac liberè, & sine naturæ vel cerebri læsione. Iam cùm non pauci inueniantur, qui viam, quâ pergendum est, negligentes, & seipsos inordinatè quærentes, multùm laborent & parum proficiant, ac plerumque putent se magna Deo præstare obsequia, quæ tamen parui admodum momenti sunt: age, sume animum, & secundùm ea quæ hîc aut alijs pijs libellis proponuntur, viuere contende. Ita enim prauas propensiones tuas & vitia euinces, ac veras virtutes, verumque Dei amorem adipiscèris, præstante eodē Domino Deo nostro, qui est benedictus in sęcula.

* Monitio. Placidè & sine cerebri læsione fiat exercitium conuertendæ voluntatis nostræ in diuinam.

§. IV.

APPENDIX VTILIS

De exercitio conformandi se voluntati diuinæ ob amorem Dei.

1. *Qui ad diuini amoris apicem aspirat, abneget inprimis amorem proprium: sciatque dulcedinem sensibilem non esse veri amoris signum, sed firmam dumtaxat complacentiam de bonis Dei.*

2. *Quàm dignum sit, vt omnia referantur ad Dei gloriam & beneplacitum: quantumque gaudium habeant pij ex agnitione præsentiæ diuinæ.*

3. *Operari ex intentione beneplaciti diuini, excellentius est, maiorisque meriti & premij, quàm idem operari ex aliâ quauis sanctâ intentione.*

4. *Difficile videbitur in exordio omnia sic operari propter bonum Dei: sed perseueranti fiet facile & iucundum.*

1. *Primus gradus ad amorē diuinum est mortificatio propriæ quæsitionis.*

QVI nititur ad eximium aliquem diuini amoris gradum peruenire, & tamen vitia inordinatasque propensiones sedulò in se corrigere ac mortificare, & inordinatum erga creaturas amorem abijcere non conatur; similis videtur illi, qui cùm graui mole plumbi aut ferri onustus sit, & manus pedesque vinculis constrictos habeat, altam nihilominùs arborem se posse conscendere existimat. Ex improbo nostri amore, quo nosipsos impurè quærimus, & ad nosipsos inordinatè reflectimur, omnia mala oriuntur. Quantum in nobis minuetur perniciosus amor nostri, & propria voluntas, tantum crescet salutaris amor Dei. Et quò diligentiùs eiecerimus quod nostrum est, eò abundantiùs recipiemus quod Dei est. O quàm iucundam vitam agit, qui sibiipsi, hoc est, propriæ voluntati, vitijsque suis mortuus, soli viuit Deo! * Sunt autem, qui putant magnitudinem suauitatis ac dulcedinis, quam in sensitiuo appetitu percipiunt, esse magnitudinem veri amoris: sed falluntur. Bonus tamen valdè est huiusmodi amor: quo qui rectè vtitur, faciliùs pertingere potest ad sublimem nobilissimumque Dei amorem. Quamuis enim fragilis sit & infirmus, conducit tamen ad accendendum illum fortem & præcelsum amorem, quando parum adhuc ardere videtur; quemadmodum ligno arido succenditur lignum viride. * Quia verò ipse excellens Dei amor in hoc consistit, vt in nobis sentiamus complacentiam vel gaudium ex omni bono & gloriâ quæ in Deo sunt, siue ex eo quòd Deus est quod est: illi qui gustum huius amoris non perceperunt, vix fortè credent rem esse tam sublimem. Et tamen neque beati Ciues cæli, neque homines in terrâ degentes, vllum aliud sublimius opus exercere possunt. Initio quidem non solet sanctus iste amor edere magna sui signa, quæ in animâ sentiantur, quamuis etiam tunc magni sit pretij: sed posteà quàm iusta incrementa accepit, tum certè dat sui signa admiranda.

Tantū crescit amor Dei quantū decrescit amor proprius.

* Dulcedo sensibilis inchoantibus vtilis est: sed non est semper veri amoris indicium.

* Verus amor consistit in forti complacētiā voluntatis Dei.

Quisquis ad hunc sincerissimum Dei amorem adspirat, simpliciter recogitet & consideret, quàm ingentem gloriam Deus obtineat, & quàm dignum sit, vt omnes de excellentijs, perfectionibus, diuitijsque eius gaudeant atque glorientur: inclinetque voluntatem suam, vt velit & cupiat Deum possidere omne bonum quod possidet, & esse quod est. Cōsuescat hoc frequenter facere, saltem raptim, vbicumque locorum fuerit; etiamsi parum ei arrideat huiuscemodi exercitium. Nam ex eius conuenienti continuatione mirum in modum proficiet: modò mortificationem vitiorum suorum, & imitationem virtutum Christi non negligat. Sit autem discretus, & caueat ne naturam suam prægrauet, caputque destruat. Non nimiùm extendat intellectum suum, sed simpliciter (vt dictum est) de Deo cogitet. * Si ipsum altissimum Deum elegerit, & habuerit pro fideli singularique amico suo, & Patre longè optimo atque suauissimo, facilè ad recordationem illius concipiet, cum decenti reuerentiâ, lætitiam quādam, & sanctum affectum de eo eiusque gloriâ. Intuendo, audiendo, recolendo mira opera summi illius dilecti sui, gaudebit: quemadmodum gaudere quisque solet, dum audit egregia stratagemata eius qui sibi charissimus est. Igitur placebit illi Deus suus: & licet ipse paruum admodum feruorem gustumque amoris adhuc fortè sentiat, emittet tamen pro modulo suo pia suspiria & desideria

2. *Meretur Dei excellēs bonitas, vt omnia ad eius gloriam & beneplacitum fiant.*

* Naturale est lætari ad amici veri recordationem. Faciat hoc anima deuota in bonis & gloriâ Dei recolendâ & seruet diligēter præcepta hîc traditas.

desideria ad Deum, eique fideliter inseruiet, non tam quòd lucrum inde consecuturus est, quàm quòd ille sit summè bonus, planeque dignissimus qui ab omnibus ametur, colaturque. Sibi quidem huiusmodi desideria sua videbuntur nimis frigida ac parua: erunt tamen tam magna coram Deo, quàm magna ipsa cupiet, & totâ voluntate volet illa esse. Tanti videlicet facit Deus bonam integramque voluntatem: nam & ex voluntate omnia bona dependent, & tantum quisque sanctus est, quantum eius ad Deum voluntas magna est. Iam etiam incipiet lætari ex animo, quòd gloriosum Dominum Deum suum semper præsentem habeat. (Deus siquidem vbique est, quemadmodum per

Ierem. 23. Prophetam testatur dicens: *Cælum & terram ego impleo.* Attamen præcipuè præsens est in animabus nostris, præcellentissimâ imagine ipsius insignitis.) Verùm quantum attinet ad subleuationem mentis in Deum, & considerationem seu contemplationem gloriæ Dei, sit simplex & humilis. Nihil attentet supra vires suas: sed mensuram gratiæ sibi diuinitus datæ semper attendat, & illâ optimè contentus sit. Nihilominùs Deum magis magisque diligere desideret & adnitatur. Dolendum sane est, nos adeò remissos ac desides esse in amore Dei. Si essemus seduli, & per humilem orationem perseueranter peteremus à Deo eximium ipsius amorem, omnino illum adipisceremur. Qui Deum feruenter amat, necesse est vt eum crebrò in memoriâ habeat: quemadmodum qui acriter sitit, non potest non recordari sitis suæ. Vbi enim cura & amor, ibi cogitatio. Rursum *qui Deum amat, non elongatur ab amore & gratiâ Dei, etiamsi dormiat, & de Deo nihil cogitet. Iste in bonis ac rationabilibus operibus, verbis, atque cogitationibus suis, & in cunctis quæ rite propter Deum facit aut desiderat, Deum proculdubio amat & ei placet.

*Nempe iustus in statu gratiæ semper seruat habitum charitatis, tametsi nõ exerceat actus charitatis, qui sæpè vel somno vel alijs rebus interrumpuntur & cessant.

3. *Intentio amorosa voluntatis Dei, omni aliâ intentione excellentior est, & crebrò vsurpanda.*

O quàm felices essemus, si quidquid agimus aut omittimus, ageremus omitteremusque ex sincero Dei amore, Deum in omnibus spectantes potiùs quàm nosipsos! Quando metu pœnæ, aut amore virtutis gloriæve cælestis mouemur ad agendum boni quidpiam; bonum quidem hoc est, non tamen est perfectum. Certè cùm voluntas Dei infinito præstantior sit quàm nostra; par est, vt illa magis nos moueat, quàm nostra propria. *Quare, quando aliquid volumus aut cupimus, moti quodammodò desiderio naturali propter commodum nostrum: conuenit omnino, vt intentione meliùs ordinatâ hoc velimus cupiamusque, non ob id potissimùm quòd nobis vtile sit, sed quia Deus illud vult & acceptum habet. Si desideramus regnum cælorum, ideò illud desideremus, quia Deus ex summâ bonitate charitateque suâ vehementissimè cupit nos eò tandem peruenire, & quia in illo regno beatissimo perfectè amabimus ac laudabimus Deum, sicque ipsi longè gratissimum præstabimus obsequium. Habemus voluntatem Dei semper præsentem, & possumus (ipso Domino auxiliante) voluntatem nostram eò flectere, vt ideò velimus aut desideremus istud vel illud, quia hoc ipsum vult & amat Deus. Quò magis in hunc modũ obliti fuerimus proprij nostri commodi, eò amplius nos Deus omni bono ditabit. Faciamus ergo quælibet opera nostra purè propter Deum, seu propter infinitam eius bonitatem, quæ nos compellit vt ipsum amemus, eique seruiamus, potiùs quàm propter nos, vtilitatémve nostram. Nam illud excellit istud longè magis, quàm sol omni suo splendore excedat tenuissimum lumen exiguæ candelæ. Et eam ob rem, infimum opus eius, qui ex amore Dei seu propter Deum operatur, longè maioris apud Deum momenti est, quàm supremum opus illius qui huiusmodi scopum non habet. Vnde & maius meritum obtinet, qui illâ sanctissimâ intentione comedit, quando comedere licitum est; quàm alius qui ieiunat, vel corpus suum asperè castigat aliâ intentione, etiam bonâ, nempe vt obtineat æternas paradisi delicias. *Ille scopus istum non minus, imo multò amplius superat dignitate, quàm totus mundus vnam auellanam magnitudine.

*Pulchra praxis trãsformandi omnem intentionem amorem pro-

...prij in purissimam intentionẽ amoris Dei, & sanctissimæ voluntatis eius: quæ intentio continet & superat omnes alias intentiones eminentissimo modo.

*Fundamentũ huius piæ & cõsolatoriæ sententiæ de excellentiâ & merito actionis ex purissimâ hac intentione, supra actiones etiam nobiliores ex intentione non tã purâ, accipiendum est ex D. Thomâ 1. 2. q. 12. & 19. quòd finis intentio dat valoris mensuram in operibus virtutum.

Videbitur his, qui primùm inchoant hanc præclaram artem, satis difficile, ita cuncta opera peragere propter Deum, siue vt diuina voluntas perfectè impleatur, propriâ voluntate proprioque commodo quasi obliuioni traditis: sed talia ferè apparent cuiuslibet artis principia, cùm tamen per continuum exercitium ipsa ars tandem perdiscatur. Itaque in initijs oborietur quidam tepor animi ei, qui anteà quidem iuxta naturalem suam inclinationem solebat operari propter proprium bonum, sed nunc operari vult ex solo Dei amore, assumens pro requie suâ & fine laborum suorum alienum bonum, videlicet gloriam Dei. Quæ res cùm sit supernaturalis, & homini multùm insolita, nihil mirum si in principio parum sapiat. Sed licet id nobis eueniat, & magnam cordis ariditatem sentiamus, non tamen propterea minoris

4. *Huius intentionis exercitium inchoantibus molestũ, in vsu perseuerantibus fit facile, imò iucundum.*

meriti sunt opera nostra, & amor noster. O quantâ pace, quantoque gaudio aliquando abundabit, qui tam cælesti & Angelicæ arti gnauiter perseueranterque operam dederit, atque vnius spiritus siue vnius voluntatis cum Deo fuerit! Is haud dubiè ineffabilia bona inueniet in Deo suo: & mirè lætabitur atque exultabit de immensâ maiestate, potestate, opulentiâ, nobilitate, gloriâ, pulchritudine, misericordiâ, charitate, bonitate, clementiâ, dulcedine, alijsque amabilibus perfectionibus eius. Hoc fiet in præsenti, vel certè in futurâ vitâ. Ipse benignissimus Dominus Deus noster, qui nos immenso amore diligit, & ardentissimè cupit, vt ad æternam beatitudinem perueniamus, dignetur nos sibi reddere placentes.

§. V.

COROLLARIVM

De eiusdem exercitij excellentiâ & commodis.

1. Propria voluntatis abnegatio Deo gratissima: propria voluntatis quæsitio sola infernum constituit.

2. Præcepit Deus, vt nostrâ voluntate neglectâ, ipsius beneplacitum faciamus: id quia plenè faciunt in cælo, sunt beati; quia omnino contemnunt in inferno, sunt miseri.

3. Oratio illa maximè placet Deo, quâ nos ipsius beneplacito ex animo resignamus.

1. *Propria voluntatis abnegatio, & sensuum mortificatio purè propter Deum, Deo gratissima.*

ABNEGATIO ac resignatio propriæ voluntatis Deo gratissima est. Acceptius obsequium homo præstat Deo, quando à vano & non necessario visu, auditu, olfactu, gustu vel tactu discretè abstinet, voluntatem suam in huiusmodi rebus purè propter Deum mortificans; quàm si mortuos ad vitam temporariam reuocaret. Qui item, relictâ propriâ voluntate, facit humiliter ad honorem Dei voluntatem alterius in re licitâ, magis Deo placet, quàm si multo tempore corpusculum suum pane & aquâ tantùm sustentaret, asperisque flagellis cruciaret ex voluntate propriâ. * Is qui in proprietate viuit, difficulter abnegat semetipsum. Quidquid enim animo concipit siue proponit, tam tenaciter ac mordicus tenet, vt vix eum aliquis inde possit abducere: semper mauult alterum sibi obtemperare, quàm ipse velit (superbus quippe est) acquiescere alteri. E contrario is, qui propriam voluntatem studuit abnegare in omnibus, tam in agendo, quàm omittendo, vel etiam patiendo, pronior est obedire alteri, quàm velit alterum obedire sibi. * Sicut autem Deus nihil à nobis æquè exigit vt propriæ voluntatis resignationem mortificationemque; ita nihil in nobis magis odit, quàm ipsam propriam voluntatem, quæ sola infernum constituit. Si enim propria voluntas non esset, etiam non esset infernus. Danda igitur nobis opera est, vt nobisipsis ac propriæ voluntati absque calcitratione, vel detrectatione, & alterius electione renuntiemus. * Creauit enim Deus voluntatem nostram, non vt propriè nostra sit, sed ipsius qui eam creauit. Quare, quisquis suam voluntatem seruat, possidetque vt propriam, is Deo surripit, quod iure illius solius esse deberet. Propria voluntas optat non pro Dei, sed pro suo viuere arbitratu: superba, immorigera, pertinax, & contentiosa est in omnibus: auersio à Deo, & totius malitiæ fundum est: in cælum pertingere non potest: in terris pacem non habet: in inferno sepelitur, eiusque sepulchrum inuida calcitratio & contradictio est.

* Qui sese quærit, nũquam sese vincit.

* Propria voluntas infernum constituit.

* Est furtũ, surripiens Deo, quod sibi soli reseruauit.

2. *Abnegare voluntatẽ propriam, actus est summæ charitatis & prægustatio quædam beatitudinis: vt præludium pœnarũ inferni, voluntatem propriam, diuinâ cõtemptâ, sequi velle.*

Præcipit igitur Deus, vt nobisipsis, & omni proprietate abdicatâ, suæ nos prorsus dedamus ac permittamus voluntati: adeò vt summum gaudium nostrum sit, viuere & esse iuxta gratissimam illius voluntatem in tempore atque æternitate. * Et profectò multò nobis optatius esse debet, credere, sperare, & humiliter confidere Deo, eiusque prouidentiæ ac voluntati nos funditus resignare, quàm de vitâ æternâ certos securosque esse. Qui propriæ voluntati omnino renuntiat, verissimam habet charitatem, quæ seipsum aut priuatum aliquid non quærit. Enimuerò humili mente, omnibusque viribus intendere, ac desiderare voluntatem honoremque Dei, sincera charitas est, quæ omnium virtutum totiusque sanctitatis est radix & origo. Ideoque quantumuis sublimia bona opera atque exercitia peragere videamur, si nosipsos spectamus potiùs quàm Dei voluntatem & gloriam, fallimur. His qui in cælesti perennique gloriâ degunt, diuina voluntas tam amabilis, grata & suauis est, vt si ipse supremus spiritus Angelicus nosset Deum velle, seu ad honorem ac laudem Dei cedere, vt vrticas vel alia zizania extirparet, hoc præ omnibus cupidissimè exequeretur. Quotquot in inferno flammis inextinguibilibus cruciantur, propriâ voluntate pleni, & sanctæ Dei voluntati contrarij sunt: at in cælo omnes Beati, diuinæ voluntati perfectissimè dulcissimeque sunt vniti, omnes sunt vna vita cum Deo, & vnum in voluntate Dei. Apud inferos si quis propriæ mortuus esset voluntati, in liberrimam voluntatem Dei, is vtique non arderet. Et in cælis si quis propriæ esset voluntatis contra voluntatem Dei, is certè non beatus, sed miser & infelix foret.

* Lector pius videns has omnes tam vehementes exaggerationes de bonis volũtatis diuinæ & malis volũtatis humanæ, cum tot conditionatis propositionibus de cælo & inferno, de beatis & dãnatis; discat quãtopere amanda & quærenda voluntas Dei, timenda & fugienda voluntas propria.

Planè

3. *Oratio est Deo gratissima, quâ resignamus voluntatem nostram in diuinam.*

Planè beneplacitum ac voluntatem Dei omnibus illis, quæ Deus dare possit, anteponere, & chariùs amplecti debemus. Vnde optima & præcellentissima oratio quam fundere possumus, hæc est: *Domine Deus, da mihi quidquid volueris, & fac mecum secundùm gratissimam voluntatem tuam.* Quamuis enim iucundum sit exaudiri à Deo dum pro gratiâ & virtutibus oramus; multò tamen delectabilius est, potissimo se Dei beneplacito resignare, eiusque ante omnia, in omnibus & post omnia voluntatem appetere. Nam & inter omnes preces quas Christus in hoc mundo fudit, illa Deo Patri acceptissima maximeque honorifica fuit, quam imminente passione fecit, dicens: *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.* Sancti homines, qui vnius sunt cum Deo voluntatis, verâ libertate & pace gaudent. Eos enim nihil perturbare potest, neque iactura rerum terrenarum, vel cognatorum & amicorum, neque corporis aduersa valetudo, neque ignominia, neque tribulatio, neque mors, neque purgatorium, neque dæmon, neque infernus. Nam ex verâ humilitate, veroque amore, diuinæ se prorsus resignant voluntati, & non minùs Dei erga se iustitiam quàm misericordiam diligunt: quæ quidem perfecta resignatio ipsos extra casus omnes constituit. Si igitur & nos cupimus liberam tranquillamque vitam hîc degere, ac posteà ad beatitudinem cælestem peruenire, contemnamus & proculcemus in nobis propriam voluntatem, ad gloriam Dei, Amen.

Luc. 22.

LVDOVICI BLOSII SACELLI ANIMÆ FIDELIS PARS SECVNDA, SIVE PRECVLAE ADMODVM PIAE QVIBVS ANIMA FIDELIS IN VITÆ SANCTITATE ET DEI AMORE PLVRIMVM CRESCERE CONFIRMARIQ. POTERIT.

Initio adoratur sancta Trinitas.

1. *Adoratur cum verâ fidei confessione gloriosa Trinitas.*

TE Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum sanctum paraclitum, vnum omnipotentem, sempiternum, atque incommutabilem Deum, creatorem cæli & terræ, visibiliumque omnium & inuisibilium, supplici mente adoro. Te veram & ineffabilem Trinitatem in personis, veram & inseparabilem vnitatem in substantiâ confiteor. Te laudo fulgidam semperque tranquillam Trinitatem, vnicam Deitatem, clementissimum Dominum meum, dulcissimam spem meam, charissimum lumen meum, optatissimam requiem meam, gaudium meum, vitam meam, & omne bonum meum. Tuæ benignissimæ pietati animam pariter & corpus meum commendo: tuæ sacratissimæ Maiestati me totum subdo, tuæque diuinæ voluntati in æternum resigno ac trado. Tibi honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

2. *Offertur Patri vita & mors vnigeniti Filij, & Virginis matris merita.*

O Pater cælestis, Pater exorabilis, Domine Deus, miserere mei vilissimi peccatoris, miserere omnium. Ego in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro cunctis iniquitatibus ac negligentijs meis, & pro peccatis totius mūdi, & in perfectam suppletionem bonorum operum ac meritorum quæ mihi desunt, offero tibi dilectum Filium tuum Iesum Christum, in vnione summæ illius charitatis, quâ tu eum ad nos misisti, nobisque eum dedisti Saluatorem. Offero tibi sanctissimam incarnationem, vitam, passionem & mortem illius. Offero virtutes eius præcellentissimas, & quidquid ipse pro nobis fecit ac pertulit. Offero eius labores, ærumnas, cruciatus, & Sanguinem pretiosum. Offero merita beatissimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum tuorum. Adiuua me, quæso, benignissime Pater, per eumdem Filium tuum, in virtute Spiritus sancti. Adesto miseris peccatoribus, eosque ad viam salutis misericorditer reuoca. Da omnibus viuis veniam & gratiam: da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Amen.

3. *Postulatur gratia Spiritus sancti.*

Sancte Spiritus, consolator dulcissime, qui à Patre & Filio ineffabiliter procedis, veni, obsecro, & illabere menti meæ. Repurga & emunda me ab omni peccato, animamque meam sanctifica. Laua in me quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium, flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium. Redde me verè humilem & resignatum, vt ego tibi placeam, & tu super me requiescas. O lux beatissima, lux summè amabilis, illumina me! O melliflua paradisi voluptas, fons purissimarum deliciarum,

rum, Deus meus, tribue te mihi, atque in intimis meis ignem tui amoris vehementer accende! Domine mi, doce, guberna, & protege me in omnibus. Confirma ſpiritum meum aduerſus inordinatam puſillanimitatem. Largire mihi rectam fidem, inconcuſſam ſpem, & ſinceram perfectamque charitatem. Præſta vt tuam gratiſſimam voluntatem ſemper faciam, Amen.

FERIA SECVNDA MANE.

Endologia ad IESVM I.

1. *Creatio ad imaginem Dei. Gen. 1.*

AVE dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, Fili Dei viui, Deus altiſſime, qui me creaſti, & ſecundùm animam, ad tuam diuinam imaginem atque ſimilitudinem condidiſti, capacemque æternæ beatitudinis feciſti. Da, vt ego tibi Domino meo, Deo meo, & Patri meo, fideli mente ſeruiam, peccata mea odio ſancto perſequar, & paſſionibus affectionibuſque vitioſis in me peremptis, ad innocentiam vitæ reformer.

[illegible]tio creaturarũ ad noſtros vſus. Gen. 2.

Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui cælum, terram, mare, & ea quæ cælo, terrâ marique continentur, meis vſibus deputaſti, & omnia mihi inſeruire ſolatioque eſſe voluiſti. Largire, quæſo, vt creaturis tuis nuſquam abutar: omnia quæ feciſti tuam bonitatem mihi prædicent, omnia in admirationem, cognitionem & amorem tui me rapiant.

3. *Educatio Catholica, & neceſſaria corpori ſubminiſtrata.*

Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui me in fide Catholicâ pietate tuâ natum, ab exordio vitæ miſericorditer educaſti: cibum & potum, aliaque neceſſaria ſuppeditans, & corpus alens atque confouens. Vtinam tu ſolus palato cordis mei ſapias, ſolus interiora mea poſſideas! Vtinam te panem cæli vehementer eſuriam, te fontem vitæ ardenter ſitiam! vt poſt præſentis exilij terminum tuis perfectis delicijs ſatiari merear.

4. *Cõſeruatio ab animæ & corporis periculis.*

Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui me hactenus ab innumeris periculis animæ & corporis ſeruaſti atque eripuiſti, & etiam abutentem donis tuis non dereliquiſti. Illuſtra, quæſo, cor meum ſplendore gratiæ tuæ: vt ego tuam erga me pietatem, meamque erga te ingratitudinem exactè cognoſcens, me defleam, mihi diſpliceam, tibi verò vnico Creatori & Redemptori meo per omnia placeam.

5. Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui me in ſordidiſſimo vitiorum ſterquilinio iacentem, & iniquiſſimè viuentem, tanto tempore longanimiter toleraſti, reſeruaſtique ad pœnitentiam. Præſta, vt omnes peccatorum præteritorum ſordes contritione tibi placenti, ſanctiſque operibus expiem: & vitæ puritatem deinceps ſectans, te ſuper omnia æſtuantiſſimo amore diligam. *Expectatio ad pœnitentiam.*

6. *Reuocatio peccantis.*

Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui me abeuntem in præcipitium, & iam in ipſis inferni faucibus conſtitutum, perire non permiſiſti, ſed etiam ſurdum ac fugientem, ad ſalutis viam reuocaſti. Concede, vt humili deuotione poſthac te ſequar, tuos ſanctos inſtinctus mente gratâ amplectar, omnibus rebus viſibilibus corde valedicam, tibique ſoli inſeparabiliter adhæream.

7. *Quotidiana protectio adhuc negligenter viuentis.*

Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui me viliſſimum peccatorem ita! ſemper gubernaſti, ita protexiſti, ita miſericordiæ oculo reſpexiſti, & adhuc quotidie peccantem ita benignè ſuſtines, beneficijſque foues, quaſi ceterorum oblitus, curam mei ſolius gereres. Effice, vt ego quoque ardentiſſime te amem, omnia tranſitoria propter te deſeram, tibi ſoli intendam, tuam voluntatem paratiſſimo animo vbique ſequar & perficiam, Amen.

FERIA SECVNDA VESPERI.

Endologia ad IESVM II.

1. *Aduentus, & incarnatio Dei. Math. 1. Luc. 1.*

AVE dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui propter me dignatus es è Regalibus ſedibus, & mellifluo corde Patris in hanc miſeriarum vallem deſcendere, atque in Virginis Mariæ caſtiſſimo vtero de Spiritu ſancto concipi, incarnari, homoque fieri. Elige, quæſo, tibi cor meum in quo habites: hoc exorna, hoc bonis ſpiritualibus reple, hoc totum poſſide. Vtinam ego te in illud humilitate profundâ inuitem, ardentique charitate recipiam, & receptum teneam! Vtinam tam validis amoris vinculis tibi aſtringar, vt numquam recedere, numquam mente auerti à te valeam!

2. *Viſitatio Eliſabeth, & nouem menſibus grauida Virgo. Luc 1.*

Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui Virginem Mariam conceptricem tui ſuauiſſimam ad Eliſabeth cognatam ſuam properare voluiſti, & vt eam ſalutaret, eique miniſtraret, inſpiraſti: in cuius etiam Mariæ pudiciſſimis viſceribus nouem menſibus Deus & homo deliteſcere non dedignatus es. Infunde mihi perfectæ humilitatis gratiam, eamque penitiſſimè cordi meo imprime: vt ad obſe-

quendum

quendum & parendum semper paratus inueniat. Effice, vt ipsum cor meum omnia caduca fastidiat, & te inhabitatorem ac possessorem indesinenter sentiat.

3. *Natiuitas in paupere stabulo.* Luc. 2. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, quem Virgo mater sine dolore, sine virginitatis detrimento, pauperem & passibilem, in vili stabulo peperit, natumque humiliter adorauit. Vtinam tu per nouum spiritus feruorem iugiter in me renascaris, & ego totus concremer incendio tui amoris! Vtinam tu vnicum cordis mei sis solatium, vnicum desiderium, vnicum gaudium! Vtinam te solum quæram, te solum cogitem, te solum diligam!

4. *Præsepium & vbera virginei lactis.* Luc. 2. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui in frigoris asperitate editus, panniculis inuolui, & vagiens in præsepio reclinari, maternisque vberibus infantulus lactari non recusasti. Adoro te charissimum Redemptorem meum, Regem Angelorum. Aue puer amabilis, Deus excelse, Iesu suauissime. Aue Princeps pacis, lux gentium, Saluator desiderabilis. (Isa. 9.) Da, Domine, vt verè humilis, verè pauper spiritu coram te semper assistam. Da, vt molesta quæque pro tuo nomine libenter perferam, & nihil in hoc mundo præter te amem, nihil præter te possidere cupiam.

5. *Adoratio Pastorum.* Luc. 2. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, quem recèns natum cælestes exercitus lætis collaudarunt præconijs, & pastores piè quæsitum & inuentum adorauerunt cum admiratione & gaudio. Dona mihi, vt in tuis laudibus & obsequijs hilaris absque tædio perseuerem: tibi mente purâ, stabili, serenâ, & tranquillâ seruiam: in te solo delecter & gaudeam.

6. *Circũcisio & nomen* IESV. Luc. 2. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui die octauo ceterorum more circumcidi, propriumque Sanguinem adhuc infans fundere, & in singulare nostri solatium IESVS appellari voluisti. Vtinam me ab omni cogitatione, verbo & opere prauo circumcisum, in filiorum tuorum numerum adscribas! (Math. 1.) Tu, Domine, vocaris IESVS, hoc est, saluator: tuum igitur est donare salutem. Depellat, quæso, à me omnem inordinatam pusillanimitatem recordatio istius optatissimi nominis tui, mihique inuiolabilem erga te fiduciam præstet. Eius virtute tamquam impenetrabili scuto protege me aduersus omnes insidias, omniaque molimina hostium inuisibilium.

7. *Stella & Magorum adoratio.* Math. 2. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, quem Magi fide sanctâ perquirentes, stellâ duce inuenerunt: inuentoque procidentes humiliter munera obtulerunt, aurum, thus, & myrrham. Dona, Domine, vt ego cum his beatis viris te in spiritu & veritate semper quæram atque adorem: dona, vt aurum rutilantis charitatis, thus fragrantis deuotionis, & myrrham perfectæ mortificationis tibi iugiter offeram. Præsta, vt omnes vires animæ meæ in laudem & amorem tui secundùm voluntatem tuam expendam, Amen.

FERIA TERTIA MANE.

Endologia ad IESVM III.

AVE dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui propter nos subdi, &, ad præbendum humilitatis exemplum, à Matre in templum deferri, atque hostiâ pauperum redimi voluisti: vbi iustus Simeon & Anna prophetissa tuâ præsentiâ exhilarati, magnifica de te dederunt testimonia. Vtinam interiora cordis mei numquam vel tenuissima vanitatis aura afficiat! Vtinam omnis arrogantia in me penitus deijciatur, omnis fauoris humani appetitus extinguatur, omnis propriæ complacentiæ pruritus deserueat! Præsta, Domine, vt omnem honorem fugiam, omnem gloriam detester, & cuiuis homini propter te me submittam, prompteque obediam. 1. *Præsentatio in tẽplo & testimonia Simeonis atque Annæ.* Luc. 2.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui puerulus cum Matre tenerâ persecutionem passus, non recusasti deportari in exilium, & fugere in Ægyptum. Largire mihi, vt inter omnes aduersitatum tempestates, inter persecutionum & calamitatum procellas ad te solum confugiam, te quæram, te inuocem, omnia de manu tuâ hilariter suscipiam, omnia mitissimo corde perferam, & gratias agens, immobiliter tibi adhæream. 2. *Fuga in Ægyptum.* Matth. 2.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, quem in templo remanentem, pia Mater tristis triduo requisiuit, & tandem læta inuenit in medio Doctorum sedentem, illosque audientem & interrogantem. Vtinam sic te mihi dones, sic communices, vt ego numquam à te separari, numquam beatæ familiaritatis tuæ solatio destitui valeam! Excute è corde meo omnem acediam, depelle omnem teporem tibi displicentem: da perfectam deuotionem, ardentemque pietatis sitim, quæ interiora mea ita afficiat & occupet, vt tui cultu satiari non possim. 3. *Amissi pueri in tẽplo inuẽtio.* Luc. 2.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria 4.

Obedientia erga parentes per annos triginta. Luc.2.

& gloria Christe, qui triginta annis incognitus latens, filius Ioseph fabri à Iudæis putari, & matris tuæ Mariæ, ipsiusque Ioseph imperio subditus esse voluisti. Gratia tua euellat, quæso, & prorsus extirpet è penetralibus interioris hominis mei omnem ambitionem & iactantiam, vt in oculis meis sim abiectus, & nesciri vilisque haberi amem, atque omnibus pro tui honore me subijciam & obtemperem.

5. *Baptismus Ioannis.* Math. 3. Marc. 1. Luc. 1. Ioan. 1.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui ad Iordanem fluuium venire, & eum ingressus, à Ioanne seruo tuo baptizari non dedignatus es. Vtinam me tuis meritis totum in hac vitâ purifices, & ab omnibus peccatis ac vitijs expeditum, tui amore desiderioque cælestis patriæ prorsus inebries! Vtinam ante animæ meæ egressum me tibi per omnia placentem efficias, vt hinc emigrans, illicò apud te sim, te videam, te fruar, ad laudem nominis tui sempiternam!

6. *Ieiunium & oratio.* Math. 4. Marc. 1. Luc. 4.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui inter feras pro nobis in deserto habitans, & quadraginta diebus ac quadraginta noctibus ieiunus perdurans, atque in orationibus peruigilans, passus es te tentari à satanâ: quo deuicto, Angelorum ministerijs honoratus fuisti. Da, vt carnem affectusque vitiosos tuâ gratiâ in me castigem, edomem & subigam. Da, vt orationi, ceterisque exercitijs spiritualibus strenue insistam; & gulæ vitio perfecte superato, diaboli insidias ac laqueos te adiuuante effugiam. Nulla, quæso, tentatio me inquinet, nulla à te separet: sed magis ipsæ tentationes me purgent, tibique coniungant & copulent.

7. *Pœnitentiæ prædicatio & Apostolorum vocatio.* Luc. 6. Cant. 1.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui pœnitentiam annuntiare, Discipulos vocare, & ex eis duodecim singulares fidei præcones Apostolos eligere voluisti, vt dispersos Dei filios colligeres. Trahe me post te, & ad te amandum cor meum potenter excita. Largire, vt gratiam, quâ me vocasti, non negligam: sed sæculo, rebusque caducis contemptis, te sequi, & tuam humilitatem atque charitatem pro meo modulo imitari paratus sim. Da vt te solum quæram, & ad te feruenti desiderio iugiter anhelem. Amen.

FERIA TERTIA VESPERI.

Endologia ad IESVM IV.

1. *Dominus Iesvs affligitur laboribus, ærumnis, & necessitatibus carnis assumptæ.*

AVE dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui pro me afflictus fuisti incômodis, æstu, frigore, siti, fame, sudoribus & ærumnis. Præsta, vt quamlibet aduersitatem de manu tuâ alacriter excipiam, patientique animo pro tui honore tolerem. In quauis angustiâ, in quauis derelictione internâ, in quouis rerum euentu, immobiliter in te consistam. Non me, sed te; non meam, sed tuam voluntatem vbique spectem & exquiram.

2. *Pernoctat in orationibus: fatigatur itineribus.* Luc. 6.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui plurimos labores sustinuisti, dum tu mundi Saluator conuersionem animarum sitiens, pernoctabas in orationibus, fatigabaris itineribus, discurrebas de regione in regionem, de ciuitate in ciuitatem, de pago in pagum, de castello in castellum. Amor tui, quæso, reddat me ad bona quæque promptum & agilem, vt in seruitio tuo numquam pigriter. Effice, vt omnium salutem ardentissimo desiderio semper expetam, & quantum in me est promoueam: effice, vt tui honorem vbique zeler, & pro illo me totum impendam.

3. *Conuersatur cũ hominibus, & sanat morbos.* Matt. 4. 9. Marc. 1. Luc. 4. 6. 7.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui cum hominibus diuersans, eos benignissimè consolari, eorumque languores ac morbos multis miraculis editis, misericorditer curare dignatus es. Dona mihi cor pio erga omnes affectu & condolentiâ plenum, quo omnium afflictiones commiserer, omnium calamitates vt proprias sentiam, omnium imperfectiones æquanimiter tolerem, omnium necessitatibus hilariter, quantum licet, subueniam. Animam meam vitiosis passionibus prauisque cupiditatibus infectam, perfectè emunda ac sana, vt his malis absoluta, liberè se sursum eleuet, & per purissimum amorem tibi adhæreat.

4. *Omnes vocat ad Euangelium salutis.* Math. 23.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui magno studio, ineffabilique affectu, pacem & cælorum regnum euangelizasti, omnium salutem exoptans, omnesque tibi aggregare cupiens, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas. Dona mihi vt aliorum saluti auidissimè inhiem, nusquam mihi malè parcam, nihil pro te recusem, zelum sanctâ discretione vbique temperem.

5. *Publicanorũ & peccatorum cõsortium non auersatur.* Math. 9. Luc. 19. 7. Ioan. 11. 12. 8.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui publicanorum ac peccatorum consortium non refugisti, sed Matthæo, Zacchæo, Mariæ Magdalenæ, mulieri in adulterio deprehensæ, ceterisque pœnitentiam agentibus benignissimam familiaritatem, & præsentissimam scelerum remissionem exhibuisti. Præsta, vt ego omnes pietate charitateque lætissimâ amplectar, omnibus me lædentibus promptè ignoscam, omnes qui me oderunt perfectè diligam, nulli signum minùs sinceræ

sinceræ affectionis insipienter ostendam. Da mihi integram peccatorum meorum veniam: da certam gratiæ tuæ spem, & sanctam perpetuamque erga te fiduciam.

6. *Iniurias, blasphemias, persecutiones patitur.* Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui pro me multas iniurias, multas blasphemias, multa opprobria, multos dolos, innumerasque persecutiones passus es ab illis ipsis quos beneficijs affeceras. Dona mihi cor verè innocens ac simplex, vt inimicos meos purè amem, eorum medullitus commiserescam, eos piè apud me excusem, & pro malis bona rependens, perfectissimâ charitate ac patientiâ tibi placeam.

7. *Asello vectus ingreditur Ierusalē, eiusq; deflet excidium.* Matth. 21. Luc. 19. Ioan 12. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui Ierosolymam aduenìens, mitis ac mansuetus super asinam sedisti, & inter laudes quæ tibi à turbis obuiàm properantibus canebantur, fudisti lacrymas, deflens vrbis excidium, animarumque ingratarum exitium. Largire mihi intimam meiipsius cognitionem, vt quàm indignus sim videam, meque profundissimè humiliem & despiciam. Vtinam neque laudibus neque fauoribus hominum vmquam oblecter, sed interioribus pœnitentiæ amorisque lacrymis vtiliter vacem! Vtinam aliorum incommoda tamquam mea ipsius persentiam, & aliena peccata, vt propria, pio corde defleam! Amen.

FERIA QVARTA MANE.

Endologia ad IESVM V.

1. *Iudas Christum vendit.* Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. AVE dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, quem Iudas infidelis discipulus, Iudæis te persequentibus, & in mortem tuam conspirantibus, vili pecuniâ vendidit. Extirpa, quæso, è corde meo omnem rerum creatarum malam cupidinem: da vt tibi nihil vmquam præferam: da, vt charitatem inuiolabilem omnibus hominibus, ac præcipuè his qui mihi molesti sunt, exhibeam. Ignosce, pie Redemptor, quòd tibi sæpè caduca vanaque præposuerim, & propter viles oblectationes à te me auerterim.

2. *Iesus manducat Pascha cum discipulis, eorumq; pedes abluit.* Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui Ierosolymis Pascha cum discipulis iuxta Legis præceptum manducasti, & humilitatis sanctæque dilectionis exemplum præbens, eorum pedes, fixis terræ genibus, abluisti, ablutos extersisti linteo. Vtinam istud tuum exemplum cor meum penetret, & omnem altitudinem atque arrogantiam in me prorsus deijciat! Da mihi, Domine, profundissimam humilitatem, quâ omnibus me incunctanter substernam. Da perfectam obedientiam, quâ tua præcepta, Vicariorum tuorum constituta, diligenter obseruem. Da feruentissimam charitatem, quâ omnes purè diligam.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui Sacramentum Eucharistiæ indicibili charitate instituisti, teque in eo nobis dedisti stupendâ liberalitate, vt apud nos etiam corporaliter maneres vsque ad consummationem sæculi. Excita, quæso, in me desideria, & vehementer accende omnia intima mea ad esuriem huius venerabilis Sacramenti. Da, vt casto affectu, singulari humilitate, & integrâ cordis puritate te suscipiam, dum ad mensam illam vitalem accedo. Te modò ita sitiat, ita tui amore langueat anima mea, vt aliquando in regno tuo æternis tuis delicijs perfrui merear, ad gloriam nominis tui. 3. *Sacramentum Eucharistiæ instituit.*

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui recessurus è mundo, electos discipulos tuos exhortatus atque consolatus es verbis ineffabili dulcedine plenis, & eos Patri commendasti oratione ardentissimâ; euidenter declarans, quàm tenerè illos, nosque, qui per illos credituri eramus, diligeres. Fac, vt verba tua cordi meo verè sapiant, ac super mel & fauum semper dulcescant. Vtinam illius ignitæ tuæ exhortationis spiritus pectori meo illabatur, quo totus in amorem tui transformer. Dirige me in omnibus, Domine Deus meus: vt in me, & per me, omni tempore fiat tua sancta voluntas. 4. *Sermo dulcissimus post cœnam vltimam.* Ioan. 17.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui egressus cum discipulis trans torrentem Cedron, venisti in hortum in quo te capiendum sciebas. Vtinam ego propriam voluntatem penitus exuam, tuam verò semper sequar ac diligam! Vtinam pro tui honore, fratrumque salute, quæuis aduersa constanti animo subeam, & etiam animam ponere non detrectem, si ita tua diuina dispositio ordinauerit. 5. *Egressus in hortum.* Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui passione imminēte pauere, tædere, ac mœstus esse cœpisti, mēbrorum tuorum in te transferens imbecillitatem: vt eos ad mortis expectationem trepidantes, istâ tuâ infirmitate, quam volens assumpseras, solareris & confirmares. Defensa me, precor, & à vitiosâ tristitiâ, & ab ineptâ lætitiâ. Præsta, vt omnis mœror, quem hactenus sustinui, tibi in gloriam, mihi in peccatorum remissionem cedat. Omnem diffidentiam, omnē inordinatam pusillanimitatem misericorditer à me submoue, & spiritum meum totū in te stabili ac compinge. 6. *Incipit pauere & tristari.* Matth. 26.

Aue

7. *Resignat suam voluntatem voluntati Patris.* Matth. 26. Luc. 22.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui in terram procidens Patrem orasti, eique humiliter te totum obtulisti, dicens: Pater, fiat voluntas tua. Largire mihi, vt in omni necessitate ac tribulatione per orationem ad te confugiam, & tuæ voluntati me totum liberè resignem ac tradam: nusquam aduersa indecenter subterfugiam, sed omnia tranquillo animo de tuâ manu suscipiam, omnia mitissimo corde propter amorem tui tolerem. Amen.

FERIA QVARTA VESPERI.

Endologia ad IESVM VI.

1. *Excitat dormientes discipulos ad orationem & vigilantiam.* Math. 26. Luc. 22.

AVE dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui erga dilectos discipulos affectu misericordiæ tactus, eorũ tristitiam tuo mœrori præposuisti: & oratione, cui intentus eras, intermissâ, ad eos tertiò accedẽs, deiectos erexisti, dormitabundosque ad orationis studium excitasti. Da, vt in meis exercitijs & operibus, torporis vitium fugiam: da, vt mente vigili alacriter tibi seruiam, priuatæ deuotioni proximorum salutem præferam, omnibus in necessitate aliquâ constitutis viscera commiserationis exhibeam, meipsum nusquam quæram, sed pro tui amore vbique deseram.

2. *Prolixiùs orans ab Angelo confortatur.* Matth. 26.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui in angore positus, prolixiùs orasti: & cùm esses creator cæli & terræ, Rex Regum, Angelorumque Dominus, Angelico solatio releuari non dedignatus es. Præsta, vt in omni aduersitate & anxietate, in omni pressurâ & deiectione, te solum consolatorem exquiram, te adiutorem protectoremque inueniam. Vtinam in omni rerum euentu tibi prorsus fidam, me totum tuæ ordinationi submittam, totum tuæ voluntati offeram, totumque in te proijciam!

3. *Sanguinem sudat præ vehementiâ agoniæ.* Luc. 22.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui sanguineo sudore maduisti toto corpore præ angustiarum multiplicitate & vehementiâ. Vtinam omnia interioris hominis mei membra exsudent sanctas contritionis lacrymas! Vtinam dignè coram te defleam, quòd hactenus tuæ erga me charitati & misericordiæ tam ingratus permaneo! Vtinam omnem internam externamque calamitatem tranquillo corde, pro tui amore, perferam: & me tundi flagellarique à te pijssimo Patre numquã queraı, sed bona & mala de manu tuâ hilariter suscipiens, iugiter in te gaudeam!

4. *Vltrò se offert hostibus capiendum.*

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui proditori Iudæ, ceterisque hostibus sanguinem tuum sitientibus, & mortem desiderantibus, vltrò te obtulisti capiendum. Largire mihi, vt aduersitates pro tui honore non refugiam; sed eis alacriter occurram; eas tamquam pretiosa xenia mihi à te transmissa, lætus excipiam; & humiliter fortiterque, quamdiu tibi placuerit, sustineam.

Matth. 26. Lucæ 22.

5. *Iudæ osculum admittit.* Matth. 26. Lucæ 22.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui ipsum proditorem Iudam dolosè ad te accedentem non repulisti, sed benignè osculatus es: & ipsâ vultus serenitate, sermonisque suauitate declarans te illum diligere, blandè inuitasti ad pœnitentiam. Da, vt mansuetudinem & charitatis dulcedinem omnibus inimicis meis demonstrem: eis quidquid in me peccant ex corde ignoscam: eos tolerem, & sicut ordinationis tuæ ministros, meæque salutis promotores, diligam.

6. *Permittit se capi, & inhumaniter ligari.* Matth. 26. Lucæ 22.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui hostes tuos sacrilegas manus furibundè in te inijcere permisisti; & ab eis crudeliter ligatus, conuitia, blasphemias, iniuriasque, quibus te proteruè incessebant, non vltus es, sed mansuetissimè tolerasti. Vtinam tu me, vitiorum funiculis expeditum, dulcissimi amoris tui vinculis vndique constringas! Vtinã veræ patientiæ gratiam mihi dones, quâ omnes inimicos æquanimiter feram, & quæuis aduersa absque aliquâ voluntatis rebellione sustineam!

7. *Sanat auriculam Malchi.* Matth. 26. Lucæ 22.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui Malcho vni ex furentibus persecutoribus tuis, auriculam à Petro discipulo præcisam restituisti ac sanasti: vt beneficia pro iniurijs reponens, mansuetudinis pietatisque tuæ diuitias nobis patefaceres. Effice, quæso, vt vindictæ cupiditas numquam cor meum subeat: & largire, vt erga proximos etiam lædentes affectum intimæ commiserationis perfectissimæque charitatis semper geram. Aman.

FERIA QVINTA MANE.

Endologia ad IESVM VII.

1. *Fugientibus discipulis solus manet inter hostes.* Math. 26. Marc. 14.

AVE dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui discipulis & amicis tuis profugientibus, teque derelinquentibus, solus inter manus iniquorum hominum, tamquam agnus mansuetissimus inter dentes luporum furentium, remansisti. Confirma nimiam infirmitatem meam, & stabili nimiam instabilitatem meam validissimo gratiæ tuæ fulcimento: & me tibi charitatis nexu ita coniunge, vt neque velim neque possim vmquam à te recedere aut separari.

2. *Vinctus ad Annã pertrahitur.* Ioan. 18. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui te vinctum tamquam maleficum & latronem armatâ manu ad Annam perduci, atque coram eo sisti passus es. O ineffabilem mansuetudinem Redemptoris mei! Ecce dum caperis, dum traheris, dum impelleris, nihil quereris, nihil obmurmuras, nihil obluctaris; sed tacitus ducentes sequeris, iubentibus obedis, affligentes toleras. Effice, Domine, vt ista virtutum tuarum exempla in me reluceant, ad gloriam nominis tui sempiternam.

3. *Alapam patienter accipit.* Ioan. 18. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, Rex cæli & terræ, qui humiliter, tamquam vilis & abiectus homuncio, ante tumidum Pontificem stans, diram alapam ab impio eius ministro impactam modestissimè tulisti. Comprime, quæso, in me omnes iræ atque furoris impetus, obtunde omnes indignationis stimulos, & omnem vlciscendi cupidinem extingue: vt iniurijs lacessitus, non perturber, non contendam, non tumultuer, sed omnia æquo animo sustinens, etiam pro malis bona rependam.

4. *Ad Caipham ignominiosè rapitur.* Matth. 26. Lucæ 22. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui te colligatum ad Caipham ignominiosè duci permisisti, vt nos à mortis æternæ obligatione absolutos, veræ libertati restitueres. Effice me paratissimum ad omne opprobrium, omnemque contemptum pro tuo nomine sustinendum. Dona, vt inter ipsas irrisiones & contumelias tibi corde integro gratias agam, atque ex illis in tui amore proficiam & crescam.

5. *Petrum tertiò negantem respiciens ad pœnitentiã vocat.* Matth. 26. Lucæ 22. Ioan. 18. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui ter à Petro Apostolorum tuorum Principe abnegatus, eumdem benignè clementerque respexisti, & ad facti pœnitudinem ac sancta lamenta prouocasti. Vtinam tu me quoque amabili illo misericordiæ tuæ oculo intuearis, vt iustis pœnitentiæ lacrymis peccata præterita defleam, & deflenda posthac non committam! Vtinam neque verbo neque facto vmquam in tuam bonitatem iniurius inueniar!

6. *Falsò accusatur apud Pontificem.* Matth. 26. Luc. 22. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui ante Pontificem & Seniores populi Iudaici vultu placido humilique aspectu stans, non recusasti falsò accusari, & iniurias diuersas perpeti. Largire mihi, vt numquam falsa pronuntiem, nemini calumnier, sed calumnias irrogatas magnâ cordis tranquillitate feram: & omnia aduersa tibi committens, gratiam consolationemque tuam in silentio semper expectem.

7. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui dum à Caiphâ Pontifice per nomen Dei adiuratus veritatẽ profitereris, asserens te esse Dei Filium, ab ipso eodem atque à ceteris adstantibus tamquam blasphemus haberi non dedignatus es. Vtinam ego tui offensionem & contemptum prorsus execrer, tui verò honorem & gloriam ardentissime sitiam! Vtinam in omni loco præsentiam Diuinitatis Maiestatisque tuæ reuerear, te cogitem, te colam, te laudem, ac super omnia diligam! Amen. *Adiuratus à Caiphâ Dei Filium se fatetur.* Matth. 26. Luc. 22.

FERIA QVINTA VESPERI.

Endologia ad IESVM VIII.

AVE dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui ab impijs Iudæis reus mortis proclamatus, & sine causâ damnatus fuisti, vt iniustâ tui condemnatione nos à criminum reatu, quo iustè tenebamur, absolueres. Da, vt sinistras temerariasque suspiciones reiiciam, aliorum iniquas oblocutiones, peruersaque de me iudicia, citra aliquam cordis amaritudinem feram, & vbique tranquillam charitatem, tuâ gratiâ adiuuante, retineam. 1. *Ab Iudæis reus mortis proclamatur.* Matth. 26.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui pro me factus opprobrium hominum, & abiectio plebis, sacratissimam faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, à fœditate sputorum non auertisti. Concede, vt imiter mansuetudinem & patientiam tuam. Non sinas animam meam vitijs inquinari, sed eam serua tibi immaculatam, vt ipsa post huius vitæ tenebras, æternam tuam claritatem tota munda contemplari mereatur. 2. *Facies sputis fœdatur.* Matth. 26. Marc. 14.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui alapis colaphisq; crudelissimè cædi, & diuersis contumelijs atque improperijs indignissimè pro me affici dignatus es. Da, quæso, vt despici, vilis haberi, & quibuslibet iniurijs secundùm tuam permissionem exercitari numquam recusem. Concede, vt ad quæuis molesta pro tui honore perferenda sim paratissimus: omnia de manu paternæ pietatis tuæ suscipiam, in omnibus gratias agam, in omnibus me ipsum tibi prorsus committam. 3. *Alapis & colaphis cæditur.* Matth. 26. Marc. 14.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui te subsannari, & vultum tuum amabilem (quem aspicere, summa felicitas est) in maius tui ludibrium velari permisisti. Presta, vt remoto velamine ignorantiæ, implear agnitione voluntatis tuæ. Imprime cordi meo iugem tui memoriam. Largire, vt in omni loco te præsentem sentiam, te diligam; & quod tibi acceptum est, semper faciam. 4. *Sannis irridetur, facies eius velatur.* Matth. 26.

Aue

5. *Totâ nocte à Iudæis affligitur.* Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui per totam noctem diuersis modis pro me illusus & afflictus à Iudæis fuisti. Scis Domine, quàm mihi difficile sit vel minima perpeti; scis, quàm nulla sit virtus mea, quàm voluntas pigra, desiderium frigidum. Adiuua igitur infirmitatem meam misericorditer; & effice, vt ad nullius aduersitatis occursum indignè collabar aut deficiam. Da, vt propter mala illata tranquillitatem animi non perdam, contumelijs iniustis non permouear; sed gratias agens, omnia tibi in laudem æternam offeram.

6. *Pilato sistitur.* Matth. 27. Luc. 23. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui te ludibrijs cumulatum & vinctum, ad Pilati iudicis profanum tribunal duci, eiusque conspectibus cum opprobrio sisti passus es, ipse iudex viuorum & mortuorum. Largire mihi, vt Potestatibus à te ordinatis ac Maioribus subditus sim, æqualibus pareat, omnes honorem & diligam. Da, vt aliena de me iudicia non expauescam: sed ea parato animo excipiam, patienterque sustineam. Sequar te, quæso, non solùm dum læta & prospera blandiuntur, sed etiam dum tristia & aspera premunt.

7. *Protestatur regnum suum non esse de hoc mundo.* Ioan. 18. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, Rex cæli & terræ, qui attestatus es regnum tuum non esse ex hoc mundo, vt corda nostra ab amore præsentis sæculi tuâ istâ professione auerteres. Effice, precor, vt rebus terrenis atque caducis affectu perfectè valedicam. Nihil eorum quæ pereunt, cor meum desideret, nihil inutiliter amet: sed te solum verum æternumque bonum diligat, te iugiter suspiret, tibi inseparabiliter adhæreat.

FERIA SEXTA MANE.

Endologia ad IESVM IX.

1. *Coram Pilato, Iudæis accusantibus, tacet.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. AVE dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui coram Pilato stans ad iniquas Iudæorum accusationes & calumnias humiliter tacuisti: tamquam agnus mansuetus non aperiens os tuum, neque contradicens his qui crimina falsò intendebant. Præsta mihi, Domine, vt numquam perturber aliorum obtrectationibus, sed tacendo omnes iniurias superem. Largire perfectam humilitatis gratiam, quâ neque laudari appetam, neque contemni renuam.

2. *Pilatus iudicat innocentem, Iudæis ex odio mortem postulantibus.* Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, agne sine maculâ, in quem impij Pharisæi & Scribæ pertinaci odio sæuiebant. Licet enim in te Pilatus nullam mortis causam se inuenire testaretur, placari tamen illi noluerunt, quò minus necem tuam expeterent. Da mihi tuam imitari innocentiam ac patientiam; vt & benè viuam, & benè viuendo malè audiens, reiectâ omni indignatione, tranquillus in te permaneam, tibique in aduersis gratias agam. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

3. *A Pilato ad Herodē mittitur.* Luc. 23. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui summâ cum ignominiâ, & magno populi strepitu, tamquam facinorosus latro de tribunali ad tribunal, de Pilato ad Herodem per medium vrbis pertractus fuisti. Concede mihi nullis inimicorum iniurijs frangi, nullis contumelijs exacerbari, nullo mei contemptu vitiosè erubescere, sed omnia modestè excipere, omnia pro tui honore silendo tolerare, vt in patientiâ meâ, te adiuuante, possideam animam meam.

4. *Coram Herode silet.* Luc. 23. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui multis vanis sermonibus ab Herode interrogatus, diuersisque modis à Pontificibus Sacerdotum & Scribis falsò accusatus, humiliter atque opportunè tacuisti. Da mihi linguæ continentiam tibi placentem: non permittas me vitiosa proloqui, non permittas ineptis fabulis occupari: sed præsta, vt quæ recta, vtilia honestaque sunt, pro tuâ voluntate proferam, vitium maledicentiæ perhorrescam: de omnibus benè loqui recteque sentire amem.

5. *Noluit corā Herode signum aliquod edere.* Luc. 23. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui ineptam Herodis cupiditatem silentio tuo damnans, noluisti signo aliquo edito curiosos illius oculos absque salutis fructu oblectare, & docuisti nos ostentationem coram Magnatibus vitare. Infunde cordi meo spiritum profundæ humilitatis: mortifica & extingue in me omnem vanæ gloriæ pruritum. Da, vt nihil vmquam ad captandam laudem humanam faciam: sed vbique gloriam sanctissimi nominis tui purè spectem, vbique verè pauper spiritu coram te appaream.

6. *Veste albâ induitur, & illuditur.* Luc. 23. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui ab Herode totoque eius exercitu sperni, & veste albâ, vt amens ac delirus, indui, subsannarique non dedignatus es. Da, Domine, vt potiùs eligam tecum abiectus esse, quàm cum mundo gloriosus: dignius & melius existimem opprobrium sustinere pro tui amore, quàm florere vano sæculi honore. Da, vt propriâ iniquitate, propriaque indignitate prorsus agnitâ, mihi ipsi vilescam, me despiciam, arguam & defleam.

7. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria

LÆ PIÆ. *Reducitur ab Herode ad Pilatũ.* Luc. 23.

gloria Christe, qui veste ridiculâ amictus, ab Herode ad Pilatum cum opprobrio reductus fuisti, inimicis tuis per omnia obtemperans, & ad illorum arbitrium progrediens ac regrediens. Largire, quæso, vt mei contemptum non horream, obedire etiam his qui me lædunt non recusem. Da, vt ad omnia quæ mundi sunt veluti stupidus factus, te solum sentiam, te solum sapiam, te solum diligam. Tu solus sis honor meus, pulchritudo mea, amor meus, gaudium meum, & gloria mea. Amen.

FERIA SEXTA VESPERI.

Endologia ad IESVM X.

1. *Iudæi Barabbam Christo præponunt.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

AVE dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui cum insigni latrone Barabbâ compositus, iniquior, morteque dignior illo iudicatus fuisti. Dimittitur homicida, & tu auctor vitæ ad mortem ab inuidis Iudæis postularis. Tu igitur lapis ille viuus ab hominibus quidem reprobatus, à Deo verò electus. Vtinam tibi nihil præferam, & pro nullâ re te commutem. Vtinam omnia sicut stercora arbitrer, vt te lucrifaciam. Concede Domine, vt inuidentiæ labes numquam animum meum inficiat: & effice, vt in te viuo lapide superstruar, in te confirmer, in te salutem inueniam.

2. *Iesus ad columnam ligatus flagellatur.* Ioan. 19.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui in prætorio nudatus, & ad columnam ligatus, sacratissimam virgineamque carnem tuam durissimis flagris conscindi passus es, vt liuoribus tuis nostra sanares vulnera. Amabilis Iesu, ego te plagis confectum eligo in Sponsum animæ meæ, desiderans igne suauissimi amoris tui accendi & concremari. Nuda, quæso, cor meum ab omni cogitatione indignâ: exue me veterem hominem cum actibus suis, & indue nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ & sanctitate veritatis. Præsta, vt nunc flagella paternæ correptionis tuæ tam patienter feram, vt post huius vitæ terminum merear illicò tecum gaudere, teque in æternum laudare & glorificare. (Coloss. 3.)

3. *Corona spinea, vestis purpurea, sceptrũ arũdineum.* Matth. 27. Marc. 15. Ioan. 19.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, quem verberum vibicibus totum liuidum atque cruentum, milites ineffabilibus iniurijs contumelijsque affecerunt. Te enim Regem gloriæ chlamyde coccineâ ad maius improperium vestierunt, tuo diuino vertici coronam è spinis contextam impresserunt, tibi arundinem vice sceptri in manus dederunt, & genu flexo nugatoriè te salutarunt, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Infige, quæso, cordi meo iugem passionis tuæ memoriam. Vulnera me charitatis tuæ aculeis, punge miserationum tuarum stimulis. Da vt te solum diligam, tibi soli intendam, & adhæream. Nulla tribulatio, nulla persecutio, nullus cruciatus me à te separet: numquam pudeat me tecum contemni ac subsannari.

4. *Percutitur caput arũdine, alapis cæditur, sputis deturpatur.* Matth. 27. Marc. 15. Ioan. 19.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui pro me arundine verberari, alapis cædi, sputis illini, & omni ludibrij genere affici non recusasti. Rogo te per Vulnera tua, per Sanguinem tuum, per opprobria, omnemque dolorem tuum, vt me totum atque omnia quæ circa me sunt possideas, regas, & in laudem tui sempiternam conuertas. Da, vt ego me perfectè abnegem: effice, vt læta & tristia, prospera & aduersa, æquali mente de manu tuâ hilariter suscipiam, & mundo mihique mortuus, tibi soli viuam.

5. *Producitur foras gestans spineam coronam, & purpuram.* Ioan. 19.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui consputus, conscissus, plagis deformatus, vinctus, totusque miserabilis, insanæ plebi conspiciendus foras productus es, gestans coronam spineam, & vestimentum purpureum. Dona mihi, vt omnem ambitionem, omnem mundanæ pompæ & vanitatis ostentationem, omnem sæculi honorem animo penitus conculcem, conspuam atque abominer: & per profundam humilitatem, verumque meipsius contemptum, ad supernæ beatitudinis gloriam indesinenter curram.

6. *Innocens à Pilato declaratur, à Iudæis ad crucem poscitur.* Luc. 23. Ioan. 18. 19.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui à Præside Pilato pronuntiatus innocens, audire non recusasti furibundas Iudæorum succlamationes, quibus petebant vt crucifigereris. Concede, vt innocenter viuam, & propter aliorum in me maleuolentiam nõ perturber. Largire mihi hanc gratiam, vt neque ego alijs obtrectem, neque eos, qui alijs obtrectant, libenter audiam: sed de omnibus (quantum fieri potest) benè sentiam, omnium defectus cum piâ commiseratione tolerem, omnes sincero amore prosequar.

7. *Iniustissimè damnatur ad mortem Crucis.* Luc. 23.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui te ignominiosissimæ morti Crucis coram populo iniustè adiudicari passus es, vt nos ab æternæ mortis sententiâ liberares. Præsta, vt numquam alios temerè iudicem, numquam alicui malè velim, numquam aliquem lædam. Da, vt per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam te sequar, tibi seruiam, tui honorem quæram, magisque eligam tecum manendo aduersis exerceri, quàm à te recedendo commodis huius vitæ perfrui. Amen. (2. Cor. 6.)

SABBATO MANE.

Endologia ad IESVM XI.

1. *Dolor Christi ex resumptione vestimentorum.* Matth. 27. Marc. 15. Ioan. 19.

AVE dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui voluntati persequentium te traditus, magnum cruciatum pertulisti ex chlamydis purpureæ (quæ tuis plagis adhærebat) depositione, & vestimentorum tuorum resumptione. Concede mihi, vt postquam vestimentum corporis deposuero, stolâ perfectæ charitatis indutus, tuisque meritis ornatus appaream, & tamquam filius adoptiuus in cælestem illam hereditatem tuâ misericordiâ introducar.

2. *Crucem ingentem suis baiulat humeris.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui inter multa opprobria, multasque iniurias crucem tuam sacris ac laceris humeris tuis cum ingenti dolore baiulasti, & fessus atque anhelus nimiùm laborasti sub onere. Da mihi crucem propriæ abnegationis ardenti deuotione amplecti, & virtutum tuarum exempla feruentissimâ charitate imitari, teque vsque ad mortem humiliter sequi.

3. *Mulieres flentes monet, vt seipsas defleant.* Luc. 23.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui in miserabili illo itinere, quo pergebas ad supplicium, mulieres super te plorantes benignè monuisti, vt super seipsas & filios suos flerent. Da mihi fletum tibi placentem, quo peccata mea & ingratitudinem propriam dignè lugeam: da piæ commiserationis sanctique amoris lacrymas, quæ cor meum durum resoluant, & tibi gratum efficiant. Præsta, vt ardentissimo tui desiderio succensus, omnia extra te fastidiam, te solum amem, in te solo requiescam.

4. *Inter duos latrones educitur, & affligitur.* Cant. 1.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui eductus cum duobus latronibus, non recusasti impelli, premi, accelerari, alijsque varijs modis affligi. Trahe me post te, & sequar te alacriter. Largire vt meipsum propter te prorsus abnegem, relinquam, & egrediar. Præsta vt te solum sentiam, in te solo afflicto Redemptore meo gaudeam. Da mihi te diligere, amoris vicem reddere, ardenter te requirere, & tibi soli viuere.

5. *Vinum bibit felle permixtũ.* Matth. 27. Marc. 5. Luc. 23. Ioan. 19.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui pondere crucis fractus humeros, tandem lassus peruenisti ad locum supplicij: vbi etiam tibi exhausto vinum felle permixtum oblatum fuit. Vtinam gulæ irritamenta, & carnis concupiscentias in me extinguas, faciasque vt impuræ & illicitæ delectationi numquam consentiam, sed ad gloriam nominis tui cibum potumque sobriè sumam, te solum esuriam, te solum sitiam, in te solo delecter & exultem!

6. *Vestium denudatione renouatur plagarum dolor.* Ibidem.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui in loco Caluariæ spectante populo nudari, & plagis vestium detractione renouatis, acerbissimum dolorem pro me sustinere non dedignatus es. Concede mihi diligere spiritus paupertatem, & inopiâ rerum numquam perturbari. Præsta, vt quaslibet necessitates ærumnasque huius vitæ æquanimiter pro tuo nomine tolerem. Nuda cor meum ab omni imagine affectioneque absurdâ: & sanctum propositum, pia desideria, castumque tui amorem in me quotidie renoua.

7. *Nudus cruci coëxtenditur, & clauis confligitur.*

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui nudus in ligno crucis dirè extendi, & solutis sacratissimorum membrorum tuorum compagibus, clauis eidem cruci crudeliter affigi non recusasti. Ita passus es delicatas manus tuas, & incontaminatos pedes tuos grauissimè vulnerari propter me. Largire mihi Domine, vt fideli grataque mente recolam istam ineffabilem charitatem tuam, qui brachia sponte expandisti, sponte manus fodiendas & pedes terebrandos obtulisti. Eia Domine, dilata & extende cor meum perfectâ tui dilectione: perfode, tibique affige illud dulcissimo amoris tui clauo; omnes sensus meos, omnesque cogitationes & affectiones meas in te vno conclude. Amen.

SABBATO VESPERI.

Endologia ad IESVM XII.

1. *Tribus horis pependit in cruce conclauatus.*

AVE dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui in ignominioso crucis stipite tribus horis transfixis manibus ac pedibus pependisti: & pretioso Sanguine largiter fuso, ineffabilem sanctorum artuum tuorum cruciatum spontaneus tolerasti. Sustolle, precor, in crucis tuæ lignum miseram animam meam humi iacentem; & eam vitiosarum cupiditatum fæce depurgatam, tui desiderio, amoreque cælestis patriæ vehementer accende. O Sanguinem salutiferum! ô Sanguinem viuificum! Vtinam, Domine mi, vtinam me isto pretioso Sanguine ablutum, prorsus sanes atque purifices! vtinam illum in perfectam iniquitatum mearum satisfactionem Patri offeras! Da, precor, vt ardenti affectu interior homo meus excipiat atque lambat eiusdem beati cruoris tui vitales guttas, & verè gustet, quàm suauis sit spiritus tuus. Sap. 12.

2. *Inter facinorosos latrones medius.*

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui medius inter duos facinorosos

Marc. 15. cinorosos latrones in cruce pendens, cum iniquis deputatus fuisti: vt incomprehensibili tuâ humilitate ac patientiâ, nostram corrigeres, simulque expiares impatientem superbiam. Erige, quæso, spiritum meum sursum: vt ego è sublimi cuncta transitoria despiciens, ac solum Deum meum pro me crucifixum admirer, te solum amem, ad te anhelem, te cogitem, de te loquar, te somniem, te sapiam, in te me oblectem, & extra te consolationem recipere penitus renuam.

3. *Patrē orat pro crucifixoribus.* Luc. 23. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui tam bonus fuisti etiam pessimis, vt pro illis ipsis qui te crucifigebant, Patrem obsecrares, dicens: ***Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*** Da mihi, quæso, veræ mansuetudinis & patientiæ gratiam, quâ ego iuxta præceptum pariter & exemplum tuum inimicos diligam, his qui me oderunt benefaciam, pro illis qui me lædunt ac persequuntur, humiles preces coram te fundam, eorum cōmiserescam, eisque ex animo ignoscam.

4. *Titulus crucis, trophaeum victoriæ.* Luc. 23. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui cruci tuæ titulum, triplici linguâ descriptum, tamquam victoriæ trophæum affigi voluisti, vt eo conspecto, strenuè aduersus hostes inuisibiles dimicaremus. Protege me sub isto titulo ab omnibus diaboli insidijs ac dolis. Doce me sub isto titulo quasuis tentationes euincere, cunctaque vitia prosternere, vt illis per gratiam tuam superatis, te liberè laudem & glorificem.

5. *Milites vestimenta partiti, tunicā inconsutilem sortiuntur.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, cuius vestimenta inter se partiti milites, tunicam, quæ inconsutilis erat, vnitatemque Ecclesiæ Catholicæ designabat, te ordinante reliquerunt inscissam. Illabatur, quæso, cordi meo pacis spiritus; hoc inhabitet, hoc possideat: vt fratrum concordiam vitio meo numquam scindam, aut perturbem, sed scissa reparare, & turbata ad tranquillitatem reuocare semper studeam.

6. *Iesus in cruce blasphematur à Iudæis.* Matth. 27. Luc. 23. Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe cui, incomprehensibiles cruciatus, ineffabilesque angustias in arâ crucis toleranti, Iudæi procaciter insultarunt, diuersas blasphemias impio ore vomentes. Da, Domine, vt ego memor humilitatis, patientiæ, mansuetudinisque tuæ, dolores, opprobria, persecutiones, infamiam, & mei contemptum patienter feram, ac tecum in cruce ad finem vsque perdurem. Nullus tentationum impetus, nulla aduersitatum procella, nullus contumeliarum turbo me à sancto proposito deijciat: non mors, non vita, non instantia, non futura, non creatura aliqua me à tui dilectione separet.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui alterum latronem, conuitia in te dicentem, tolerasti; alteri suam iniustitiam humiliter agnoscenti, teque Deum & Regem piâ fide confitenti, paradisi gloriam benignissimè es pollicitus. Respice me, quæso, illis misericordiæ oculis, quos in latronem, malorum suorum pœnitentem, deflexisti. Vtinam, adiuuante tuâ gratiâ, vitam tam innocentem agam, tam fideliter tibi seruiam, tam castè te diligam; vt in ipsius vitæ meæ termino, abs te pijssimo Redemptore, vocem illam optatissimam audire merear: ***Hodie mecum eris in paradiso!*** Amen. 7. *Latroni confitenti promittit paradisum.* Luc. 23.

DOMINICA MANE.

Endologia ad IESVM XIII.

Ave dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui de cruce intuitus matrem tuam dulcissimam mœrore & lacrymis plenam, eius dolorem medullitus miseratus es, & eam discipulo Ioanni, rursumque Ioannem, & in Ioanne nos omnes, eidem matri tuæ commendasti. Concede mihi illam castissimo ardentissimoque amore diligere & colere: vt ego eam habens pro matre, ab ipsâ quoque pro filio agnosci merear. Da, vt eam in omni necessitate, & præcipuè in horâ mortis meæ, præsentem auxiliatricem inueniam. 1. *Iesus matrē Ioanni cōmendat.* Ioan. 19.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui Vulneribus hiantibus, & capite spinis obsito, in cruce miserabiliter pendens, omni solatio te destitutum fuisse, professus es. Præsta, vt in omnibus aduersitatibus, tentationibus atque derelictionibus, plenâ fide ad te Patrem pijssimum semper confugiam: & de me penitus diffidens, in te solo sperem, tibique me totum resignem & credam. Saucia interiora animæ meæ memoriâ Vulnerum tuorum: inscribe atque imprime illa cordi meo, & mentem meam tuo Sanguine prorsus inebria, vt tibi soli intendam, te solum quæram, te inueniam, te teneam, te possideam. 2. *Omni solatio se destitutum exclamat.* Matth. 27.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui exhausto corpore exsanguis in cruce anhelans, vehementissimâ siti cruciabaris, & nostræ salutis ineffabili desiderio æstuabas. Da mihi honorem tui, animarumq; salutem ardentissimè sitire, & me totum pro illis iuxta voluntatem tuam hilariter impendere. Da, vt nullo rerum transeuntium amore tenear, nusquam creaturis 3. *Vehementissimâ siti cruciatur.* Matth. 27.

turis hæream, ea quæ amanda ſunt in te ſolo amem, te verò ſuper omnia toto affe-ctu diligam, & in te ſolo quieſcam.

4. *Spongiam aceto planā ſibi porrectā guſtat.* Math. 27. Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui ſpongiam aceto imbutam tibi ſub mortem ſitienti porrigi voluiſti: vt eo guſtato, pro noſtrâ ſatisfaceres ingluuie, & paupertatis exemplum relinqueres. Da mihi gratiam, quâ illicitas voluptates atque delicias aſperner, & omnem cibi potuſque exceſſum ſemper euitem, atque his quæ pro corpuſculi fulcimento largiris, moderatè vtar, ac gratias agam. Expurga palatum cordis mei, vt quidquid tibi placet, mihi ſapiat; quidquid verò tibi diſplicet, etiam mihi amareſcat.

5. *Cōſummat in cruce opus redemptionis noſtræ.* Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, generis humani amantiſſime, qui opus noſtræ redemptionis ritè conſummans, hoſtiam ſanctam pro peccatis omnium in arâ crucis te obtuliſti. Eſto, quæſo, cogitationum, locutionum, actionumque mearum vnicus ſcopus: vt in omnibus rectâ ac ſimplici intentione honorem tui quæram, & nihil extra te concupiſcam. Præſta, vt in tuo ſeruitio numquam tepeſcam, numquam deficiam: ſed, innouato in me ſpiritus feruore, indies magis ac magis ad te laudandum atque amandum accendar.

6. *Animam Patri commendans moritur.* Ioan. 19. Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui mortem ſpontè ſuſcepiſti, quando Patri te commendans, inclinato venerando capite emiſiſti ſpiritum. Ita videlicet animam ponendo pro ouibus tuis, bonum paſtorem te eſſe declaraſti. Mortuus es Vnigenite Dei, mortuus es dilecte mi, vt ego viuerem in æternum. O quanta ſpes, quanta fiducia mihi repoſita eſt in morte tuâ, & Sanguine tuo! Glorifico te, & gratias ago tibi vt poſſum. Dona mihi vitijs & prauis concupiſcentijs perfectè mori, tibi ſoli viuere, te ſolum ſentire & intelligere: vt gratiâ tuâ, ſanctaque charitate decenter ornatus, mox poſt huius vitæ terminum ad te verum paradiſum perueniam. Bone Ieſu, propter amaram paſſionem & mortem tuam, da viuis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis requiem, lucemque ſempiternam.

7. *Prodigia in morte Chriſti.* Math. 27. Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, in cuius morte ſol lumen ſuum ſubduxit, velum templi ſciſſum eſt, terra concuſſa tremuit, petræ diſſilierunt, & monumenta aperta ſunt. Numquam, quæſo, radij gratiæ tuæ me deſtituant, ô Sol iuſtitiæ Deus meus, ſed iugiter illuſtrent penetralia mentis meæ, vt tibi lætus ſeruiam. Velum hypocriſeos à me prorſus detrahe, terram animæ meæ ſalutari pœnitentiâ concute, cor lapideum ſcinde: vt ego interiùs totus innouatus, peritura omnia contemnam, & amem cæleſtia. Amen.

DOMINICA VESPERI.

Endologia ad IESVM XIV.

1. *Sanguis & aqua fluit ex latere lanceâ aperto.* Ioan. 19. AVE dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui latus tuum ſanctiſſimum militis lanceâ patefieri, ſanguinemque & aquam nobis ex eo propinare voluiſti, vt animas noſtras ablueres & viuificares. Voluiſti, chariſſime mi, mellifluum cor tuum vulnerari propter me. Vtinam cor meum lanceâ amoris tui profundiſſimè ſaucies, illudque ſacratiſſimo cordi tuo vnias, ita vt aliud non poſſim velle quàm quod tu vis. Introduc, Domine, introduc animam meam per vulnus lateris tui ad arcanum charitatis tuæ, in gazophylacium Diuinitatis tuæ, vt te Deum meum, pro me crucifixum & mortuum, lætus glorificem; atque aliarum rerum viſibilium formis è memoriâ meâ deletis, tibi liberè intendam. En ſaluto, deuotione quâ poſſum, quinque præcipua Vulnera tua. Saluete, ſaluete roſeæ, fulgentes & melliſluæ Plagæ Redemptoris mei, Regis mei: ſaluete præclara ſigilla reconciliationis & ſalutis meæ. Peto, vt in vobis commorer & delitеſcam, atq; ita ab omni malo ſecurus ſim.

2. *De cruce depoſitus, ab amicis ſepelitur.* Ioan. 19. Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui magno amicorum tuorum luctu de cruce depoſitus, aromaticis vnguentis oblini, ſindone inuolui, alienoque ſepulchro condi voluiſti. Omnes, quæſo, ſenſus meos, omneſque vires & affectiones meas in te ſepeli; vt ego per efficacem amorem tibi coniunctus, reddar ad omnia alia veluti ſtupidus, te ſolum ſciam & ſentiam vnicum Redemptorem animæ meæ, vnicum bonum meum.

3. *Ad inferos deſcendens, beat Patres in limbo.* Aue dulcis Ieſu: laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui diaboli poteſtate contritâ, potenter amanterque ad inferos ſecundùm animam deſcendens, Patres ibi detentos tuâ præſentiâ exhilaraſti, & eos ad amœna Paradiſi tempe, claramque Dei viſionem tranſtuliſti. Deſcendat nunc, oro, paſſionis Sanguiniſque tui virtus in Purgatorium, ſuper animas meorum parentum, propinquorum, familiarium, benefactorum, & omnium fidelium defunctorum, vt à pœnis abſolutæ, recipiantur in ſinum pacis æternæ.

4. *Reſurgit glorioſus, & variis apparet.* Aue dulcis Ieſu, laus tibi, & honor, & gloria Chriſte, qui victor è clauſo ſigillatoque ſepulchro prodiens, nobili triumpho reſurrexiſti à mortuis: & claritate

serenissimi vultus tui redditâ, amicos tuos nouo perfudisti gaudio. Da, Domine, vt ego à vitijs veteris conuersationis resurgens, in nouitate vitæ ambulem, & quæ sursum sunt quæram, quæ sursum sunt sapiam, non quæ super terram: vt cùm tu apparueris vita mea, ego quoque tecum appaream in gloriâ.

Rom. 6.
Coloss. 3.

5. *Coram discipulis in cælum ascendit.* Marc. 16. Luc. 24. Act. 1.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui expleto à resurrectione tuâ quadraginta dierum numero, coram discipulis tuis gloriosus ascendisti in cælum: vbi sedes ad dexteram Patris benedictus in sæcula. Vtinam anima mea tui amore semper langueat, mundana omnia fastidiat, æterna attendat, ad te anhelet, te esuriat & sitiat: Vtinam nihil me afficiat, nihil exhilaret præter te, ô Domine Deus meus!

6. *Mittit Spiritum sanctum.* Act. 2. Marc. 16.

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui electis discipulis tuis, vnanimiter in oratione perseuerantibus, dedisti sanctum Spiritum: eosque ad docendum gentes in vniuersum orbem misisti. Emunda, quæso, interiora cordis mei: da mihi veram mentis puritatem & stabilitatem, vt ipse Paracletus gratum habitaculum in animâ meâ inueniens, vberioribus gratiæ suæ donis me exornet, me consoletur, me confirmet, me impleat, regat & possideat.

7. *Veniet Iudex in fine sæculi.*

Aue dulcis Iesu: laus tibi, & honor, & gloria Christe, qui in nouissimo die iudex adueniens, reddes vnicuique iuxta opera sua, aut præmium aut supplicium. Pijssime Domine Deus meus, concede mihi cursum miseræ huius vitæ ita innocenter secundùm tuam voluntatem peragere, vt anima mea decorporis ergastulo egrediens, meritis virtutibusque tuis vestita, à te misericorditer recipiatur in cælum, vbi cum omnibus Sanctis tuis te laudet & benedicat in æternum. Amen.

Endologia ad IESVM XV.

Potest hæc Endologia quotidie ad singulas Endologias magno pietatis fructu & gustu subnecti.

Recapitulatio articulorũ vitæ Passionis & Mortis Domini nostri IESV Christi: qui offeruntur Deo in remissioné peccatorum nostrorum, purificationé animæ, adeptioné vitę ætern ę.

DVLCIS Iesu, ego, heu! per omne tempus vitæ meæ grauiter te offendi, tibi ingratus esse numquam destiti, gratiam tuam multis modis impediens, & veteribus delictis noua semper adijciens. Multa quidem & magna nimis sunt scelera mea; sed misericordia tua infinita atque immensa est: fateor, prorsus indignus sum filij nomine, verumtamen te Patrem meum esse agnosco. Tu es verus Pater meus: tu es tota fiducia mea: tu es fons misericordiæ, qui sordidos confugientes ad te non repellis, sed abluis. Ecce, ô suaue refugium meum, ecce ego omnium creaturarum tuarum peripsema venio ad te, nihil mecum adferens præter peccatorum sarcinas. Humiliter procido ad pedes pietatis tuæ: humiliter imploro tuam misericordiam: ignosce mihi, obsecro, ô spes mea certissima, & salua me propter nomen tuum. Credo enim, nulla delicta tam grauia & enormia esse, quæ meritis sanctissimæ passionis tuæ expiari non possint.

Dulcis Iesu, ego in remissionem omnium peccatorum meorum offero tibi stupendam illam charitatem, quâ tu, Deus æternæ maiestatis, homo passibilis pro nobis fieri, & plusquam triginta annis inter multiplices labores, ærumnas, atque persecutiones fatigari non dedignatus es. Offero illum mœrorem, illum sanguineum sudorem, illas angustias, quibus in horto afflictus fuisti, quando Patrem fixis terræ genibus orabas. Offero summum illud patiendi desiderium quo flagrabas, quando teipsum inimicis tuis vltrò obtulisti capiendum. Offero vincula, verbera, improperia, conuitia, blasphemias, alapas, colaphos, sputa, atque alia genera iniuriarum, quas in domo Annæ & domo Caiphæ per totam noctem passus fuisti. Hæc tibi offero gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis animã meam plenè purifices, & ad vitam æternam perducas.

Dulcis Iesu, ego pro vniuersis iniquitatibus meis offero tibi inauditam illam ignominiam, quam sustinuisti, quando cæsus, consputus ac vinctus, manè ducebaris ad Pilatum, deinde à Pilato ad Herodem, rursumque ab Herode ad Pilatum. Offero illud sanctum silentium, quo humiliter tacuisti ad illatas contumelias & iniurias. Offero contemptum tui & ridiculæ vestis probrum, quo ab Herode affectus fuisti. Offero acerbissimam illam pœnam, quam perpessus es, quando ad columnam ligatus dirè flagellabaris. Offero ipsorum flagrorum sulcos, & purpurei sanguinis riuulos, è sanctissimis membris tuis vndique prosilientes. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis animam meam plenè purifices, & ad vitam æternam perducas.

Dulcis Iesu, ego pro vniuersis delictis meis offero tibi ineffabilem illam humilitatem ac patientiam, quam exhibuisti, quando veste coccineâ ad maius ludibrium indutus, spinis coronabaris, nugatoriè salutabaris, impiè conspuebaris, alapis & arundine cædebaris, ante tribunal statuebaris,

baris, iniuste damnabaris, demumque ad Caluariæ locum Crucem propriam baiulans, ignominiosè protrahebaris. Offero dolendam illam sanctissimi corporis tui fatigationem, & laboriosos pedum tuorum gressus, atque humerorum tuorum grauissimam pressuram. Offero sudores, sitim, & cetera omnia quæ mitissimo promptissimoque corde mei causâ tunc pertulisti. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis animam meam plenè purifices, & ad vitam æternam perducas.

Dulcis Iesu, ego pro vniuersis sceleribus meis offero tibi atrocissimos illos dolores, quos passus es, quando sanctissimi corporis tui Vulnera vestimentorum detractione innouabantur, quando manus & pedes cruci affigebantur, quando membrorum tuorum compages soluebantur, quando pretiosus Sanguis tuus è Vulneribus sacris, velut è fontibus largiter profluens, fundebatur. Offero singulas rosei illius Sanguinis guttas. Offero inexplicabilem mansuetudinem atque benignitatem tuam, quâ iniquorum tibi insultantium proteruiam patientissimè tolerasti, & insuper pro eis Patrem orasti. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis animam meam plenè purifices, & ad vitam æternam perducas.

Dulcis Iesu, ego pro vniuersis culpis, vanitatibus, negligentijs & distractionibus meis, offero tibi incomprehensibiles illos cruciatus, quos pertulisti, quando angustijs totus expositus, & omni consolatione destitutus, miserabiliter in cruce pendebas medius inter latrones, & quando vehementissimâ siti æstuans, felle atque aceto potabaris. Offero summam illam charitatem, qua tu caput venerandum inclinans, pro nobis emisisti spiritum. Offero pretiosum illum Sanguinem, & salutiferam illam aquam, quæ de latere tuo lanceâ confosso effluxerunt. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis animam meam plenè purifices, & ad vitam æternam perducas.

Dulcis Iesu, ego in perfectam remissionem omnium offensarum, quas in te quouis modo per omne tempus vitæ meæ admisi, offero tibi omnia redemptionis nostrę mysteria quæ peregisti. Offero incarnationem, natiuitatem, conuersationem, passionem ac mortem tuam. Offero quidquid in gloriosissimâ Genitrice tua Virgine Mariâ & ceteris Sanctis vmquam tibi placuerit. Eia, suauissime Iesu, satisfaciat, quæso, pro peccatis meis coram Patre tuo summa innocentia tua. Totam vitam meam nimis indignam ac sceleratam, purissimâ sindone meritorum tuorum inuolue: vt mea, quæ immunda sunt, tuis copulata, mundentur; & mea, quæ imperfecta sunt, tuis vnita, perficiantur: atque ita & præsenti vitâ durante, tibi placeam; & cursu huius miseræ peregrinationis confecto, mox ad te, qui es salus æterna, perueniam. Amen.

SEQVENTES ENDOLOGIAE DIVINVM AMOREM SPIRANTES, ANIMAM HVMILEM DEO SVAVITER CONIVNGVNT.

Obserua, pie Lector, septem hasce Endologias ad IESVM, *plenas esse orationibus iaculatorijs, quæ ex corde, diuinis amoribus inflammato, velut scintillæ ex ardentissimâ fornace, in altum, nullo ordine per incertum diffunduntur. Habebit ex his Asceta magnas spiritus vtilitates & suauitates, si ad eas cum amoroso cordis iubilo sese assuefaciat.*

FERIA SECVNDA.

Endologia ad IESVM XVI.

DILECTE mi Iesu, dulcis Redemptor, ablue, quæso, animam meam Sanguine tuo pretioso, & omnia peccata mea dele. Extingue & mortifica in me quidquid tibi displicet: desidero enim tibi placere, ac te diligere toto corde, totâ animâ, totâ virtute. Exorna me meritis & virtutibus sanctæ humanitatis tuæ. Crea in me cor mundum, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Psal. 50. Da mihi mentem tranquillam, & ad similitudinem cæli claram ac limpidam. Excita in me castæ dilectionis ardorem. Perflet areolam animæ meæ aura cælestis: Cant. 4. vt torporis gelu resoluto, fluant in eâ aromata gratiæ tuæ.

O ama-

O amabilis abyssus, Deus meus, & gaudium meum, Iesu! ô lux antiqua, lux pulchritudinis immensæ, illustra animam meam inenarrabili serenitatis tuæ splendore. Illucesce mihi anhelanti ad te, ne tenebræ mortis me comprehendant. Ecce, Domine, ecce ego totis cordis mei medullis cupio diligere te: adiuua infirmitatem meam, & dona vt experiar mellifluæ charitatis suaues influxus. Accende & penitus concrema me igne amoris tui.

Domine mi, adoro te, veneror te, laudo te, glorifico te quibus possum modis. Tu enim es cælorum amœnitas, & cælorum pulchritudo: tu saporum dulcor, & odorum fragrantia: tu sonorum suauitas, & intimorum amplexuum ineffabilis iucunditas. Tu es totus serenus, totus floridus, totus amabilis, totus desiderabilis. Tu animæ meæ vita, honor, solatium, atque vnicum bonum. Perunge, quæso, viscera cordis mei gratiæ tuæ balsamo: vt ego totus diffluens sancti amoris delicijs, fiam holocaustnm acceptum coram te, & tibi placeam iugiter.

Tibi me totum commendo, ô tota fiducia mea: tibi me totum offero, ô spes mea certissima: in te me totum proijcio, ô salus mea vnica. Illumina, doce, dirige, & possìde me totum. Inclina, Domine, aurem misericordiæ tuæ gemitibus pupilli inuocantis te. Vnum peto, vnum flagito: ferueat in me amor tui, occupet interiora mea affluentia perfectæ charitatis, vt cor meum tibi moduletur canticum suaue.

O fortitudo insuperabilis, & firmamentum æternum, Iesu Christe, cuius dilectio vincit mortis violentiam! viuifica, compinge, & stabili totam animæ meæ substantiam in te. Aspiret mihi odor amoris tui in omni calamitate internâ, & paupertate spiritus: vt memoriâ dulcedinis tuæ exhilaratus, confirmer, ne deficiam. Exorna hortulum cordis mei floribus sanctissimæ charitatis, vt tu in eum descendens, inuenias decorem tibi placentem. *Cant. 6.*

O bone Iesu! ô pulcherrime Sponse cælestis: ô sanctarum mentium secretissime consolator! qui in te confidentes sub vmbrâ alarum tuarum protegis in periculis, qui te diligentes fragrantiâ deliciarum spiritualium recreas in afflictionibus: accende cor meum igne illo, quem venisti mittere in terram, & voluisti vehementer ardere: vt diligam & laudem te ex intimis medullis animæ meæ. *Luc. 12.*

O flamma lucens, flamma ardens & consumens! quàm inuisibiliter splendes, quàm suauiter aduris! te solum sitio, mi Iesu, te solum esurio, te magno cordis desiderio inclamo, tuam gratiosam faciem videre exopto. Nihil mihi tam suaue, quàm tecum esse, tibique adhærere. Vtinam in omni loco & tempore purâ mente coram te assisterem; & perfectè amans, vlnis animæ meæ feliciter te complecterer!

FERIA TERTIA.

Endologia ad IESVM XVII.

TRAHE me post te, Deus meus, expedi cor meum a creaturis, & erige illud ad te super omnia atque in omnibus manentem. Sileat mihi strepitus rerum transeuntium, discedant vanæ imagines & formæ, quas cogitationum instabilitas effingit. Transeat anima mea cuncta sensibilia, & fidei oculos figat in te Creatore vbique præsente. Da, Domine, vt ego in te solo requiescam, in te solo delecter, in te solo consolationem requiram. *Cant. 1.*

Mellitissime Iesu, transfige medullas animæ meæ dulcissimo amoris tui telo, perfode omnia intima mea igneâ charitate, transuerbera spiritum meum acutissimis sagittis tuis: vt vulneratus à te, feliciter langueam, & in te veluti deficiam, tibique intimè vniar, ad gloriam nominis tui. Illabatur cordi meo odor tui suauissimus, adueniat amoris tui inenarrabilis fragrantia, quæ sempiternas in me suscitet concupiscentias.

Benignissime Iesu, da mihi cordis contritionem, & lacrymarum fontem tibi placentem. Præsta, vt ego cum magnâ reuerentiâ in conspectu tuo assistens, habeam te in corde, in ore, & præ oculis assiduè: sicque nullus pateat in me locus adulterinis amoribus. Effice, vt ego totus dulcedine sanctæ charitatis plenus, totus flammâ tui amoris succensus, diligam te Deum meum ex toto corde meo, & ex intimis medullis præcordiorum meorum.

Amo te, mi Iesu, & magis magisque amare concupisco. Da, vt per virtutem amoris tui excutiam pondus omnium terrenorum desideriorum: & post te curram in odorem vnguentorum tuorum. Scribe in tabulâ cordis mei sanctissimam tui memoriam; vt nihil carnale, nihil indignum cogitem, sed te solum quæram, & præsentiam gratiæ tuæ in intimis meis semper sentiam. *Cant. 1.*

O fons misericordiæ, qui numquam manare cessas! veni, & tribue te animæ meæ. Te enim toto corde desidero, ad te totâ mentis intentione aspiro. Da mihi amorem tui castum, fortem ac stabilem, qui me totum repleat, totum in se transmutet: vt efficiar

efficiat tibi perpetuum holocaustum in odorem suauitatis.

Pasce famelicum mendicum tuum, pastor æterne: illumina mentem meam cæcam claritate præsentiæ tuæ, accende cor meum frigidum igne amoris tui. Absorbeat me mellif lua vis sanctæ charitatis: purget, penetret, & rapiat interiora mea flamma castæ dilectionis, vt tibi intendam, te desiderem, tibi inseparabiliter adhæream.

Te inuoco in mentem meã, dulcis Deus: te inclamo toto cordis affectu, salus mea. Intra in intima viscerum meorum: coapta animam tibi, vt possideas illam sine maculâ. Mundissimo namque Domino munda debetur habitatio. Da, vt tui amore totus ignescam, totus à meipso deficiam, te solum sciam & sentiam, in te solo exultem & conquiescam. Amen.

FERIA QVARTA.

Endologia ad IESVM XVIII.

SANCTIFICA, quæso, Domine, cor meum quod fecisti: & eiectâ omni malitiâ, reple illud gratiâ tuâ, plenumque conserua, vt dignum habitationis tuæ efficiat templũ. Tu melle dulcior, tu sole serenior, tu nectare suauior, tu auro & gemmis pretiosior: tu, quæso, vnus animæ meæ super omnia placeas, te vnum illa votis ardentibus concupiscat.

O iucunda serenitas, & serena iucunditas! ô lux gratissima, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundũ: excute tenebras mentis meæ, illucesce animæ meæ; vt ipsa se & te videat, teque magis quàm se diligat. Amem te, dulcis Iesu, super cælum & terram, atque super omnia quæ cælo & terrâ continentur: vt tu solus sis tota intentio mea, totumque desiderium cordis mei. Te mediter interdiu cum animi alacritate & gratitudine, te nocte sentiã in sopore, tecum colloquatur anima mea in omni tempore. Ioan. 1.

O vera charitas, & chara veritas, Deus æterne: tibi adhærere concupisco, tibi intendo, tibi inhio, ad te suspiro, te quæro, te amplecti desidero, in te solo consolationem accipere volo. Sic omnia præter te relinquere cupio: quasi anima mea à corpore separata coram te consisteret, & amabili præsentiâ vultus tui perfectè frueretur.

Dulcissime Domine Deus meus, da lasso requiem, confirma deficientem, ciba esurientem, collige dispersum, redintegra scissum, aperi pulsanti, porrige misero manum pietatis tuæ: iube vt ingrediar ad te, & maneam apud te. Obliuiscatur sui anima mea: tibi inter prospera & aduersa immobiliter adhæreat, prorsus respuens omnes adulterinas consolationes.

O lumen, quod semper luces, & nunquam obfuscaris, illumina me: ô ignis, qui semper ardes, & numquã extingueris, accende me: ô amor, qui semper ferues, & numquã tepescis, absorbe me, & transforma in te. Da mihi toto corde & pleno desiderio ad te incessanter aspirare, atque in te suauissimo sanctè respirare. O gaudium meum, lætifica animam meam. Intra in eam, ô dulcedo summa, vt dulcia sapiat: intra in eam, vt te solum sentiat, & in te solo oblectationem capiat.

Domine, consolare me afflictum, infunde pectori meo suauitatẽ charitatis sanctæ. Ineffabilis virtus amoris tui penetret & rapiat omnia viscera animæ meæ. Nimiùm lassor in hac peregrinatione, nimiùm fatigor inter ærumnas præsentis sæculi: concede, vt resumptis viribus volitem per sinceram contemplationem vsque ad locum habitationis gloriæ tuæ. Ibi requiescã sub vmbrâ alarum tuarum, à tumultu terrenarũ cogitationum.

Saucia, Domine mi, saucia interioris hominis mei arcana iaculo amoris tui, & medullas torpentis animæ flammis salutaribus succende. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam tui, nullâ vnquã obliuione delendã: vt te ambiam, te sequar, te inueniam, & in te iugiter purè delicier. Amen.

FERIA QVINTA.

Endologia ad IESVM XIX.

ILLVCESCE cordi meo, ô lumen oculorum meorum: præbe te mihi, ô vita animæ meæ, delectatio mea magna, solatiũ meum optatum, requies mea dulcis, gloria mea, honor meus, & vnicum desiderium meum. Teneam te, dilecte votorum meorũ: astringam te, ô sponse cælestis: sentiam te, exultatio mea summa, intus & foris: possideam te, beatitudo sempiterna: fruar te in medio cordis mei, ô vita perennis.

Diligã te Domine fortitudo mea, amem te Deus meus, refugium meum, & liberator meus: adhæreã tibi, ô spes mea suauis, in omni tribulatione meã; amplectar te, ô ęternum bonũ, sine quo nihil est bonum. Aperi penetralia aurium mearũ, ô verbum penetrabilius gladio ancipiti: vt intus audiam vocem tuam, & eã auditâ in te viuam ac gaudeam. Psal. 17. Heb. 4.

Visita derelictum, consolare mœrentem, mi Iesu: exhibe misero viscera misericordiæ tuæ. Largire gratiam, quę me totum crucifixum sæculo, liquefaciat in amore tui. Perstringe oculos meos, lux incomprehẽsibilis: perstringe eos radijs claritatis tuæ, vt non videant vanitatem. Suaui fulgetro Diuinitatis tuæ percute eos: & præsta, vt ego per internas lacrymas te requiram die ac nocte. Psal. 118.

Tribue

PRECVLAE PIAE.

Tribue visum, Domine Deus meus, qui vultum tuũ amabilem vtcumq; videat: largire auditum, qui vocem tuam dulcissimam percipiat: crea olfactũ, qui odorem vnguentorum tuorũ hauriat: palatum sana, qui gustet abundantiã suauitatis tuæ. Da cor quod te timeat, memoriam quæ te recolat, voluntatem quæ tibi summo bono indissolubiliter adhæreat. Totus spiritus meus à te solo possideatur, & in te solo conquiescat.

O vita cui omnia viuunt! vita, per quam viuo, sine quâ morior! vita, per quam exulto, sine quâ mœreo! vita dulcis & amabilis! vbi te inueniam, mi Iesu, vt in me deficiens, in te solo subsistam? Te quæro, te suspiro, præ desiderio tui langueo: veni, precor, quia sine te nihil sum & pereo. Scinde cor meum tuâ potenti vnctione: largire, vt per ardorem dulcissimi amoris tui omni tempore hostia viua coram te efficiar.

Abducat, quæso, mentem meam ab omnibus quæ sub cælo sunt, ingens vis dilectionis tuæ. Da, Domine, vt totus ardeam charitate perfectâ, quam aquæ multæ non possint extinguere. (Cant. 8.) Effice, vt penitus obliuiscar rerum transeuntium, prę magnitudine amoris tui: adeò vt propter illas neque intempestiuè doleam, neque ineptè gaudeam, sed in te solo stabiliar & quiescam.

Deficiant, Domine, vitiosæ cordis mei affectiones, emoriantur carnis meæ concupiscentiæ: vt viuas tu in me, & igniti carbones sanctorum desideriorum iugiter flagrent in medullis præcordiorum meorum. Vulnera, Domine, vulnera peccatricem animam meam acutissimo telo perfectæ charitatis, confige me intus iaculis feruentissimi amoris: vt feliciter à te percussus, in te veluti exspirem. Eia, iucundissima abyssus inæstimabilium voluptatum, abripe & absorbe in te spiritum meum, Amen.

FERIA SEXTA.

Endologia ad IESVM XX.

RECIPE me, quęso, ô dulcis Iesu, in amoris tui suauissimos amplexus, quibus constrictus spiritus meus frigidus ac torpẽs, totus incalescat. Aperi, Domine, aperi pulsanti: & orphanam animã meam in delicatũ diuini cordis tui conclaue admitte. Dilecte mi, dilecte mi, te desidero, te concupisco: introduc me in te, & ingredere vicissim in me, vt & ego tuus sim, & tu meus in æternum permaneas. Hauriam ex te aquam viuam, ô fons mellitissime; quâ gustatâ, nihil deinceps præter te sitiam: rore cælestis sapientiæ consperge me, quo intime imbutus, purus à terrenis cupiditatibus conseruer.

Benedic, precor, inopi, benedic calamitoso exuli tuo, benignissime Deus. Viuido tui amore accende intima mea, vt perfectè diligam te, & nihil concupiscam extra te. Reconde me, ô charorum omnium charissime: reconde me in splendidam, amœnam ac suaueolentem lateris tui cauernam: vt ibi feliciter obdormiens, sopore melliflux charitatis refocillet. Ego me totum tibi offero ac trado: suscipe & posside me totum, ô dulce solatium animæ meæ. Sic me tibi coniunge, sic agglutina, vt numquam à te separari possim: sic te mihi præbe, sic communica, vt iugiter coram te in Spiritu sancto delicier, ad laudem nominis tui.

Vtinam, Domine mi, vtinam mihi vilissimo indignissimoque peccatori aperire digneris dilectionis tuæ cubiculũ, & suauissimi cordis tui sacrarium! Tibi enim per efficacem amorem copulari vehementer exoptat anima mea. Numquam autem in me esset desiderium diligendi te, nisi tu illud præcordijs meis insereres: per te igitur obtineam, quod per te desidero. O vernans & serena dies, Deus meus! te sitio, te suspiro, amore tui langueo. Iunge me tibi viciniùs, ô (Cant. 2.) sol rutilantissime: vt ad calorem aspectus tui, flores sanctæ charitatis progerminet terra cordis mei. Amoris tui lampadem in me succende, pacis tuę dulcedinem pectori meo infunde, meque per omnia gratiæ tuæ coapta, vt tibi placeam.

Mi Iesu, vesti me radianti purpurâ pretiosi Sanguinis tui: cinge me fulgenti coronâ venerandæ mortis tuæ, & recipe me in thalamum fragrantis amoris tui. Submoue à me, quidquid tibi displicet in me. Cor meũ prauum, sordidum ac vanum refinge secundùm cor tuum. Da mihi simplicem affectum, & mentem puram. Amplectere me charitatis tuæ brachijs, adstringe Diuinitatis tuę vlnis: vt per virtutem ardentis dilectionis anima mea tota liquefacta, effluat in abyssum cælestium deliciarum. Dulcedo tua, Domine, pietas tua, species tua, pulchritudo tua, vehementer allicit intima mea: sed nisi demiseris te ad me, non possum ego conscendere ad te. Inclina igitur te, ô fons misericordiæ, vsque ad vallem miseriæ meæ: vt toto corde, totâ animâ, totâ virtute amem te.

Eia, honor meus, gaudium meum, voluptas mea sincera, Iesu: tantam, quęso, amoris tui flammam in penetralibus cordis mei excita, vt deinceps nihil sub sole eligam, nihil concupiscam præter te. Cælum, terra, & omnia quæ his continentur, sine te sint mihi veluti hibernum gelicidium. O flos venustissime! ô dilecte mi Iesu! exorna animam meam illo charitatis decôre quem diligis: impingua eam illo amoris adipe

quo delectaris. Sic cor meum expoli & læuiga gratiâ tuâ, vt nihil terrenum ei adhærere possit. Iugiter defluant in me benedictionum tuarum stillicidia, quibus irrigatus, perfectè emunder à peccatorum sordibus, & sanctimoniæ fructus tibi placentes omni tempore proferam.

O dulce lumen animæ meæ, illucesce mihi, vt in meridiem clarissimam vertantur densissimę tenebræ cæcitatis meæ. Da mihi requiescere sub vmbrâ charitatis tuæ: da mihi obdormire in sinu amoris tui, ibique terrenarum rerum penitus obliuisci. Nihil mihi iucundius, nihil vtilius, quàm diligere te, tibique intimè coniungi. Applica me diuino cordi tuo, & in fruitionem vernantium amœnitatum immerge. Eia ardor suauissime, Deus meus, vora & prorsus consume puluisculum totius substantiæ meæ. Transfer cor meum in te: vt glutino inseparabili tibi adhærens, viuam de te, & tamquam lilium effloream coram te.

O mare totius dulcedinis, demitte super me aquas tuę pietatis. Aperi cataractas abyssi magnæ, & prorumpant in me fluctus miserationis tuæ. Demerge me in viui amoris tui diluuium: absorbeat me beatæ charitatis tuæ profundum. Dirue, Domine, odiosam maceriam prauæ tepidæque conuersationis meæ: & præsta vt inextinguibili feruore sequar te. Produc austrum ardentissimæ dilectionis, qui me tam valido impetu impellat in te, vt à meipso translatus, & mihi ipsi veluti extinctus, deinceps spiritum non habeam extra te. Imprime mihi tuæ propitiationis osculum, quo consignatus, nihil posthac amem præter te: quia tu es tota possessio, tota hereditas, totaque expectatio animæ meæ. Amen.

SABBATO.
Endologia ad IESVM XXI.

DVLCIS Iesu, circumdet me dilectio sancta quasi vestimentum decoris: vt anima mea non inculta, sed ornata coram te appareat. Virtute amoris tui erige me ad contemplationem diuinam: assume spiritum meum super alta montium æternorum, ne ego elongatus à te, inuoluar tenebris huius sæculi.

Exhilara mœrentem optatâ præsentiâ gratiæ tuæ. *Psal. 42.* Emitte lucem tuam iucundissimam, vt eâ illucescente, renouentur ad exultationem omnia interiora mea. Adesto mihi in corde, adesto in ore, adesto in opere, ministerioque quotidiano: quia vehementer te desidero, & auidâ expectatione aduentus tui contabesco.

O Domine, qui me totum creasti, totum redemisti, totumque perditum centies & millies ex inferni faucibus eduxisti: da, vt diligam te ex intimis medullis animæ meæ, quia tu prior dilexisti me. Inebria me sobrio amore tui: vt solo hîc corpore detentus, liberâ mente transuolem ad te vnicum thesaurum meum.

Mi Iesu, ita quæso percelle mentem meam suauissimâ violentiâ tuæ dilectionis, vt ipsa sancto feruore stuporeque victa, & supra se rapta, feliciter transeat in te. Domine, totus spiritus meus, totum corpus meum, tota vita mea, laudet te, vt dignum fiam holocaustum coram te omnibus momentis quibus fruor donis misericordiæ tuæ.

O amor dulciter stringens & ligans! ô amor suauiter intima penetrans & vulnerans! ô amor mirabiliter languorem inducens, defectumque efficiens! ô Deus meus Iesu Christe, veni, ne tardaueris: quia millies exopto te, & spiritus meus profundis gemitibus altisque suspirijs anhelat ad te.

Dilata Domine mentem meam immensitate tui suauissimi amoris, & sustolle eam in abyssum fulgentissimæ tuæ lucis, vt vel rapidâ contemplatione attingat te sapientiam æternã. Misericorditer intuere me inter calamitates huius vitæ laborantem. Colloca animam meam lassam in loco pascuæ optatissimę, iuxta purissimos fontes voluptatis tuæ: vt ibi delicijs cælestibus refocillata, citò obliuiscatur miseriarum suarum.

O omne bonum, Christe Iesu, excita in intimis meis desideria ardentissima, quibus te semper expetam, & ad beatam illam ęternæ patriæ mansionem iugiter aspirem. O vnica salus mea, amem te plusquam me: & me non amem, nisi in te, & propter te. Obtegat me totum dilectio sancta. Anima mea dulcedine tui illecta, penitus colliquescat charitate: & secedens à seipsâ, atque tota transiens in te, degustet micas ineffabilium epularũ, guttulasque incomprehensibilium deliciarum, quas præparasti diligentibus te.

O Deus meus, & omnia, nihil, quæso, præter te requirat anima mea: etiam se libenter deserat propter te. Te desideret, amore tui æstuet: vt sancto feruore extra se rapta, atque abysso diuitiarum gloriæ tuæ absorpta, sentiens non sentiat, & intelligens non intelligat, sed in te feliciter soporata obdormiat, tibique nudâ charitate vniatur. Moueat te, Domine, suspirium meum, & multiplex mœror meus super terram. Largire, vt interim dum præsentis exilij miserijs adhuc fatigor, refrigerium & requiem in te inueniam: ac vbi corpus hoc deposuero, illicò in cælum à te recipiar.

DOMINICA.
Endologia ad IESVM XXII.

Psal. 25. DOMINE dilexi decorem gloriosæ domus tuæ. Ad recordationem lucidissimi opulentissimique regni tui, & felicitatis æternæ quam obtinent Beati, deficit virtus animæ meæ. Psal. 83. Nam apud te melior est dies vna, quàm hîc multa millia dierum: apud te & in te est omne bonum. O quando veniam & apparebo ante rutilantem & gratiosam faciem tuam? Quando diuini vultus tui præsentiâ plenè satiabis desiderium meũ? O amor cordis mei Deus meus, quando perfectè possidebo te? Quando adiunges me tibi viciniùs, vt clarè videam te? Quando laqueis contritis, & tentationibus periculisque omnibus sublatis, perduces me ad te, vt iam ampliùs non commaculer, nec offendam te, sed hymnum securè dicam magnificentiæ tuæ super multitudine misericordiæ tuæ? Eia dilecte mi, erige quæso de Psal. 112. puluere pauperem & miserũ: educ me (cùm tibi placuerit) è carcere, & misericorditer subleua in cælum: vt ibi sempiterno iubilo laudet te anima mea pro omnibus bonis quę mihi gratuitò dedisti, ô vnica salus mea.

Psal 47. & 95. Dulcis Iesu, vita beatissima, ad te anhelat atque æstuat cor meum. Tu enim magnus es & laudabilis nimis: tu es totus pulcher, & plenus ineffabilibus delicijs. O quando sine medio contemplabor te? Quando videbo Psal. 44. te speciosum formâ præ vultibus hominum & Angelorum? Inenarrabilis venustas tua, Domine, plurimùm me inuitat & attrahit, castasque concupiscentias in me accendit. Iucundum atque admirabile lumen tuum, & splendores tui fulgentissimi, mirificè exhilarant spiritum meum. Iam hoc corruptibile corpus est mihi tamquam cortex amarissimus: & ego millies optarem, eo deposito atque abiecto, emori, quò nux tibi chara, anima mea, reciperetur in cæleste horreum, & semper esset apud te verum possessorem suum. Eia dilecte votorum meo- Psal. 5. rum, intende voci orationis meæ: quia cordis suspirijs te requiro, & vernantissimam amœnitatem Diuinitatis tuæ apertè contemplari desidero.

Clara tui visio, Domine, infinitò præcellit omnem pulchritudinem, & omne delectamentum quod in hoc mundo oculus vidit, Isaiæ 64. 1. Cor. 2. vel auris audiuit, aut in cor hominis ascendit. O quando ostendes mihi teipsum? Psal. 15. Quando adimplebis me lætitiâ, exhibendo mihi desiderabilem vultum tuum? Quando diuinis optatissimisque fulgoribus tuis me Psal. 35. perfectè illustrabis? Quando potabis & inebriabis me dulcissimo torrente voluptatis tuæ? Quando te sponsum animæ meæ suauiter complectar, osculabor, & laudabo cum Sanctis tuis in illâ supernâ felicissimaque regione? Ecce concupiscit & deficit anima mea diligens te. Psal. 83. Eia Deus meus, miserere mei. Attende gemitus meos multiplices: & concede, vt vbi carne exutus fuero, mox perueniam ad te, atque glorificem te in æternum: quia ad hoc creasti & redemisti me.

Dulcissime Deus, ego tecum esse, amabilemq; faciem tuam intueri vehementer expto. Et quando id mihi continget? Quando ab hoc exilio in cælestem illam & veram patriam meam reuertar? O patria beata, vbi lux serenissima perpetuò fulget: vbi ver amœnissimum & æstas iucundissima semper manet: vbi gratissima tempe iugiter vernant, & flores elegantissimi numquam marcescũt: vbi odor suauissimus sempiternè durat, & canticorum organorumque admiranda melodia sine fine resonat. O Domine, apud te est paradisus intellectualis, paradisus summè desiderabilis, manans incessanter riuulis purissimarum voluptatum, & demulcens indicibili venustate omnigenarum pulchritudinũ. Apud te est fons vitæ, & specio- Psal. 35. sa meridies, & temperies tranquilla, & pax imperturbabilis. Apud te & in te exuberantissimè eminentissimeq; inuenitur, quidquid cordi humano placere & gratum esse potest. Quid igitur volo præter te? Tu mihi sufficis. Da vt nihil diligam extra te, & tandem perfectè obtineam te verum, vnicum, atque incommutabile bonum meum.

Credo, Domine, quod non video. Credo, opes, delicias, & iucunditates cæli esse immensas atque ęternas. Credo te summam increatamque pulchritudinem ac dulcedinem esse, à quâ omnis pulchritudo & dulcedo creata profluit: sed te nondũ video. Præsta, Domine, vt permanendo in eo quod credo & non intueor, merear aliquando intueri quod credo. O Iesu mi chare, quando, quæso, corpus meum (te permittente) reuertetur in puluerem, & anima mea refluet in te suam originem? Quando in te, ô pax mea dulcissima, obdormiam & requiescam, vt apertè Psal. 4. contempler tuam ineffabilem gloriã? Quando plenè aspirabit mihi mellifluæ Diuinitatis tuæ fragrantia, & exorietur tuæ manifestæ visionis dies sempiterna? O quàm bonum est, dilecte mi, te clarè videre, te habere, & in æternum possidere? Eia, tu mihi concede, vt miseram hanc vitam in tuâ gratiâ atque amicitiâ feliciter finiam.

Dulcis Iesu, in horâ exitus mei benedic animæ meæ, & mortem meam inuolue vitali morte tuâ, quæ est charissimum fœdus, firmissimumque pactum reconcilia-

lationis meæ. Tunc mitte ad me fidelem adiutricem Mariam Virginem, Matrem tuam amabilem, & Stellam maris inclitam: vt conspectâ hac præclarâ rutilantique aurorâ, cognoscam te Solem iustitiæ mihi iam propinquum esse. Dic tunc animę meæ: Ego Creator, Redemptor & amator tuus, per angustias mortis quæsiui & acquisiui te: semper mecum eris, noli timere.

Eia præcellens gemma diuinæ nobilitatis, & elegans flos dignitatis humanæ, Iesu suauissime, tu me hinc migrantem benignè recipe in beatam domum æternæ pacis & claritatis tuæ. Ibi, ô salus mea vnica, visu mellifluæ præsentiæ tuæ consolare me. Ibi gustu charæ acquisitionis, quâ me redemisti, recrea me. Ibi in spiramento suauiflui spiritus tui attrahe & imbibe me. Ibi per osculum perfectæ vnionis in perpetuam tui fruitionem immerge me: vt viuam de te,

Psal. 115. & exultem in te: tibique hostiam laudis reddam sine fine. Amen.

PRECVLÆ AD MARIAM.

Endologia I.

1. *Maria prælecta à Deo ante sæcula.*

AVE suauis Maria, aue Virgo sacratissima, quam Deus sibi in matrem elegit ante sæcula. Tu es felix illa inter Deum & homines mediatrix, per quam ima summis copulata sunt. Tu exordium vitæ, tu ianua gratiæ, tu portus naufragi sæculi. Impetra mihi, quæso, perfectam peccatorum meorum veniam, perfectamque Spiritus sancti gratiam: vt Filium tuum Saluatorem meum, teque Matrem misericordiæ studiosè colam, & castè ardenterque diligam.

2. *Figuris & prophetijs prænuntiata.*

Aue suauis Maria, quam varijs figurarum tegumentis præsignatam, & diuersis Prophetarum oraculis promissam, Patres antiqui magnis exoptauerunt desiderijs. Assume me in seruulum, ô Domina; adopta me in filium, ô mater: largire vt inter illos numerer, quos virgineo pectori tuo inscriptos amas, doces, dirigis, adiuuas, foues ac protegis.

3. *A culpâ originali præseruata.*

Aue suauis Maria, quam Deus ab originali culpâ honorando priuilegio præseruauit, & singulari gratiâ eximijsque donis ornauit. O Virgo præclara, Virgo serena, Virgo purissima, ô electa ex millibus infantula, ne repellas me iniquum, ne reijcias illuuie peccatorum fœdatum: sed exaudi miserum clamantem ad te, consolare desiderantem te, & adiuua sperantem in te.

4. *Natiuitas eius mundo optatissima.*

Aue suauis Maria, cuius natiuitas optata sæculis, expectata gentibus mundum nouę luce illustrauit, nouoque exhilarauit gaudio. O perfectæ innocentiæ Virguncula, impetra mihi veram vitæ sanctimoniam: dissipa in me quidquid virgineis oculis tuis displicet. Miserere mei Domina, miserere mei: quia miseratio tecũ creuit ab infantiâ. Iob 31.

5. *Corpore pulcherrima, moribus honestissima.*

Aue suauis Maria, quam Deus omni corporis pulchritudine omnique morum honestate perfudit, atque amabilem omnibus reddidit. O elegantissima, ô gratiosissima Virgo, exorna, quæso, animam meam decôre spirituali, insere cordi meo viuidos sanctæ castimoniæ affectus, vt tibi placeam, & cultum acceptum exhibeam.

6. *In templo oblata.*

Aue suauis Maria, quam sanctissimi parentes in templum adductam, Domino obtulerunt, & diuinis mancipauerunt obsequijs: vbi tu vitam degens Angelicam, tota humilis, tota pia, tota mitis, tota benigna, omnes te intuentes ad vitæ integritatem puritatemque mirificè alliciebas. Dona mihi odorem sanctæ conuersationis ex te haustum apud omnes spirare: vt quantum in me est, nemini sim grauis, neminem scandalizem, sed omnes consoler, omnes ad Dei amorem mundique contemptum prouocem.

7. *Virginitatis voto se se Deo consecrat.*

Aue suauis Maria, aue virginum primiceria, quæ te totam Deo consecrans, virginitatis votum ei mente gratâ obtulisti: Tu absolutum pudicitiæ totiusque sanctitatis exemplar: tu illa speciosissima pariter & inconcupiscibilis Virgo, cuius purissima perfectissimaque conuersatio, corda aspicientium cælesti quadam luce penetrabat, castioraque reddebat. Impetra mihi, quæso, veram mentis & corporis munditiem, vt in me nihil suscipiam fœdum, nihil admittam vitiosum, nullis concupiscentiæ illecebris consentiam: sed omnia carnis irritamenta mente & ratione pertransiens, in solo Deo oblecter atque quiescam. Amen.

Endologia ad MARIAM II.

1. *Contemplationi intenta, ab Angelis visitatur.*

AVE suauis Maria, quam sanctis studijs contemplationibusque vacantem, Deus familiari Angelorum consortio, & ineffabili puræ conscientiæ gaudio solabatur. Obtine mihi, quæso, tuis meritis, vt quietem & silentium diligam, precibus ceterisque spiritualibus exercitijs sincero cordis affectu, & serenâ mentis hilaritate insistam. Illa sint charissimæ deliciæ meæ, quamdiu in miserabili carcere corporis huius detineor.

2. *Virgo Maria virgini Ioseph desponsata.*

Aue suauis Maria, quæ Virgo virgini Ioseph desponsata fuisti diuino consilio. Ne

sinas me, ô consolatrix cordium, ne sinas me elongari a te: intuere benignis illis oculis tuis desiderantem tibi placere. Sicut enim in æternum viuere ac saluus esse non potest is, quem à te auersum despexeris: ita in æternum perire non potest is, quem ad te conuersum respexeris. Occurre, Domina, quærenti te, dirige diligentem te, conserua confidentem in te. Esto mihi semper propitia, vt salutem per te inueniam.

3. *Archangelus Gabriel annuntiat incarnationem.* Luc. 1. Aue suauis Maria, quam rebus cælestibus intentam, Gabriel Angelus secretum thalami ingressus, officiosè salutauit, arcanaque diuini consilij edocuit. Vtinam ego te frequenter salutare, & deuotum obsequium tibi exhibere gestiam! Vtinam nihil vmquam in me hæreat, quod aspectum tuum plus quàm Angelicum offendat!

4. *Maria concipit de Spiritu sancto.* Aue suauis Maria, quæ in tuis castissimis visceribus virtute Spiritus sancti concepisti Dei Filium. O felicissima mulierum, quid tunc sensisti in penetralibus virginei cordis tui, quantâ dulcedine beata anima tua liquefacta est, quando vteri tui thalamum, fons & origo totius dulcedinis Deus subijt, & de te carnem suscepit? Laudo & glorifico te, ô Maria, tuum sacratissimum vterum humiliter veneror. Serua & auge in me pium te colendi desiderium.

5. *Christū in vtero gestans visitat Elisabeth.* Luc. 1. Aue suauis Maria, quæ Regem gloriæ in vtero gestans, Spiritu sancto admonente, ad montana Iudææ conscendisti, cognatam tuam Elisabeth visitasti, eam salutasti, eique impendisti ministerium. Visita, quęso, mentem meam, & effice, vt omnibus diebus vitæ meæ tibi fidelissimè seruiam, & castissimo affectu te diligam.

6. *Proficiscitur in Bethleem.* Luc. 2. Aue suauis Maria, quæ cum Ioseph sanctissimo compare tuo non recusasti viæ prolixitate affligi, quando tu puella tenera ac prægnans profecta fuisti in Bethleem, Impetra mihi gratiam, quâ patienter sustineam ærumnas huius exilij, iugiterque aspirem ad celestē Bethleem, in quâ est panis vitæ Iesus Christus, auctor nostræ salutis.

7. *Prægnans in stabulo deuersatur.* Luc. 2. Aue suauis Maria, quæ labore itineris fatigata, caruisti hospitio, & stabulum habuisti pro diuersorio. Guberna omnes affectus animi mei, vt nihil in hoc mundo vitiosè diligam, nulli rei visibili inhæream: sed tamquam peregrinus & aduena ciuitatem permanentem hîc non habens, totis desiderijs æterna suspirem, & in solo Deo meo conquiescam.

Endologia ad MARIAM III.

1. *Virgo Mater parit Saluatorē.* Luc. 2. AVE suauis Maria, quæ sine dolore, sine virginitatis detrimento peperisti nobis Saluatorem, exultantibus Angelis. O Virgo-mater, tu es veri Salomonis templum, tu arca Dei & propitiatorium, tu porta clausa quam vidit Ezechiel: tu hortus conclusus & fons signatus. Reple, quæso, cor meum atque omnes sensus meos gratiâ cælesti, vt innouato in me bono spiritu, vitam tibi Filioque tuo placentem agam. Ezech. 46. Cant. 4.

2. *Pannis inuolutum reclinat in præsepio.* Aue suauis Maria, quæ Iesum castissimi vteri tui fructum panniculis inuoluisti, vagientemque reclinasti in præsepio. Vtinam tui amor cor meum sic occupet, sic innocentis vitæ puritas me quasi modò genitum infantem exornet: vt inter quaslibet aduersitates à te adiuuari, tuæque visitationis beneficio recreari merear!

3. *Virginis vberibus lactat, osculatur, amplexatur.* Aue suauis Maria, quæ Iesum puerulum virgineis tuis vberibus lactasti, & eum vlnis gestans, pro tuo desiderio tibi suauiter adstrinxisti, osculisque deliniisti. Da, vt ego ærumnis & tentationibus huius exilij pressus, semper ad sinum maternæ pietatis tuæ confugiam: & spiritualis consolationis lacte per te refocillatus, omnes impuras delectationes respuam.

4. *Fouet infantem, sequitur prædicantem.* Aue suauis Maria, quæ infantiam pueritiamque Saluatoris maternis officijs sedula fouisti: & eum adolescentem factum atque euangelizantem deuotè secuta es. Præsta vt ego te diligam, te sequar, tui præsentiam desiderem, & omnia transitoria prorsus despiciam.

5. *Cōpatitur toleranti persecutiones & ærumnas.* Aue suauis Maria, quæ propter Vnigeniti tui labores, persecutiones, & atrocem ignominiosamque passionem indoluisti ex intimis pijssimi cordis tui visceribus. Da, vt ipsum Deum meum, pro his quæ mei causâ fecit ac pertulit, semper laudem, & omnium qui in miserijs atque calamitatibus constituti sunt, verè commiserescam.

6. *Gladio doloris sub cruce trāsfoditur.* Luc. 2. Aue suauis Maria, cuius beatam animam gladius doloris pertransiuit, quando sub cruce Filij tui pendentis, acerbissimosque cruciatus tolerātis, & Sanguinem suum fundentis, atque ad extremum expirantis, stetisti tota lacrymosa. Da mihi tecum stare, & gratâ mente recolere passionem mortemque eiusdem Vnigeniti tui, mei Redemptoris.

7. *Resurrectione & ascensione Filij prius exhilarata, in cælū assumitur.* Aue suauis Maria, quam Iesus Christus suâ triumphali resurrectione exhilarauit, & post ascensum ad Patrem, cum ineffabili gloriâ in cælum assumpsit: vbi tu illustris Regina resides, supra choros Angelorum exaltata. Humiliter te precamur, vt nostri curam geras, nosque tuis orationibus misericorditer excuses apud ipsum Filium tuum iudicem viuorum ac mortuorum. Amen.

Endo-

Endologia ad MARIAM IV.

* Tres quæ sequuntur ad B. V. MARIAM Endologiæ continent plurima & dulcissima encomia numquam satis laudatæ, numquã satis amatæ Matris omnium misericordiarũ. Sunt autem feruidæ ardentesque exclamationes & salutationes, quæ in corde pio & amorosis affectibus pleno ab amore dulcissimo Deiparæ accenduntur, & amorem accendunt.

AVE * Domina præcellentissima, & inter Sanctos post Deũ sanctissima Maria: quæ virginea fecunditate, fecundaque virginitate admirabilis, Iesum Christum mundi Saluatorem genuisti. Tu gratissimum Dei templum, tu Spiritus sancti venerandum sacrarium, tu adorandæ Trinitatis gloriosum triclinium. Per te, Domina, viuit orbis terrarum: ad tui memoriam hilarescunt & recreantur fideles animæ. Inclina, quæso, aures tuæ pietatis precibus huius serui tui, huius miseri peccatoris: & caliginem vitiorum meorum radijs tuæ sanctitatis dissipa, vt tibi placeam.

Aue benignissima misericordiæ mater, salue veniæ gratiæque conciliatrix optatissima Maria. Quis te non amet? quis non colat? Tu enim in rebus dubijs es charum lumen, in mœroribus solatium, in angustijs releuamen, in periculis & tentationibus refugium, tu post Vnigenitum tuum certa es fidelium salus. Tu diceris & verè es omnium feminarum præstantissima, omnium gratiosissima, omnium iucundissima. Beati qui diligunt te Domina: beati te qui venerantur: beati ter quaterque & amplius, qui per vitæ sanctimoniam tibi familiares effecti sunt. Tuæ pietati commendo animã meam & corpus meum: dirige, doce & protege me singulis horis atque momentis ô dulce præsidium meum.

Aue magnifica aula & splendidum palatium Imperatoris æterni Maria, salue odoriferum Deitatis reclinatorium. Tu es femina illa amabilis, pia, prudens, generosa, elegans, suspicienda. Tu es illa cæli terræque Regina, quæ progrederis quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, & eadem terribilis dæmonibus sicut castrorum acies ordinata. Præsta Domina, vt inter procellas huius vitæ semper te attendam: & contemptis rebus visibilibus, amœnas illas pulchritudines, pulchrasque amœnitates paradisi contempler. Cant. 6.

Aue sidus fulgentissimum & clarissimum iubar Maria, ex quâ sol iustitiæ Christus Deus noster ortus est. Tu Virgo illa vltra omnem pulchritudinem decora, tu mater illa vltra omnem honestatem gratiosa, quæ benignis oculis pios Ecclesiæ filios intueris toto orbe terrarum. Dulce nomen tuum recreat defessos, serenus splendor tuus illuminat cæcos, suauis odor aromatum tuorum lætificat iustos, benedictus fructus vteri tui satiat Beatos: tu Angelorũ hominumque laudes prima post Dominũ promereris. Ora pro me, Domina, vt tuis precibus adiutus, Christum Deum deorum, teq; Dominam Angelorum in Sion videre & glorificare merear. Psal. 83.

Aue summæ lætitiæ beatissima parens Maria, per quam cælestis benedictio, & felicitas æterna ad nos dimanauit. Tu enim benedicta inter mulieres, donis spiritualibus superfusa, nobis enixa es Redemptorem. De te carnẽ assumpsit, & ex virgineo vtero tuo prodijt infantulus ille IESVS CHRISTVS, vnicus salutis auctor, quo nihil suauius, nihil pulchrius, nihil præstantius existit: postquem nihil te dignius, nihil diuinius, nihil optatius cogitari potest. Religiosa tui memoria mœstos exhilarat, casta tui contemplatio Sanctos demulcet, fidelis tui veneratio peccatores emundat: omnes filij Dei gratam mentis requiem in te inueniunt. Impetra mihi, quæso Domina, perfectam cordis puritatem: vt ex eorum sim numero qui Vnigenitum tuum, teque cæli Reginam contueri ac laudare merentur in sæcula. Lucæ 1.

Aue Maria virgo ornatissima, virgo sole serenior, & astris lucidior; virgo melle dulcior, & balsamo suauior; virgo rosis rubicundior, & lilijs candidior. Tu fons hortorum vernantium, tu puteus aquarum viuentiũ, tu thronus aureus veri Salomonis, tu vas purissimum omni amaritudine carens, tu cella mundissima longè lateque gratissimum odorem diffundens. Dominus creauit te Virginem immaculatam, elegit te humilem ancillam, concupiuit te amabilem sponsam: tu es totius generis humani gloria, ac totius orbis singulare miraculum. Ne auerseris me indignum peccatorem, ô Domina: sed ex sordido fac mundum, ex remisso alacrem, ex arido deuotum. Cant. 4.

Aue desperantium spes opportuna, & destitutorum auxiliatrix præsentissima Maria, cuius honori tantum tribuit Filius, vt quidquid petieris, mox impetres; quidquid volueris, mox fiat. Tibi regni cælestis thesauri commissi sunt. Tu Cherubim honoratior, & Seraphim Deo proximior. Tu Abraham, Isaac & Iacob patrum tuorum eximium decus. Nominis tui gloriam, dignitatis tuæ splendorem, pietatis tuæ abundantiam, omnis ætas, sexus, & lingua confitetur. Exaltata es, ô Domina, supra choros Angelorum: tamquam dies verni circumdant te flores rosarum, & lilia conualliũ. Sana me, ô beata, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero, tibique benedicam in æternum. Amen. Eccli. 50.

Endologia ad MARIAM V.

AVE cæli exultatio & terræ gaudiũ Maria: salue candidum lilium fulgidæ Trinitatis, & vernãs rosa amœnitatis cælicæ.

Tu post Filium tuum es Domina vniuersæ creaturæ: adeò vt ad tuum quoque nomen
Rom. 14. sese inflectat omne genu cælestium, terrestrium & infernorum: tibi officiosissimè obsequuntur Angelicæ potestates. Tu es illa lucis serenissima Mater, quæ mentes te diligentium amanter illustras. Tu es illa pietatis dulcissima parens, quæ fideles tui cultores ad amœnas paradisi mansiones feliciter perducis. Tu speciosa illa sicut columba
Cant. 5. ascendens supra riuulos aquarum, cuius vestimenta inæstimabili suauitatis odore fragrant: te exercitus Beatorũ laudant, tibíque benedicunt iugiter. Ad te, Domina, sese erigit vultus meus, te respiciunt oculi cordis mei, in te confidit anima mea: miserere mei, quia salus mea in manibus tuis est.

Aue incorrupta, & ab omni illuuie immunis virgo Deipara: salue omnium ad te currentium certissimum profugium Maria. Tu turris munitissima, cuius muris qui cinguntur, securi sunt: tu fidelissima protectrix omnium te laudantium. Tu candida nubes, ardorem æstus temperans: tu ros opportunus, ignem fornacis extinguens. Tu clauis gemmata, paradisi ianuam reserans. Tu gra-
Cant. 2. num purum è paleâ excussum, tu lilium inter spinas, & flos conuallium. Tota mitis es, tota amœna, tota fulgens, tota benigna. Procul à te constitutos illuminas radijs misericordiæ: iuxta te positos recreas deuotionis suauitate. Succurre mihi, ô dulcissima Aduocata; & post huius vitæ fluctus perduc me ad portum salutis æternæ.

Aue Prophetarum laus, & Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginumque honor Maria. Tu iustitiæ palma speciosissima: tu pudicitiæ nardus fragrantissima: tu hortus virens cælestibus delicijs plenus: tu arca legalis, dulcissimum manna continens: tu terra benedicta, fructum beatissimũ proferens: tu petra spiritualis, potum copiosissimum fundens: tu fons sacer, in flumen maximum redundans. O Maria, quàm tu sancta, & quàm ego iniquus! quàm tu humilis, & quàm ego superbus! quàm tu sublimis, & quàm ego indignus! O intemerata, quàm vastum spatium porrigitur inter tuam plusquam Angelicam puritatem, & meam spurcitiam intolerabilem! Repurga, quæso, cor meum à peccatorum sordibus: tolle à me, quidquid virgineis oculis tuis minùs placet. Segrega mentem meam à desiderijs terrenis, & eam in amore rerum cælestium fige, ad laudem Filij tui sempiternam.

Aue pretiosissima margarita, & humani generis post Filiũ gemma singularis Maria.
Cant. 4. Tota pulchra es, ô virgo, tota pulchra es, & macula non est in te. Castissimæ animæ tuæ nihil vmquam inhæsit turpitudinis, nihil defuit spiritualis decoris. Tu Patriarchas excellis fide, Prophetas scientiâ, Apostolos sancto zelo, Martyres patientiâ, Confessores humilitate, Virgines innocentiâ. Tu ineffabilibus monilibus ornata, omnes superni palatij ciues in admirationẽ rapis. Tu es sol clarissimus, defectum prorsus nesciens: sol è terrâ cælos irradians, sol è cælis terram illuminans, sol peccati nubes discutiens. Cùm ego fulgorem sanctitatis tuæ considero, Domina, vehementer erubesco ob caliginem meæ turpitudinis. Sed ecce pedibus tuis aduolutus humiliter, agnosco ipsam meam iniquitatem. Ne, quæso, despicias me, ô spes mea suauis. Magnam miseriam vilissimi peccatoris, subleuet magna atque ingens miseratio pijssimæ Matris.

Aue Virgo sacratissima, & inter mulieres benedictas peculiari benedictione singulariter insignis Maria. Tu vallis amœna, vernans virtutum lilijs; tu paradisus beata, affluens consolationum delicijs: tu rosa venusta, inenarrabilem suauitatem spirans: tu concha electa, mellifluum amoris adipem stillans: tu stella Iacob fulgida, cælos omnes perornans: tu virga Iesse florida, vniuersum orbem exhilarans. Tuam pulchritudinem, tuum ornatum, tuam dignitatem, omnes Spiritus beati mirantur. O totius elegantiæ, totiusque sanctimoniæ femina! ô Domina præclarissima, quæ supra choros Angelorum resides, assessum Deo proximũ sortita; meas quæso calamitates, meosque gemitus attende. Visita & consolare me inutilem seruum tuum, atque à peccatis absolutum, redde tibi per omnia placentem.

Aue singulare cæli ornamentum, singulareque terræ præsidium Maria: salue Regis æterni mater millies beata: gaude gratię perditæ instauratrix optatissima. Tu Domina rerum imperium cum Filio commune obtines: tibi omnis ætas & sexus meritò verticem inclinat: tuis pedibus totus orbis iure prouoluitur. Nam post ineffabilem Trinitatem, post dilectum Natum tuum, nihil habet cælestis aula te vnâ admirabilius. Ad tuum nomen dæmones contremiscunt: ad tuum fulgorem potestates tenebrarum diffugiunt: ad tuum nutum portæ paradisi reserantur: tu es omnium Christianorum spes post Filium. O Regina misericordiæ! ô vitæ dulcedo! te inclamo miserabilis Euæ filius, ad te suspiro calamitosus exul in hac lacrymarum valle: ne me, precor, auerseris ô Domina, sed laborantẽ adiuua, pugnantem protege, vacillantem confirma: & benedictum fructum ventris tui Iesum Christum mihi post hoc exilium ostende.

Aue

Aue purissima Spiritus sancti officina, & immaculatum Verbi Dei sacrarium: salue sanctissima Mater & virgo Maria, quæ gaudium Angelorum pariter & hominum peperisti Iesum Christum, eumdemque puerulum pannis inuoluisti, fasciolis strinxisti, vlnis gestasti, gremio confouisti, vberibus lactasti, amplexibus osculisque delinisti. Rogo te Domina, & exorabile pectus tuum obtestor, per maternam sedulitatem officiosasque curas, quas cunabulis & infantiæ ipsius Vnigeniti tui deuota impendisti, vt mei patrocinium apud eum suscipias, peccata deleas, gratiam mihi impetres, lumen infundas. Amen.

Endologia ad MARIAM VI.

AVE serenissima suauissimaque Regis Messiæ genitrix Maria. O Domina, tu es turtur illa pudicissima, cuius vox Omnipotentis aures mirificè demulcet: tu es columba illa castissima, cuius gemitus Spiritui sancto modis omnibus placet. O Virgo gratiosa, Virgo decoris stupendi, eijce e cordis mei penetralibus quidquid sordidum minusque decorum est. Illumina tenebras meas interiores radio splendoris tui: vt vitijs dissipatis atque deletis, pulchritudinẽ tuam pure contempler. Attende, Domina, attende suspiria animæ anhelantis ad te. Veni, millies desiderata; & ex plenitudine gratiarum tuarum aliquid cordi meo infunde, vt intimè ac sanctissimè te diligam.

Aue ancilla Dei solitaria, & secretissimi Sponsi sponsa secretissima Maria: salue puella amabilis, & filia gratiæ electa. O virgo verecunda! ô feminarum omnium pulcherrima! ostende mihi, precor, faciem tuam Cant. 2. decoram: cuius aspectu suscitentur in me inextinguibiles castimoniæ affectus: sonet vox tua dulcis in auribus meis, cuius auditu reuiuiscat resurgatque spiritus meus à morte peccati, & somno tepidæ conuersationis. Ineffabilis illa fragrantia suauitatis tuę, mentem meam recreet iugiter. Sincerus amor tui ingrediatur thalamum pectoris mei, & omnia interiora mea feliciter occupet, vt mundana prorsus fastidiam.

Aue immaculata beatæ Trinitatis amica: salue femina mente & corpore purissima Maria. O Virgo taciturna, Virgo humillima, Virgo Deo gratissima! irradia, quæso, intima mentis meæ serenissimo vultus tui splendore; vt in te delectetur & exultet cor Cant. 1. meum. Trahe me post te, vt curram alacriter in odorem vnguentorum tuorum. Lætifica spiritum meum, ô benigna, vt hilariter tibi seruiam, & ex intimis viscerum meorum te diligam. Visita pupillum gementem & mœrentem: tange citharam cordis mei, vt suauè resonet in laudem dulcissimi nominis tui. Te amet, te veneretur, tibi benedicat anima mea omni tempore.

Aue filia Sion, millies beata, salue mellitissima Dei mater Maria. O Virgo sanctissima, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum: circumuesti, obsecro, & exorna animam meam gratiâ cælestis decoris. O Regina illustrissima, intuere pauperculum è sublimi solio gloriæ tuæ: appropinqua, ô Domina, finibus miseri huius peccatoris, & consolare me optatâ tui præsentiâ. Exultet in te spiritus meus, collaudent te Lucæ 1. præcordia mea, & sanctâ tui dilectione colliquescat anima mea.

Aue Virgo pia & suauis Maria: aue porta Orientalis inuiolata, per quam speciosus Psal. 44. formâ præ filijs hominum ad nos venit. Conuerte, ô præclara, conuerte ad me mitissimos illos oculos virginei vultus tui: illumina tenebras cæcitatis meæ claritate ad- Psal. 12. uentus tui. Attende gemitus animæ meæ cupientis diligere te: satia desiderium fatiscentis & languentis spiritus mei die ac nocte. Separa, Domina, mentem meam ab omnibus quæ sub cælo sunt, & in sincerissimam tui contemplationem suspende: faciens eam prægustare mellitas sorbitiunculas iucunditatis æternæ.

Aue solitudinis amatrix, & internæ quietis cultrix mitissima: salue femina honestate admirabilis, & sapientia ineffabiliter adornata Maria. O virgo electa, virgo inter filias Ierusalem speciosissima, dispersas, quæso, seruuli tui cogitationes recollige, & spiritum dissipatum redintegra: vt sinceras tranquillasque meditationes de te pertractem. Inhæreat menti meæ amabilis illa castimoniæ fotrix pulchritudo tua: possideat penetralia cordis mei purissimus amor tui in perpetuum. Tu fragrantissimum Diuinitatis tabernaculum: tu hortus conclusus, vnde pulcherrimus atque vnicus ille flos prodijt Iesus Christus Saluator animarum nostrarum: te laudet & veneretur omne sæculum.

Aue redolens viola altissimæ humilitatis, & rubens rosa charitatis ardentissimæ Maria: salue generosissima summi Conditoris mater. O Virgo suauis, ô charissima in delicijs, perueniat ad me fragrantia aromatum tuorum. Te sentiat spiritus meus in nocte, te exoptent præcordia mea per diem, tibi suauiter afficiatur cor meum, te medullitus diligant omnia intima mea, hilariter in tuis laudibus occupetur mens mea omni tempore. Tu cælestis Sponsi floridus thalamus, tu sacrarum deliciarum amœna paradisus, tu

diuinorum Sacramentorum apotheca odorifera. Tu genitrix, tu filia, tu sponsa Dei altissimi: tu es & semper eris dulcis spes mea, & dulce solatium animę meæ. Adesto mihi, pia Gubernatrix, quamdiu in periculoso mari sæculi huius nauigo: & præcipuè in ipso vitæ termino: vt te prælucente, te dirigente, te perducente, feliciter perueniam ad portum cælestis Ierusalem, vbi te diligam & laudem sine fine. Eia, Domina, exhibe mihi, quæso, in horâ mortis meæ iucundissimam præsentiam tuam: & roseo rutilantique vultu tuo, ac blandis oculis tuis solare dolores & gemitus meos, meque redde securum de æternâ beatitudine ad gloriam Dei. Amen.

AD SPIRITVS ANGELICOS *& alios cæli ciues.*

AVETE lucidi spiritus Angelici, Principes nobilissimi atque pulcherrimi: mellifluâ Dei visione, incorruptibilibusque delicijs semper fruimini, & qui ipsum Dominum cum ineffabili gaudio iugiter glorificatis. Gratias ago eidem Domino Deo nostro pro beatitudine quam vobis præstitit. Orate, quæso, pro me, mihique in periculis innumeris versanti benignè succurrite. Et præcipuè tu Angele sancte, custos animæ meæ & corporis mei, cui à Domino commendatus sum, gere fidelem mei curam. Doce, dirige & protege me in omnibus, vt Deum aliquando tecum in cælo laudare merear. Amen.

AVETE Sancti Sanctæque Dei omnes, qui traiecto huius mundi pelago, feliciter peruenistis ad portum patriæ cælestis. Gratias ago Domino, qui vos ad clarã sui visionem & sempiterna gaudia transtulit. Humiliter vos veneror: humiliter in mei patrocinium vos inuoco. Intercedite apud Deum pro me vilissimo peccatore, vt ego vestris meritis ac precibus adiutus, nunc & in horâ mortis meæ ab omni malo securus sim. Amen.

Hymnus ad sanctum Spiritum.

VENI *sancte Spiritus,*
Et emitte cælitus
Lucis tuæ radium.
Veni pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.
Consolator optime,
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.
In labore requies,
In æstu temperies,
In fletu solatium.
O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sine tuo numine
Nihil est in lumine,
Nihil est innoxium.
Laua quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.
Flecte quod est rigidum,
Foue quod est frigidum,
Rege quod est deuium.
Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium.
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium. Amen.

Hymnus ad MARIAM.

AVE *Virgo gratiosa, Virgo sole clarior;*
Mater Dei gloriosa, fauo mellis dulcior.
Tu es illa speciosa, quâ nulla est pulchrior:
Rubicunda plusquam rosa, lilio candidior.
Tu es grata lux piorum, grata lux Ecclesiæ:
Fulgens portus afflictorum, Regina clementiæ.
Dele sordes peccatorũ, Mater indulgentiæ:
Luctum solare mæstorum, aurora lætitiæ.
Veni, veni, propera, vnge corda misera, charum fundens oleum.
Tua semper vbera, nostra sanent vulnera, cæli iubar aureum. Amen.

LVDO-

LVDOVICI BLOSII SACELLI ANIMÆ FIDELIS PARS TERTIA, SIVE DICTA QVORVMDAM PATRVM VERE AVREA: EX QVORVM DILIGENTI LECTIONE ANIMA HVMILIS INEFFABILEM VTILITATEM CONSEQVETVR.

CAPVT I.

De præstantiâ animæ rationalis, & de Dei erga eam amore, ex scriptis cuiusdam pij Patris.*

* Ioannis Thauleri Tractatu de Decem cæcitatibus, cap. Vel cæcitate. 1. & 3.

1. *Animæ humanæ præstantia ineffabilis;*
2. *Ita vt Filius Dei pro eius liberatione mori voluerit.*
3. *Infelix ergo, siquando sui oblita, se peccato in seruitutem tradat.*
4. *Amor & dignatio Iesu erga animam à peccato resipiscentem.*
5. *Liberæ voluntatis vsus vel abusus præmium habet, vel pœnam.*
6. *Quàm lamentabile sit animam diuinis amoribus aptam peccatis maculari, & sordes ac fæces rosis gemmisque præferre.*

1. *Dignitas animæ rationalis facta ad imaginem Dei.*

INGENITA nobilitas, excellentia & pulchritudo humanæ ac rationalis animæ, prorsus ineffabilis est. Eam enim Deus ex purissimâ charitate ad imaginem similitudinemque suam præclarè admodum condidit, & capacem æternæ beatitudinis fecit: indens illi tres hasce vires eximias, intellectum, voluntatem & memoriam: vt ipsa Deum creatorem suum intellectu cognoscere, voluntate eligere & amare, memoriâ assiduè recolere, atque ita templum venerandæ Trinitatis fieri possit. Profectò, vnaquæque anima, imagine Dei insignita, maioris excellentiæ est, quàm sint cæli & totus hic mundus visibilis.

Tanta, ô homo, est animæ tuæ dignitas, & tantus decor, vt vnigenitus Dei Filius, præ natis hominum formâ speciosus, amore eius ardens, acerbissimos cruciatus perpeti, & pretiosum Sanguinem suum fundere, ignominiosamque mortem subire non recusauerit, quò illam à morte perpetuâ redimeret, & verâ libertate donatam, ad cæleste regnum reduceret. 2. *Tanta, vt Deus pro eâ Sanguinem & vitã dederit.* Psal. 44.

Itaque nimis infelix illa anima est, quæ suæ nobilitatis oblita, seipsam peccando negligenterque viuendo vilem reddit, deturpat, & seruituti diaboli miserè subijcit. Sanè, sicut venustas animæ piæ ac mundæ verbis explicari non potest, ita deformitas animæ impiæ & impuræ prorsus inenarrabilis est. Illa Angelis sanctis, ista spiritibus malignis est assimilis. 3. *Igitur misera est, si se iterũ peccato inficit, & seruã ex liberâ sese reddit.*

Ceterùm per veram pœnitentiam ac bonam vitam anima decorem perditum recipit. Et benignissimus Iesus erga quamlibet animam peccatricem pœnitentem non aliter amore vulneratus est, * quàm mater fidissima erga charissimum filium suum aliquamdiu perditum, sed recuperatum. Qui quidem dulcis Dominus, quando ab animâ in peccatis sceleribusque suis permanente, ac se corrigere nolente, recedit, † tam 4. *Iesu erga animã pœnitentem amor & benignitas.*

* Similitudo amoris matris erga filium, & Dei erga animam, in sacrâ Scripturâ frequenter occurrit. Imò testatur Isaias capite 49. si mater non misereatur filio vteri sui, Deum tamen animarum nostrarum in amore & misericordiâ memorem fore.

† tam inuitus hoc facit, vt si id ipsa cerneret, medullitus compateretur tam pio Patri & Domino suo.

5. *Vsus libertatis bonus præmium, abusus supplicium meretur.*

Sed cùm libera sit homini data voluntas, diuina iustitia exigit, vt is qui illâ aduersus Dei voluntatem obstinato abutitur, & Deum contemnens moritur in iniquitatibus suis, crucietur æternis inferni supplicijs. Qui ritè ea quæ dicta sunt perpenderet, multùm haud dubiè detestaretur peccatorum sordes omnes, & sanctè viuere studeret, atque amabilem Conditorem & Redemptorem suum integro corde coleret amaretque, & ipsi placere vehementer optaret.

6. *Animam Dei complexu dignâ peccatis immergi, quàm indignum!*

Res profectò lamentatione digna est, tot corda sancto amori aptissima, tot præclaras ac formosas Deique imagine insignitas animas, quæ ex spirituali coniugio cum Deo inito, Reginæ & Imperatrices effici, cæloque & terræ dominari possent, stolidè se à Deo abalienare, & in maximam vilitatem abijcere, ac suâ sponte perire. Atqui rerum caducarum amorem pluris facere quàm dilectionem Dei, est præferre immundum stercus rosis elegantissimis ac gemmis pretiosissimis. Deus enim summè amabilis est, bonum iucundissimum est, in quo purissimâ quadam ratione existit, quidquid pulchritudinis, excellentiæ & suauitatis in aliquâ creaturâ inuenitur.

† Accipe hoc per mimesim affectus humani, vt est in Genesi capite 6. Dolor cordis in Deo, & pœnitet Deum fecisse homines, ita hîc dicitur, Deus inuitus, at extra omnem defectum vel impotentiam, quæ in homine inuito esse solet.

CAPVT II.

*Rursum de immenso Dei erga homines amore, ex quodam pio * Patre.*

* Florentio Carthusiano lib. 4. Institut. cap. 50. & 51.

1. *Duplex erga nos Dei amor, meritus & immeritus:*
2. *Et vterque immensus, & prorsus incomparabilis & supra omnes omnium matrum amores.*
3. *Si quis ergo perit, suâ culpâ perit: & certum ti debet esse, quòd ipsius interitus Deo maximè displiceat.*

1. *Dei erga nos amor, meritus & immeritus solidè explicatur.*

DVPLEX est Dei ad homines amor: quorum alterum quodammodò meritum, alterum immeritum dicere possumus. * Meritus ille est, quem bonis operibus, virtutum exercitatione, præceptorumque Dei & Christi consiliorum obseruatione conciliare nobis & possumus & debemus. Immeritum verò illum dicimus, quem Deus, qui nos fecit & creauit, gratuitum prorsus ab omni æternitate ex suâ naturâ ad nos habuit, quem sanè meriti non sumus.

* De his amoribus Dei si quis plura quærat, inueniet apud Doctores Scholasticos in D. Thomâ p. 1. q. 23. art. 4. & 5. vbi disputatur, An & quomodo ex præscientiâ meritorum in Prædestinatione diuinâ nascitur Dei electio & dilectio.

2. *Vterque verè inexplicabilis, imò & infinitus.*

Et quidem ipse meritus amor, quo Deus nos ob sibi exhibitam veram dilectionem complectitur, tam infinitus ac vehemens est, vt non intellectum modò, sed & omne desiderium hominis superet. Nam multò ampliùs omnem & Angelicum & humanum vincit amorem, quàm ignis immensus tenuissimam scintillam. Iam quod ad alterum illum immeritum, naturalem, gratuitumque Dei erga nos amorem attinet, sicut certi sumus esse Deum, & nos à Deo esse conditos, ita de immeritâ eius ad nos dilectione & charitate dubitare non possumus. Et hic quoque immeritus Dei erga homines amor omnem tum humanam tum Angelicam longe lateque excellit dilectionem. * Quare si omnium matrum amor, fides & beneuolentia in vnius alicuius genitricis pectus erga vnicum natum suum cogeretur, tametsi illa vehementissimè & temporariam & æternam filij sui non posset non cupere vitam & salutem: nec sic tamen tantus hic matris erga vnicum suum amor, fides & beneuolentia, posset aliquâ ex parte æquiparari dilectioni ac beneuolentię, quam Deus Pater & Filius, & Spiritus sanctus gerit erga cuiuslibet hominis temporariam æternamque salutem.

* O ineffabilem erga nos Dei amorem!

3. *Nulla mater de filij interitu sic dolet, vt Deus de perditione peccatoris.*

Vnde & indubitatum apud vnumquemque esse debet, nullam vnquam, licet indulgentissimam genitricem, vsque adeò vnici dilectissimique filij sui damnum & interitum doluisse, vt benignissimus Deus perditionem cuiuscumque hominis: vtpote quem tam præclarè ad imaginem & similitudinem suam condidit, ac tanti fecit, tantoque in pretio & honore habuit, vt illius causâ nec vnico charissimoque Filio suo pepercerit, sed hunc in acerbissimam & maximè ignominiosam mortem tradiderit: idque tanto amoris ardore & intemperantiâ, vt si non nisi * vnus fuisset redimendus homo, eumdem ipsum eâ ratione proculdubio fuerit liberaturus.

* Docent sancti Patres, ad declarandum Saluatoris nostri amorem in liberãdis hominibus, Filium Dei tam paratum fuisse omnia pati quæ passus est, pro vnico homine atque pro omnibus simul seruis. Quo in amore exaggerando præter omnes legendus est Chrysostomus, aureis suis verbis exornans dictu S. Pauli ad Galat. c. 2. *In fide viuo Filij Dei qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

CAPVT III.

*De Summi Dei præsentiâ, & amabilibus eius perfectionibus, * ex quodam Patre.*

* Ioanne Thaulero Tractatu de Decẽ cęcitatibus, cap. 1. & 3.

1. *Præsentia Dei ob amabilissimas perfectiones nos ad amorem & cordis custodiam excitat.*
2. *Et tamen tam sublimis Deus ex infinito amore, nostri curam gerere dignatur:*
3. *Facillimè etiam ad ipsum patet nobis accessus, quotiescumque volumus.*
4. *Debemus ergo cum amore & reuerentiâ coram ipso ambulare.*

5. *Ipsum-*

5. Ipsumque quasi vbique & in omni opere præsentem intueri.

1. *Amor Dei, & cordis custodia, ex cogitatione præsentia diuina.*

*Consideratio diuinarum perfectionum admirādos in homine affectus fulciat.

* Praxis obseruāda, & SS. Augustino, Bernardo, Bonauenturæ, aliisq; vsurpata, vt ex pulchris creaturis accēdamur ad amorem pulcherrimi Creatoris: quasi omnes creaturæ clament: Nos, & non ipsi nos; hunc amemus, hunc amemus. & Sapientiæ cap. 3. *Sciāt quantò his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit.*

CELSISSIMVS & omnipotens Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, vbique præsens & vbique totus est. Quod sanè mirum in modum te lætificare, & ad humilitatem vigilemque tui custodiam semper excitare debet. Ipse suâ æternâ maiestate, potestate, opulentiâ, nobilitate, gloriâ, pulchritudine, clementiâ, charitate, fidelitate, benignitate, bonitate, dulcedine, ceterisque amabilibus perfectionibus suis, adeò vniuersum creatum excedit intellectum, vt si cælum terraque libris replerentur, vastissimumque pelagus totum esset atramentum, & omnes spiritus Angelici, cunctæque animæ essent scriptores; citiùs ipsum mare scriptores exhaurirent, quàm minimam cuiuslibet perfectionis diuinæ partem absoluerent. Sed & si cunctorum corda mortalium simul vnita, hanc ipsam minimam bonitatis, seu alterius perfectionis Dei partem (quantum quidem in hac vita licet) feliciter perciperent atque degustarent: * mox omnia præ amore & gaudio scinderentur, & viribus deficerent, nisi sanctiSpiritus temperante gratiâ desuper corroborarentur. Nonne quoties tu rerum pulchrarum species conspicis, & cælum, terram, siluas, campos, vniuersumque mundum animo perlustras, cuncta cor tuum huiusmodi vocibus compellare videntur: * Pensita, quantum ille amabilis & formosus sit, qui condidit nos, & est fons totius pulchritudinis?

2. *Et hic tam gloriosus Deus nostri curā gerit.*

Huius sublimis & gloriosi Domini Dei tui cor dulcissimum incomprehensibili immensoque & gratuito amoris ardore semper erga flagrauit, & adhuc flagrat, vehementissimeque desiderat vt ad æternam beatitudinem peruenias. Ipse idem Pater tuus cælestis ex indicibili charitate suâ nocte dieque perpetuò tibi intendit, & ita pro te sollicitus est, adeoque tui curam gerit, ac si nulla alia vel in cælis vel in terris creatura superesset. Ipse tot tantisque beneficijs omni temporis momento te præuenit ac prosequitur, vt vel exiguam eorum partem satis agnoscere nequeas.

3. *Quin & liberrimum ad se accessum nobis concedit.*

Ipse liberrimam ad se accedendi copiam tibi præbet: ita vt quoties libet, eum alloquaris, cunctaque cordis tui secreta, & omnes miserias tuas illi securissimè pandas, atque in ipso pace fruaris & gaudio. Qui licet præstantissimum sit bonum, multò tamen citiùs faciliusque vel solo pio desiderio à te obtineri potest, quàm quælibet alia res etiam vilissima.

4. *Quia vbique est præsens: quantam ei reuerentiam debemus.*

Iam cùm vbique locorum sit, & te incessanter intueatur, atque in intimo nudoque animæ tuæ fundo præsentem se exhibeat; æquissimum sanè est, vt casto cum timore & reuerentiâ coram ipso ingrediaris, & eum toto corde amare, eique omni studio placere desideres & contendas, vitans diligenter omnia, quæ diuinos illius oculos offendere possunt.

5. *Vbique eum inuenies: vbique igitur, & in omni opere illum intuere.*

Age igitur, excusso terrenæ cupiditatis puluere, apertisque mentis oculis, disce pro modulo tuo amanter contemplari & attendere radiantissimum veritatis lumen, ac deuotè recogitare iucundissimū illud bonum, videlicet Dominum Deum tuum, quem omni in loco, & maximè in animâ tuâ, inuenire, ac de eius gratissimâ præsentiâ puram lætitiam haurire potes. Dicito illi: O amabilissime Deus, Iesu floride, tu mihi semper præsens es. Redde me, quæso, tibi placentem. Illumina animam meam splendore gratiæ tuæ, & accēde eam igne amoris.

CAPVT IV.

De immenso amore, quem Filius Dei factus homo homini exhibet. Ex eodem Patre.*

*Thaulero; ferè ijsdem locis.

1. Amor Dei ineffabilis quo (Angelicâ naturâ prætermissâ) carnem humanam assumere dignatus est.

2. Quantum laborem pro nostrâ redemptione amor ille Christo imposuerit.

3. Ex eodem amore præstantissimum Eucharistiæ donum habemus; amorem ergo tanto amatori rependamus.

1. *Summi fuit amoris, quod Verbum naturam humanam assumpsit, non Angelicam.*

EXCELSVS ille Dominus, Verbum æternum, verusque Deus, ex solâ inenarrabili, stupendâ gratuitaque charitate suâ, pro te immundo peccatore abiectoque vermiculo, dignatus est fieri homo, & frater tuus. Nam relictâ præstantissimâ naturâ Angelicâ, excellentissimam Diuinitatem suam naturæ cōiunxit humanæ, ita vt eum fratrem, os, carnemque tuam vocare possis: quod quidem totum Angelicę non est concessum sublimitati. Certè ad plenum scire non potes, quanta hinc tibi gratia, salus & gloria impensa sit, & olim impendetur, quantaque pariat bona huius venerandi mysterij altitudo, & diuinæ dignationis dilectionisque pia meditatio, clara cognitio, ac sedula imitatio.

2. *Amor ille magnus labores & dolores nostri gratiâ Christo Domino attulit.*

Ipse triginta tribus annis laborauit, & summam ignominiam grauissimaque tormenta perpessus est, atque ad extremum mortem turpissimam sustinuit, vt aboleret dilueretque peccata tua, & pro eis satisfaceret, tibique regnum cæleste aperiret. Propter te floridum corpus suum verberibus patienter submisit, caput spineæ coronæ supposuit, manus ac pedes clauis obiecit, & pretiosum Sanguinem suum effudit. En ipse pendet in

cruce

cruce vulneribus hiantibus, ac latere aperto: vt in gratissimum cordis sui cubiculum te introducat, ibique æterno complectatur amore.

3. *Idem Amor Eucharistia donū nobis concessit, omnium donorum compendium.*

Instituit venerabile Sacramentum Eucharistiæ, in quo se totum tibi tradit: videlicet suam sublimem Diuinitatem, præclaram animam suam, & Corpus suum gloriosum. Vnde & minimum donum ab ipso profectum, quod in hoc Sacramento accipis, sempiterno quodam decore ac pulchritudine longè excellentiùs te exornat, quàm vlla vmquam æstas, quamlibet amœna, terram ornauerit. Quomodo maiorē dilectionem, fidem, beneuolentiam & benignitatem tibi exhibere potuisset? Semper immenso tui tenetur desiderio, & ardentissimâ erga te flagrat charitate. * Profectò dum tu ista æquo expendis libramento, mirum est te intus præ amore non colliquescere, & præ gaudio atque exultatione non extra te abripi.

* Amor Dei amorem nostrū accendat.

CAPVT V.

De Beatæ Virginis Mariæ matris Dei dignitate, & erga homines misericordiâ ac dilectione, deque eius sanctâ conceptione. Ex eodem Patre.*

* Thaulero eodē Tractatu de Decem cæcitatibus, c. 4. & alijs.

1. *Deipara Virginis mundissima puritas, ab omni labe originali & personali immunis.*
2. *In omni perfectionis laude Christo filio mater proxima & simillima.*
3. *Nullum contemnit peccatorem, omnium aduocata fidelissima.*
4. *Festum Conceptionis ab omnibus Catholicis nunc celebratur.*
5. *Quo ipso confutantur, qui negant, ipsam ab originali peccato fuisse præseruatam.*
6. *Decentissimum fuit, hoc priuilegium matri Dei concedere.*

1. *Beata Virgo à peccato tam actuali quàm originali per Deum præseruata.*

DEVS & Dominus gloriæ Iesus Christus ostendit se admodum mirabilem in amàbilissimâ longeque charissimâ Genitrice suâ virgine Mariâ, cui similem numquam fecit, neque facturus est, creaturam dignitate, nobilitate, pulchritudine, maiestate, omnique gratiâ & gloriâ. Eam ab omni peccato & maculâ, tam originali quàm actuali, vltra communem conditionis humanę modum præseruauit, tantaque munditiâ, sanctitate ac perfectione exornauit, vt ipsa sit omni Angelicâ puritate superior. Planè sub Deo & Domino nostro Iesu Christo, nihil diuinius Matre eius intelligi potest.

2. *Laude virtutū & perfectionis Filio suo proximè æqualis.*

Huius Virginis-matris bonitas, misericordia, pietas, amicitia, benignitas, clementia, fidelitas, beneuolentia, & charitas erga homines tanta est, vt nullis verbis explicari possit. Ipsa in potestate, sapientiâ, dilectione, & cunctis charismatibus, donis, perfectionibus atque excellentijs, super omnes creaturas benedicto Filio suo Redemptori nostro quàm simillima & proxima est.

3. *Omnium fidelium aduocata, & peccatoribus asylū.*

Vnde & nullum tam execrabilem peccatorem orbis habet, quem ipsa abominetur, & à se repellat, quemque dilectissimo Nato suo (modò suam precetur opem) non possit, sciat & velit reconciliare. Quamdiu tempus gratiæ agitur, nequit benignissimos oculos suos à miseris ac pœnitentibus peccatoribus, ipsam inuocantibus, auertere. Continuas enim pro eis fundit preces: vt germana soror, materque fidissima curam salutis eorum gerit. * Enimuerò in æternum perire non potest, quisquis illam deuotè & perseueranter colit atque inuocat. O quantum beneficium tibi præstitit, & quanto honore te decorauit Dominus Deus tuus, qui hanc suam Genitricem longè piissimam voluit tuam esse matrem, aduocatam, consolatricem atque adiutricem in hoc exilio! Sed & in cælo ipsam tibi conspiciendam præparauit. Quæ nimirum speciosissima Virgo, & gloriosissima Regina, ibi cum incomprehensibili dulcedine, humilitate, & charitate omnibus sese Beatis familiarem exhibet. Ista ritè abs te pensitata, ingenti lætitiâ cor tuum complebunt, & castissimo amore succendent.

* Beati clientes tantæ Patronæ, pro magno Dei beneficio accipiunt Matris Dei patrocinium.

4. *Conceptio Virginis Festo honoratur.*

Porrò, quod ad munditiam Conceptionis huius Virginis matris Dei attinet, non est quod dubites: licet plerique ex antiquioribus Patribus dubitasse videantur, cùm nondum Festum eiusdem Conceptionis in Ecclesiâ Romanâ celebraretur. Modò enim in orbe Christiano Catholici, secuti ipsam Romanam Ecclesiam (quę omnium Ecclesiarum caput & magistra est) Festum illud iam olim receptum alacri lætaque deuotione celebrant, recolentes exordium nostræ felicitatis, quando scilicet nobilissima anima Mariæ à Deo creata, & ipsius sanctissimo corpusculo citra originalis culpæ contagionem infusa fuit.

5. *Videtur hoc Festo declarare Ecclesia, ab originali labe immunem fuisse Matrem Dei.*

Quapropter mirum sanè est, adhuc nostro æuo inueniri aliquos, qui hac in parte non satis illuminati, puritatem Conceptionis eiusdem beatissimæ Virginis vocent in dubium, & suam opinionem in eâ re obstinatiùs tueantur, citantes quasdam sententias sanctorum Patrum, qui tamen, si nunc hîc viuerent, aliter proculdubiò sentirent, quàm isti eos sensisse dicunt.* Certè Romana eademque Catholica Ecclesia, quæ errare non potest, hoc ipso quòd Festum Conceptionis Deiparæ Virginis celebrandum assumpsit, satis adstruit atque affirmat, eamdem

* D. Thom. p. 3. q. 27. art. 1. eadē formâ argumenti vtitur ex Festo Natiuitatis ab Ecclesiâ instituto, vt doceat B. Virginē natā esse in gratiâ & sine peccato.

dem Conceptionem fuisse omnis contagionis expertem, ac sanctam: profana siquidem festa non nouit Ecclesia. Precatur autem Deum in ipso incontaminatæ Conceptionis Festo his verbis:* *Deus, qui per immaculatam virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparasti: præsta quæsumus, vt sicut eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas.*

* Est in multarum Ecclesiarũ Breuiarijs, sed non in Romano.

6. *Hoc immunitatis priuilegium decuit Matrem Dei. Isa. 11.*

Quidam igitur antiquorum sanctorumq; Patrum loquens de istis verbis propheticis, *Egredietur virga de radice Iesse*, rectissimè ait: Maria, virga illa est, in quâ nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit. Itemque alius dicit: Temerarium est in Mariâ virgine ponere culpam aliquam, vel peccatum. Reuerà ita est. Nam pias aures offendit, quisquis modò asserere non veretur, præcelsam illam Heroidem, quæ spiritibus Angelicis sanctior est, obnoxiam fuisse peccato originali, quod hominem efficit membrum diaboli, & filium iræ. Decuit omnino, vt ea quæ Christum Dominum Deum nostrum concipere ac parere, caputque serpentis antiqui conterere debebat, numquam vel ad momentum subiecta esset eidem serpenti, numquam esset filia iræ. Hoc priuilegio honorata est Mater Altissimi.

CAPVT VI.

De sanctorum Angelorum excellentiâ, & erga homines charitate. Ex eodem Patre.*

* Thaulero in eodem Tractatu, Caritate 5.

1. Angelorum excellentia supra animas humanas.

2. Omnes tamen custodiam & vigilias circa nos habent, maximè suus cuiusque proprius Angelus:

3. Nempe circa res illas sollicitâ curâ versantur, quas clarissimè vident Deo esse maximè charas & dilectas.

1. *Angeli longè præstantiores animâ humanâ; etiam Dei imagines sunt.*

ANGELI sancti, mirum in modũ splendidi, nobiles, gloriosi, ac speciosi sunt: nam & eos Deus ad imaginem similitudinemque summæ Trinitatis excellentissimè creauit. Quam quidem diuinam imaginem ipsi integram inuiolatamq; in se seruarunt: neque enim vllo peccato in eis vmquam deformata fuit. Et ideò dignitatem, quam animæ sanctæ præ Angelis maiorem in Domino Iesu ex vnione Diuinitatis cum humanitate habent, hanc Angeli splendidiorem præ hominibus ex suâ innocentiâ, inconcussaque stabilitate obtinent: quorum certè præcelsa naturæ dignitas omni humano intellectu multis modis superior est.

2. *Ex officio tamen excubias agũt ad hominũ protectionẽ; & suus cuique homini custos à Deo Angelus datus est.*

Hi præclarissimi filij & amici Dei, ac præcellentes cælestis palatij Principes, ex immodicâ charitate suâ tibi ad seruiendum (Deo ita disponente) subiecti sunt, teque tanto studio & curâ custodiunt, vt nulla mens id plenè capiat.* Neq; enim vlla vmquam mater erga vnicè dilectum filium suum regendum, custodiendum, tuendumque ita vigilauit, vti hi beatissimi spiritus tuæ saluti inuigilant: & præcipuè Angelus proprius, tuæ speciatim custodiæ à Domino deputatus. Nam nocte & die, omni loco & tempore, in cunctis causis & necessitatibus tuis, summâ cum fidelitate tibi adest, & ne ad momentum quidem vmquam à te recedit.

* Custodes Angeli quãto amore & curâ in nos feruntur.

3. *Norunt enim animas esse Deo summè amabiles.*

Sanè, cùm cælestes illi spiritus clarè videant & cognoscant, quàm admirabili, immenso atque ardenti amore & tuus & ipsorum Dominus te prosequatur; hinc etiam & ipsi tantâ te dilectione complectuntur, vt à nullo id dignè queat exprimi. Reuolue, quæso, sępiùs tanta erga te diuini amoris documenta, & à cunctis peccatis ac vitijs, quibus summi Dei amabiliumque Angelorum oculos possis offendere, diligenter abstine. Mirum certè est, te ea quæ suprà sunt dicta scientem, posse vmquam inordinatè contristari, vel pusillanimem fieri ac desperare, aut etiam peccatum vllum sponte admittere.

CAPVT VII.

*De sincerâ dilectione retinendâ erga quoslibet homines. Ex eodem Patre *.*

* Thaulero Tractatu eodem, Caritate 9.

1. Omnes homines sincerâ charitate sunt amandi: portant enim Dei imaginem, & pro illis Christus mortuus est; & B. Virginis Angelorumque sanctorum sunt clientes:

2. Etiamsi sæpè corpore sint deformes, aut magni peccatores.

3. Hinc neminem debes iudicare aut contemnere, sed omnes tibimetipsi præferre, & te infra omnes ponere debes.

4. Correptionem verò fraternam cum mansuetudine exercere oportet.

1. *Ama proximos, quia sunt Dei imagines, & Angelorum pupilli.*

QVI seriò apud se recogitat, quemlibet hominem secundùm animam excellenter creatum esse ad imaginem & similitudinem Dei, eumque ineffabili & immenso amore à Deo diligi, atque vnigenitum Dei Filium pro illo sanguinem fudisse, mortemque subiisse; ipsi item homini sanctissimam Virginem Deiparam datam esse in matrem, & Angelos in custodes: qui, inquam, sedulâ cogitatione apud se ista reuoluit, is neminem nouit contemnere, neminem auersari, neminem odisse: contemplatur enim cunctos homines tamquam creaturas nobilissimas, & tamquam

 fra-

fratres ac sorores eumdem Patrem cælestem secum habentes. Itaque omnes honorat,& sincerè amat: omnibus beneuolum se præbet, & æternam beatitudinem eis exoptat. Omnes iuuare, omnibus benefacere paratus est: quamlibet etiam molesti sint, & diuexent aut lædant. Nulli non exhibet vultum amicabilem & verba dulcia, mixta tamen honestâ maturitate.

2. *Ama etiã formã turpes & peccato sordidos.*

Et licet natura interdum fortè repugnet; vim tamen sibiipsi facit, ad honorem Dei. Considerat & diligit animarum pulchritudinem ac præstantiam, etiamsi corpora deformia sint vel putida. Peccantibus compatitur, & de eorum cæcitate dolet. Odit quidem peccatum, hominem tamen, qui peccatum admisit, amat.

3. *Non oderis aut temerè eos iudices, nec te eis praeponas.*

Sanè qui displicentiam, odium, amarulentiam, auersionem, inuidiam, falsum ac temerarium iudicium contra proximum in se retinet, longissimè abest à verâ charitate. Planè qui hominem odit, perditus est, quia extra charitatem viuit. Vide igitur, ne quemquam odio habeas: vide, ne vitia & defectus aliorũ seueriùs iudices atque exaggeres, bona verò paruipendas; tuis proprijs vitijs interim neglectis. Imò verò iudica teipsum omnium quos orbis habet vilissimum: fratres autem & proximos tuos non secundùm faciem, externámve speciem, sed secundùm occultum Dei iudicium existima optimos. Nam & aliquando fortè erunt Dei gratiâ optimi, qui modò pessimi videntur esse.* Scito, quia quidquid pietatis, dulcedinis, charitatis, gaudij & gratulationis (cuius Deus finis est) erga fratres tuos in te senseris, id omne esse à Spiritu sancto: sicut è diuerso odiũ, amarulentia, auersio, displicentia, detractio, inuidia, contemptus, ac temerarium iudicium, à maligno spiritu trahit originem.

* Amor & beneuolentia erga proximos, à Spiritu sancto est; odiũ & maleuolentia, à spiritu maligno. Hoc examen spirituum obseruandũ est ab effectis contrarijs.

4. *Potest tamẽ suauiter correptio fraterna cum amore adhiberi.*

Quamuis autem interdum alios te corripere, arguere, increpare vel castigare oporteat: in animo tamen veram dilectionem, compassionem, & sublimem de eis existimationem retinere debes, omni furore & immoderatâ irâ exclusis. Nam temperata castigatio plus boni adferre solet, quàm iracunda & turbulenta.* Ea quæ dicta sunt, diligenter notabunt Superiores & Præpositi: qui etiamsi aliquos præ ceteris se dirigere verbis atque operibus ostendant, non tamen hoc facient cum aliorum despectu. Ita sese gerent pro viribus, vt nullus è subditis se contemni sentiat, sed singuli se amari ac benignè tractari iudicent. Si quandoq; necesse fuerit, vt aliquem duriùs asperiusque corripiant, fiat hoc discretè, & sine odio, pro Dei honore ac gloriâ.

* Notent Præpositi.

CAPVT VIII.

*Quomodo quisque gerere se debeat erga Superiores suos. Ex eodem Patre *.*

* Thaulero Tractatu eodem, Cæcitate 10.

1. *Reuerentia atque subiectio erga Prælatos, secura est euadendi tentationes via.*
2. *Quantum displiceat Deo irreuerentia & inobedientia erga Superiores.*
3. *Deus per Prælatos potiùs, quàm per alios destinauit gratiam & profectum subditis dare.*
4. *Illis ergo, quamuis imperfectis, obediendum: quia Deus in illis iubet.*

1. *Reuerentia erga Prælatos, frangit impetus tentationũ, & auget Dei gratiam.*

MAXIME necessariũ est, vt sedulò vites omnem displicentiam, auersionem, inobedientiam, odium, irreuerentiam, detractionem, inuidiam, suspicionesq; sinistras contra Superiores tuos, si modò diuinæ gratiæ influxum tibi prorsus præcludere non vis. O quàm subtiliter feliciterque tentationes ac laqueos satanæ & inordinatas tristitias euadunt, qui per simplicem obedientiam & resignationem sese Superioribus suis (quantumuis etiam malæ vitæ sint) humiliter propter Deum submittunt! Profectò qui id agunt, quique ipsos Superiores amore, reuerentiâ & honore prosequũtur, eximiam benedictionem, gratiam & consolationem à Deo recipiunt: sicut è diuerso, qui illos contemnunt, & eis in rebus licitis obedire recusant, maledictione, afflictione & amaritudine, tam in præsenti quàm in futuro sæculo abundant.

2. *Abominatur Deus inobedientes & obmurmurantes.*

Enimuerò, qui Prælatis suis amarulenter obmurmurat & contradicit, superbeque resistit, diabolus veriùs quàm homo nuncupari potest. Vnde & in veteri Testamento filij Israël numquam (teste beato Augustino) grauiùs offenderunt Deum, neque acriùs puniti sunt, quàm cùm Præpositis suis, officio Dei fungentibus, impiè obstiterunt. Hinc Scriptura diuina ait: *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Dominus item in Euangelio his qui præsunt in Ecclesiâ dicit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* (1. Reg. 15.; Lucæ 10.)

3. *Prælati sunt, per quos Deus in subditos gratiam destinat.*

Certò tibi persuade, ipsum Dominum Deum tuum, suâ æternâ sapientiâ ac bonitate illos Prælatos, quos habes in eo quem aggressus es statu, tibi prædestinasse & prouidisse; ac per eos potiùs, quàm per alios, suam gratiam tibi præstare velle. Nullo modo malitia Prælati tui obesse tibi poterit, si ipse bonus fueris, & peccatis eius te non admiscueris, Deumque simplici intentione quæsieris. Prudenter admodum facies, si, etiam reclamante naturæ sensu, nolueris videre, audire, aut credere quidquam mali de Superiore

riore tuo: confidens eum eximiâ gratiâ Dei vel iam ornatum, vel olim ornandum. Hoc enim est imitari benedictos filios Noë, qui retrò incedentes operuerunt verenda patris sui, nec ea aspicere voluerunt.

Gen. 9.

4. Reuerà Dominus Deus per os Vicarij sui te alloquitur, & tibi voluntatem suam manifestat in omnibus quæ sine peccato fieri possunt. In talibus ergo, siue Prælatus præcipiat, siue vetet, siue arguat, siue consoletur, siue doceat, & moneat, aut quidpiam consulat ex parte Dei, tu illud haud secùs accipias, quàm ab ipso ore & spiritu Dei. Hac ratione integram cordis pacem, & iucundā vitam, securamque mortem obtinere poteris.* Proinde si tibi etiam eximiam contemplandi gratiam in Monasterio habenti demandentur officia, quibus congregationi seruire cogaris in his quæ vtilia sunt, & sine peccato fieri possunt, non pertinaciter reluceris, sed in Deo sperans humiliter amanterque obedi. Et licet, dum te intrò recipere aut orare vis, impedimenta atque imagines ex rebus tibi commissis sentias: non tamen ob hoc desistere, nec tua officia resignare, neque teipsum exonerare debes, sed obtemperabis vsque ad mortem Deo ac Prelato tuo. Cùm à Dei spiritu sint officia, non facilè aliquam conscientiæ reprehensionem patitur is, qui illa conuenienter exequitur, nihilque suum in operibus suis, sed Dei solius gloriam & honorem quærit.

Deo igitur qui in Prælato præcipit, libenter obtemperandum.

* Monachus cōtemplationis & introuersionis amans, non recuset officia externa per sanctam obedientiā à Prælatis imposita.

CAPVT IX.

*Quòd ex sancto nostri odio debeamus iniurias & pœnas illatas exemplo Domini Iesu, humiliter tolerare. Ex D. Alphonso Madriliensi *.*

* Alphonsus Madriliensis 1. Parte Methodi seruiendi Deo cap. 2.

1. Iniuriæ propter Deum libenter sunt tolerandæ:
2. Vnde non meretur nomen Monachi, qui seipsum in sancto sui ipsius odio non exercet;
3. Maxime cùm Christus Dominus ad illud nos verbo & exemplo toties inuitet.

1. QVANDO iniuriæ aut molestiæ ab aliquo nobis contingunt, maximè attenti esse debemus, ne nobis pereat donum aut margaritum adeò pretiosum quod offertur. Libenter ergo & cum gaudio ex sancto nostri odio suscipiamus illas, & propter Deum toleremus, exemplo Christi supremi Præceptoris nostri. Aperiamus quæso oculos, & videamus vtrùm æquum sit, cùm Deus ac Dominus noster, ob peccata nostra, & ad nostram doctrinam tam malè tractatus, tantasque iniurias & persecutiones perpessus fuerit, vt nos, omni pudore abiecto, ipsum deseramus, & non solùm reipsâ non feramus, in eius obsequium, vllam pœnam aut iniuriam, sed nec voluntatem ferendi habeamus, neque hoc meditemur aut desideremus: imò nec velimus, vt de eâ re quisquam nobis loquatur.

Iniuriæ non solùm libenter, sed & cum gaudio propter Deū tolerentur.

Profectò, sicut ridiculum esset, si quis dici & haberi cuperet Theologus, qui nec eo studio occuparetur, nec vel aliquod eius principium nancisci conaretur: ita absurdum est, vt se quis Dei seruum existimet, aut habitet in religiosâ congregatione, (quæ * schola est ad virtutum studiū deputata) qui sanctum hoc odium obtinere non procurat; maxime cùm præsentem semper habeat tam eximium magistrum, qui eum illud doceat. 2.

Monachi enim virtus propria, est sanctum odium sui ipsius.

* Monasteria virtutum scholæ.

Hoc ergo considerent, si qui in Religionis scholis sint negligentiores: sciantque sibi verè non competere Religiosi nomen, nisi studium impendant doctrinæ tam sublimis Doctoris, verbo & exemplo nobis traditæ. Quòd si certè ad hoc studium nihil aliud nos propelleret, quàm vt tam egregium præceptorem Dei omnipotentis Filium ac Dominum nostrum imitaremur, eique similes efficeremur: vel id solum deberet sufficere, vt magno amore ingrederemur itinere, quo tam præcelsus Dominus graditur, cùm certi simus, illum in viâ errare non posse. 3.

Ad hoc enim inuitat eos Christi Doctoris verbum, & exemplum.

CAPVT X.

Quòd ob id potissimùm nosipsos sancto odio prosequi debeamus, vt euacuati nostri amore, impleamur amore Dei. Ex eodem D. Alphonso.*

* Madrilius ibidem.

1. Sanctum odium nostri locum preparat sublimi amori Dei.
2. Quod si nos ipsos sponte ex sancto odio non mortificamus, saltem aliunde illatam mortificationem libenter toleremus;
3. Nec solùm libenter, verùm etiam gaudenter & exultanter.
4. Quàm felix, qui hoc sancto odio seipsum persequitur.

OB id potissimùm nos odio habere debemus, vt anima nostra, euacuata nostri amore, impleatur amore Dei. Nihil enim adeò ritè perfici potest, quàm vt oderimus omnia nostra sensualia desideria, atque ita in nostrâ voluntate regnet sublimis voluntas Dei, siue ipse Deus. Et hæc est summa sublimitas quam hic habere possumus. Itaque ob Dei reuerentiā obtestor, & ob infinitum illius desideriū, quo ex suâ bonitate expetit nostri sublimationem, itemque ob naturale desideriū, quo vniuersi summum bonū appetimus, vt sanctè nosipsos odio habeamus. 1.

Amor Dei succedit odio nostri.

 Quia

Quia verò animi nostri tepor nõ admittit, vt carnem nostrã durè tractemus, cupiamus saltem, & volũtate acceptemus vilipensionẽ & persecutionẽ quæ nobis ab alijs infertur. Neque enim aliud est persecutio, quã officina aut malleus, quo tollitur à nobis rubigo siue scoria animæ nostræ: aut est scalpellus, vel cauterium animę infixum, quo ab eâ aufertur proprij amoris venenũ, quo exulcerati sumus, & ab omni bono abstracti: vt ablatâ huiusmodi exulceratione, operari possimus summum Dei opus, quod est amor ipsius.

2. Si tu teipsũ non mortificas, permitte vel ab alijs te mortificari.

Summè igitur exultemus, dum ab alijs malè tractamur, iniurijsque aut calumnijs afficimur, & magno ad Deum atque etiam ad persecutorem nostrum amore exclamemus: Vnde hoc mihi, vt in terrâ habeam, qui à me ita auferat animæ meæ vlcerationem aut infectionem, sitque mihi occasio, vt summis apud Deum opibus diter? Si maximæ felicitatis esse putatur, incidisse in chirurgum qui corporis nostri curet vulnera (licet id non faciat sine acerbis punctionibus, medullam ipsius animæ grauissimè cruciantibus) certum est, longè felicius esse, incidisse in eius societatem, qui præter rationem malè nos excipiat. Nam si hoc * voluntariè amplectimur, à mortifero proprij nostri amoris veneno sani reddimur.

3. Imò de occasione ab alijs oblatâ deberes exultare.

* Volũtaria admissio persecutionis, vel tribulationis aliunde illatæ, optimũ est pro veneno proprij amoris antidotum.

O beatũ illum, qui, dum se in huiusce persecutionis conflictu positũ videt, amaros illius haustus deuorat, quo hunc amorem Dei assequi aut possidere valeat! O longè felicissimum eum, qui diuturno exercitio adeò directus est in magnitudinẽ huius suauissimi odij, vt quamuis ob naturalẽ inclinationem magnam secum adferat pœnam talis persecutio, ardens tamen desiderium crescendi in amore Dei, illud in tantam conuertit dulcedinem, quantam secũ adferre solet id quod magno desiderio longè antè concupiuimus.

4. Feliciter amat se, qui hoc sancto odio seipsum persequitur.

CAPVT XI.

Quòd à nobis maximè exigat Deus, vt libero, patienti, resignatoque animo aduersa ferre discamus. Ex D. Io. Rusbrochio *.

* Ioannes Rusbrochius lib. de Præcip. virtutib. c. 5.

1. *Afflictio nobis illata ab hominibus, patienter est pro Deo toleranda:*
2. *Sicut etiam internum flagellum ab ipso Deo nobis per desolationes inflictum.*
3. *Abscondamus nosipsos in Dei beneplacito, vt non nos, sed illud semper intueamur.*
4. *Afflictio in Dei amore condita, suauiter sapit animæ deuotæ, & vsque ad delicias.*
5. *Humilis resignatio, verissima est deuotio.*

1. Toleranda est, Dei causâ, afflictio quam homines inferunt.

Devs à nobis præcipuè hoc exigit, quòd Christus vitâ doctrinaque suâ in nobis efficere voluit: nempe, vt nihil nos neque læta neque tristia permoueant, & libero resignatoque atque immobili ferre discamus animo, si ab alijs fallaces ac seductores vocemur, seu alia quælibet verborum in nos congerantur iacula & iniuriæ: si prætereà non verbis tantùm, sed operibus quoque infestemur: si non solùm temporalia, quibus carere non possumus, nobis denegentur, sed ipsis quoque corporibus nostris iniuria inferatur & læsio; aut alia quædam nobis irrogentur, quæ eisdem corporibus nostris molestiam possint adducere: si item omnes actus nostros meliori quo possumus modo perficiamus, & ipsos nihilominùs alij quam pessimè interpretentur.

2. Multò magis internum flagellum à Deo inflictũ.

Insuper, vt non solùm hæc ab hominibus feramus æquanimiter, sed ipsa quoque Domini flagella patienter toleremus, si nobis præsentiæ suæ consolationem subtrahat, adeoque se à nobis elonget, ac si inter ipsum & nos murus latissimus esset interpositus: si etiam in labore & angustijs nostris, pro consolatione & ope ad ipsum venientibus, talem se nobis exhibeat, velut si oculos ad nostrum occluderet occursum, * neque videre neque audire nos volens, solosque nos in afflictionibus ac miseriis nostris certare sineret, sicut & ipse à Patre suo relictus fuit. In his omnibus fateri debemus, nos grauiora commeritos esse.

* Hinc in sacrâ Scripturâ frequẽtissimus est mos inuocandi oculos & aures Dei in tribulatione & desolatione; vt velit videre & audire tribulatos ac desolatos; planè quasi Deus instar cæci aut surdi nostras miserias nec videret nec audiret.

Debemus item nos in Deo abscondere, vt in ipsâ nostrâ desolatione immobiles permanentes, in nullâ mortali creaturâ vel negotio solatium inordinatè quæramus, sed in illo dumtaxat verbo nosipsos consolemur, quod & Christus ipse dicebat, *Fiat voluntas tua.* Quæ quidem verba & iucundissima, & Deo gratissima sunt: & quisquis ea dicere potest ex sententiâ, is nec turbari, nec inordinato mœrore affici poterit, sed in præcipuâ sui resignatione maximum gustum pacemque præcipuam experietur.

3. Dei enim solius beneplacitum intueri debemus, & in eo nos abscondere. Lucæ 22.

Prorsus ei qui se Deo perfectè resignauit, afflictio dulcis est: quia in Deo (per quem illa ipsi euenit) * conditur, & diuina fit ac Deiformis. * Cùm talis nihil quærat, nihil diligat, nec quidquam illi sapiat nisi Deus, ita hunc in amaris atque contrarijs capit, sicut in summâ dulcedine. Neque enim fieri potest, vt aliquis pro Dei gloriâ quidquam sustineat, quin in eo saporem quemdam Diuinitatis percipiat. Et licet fortassis nihil illi sentire, id est, gustare contingat sensibiliter, Deo se ad tempus occultante; hoc ipso tamen id quod patitur, non potest illi non benè sapere, qui se hoc ad æternam Dei gloriam ferre velle cognoscit: nam Deo purum impendere honorem, diuino sapore carere non potest.

4. Dulciter ei sapiet tribulatio, qui eam in Dei voluntate intingit.

* Quomodo fit vt dulcescat omne amarum animæ semet resignanti inter afflictiones in voluntatẽ Dei ad eius gloriam. O suauis sapor in illo diuino condimẽto!

* Vide eadẽ verba apud Thaulerum Instit. c. 18.

* Verissi-

5. *Vera deuotio in verâ resignatione consistit.* * Hanc auream sententiam, & pro eâ S. Chrysostomum & S. Bernardum citat R. P. Ieremias Drexelius lib. Heliotropij 5. c. 12. §. 2. * Rusbrochius eodē cap. 5. & Thaulerus Instit. c. 15.

* Verissima ergo deuotio in verissimâ humillimaque sui resignatione & abnegatione sita est: quando videlicet homo non solùm in abundantiâ & gaudio, sed etiam in penuriâ ac mœrore, & alijs quibuscumque casibus ac rerum euentibus verâ cum pace Deo vnitus permanet.

CAPVT XII.

Rursum de patientiâ in omni aduersitate seruandâ, & de eius fructu. Ex eodem Rusbrochio cum Thaulero.*

1. *Minima molestia pro Deo patienter tolerata, maximum habet meritum & præmium.*

2. *Patientes & resignatos ob amorem & exemplum Christi, nihil aduersum perturbare potest.*

3. *Patiens rerum temporalium amissio pro Deo, instar maximæ eleëmosynæ meritum habet.*

4. *Passio Christi non solùm animare nos debet ad patiendum pro ipso, verùm etiam inflammare.*

1. *Magnum est meritum exigua molestia pro Deo tolerata.*

NIHIL vmquam, quantumuis paruum, pro Dei honore patimur, quin nobis longè sit vtilius, quàm si totius mūdi dominio potiremur. Quamlibet enim exiguum sit quod ad Dei perpetimur gloriam, pro illo tamen non minùs nobis Deus retribuet restituetque, quàm seipsum. * Sanè, quando consideramus tribulationes & afflictiones Sanctorum, ac maximè Passionem Domini nostri Iesu Christi, omnis solatij expertem, mortemque ignominiosissimam, & durissimum cruciatum, qualem nemo vmquam expertus est, attentè perspicientes, quæ & quanta Maiestas illa in humanâ naturâ pro nobis perpessa sit: mirum est, si vel grauissima quæque tormenta pro illius amore pati recusamus. Ipse non vult nos gratis & absque fructu aliqua perpeti. Si enim pro honore ipsius quidpiam sustinemus, non solùm copiosum nobis pro aduersitatum tolerantiâ parabit præmium, sed omnem quoque suæ Passionis fructum nobis largietur.

* Christi passiones, & Sanctorum leues nobis facere debent omnes afflictiones.

2. *Nihil perturbare potest animū verè patientem & resignatum.*

Cùm igitur Christus Iesus fidelissimus amator noster seipsum ita funditus abnegarit, & non tantùm patienter, sed & gaudēter pro Patris sui gloriâ & salute nostrâ passus sit, ideò & nos de manu illius ad honorem ipsius, quidquid nobis siue ab ipso siue ab hominibus possit accidere, patienter accipere debemus. Si enim verè patientes & resignati fuerimus, nihil nos neque rerū temporalium amissio, neque propinquorum, charorum vel affinium obitus, neque infirmitas, neque ignominia, neque mors, neque vita, neque Purgatorium, neque dæmon, * neque infernus ipse perturbare, aut inordinatè contristare poterit: eò quòd nosipsos ex vero amore diuinæ resignauerimus ac subiecerimus voluntati & beneplacito.

* Hæ sunt formulæ familiares, ad ostendendam omnimodā resignationem, apud mysticæ Theologiæ studiosos; quæ suo loco illustrantur ex Paulo ad Rom. 8.

3. *Eleëmosynæ loco est patientia in temporaliū iacturâ, si adsit plena resignatio in voluntatem Dei.* Iob 1.

Et profectò, qui Deo permittente agros, facultates, domosq; suas perdidit, † si exemplo beati Iob hanc rerum iacturam humili resignatoque animo de manu Dei accipit, & ei gratias agit, eumque laudat qui prohibere potuit, & non prohibuit; tantam ab ipso Domino mercedem recipiet (vt quidam Sanctorum ait) quantam reciperet, si omnia illa quæ perdidit, egenis ac pauperibus propter Deum erogasset.

4. *Ad hanc patientiam inflammare nos debet Christi Passio.* Lucæ 22.

Attendamus, oro, diligentiùs, qualiter Dominus noster Iesus Christus cum sceleratis deputatus fuit, & nec vnam quidem sanguinis guttulam in corpore suo seruauit, nec quidquam in ipso non lacerum atque discerptum extitit. Perpendamus præterea, quisnam ipse sit, quodque omnem acerbissimam Passionem suam ex amore purissimo sustinuit, pro illis etiam peccatis quæ ipsius tortores in eum commiserant, quos ipse de nihilo ad magnam fecerat gloriā. Consideremus insuper, quàm amantèr verâ cum fidelitate ad hostes suos, qui mortem ipsi inferebant, conuersus sit, brachia sua ad suscipiendum illos extendens, caput ad osculandum inclinans, cor (quò in ipso habitare possent) aperiens, multaque alia dilectionis signa præferens. Attentè, inquam, ista consideremus: vt ex eis roboremur, animemur, & inflammemur ad patientiam seruandam in rebus aduersis.

† Humilis in Dei voluntatem resignatio violentè amittentis res suas, nobilior actus est, quàm nuda misericordia dantis eleëmosynam, & sponte res suas erogantis: quamuis illud necessitatis esse dicatur, hoc voluntatis. Facit enim, vt aiunt, resignatio præclaram de necessitate virtutem.

CAPVT XIII.

Vt sese in omnibus habeat is, qui verè humilis est. Ex Rusbrochio.*

* Rusbrochius lib. de Præcip. virt. c. 1. 2. 3. 4. & in Summa vitæ spir. & in Regno amant. Deū c. 14.

1. *Præcipuus actus humilitatis est, agnitio propriæ indignitatis, comparatione diuinæ bonitatis.*

2. *Inde consequitur abnegatio sui ipsius, & subiectio ad omnem creaturam, maximè ad Prælatos.*

3. *Ideoque omnia sua bona Deo adscribit, nihil sibi, præter defectus & peccata.*

4. *Omnem molestiam de manu Dei accipit, & peccatis suis debitam imputat.*

5. *Vilissimis & abiectissimis ministerijs contentus est.*

6. *Amat ab omnibus contemni.*

7. *Humilitatis compendium ex iam dictis.*

8. *Humilitas animam reddit aptissimam diuinis influentijs recipiendis.*

9. *Crebri lapsus non debent impedire perseuerantiam in bono, nec fiduciam in Deo.*

1. *Qui meditatur Dei bonitatem & beneficia, suam vilitatem & delicta, euadet verè humilis, & practicè.*

HOMO verè humilis, dum lumine diuinæ gratiæ illustratus, considerat quàm magnus sit Deus, quàm excelsus, quàm nobilis,

bilis, quàm sanctus, quàm gloriosus, quàm ardenter se dilexerit ac diligat, quid pro se fecerit, quanta beneficia in se contulerit, & quàm fidelis sibi semper fuerit; ipse verò è diuerso quàm sit res parua, & quàm ingratus atque infidelis Deo suo fuerit: dum, inquam, hæc ritè considerat, funditus agnoscit indignitatem ac vilitatem propriam, suumque nihilum, id est, quòd ipse ex se nihil sit. Agnoscit, vt innumeris & grauibus peccatis suis fidelissimum ac immensum Dominum Deum suum offenderit, ac se dignum & obnoxium fecerit cunctis pœnis atque afflictionibus, quæ possint ei à Deo & creaturis omnibus infligi. Indignum se fatetur quem terra ferat, atque intra omnes homines se demittit ac deprimit.

2. *Exerceat etiam practicè se, vt se abneget, & alijs omnibus submittat.* Paratissimus est propter Deum abiecta seruitia exsequi, & non solùm Superioribus, verùm etiam æqualibus atque inferioribus secundùm Deum obedire. Habet enim animum submissum & flexibilem, voluntatemque promptam ad omne bonum. Vnde & quando Prælatus aliquid imperat quod non sit contra Deum, ipse mox, relictâ & abnegatâ propriâ volútate, libenter facit quod ei iniunctum est.* In eo non morantur, *Volo & Nolo, Sic vel sic, Hoc atque illud*: nam seipsum purè in omnibus* exire studet. Magis semper propensus est ad faciendum ea quæ sibi præcipiuntur, quàm quæ suâ suscepit voluntate: *sentiens, paruum obedientiæ opus dilecto Domino Deo suo magis placere, quàm placeat etiam magnum ex propriâ voluntate susceptum atque peractum. Ob idque si ex seipso aliquod bonum opus inchoauit, citra difficultatem ipsum intermittit, dum ei aliud imperatur: plus enim ei obedientia in paruo, quàm proprietas in magno opere sapit. Igitur nihil, quamlibet magnum, cum tali proprietate possidet, quin illud, Deo vel hominibus aliud exigentibus, hilariter dimittere possit. Obedit simpliciter & purè pro Dei honore & gloriâ, non autem vt placeat hominibus, aut lucrum aliquod priuatum percipiat.

* Nota benè: *Volo & Nolo* non sunt in humilitate.
* *aliàs*, exuere
* Exiguum obedientiæ opus præfertur operibus propriæ voluntatis, quantumuis magnis.

3. *Nullum bonum sibi, sed omnia Deo adscribit humilis: & de solâ Dei bonitate erga se gloriatur.* Nihil boni sibi adscribit: sciens se nec habere, nec posse quidquam sine auxilio gratiæ Dei. Quidquid donorum & charismatum adeptus fuerit, totum refundit in Deum, & id nullâ ex parte se meruisse confitetur. Seipsum & omnia bona Deo omnipotenti ad illius offert honorem, vtpote quæ purè ex eius benignissimâ misericordiâ promanarunt. Nec ex aliquo Dei dono vel gratiâ animo effertur, siue sit scientia, siue sapientia, fortitudo, pulchritudo, diuitiæ, aut quiduis aliud: sed se omnibus Dei donis iudicat indignum; eaque non nisi ex merâ Dei bonitate sibi collata existimat.

4. *Aduersa suscipit de manu Dei, & suis peccatis deberi fatetur.* Si in seruitio Dei grauamen aliquod sentit, & gustu spirituali destituitur, humiliter id de manibus Domini accipit: credens Deum hoc permittere salutis suæ causâ, & sinens eum secum agere quidquid vult* in tempore atque æternitate. Mala quæ toto orbe committuntur & eueniunt, suis peccatis suæque negligenti vitæ imputat.

* Offert se Deo verè resignatus ad omnia quæ Deus de ipso ex infinitâ suâ bonitate statuet tam in futuro sæculo quàm in præsenti.

Omni loco, quem vel sedendo, vel stando, vel iacendo occupat, semper indignum se fatetur. Nihil enim omnino sibi tribuit, nisi quod ex seipso habet, nempe peccata, & multiplices culpas ac defectus suos. Et licet multum se abijciat ac humiliet, tamen nihil aut parum sibi fecisse videtur. Locum vilissimum in domo, ac nouissimum in mensâ amat. Et breuiter, in omnibus quæ ipsi necessaria sunt, abiectissimam portionem sibi optat cedere: quodque vel alijs mansit reliquum, vel ab alijs fastiditur, ipse lætus suscipit, atque illo ipso se indignum iudicat, & nec meruisse, nec mereri illud à Deo se posse sentit ex animo. 5. *Abiectis & vilibus munijs propter Deum delectatur, cum piâ praxi humiliantis se in omnibus.*

6. *Quin & ab alijs vilem se & abiectum haberi desiderat.* Et quia sese verè contemnit ac nihili pendit, non ægrè fert quando ab alijs contemnitur. Non vult patiens & humilis videri, sed vilis: lætaturque cùm despicitur, dolet verò dum honoratur. Non se, sed Deum (cuius est omne bonum) laudari appetit. In omnibus absque querimoniâ viuit. Nouit enim de manibus Dei suscipere omnia: sicque de nullâ creaturâ queritur, quantumuis ab alijs indignè aut iniuriosè tractetur. Eorum & toruos vultus & verba aspera sedato animo perfert. Etiamsi ipsum expellerent, cæderent, confoderent, aut etiam morte afficerent, numquam crederet sibi iniuriam irrogari, nec quidquam cuiquam vel inde vel de qualibet aliâ re imputaret. Considerat namque quanta sit malignitas diaboli tentatoris instigatorisque, & cuncta (vt dictum est) de manibus Domini accipit, certus, quæcúque illo permittente ipsi euenerint, ea & optima & vtilissima sibi esse. Nihil enim cuiquam prêstat Deus, nisi quod ei optimum sit: quod ita certum est, sicut certū est Deum viuere.

7. *Humilitatis breue compendiū.* Iam qui virtutem hanc humilitatis perfectè obtinere concupiscit, consideret Dei magnitudinem, & erga se fidelitatem: suamque paruitatem, & erga Deum infidelitatem: attendat sedulò humilitatem ac mansuetudinem cælestis Regis Iesu Christi Domini nostri, & ex sancto sui odio seipsum abnegare contendat: discat denique verè & sincere amare Deum. Nam quantum in nobis augescit charitas erga Deum, tantum & nostri crescit vilipensio, atque per amorem Dei perspicuè intelligimus, quàm iniustè nosip-

nosipsos amauerimus. Ipsissima autem humilitas est, interna quędam & profunda cordis coram celsissimâ Dei maiestate inclinatio atque demissio.

8. *Anima diuinis influentijs aptatur per humilitatẽ.*

Sane, amorosa consideratio magnitudinis Dei & fidelitatis eius erga nos, nostræ item prauitatis, & erga illũ infidelitatis, vtilis admodum est & iucunda. Dum enim bonus homo, diuinam celsitudinem attendens, in valle humilitatis residet, agnoscitque se nec esse, nec habere, nec posse quidquã ex seipso, & quòd suis viribus neque progredi neque perseuerare queat in virtutibus, in quibus etiam se multipliciter deficere, ac plurima negligere, variasq; culpas in Deũ admittere sentit: tum Christus Sol iustitiæ, in supremo cæli vertice ad dexteram Patris constitutus, radios gratiæ suæ in cor huiusmodi humilis hominis tamquã in vallem depressam immittit, & illud fertile ac sibi gratum reddit. Neque enim benignus Iesus potest non moueri misericordiâ, quoties cum humilitate pias ipsi querimonias & preces offerimus.

9. *Non est à bono desistendum propter frequentes lapsus, sed ab ijs ad Dei misericordiam cum fiduciâ resurgendum.*

Porrò, nullus animum despondere debet, propterea quòd infirmus sit, & seipsum satis abnegare nequeat. Quantò minus sentit se humilem & resignatum, tantò magis inde se humiliet & abiiciat. Faciat quod in se est, & Deus illi aderit, eumque habebit pro charo filio suo. Nullus etiam propter crebros lapsus suos spem salutis abijciat: sed postquam lapsus est, mox resurgat, & humiliter reuertatur ad benignissimum Dominum Deum nostrum, atque in eius immensâ misericordiâ confidat.

CAPVT XIV.

Benignitas Dei erga verè pœnitentes; & de sanctâ in Deum confidentiâ; deque præclarâ humilitatis causâ. Ex eodem.*

* Rusbrochio lib. de Præcip. virtutib. c. 10. 11. Vide etiã Thauler. Institut. c. 20. & alibi.

1. *Benignitas Dei erga peccatores conuersos.*
2. *Ad veram pœnitentiam internam consequuntur opera externa satisfactoria.*
3. *Deus promptissimè indulget verè ex animo pœnitentibus.*
4. *Vera & humilis fiducia maximus thesaurus.*
5. *Deus in humilibus reformat id, quod peccatum destruxit.*
6. *Maiorem se humiliandi causam habet iustus, quàm peccator.*

1. *Mira Dei indulgentia erga pœnitentes.*

CVM peccator quisque à vitijs resurgens, & ab eis sese integrè cum magnâ sui displicentiâ atque aspernatione auertens, Deo perpetuò seruire, eique soli viuere & eum amare statuit; adeò se illi benignam exhibet illa æterna ac immensa Bonitas, ac si numquam in peccata corruisset. † Omnes enim culpas ei perfectè remittit, nec vmquã illi eas imputabit, etiamsi tot essent, quot omnes simul homines commiserunt: si tamen perfectè doleat, ex amore, & purè ad gloriã Dei, atque ideò potissimùm suæ illi iniquitates displiceant, quòd eas Deo displicere intelligit. Feruẽtissima quippe charitas illa, ex quâ dolor iste promanat, omnem peccati absumit rubiginem: modò sit satis magna, ex omnibus (vt decet ac oportet) viribus procedens. Quamlibet autem parua sit contritio, purè Dei intuitu concepta, Deo tamen multò gratior est, quàm sit omnis dolor, quem propter seipsos vel iacturam suam omnes simul homines habuêre.

† Hæc tanta vis & efficacia veræ & omnibus conditionibus requisitis instructæ contritionis ad delendum penitus peccata omnia, quantumuis grauia & enormia, traditur à Scholasticis Doctoribus apud D. Thomã 3. p. q. 86. art. 1. & Catechismus Romanus ex decreto Tridentino per Pium V. editus parte 2. cap. 5. n. 30. cùm fusè id docuisset, concludit in hæc verba: *Ex quo licet cognoscere, vera contritionis, de quâ suprà dictum est, eam vim esse, vt illius beneficio omnium delictorum veniam statim à Domino impetremus.*

2. *Vera pœnitentia interna, in opera externa satisfactionis erumpit.*

Sui displicẽtia, & seria voluntas numquam peccandi, veraque erga Deum confidentia & amor, vera pœnitentia est. Hinc autem externa pœnitentiæ opera proficiscuntur, vt sunt eleẽmosynarum largitiones, ieiunia, orationes, aliaque huiusmodi pia opera satisfactoria, quæ tantò magis sunt grata Deo, quantò maiori cum charitate coniuncta, & puriùs ad Dei honorem facta fuerint.

3. *Deus ad veniam paratissimus est, etiam dolentibus, inferiore modo quàm cõtritionis: maximè accedente Sacramento Confessionis auricularis.*

Etiamsi vnus aliquis tam esset paratus & aptus veniam à Deo consequi, quàm omnes vmquam mortales fuerunt aut esse possunt; attamen infinitò paratior est Deus veniam dare peccatis nostris, si verè nos peccasse pœniteat. Quòd si non satis dolemus, saltem velimus ex animo nos plus dolere, idque magis ob honorem Dei, quàm propter damnum nostrum. Desideremus ad gloriam Dei habere tam diuinam contritionem, quàm vmquam aliquis habuit: & pro dolore, quem in nobis nimis exiguum esse iudicamus, offeramus Deo omnem sanctam contritionem omnium electorum eius. Accusemus etiam nos humiliter in confessione coram Sacerdote, prouoluti pedibus Domini Iesu: & ita firmâ cum fiduciâ speremus veniam nos à Deo impetraturos. Tanta enim est Domini misericordia, vt dum quispiam peccator cum contritione & amore sese ad Deum conuertit, cuncta eius peccata in immensę benignitatis Dei abysso citiùs absorbeantur, quàm possit oculus aperiri & claudi.

4. *Magnus thesaurus vera & humilis fiducia, peccatoris sese ad Deum conuertentis.*

Nulla omnino malitia potest vel minimum diuinæ bonitatis præponderare punctum, si modò ex verâ charitate quis possit eidem diuinæ bonitati confidere. Quæ profectò vera fiducia, vel confidentia, & amor

erga Deum, thesaurus est longè præclarissimus, quo quidquid desideramus, aut possumus appetere, adeoque ipsa bona sempiterna, mercari valemus. Non enim potest sese continere Deus, quin his, in quibus thesaurus ille inest, præstet quidquid rectè velint: vtpote qui in eo sauciatus est latere, vbi se tueri non potest. Ipse Deus reparator & instaurator est eorum omnium, quæ in nobis peccando destruximus. Itaque agendo pœnitentiam, dedamus nos totos illi, sinamusque eum agere nobiscum quidquid volet: submittamus nos liberè, nedum sub iustitiam eius, sed etiam sub peccatores omnes odio nos habentes, contemnẽtes, persequentes, diuexantes, lædentes, ita vt omnia aduersa nobis ab eis illata, & quælibet incommoda atque grauamina tacitè ac patienter perferamus ad gloriam Dei, & in remissionem peccatorum nostrorum.

5. *Restaurat Deus in humilibus, quidquid peccatores perdidimus, si in eius bonitate confidimus.*

Si hoc fecerimus, ipse Dominus Deus proculdubiò restaurabit ac reformabit in nobis quæ nos perdidimus. Destruimus autem per peccata nos totos, puta cor, sensus, vires, corpus & animam. Nihil ergo melius, quàm vt in ipsum confugiamus, vtpote in quo nullus est defectus, & bona omnia abundant, quique nos longè ampliùs amat, quàm ipsi nos: atque etiam tum nos dilexit, cùm ipsi malè odio haberemus, ac perderemus nos. Et quia amare nos non destitit, etiam cùm ei per inobedientiam essemus contrarij; multò magis fidere iam licet, eum nos vtique amaturum, nobisque auxilio futurum, & necessaria cuncta præstiturum, quando eum amare, eique obedire volumus. Hic pius ac fidelissimus Dominus, etiam peccata quæ commisimus, per bonitatem suam ad nostros vsus vtilitatemque nostram inflexit: nam illa nos ad pœnitentiam adduxerunt, & humilitatis ac deiectionis nobis præbuerunt causam.

6. *Causa maior humiliandi se est in Virgine Mariâ ab omni peccato præseruatâ, quam in Magdalenâ toties lapsâ & curatâ.*

Est autem & alia præclarior humilitatis causa, quam ignorare non debemus. Intemerata namque Dei Genitrix virgo Maria, cùm ab omni peccato sit à Deo præseruata, maiorem se humiliandi causam habet quàm beata Maria Magdalena, quæ diuinâ bonitate à peccatis liberata fuit. Maius enim beneficium est, a vulneribus permanere illæsum, quàm ab inflictis vulneribus sanari: itemque præclarius est, & maiori dignum gratiarum actione, præseruari à peccatis, quàm de admissis consequi veniam.

CAPVT XV.

*Quòd tria quædam obseruare debeat is, qui Deo placere, veramque pacem obtinere cupit: vbi etiam subijciuntur plures optimæ institutiones. Ex pio quodam Scriptore *.*

* Ioanne Rusbroch. de Quatuor subtil. tentat. & quædam ex Thaulero Serm. 1. Quadrag.

1. Tria spiritualibus viris obseruanda: Humilitas, Pura intentio, Fuga multiplicitatis nimiæque sollicitudinis.
2. Corpori necessaria discretè subministranda.
3. Morum verborumque grauitas.
4. Extrouersio diligenter cauenda.
5. Et omnis amor ineptus.
6. Recreationes assumantur moderatè.
7. Deo placendum, non hominibus.
8. Munditia affectuum, cogitationum & sensuum.
9. Sincera veracitas, sine hypocrisi.
10. Humilis obedientia.
11. Benè de alijs opinari, nullius defectus iudicare, sed excusare potiùs aut extenuare, laudabile est.
12. Mutuus congressus cum benignitate, sine contentiositate.
13. Priuata & nimia familiaritas protinus recusanda, vt purâ intentione inhæreamus Deo.

QVISQVIS Deo placere, veramque pacem in hac vitâ obtinere cupit, sedulò obseruare studeat hæc tria quæ sequuntur. 1. *Tria in vitâ spirituali necessaria:* Primum est, vt in oculis suis, & in intellectu suo sit paruus & nihil, idque agnoscat non verbis tantùm, sed in veritate absque commento aliquo: atque ita ne pilum quidem de donis Dei sibi vsurpet vel attribuat. *1. Humilitas.* Secundum est, vt Deum Deique honorem purè intendat, & eius voluntati voluntatem suam plenè subijciat atque conformet in omnibus. *2. Intentio pura.* Tertium est, vt ijs, quæ sibi commissa non sunt, leuiter se non ingerat, & vanas inordinatasque curas abijciat. *3. Simplicitas operationum.* Ea quæ bona sunt, sinat esse bona: mala verò non iudicet, sed Deo iudicanda relinquat. Illa item quibus remedium adhibere non potest, Deo committat, & ad ipsum in omnibus confugiat, eumque humiliter oret.

2. *Quomodo seruiet corporis necessitatibus.* Vtile etiam admodum fuerit, vt diligenter notet institutiones quæ hîc subijciũtur. Caueat tyro spiritualis in percipiendo cibo, potu, & quibuslibet corpori necessarijs, ne secundùm carnis desideria & naturæ propensiones viuat, expetendo & aucupando in illis delectationem ac voluptatem terrenam.

3. *Mores & sermo.* Sit in verbis ac moribus prudens, circumspectus atque honestè compositus, malitque auscultare & vacare silentio, quàm loqui.

4. *Extrouersio vitanda, ob damna.* Sanè si libenter & cum affectu foras se effundit ac fabulatur, rumusculosque mundanos percipit, si sensuũ oblectamentis omnino deditus est, non poterit intus illuminari, nec

nec vllum in veris virtutibus profectum facere, sed indies magis ac magis obtenebrabitur, rudiorque & crassior efficietur.

5. *Amor infamiliaritatibus ineptis.* Non imitetur vanos quosdam homines, qui sibi inuicem stultè placere quærunt, inepteque mutuum amorem prouocant per gestus, risum, munuscula, literas ac nuntios, curiositatemque amant in vestium præstanti colore, ac lasciuâ specie, & aliarum rerum inutili superfluaque multiplicitate.

6. *Recreationes honestæ.* Potest ipse in releuamen laborum discretè ad honorem Dei capere honestas recreationes & solatia externa: sed in his cautus sit, ne vnde iuuari deberet, inde detrimentum damnumque suscipiat.

7. *Soli Deo placeat & placere studeat, non sibi, nō alijs.* Non appetat placere alicui homini ob naturalem corporis membrorumque pulchritudinem, neque ob scientiam aliquam, neque gestibus ac motibus ad sui amorem illicientibus, neque elegantibus aut subtilibus verbis, neque spirituali quadā specie sanctitatis, neque alijs quibuslibet modis. Si enim in his sibiipsi placet, & alijs voluntariè placere cupit ampliùs quàm Deo, planè falsus & deceptus est, cùm hoc sit superbiæ fundus impurissimus, vnde grauia peccata emergunt. Igitur vbi aliquid eiusmodi in se deprehendit, mox illud contemnat & odio habeat, neque vmquam prauæ propensioni suæ sciens ac volens morem gerat. Quòd si ex infirmitate nonnumquam contingat eum consentire, humili dignaque pœnitentiâ culpam diluere non negligat.

8. *Mundicordia. & quid agendum quando diabolus nos aggreditur per imaginationes peccaminosas.* Sit affectu & cogitatione innocens ac mundus. Dum indecētes vel obscœnæ imagines cordi eius incidunt, statim auertat se ab illis, & eas detestetur. † Enimuerò licet hostis tartareus ei ostentet merces suas, non manebunt ipsi, nisi eas cum amore voluntatisque consensu comparauerit. Itidem si inter dormiendum, quando ratio ligata est, passus fuerit carnale aliquod somnium, vel pollutionem, id animæ eius non oberit, nisi ipsi euigilanti, & ratione ac voluntate liberè vtenti, placeat.

† Doctores Casuū conscientiæ, verbo Delectatio morosa, & verbo Pollutio, & alibi, tradunt hanc sententiam, ad magnum solatium piarum animarum, quibus omnes diaboli illusiones & motus primò primi nimis anxiâ conscientiâ videntur esse grauia peccata, cùm non satis aduertant ad magnum discrimen quod est inter tres peccandi gradus, nempe suggestionem, delectationem, & consensum.

9. *Hypocrisis fugienda.* In dictis & factis, in agendo & omittēdo sit iustus, verax, sincerus, ac minimè fictus coram æternâ Veritate cęlestis Patris Filio, qui nullū agnoscit, nullum admittit in Regnum suū, nisi simplicē, & ab omni vitiosâ simulatione, fuco, hypocrisi, dolo ac fraude alienū.

10. *Humilis obedientia, ob amorem & exemplū Domini Iesu.* Si humilia vel infima seruitia atque officia ei demandata fuerint, libenter illa exequatur amore Domini sui Iesu Christi, qui se propter ipsum humiliauit, ac formam serui induit, ipsiq; triginta tribus annis inseruiuit. Profectò si ipse Imperatoris filius, totiusque orbis dominus esset, ac derelictâ Regni gloriâ, ad pauperis famuli conditionem se propter Deū abiiceret, seruiēs Christo in membris suis; tunc meritò gauderet, tamquā cui ingens bonum & grandis honor obtigisset.

11. *Fraterna dilectio neminem iudicans.* Patienter sustineat aliena onera & defectus, nec alios curiosè obseruare amet, & vitium detractionis exhorreat. Facta aliorum facilè non iudicet, etiamsi quidpiam vitij in eis deprehendere sibi videatur: sed potiùs excusare ac in melius interpretari conetur. * Quòd si factum excusare non possit, saltem intentionem eius qui fecit quoad poterit excuset. Si nec id potest, cogitet eum inscientem, aut ex infirmitate illud fecisse. Quòd si nullâ ratione vel excusare, velquidpiam prætexere queat, nihilominùs relinquat Deo iudicandum: persuadeat autem sibi, eum grauiter à dæmone impugnatum fuisse, & se multò peiùs fortassis fuisse acturum, si tam acriter fuisset impugnatus: agatque gratias Deo, quòd à tam periculosâ & infestâ tentatione sit seruatus, atque cum ingenti commiseratione precetur Deum pro illo. Putet Deum permisisse eum cadere salutis ipsius causâ, quodque culpa admissa magno ei adiumento quandoque erit ad seipsum humiliandum, & ad studiosiùs feruentiusque seruiendum Deo. Ad hunc modum benigno & compatienti oculo, culpas aliorum aspiciat, extenuetque, ac neminem aspernetur: seipsum verò seriò diiudicet, & ex animo contemnat, culpasque suas etiam leues non paruipendat. Verumtamen dum res exposcit, moneat, corripiat vel castiget ex charitate eum qui deliquit.

*Praxis ista excusandi varijs modis facta manifesta in peccante proximo, sumpta est ex D. Bernardo Sermone 4. & 12. in Cantica.

12. *Mutuus & concors congressus, cum benignitate & sine contensione.* Cum his, inter quos viuit, concordiam in omnibus bonis rebus sectetur, & proprium sensum deserere, verborumq; contentiones vitare discat. Nemini facilè exprobret, nec verbum nimis asperū dicat, neque aliquem malignè premat, perturbet aut contristet. Sit etiam moderate hilaris, non autē toruo aut amaro animo. Omnes homines (nullo prorsus excepto) in Deo & propter Deum amet, omnes ad Deum peruenire desideret.

13. *Omnis familiaritas singularis euitanda, vt cor faciliùs Deo consuescat.* Nulli se nimiâ familiaritate vel amicitiâ deuinciat atque obstringat, qui ipsum à Deo retrahere possit. Nulli per amorem aut delectationē inordinatè adhæreseat, nec cupiat aliquē sibi ita adhærere. Nullius, quantumuis etiam sancti hominis, corporalem præsentiam nimis anxiè requirat: sed cor suum Deo seruet liberū. Diligat purè Dominum Deum suum propter ipsum, & ad æternum ipsius honorē, non autem præmij causâ, neque

DICTA PATRVM VERE AVREA.

que ob commodum, aut gustum, vel consolationem: vera enim *charitas non quærit quæ sua sunt*. Iesum Christum eligat in gloriosum sponsum animæ suę, eumque vulneribus confectum cordi suo imprimat.

1.Cor.13.

CAPVT XVI.

*Quomodo hi qui in congregatione cœnobiticâ positi sunt, amabilem vitam agere debeant: & quàm peruersi sint, qui ibi malè viuunt. Ex D. Ioanne Thaulero *.*

*Thaulerus Serm. 3. post Trinit. & Dom. xi. post Trin. & Feriâ quartâ Cinerum.

1. *Statutorum & cærimoniarum exacta obseruantia, præsertim silentij & loquelæ.*
2. *Dilectio fraterna, & mutua charitatis officia.*
3. *In choro quomodo se quis habere debeat.*
4. *Solitudo & introuersio.*
5. *Pulchra doctrina de frequentatione Eucharistiæ: à quâ ob defectus quotidianos non est abstinendū, modò adsit humilitas, & absit nimius amor creaturarum.*
6. *Venialium culparum confessio non sit nimis anxia, mortalium verò sit valde seria.*
7. *Dei dona humiliter sunt ad ipsum Deum reflectenda, non nobis ipsis arroganter attribuenda.*
8. *Carnales affectus, amor inordinatus, & nimia familiaritas, præsertim ad personas diuersi sexûs, omnino amputentur.*
9. *Quàm periculosus sit status Monachorum, qui negligentes spiritualia, consectantur vana mundi solatia, quidque ad eorum reformationē sit necessarium.*

1. *Statuta & cærimoniæ à Religiosis accuratè custodiēda, & tempora tacendi ac loquendi.*

DIGNISSIMAM vocationem vestram, quæso, dilecti in Christo Fratres & Sorores, frequenter attendite; & ita viuere curate, vt & vobisipsis & ceteris innotescat, quem ex sacri huius Ordinis susceptione fructum referatis. In quo quidem Ordine statuta, leges, & consuetudines religiosas diligentissimè obseruare debetis. Non tamen exigitur, vt Frater vel Soror senio aut infirmitate prægrauati, ieiunijs, vigilijs, vel externis operibus supra vires insistant; sed silentium vestrū locis & temporibus præscriptis, omnes sedulò seruabitis: quod quidē quem fructum & quam vtilitatem adferat, nemo capere, nullus intelligere satis potest. Deinde verba vestra suauia benignaque erunt. Si quod fortè asperum durumque verbum exciderit vobis, mox culpam vestram humiliter fatebimini, vel agnoscetis, & tam Deo quàm hominibus vos subiicietis. Ceterùm si quis verbis duris vos aggressus fuerit, nihil prorsus illi contrà respondebitis, nisi fortè vnum aut alterum verbum, idque placido ac benigno vultu. * Fundum vestrum studiose obseruabitis, cauebitisque, ne quamcumque rem, siue libros, siue indumenta, siue ornamenta, siue societatem humanam, cum delectatione possideatis. Quæcumque autem ordinate atque secundum rationem necessaria sunt vobis, eis, quatenus ipsa necessaria sunt, & Deus atque Ordo libenter admittunt suppeditantque, vtemini.

*Fundus hic dici videtur, animæ piæ interior & deuota trāquillitas, nullis externarum rerum curis aut delectationibus agitata.

2. *Dilectionis fraternæ exercitia, patienter inter obloquia & irrisiones obeunda.*

Fraternâ vos inuicem dilectione prosequemini: & alter alteri humilem subiectionem, amorem, pietatemque, non autem graues ac toruos vultus prætendetis. Non exhibebitis vos inuicem alienos, quæcumque etiam occasio vel res inter vos eueniens pacem mutuam infregerit. In bonis operibus, maximeque in charitatis officijs, vos exercebitis: ita videlicet, vt vos mutuò offeratis ad ipsa charitatis obsequia inuicem impendenda, & alter alteri onus ac laborem hilariter prępipiat, vel etiam è manibus tollat. Iam si pro aliquo pietatis exercitio contingat vos ab alijs irrideri, contemni, & malè tractari, nequaquam vosipsos defendetis, nec ad aliquem querimonias deferetis. Vndecumque vobis aduersa euenerint, accipietis ea de manu Dei, & humili resignatoque animo perferetis propter Deum, qui ab æternitate præsciuit & præuidit vos illa passuros, permisitque ex purissimo vestri amore vt acciderent. In omni afflictione & grauamine dicetis Deo: Domine, sicut ipse ab æterno disposuisti & voluisti, ita fiat. Propriæ voluntati, & vanis, sensualibus, inordinatisque desiderijs vestris diuinam voluntatem semper præponetis, illaque Dei amore in vobis mortificabitis.

3. *Præcepta pro chori officijs ritè peragendis.*

In choro, vbi Corpus Dominicum in veritate præsens adest, multâ cum reuerentiâ, oculis in terrâ demissis, animoque attento, & ad Deum conuerso, coram Rege æterno consistetis. Si enim virgo pudica in conspectu Regis adstaret, certumque haberet illum in se oculos defigere, si quidem compos animi prudensque esset, haud dubiè mores præ se ferret honestissimos, & modestissime se gereret. Quàm ergo æquum est, hominem coram Deo & Domino suo, electissimoque animæ suæ sponso, iugiter se foris & intus contemplante, collectis viribus reuerendissimè adstare? Preces horarias cum ingenti deuotione, & cum quantâ animi attentione potestis, decantabitis, legetisque.* Pro conscientiæ tamen securitate noueritis sufficere (quantum ad Ecclesiæ præceptum attinet) si verba integra dicantur, nec opus est aliquid repetere. Satisfit, inquam, præcepto Ecclesiæ, si verba omnia plenè legantur, modò sponte non cogitentur ea quæ verbis lectis contraria sunt.

* Admonitio solida ad consolationem scrupulosorum in penso Horarum Canonicarum.

4. *Amanda est solitudo, & temporis habenda ratio, & introuersio procurāda.*

Præterea ab omnibus, quorum Deus vera causa non est, abstracti eritis. Temporis quantulamcumque perditionem, vt virus pestiferum fugietis. † Solitudini libenter vaca-

†Iodocus Lorichius in lib. de Curâ corporis piâ, cap. 16. de Vitâ solitariâ, inter laudatores solitudinis adducit Blosium ex hoc Thauleri loco.

vacabitis, in qua liberè & expeditè vos Deo vnietis: primò quidem ad floridam dignissimæ Passionis Christi arborem, & ad gloriosa Vulnera eius; deinde etiam ad præclarissimæ Diuinitatis illius celsitudinem vosipsos conuertentes: nam ita ingredientes & egredientes, plena pascua inuenietis. Discite, oro, frequenter vos intrò recipere, iucundissimamque Dei præsentiam sanctè attendere. Et licet magna aliqua de Deo nondum experiamini, patientiam tamen seruate. Vnusquisque verò mentem suam ad Deum reuocans atque conuertens, potest dicere corde vel etiam ore: * *O præstantissimum bonum, ô lux gratissima, ô pelagus purissima lætitia Deus meus, tu mihi præsens es.* Vtinam mundus coram te assisterem! vtinam tibi verè placerem! vtinam ardenter te diligerem! &c. Citò recolligetis spiritum vestrum, vt Deo intendatis, si crebrò apud vosipsos hęc aut similia verba reuoluere studueritis. *O bone Iesu, ô Domine Deus, tu mihi præsens ades, miserere mei!*

Ioan. 12.

* Exclamationes animi recollectionem suam, in præsentiâ Dei, cum feruore exoptantis.

5.
Eucharistia perceptio quò frequentior, eò vtilior: nec tam omittenda ex humilitate, quàm frequentanda ex amore.

Si talem vitam egeritis: si huiusmodi fructus protuleritis, dignissimum Eucharistiæ Sacramentum non sine grandi vtilitate, ac profectûs vestri incremento percipietis. Non quidem inficias eo, bonum esse ad tempus ex profundâ humilitate abstinere, sed multò melius fuerit, ex amore accedere. Quisquis libenter pro gratissimâ Dei voluntate suam vitam institueret, si posset, & non stupidâ cæcaque temeritate, vel propriâ reputatione accedit, sed dolet se vmquam offendisse Deum: quisquis, inquam, se talem verè sentit, securus accedere potest: imò verò quò crebriùs accesserit, eò meliùs vtiliusque faciet. * Ea namque hisce temporibus naturæ fragilitas est, & in diuersa vitia ac lapsus pronitas, vt satis superque necessarium sit homini præsidium aliquod & auxilium singulare, quo retrahatur ab ipsis vitijs, & in bono conseruetur, ac postquam cecidit erigatur. Atqui huiusmodi præsidium & auxilium maximè omnium est hęc diuina ac saluberrima esca. * Nec perinde necessaria hîc est magna deuotio sensibilis; sed satis fuerit nullius peccati mortalis sibi conscium esse, & Deo velle placere, atque ad meliora semper niti: casto quoque timore & humili reuerentiâ sic esse præditum, vt perceptione huius Sacramenti te indignum fatearis. Planè sic affecto, & absque grauibus peccatis perseueranti, admodum vtile est hoc præclarissimo cibo refici, qui hominem magis ac magis ad vitæ spiritualis iter trahit. * Non ergo ob id abstinere debetis, quòd vitiosos seu defectuosos vos esse conspicitis: quinimò ob hoc ipsum tantò ampliùs ad hanc gratiam properandum est. In hoc enim Sacramento omnis virtus & sanctitas, omne solatium & auxilium, vniuersaque suauitas consistit, & ab illo procedit. Vnde & ipsum idem Sacramentum ineffabilia operatur in eo à quo piè suscipitur. * Sanè Christus quemlibet hominem istud Sacramentum dignè percipientem, viciniùs sibi adiungit, intimiusque copulat & vnit, atque in eum mirabiliter adducit fructum illum inæstimabilem, quem ex ipsius vitâ, passione, morte, resurrectione & ascensione percepimus, eumdemque exornat indicibili decore gloriæ sacratissimi Corporis, sanctissimæ animæ, & excellentissimæ Diuinitatis suæ. * Qui autem non sumit Christum sacramentaliter, potest illum accipere spiritualiter, per sanctum desiderium, atque ita fructum Sacramenti adipisci. * At verò qui foris & intus superbum elatumque præ se fert animum, atque inordinatis affectibus, amorique creaturarum ipsum impedientium sponte deditus est, vtrùm is dignè accedat ad percipiendum hoc præcellentissimum Sacramentum, ipsius iudicio relictum esto: vtrùm vmquam securus id agat, ipse viderit. * Vos autem, charissimi, ista iudicare non debetis: ne similes efficiamini Pharisæo illi hypocritæ, qui mentis superbiâ tumidus & inflatus, Publicanum longiùs stantem iudicabat. Quæso, huiusmodi iudicium, vt sempiternam animarum vestrarum perditionem cauete. Nullus vestrûm præsumat aliquid iudicare, quod non sit manifestum mortale peccatum. Non etiam vobis terrorem ingerat, dum desideratis sacram Eucharistiam accipere, si qui vobis grauiter obijciant culpas & defectus vestros. Adeò namque fidelis est Dominus Deus noster, vt sæpenumerò hominem bonæ voluntatis in notabili aliquo defectu toto vitæ illius spatio relinquat, vt is inde non modò in seipso, sed etiam in oculis eorum quibuscum viuit, humilietur, & per huiusmodi defectum ad proprij nihili sui agnitionem deducatur. * Nemo igitur propter minores defectus suos à perceptione venerabilis Eucharistiæ abstineat, sed potiùs infirmus & imperfectus quisque, bonâ voluntate præditus, cum gaudio & amore accedat: petens perfectè emundari pretioso Christi Sanguine, qui perpetuò fluit in eos à quibus desideratur: & cupiens exornari virtutibus ac meritis eiusdem Domini Iesu, dicat illi: *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum cordis mei, attamen de solâ immensâ misericordiâ tuâ, & opulentissimo meritorum tuorum*

* Eucharistia est præsidium contra tentationes.

* Non requirit sensibilem deuotionem, sed immunitatem à mortali peccato.

* Non impediunt defectus quotidiani veniales fructum Sacramenti Eucharistiæ sumptæ.

* Effectus sacræ Communionis, copulari Christo, participem esse sacræ Passionis, ornari gratiâ.

* Communionis spiritualis vsus & fructus docetur, apud D. Thomam 3. p. q. 8. art. 1. & 2.

* Non conuenit superbis, & creaturas inordinatè amantibus Eucharistiæ frequens sumptio.

* Absit iudicium temerarium de communicantibus dignè vel indignè.

Luc. 18.

* Non temerè abstinendum à Communione, sed cum humili fiduciâ de Dei bonitate accedendum.

Luc. 7.

rum thesauro confisus, ecce venio ad te, desiderans suscipere te ad gloriam nominis tui. Video enim deesse mihi amorem ac gratiam: & hæc plenissimè apud te in hoc Sacramento inuenio, in quo etiam virtutes, desideria & bona cuncta reperiuntur. * Quòd si fortè Fratribus vel Sororibus, qui ipsam Eucharistiam perceperunt, tempore matutino non licet immensos fructus, innumeraque bona, quæ hoc dignissimum Sacramentum in homine operatur, obseruare; propterea quòd secum manere non sinantur, dum aut legere, aut cantare, aut in alijs iuxta consuetudinem statutaque Ordinis occupari debent: obseruent illa post prandium, aut post Vesperas, vel etiam post Completorium. Æquè Dominus tunc operari potest, sicut tempore matutino: & hoc venerabile Sacramentum operatur vbicumque ei locus præbetur.

* Recollectio statim post communionem sacram optanda, maximè propter corporalem Christi sub speciebus sacramentalibus præsentiã: quæ si per Religionis necessarias obseruantias tunc impediatur; saltẽ suppleatur per recollectionem alio tempore non impedito.

6. *Confessio venialium non sit nimis anxia & specialis; generalis enim sufficit.*

6. Iam verò quod ad veniales quotidianasque culpas attinet (à quibus dum hîc viuimus, omnino liberi esse non valemus) monendi estis, charissimi, ne multùm solliciti sitis, néve perturbemini, si non omnes in confessione expresseritis. Illas humiliter ac seriò Deo confitebimini, & contrito deuotoque corde vos reos coram eo accusabitis. Sic enim his qui confessionibus audiendis adhibentur, nimis multum temporis non auferetur. † Sanè tales culpas generaliter exposuisse satis est: cùm mortalia dumtaxat peccata, & ea de quibus dubium est, vtrùm mortalia sint, ex præcepto & necessitate confiteri obligemur. Venialia enim peccata multis modis delentur, puta contritione, Dominicę Orationis prolatione, genuflexione, Aquæ benedictæ aspersione, &c. Si alicui dolor siue contritio deest, saltem doleat se non dolere: nam hoc quoque dolor est. Itidem si quis desiderium & amorem non sentit, desideret habere desiderium atque amorem.

† Pro solido fundamento huius consolationis scrupulosarum conscientiarum in confessione peccatorum non mortalium ponenda sunt verba Concilij Tridentini sess. 14 c. 5 De Confessione: *Venialia, quibus à gratiâ Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & vtiliter, citraq; omnem præsumptionem, in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisq; alijs remedijs expiari possunt.*

7. *Nemo sibi arroget Dei dona, sed ipsi Deo ferat accepta, & sese in suum nihilum demergat.*

7. Moneo etiam vos seriò, vt quidquid vmquam à Deo consecuti estis, nullâ cum proprietate vobis assumatis aut arrogetis: sed totum Deo offerte, totum in eum refundite, & vosipsos non nisi merissimum nihil ac pauperes atque inopes reputare: nam propriam exiguitatem, propriumque nihilum pie ac sedulò aspicere atque agnoscere, præclarissima & vtilissima ad perfectionem via est, vtpote quæ Deum in hominem sine impedimento adducit & importat. Ergo ante omnia in suum nihilum quisque sese demittet atque demerget. Sed & cùm quis ad summum perfectionis apicem euolarit, tum vel maximè illi necessarium fuerit ad altissimum fundum ipsamque radicem veræ humilitatis sese inclinare.

8. *Affectus inordinati carnales resecandi, in quibus nemo de magnis periculis sese securum esse putet.*

Moneo item vos dilectissimi, vt eas occasiones quæ carnem fouent, & omnem inordinatum erga creaturas, præcipueque erga homines affectum atque amorem, profligetis è cordibus vestris. Facilè enim etiam bonus quisque huiusmodi affectibus in seipso debilitatur, perturbatur, colligaturque: ita vt amorem, quem vno contraxit momento, vix multo possit tempore è corde suo eijcere. Numquam assumatis audaciam ac libertatem, quasi omnia iam certamina superassetis. Etiamsi millies victores euadatis, & mille reportetis triumphos, nec sic tamen securos vos esse vel præsumere oportet. Quousque enim caro & anima cohærent, nullus in terris securitatem sibi promittere debet. * Custodite igitur vosipsos vigilanter, & cauete maximè occasiones hominum diuersi sexus. His namque qui illas plus satis admittere volunt, quamlibet pij ac perfecti sint, accidere potest, imò non potest non accidere quod dicturus sum. Corda eorum sensim voluptatis sensu capiuntur ac vulnerantur, iamque ipsi moueri, affici, tentarique incipiunt: & quod videbantur initio rectè vel spiritualiter facere, id tandem transit in delectationem sensualem: adeò vt ipsi diabolico carnalium affectuum laqueo irretiti, non sine graui periculo aut iacturâ (quod ad peccatum cordis attinet) euadere possint. Quapropter inconsideratè & stultè agunt, qui sensualem hominum amicitiam expetunt (siue sint consanguinei atque affines, siue alij) & inordinate in inuicem singularem quemdam amorem concipiunt, eumque alunt & augent quibus possunt modis. Id

* Insignis cautela pro pijs etiam atque perfectis, vt fugiant omnes familiaritates cum diuerso sexu, tametsi sanctitatis velo tectas; quia tam facilè amor spiritualis degenerat in sensualem & carnalem.

9. *Periculosissimus status Cœnobitarũ suam negligentium vocationis gratiam, qui mundo ac diabolo locũ in corde per mala desideria faciũt, Spiritus sancti consolationes excludunt, & velut dæmoniaci in Monasterio viuunt.*

enim malum exitum sortiri, & inquietudines, curas, grauamina, aut etiam impuritatem cordis adducere solet, maximè si diuersi sexus homines huiusmodi amicitiam inter se colant. At vos, charissimi, veram animi munditiam veramque sanctitatem sectamini, memores professionis vestræ ac votorum vestrorum. Sacra Religio sit vobis schola quædam amabilis, in quâ discatis purissime viuere, vosipsos iugiter obseruare, & naturæ sensibus ac mundo perfecte mori.

Graui sanè lamentatione dignũ est, quòd plerique Cœnobitæ nimis ingrati atque peruersi

uersi inueniuntur. Nam cùm Deus illos misericorditer à sæculo abstractos atque eductos, ad ipsius sacræ Religionis statum perduxerit, vt in eo à veteribus peccatis, prauis consuetudinibus, moribus, verbis ac gestibus conuersi, deinceps sese sanctissimæ vitæ & doctrinæ Christi conforment, iuxtaque exempla ab eo relicta, totam vitam suam moderentur atque instituant: ipsi, heu! solo habitu quem extrinsecus susceperunt, & solâ vmbrâ Religionis contenti sunt. Vehementer enim per desiderium ad sensuum oblectamenta carnisque voluptates ac lautitias adspirant: quas si pro voto consequi non potuerint, murmurationibus Monasterium replent, & impatientiâ ac malitiâ suâ totam congregationem perturbant inficiuntque. Eis in Cœnobio non sufficiunt, quæ ipsis in sæculo degentibus abundè suffecissent. Dum voluntati eorum non acquiescitur, tãto corripiuntur furore, vt inter eos & dæmoniacos parua sit differentia.* Et reuerà à diabolo possessi sunt, à quo etiam ad hanc peruersitatem incitantur atque propelluntur. Nullum in eis locum Spiritus sanctus habere potest, cùm sint superbi, sibi placentes, vanæ gloriæ cupidi, ambitiosi, apud semetipsos sapientes ac prudentes, in proprio sensu obstinati, indirigibiles, ceruicosi, inobedientes, contentiosi, seditiosi, amari, torui, odio & inuidiâ pleni, in curâ corporis superflui, malè solliciti, suum commodum in omnibus quærentes. Nullo erga Deum atque diuina studio, nullâ diligentiâ, nullâ strenuitate feruent. Licet multos codices audiendo, legendo, & psallendo percurrant, ac folia terant, pia tamen quæ audiunt vel legunt, non eis sapiunt, nec ipsi inde gratiam aliquã referunt. Satis verò mortales creaturæ illis placent ac sapiunt: his videlicet delectantur, has amore prosequuntur, his consuetudine & amicitiâ se iungunt, has ad mutuum amorem prouocant verbis, operibus, gestibus, internuntiis, munusculis, litteris. Suæ gulæ impudenter satisfaciunt, & sine modo ac mensurâ ventrem cibo potuque onerant, adeò vt posteà inepti sint ad sancta quæque exercitia: atque hinc obliuio Dei, & innumera mala nascuntur. Vinum tam largiter plerumque sumunt, vt si quis se illis adiungere velit, vix putorem ab ore eorum effusum ferre queat. Moribus leues atque incompositi, sensibus incustoditi, verbis garruli stolidique sunt. Alios temerè iudicant, & de aliorum defectibus libenter & cum gaudio loquuntur, eosque maleuolentissimis obtrectationibus lacerant. Ipsis satis est, quòd cucullis induuntur, quòd de rebus variis eleganter aut subtiliter verba faciere norunt, quòd in choro oscitanter cantant, quòd frigida orationum murmura fundunt, quòd capitis inclinationes & alia quædam bona externa opera segniter peragunt. His solis innituntur, veram pietatem sanctamq; vitam prorsus negligentes. Nonnumquam coram hominibus mores & gestus humiles exhibent, verbaque spiritualia proferunt, vt verè Religiosi esse putentur: at hypocrisi penitus vitiati sunt. Frequenter quidem confitentur, & Corpus Dominicum accipiunt: sed integram sese corrigendi voluntatem non habent. Quare dum sacram Eucharistiam percipiunt, non aliter faciunt, quàm si quis Regem ad domũ suam inuitet, & venientem in sordidissimam putentissimamque haram inter porcos sessum ducat. Amorem suum, cor, intentionem, fauoremque non Deo, sed creaturis tribuunt. Viuunt omnino secundùm carnem: & tamen aiunt, se ægrè mortale aliquod peccatum velle admittere. Quòd si Superior, aut alius quispiam moneat eos, ostendatque quantis in periculis degant; vel ita excandescunt vt tigres ac leones, vel certè irrident monentem. Per eos diabolus facilè efficere potest quod vult, quandoquidem illius satellites ac mancipia sunt. Qui si in impœnitentiâ permanserint, & ita ex hac vitâ migrauerint, numquam faciem Dei videbunt.

* Deformatæ disciplinæ & Monachi sæculariter in sanctâ Religione viuentis viua effigies & deformis pictura.

*Porrò ad instaurandam conseruandamq; Religionem in Cœnobiis, nihil æquè necessarium puto, quàm vt illi qui ibi recipiuntur, in conuersionis suæ initio diligentissimè edoceantur ea quæ eos primò scire oportet: ac deinde vbi in ritibus monasticis, & exteriori conuersatione probè instituti fuerint, discant ipsi, vti in illis perseuerando ad altiora tendere, atque in pietate & vitæ sanctitate proficere debeant. Præstet benignitas Dei, vt omnes salutis nostræ peruigilem curam habeamus.

* Ad reformãda Cœnobia quæ sint præcipuè necessaria.

CAPVT XVII.

Quòd non debeamus nobis ipsis placere, nec grandes in oculis nostris esse, neque inordinatâ erga nosipsos sollicitudine teneri. Ex D. Io. Rusbrochio.*

* Rusbrochius lib. de Septem gradib. amoris, c. 11.

1. *Libertas spiritus & pura intentio ad sanctitatem necessaria.*
2. *Irresignati numquam fiunt perfecti: eorum mores pulchrè describuntur.*
3. *Etiam in Monasteriis magna nimis istorũ copia.*
4. *Nosce teipsum, & vide an ex eorum sis numero.*

SI veram sanctitatem possidere ac seruare cupis, à teipso & creaturis omnibus, omnique erga teipsum inordinatâ sollicitudine

1. *Primus ad sanctitatẽ gradus, pura intentio, & libertas spiritus.*

& curis expeditus ac liber sis oportet, nec vllo modo placens tibiipsi: sed Deũ respicias. Deũ intentione & amore prosequaris, eiusque honorem supra omnia magnopere appetas. Hac ratione stabilis ac firmus in conspectu illius æternâ cum reuerentiâ ac veneratione permanere & commorari poteris.

2.
Immortificatorum & irresignatorum proprietates.

Multos enim inuenire licet, qui placeant sibiipsis, & sublimis vitæ se esse putent, cùm tamen multis sint erroribus impliciti. Qui enim naturâ sunt immortificatâ ac irresignatâ, iidem etiam in gratiâ minimè sunt subleuati, nec viuendo exercitati coram diuinæ excellentiâ maiestatis. Et quamuis acuto sint præditi intellectu, & subtiles ex rationali lumine; attamen & ipsi sibi placent, & aliis placere appetunt, quæ sunt auersiones à Deo, & vitiorũ omnium radices principales.

* Signa animi non mortificati:
I. Appetitus excellentiæ.

* Atque hinc proficiscitur, Primò, Quòd alios excellere concupiscunt, imò etiam præferri ac præponi omnibus, modò id eis posset obtingere.

II. Inobedientia & proprius sensus cum despectu aliorum aliter sentientium.

Secundò, Nemini ex animo acquiescunt & obsequuntur, sed cupiunt potiùs, vt mortales omnes ipsorũ iudicio subscribant & obsecundent: quandoquidem contentioni ac propriæ voluntati dediti sunt. Semper se rectè sentire arbitrantur; errare autem eos omnes, qui ipsis contradicunt.

III. Impatientia in verbis & factis.

Tertiò, Facilè pulsantur, turbantur, irascuntur, & nedum verbis ac gestibus, sed etiam actibus nequiter, asperè, dedignãter sese gerunt: quo fit, vt pacificè cum illis vita trãsigi non possit.

IV. Amaritudo & inquietudo animi.

Quartò, Sed & in seipsis amari, ac pacis expertes sunt.

V. Iudicia temeraria & suspiciones & auersiones in rebus proximi.

Quintò, Acutè enim & diligenter obseruant, & temerè iudicãt plures alios, seipsos autem minimè. Eam ob rem multis suspicionibus, inuidentiâ quoque & displicentiâ, ac internâ erga alios, qui ipsis non satis arrident, dedignatione mouentur: atq; his animi inquietudinibus & vitiis torquentur, vexantur, ac perturbantur in seipsis.

VI. Philautia.

Sextò, Persuasum enim habent, cuncta se & nosse meliùs, & rectiùs facere quàm alios.

VII. Promptitudo ad alios obiurgandos.

Septimò, Promptuli sunt ad docendos, moderandos, obiurgandos, calumniis ac maledictis insectandos alios.

VIII. Molestia quãdo ab aliis ipsi corriguntur.

Octauò, Sed ipsi à nemine doceri, dirigi vel reprehendi se patiuntur, quippe qui totius orbis sapientissimos se arbitrantur.

IX. Asperitas erga inferiores & æquales.

Nono, Libenter premunt & aspernantur ipsis inferiores, aut etiã æquales, qui eis honorem non habent, eosque non magni pendunt. Sæpenumerò toruo, immiti ac aspero sunt animo, eò quòd intus sancti Spiritus vnctione careant.

X. Garrulitas iactabunda coram aliis.

Decimò, Quando cum aliis sunt etiam bonis ac Deum timentibus, ipsi in loquendo primas sibi partes vendicãt: putant enim præ ceteris dignos se esse, qui primi loquantur, vtpote qui suo iudicio, vt dixi, omnium sapientissimi sunt.

XI. Hypocrisis.

Vndecimò, Superbiam suam humilibus obtegunt moribus, siue gestibus ac verbis, & inuidiam suam quodam iustitiæ colore ac specie.

XII. Amicitia cum adulatoribus.

Duodecimò, Amicissimos atq; coniunctissimos se præbent illis, qui ipsis adulãtur ac consentiunt.

XIII. Anxietas & affectuũ inquieta vanitas in rebus externis.

Decimotertiò, Si qua eis expedienda aut gerenda sint, iis intus animo occupãtur ac distrahuntur, ob eaque cordis anguntur curis, & sollicitudine inordinatâ. Ex rebus terrenis haud aliter quàm homines mundani, nunc gaudium, nunc mœrorem contrahunt. Dum in faciem vel laudantur, vel vituperantur, facilè ipsi se produnt qualésnam sint. Anxiâ quadam tenentur sollicitudine, multumque sibi metuunt à morbis, à morte, ab inferno, à Purgatorio, à Dei iudicio & iustitiâ. De omnibus quæ accidere possint formidant, trepidant, ac mala opinantur.

XIV. Non Dei, sed sui amor inordinatus.

Quartodecimò, Amant enim se ipsos inordinatè, non ad Deum, neq; propter Deum: ideoque naturâ timidi sunt, & nec liberi, nec benè versati corã Deo.

XV. Inanes & stolidæ curæ, metus ac sollicitudines.

Quintodecimò, Permultis vexantur, iisdemque superfluis ac extraneis curis & timoribus, ob res temporarias & mundanas. Malos verentur dominos, metuuntque ne vitâ fortunisq; suis priuentur, ne bona sua furto subripiantur, aut ab aliis detineantur, aut malè soluantur, ne fortè reddantur inopes, miseri, calamitosi, despecti, ne senio ac morbis afficiantur, ac demum ne tum amicorũ, tum rerum temporalium solatio & adminiculo destituãtur. Quæ omnes curæ sunt inanes, superfluæ, ac stolidę, quę senes auaros ac deliros depascũt.

3.
Optandum esset pauciores huius farinæ in Monasteriis inueniri, quorũ hic mores depinguntur cum stolidis ipsorum timoribus, maximè erga Prælatos suos præsentes vel futuros.

Atque huius farinæ homines etiam in monasticis Ordinibus ac religiosis Sodalitatibus inueniuntur; ad eorumque numerum pertinent, qui etiamnum propriæ obsequuntur voluntati, nec sibiipsis mortui sunt, qui interdum verentur ac formidant, ne ipsis viuentibus quidam existant ac instituantur Prælati vel Præfecti, à quibus premantur & contemnantur: putantque se id æquanimiter laturos non esse. Etenim ipsi ita secum animo voluunt, dum quis fortè eis contrarius est: Si hominem istum mihi præfici contingat, quî nam illi subditus ac morigerus esse potero? neque enim me charum habet. atque haud dubiò vbicumque poterit me affliget, pessum premet ac despiciet; & quotquot illius amici fuerint, cum ipso sentient, mihique aduersi erunt. Ex hoc autem anxio metu etiam sanguis cordis eorum mutatur, ipsique impatientes fiunt. Et hi itidem stolidi timores sunt, & inordinata prudentia ac prouidentia, ex superbo cordis fundo trahens originem. Qui tamen si ipsi aliis præponerentur, premerent

rent potiùs atque contemptui haberent omnes ipsis contrarios, nec ipsorum iudicio obsequentes: idque eò, quòd se putent rectiùs ac sapientiùs moderaturos atque ordinaturos omnia, quàm quiuis alius possit. Quo fit, vt sæpè etiam suos Prælatos vel Præfectos, & quibus officia demandata sunt, non modò suis in cordibus, sed etiam apud eos quos talia libenter audire norunt, insimulent atque calumnientur. Grauiter ferunt, si quis laudetur ex eis qui ipsis adsunt: putant enim per hoc aliquid suæ existimationi detrahi. Neque de aliquo persuaderi eis potest, sublimioris eum vitæ esse, quàm ipsi in se sentiant & intelligant. Isti ergo ceteris quidem omnibus, qui ipsis conuiuunt, sapientiores prudentioresque se credunt, cum tamen ad veram obtinendam sanctitatem planè inepti, inhabiles, atque incompositi sint & inordinati.

4. *O Religiose nosce teipsum; & si sis ex hoc genere, per verã mortificationem teipsũ emenda.*

Probet igitur, examinet, attendat, & iudicet quilibet tum spiritum tum naturam suam, si quid fortè ex iam dictis vitiis in se reperiat ac sentiat. Quidquid enim eiusmodi est, id profligandum, debellandum ac superandum est, si vmquam veram velit sanctitatem adipisci. Moriamur necesse est vitiis, si Deo viuere velimus. Sanè nonnulli magna quædam opera ad senium vsque patrare videntur: nam multùm orant, multùm vigilant, multùm ieiunant, multùm laborant: sed quia vitia sua propriamque voluntatem mortificare minimè student, semper in eodem hærent luto, & æquè impuri, atque à verâ sanctitate alieni sunt.

CAPVT XVIII.

De his qui à vitiis impugnantur, & aduersus illa strenuè decertant. Ex eodem Rusbrochio cum Thaulero.*

* Idem Rusbrochius lib. de Præcip. virtut. c. 11. necnon Thaulerus Institut. c. 19.

1. *Vexati tentationibus, humiliterque illis ac fortiter resistentes, citò peruenient ad perfectionem.*

2. *Propensiones ad malum non sunt peccata, sed prosunt sæpè ad custodiam humilitatis.*

3. *Ad tentationes vincendas recolenda crebrò est Christi Passio: & sine illis ne quidem perfecti sinuntur esse.*

1. *Pugna fortis contra tentationes militem Christi celeriter ad perfectionem euehit.*

SVNT plerique bonæ voluntatis homines, ex ipsâ naturâ procliues ad superbiam, vel vanam gloriam, vel iram, vel gulam, vel luxuriam, aut alia vitia: qui dum talia in seipsis animaduertunt, mox auersantur & deserunt quidquid Dei voluntati contrarium est, propudiataque sensualitate, cum fide ad Deum confugiunt. Et quando sese negligunt, vel ex infirmitate humanâ ab aliquo vitio superantur, statim per humilem pœnitentiam resurgunt. Quisque talis, dum se in Dei cultu famulatuque nullo affectuoso desiderio flagrare sentit, humiliter dicit Deo: Domine, immundus sum, & omni consolatione, quam boni homines in te experiuntur, indignus. Quapropter gemendum mihi est, & firmâ fide ambulandum in conspectu tuo. Licet verò pauper & desolatus sim, te tamen neutiquam derelinquam. Hi milites Christi, tametsi infirmi sunt, & variis tentationibus diuexantur, attamen in spiritu pleni sunt fide & amore diuino, placentque Deo.

2. *Propensio sine voluntate ad malum non est peccatũ, sed iuuat ad exercitium virtutum.*

Ipsa ad malum * propensio, peccatum non est: sed perficere velle peccatum, id vitium est. Planè si quis rectè valeret in animâ, etiamsi optio ei daretur, † nequaquam tamen vitiosis propensionibus tentationibusque velle deberet absolui. Quibus enim ista desunt, vt plurimum sine sollicitudine & circumspectione sunt, nec aliquid aduersum suspicantur: & coronam illam quæ datur probè certantibus, minimè percipiunt. Ille autem pugil est optimus, qui vitiosas propensiones & tentationes superat, dominaturque animo suo. Vitiosæ præterea propensiones inducunt virtutes in animum, & nos in Dei seruitio studiosiores efficiunt, mentemque ad suipsius obseruationem & perpetuum quoddam virtutis studium atque exercitium excitant. Quantò autem nos infirmiores cognoscimus, tantò diuinam nos gratiam & benedictionem ardentiùs suspirare conuenit. Virtus namque & vitium in nostrâ consistunt voluntate.

* Hanc ad malũ propensionem concupiscentiæ, vel fomitis, tantùm ad agonem esse relictam, & nil nocere non cõsentientibus, imò viriliter per Christi gratiam repugnantibus, ac legitimè certantibus coronã parare, docet Synodus Trident. sess. 5. Decreto de Pecc. orig. §. 2. Tim. 2.

† Ex D. Paulo variis locis apparet, disputationem esse valdè problematicam, An quis propensionibus ac tentationibus vitiosis optare debeat carere vel non carere. Nam D. Paulus, qui gloriatur in infirmitatibus, vt inhabitet in eo virtus Christi; & dicit virtutem in infirmitate perfici, & placere se sibi in pugna cum concupiscentiâ; & non coronandum nisi qui legitimè certauerit, 2. Cor. 12. & 2 Timoth. 2. idem toties exclamat, toties optat, toties orat vt liberetur à corpore mortis, & à concupiscentiâ peccati, & à stimulo carnis, 2. Cor. 12. & Rom. 7. & aliis locis.

3. *Cõtra diaboli tentationes & defectus quotidianos, opponatur memoria Dominicæ Passionis; defectus autem illi non tollunt sanctitatẽ veram, si non adsit voluntatis consensus.*

Si sanctissimam vitam, Passionem & mortem Domini Iesu in memoriâ nostrâ cum amore gustauerimus, facilè carnem & sanguinem, mundum, diabolum, eiusque tentationes omnes vincemus. Profectò etiam perfecti viri defectibus quibusdam & tentationibus in hac vitâ obnoxij sunt. Qui licet leuiter offendant, licet ab humani generis inimico & propriâ corruptione de luxuriâ, vel vanâ gloriâ, vel impatientiâ, aut quibuslibet aliis vitiis contra suam voluntatem tententur atque impugnentur: non tamen propterea eos immortificatos, aut à verâ sanctitate & perfectione alienos esse Deus iudicat, cùm hæc eis displiceant, contraque rectæ rationis iudicium & omnem ipsorum voluntatem sint.

CAPVT XIX.

*Quòd qui infirmior & bonæ voluntatis est, non ideò pusillanimis esse debeat, quòd rigidam vitam agere nequeat. Ex eodem Rusbrochio cum Thaulero.**

* Idem Rusbrochius eod. lib. c. 13. & Thauleris Inst. c. 11.

1. *Non ideò quis à Deo remotior est, quia vitæ asperitatem non assumit, si est bonæ voluntatis.*
2. *Sed ille Deo est proximus, qui in defectibus euellendis est diligentissimus.*
3. *Exterior via ad perfectionem non est in omnibus eadem; interior verò vna & eadem, nempe via amoris.*
4. *Ita præferenda sunt opera bona spiritualia, vt corporalia ex debito præscripta non omittantur.*

1. *Rigor vitæ bonus est, si tamen ob causas bonas non assumatur; non ideò homo bonæ voluntatis remouetur à Deo.*

INFIRMIORES quidam, dum vitæ Christi & Sanctorum eius seueritatem ac laborem attendunt, seque talia non posse, nec ad huiusmodi intus impelli atque moueri sentiunt; redduntur pusillanimes, & à Deo nimiùm se remotos arbitrantur, vtpote qui asperam vitam non agunt. Sed in hoc non satis prudenter faciunt. Neque enim vllâ ratione homo bonæ voluntatis, vel ob defectus quosdam minores, vel ob naturæ imbecillitatem, vel quia forinsecus asperiorem viuendi modum seruare nequit, vel ob inæqualitatem quam in Dei seruitio virtutumque exercitio sentit, remotiorem se à Deo æstimare debet.

2. *Ille Deo magis appropinquat, qui diligentiùs studet defectibus euellendis: tametsi videatur sibi repere, dum alij volant in perfectione.*

Hoc autem summo curabit studio, vt vitia grauiora, maioresque defectus suos ita radicitus euellat, vt pro nullâ re, neque pro vitâ neque pro morte quidquam aduersus præcepta Dei facere consentiat. Quæ voluntas quamdiu in ipso perseuerat, non est vnde se à Domino longiùs abesse suspicetur. Deus enim ei proximus est, comes indiuiduus peregrinationis eius: qui sicut cum perfectis filiis suis currentibus ac volantibus currit & volat, ita etiam cum infirmis lentè gradientibus, lentè (vt ita dicam) ambulat. *Ergo infirmior quisque bonâ voluntate prædirus, dum alium magna quædam & ardua operari cernit, gratias agat Deo, quòd hanc illi gratiam & virtutem dederit, vt vitam austeram ducere possit. Seipsum coram Deo humiliet, & vel in aliis colere atque amare satagat, quod se minimè sentit habere, vel posse.

* Praxis quãdo quis videt se infirmum in profectu, vbi alij magna operantur.

3. *Exteriùs diuersis viis ad perfectionem tendunt pij, sed interiùs omnes vnâ viâ amoris.*

Ceterùm de asperitate vitæ hoc tenendum est, vt obseruet quisque, ad quid à Deo amplius impellatur ac moueatur, & piorum prudentumque vtatur consilio. Certè non omnes eâdem ad Deum viâ ingredi intus mouentur, nec eumdem viuendi modum tenere possunt, nec singuli modos omnes. Qui purè Deum, non aliud quidquam spectat & amat, ac similiter omnes illos in suis exercitiis, institutis, & laboribus ipsum Deum solum spectare & amare desiderat; hoc ipso fit particeps omnium exercitiorum, institutorum, atque laborum bonorum. Licet verò omnes non eumdem modum seruare, nec eâdem forinsecus viâ ingredi possint, intus tamen eâdem omnino viâ (viâ vtique amoris) omnes incedere oportet. Quisquis enim Deum nõ amat, ille necdum modum aliquem habet, & claudus est. Sanè Christus in amatoribus suis hoc semper præcipuè dilexit, vt se in Dei & proximorum omnium fideli dilectione sequerentur. Vnde etiam ait: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Ioan. 13.

4. *Opera interna externis præferenda, saluâ tamen suâ cuiusque obligatione & vocatione.*

Ideoque spirituale opus soli exteriori operi præferendum est, meliusque censendum. Nam & Apostolus dicit, corporalem exercitationem (si quidem sola fuerit) ad modicum vtilem esse, pietatem autem ad omnia esse vtilem. Interim nihilominùs vera dilectio operibus comprobanda est. Et corporalia exercitia atque opera quæ præcepta sunt, numquam omitti debent eo prætextu, quòd spiritualia maioris sint momenti. 1. Tim. 4. Nam id obedientiæ aduersaretur, quam etiam sacrificio Deus præfert. 1. Reg. 15. Itaque vnus quilibet ieiunia Ecclesiæ seruet, vti valetudo ac facultas admittit: & accuratiorem lautioremque cibum ac potum inordinatè non exquirat. Suiipsius curam gerat peruigilem, & seipsum amore Dei abnegare, vincere & mortificare studeat, prauis suis propensionibus & affectionibus diligenter resistens.

CAPVT XX.

Quòd bona voluntas diuinæ voluntati vnita, ac Deum purè quærens, possit omnia. Ex eodem Rusbrochio & Thaulero.*

* Rusbrochius eiusdem libri cap. 9. & Thaul. Instit. c. 18.

1. *Bona voluntas possidet omnia saluti necessaria.*
2. *Deiformis est, & quodammodo Deifica.*
3. *Pro facto reputatur apud Deum.*
4. *Declaratur illius rectitudo.*
5. *Praxis bonæ voluntatis per adspirationes.*

1. *Omnia saluti necessaria, sunt in bonâ voluntate.*

QVAMDIV bonâ se quispiam voluntate sentit præditum, ex nullâ re turbari immodicè, nec plus æquo dolere, nec à Deo se remotiorem arbitrari debet. Omnis namque virtus, ac bona omnia ex voluntate dependent. Nihil ergo deficit illi, qui verè iustam possidet voluntatem. Proinde si humilitatem, si charitatem, si quaslibet alias virtutes

virtutes desideras & appetis habere, atque id totâ voluntate vis, facisque quod in te est, habes haud dubiè eas. Nec potest istud quispiam subripere tibi, modò voluntas tua sit recta & Deiformis.

2. *Illa autem voluntas bona est, quæ est Deiformis, cuius definitio & praxis hic ponitur.*

Est autem voluntas Deiformis seu Deifica, quâ quidquid volumus, purè ad Dei volumus gloriam: hoc quippe voluntati naturaliter non inest. Verumtamen non satis est ita leuiter dicere, Vellem me talem aut talem esse; sed totâ intentione & fortiter oportet velle, dicendo: Sic planè facere vel esse volo. Si virtus aliqua, vel bonum spirituale per mille abesset milliaria, & ego hoc perfectâ voluntate habere vellem, magis illud propriè meum esset, quàm quæ sinu inclusa tenerem, nec tamen habere vellem.

3. *Voluntas bona apud Deum reputatur pro facto, & suo modo potest dici omnipotens & omnia faciens.*

* Laus & vtilitas bonæ voluntatis, fundatur in verbis B. Pauli 2. Corinth. 8. *Si voluntas prompta est, secundùm id quod habet accepta est, non secundùm id quod non habet.* Ex se namque debet efficax esse quantum potest, vt voluntas sit verè bona.

Aio ergo, & quidem constanter, quia per voluntatem possum omnia. Per hanc omnium labores sustinere, cunctos alere inopes, omnia omnium opera bona exequi, & quidquid demum boni cogitari potest, facere queo. Si enim hæc perfectè volo, & sola deficit exequendi facultas * (libenter autem si possem facerem, & quantum possum in his facere, non omitto) nimirum omnia coram Deo fecisse iudicabor. Denique iusto ac recto homini ob bonæ voluntatis suæ perfectionem, nullum tempus nimis breue esse potest. Quando enim sic voluntas est affecta, vt quidquid potest facere, velit; idque non solùm nunc, sed etiamsi mille adhuc annis superuiueret, tunc planè coram Deo totum hoc illi imputabitur, quòd tanto interim annorum spatio opere perfici posset.

4. *Descriptio voluntatis rectæ, & in diuinam transformatæ.*

Tunc autem recta & integra voluntas est, quando nihil omnino vitiosæ habet admixtum proprietatis: id est, quando nihil malitiæ scienter continet, quando à propriâ vitiositate auersa ac segregata penitus, in diuinam voluntatem est transformata atque immutata; ita vt nihil iam velit, nisi quod pro suo iudicio & cognitione credit Deo gratum esse, atque hoc ipsum, prout potest, & fieri debere iudicat, & agendo & omittendo declarat. Quantò voluntas his magis abundat, tantò verior & rectior est. Et hac voluntate nihil est quod non possis, siue sit Deum amare ac laudare, siue quodlibet aliud.

5. *Exercitium illius per aspirationes, & ardentia suspiria.*

Vtilissimum sanè est, frequenter desiderare & suspirare, ac plenâ voluntate integroque corde dicere Deo: *O Domine Deus, vtinam numquam te offendissem! vtinam tibi perfectè placerem! vtinam ardenter te diligerem!* Posset etiam homo pius ex imo cordis sui hoc modo Deum affari: *O Deus æterne, vtinam omni illo tempore, quod ab initio mundi ad finem vsque voluitur, tibi in omni virtutum exercitio, ac sanctis operibus tam laudabiliter, purè atque obedienter vixissem, sicut omnes vmquam homines vixère! Vtinam præ amore & gratitudine cunctas totius maris vndas per oculos meos plorando deducere, & egenos omnes cibo reficere, afflictosq; consolari, ac te Deum meum tantâ laude ac dilectione prosequi possem, quantis te & spiritus Angelici & Sancti omnes prosequuntur!* Profectò quisquis hanc voluntatem perfectè ac reipsà tenet, dubitare non debet, quin ita eam æquissimus ille Iudex sit suscepturus, ac si eamdem opere complesset. Velle namque facere, & fecisse, tantumdem valent apud Deum; si tamen perfecta sit voluntas, & opus virium nostrarum facultatem excedat.

CAPVT XXI.

Quantam vtilitatem homini bonæ voluntatis adferat vitæ & Passionis Christi pia recogitatio. Ex quodam pio Scriptore.

1. *Piæ cogitationes, præsertim de Passione Domini, etiam sine gustu sensibili, semper sunt fructiferæ.*
2. *Christi merita pro nostris vsurpanda.*
3. *Nostræ actiones & passiones Iesu Christi passi meritis coniungendæ, vt meritoriæ fiant.*
4. *Nouem fructus perseuerantiæ in meditatione Passionis Dominicæ.*

1. *Fructus magnus piarum cogitationũ, etiamsi non adsit sensibilis dulcedo, maximè in Passione Christi recolendâ.*

PLACES sanè Deo, quando ad honorem eius immoraris bonis cogitationibus ac desideriis. Quotiescumque aliquid piè meditaris aut legis de vitâ seu Passione Domini Iesu, sanctificaris inde, & ingentem fructum reportas: etiamsi paruo admodum affectu, & sine vllo sapore sensibili mediteris ac legas. Fieri nullâ ratione potest, vt vel aspicias tantùm piis oculis imaginem Crucifixi, sine grandi vtilitate, cùm ibi salutis tuæ summam inuenias. Recolendo autem Passionem Dominicam, attende diligenter & amanter, quàm magnus atque excelsus sit ille qui pro te pati voluit, & ex quantâ charitate ac fidelitate hoc fecerit. Inæstimabilis planè thesaurus inuenitur in vitâ & Passione Christi: cui si te conuenienter adiunxeris, mirum in modum locupletaberis.

2. *Christi Saluatoris meritis, tamquam nostris vti possumus.*

Potes enim tibi humiliter ac confidenter vsurpare merita Redemptoris tui. Nam quidquid ille fecit ac pertulit, tibi fecit ac pertulit. Propter te incarnatus est: propter te laborauit: propter te ærumnas, persecutiones & cruciatus sustinuit: propter te Sanguinem fudit & mortuus est: mortuus, in-

inquam, mortuus ipse est, vt tu vitam æternam obtineres. Portauit peccata tua, & soluit debitũ tuum. Omnia sua tibi contulit, vt per eum diues meritorum fieres. Non ergo inordinatè metuas tu, qui bonę voluntatis es, & Deo placere ex animo desideras ac studes. Pro sceleratâ, inutili & deperditâ vitâ tuâ, offer humili deuotoque corde Deo Patri dilectum Filium ipsius Iesum Christum: offer sanctissimam vitam ac Passionem eius. Ita enim poteris omnia peccata tua, quantumuis multa & grauia, penitus expiare, excellenterque omnem imperfectionem tuam, seu quidquid boni tibi deest, supplere. O præclaram cunctarum ruinarum spiritualium instaurationem! Ad hoc enim benignus Iesus venit in mundum, & mortem subiit, vt pro electis suis plenè satisfaceret ac suppleret, eosque meritis suis ditaret, & ad regnum suum cæleste perduceret.

3. *Actiones nostræ Christi actionibus, & passiones passionibus iunctæ, fiũt nobilissimæ.*

Si tu bona opera tua, quæ ex se nimis imperfecta sunt, sanctè inserüeris atque vnieris operibus Christi, efficientur nobilissima: quemadmodum guttula aquæ missa in vinum, nobilem vini colorem ac saporem accipit. Itidem si ea quæ te grauant, tibique molesta sunt, vnіueris Passioni seu doloribus Domini Iesu, erunt maximi meriti ac dignitatis.

4. *Nouẽ fructus Passionis piè recogitatæ: ex reuelatione ipsius Iesu.*

Ipse dulcis Iesus dixit in spiritu cuidam amico suo: Quisquis, bonâ voluntate præditus, Passionis meæ lectioni aut meditationi humiliter & studiosè vt oportet insistit, nouem inde vtilitates consequitur.

* Fructus ex arbore crucis: 1. Emundatio à peccatis. *2. Fortitudo contra tentationes. *3. Corroboratio ad bonum. *4. Augmentum gratiæ. *5. Inhabitatio Christi. *6. Illustratio. *7. Mors felix. *8. Exauditio. *9. Beatitudinis securitas.

* Prima est, quòd à peccatis omnibus emundatur, & quidquid neglexit, id illi ex meritis meis restituitur. * Secunda, quòd ad resistendum hostibus suis ita confortatur, vt nullum ex eo triumphum referre queant: nam tametsi ipse ex infirmitate nonnumquam labitur, dexteram tamen meam suppono, ne collidatur & pereat. * Tertia, quòd ad bona quæque opera diuersasque virtutes peragendas, vires accipit. * Quarta, quamlibet breui cogitatione eamdem Passionem meam reuoluat, semper anima eius in gratiâ meâ renouatur. * Quinta, quòd deuotè illam commemoranti libenter ipse commoror. * Sexta, quòd arcana mihi à Deo Patre manifestata, illi similiter aliquando pandam. * Septima, quòd cum ante mortem mihi placentem reddam, & defunctũ cum charis amicis meis remunerabor. * Octaua, quòd nihil eorum quæ seriò & rationaliter conuenienterque petit, illi negabo. * Nona, quòd in morte illi aduersus hostes eius assistam, & de vitâ æternâ ipsum faciam certum atque securum.

CAPVT XXII.

Quomodo quisque morti vicinus se ad salutarem exitum præparare debeat. Ex D. Ioanne Thaulero.*

*Collecta sunt hæc ex Thaulero in Præparatione ad felicem mortem, & alibi.

1. *Proximus morti affectum suum fortiter ad cælestia conuertat.*
2. *Doleat de peccatis, quia sunt offensa Dei.*
3. *Sumat morientium Sacramenta.*
4. *Firmiter adhæreat Fidei Catholicæ.*
5. *Innitatur misericordiæ Dei,*
6. *Et meritis Christi.*
7. *Inuocet opem Virginis & Sanctorum.*
8. *Resignet se plenè ad omne beneplacitum Dei in hoc sæculo & futuro, saluâ tamen semper gratiâ Dei in animâ.*
9. *Vita & mors securissima eius qui dilectioni Dei commoratur, & commoritur.*

MORITVRVS quisque ab omnibus rebus caducis & temporalibus sese auertet, atque ad Deum Patrem suum cælestem, & supernam beatamque illam promissionis terram toto affectu conuertet; desiderans illic eidem Patri ac Domino suo dulcissimo gratias pro ineffabili bonitate & maximis innumerisque beneficiis ipsius agere, & laudis perenne sacrificium immolare, eumque perfectè amare. 1. *Affectus ad cælum conuertatur, à terrâ auertatur.*

Dolebit, quòd ipsum fidelissimum Patrem piissimumque Dominum suum, à quo tot tantaque beneficia accepit, tam grauiter ac multipliciter cogitationibus, verbis, operibus ac negligentiis offenderit. Id planè magis eum dolore afficiet, quàm * quòd supplicia inferni & pœnas peccatis suis promeruerit. 2. *Dolor de offensâ Dei excellentior est quã ex metu pœnæ.* * Hoc est enim motiuum attritionis seu doloris minùs perfecti.

Salutifera Ecclesiæ Sacramenta, si obtinere potuerit, piâ mente percipiet, cum perfecto numquam peccandi proposito. 3. *Viaticum Eucharistiæ & Extremã Vnctionẽ ritè percipiat.*

Immobiliter atque simpliciter fidei ipsius Ecclesiæ Catholicæ inhærebit, in humili subiectione & obedientiâ sub Pastoribus atque Doctoribus, qui à temporibus Apostolorum nunc vsque eamdem Ecclesiam instituerunt atque gubernauerunt. Neque hosti tartareo dubia proponenti respondere, vel cum eo disceptare consentiet. In illâ enim extremâ horâ ipse dæmon totis viribus integritatem fidei labefactare quærit, cui quisquis locum præbet, magnum salutis suæ discrimen incurrit. 4. *Professio fidei Catholicæ contra diaboli tentationes aduersus fidem.*

Solet etiam diabolus eum qui in mortis angustiâ constitutus est, vehementer impellere ad desperationem: sed immensæ Dei bonitati & misericordiæ humiliter firmiterque confidere oportet. Deus enim omnipotens, ac salutis nostræ sitientissimus, *cor contritum* 5. *Fiducia misericordiæ Dei cõtra tentationes desperationis.* Psalm. 50.

tritum & humiliatum numquam despicit. Et propterea non est, cur quis ob peccatorum suorum multitudinem vel magnitudinem desperet.

6. *Concipiatur fiducia illa ex Christi meritis, & cum illis intimè iungatur.*

* Obserua modos varios & pios atque vtiles, se suaque omnia iungendi & immergendi meritis ac Vulneribus & Sanguini ac morti Domini nostri Iesu Christi.

Præterea is qui morti iam vicinus est, Passionem amarissimam, mortemque piissimam Domini Iesu, & indicibilem ipsius charitatem, quæ eum pati ac mori coëgit, deuotè recolet, sibique ante mentis oculos proponet: * atque ita spiritum, animam, & corpus suum curabit pro modulo suo vnire cum feruenti spiritu, afflictâ animâ, sauciòque corpore ipsius Christi. Non incautè innitetur bonis operibus quæ se fecisse meminit: sed sanctâ constantique fiduciâ in dignissima Saluatoris nostri merita, profundissimumque immensæ misericordiæ eius pelagus, sese cum vniuersis peccatis ac negligentiis suis immerget, & in illius sacrosancta Vulnera inclinabit atque demittet. Orabit eum, vt pretioso Sanguine quem fudit, pauperem ac nudam animam suam ab omni culparum sorde abluere, sanctisque virtutibus & meritis suis vestire atque exornare dignetur. Certè minimum Saluatoris Vulnus, † vel minima Sanguinis eius guttula abunde sufficeret ad delenda omnia omnium hominum peccata. Hæc itaque opponere debebit enormitati iniquitatum suarum, & districto Dei iudicio, ne in desperationem prolabatur.

† Nam crescit meritum iuxta dignitatem personæ, quæ in Saluatore nostro est infinita, ex D. Thoma 3. p. q. 1. a. 2. *Empti enim sumus pretio magno*, 1. Corinth. 6. nempe Sanguine Agni, Apoc. 1. & 5.

7. *Inuocatio Deiparæ & Sanctorum.*

Ipsam quoque misericordiæ Matrem virginem Mariam, omnesque cæli Ciues deprecabitur, vt in eâ necessitate sibi assistere, seque ex hoc exilio ad iucundissimam societatem suam perducere velint.

8. *Resignatio voluntatis nostræ in diuinã, ad ferendum omnia ex Dei amore.*

* Ista locutio Thaulerianæ resignationis, suo loco explicatur in Cõsolatione pusillanimium, quæ est Pars VI. c. 35. §. 2. n. 2.

Et quia in extremis nihil vtilius meliusque esse potest, quàm seipsum diuinæ voluntati ex integro resignare; offeret se Deo plenissimè, ad sufferendum pro acceptissimâ voluntate ipsius patienter ex vero amore, & purè ad honorem eius omnem languoris acerbitatem, ipsamque mortis amaritudinem, & omnem dolorem quem Dominus illi in tempore * & æternitate immittere voluerit. Profectò si hoc modo ex purâ dilectione, cum perfectâ sui resignatione ad omnem pœnam pro honore diuinæ iustitiæ tolerandam, sese integro tranquilloque animo offerre potuerit; ipse neque infernum, neque Purgatorium subibit, etiamsi solus omnia totius mundi peccata commisisset. Nam sicut nihil infernalis pœnæ vel purgatorij ignis in Deum cadere potest, ita nec in hominem hoc pacto per amorem cum Deo vnitum. Hoc animo iustus ille latro mortuus est in cruce: qui cùm se mori debere perspiceret, se omnino voluntarium ad ipsam mortem ex amore obtulit.

Luc. 23.

9. *Securè viuit & moritur, qui in dilectione Dei commoratur, & planè resignatus est.*

* Quæ est resignatio gradus intensissimi.

Planè nec mors vlla securior, nec vita sublimior, quàm per dilectionem in Dei beneplacito commorari, Deoque & se & cuncta committere ac resignare, idque purâ & simplici intentione, ita vt homo solum Deum, nec quidquam suum, neque seipsum, * in tempore vel æternitate requirat intendatque. Hic modus, hoc exercitium modos omnes cunctaque vincit exercitia. Tutissimum sanè est, vt quidquid boni in extremo decessu se quisque fecisse vellet, id modò sanus incipiat: nam ad mortem vsque protrahere, stultissimum est. Denique vitam sanctam, sancta quoque mors proculdubiò comitatur.

CAPVT XXIII.

*De incomprehensibili gloriâ beatitudinis æternæ. Ex D. Ioanne Rusbrochio**.

* Rusbrochius Tract. de Fide & iudicio.

1. *Essentialis beatitudo in visione & amore Dei.*
Accidentalis, multiplex.
3. *Contemplatio Diuinitatis, humanitatis Christi, B. Virginis, & Sanctorum societas.*
4. *Sensuum spiritualia oblectamenta.*
5. *Comprehensio, possessio, & fruitio summi boni.*

1. *Perfecta beatitudo est Dei visio & amor.*

PERFECTA beatitudo in eo sita est, vt post hoc exilium, in Dei gloriam translati & assumpti, Deum clarè videamus, amemus, ac æternâ fruitione possideamus. Etenim supra omnia Deus ipse essentiale præmium est: quod vbi nacti erimus ac possederimus, tum omnia summo ac excellentissimo modo perfecta & consummata erunt. Tunc namque Deum in perenni claritate cognoscemus, & intimâ cum appetentiâ ac delectatione amabimus, & sine vllâ defatigatione laudes gratiasque ei semper agemus. Singuli autem Sancti speciale suum habebunt præmium pro dignitate & sanctitate suâ.

2. *Beatitudo accidentalis, tam varia quã varij sunt Beati.*

Præmium verò accidentale singulorum tam erit multiplex, quot erunt beati. * Vnusquilibet enim de aliorum beatitudine perinde vt de propriâ gaudebit ac gratulabitur. Erit autem in illâ beatâ vitâ omnimoda * sapientia: siquidem cognitum perspectumque habebimus, quidquid volemus. * Erit etiam omnimoda potestas: quandoquidem reges erimus, & filij Dei, & quidquid libuerit, faciemus. * Erit prætereà omnigena opulentia, eaque longe vltrà quàm capere possimus, nos inundabit. * Ad hæc erit pulchritudo sempiterna & immarcescibilis, * itemque æterna & imperturbabilis pax. * Denique erit ibidem omnium affluentia diui-

* 1. Communis singulorũ gratulatio.
* 2. Sapientia.
* 3. Potentia.
* 4. Opulentia.
* 5. Pulchritudo.
* 6. Pax.
* 7. Diuitiæ.

*8. Deliciæ. *9. Omne bonum præsens. *10. Omne malum absens.

diuitiarum, omnigenarum influxus *deliciarum, *omnis boni accessus, atque florida iuuentus omnis expers mortalitatis. *Nihil ibi erit quod quemquã malè habere aut molestiâ afficere queat: abundabit autem quidquid possit adferre lætitiam. Atque istud gaudium, ista abundantissima beatitudo, tam ingens, tam multiplex, tam inexhausta erit, vt nec enumerari, nec mensurâ comprehendi, nec cogitari, nec scribi, nec verbis exprimi, nec vllâ demum ratione satis ostendi queat. Maior est enim & cumulatior, quàm vel spe, vel desiderio, vel cunctis simul viribus nostris capere queamus. *Enimuerò Deus ipse incomprehensibilis & immensus, nostrum vult esse præmium, nostrumque gaudium.

*Quia possidetur Deus, qui est omne bonum, Exod. c. 33.

3. *Contemplatio Dei in quo velut in speculo omnia videntur. Visio Christi hominis.*

Contuebimur diuinæ sapientiæ speculum, in quo quidquid vmquam factum est, quod nos exhilarare queat, relucebit emicabitque. Contemplabimur etiam corporalem gloriosamque faciem ipsius Domini Iesu, & eius gratissimam vocem audiemus, vnde cor omnesque sensus nostri illius gloriâ complebuntur: atque ita præ gaudio & amore nos in eum, ipse in nos colliquescet. Conspiciemus & beatissimã dulcissimamque eius Genitricem virginem Mariam, vnaque spiritus Angelicos, & omnes Sanctos, qui nobiscum perenni Deum laude atque amore prosequuntur.

Deipara & Sanctorũ.

4. *Spiritualia sensuum oblectamenta, dotes etiam sunt corporis gloriosi.*

Præclarissimus sancti Spiritus odor nos penetrabit, omni balsamo & quibuscumque aromatibus longè suauior: qui etiam nos extra nosipsos in æternam Dei trahet ac rapiet charitatem. Gustabimus sempiternam bonitatem Dei, omni melle dulciorem; eaque pascemur ac cibabimur, & eius perpetuâ fame ac siti tenebimur: sicque fiet vt perennem esuriem etiam perpetua cibatio comitetur, semperque renouetur, quæ est vita æterna.

5. *Dei possessio & quieta fruitio, vbi in superessentiali Deitate semper erit fames, semper satietas.*

Amore comprehendemus, & ab amore comprehendemur, Deumque possidebimus, & vicissim à Deo possidebimur in vnitate, Deoque perfruemur: & illi vniti in beatitudine quiescemus. Quæ quidem fruitio & quies in superessentiali Diuinitatis substantiâ, altissimum beatitudinis fundum est: siquidem hîc supra famem in satietatem absorbebimur. Hanc cælestem beatitudinem nobis tandem ad gloriam nominis sui donare dignetur ipse benignissimus Deus, qui est in sæcula benedictus. Amen.

LVDO.

VENERABILIS PATRIS
D. LVDOVICI BLOSII
ABBATIS LAETIENSIS
ORDINIS S. BENEDICTI
INSTITVTIO SPIRITVALIS,
PERFECTIORIS VITAE CVLTORI VTILISSIMA:
CVM QVADRVPLICI APPENDICE.

I. Appendix ex Libris D. IOANNIS THAVLERI, & aliorum.

II. Corollarium Exercitiorum INSTITVTIONIS SPIRITVALIS.

III. Appendix piarum Precationum.

IV. Apologia pro D. IOANNE THAVLERO.

LVDOVICI BLOSII INSTITVTIO SPIRITVALIS.

LVDOVICVS BLOSIVS EXIMIÆ PIETATIS VIRO FLORENTIO A MONTE SALVTEM.

De hæreticorum impietate, & lectionis ſpiritualis vtilitate.

§. I.

Eccleſiæ docenti obtemperandum, etiam cùm ſine Scripturâ docet.

1. Mittit amico iſtam Inſtitutionem ſpiritualem.

2. Docet, eos qui Eccleſiæ non obtemperant, in Chriſtum ipſum eſſe rebelles.

3. Eccleſiæ enim auctoritatem non dependere à Scripturâ, ſed eſſe eâ (quoad nos) priorem.

4. Multa credi in Eccleſiâ, de neceſſitate ſalutis, ex ſolâ traditione, quæ non habentur expreſſè in Scripturis.

5. Apologia pro libris S. Dionyſij Areopagitæ, quos vt fontes traditionum erroribus ſuis contrarios oderunt hæretici.

6. Etſi nullæ extarent Scripturæ, Eccleſiæ tamen obtemperandum eſſet.

7. Ei non obtemperantes hæretici, Deo ſunt odibiles, quantumuis aliàs honeſtè videantur viuere.

MITTO tandem ad te, dilecte in Chriſto Florenti, inelegantem illam & inconcinnam INSTITVTIONEM diu à te expectatam, quam hiſce diebus mihi conſcripſeram. *1. Inſtitutionem hanc amico deſtinat.* Ad eius calcem adieci Appendicem, ex Thaulero atque alijs Patribus deſumptam. Poſtremo loco poſui Exercitium precationum, quod tibi placere ſciebam. Vides vt nihil charitati tuæ negare poſſim.

Si vir ille (cuius nomen ſupprimo) fructum retulit ex lectione * Collyrij hæreticorum à me ſuperioribus annis editi; ſi, inquam, vnxit Collyrio oculos ſuos, & iam videt, agat gratias Deo. Felix erit, ſi humilis factus, matri Eccleſiæ obtemperare voluerit, ſtabiliſque in Fide Catholicâ permanſerit: aliter enim Deo numquam placebit. Confirmabis eum diligenter pijs monitis, illique expones, quantum abominetur Deus hæreticos atque ſchiſmaticos, qui vnitatem ipſius Orthodoxæ Apoſtolicæque Eccleſiæ per ſuperbiam ſcindunt, deſeruntque,

* Habetur in parte 1. Operum Bloſianorum.

2. Qui Eccleſiæ non obtemperat, rebellat in Deum.

runtque, & Pastoribus eius subesse recusant. Nam Paulus Apostolus pluribus Epistolarum suarum locis dicit, Ecclesiam corpus Christi esse, & Christum caput esse Ecclesiæ. Quare, qui rebellis est Ecclesiæ, rebellis est Christo. Non potest iniuria inferri corpori, quin inferatur etiam capiti. Si contemnitur Ecclesia, contemnitur & Christus; quemadmodum ipse in Euangelio ait: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Ac rursum: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Capitis & corporis non nisi vna vox est: ob idque statuta vel præcepta Ecclesiæ, præcepta Christi sunt, etiamsi illa nusquam in sacris Litteris expressa esse videantur.

Ephes.4. Coloss.1. Rom.12. 1.Cor.10. 12. Luc.10. Matt.18.

3. *Ecclesiæ auctoritas non pendet à Scripturis.*

Neque enim dependet auctoritas Ecclesiæ ex testimonio Scripturarum, sed potiùs auctoritas Scripturarum dependet ex approbatione Ecclesiæ. Nam quis sciret, Scripturas, quas veneramur, esse diuinas, quis eis crederet, nisi Ecclesia illas reciperet, & pro diuinis habendas esse decerneret? Sanè sacra Euangelia, & Epistolæ, Actaque Apostolorum, multis annis post Ascensionem, quâ Christus in cælum receptus est, conscripta fuerunt. Num, quæso, Ecclesia tunc non habebat auctoritatem statuendi ea quę congrua & vtilia esse videbantur, propterea quòd illa quæ statuebat, non erant in Scripturis expressa? Nónne credere & obedire oportebat Ecclesiæ, toto illo tempore docenti sine Scripturis noui Testamenti?

4. *Multa necessaria creditu non continentur in sacra Scripturæ libris.*

Si reijci debet quidquid in Scripturis illis, quas Canonicas vocamus, expressum non est, non credemus, Christum post mortem suam, quâ mortis auctorem deuicit, descendisse ad inferos; quia Scripturæ canonicæ nusquam id exprimunt, sed Symbolum Apostolorum (quod inter illas Scripturas non numeratur) hoc dicit. Apostoli pauca ex his quæ prædicabant & præcipiebant, scripserunt: discipuli ipsorum plura litteris commendarunt: tam illi quàm isti plurima absque scripto fidelibus tradiderunt. Hinc Ioannes Apostolus ita concludit Euangelium quod scripsit: *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Paulus item ait: *Fratres, state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Hoc Apostolus non diceret, nisi aliqua tradidisset quæ non scripserat. Istud clarissimè agnoscet, qui legerit Epistolas Clementis Martyris, in quibus idem Clemens recitat ea, quæ beatus Petrus præceptor suus in suis concionibus docere solebat. Id ipsum videre est in Epistolis Ignatij Martyris, & in libris Dionysij Areopagitæ, maximeque in eo libro quem de Hierarchiâ Ecclesiasticâ scripsit ad Timotheum Pauli discipulum iuniorem se.

Ioan.21. 2.Thess.2.

5. *Apologia librorum Dionysii Areopagitæ, qui multa ex traditionibus aduersus hæreticos scripsit.*

Hunc Martyrem Christi Dionysium prædicante Paulo Apostolo fuisse ad fidem Christianam conuersum, Lucas Euangelista narrat in historiâ Actorum Apostolicorum. At non defuerunt quidam parum graues homines, qui vanis & futilibus coniecturis adducti dicerent, Hierarchiam Ecclesiasticam, ceteraque Opera Dionysij, non ab illo Areopagitâ scripta fuisse, sed à pluribus Dionysijs, vel etiam à Dionysio Corinthiorum Episcopo, qui Apostolos non viderat. Isti leuitatis cultores, quia Ecclesiæ Dei molesti erant, & multa scripserant pestilentissima, quibus certa quæque reuocabant in dubium, ac sanctissimas Ecclesiæ constitutiones carpebant impugnabantque, tali calumniâ volue-

Actor.17.

voluerunt adimere auctoritatem diuinissimis illis libris, ex quibus temeritas impietasque ipsorum facilè agnosci & conuinci poterat. Verùm tam iniquam eorum calumniam viri doctissimi iam abundè refutarunt. Et quomodo Auctor illorum librorum non vidisset Apostolos, qui pluries Paulum appellat suum præceptorem, quique ad Ioannem Euangelistam relegatum in exilium misit Epistolam: qui etiam in Epistolâ quam scripsit ad Polycarpum Martyrem, affirmat se, nondum Christianum, cum Apollophane Philosopho fuisse tunc apud Heliopolim, cùm tempore Passionis Dominicæ sol obscuraretur? Id etiam repetit in Epistolâ quam scripsit ad eumdem Apollophanem: & in libro de Diuinis nominibus euidenter ostendit, se vnà cum Apostolis interfuisse obdormitioni beatissimæ Dei Genitricis virginis Mariæ. Obmutescant itaque maleuoli calumniatores, qui quid dicant nesciunt. Nituntur clarissimum sidus (quod vitiatos ipsorum oculos suo fulgore offundit) è cælo tollere: sed frustrà laborant. Quòd si à nobis consilium recipere volunt, ecce damus. Legant diligenter libros Dionysij, legant paraphrasim, quâ vir eximiæ sanctitatis Georgius Pachymeres, scriptor Græcus, hortatu beati Athanasij Alexandrini Episcopi, eosdem libros ante mille annos elucidauit: legant ista, & certissimè cognoscent, fieri non posse vt plures fuerint auctores sacratissimarum illarum lucubrationũ, sed eas necessariò scriptas fuisse ab vno dumtaxat, qui & cum Apostolis vixerit, & insignis Philosophus summusque Theologus fuerit. Videbunt, vt vbique idem stilus, idem splendor dicendi refulgeat: videbunt, vt ipse Auctor in singulis penè Opusculis, titulos librorum, quos scripsit, aperiat. Hæc videntes, fortè nobiscum maiestatem verè Apostolicam, & doctrinam planè cælestem in scriptis incomparabilis viri venerabuntur, Deumque glorificabunt. Quin & sapientiam Theologiæ mysticæ (de quâ ille præcellentem Libellum edidit) amabunt plurimùm: quam etiam attingere poterunt, si vanitati reuerà valefacere, & sibi mundoque emori voluerint. Sed ad propositum reuertamur.

& princeps fuit Theologia mystica.

6\. Etiamsi nihil scripsissent Apostoli, nihilominùs integra maneret Ecclesiæ sua auctoritas: & ipsa, freta auxilio capitis sui Christi, qui dixit, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, secundùm regulam veritatis sibi traditam institueret regeretque populum Dei. Nam beatus Paulus eamdem Ecclesiam appellat columnam firmamentumque veritatis: propterea quòd, à Spiritu sancto gubernata, non possit errare, docendo ea quæ ad fidem & sanctos mores pertinent.

Ecclesiæ etiã sine Scripturâ obedire oportet.
Matth. 28.
1.Tim. 3.

7\. Execratur itaque Deus omnes, qui per hæreses & schismata ab Ecclesiâ recedunt, eique resistunt. Planè quamdiu quis ab illâ, quæ mysticum Christi corpus est, manet separatus, non viuit in Deo, non viuificatur à Christo Ecclesiæ capite: exaruit, verâ vitâ destitutus est: sicut membrum corporis humani præcisum, necessariò vitam perdit. Ei qui talis est, nihil post hanc vitam proderit, quòd se modò bona opera patrare, & iustè admodum viuere existimat. *Etiamsi omnem fidem habeat, etiamsi omnes facultates suas in pauperes eroget, etiamsi corpus suum ad ignem & mortem intrepidè tradat, nihil ei proderit: quia charitatem non habet, nec habere potest, cùm arrogantiâ & prauis affectibus plenus, vnitatem Deo charissimã, Christianisque maximè necessariam,

Qui non audit Ecclesiã, nullis operibus bonis gratiam Dei vel salutem æternã comparare potest.
1\. Cor. 13.
* Hæretici moraliter benè viuentes non merentur salutem, nec habent charitatem vnitatus:

riam, diuidat: fides eius (quæ viuificante charitate non ornatur) mortua est. (Iacob. 2.) *Licet centies, licet millies dicat se fundamentum habere Christum: fallitur, non verum dicit. Nam qui deserüit corpus, deserüit & caput: & fieri non potest, vt Christum pro fundamento habeat. Fundamentũ fidei eius corruptum est: vnde quidquid superędificauerit, corruet, & nihil proderit. Ipse igitur æternæ damnationis sententiam à iusto iudice accipiet, nisi humiliter ante mortem reuertatur ad vnicam illam arcam Noë, nempe ad Ecclesiam Catholicam, extra quam salus non est, extra quam nullum opus Deo acceptum est.

* nec Christum fundamentum tenent.

Gen. 7.

§. II.

Hæreticos non esse vera Ecclesiæ membra.

8. Eadem fides inuenitur in omnium Patrum antiquorum monumentis, quæ nunc docetur in Ecclesiâ Romanâ.

9. Vnde valdè superbiunt hæretici, qui totam damnant antiquitatem, & Traditiones, prætextu verbi scripti, reiiciunt:

10. Et paucitatem, nouitatem, ac nuditatem sectæ suæ frustrà verbis magnificis exornant.

11. Etenim, si illi sunt in verâ Ecclesiâ, omnes præcedentium sæculorum Sancti non fuerunt in Ecclesiâ orthodoxâ.

12. Atqui vna est tantùm vera Dei Ecclesia, eamq; Romanam esse, apertissimè testantur omnes Patres veteres.

13. Quare certum est, Nouatores ab eâ dissentientes, esse synagogam satanæ.

8. *Omnium antiquorum Patrum fides eadem cum Romanâ.*

HAEC sancta Ecclesia fidem, quam à Domino Iesu, ab Apostolis, atque ab Apostolorum discipulis accepit, hactenus inuiolatam seruauit, semperque seruabit. Certè Dionysius discipulus beati Pauli, Clemens discipulus, & in summo Pontificatu successor Petri Apostoli, Ignatius & Polycarpus discipuli Ioannis Euangelistæ, Irenæus discipulus Polycarpi, apertissimè in suis scriptis (quæ Dei prouidentiâ, ad magnam hæreticorum ignominiam, adhuc extant) testantur, Apostolos præceptores suos idem sensisse, quod modò in Ecclesiâ Dei sentimus de fide, de Sacramentis, de Missæ Sacrificio, de oratione pro Fidelibus defunctis peragendâ, de Quadragesimæ obseruatione, de instituto Monastico, deque alijs sacris constitutionibus.

9. *Superba ac cæca impudentia hæreticorum contradicentium veneranda tot conspirantium Patrum antiquitati.*

At hæretici nostri temporis ab his omnino dissentientes, dicunt se veritatem tenere, quòd sacram Scripturam probè (vt sibi persuadent) intelligant & sequantur. O superbam & cæcam eorum impudentiam! Nos, inquiunt, regimur verbo Dei, non humanis traditionibus: Intra limites verbi Dei consistimus: Verbum Dei nobiscum est: Verbum Dei nos docet. Ita nihil nisi verbum Dei crepant: & tamen à cognitione ipsius verbi Dei longissimè absunt. Quid enim? Ipsíne verbum Dei, siue diuinas Scripturas, atque ea quæ veritatis sunt, intelligunt; & sanctissimi illi Christianorum duces, qui Apostolos habuerunt magistros, quique cum Apostolis assiduè versati sunt, non intellexerunt? Quibus, quæso, magis credendum erit? istísne seductis seductoribus, an gloriosis illis Christi Martyribus, qui à Spiritu sancto illustrati fuerunt, & Apostolos docentes audierunt, atque ea quæ ab Apostolis didicerant, posteris tradiderunt? * Verus sanctarum Scripturarum sensus penes solam Ecclesiam est: non est penes illos, qui Ecclesiam deseruerunt. Nam ipsi Scripturis abutuntur, eas perperàm intelligunt & interpretantur, eas *deprauant* (sicut ait Petrus Apostolus) *ad suam ipsorum perditionem.*

* Verus Scripturæ sensus ab Ecclesiâ petatur.

2. Pet. 3.

10. *Paucitate & nouitate suâ damnantur hæretici nostræ ætatis.*

Dicunt verò, Ecclesiam Christi semper pusillam fuisse, & quidem ante an-

nos

nos centum Ioannem Hus, ac paucos similes (qui hæreses sepultas rursum suscitarunt) in eâ floruisse, veræque doctrinæ luce claruisse; se libenter eos sequi, vt cum illis sint in Ecclesiâ Dei. Magnâ verborum grauitate * asserunt, Sacramenta apud se purè administrari percipique: cùm tamen ritu nimiùm profano baptizent, & in illâ suâ frigidâ sterilique Cœnâ plus quàm impij sint. O blasphemos & inimicos Deo homines, qui negant verum Corpus Christi esse in sacrâ Eucharistiâ, quique nos Iesum Christum in illâ adorantes appellant idololatras! Christus apertè ait, *Hoc est corpus meum*: at isti, Non, inquiunt, est Corpus Christi, sed figura vel significatio Corporis Christi. Matrimonium virginitati præferunt, contrarij Paulo Apostolo, qui virginitatem matrimonio præponit. Cetera Sacramenta contumeliosissimè irrident. Nefarijs vocibus ac scriptis prædicant, Deiparam virginem Mariam ceterosque beatos cæli ciues, qui Deo coniuncti vereque vniti sunt, à Christianis non esse inuocandos; & meram idololatriam esse, si eorum imagines admittantur atque honorentur: non esse item Purgatorium, & idcircò non esse orandum pro Fidelibus defunctis. Aequissimas Ecclesiæ constitutiones, commenta otiosorum hominum vocant, easque aspernantur. Si quis continentiam Deo vouerit, ac posteà votum violauerit, nihil eum peccasse iudicant. Incesta Sacerdotum, Monachorum, ac virginum Deo consecratarum connubia approbant. Breuiter, confundunt conspurcantque sancta omnia: & intereà dicunt, se non falli, se verbum Dei, verbum veritatis pro lucernâ habere, ac proinde se indubiè esse in Ecclesiâ, vel esse Ecclesiam Dei. Hæc dicunt, hæc aliis persuadere nituntur: & multos quidem speciosis verbis atque inani eloquentiâ decipiunt: sed eos qui verè humiles sunt, id est, qui sunt corde humiles, seducere non possunt.

*Ipsâ hæresum suarum enumeratione faeces esse fatentur hæretici.

Matth.26. Lucæ 23. 1.Cor.11. 1.Cor.7.

Quòd si ipsi essent Ecclesia Dei, si veritas ab eis teneretur, necessariò fateri deberemus, antiquissimos illos Patres, qui Apostolorum discipuli fuerunt, & pro fide, quam ab Apostolis acceperant, sanguinem humiliter fuderunt, non fuisse in Ecclesiâ; sed eos, ceterosque sanctissimos Doctores, qui deinde diuersis sæculis subsecuti sunt (Cyprianum dico, Basilium, Epiphanium, Athanasium, Chrysostomum, Hilarium, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, Bernardum, Thaulerum, atque alios innumeros, quorum fides & perfectio plurimis miraculis comprobata fuit) prorsus errasse, & nescisse quid crederent. Fateri cogeremur, Concilia omnia, quę ab Ascensione Domini in cælum ad hoc vsque tempus Spiritu sancto duce celebrata fuerunt, vana falsidicaque esse, & tot sanctorum Martyrum, tot sanctorum Confessorum, tot sanctarum Virginum millia non habuisse rectam fidem, neque ad Ecclesiam pertinuisse. Sed quis sanæ mentis hoc sentiat? Et tamen id fatendum esset, si sectarij isti essent in Ecclesiâ Dei, ac veritatem tenerent. Nam doctrina & fides eorum pugnat ex diametro cum doctrinâ & fide illorum Sanctorum: ipsi item Scripturas diuinas aliter interpretantur quàm illi. 11.

Sancti præcedentium ætatum errarunt: si Nouatores rectè docent.

Non autem possunt esse duæ Ecclesię Dei, sed vna tantùm in vniuerso mundo Ecclesia est. Et sicut vnius Dei vnica est Ecclesia, ita etiam toto terrarum orbe non est nisi vna vera fides. Hinc Apostolus Paulus ait: *Unum corpus, vnus Spiritus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus.* Apud quos ergo crede- 12.

Sed est tantùm vna Ecclesia, & vna fides. Ephes.4.

mus esse vnicam hanc Ecclesiam? Apud quos credemus esse stabilem illam columnam, & certum firmamentum veritatis? Nam si est apud factiosos istos, proculdubiò (sicut diximus) omnes illi sancti Patres non fuerunt in Ecclesiâ Dei: quòd si illi fuerunt in Ecclesiâ Dei, certo certius est, ipsam Ecclesiam non esse apud istos sectarios. Apud quos ergo illa est? Nullus non videt vbi & apud quos sit. * Irenæus Lugdunensis Episcopus, & Martyr Christi clarissimus (quem suprà diximus fuisse discipulum beati Polycarpi) in libris quos scripsit aduersus hæreses, ac maximè tertio libro, * veluti digito demonstrat, cui Ecclesiæ omnes fideles subesse & parere debeant, dicens ita: *Maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, atque à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo, Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ traditionem, quam habet ab Apostolis, & annuntiatam hominibus fidem, quæ per successiones Episcoporum peruenit vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam prauam, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, aliter quàm oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vbique fideles: in quâ semper conseruata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.* Quando autem beatum hunc scriptorem Irenæum citare cœpimus, addamus adhuc nonnulla ex tertio eius libro Aduersus hæreses. Nam paulò post illa quæ adduximus, sic loquitur: *Ea quæ est ab Apostolis in Ecclesiâ traditio, peruenit vsque ad nos: & Polycarpus non solùm ab Apostolis edoctus, & conuersatus cum multis qui Dominum nostrum viderunt; sed etiam ab Apostolis in Asiâ, in eâ quæ est Smyrnis Ecclesiâ, constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in primâ ætate nostrâ (multùm enim perseuerauit, & valdè senex gloriosissimè atque nobilissimè martyrium faciens exiuit de hac vitâ) hic docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera.* Deinde, cùm idem Irenæus dixisset, Apostolos in Ecclesiam quasi in diues depositorium plenissimè contulisse omnia quæ sunt veritatis, subiunxit: *Quid si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis; nónne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his quibus committebant Ecclesias?* Etiamsi hæretici reclamando istis Irenæi verbis, sibi rumpant ilia, etiamsi eis oculi præ irâ & inuidiâ crepent; sic tamen veritas habet sicut scribit Irenæus.

1. Tim. 3.

*Aurea Irenæi sentẽtia contra Nouatores pro verâ Ecclesiâ Romanâ & Apostolicâ.

* Lib. 3. cap. 3.

13. Dicamus igitur confidenter, dicamus liberè, primos illos Patres nostros, ceterosque omnes qui eorum doctrinam huc vsque secuti sunt, rectam fidem tenuisse: dicamus constanter, ac firmissimè credamus, eruditissimos, sapientissimos & sanctissimos Patres illos, præclara Ecclesiæ membra fuisse: istos verò qui peruersa dogmata colunt, & in proprio sensu obstinati, sanam doctrinam venerandamque fidem, quam Christus, quam Apostoli, quam Apostolorum discipuli nobis tradiderunt, superbè impugnant, non esse Ecclesiam Dei, sed esse Synagogam satanæ.

Antiquorũ fides vera, Nouatorũ vero heretica & damnabilis.

§. III.

§. III.

Non est ab Ecclesiæ vnitate discedendum propter malos, qui in eâ sunt & tolerantur.

14. Semper, vt in sagenâ pisces, fuerunt bonis admixti mali in Ecclesiâ militante: nec proptereà ab eius communione discedendum.

15. Hæretici notant paleas in horreo Ecclesiæ, & non obseruant grana, quæ ibidem sunt.

16. Quasi inter ipsos, etiam ipsorummet iudicio, non essent plures mali, quàm boni.

17. Deflendum tamen est, numerum malorum in Ecclesiâ quotidie augeri,

18. Maximè Præsulum, Ecclesiasticorum, & Religiosorum.

19. Hinc verendum est, ne Deus Europam deserat, sicut Asiam & Africam.

14 *Quamuis in Ecclesiâ verâ multi mali inueniantur, non ab eâ nos separare debemus.*

DE his plura in Collyrio scripsimus: vbi etiam ostendimus, non esse rumpendam sagenam Euangelicã, quæ in hoc exilio bonos malosque pisces pariter continet, non esse scindendam fidem, non esse deserendam Ecclesiam propter eos qui in Ecclesiâ iniquè viuunt, nec esse denegandam obedientiam Præsulibus & Præpositis malis, modò mala non sint ea quæ præcipiunt, dicente Domino Iesu: *Omnia quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.* (Math. 23.) * Sicut enim Regi & Principibus subesse oportet, etiamsi mali sint, (nam aliàs Respublica tota confunderetur:) ita summo Pontifici, (qui Sedem Petri Apostoli tenet, & supremus Christi vicarius est in terris) ceterisque pastoribus parêre, atque honorem impendere conuenit, etiamsi peruersè viuendo, æternos gehennæ cruciatus sibi comparent. Quia, vt Paulus ait, *non est potestas nisi à Deo: &, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* (Rom. 13.) Ordo Sacerdotalis propter iniquos Sacerdotes vituperandus non est: neque enim damnamus sacrum Apostolorum ordinem propter Iudam proditorem Domini.

* Et Regibus malis in Republicâ & Pontificibus peruersè viuentibus in Ecclesiâ obediendú est.

15 *Considerandum potiùs, etiã multos Dei seruos fideles in Ecclesia esse, quorum vnitati adiungamur.*

Vtinam Deus oculos aperire dignetur cæcis istis hæreticis atque schismaticis, qui errorem pro veritate amplectuntur, & nullum in Ecclesiâ Apostolicâ (quam ipsi Papisticam appellant) iustè viuere credunt. Conspiciunt enim in areâ Dominicâ magnum palearum aceruum: vnde & nulla grana inter paleas esse iudicant. Dicunt ergo: Hîcne erit Ecclesia Christi, vbi tanta est morum corruptio, vbi tot abusus inueniuntur, vbi tot Episcopi, tot Sacerdotes, tot Monachi, tot turmæ hominum perditè viuunt? Paleas vident, grana non vident, vel potiùs videre nolunt. Nam & ibi grana sunt nitidissima atque integerrima, quæ propter multitudinem palearum vix apparent. Aliquando Deus *purgabit aream suam*, (sicut Ioannes Baptista in Euangelio testatur,) separabitque paleas à granis: & *triticum* quidem recondet in *horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* (Lucæ 3. Math. 3.) Modò necesse est, vt grana paleas in areâ tolerent: necesse est, vt boni à malis in Ecclesiâ (hoc exilio durante) premantur, & inter malos gemant.

16 *Inter hæreticos qui Ecclesiam deseruerunt nulli sunt verè boni, & plurimi omnino scelerati.*

Mirum verò est, si non etiam apud eos qui aream reliquerunt, corrupti mores inueniantur. At concedamus, illos exteriùs non improbè, sed honestissimè conuersari: quid tamen sunt? granáne sunt? Si solida grana, & non leues paleæ fuissent, ventus superbiæ eos ab areâ Dominicâ tam facilè non excussisset. Sed ipsi, depositâ tandem arrogantiâ, depositâ proprij sensus obstinatione, depositis

positis prauis affectibus, recipiant se in illam arcam, in sagenam Euangelicam, in arcam Noë. Ipsi, inquam, humiles atque obedientes facti, reuertantur ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ, redeant in consortium sponsæ Christi: & salui erunt.

17. *Deflet multitudinem malè viuentium in Ecclesiâ, qui non ob malã fidem, sed ob malam vitam damnabuntur.*

Vtinam illos quoque Deus misericorditer ad veram pœnitentiam reuocet, qui Orthodoxã quidem fidem retinent, & Ecclesiam non deserunt, sed puritatem sanctitatemq; vitæ negligunt! Hi sunt vlcerosa siue putria membra Ecclesiæ: quæ si insanabilia permanserint, vbi mors aduenerit, præcidentur, reijcienturque à corpore, & in ignem æternum mittentur. Calamitas nostrorum temporum supra modũ magna est. Hæretici, quia, Ecclesiâ relictâ, in suis erroribus moriuntur, salutem non inueniunt, sed pereunt. Innumeri ex his qui in Ecclesiâ se continent, etiam perdunt animas suas, dum timore Dei abiecto, præcipites feruntur in peccata atque flagitia. (1.Ioan.2.) *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ*, modò longè lateque dominantur.

18. *Præsulũ & Sacerdotum mala vita plurimum obest Ecclesiæ Dei.*

Et hoc quàm indignũ est, vt illi, qui bono exemplo præire alijs debuerant, magis ipsi rupisse iugũ, & malè agere videantur? Ab eis enim præcipuè sumunt hæretici occasionem nobis maledicendi. Si Paulus exigit à quibuslibet Christianis, vt in congressibus suis non turpitudinem modò, sed & stultiloquium, (Ephes.5.) facetiasque minus conuenientes vitent: quantâ quæso puritate præcellere deberent hi qui præsunt, & hi qui Corpus Christi ad altare quotidie consecrant, atque hi qui ipso quoque habitu religionem sanctitatemque vitæ profitentur? * Aequum foret eos vitam planè Angelicã agere, & Deo rebusque diuinis assiduè vacare. Sed, proh dolor! plerique ex his in curas rerum terrenarum se totos immergunt: horarias Preces, verbaq; sancti Sacrificij Missę sine reuerentiâ, sine mente, & sine affectu percurrunt: pretiosum tempus inutiliter traducunt: vana loquuntur, vana cogitant, vana diligunt: auaritiæ, ambitioni, glorię mundanæ, fœdissimisque voluptatibus dediti sunt: in suis conuiuijs ebibunt vno haustu grandes calices, & alios ad idem facinus non solùm inuitant, verùm etiã compellunt. Iam potu pleni, & vino æstuantes, quid boni agere, & quem Spiritui sancto locum in seipsis pręberę possunt? Verè huiusmodi vita, non hominum, sed pecudum vita est. Insuper & eos, qui tales esse nolunt quales ipsi sunt, hypocritas appellãt, grauissimisque odijs interdum persequũtur. Isaias clarissimè clamat: (Isaiæ 5.) *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem!* Christus item in Euangelio clamat: (Luc. 21.) *Attendite, ne grauentur corda vestra in crapulâ & ebrietate, & curis huius vitæ.* Paulus itidem clamat & dicit: (1.Cor 6.) *Nolite errare: neque fornicarij, neque adulteri, neque auari, neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* At illi, neglectis spretisque diuinæ Scripturæ vocibus, securi sese in cœno vitiorum volutant. O quanta Dei ira eos manet, si non citò resipiscant! Nonnulli eorum tam impudentes sunt, vt apertè dicant hæc verba: * Non possumus esse continentes: si nobis permitteretur vt iniremus connubia, minùs peccaremus. Imò verò Deum enormiùs offenderent in incesto coniugio. In initio quidem nascentis Ecclesiæ sub nouo Testamento consuetudo fuit, vt is qui in coniugio inculpatè viuebat, assumeretur ad Sacerdotium, modò non bigamus, sed vnius tantùm vxoris vir esset; ei verò qui iam Sacerdos erat, numquam licuit vxorem ducere, nec licebit vmquam. Quòd dicunt, se

* Inspice hoc vitæ speculũ pro Ecclesiasticis.

* Futilis excusatio de voto virginitatis: quod facilè seruari potest cum Dei gratiâ & bonâ voluntate.

se continenter viuere non posse, non verum dicunt. Nam rationem atque liberum arbitrium à Deo acceperunt: qui si strenuè aduersus carnem certarent, & ipsum Dominum sedulò humiliterque inuocarent, non destituerentur auxilio gratiæ ipsius. Non enim fallit qui dixit: *Petite, & dabitur vobis.* Pij Math. 7.
quique & Deo familiares homines, tam hæreticorum, quàm aliorum qui nequiter viuunt, horrenda pericula miserati, meritò etiam lacrymas sanguineas in suis orationibus funderent.

Numquam sanè deseret Ecclesiam suam Deus, cum quâ se futurum esse pro- 19.
misit *vsque ad consummationem sæculi*: sed si mores à Christianâ professione prorsus discrepantes retinere pergimus, metuendũ est, ne ipse Deus, derelictis ingratis, ad alios meliores demigret. Scimus quid acciderit Asiæ & Africæ, vbi olim Religio Christiana diu floruit. Videmus quàm multas regiones nobis vicinas iam hæreses inuaserint. Timeamus ergo, timeamus. Reuerenter & sanctè colatur à nobis Deus: tollantur abusus: reformentur mores: Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Virgines Deo sacratæ, se corrigant, & magnâ diligentiâ ad perfectionem contendant: Principes, Magistratus, diuites, egeni, corrigant se, & Dei Ecclesiæque præceptis humiliter pareant. Omnes corrigamus nos, & in verâ Catholicaque fide permanentes, quæramus quæ sursum sunt, non quæ super terram. *Mundus* enim *transit, & concupiscentia eius.*

Metuendum ne propterea Deus nos deserat, sicut alias varijs terræ partibus Ecclesias, à quibus vera fides discessit in pœnam peccatorum. Matth. 28.

Coloss. 3. 1. Ioan. 2.

§. IV.

Regreßio ab Inuectiuâ in hæreticos. Vtilitas, quæ hauritur ex lectione spirituali.

20. Summa vtilitas lectionis sacræ, & spiritualium librorum.
21. Exhortatur ad lectionem piorum librorum, & ad feruentem orationem.
22. Indignum est valdè, quòd tam pauci sectentur contemplationẽ, tam multi curiositatẽ.
23. Mortificatio parit illuminationem: illuminatio perducit ad vnionem cum Deo.
24. Quæ omnia cuiuis dabuntur à Deo, qui ad illa humiliter & sedulò cor apposuerit.

RVMOR apud nos sparsus, quo numerus hæreticorum fertur quotidie 20.
istic augeri, compulit me hæc prolixiùs prosequi: quæ tamen ita dicta esse video, quasi totus populus Christianus coràm adstaret, & me loquentem audiret. Non decreui posthac scribere aut edere quidquam, cùm ad salutarem mortem me præparare debeam. Libris modò mundus plenus est. Gaudeo verò plurimùm, te ita affectum esse, vt nihil legere cupias quod non sit pium. * Libri beatæ Truthæ siue Gertrudis virginis, qui sub titulo *Insinuationum diuinæ pietatis* in lucem prodierunt, iure abs te commendantur: reuerà enim ingentem thesaurum in se continent. Homines superbi & animales, qui non percipiunt, nec intelligunt ea quæ sunt spiritus Dei, damnant sanctissimos illos libros, dicuntque huiusmodi Reuelationes somnia esse muliercularum. * Ignorant enim, quantâ familiaritate Deus se animæ humili, mundæ, amanti, atque ab omni impedimento absolutæ coniungat. Ignorant, vti mens, quæ à Deo excellenter illuminatur, & ei intimè vnitur, perdiscat veritatem absque aliquo errore. * Etiamsi non aliunde comprobaremus certitudinem firmitatemque fidei Catholicæ, quàm ex libris beatissimarum virginum,

Piorũ librorum lectio vtilissima.

* Insinuationes diuinæ pietatis S. Gertrudis laudantur.

1. Cor. 2.

* Carnales & animales ignorant saporẽ spiritus, & deuotæ vitæ dulcedinem.

* Dulcedo spiritus & deuotio est propria Ecclesiæ Catholicæ, & ignoratur ab hæreticis.

 Ger-

Gertrudis, Mechtildis, Hildegardis, Elisabeth Schonaugiensis, ac Brigittæ viduæ, aliarumque similium (quibus Deus arcana sua manifestauit, & quæ spiritu Dei, iuxta vaticinium Ioëlis, perfusæ, visiones admirandas viderunt) vehementer pudere deberet hæreticos. Rodant ipsi in speluncis, quantū volunt, aridos errorum suorum cortices: numquam gratiâ Dei pinguescent, nisi sint in splendidâ domo Dei, hoc est, in Ecclesiâ Catholicâ. Fieri quidem potest, vt hi nonnumquam dulcedinem lucemq; aliquam corde ac sensibus percipiant, & compuncti multas lacrymas fundant: sed Deus nihilominùs eos detestatur. Nam angelus tenebrarum transfigurat se in Angelum lucis, vanos elatosque falsâ consolatione demulcet, ac falso lumine velut sacco quodam obuoluit, vnde ipsi in superbiâ atque erroribus magis obdurantur.

Ioël. 2. *2. Cor. 11.*

21\. *Commendat amico spiritualium librorū lectionem cum orationis studio.*

Tu verò, vt verè illumineris à Deo, & gratiâ eius sagineris, eximieque crescas in humilitate ac ceteris virtutibus, lege libenter non solùm Scripturas canonicas (quæ primum dignitatis locum obtinent) verùm etiam alias pias Patrum lucubrationes cum diuinis literis concordantes: quales sunt, libri sanctæ Gertrudis abs te laudati. Lectio sacra maximum sanè emolumentum homini adfert: vera tamen & interna oratio lectioni præferenda est. Ceterùm meminisse te velim, nullam orationem digniorem esse Precatione Dominicâ & Salutatione Angelicâ. Quaslibet alias orationes sanctas, velut bonas margaritas dilige: sed ipsam Precationem Dominicam Salutationemque Angelicam tamquam pretiosissimos & incomparabiles vniones habe chariores. Beatus est, qui tenacissimâ intentione summo bono adhæret: nam tota eius conuersatio nihil aliud est, quàm vna iugis atque purissima precatio. Vera enim oratio est ascensus mentis in Deum, etiamsi nulla verba adiungantur.

22\. *Deplorat paucitatem sese contemplationi & deuotioni addicentiū, quò per mortificationem verā perueniendum erat.*

Sed heu! quàm negligentes & remissi sumus! Omni profectò lacrymarum fonte deflendū est, quòd tam pauci hodie sint, qui se totos ad iucundissimum illud bonum, quod Deus est, conuertant, & ei coniungi atque vniri ex animo desiderent: quales vtique priscis temporibus perplures inueniebantur. Rarus admodum hoc sæculo nostro est, qui seipsum abnegare, & Christum per veram humilitatem veramque sui mortificationem atque resignationem sequi velit. Nam ferè omnes curiositati & oblectamentis sensuum dediti sunt, vanitatem amant, magnifieri appetunt, propriam voluntatem vitiosasque naturæ propensiones sequuntur: ob idque cum desperatione quadam sese auertunt ab his quæ de vitæ perfectione legunt vel audiunt, sibi persuadentes, fieri non posse, vt aliquando eò pertingant. Et tamen benignus Deus vnumquemque nostrûm adiuuare, atque ad ipsam perfectionem perducere paratissimus est, si modò quod in nobis est fecerimus.

23\. *Verā mortificationem sequitur illuminatio, hanc vnio diuina.*

Nam veram mortificationem consequitur illuminatio, ac deinde vnio diuina. Planè marcidus languor noster nos impedit: quem si, assumpto virili animo, strenuè euinceremus, nobisque ac cunctis rebus caducis emori, & Deo amœnam in animabus nostris habitationem præparare studeremus; non possemus tandem non adipisci maxima, non possemus non habere ac sentire Deum in nobis.

24\. *Possunt illa ab omni volente & adlaborante per gratiā Dei obtineri.*

Hinc quidam Patrum ait: *Si in te, ô homo, feruet desiderium perueniendi ad excellentem sanctamque vitam, si pro eâ obtinendâ continuè oras ac laboras, certus esto,*

quia

quia humiliter te abnegando, & perseueranter pulsando, ipsam perfectionem consequêris ante mortem, modò id saluti tuæ expediat. Quòd si illa non obtigerit antequam hinc emigres, inuenies haud dubiè eam in Deo, in ipsâ æternitate. Noli itaque cessare, noli fatigari, licet statim pro voto non comprehendas quod cupis. Hæc ille. Dominus Iesus nos omnes ad se solum purè quærendum amandumque potenter excitare dignetur. Vale mi Florenti, & in tuis orationibus mei memor esto. Lætijs, Idibus Septembris, anno M. D. LI.

AD INSTITVTIONEM SPIRITVALEM

PRÆFATIO.

Periocha Mysticæ Theologiæ studiosis perutilis; in quâ explicantur aliquæ voces, quibus in Theologiâ mysticâ crebriùs est vtendum.

1. Anima rationalis secundùm triplicem considerationem tria sortitur nomina.

2. Vocatur *Anima*, quoad sensus exteriores, & interiores, atque appetitum sensitiuum:

3. *Spiritus* verò, quoad vires rationales, intellectum, memoriam, & voluntatem:

4 *Mens* autem, seu *apex mentis*, quoad essentiam ipsam, prout est imago Dei, & ad ipsum conuersa.

5. Sæpè tamen confunduntur hæc nomina in vnâ eademque animâ

6. *Interior homo* dicitur, secundùm vim rationalem & essentiam animæ: *exterior*, secundùm vim animalem & sensitiuam.

7. Triplex cognitio, & triplex illi correspondens dilectio: sensualis, rationalis, & mystica seu exstatica, quam alij supereminentem & superessentialem vocant.

8 In vi animali pecudes cum homine conueniunt: aliæ vires sunt illius & Angelorum propriæ.

9. *Ratio inferior* dicitur, quæ temporalibus intendit: *superior*, quæ æternis.

1. *De animâ & eius viribus, secundùm mysticos Theologos.*

QVONIAM *plerique pietatis amantes expetunt, vt hic Libellus, quem mihi scripseram, euulgetur; volo in gratiam Tyronum spiritualium pauca de animâ & viribus eius præfari. Scire igitur oportet, animam rationalem (quæ in se indiuisibilis est) diuidi à sacris Scriptoribus in tres partes: quarum infima retinet hoc nomen* anima: *media appellatur* spiritus: *suprema dici solet* mens, *siue* apex spiritus.

2. *Anima vocatur, maximè ex operationibus partis sensitiuæ & appetitiuæ.*

* *Ad animam referuntur inferiores ac sensitiuæ vires, quas habent & bruta animantia: vt sunt quinque potentiæ exteriores, sensusque particulares ex sensu qui communis dicitur, & in cerebro est, prodeuntes, videlicet, visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus: vt est etiam potentia appetendi, quæ in corde radicatur. Hæc appetitiua virtus deducitur in vim concupiscentiæ & vim iræ: ex quibus oriuntur aliæ affectiones passionesque naturales, scilicet desiderium, indignatio, gaudiũ, tristitia, amor, odium, timor,* &c.

3. *Spiritus, quoad vires rationales, attenditur.*

*Ad spiritũ referuntur tres superiores & rationales intellectualesque vires, quas habemus communes cum Angelis, nempe intellectus (qui & intelligentia dicitur) memoria, ac voluntas. Istæ tres præclaræ potentiæ sunt spirituales sensus animæ: nam visus internus attribuitur vi intellectiuæ: auditus, vi memoratiuæ: odoratus, gustus, & tactus, vi affectiuæ atque amatiuæ, hoc est, voluntati. Tam * superiores quàm inferiores vires anima*

* Philosophi apud Aristotelem lib. 2. de Animâ c. 3. & seqq. de Animæ potentiis, sensibus, appetitibus & passionibus consentiũt huic sententiæ. Opus est vt Theologus mysticus, cuius omne studium circa animæ operationes est, hæc benè perspecta habeat.

* Gratia Christi supplet debilitatem naturæ.

mæ per peccatum miserabiliter debilitatæ, corruptæ, atque disiectæ sunt: sed in suum gradum dignitatemque suam restituuntur per Iesum Christum Dominum nostrum.

4\. *Mens in Theologiâ mysticâ dicitur ex imagine Dei in animæ essentiâ relucentis, estque ille fundus animæ Deiformis, in quo fundatur vita superessentialis seu Dei similitudo in animâ per vsum trium potentiarũ expressa.*

Mens vel apex spiritus est nudus & Deiformis animæ fundus, *id est, simplex animæ essentia, imagine Dei insignita. Secundùm hunc fundũ dicitur vita* superessentialis, *per quam perficitur tam spiritualis quàm actiua vita. Ex ipsâ mente tres superiores vires effluunt, & in eam refluunt, sicut radij promanant ex sole. Hîc sanè similitudo Dei eximiè relucet. Nam quemadmodũ Pater, Filius, & Spiritus sanctus tres sunt personæ, & vnus Deus: ita memoria, intellectus, & voluntas, tres sunt potẽtiæ, & vna mens. Itemq; sicut ipsæ Diuinitatis personæ, sic & tres illæ vires inseparabiliter operãtur. Neque enim memoria aliquid recolit sine intellectu & volũtate: nec intellectus aliquid intelligit aut cognoscit sine memoriâ & voluntate: nec voluntas aliquid vult sine intellectu & memoriâ.*

5\. *Sæpè cõfunduntur hæc nomina, propter animæ vnitatẽ simplicitatemq́.*

Hinc mens etiam pro eisdem superioribus viribus vsurpatur. Spiritus quoque tam simplicem essentiam animæ quàm ipsas vires superiores nonnumquam designat; vt quando homo dicitur constare spiritu, animâ & corpore: tuncque duæ tantùm portiones assignantur animæ humanæ. Sæpè item nomine spiritus *significatur tota anima.*

6\. *Interior homo, spiritus & mens; exterior, sensualitas & caro, seu corpus.*

Quando in Scripturis fit mentio interioris vel exterioris hominis, per interiorem plerumque intelligitur fundus animæ cum superioribus viribus; per exteriorem intelligitur corpus cum inferioribus & animalibus viribus, quæ corpori (quantum ad ipsarum operationem attinet) copulantur.

7\. *Cognitio & appetitio triplex; ex triplici animæ diuisione.*

*Iuxta tripartitam ipsius animæ diuisionem suprà commonstratam, homo potest tribus modis cognoscere & appetere. * Est enim cognitio secundùm sensum: cui respondet appetitus, affectus, & amor sensualis. * Est & cognitio secundùm rationem atque intellectum; cui respondet appetitus, affectus, & amor rationalis atque intellectualis. * Est denique cognitio secundùm verticem intellectus, id est, secundùm simplicem intelligentiam; cui respondet supremus affectus, & amor secundùm verticem voluntatis, qui dicitur ecstaticus. Nam per eum homo supra vires suas naturales, Deo adiuuante, euehitur, atque ad fundum animæ suæ & ad intimam cum Deo vnionem pertingit, excedens in ipsum Deum. Tunc nimirum amor in cellam diuinam ingreditur, intellectu foris remanente.*

* 1. Sensualis.
* 2. Rationalis.
* 3. Mystica siue ecstatica, aut superessentialis; quam mystici etiã vocant cognitionẽ vel appetitionem, iuxta apicem spiritus & verticem intellectus ac volũtatis, aut simplicẽ intelligentiam, quando homo in fundo animæ Deo intimè vnitur, amore diuinam in cellam intrante, intellectu foris remanente.

8\. *Animalis vita communis homini cum pecudibus, rationalis & intellectualis Angelis & hominibus conueniunt.*

Pecudes, sicut habent cognitionem secundùm sensum dumtaxat, ita habent & appetitum (id est, concupiscentiam atque iram) sensualem. Habent & memoriam secundùm sensum: quia ea quæ visu, auditu, odoratu, gustu vel tactu percipiunt, recordari atque imaginari possunt: at homo habet etiam memoriam intellectualem. Non habent bruta animalia voluntatem, sed aliquam voluntatis similitudinem. Nam cùm sint rationis & liberi arbitrij expertia, non possunt velle & nolle, non poßunt motibus sensualitatis resistere, sed eos sequi coguntur. Ceterùm homo rationem & liberum arbitrium sortitus, non cogitur sensualitati seruire. In eo ergo superior ac rationalis appetitus dominari, appetitus verò inferior, & sensitiuus subesse atque obtemperare debet. De homine qui secundùm sensualitatem, non autem secundùm rationem (quæ Psal. 48. *sensualitati iuncta est) viuit, Psalmista ita loquitur:* Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

9\. *Ratio superior diuinis rebus, inferior creatis intenta.*

Quando ipsa ratio intendit humanis & temporalibus rebus, dicitur ratio inferior: quando verò eadem intendit æternis atque diuinis, dicitur ratio superior. Hæc triuialiter & impolitè à me dicta, boni consulant Tyrunculi spirituales.

IN-

INSTITVTIONIS SPIRITVALIS

CAPVT I.

Quòd merito omnis homo deberet ad perfectionem diuinamque vnionem adspirare. Quomodo Perfectio illa obtineatur.

1. Anima Deo vnita per amorem, nullius creaturæ solatio indiget;

2. In Deo enim solo satietas est voluptatis: cetera omnia inferiora sunt ipsamet animâ, & eam satiare nequeunt.

3. Anima Deo vnita lumine veritatis mirabiliter à Deo illustratur & inflammatur, melius quàm vllius magisterij humani præceptis.

4. Est etiam talis anima Ecclesiæ Dei vtilissima.

5. Semperque Deo præsens etiam in medio occupationum externarum.

6. Via ad hanc vnionem compendiaria, per Abnegationem, Introuersionem, & Adspirationem.

1. *Amor Dei animã reddit diuitẽ, & nullius creaturæ indigam; quia in Deo omnis quies, satietas, voluptas, & omne bonũ.*

CVM Deus solus (qui est summum & incommutabile bonum) possit desideria animæ rationalis satiare, quietaque reddere, meritò ad hoc ardenti auiditate adspirare deberet omnis homo: vt, obtentâ vitæ perfectione, ipsi Deo in hoc exilio intimè vniretur. Nam si huc pertingeret homo, illum reuerà intus inueniret sentiretque, qui suâ iucundâ præsentiâ omnem ab ipso profligaret egestatẽ, & eum verissimâ opulentiâ locupletaret, ineffabiliq; repleret gaudio. Vnde iam homo euagari, & adulterina oblectamenta à creaturis emendicare prohiberetur: illi enim insipidũ amarumque esset, quidquid Deus non esset.

2. *Nam omnia creata sunt animâ ipsâ inferiora, & desiderijs animæ satisfacere non valent.*

Planè spiritus rationalis tam nobilis est, vt nullum bonũ caducum ei satisfacere queat. Non enim his quæ se inferiora sunt, expleri & beatus esse potest: ipso autem inferiora sunt cælum, terra, mare, & quidquid visibile sensibileq; est. Itaque conditore Deo dumtaxat (qui incomparabiliter ipso melior digniorque est) cõtẽtus ac beatus esse potest. Sine quiete vagus, fine refectione famelicus homo oberrat, quamdiu brachijs charitatis illum perfectè non constringit, qui propter suam dignitatem non potest non concupisci. Quibuslibet diuitijs ac delicijs affluat, quibuslibet honoribus abundet, satiari nequit, nisi per contactum amoris Deum consequatur. Quo in præclarissimâ sui portione (nempe in mente) semel inuento, creaturis omnibus libenter valedicit, & cum Psalmistâ cantat: *Mihi adhærere Deo bonum est.* (Psal. 72.) atque cum beato Iob ait: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* (Iob 29.) Non iam aliqua solatia exteriùs requirit: quia illi intus copulatur, qui est torrens & pelagus inæstimabilium voluptatum, exuberansque plenitudo omnium quæ pulchra, amœna, suauia, præcellentia & desiderabilia sunt, atque cordi humano placere possunt.

3. *Supremus actus amoris in hac vitâ est Theologia mystica, per vnionem diuinam animam mirabiliter irradians, & accendens.*

Quando spiritus hominis attingit illam Theologiæ mysticæ sapientiam, videlicet vnionem diuinam, iam lumine æternæ veritatis desuper illustratur, fides eius certa redditur, spes roboratur, & inflammatur charitas. * Quare si omnes mundi sapientes homini mysticam vnionem experto dicerent, Falleris miser, fides tua non est vera; ipse indubitanter responderet: Imò verò vos omnes fallimini, nam fides mea verissima certissimaque est. Hoc firmiter responderet, habens in corde suo non tam per inuestigationem rationis, quàm per vnionem amoris, infallibile fundamentum. Melius sanè talis Diuinitatem cognoscit, quàm cognoscant plerique eruditi Magistri, qui in Sancta sanctorum & in secretum Regis æterni cubiculum nondum admissi, nondum lumine gratiæ excellenter illustrati sunt. Deus ei virtutem diuinarum Scripturarum aperit, gustumque Euangeliorum donat. Ipse ergo veram sapientiam ex influentiâ Spiritus sancti magis, quàm ex multorum librorum lectione, acquirens, clare videt & intelligit, quid sibi vel alijs agendum quidque dimittendum sit.

* Hæc eadẽ verba recenset R. P. Thomas à Iesu l. 4. de Oratione diuinâ lib. 4. c. 15. §. 3. & illustrat ex S. Bernardo & S. Macario bonis Asceseos doctoribus. Monendus tamẽ Asceta, ne sibi facilè persuadeat sese ad talẽ apicem peruenisse: cùm tutius sẽper sit, alieno magisterio doceri quã suo.

4. *Anima Deo purè vnita, toti Ecclesiæ est vtilissima.*

Profectò qui Deo absque medio vniuntur, & illi locum in se operandi præbent, eidem Domino charissimi sunt, & plus vtilitatis vnâ horulâ Ecclesiæ adferunt, quàm multis annis adferre valeant alij qui tales non sunt. * Isti singulares Dei amici ac filij iucundâ tranquillaque mentis libertate gaudent, eleuati supra omnes curas, supra omnem perturbationem, supra metum mortis, purgatorij, inferni, & omnium * quæ animæ vel corpori in tempore atque æternitate accidere possunt.

* Magna vides & vera, sed rara Mysticorũ Theologorũ priuilegia.

* Sic accipe 1. Ioan. 4. *Timor nõ est in charitate. Perfecta charitas foras mittit timorem.*

5. *In medijs occupationibus Deo semper est præsẽs: sicut Angelis Dei euenit, qui semper vidẽt faciem Dei, dum nos custodiunt, & nostris rebus adsunt.*

Neque frequentia hominum, neque occupationes externæ, eis præsentiam Dei præripiunt: quia ipsi in omni multiplicitate vnitatem spiritus seruare norunt, stabili essentialique introuersione donati. * Ex omnibus quæ visu vel auditu percipiunt, celerrimè in Deum diriguntur: & cuncta eis quodammodò vertuntur in Deum (si ita loqui fas est) cùm in omnibus nihil intentione & amore prosequantur nisi Deum: quemadmodum experientiâ quotidianâ discimus, eos, qui aliquamdiu in solis sphæram obtutus defixerunt, in omnibus quæ deinde adspiciunt, quamdam solis speciem videre. Hi cùm intus circa ea quæ Dei sunt, iugiter occupen-

* Praxis bona introuersionis.

cupentur, Deoque adhæreant, foris videndo veluti cæci, audiendo surdi, & loquendo muti permanent. Supernaturalem & Angelicam vitam in terrâ ducunt, ob idque terrestres Angeli vocari possunt.

6.
Via ad vitã perfectam veramq; Dei vnionẽ compendiaria, tres sũt, ex purissimâ intentione; Abnegatio, Introuersio, Adspiratio.

Iam qui eò anhelat, cupiens aliquando perfectus esse, & intimum diuinæ vnionis amplexum experiri, debet abnegationi mortificationique suiipsius strenuè insistere, & sanctæ introuersioni diligenter operam dare, atque ad Deum per iaculatorias orationes ac pia desideria ardenter adspirare: debet omnia quæ agit aut dimittit, propter Deum agere dimittereque, illum in omnibus purè spectans, & illi soli placere desiderans. Istâ viâ, & non aliâ, ad perfectionem mysticamque cum Deo vnionem pertingere poterit. Nos de his pauca quæ Deus dederit, scribere statuimus.

CAPVT II.

De integrâ sui abnegatione atque mortificatione, & verâ morum reformatione; primo videlicet Asceticorũ instrumento ad vnionem diuinam consequendam.

§. I.

Abnegatio propriæ electionis generatim.

1. Nulli rei aut personæ, quantumuis sanctæ, inordinatè aut cum pertinaci proprietate adhærendum.

2. Loco propriæ voluntatis in omnibus rebus substituenda & amplexanda est voluntas Dei.

3. Oblectamenta in spiritualibus exercitijs obuenientia, paratus sit pro Deo facilè derelinquere.

1.
Nulli rei adhærẽdum cum tenaci affectu aut sensualitate.

IGITVR Asceta spiritualis discat se & omnia pro Dei amore relinquere. Nihil cum tenaci cordis affectu possideat. Nulli visibili & caducæ rei, nulli mortali creaturæ adhæreat. Nullius hominis, quantumuis sancti, amicitiam, familiaritatem vel præsentiam sensualiter expetat. Meminerit, non solùm mala, sed etiam ea quæ bona sunt, impedimentum præstare, si inordinatè diliguntur vel quæruntur: sicut lamina aurea oculis obiecta visum non minùs impedit, quàm lamina ferrea.

2.
Propria voluntas omnino respuẽda etiam in sanctis exercitijs, & exuenda, vt Dei solius voluntas assumatur tam in prosperis quàm in aduersis.

Priuatum amorem è corde suo penitus extirpet. Propriam voluntatẽ vbique deserat: eam Deo resignet, eam integrè in Deum transfundat, eiusque voluntati perfectè vniat. Numquam ore, numquam corde dicat (spectando seipsum & proprium commodum) verba ista: Volo hoc, Nolo illud, Eligo hoc, Respuo illud. Neque* in tempore, neque in æternitate aliquid suum quærat: sed omni proprietate reiectâ, se prorsus seipso spoliet priuetque, & sibi rebusque omnibus ita moriatur, ac si numquam creatus fuisset. Quærat autem vbique Deum, eiusque honorem ac voluntatem, ita vt ipsis quoque orationibus, pijsque desiderijs suis, humilem sui abnegationem resignationemque coniungat, petens non suam sed Dei voluntatem fieri. Omnia quæ sibi eueniunt, referat ad ipsam voluntatem diuinam, & ea nudè de manu Domini suscipiat, sine cuius prouidentiâ nec vnum quidem folium arboris decidit in terram. Permissionem ordinationemque illius sicut in prosperis, ita & in aduersis, in damnis rerum, in iniurijs, calumnijs, opprobrijs, ludibrijs, atque sui contemptu, in doloribus corporis, in angustijs pressurisque cordis, in mœroribus, in derelictione calamitateque internâ, & in quibuslibet afflictionibus, patienti ac tranquillo animo ferat, eumque laudet: credens illum & velle & posse salutem suam in omnibus promouere.

* De hac insigni resignatione Blosiũ citat & explicat R. P. Ludouicus de Ponte in Cantica l. 2. Exhortatione 17. §. 3. & R. P. Ieremias Drexelius Heliotropij lib. 5. c. 11. §. 5.

3.
Oblectamẽtis etiam spiritualibus abrenunciet propter Deum & in illis non se quærat, sed Deum.

Oblectamentis tam spiritus quàm naturæ renuntiet. Dum consolationem dulcedinemque internam à Deo percipit, non abutatur eâ ad suam voluptatem, seipsum in illâ quærendo, (id enim esset grauiter Sponsum cælestem offendere) sed eam cum humilitate animi recipiat, & tam liber, intactus, expeditusque ab illâ permaneat, quasi eam non sentiret. Siquidem corrupta natura ad sese in omnibus reflecti, & etiam in donis Dei seipsam quærere solet. Igitur Asceta non * immoderatè spiritualem suauitatem appetat, neque confidat in eâ. Non minùs paratus sit illâ carere, quàm eam habere. Nam in solo Deo, non autem in donis eius quiescere licet. Fateatur, se quibuslibet Dei donis prorsus indignũ esse. Nihil de eis sibi vsurpet aut vendicet: sed illi, cuius sunt, relinquat: omnia in Deum integrè refundat, glorificans illum, & ei gratias agens, ipsaque dona in laudem æternam offerens. Non vanè concupiscat vt reuelationes diuinitus sibi fiant: quòd si Deus aliqua ei reuelauerit, non propterea sanctiorem se esse existimet. Dona quæ recipit, non imprudenter, ac sine internâ Dei permissione, passim hominibus referat.

* Praxes & Monitiunculę de consolationibus spiritualibus & reuelationibus.

§. II.

Mortificatio sensuum & linguæ.

1. Sensuum actibus, non iuxta naturæ inclinationem indulgeat, sed vtatur eis prout viderit Deo magis placere.

2. Corporalis refectio, & delectatio inde proueniens, cum Dei laude, & sobriâ mediocritate sumenda est.

3. Non est affectanda singularis austeritas vitæ, sed discretio in eius exercitijs est maximè adhibenda.

4. Linguæ & locutionis disciplina.

1.
Sensuum custodia & vsus in spirituali vitâ.

EXTERIORES sensus suos studiosissimè custodiat. Caueat quantum potest, ne quid

quid ex inclinatione motiúve sensualitatis adspiciat, audiat, odoretur, gustet, loquatur, aut tangat: & quando in his etiam leuiter offendit, seipsum acriter reprehendat. Non plus neque aliter velit quidquam adspicere, audire, odorari, gustare, loqui, tangere, quàm Deus intus permittit. Si enim aliquam delectationem in creaturis quęrit, veram delectationem in Deo inuenire non poterit.

2. *Corporalis refectio, deuota, & sobria, & cum mortificatione gustus.*

Igitur reficiens corpus cibo, potu, vel somno, non voluptatem, sed sustentationem naturæ spectet. Quamlibet buccellam cibi, & quemlibet haustum potus, modestè atque continenter, cum sancto timore suique mortificatione ad gloriam Dei sumat. Non vno haustu multum potus ingurgitet: sed si vehementer sitit, bibat sæpius. Consultum fuerit, vt in prandio quidem corpusculum alimentis reficiat quantum naturæ necessitas exposcit; sed in cœnâ non nisi parcè manducet: sobriam enim cœnam sobrius somnus consequi solet. Quamuis autem aliquam delectationem terrenam inter edendum aut bibendum sentiat, non tamen eam intrò admittat, non ei inhæreat. Exquisitas & suaues epulas vitiosè non requirat: imò verò tales sibi oblatas pro Dei amore sæpè intactas relinquat; cùm Dominus Iesus felle & aceto potatus fuerit. Simplicia magis quàm sumptuosa accipere, sibique in vsu esse, appetat. Superflua non concupiscat: sed penuriam abundantiæ præferat.

Matth. 27. Psal. 21. Ioan. 19.

3. *Vitæ austeritas, non nisi cum magnâ discretione adhibenda: nam corporis castigationi præfertur vera animi pietas & in Deum charitas.*

Inusitatam vitæ austeritatem temerè non amplexetur, licet plerosque Sanctos vitam multùm rigidam duxisse cognoscat. Nam illi à Spiritu sancto pleniùs illustrati, sciebant Deo placere vt ita viuerent. Multi feruorem, quem in initio conuersionis suæ sentiebant, secuti; naturam vltra modum in hac parte grauarunt, & se ad vacandum Deo ineptos reddiderunt. Cilicium, durities lecti, esus panis, potus aquæ, flagellatio corporis, ac similia pro Dei honore purè peracta, ipsi quidem Domino placent, & ad carnem edomandam iuuenibus robustis non parum prosunt: verumtamen verus Dei amor hominem multò viciniùs Deo coniungit, & carnis petulantiam citiùs efficaciusque compescit ac superat. Deus conuenientissimè exercere atque onerare solet eos, qui se illi integrè resignant, & parati sunt quælibet aduersa de manu eius humiliter suscipere, eaque, quamdiu illi placuerit, patienter ferre. Corpus ergo suum Asceta nimiâ abstinentiâ, nimiisve vigilijs atque asperitatibus ex propriâ voluntate susceptis non opprimat, neque rursum illud nimis blande curet: sed sanctæ discretionis moderamen in omnibus seruet, & aliorum sanis consilijs acquiescat.

4. *Antequam loquaris, ora Deũ, & vide quid loquaris.*

Quando verò aliquis ab eo consilium petit, agnoscat in corde suo se ex se nihil conuenienter posse respondere, & conuersus ad Deum sic mente precetur: *O Domine Deus, qui es in me, digneris per me loqui quod tibi placitum est, & quod honori tuo salutiq; animarum magis congruit:* atque ita ea quæ dicenda sunt, humiliter, circumspectè, & sapienter dicat. Si quid benè locutus est, Deo attribuat: si quid malè, sibi adscribat. * Intempestiuam verborum asperitatem omni tempore deuitet. * Sit in sermone verax, & à vitiosa simulatione atque ab adulatione alienus. * Ea quæ vel ad sui laudem vel ad alterius vituperium spectant, cupidè non proferat. * Sed & aliquem laudando, non excedat modum, ne adulationis notam incurrat. * Nemini detrahat, & eis qui detrahunt, consensum numquam præbeat. Imò verò ipsum quoque auditum à detractionibus & quibuslibet verbis noxijs auertat, ac talia prudenter interrumpere amputareque consuescat: quemadmodum quidam faciebat, qui cùm aliquem de altero malè loquentem audiret, solitus erat dicere: *Magnas nos Deo gratias agere debemus, si tales non sumus.* * Ab otiosis vanisque verbis linguam sedulò compescat. * Non facilè de rebus sublimibus loquatur: quòd si de talibus verba facere necesse vel vtile sit, intus & foris humilitatem seruet. * Multiloquium non amet: ipsum enim spirituali & internæ vitæ plurimum incommodat. Amet autem moderatam taciturnitatem, quæ multorum bonorum mater est. * Omnem locutionem effrenem, inconsideratam & præcipitem, in se mortificet. O quàm felix est, qui custodire nouit linguam suam! is enim ab innumeris culpis atque angustijs liberat animam suam.

* In verbis vitanda Asperitas, * Simulatio, * Iactantia, * Adulatio, * Detractio, * Otiositas, * Sublimitas, Prou. 11. * Multiloquium, * Præcipitantia.

§. III.

Actionum suscipiendarum regulæ communes, vt cum interno spiritu fiant.

1. *Nihil prorsus suscipiat faciendum, vel omittat, nisi petitâ prius interiùs à Deo licentiâ.*
2. *Occasiones peccandi per silentium, solitudinem, & otij fugam amputet.*
3. *Sit grauitas in moribus & gestibus.*
4. *Semper proponat sibi Christum in omnibus, quæ suscipit, imitandum.*
5. *Concupiscentijs autem & passionibus cunctis frenum viriliter iniiciat.*

1. *Ante omne opus, licentiâ interiùs à Deo postulet, & tunc placidè quòd Deo visum fuerit suscipiat vel dimittat.*

Asceta seipsum diligenter in omnibus foris & intus obseruet, puritati cordis semper inuigilans. Nihil cum immoderato

affectu, aut cum implicatione internâ loquatur, desideret, aut faciat, sed æqualitatem libertatemque animi vbique seruare nitatur. In his quæ dubia sunt, consilium & licentiam à Domino, vel etiá ab aliquo homine spirituali petat. Semper quærat agnoscere gratissimam Dei voluntatem, dicens intra se: *O Domine, quid nunc me vis agere? placétne tibi vt hoc vel illud faciam?* (Ipse enim Dominus per internam inspirationem loquitur homini, & dicit, Fac illud, Dimitte istud.) Quòd si Asceta sentit Deũ velle aut permittere vt aliquid faciat, oret eum hoc modo: *Domine, digneris illud in me & per me operari.* Si verò animaduertit id Domino non placere, mox se abnegans, sibique moriens, illud dimittat, quamlibet etiam modicum esse videatur: vt est, rem quampiam semel inspicere, vel verbulum iocosum proferre.

2. *Occasiones peccandi declinandæ, & modus agendi cum proximo, vel ab eo abstinendi.*

Occasiones & pericula peccandi prudenter declinet. Solitudinem diligat, eamque conuenienter colat. Si enim superfluâ hominum societate delectatur, si est impatiens silentij, si hæc aut illa videre incontinenter appetit, si auidè inquirit quid dicatur aut fiat, & vanis rumoribus audiendis libenter vacat, frustrà sibi vel infimum sanctioris vitæ gradum promittit. Secedat igitur & taceat: vt in veris virtutibus proficere, & rebus diuinis animum commodè intendere possit. Dum tamen charitas vel quælibet causa rationabilis exigit, conuersetur humiliter cum hominibus: exhibens se illis benignum & affabilem absq; vitio, pacemque cum omnibus (quantum in se est) seruans. Desidiosum otium tamquam virus pestilentissimum semper fugiat. Omne tempus fructuosè ad Dei honorem expendat.

Rom. 12. & 14.

Heb. 11.

3. *Mores serij & graues.*

A futili lętitiâ, risuque immodesto, ab ineptis scommatibus & iocis, atque ab omni morum leuitate abstineat. In gestibus tranquillus, in vultu serenus, in adspectu verecundus, in incessu maturus sit: & Deo, non autem mundo, placere desideret.

4. *Imitatio Christi, quẽ vt speculum adspiciet.*

Christum Iesum tamquam viuum speculum semper inspiciat, eumque diligentissimè imitetur, vitam suam vitæ illius exactè conformans.

5. *Passionum ordinatio.*

Superbiam, vanam gloriam, sui complacentiam, honoris & fauoris humani appetitum, impatientiæ motus, iracundiæ impetum, carnis concupiscentias, libidinis stimulos, & quaslibet passiones affectionesque prauas, cum adiutorio potentis gratiæ Dei sedulò in se confringat atque enecet.

§. IV.

Conuersatio erga alios innoxia, humilis, & benigna.

1. Proprium iudicium mortificet, alijs potiùs cedendo, quàm cum illis contendendo.

2. Molestiæ illatæ condonentur hominibus inferentibus: & acceptentur tamquam à solo Deo prouenientes, & suo merito immissæ.

3. Seruentur erga proximum dilectio, compassio, & discreta, quando opus fuerit, correptio. Nemo proximorum auersandus, cùm omnes membra sint Christo capiti cohærentia.

4. Nullus peccator, quantumuis magnus, contemnendus; nullus temerè iudicandus.

5. Actus humilitatis creberrimè, & ex corde exerceantur in vitâ sociali inter proximos.

1. *Alijs potiùs cedat, quàm contendat, etiã cùm reprehenditur.*

NON sit in proprio sensu proprioque iudicio obstinatus. Non alicui pertinaciter contradicat, nisi veritas & iustitia contradicere compellat: non leuiter rixetur aut contendat. Alijs facilè cedat, prompteque obtemperet in his quæ licita sunt, alienam voluntatem suæ voluntati præferens. A quolibet se reprehendi doceríque patiatur. Libenter se accuset, libenter culpam agnoscat; atque ad emendandum defectus suos voluntarius sit.

2. *Iniuria condonãda, considerationes & praxes vtiles.*

Iniuriam in se admissam mox condonet & remittat, eique à quo læsus est, clementem ac beneuolum se reddat. Numquam putet aliquem sibi iniustè molestum esse: sed in omni tribulatione suas iniquitates, suamque erga Deum ingratitudinem memoriâ repetens, credat se grauiora commeruisse, quàm sint ea quæ patitur; iustumque esse, vt omnes creaturæ se premant, & tamquam lutum platearum conculcent. His à quibus affligitur relictis, ad Deum qui se affligi permittit, oculos internos conuertat, mitique & humili corde tribulationem suam sustineat, non aliunde quàm de manu Domini eam suscipiens. Nam & quando ferrum secat, non ferrum ipsum, sed manus Medici illud dirigentis attendi solet.

3. *Proximi dilectionis varia praxes & obseruationes Adfectu valdè vtiles.*

Omnes homines (nullo prorsus excepto) sincerè diligat sicut seipsum: hoc est, spiritualiter & ordinatè eos diligat, optando eis gratiam Dei, & felicitatem æternam. Vt autem paratiorem se inueniat ad verè amandum proximũ, existimet, quemlibet hominem, diuinæ gratiæ capacem, esse seipsum. Omnes vt fratres & sorores ad eamdem secum beatitudinem vocatos adspiciat. In ipsis non visibilis carnis vilitatem, sed inuisibilis animæ (cui Deus suam imaginem impressit) nobilitatem pulchritudinemque attẽdat. Omnibus in necessitate, tribulatione,

&ca-

& calamitate aliquâ constitutis compatiatur. Omnibus (& maximè his qui sibi aduersantur, seque persequuntur) benefacere, omnes iuuare & consolari paratus sit. Alienas imperfectiones piâ commiseratione prosequatur ac toleret, omnem cordis sui amarulentiam dulcore sanctæ charitatis sanans & corrigens. Peccata tamen quæ castigare vel reprehendere debet, non dissimulet: sed ea cum mansuetudine & congruâ lenitate castiget atque reprehendat. Oderit peccatum in homine, sed non oderit hominem propter peccatum: nam hominem Deus fecit, peccatum verò non Deus, sed homo fecit. Vanè sibi de gratiâ Dei blanditur, si aliquem odit: frustrà se ex specialibus Dei amicis vnum esse arbitratur, quamdiu aliquem minus sincerè diligit, vel animum ab aliquo per displicentiam & amaritudinem auertit. Ergo omnes suaui charitate complectatur. Propter aliorum delicta doleat, propter virtutes gaudeat, & Deo gratias agat: quod quidem non poterit non facere, si quemlibet hominem, seipsum (vt dictum est) esse
1.Cor.12. existimet. Nam cùm tota Ecclesia sit vnum corpus mysticum, cuius Christus est caput, nos membra sumus, vnumquodque membrum, si per veram dilectionem corpori cohæret, debet dolere altero membro malè habente, & gaudere altero membro benè habente.

4. *Nullus despiciendus, quãtumuis peccator; nec temerè quisquam iudicandus.* Nullum Asceta damnet, nullũ despiciat: de nullius peccatoris conuersione desperet: quia is qui modò pessimus est, potest mox Dei gratiâ mutari, atque optimus esse: nondum enim pons diuinæ misericordiæ, quo transitur ad sanctam vitam, deiectus est. Dicta aut facta eorum qui sibi commissi non sunt, non discutiat nec iudicet: sed commendans omnia Deo, seseque intra se recipiens, tranquillus permaneat. Dum, inquam, cernit aliquem malè agere & peccare, non eum aspernetur: sed Deum pro eo oret, rogans vt & illum adiuuare, & se conseruare dignetur. Omnia quæ videt vel audit, in meliorem partem interpretari consuescat. Si temerarium iudicium, prauaque suspicio, vel alicuius hominis contemptus (quæ voluntariè recepta Spiritus sancti gratiam prorsus impediunt), cordi ipsius importunè se ingesserit, non consentiat: sed mox in spiritu flectens genua, culpamque suam coram Domino agnoscens, ingeminet hæc aut similia verba: *O*
Lucæ 18. *Domine, propitius esto mihi peccatori. Ego vestigia illius serui tui exosculor, eum mihi præfero, meq; eius & omnium hominum pedibus conculcandum præbeo: indignus enim sum quem terra sustineat.*

Omnes igitur sibi semper præponat. *Exercitium humilitatis.* 5.
* Omnium vilissimum indignissimumque se esse reputet, & talis ab omnibus reputari exoptet. Recogitet, quia si etiam scelerati & flagitiosi quique tantam à Domino gratiam acceperissent, quantam ipse accepit, longè melius eo viuerent. * Itaque non alicuius nominis vel existimationis esse, non laudari, non humilis aut sanctus haberi cupiat. Latêre magis quàm cognosci, & subesse magis quàm præesse, itemque doceri magis quàm docere amet. Nouissimo loco contentus sit. Non pudeat eum externæ humilitatis. * Non magnifaciat apud se sua exercitia, exercitijs aliorum ea præferendo. Quantò magis se proficere sentit, & quantò plura dona à Deo recipit, tantò humilior atque despectior sit in oculis suis. Nam si se aliquid esse existimat, longissimè adhuc à Deo abest. Semper ergo penset & confiteatur, se ex se nihil esse, nihil habere, nihilque posse. Nam quæuis creatura cùm ex nihilo facta sit, nihil ex suâ naturâ est: homo verò etiam peccando se ad nihilum redegit: quidquid item creatum est, Conditori comparatum, nihil est. Itaque Asceta abyssum sui nihili attendens, & in eam se demergens, commoretur in profundissimâ valle humilitatis. Dicat Deo: *O Domine Deus, ego pauper & egenus sum: nihil sum, nihil possum, miserere mei.* Ex hac proprij nihili sanctâ cognitione considerationeque, tota salus hominis dependet.

* *Humilis se reputat inter omnes vilissimum.*
* *Indignũ omni laude & loco.*
* *Sua & se nihili facit, & in abyssũ nihili sui sese demergit.*

§. V.

Abnegationem vtilem simul & facilem esse bonæ voluntati.

1. *Abnegatio & resignatio sui pro Dei beneplacito, compendium est totius perfectionis.*
2. *Lapso in exercitijs abnegationis cum dolore offensæ, spe veniæ, & proposito emendationis velociter est resurgendum.*
3. *Ars hæc abnegationis, initio quidem difficilis est; sed constanti exercitio redditur omnino facilis & iucunda.*

1. *Sine sui abnegatione perfectio numquam acquiritur: estq; compendium perfectionis vtilissimũ, mori creaturis, vt viuas Deo, & sese in minimis ob Deum mortificare, sacrificium est Deo gratissimum & animæ vtilissimum.* Ioan. 12.

PROFECTO sine continuo & diligenti sese abnegandi atque mortificandi studio, quocumque se verterit homo, proficere non poterit. Neque enim granum frumenti in herbam spicamque decoram exurgit, nisi priùs moriatur. Hinc quidam Dei amicus ait: *Totius perfectionis verissima regula hæc est: Esto humilis, & vbicumque teipsum inueneris, teipsum relinque.* Ac rursum: *Vera resignatio cum profundâ humilitate, compendiosissima ad Deum semita est.* In verâ atque integrâ mortificatione, vera & iucundissima vita latet. Excellentissimum planè

planè exercitium est, mentem semper gerere morientem erga res creatas: seque intra omnem creaturam deprimere ac vilipendere. Qui enim semper moritur in seipso, semper in Deo nouâ vitâ viuere incipit. Anima resignata & mortificata, est veluti botrus maturus, mollis ac suauis: anima verò irresignata, est tamquam vua immatura, dura atque acerba. Nihil Deo gratius offerri potest resignatione propriæ voluntatis: quia homini nihil est charius ipsâ voluntate & arbitrij libertate. * Quando quis propter Deum sensualitati voluntatique propriæ etiam in rebus minimis reluctatur ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quàm si multos mortuos ad vitam reuocaret. Si duo homines in eodem itinere constituti, elegantem flosculum offenderent, quorum alter cuperet quidem illum decerpere, sed meliùs deliberans diceret sibiipsi, Dimitte eum propter Deum: alter verò nihil præmeditatus, carperet florem: iste quidem simpliciter decerpendo non peccaret, sed ille propter Deum dimittendo florem, tantum præ decerpente obtineret meritum, quanta est distantia cæli à terrâ. Quòd si pro tantillâ mortificatione Deus tam grandem mercedem restituet, quantam illis redditurus est, qui se & omnia pro eius amore contemnunt atque relinquunt? Asceta ergo frequenter dicat Deo intra se: *Propter te, Domine, nolo illud videre, cùm necesse non sit vt ipsum videam: propter te nolo illud audire, nolo illud gustare, nolo illud loqui, nolo illud tangere.* Ipse Deum in fundo animæ suæ perfectè sentire non poterit, nisi in eo moriatur quidquid inordinatum est.

* Ista dulcissima praxis & elegãs exemplum abnegantis se, & mortificantis se propter Deum in re paruâ vt flosculo, valdè placuit & laudata fuit, vt solida & vtilis in viâ spirituali, à viris ætate nostrâ asceseos peritis; vt R.P. Antonio Molinâ tract. 1. de Orat. c. 15. R.P. Iacobo Aluarez de Paz parte 1. lib. 2. c. 16. R.P. Ieremiâ Drexelio lib. 2. Amussis cap. 3. §. 5. R.P. Francisco Arias de Verâ mortificatione c. 4.

2. *Immortificationis actus statim corrigēdus, & quo modo.*

Quando immortificatione aliquâ pulsatus, in aliquem defectum labitur, ingemiscat atque suspiret: non autem despondeat animum, licet fortè centies aut etiam millies vno die labatur. Inuocet Deum, & dicat: *Heu Domine Deus, quàm miser peccator sum ego, in quo vitia adhuc ita viuunt! O quàm infirmum & labilem me inuenio! Putabam, omnem immortificationem iam in me extinctam sepultamq; esse: sed ecce iterùm grauem rebellionem sensi, iterùm læsus sum, iterùm offendi: non tamen despero de tuâ pietate, neque vmquam desperabo per gratiam tuam. Miserere mei, & adiuua me: nam pro tui amore & me & omnia rursum relinquere paratus sum, atque relinquo.* Ita oret, & bono sit animo. Non arbitretur se ideò non esse gratum Deo, quòd adhuc imperfectus sit. Nam Deo valdè acceptus est, * si ex animo desiderat, & totâ diligentiâ contendit esse perfectior: beatusque erit, si in huiusmodi conatu constitutus ex hac vitâ migrauerit.

* Bona voluntas & feruens desiderium maioris perfectionis placet Deo in imperfectis.

Ista mortificatio in initio quidem difficilis est ac molesta: sed vbi quis aliquamdiu in eâ viriliter perstiterit, iam dono Dei facilis omnino multumque amabilis redditur. Sicut enim quælibet alia, ita & ista ars sese mortificandi, si frequenter diligenterque exerceatur, tandem ipsâ continuatione fit homini veluti naturalis. Hanc artem citò perdiscit; qui omnia, quæ in mundo sunt, non magis ad se pertinere putat, quàm si iam carne mortuus esset: sæpè versans animo hæc verba Apostoli: *Mortui estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Dum enim quis propriam voluntatem in omnibus deserit, & priuatum sui amorem abijcit, dum oblectamentis tam spiritus quàm naturæ renuntiat, dum inordinatâ desideria restringit, dum omnium vilissimum & nihil se esse agnoscit, dum intus Deo & foris hominibus promptè obedit, dum curis superfluis se non implicat, dum aliorum facta & dicta sinit esse quod sunt, nihilque temerè iudicat, dum neque laudibus neque vituperijs hominum vitiosè permouetur, dum quamlibet iniuriam, aduersitatem, & miseriam æquanimiter suauiterque propter Deum tolerat, dum leuiter non conqueritur, dum omnibus hominibus communem quemdam charitatis affectum impendit, & eos tamquam templa Dei adspicit: nimirum sibi mundoque mortuus, Deo viuit.

3. *Exercitium abnegationis fit vsu constanti facillimũ, quãdo quis mundo verè mortuus viuit Deo.*

Coloss. 3.

CAPVT III.

De introuersione & reuocatione mentis ad Deum, secundo instrumēto ad acquirendum vnionem mysticam ac deiformem.

1. *Mens auocanda sedulò ab euagationibus per introuersionem ad Deum vbique præsentem.*
2. *Instabilitas cogitationum perseuerante introuersione per Dei gratiam superatur.*
3. *Quomodo cogitanda sit Dei præsentia in rebus omnibus, quæ est præcipua introuersionis materia.*
4. *Firmâ fide credenda Dei vbique præsentia, & ad eam in omni actione reflectenda est intentio.*
5. *Etiam in colloquijs & negotijs, à quibus citò ad vberiorem introuersionem est redeundum.*
6. *Ad veram & perfectam abnegationem facillimè sequitur pura introuersio.*
7. *Christi humanitas simul cum Diuinitate, altera introuersionis materia; & præsentiæ diuinæ modus facilis.*
8. *Introuersio parit simplicitatem animæ, nuditatemque affectus ab omni creaturâ.*
9. *Perseuerãtiâ opus est, vt eam plenè adipiscamur.*

INTROVERSIONI infatigabiliter studeat Asceta. Assiduè mentem suã ab euagationibus

1. *Ab exterioribus mens ad interiora reuocetur, Deũ semper sibi præsentem sistẽdo.*

nibus reuocet, eamque sanctis cogitationibus & meditationibus excolere conetur. Neque enim Deo perfectè coniungi poterit, si voluntariè & datâ operâ, seu cum delectatione vanâ cogitat. Nonnumquam verò Deus permittit etiam perfectos viros importunitate inutilium prauarumque cogitationum & imaginum molestari, vt ipsi illis resistant, vtiliterque exerceantur. Igitur Asceta in omni multiplicitate sit (quantum fieri potest) à multiplicitate liber, vnitatemque spiritus in se seruet. Mente concipiat Deum, vt summam maiestatem summamque bonitatem. Eius amabilem præsentiam vbique attendat: quemadmodum Regius ille Propheta attendebat qui dixit: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* Deum inquam sibi in omni loco præsentem esse consideret: internos oculos non quidem violenter aut impetuosè, sed tranquille & simpliciter in illum dirigens, spiritumque suum in Diuinitatem amanter inclinans.

Psal. 15.

2. Non abijciat spem propter nimiam instabilitatem suam, quâ tam citò defluit distrahiturque: sed animo inuicto in sancto labore persistens, incessanter recolligat dispersiones cordis sui, seque in Deum summum bonum reflectat. Vbi laudabilis hæc cõsuetudo in eo firmata fuerit, non iam sentiet rem ita esse difficilem. Imò verò ipsâ consuetudine tandem in naturam transeunte, tam facilè Deo rebusque diuinis intentus erit, quàm facilè spirat ac viuit. Ceterùm semper meminerit, se suis viribus nihil posse efficere sine Dei adiutorio. Sed Deus ei non deerit, si ipse, quod in se est, humiliter fecerit.

Constans introuersio sanat cordis instabilitatem cũ Dei auxilio.

3. Ergo introuertat se: id est, conuertat se in se, & habitet intra se: ibi enim Deum reuerà inuenire poterit. * Nam Deus qui vbique est, in mente humanâ & nudo animę fundo singulariter est. Illic in suâ imagine habitat, & inde numquam abscedit. Felix verò est, cui ipse Deus adest, non solùm per essentiam (sicut quibuslibet creaturis adesse cognoscitur) sed etiam per gratiam. * Inest enim Deus terræ, mari, aëri, & cunctis rebus essentialiter: qui per Prophetam dicit: *Cælum & terram ego impleo*: ita vt vicinior sit cuilibet creaturæ, quàm ipsa sibi. Nam nisi sic creaturis inesset, non possent illæ subsistere, sed redirent in nihilum, cùm de nihilo factæ, nihil ex se sint. Vnde Deus rectè dicitur essentia omnis essentiæ, qui omnia quæ creauit, subsistere suâ essentiali præsentiâ facit. Ipse totus in qualibet creaturâ, totus & indiuisus in quolibet loco est. In cælo manifestat gloriam suam, * in inferno exequitur iustitiam suam. Eorum qui æternis inferni supplicijs deputati sunt, grauissima pœna hæc est, quòd Deum in se habent, ad quem tamen numquam pertingere poterunt. Cunctis ergo rebus Deus secretissimè inest: & in ipso quoque animæ fundo manet omnibus sensibus occultus atque ignotus. Hinc Isaias dicit, *Verè tu es Deus absconditus.* * Est vbique præsens cum totâ essentiâ suâ, & tamen nullius rei immunditiâ contaminatur: quia nihil ei sordidum est nisi peccatum, quo etiam non inquinatur, quemadmodum claritas solis putentem cloacam illustrans, non inficitur. Licet ipse sit omnia in omnibus, longè tamen supra omnia est.

Materia introuersionis, Deus vbique præsens.

* Deus in animâ.

* Deus in omnibus rebus materialibus.

Ierem. 23.

* Etiam in inferno Deus est per essentiã & iustitiã.

Isa. 45.

* Vbique totus, sine imperfectione.

Igitur Asceta indubitanter credat, inuisibilem Deum iuxta & intra se esse. Cum sancto timore, cum reuerentiâ & humilitate ante oculos eius tamquam casta sponsa stet, dicens cum Eliâ Prophetâ: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto.* Sæpè etiam hæc verba apud se repetat: Dominus adest, Dominus me videt. Quando multùm distractus est, recordatione eorumdem verborum se in conspectum Dei restituat. * Ita Domino intendat (omnibus alijs à se exclusis) quasi ipsam Dei essentiam coràm cerneret, nihilque vsquam præter Deum & se esset. Concludat se in Deo, & in eo tamquam in conclaui cælóve habitet. Gaudeat & exultet, quòd eum tam facilè in se inuenire possit, quodque talem ac tantum thesaurum intra se habeat. Illum autem in se inuenit, quando eius reminiscitur: * sed præclarissimè eum in se inueniet, quando ad nudum animæ suæ fundum pertingere poterit. 4.

Intuitus animæ ad Deum præsentem semper reflectendus est, vt sponsæ ad sponsum.

3. Reg. 17.

4. Reg. 3.

* Introuersio fiat potiùs per cõclusionem sui in Deo, quàm Dei in se.

* Inuenitur Deus in nudo animæ fundo.

Dum colloquijs negotijsque præpeditur, si nequit Deo liberiùs intendere, non tamen interiora sua prorsus deserat, neque ab ipso Deo se elonget, sed anhelam quamdam ad illum affectionem semper retineat: ita vt vbi ab huiusmodi necessitate absolutus fuerit, mox omnibus, quæ non sunt Deus, relictis, se in se recipiat, totumque animum Deo applicet. Neque enim aptus erit ad lucem æternam contemplandam, nisi intus ab omnibus rebus externis tam expeditus sit, ac si illas numquam intuitus fuisset. Beatus omnino erit, quando neque hominum frequentia, neque aliquod aliud impedimentum præsentiam Dei ei præripere poterit: id quod fiet, vbi ita Deo agglutinatus, & in eo ita inclusus firmatusque fuerit, vt illum semper videat magis quàm quælibet alia. 5.

In ipsis negotijs Deũ intueatur, & ad sua interiora redeat Asceta, & semper conetur solus cum solo Deo sibi conuersari.

Profectò qui verâ resignatione nuditateque internâ præditus est, & nihil donorum Dei sibi arrogat aut vsurpat, is etiam si omnibus mundi negotijs atque occupationibus quotidie implicaretur, nihil detrimenti inde acciperet; modò corporis eius imbecillitas onera illa portare posset. Hinc quidam 6.

Introuersio facilis est animæ resignatæ, quæ sese verè abnegauit, & ab omni re creatâ nudauit.

dam Patrum ait: *Qui tenaciter non hæret alicui rei externæ, sed omnia sensibilia temporaliaq; pertransit, atque præterfluere sinit, & ea quæ ad se nihil attinent, indiscussa relinquit, dicens sibiipsi, Ego Deum solum intentione & amore prosequi debeo, cetera omnia salua sint, valeant, decurrant.* Qui, inquam, nusquam delectationem aut commodum proprium quærit, sed tam aduersa quàm prospera penetrans, purè nudeque tendit in Deum; is cuncta opera sua sine dispersione peragere, & in multiplicitate non multiplex persistere potest. Contrà, ille qui Deum in omnibus purè non spectat, neque eum intimè sibi impressum habet, facilè locis, hominibus, & quibuslibet rebus multiplex redditur atque perturbatur. Talis se à Deo elongans, satis periculosè graditur: quia telis hostium expositus est.

7. *Christi humanitatis ac Diuinitatis contemplatio, quâ ratione ad introuersionem conducit.*

Asceta Iesum Christum animæ suæ sponsum, præclarum vestitorem siderum, proponat sibi ante oculos mentis nudum, contemptum, vulneratum, & immensis doloribus afflictum in cruce pendentem. Non attendat illum vt hominem tantùm, sed vt Deum & hominem, veramque lucem. Concipiat, inquam, supernaturalem imaginem de supersubstantiali Domino Iesu. Eum adoret, laudet, & glorificet. Eius rosea Vulnera consideret, salutetque. Recogitet illius pietatem, dulcedinem, atque charitatem immensam.

8. *Anima introuersa, fit simplex, & ab omni creato medio nuda.*

Hoc modo se intus ab omni inordinatâ sollicitudine, ab omni vanâ cogitatione, ab omnibus rerum infimarum imaginibus, (hoc est, formis & similitudinibus) atque ab omni implicatione multiplicitateq; absoluat: hoc modo memoriam suam velut thalamum quempiam sponso cælesti mundam nitidamque cõseruet. Si enim id egerit, ipsi Deo summè placebit; tandemque, imaginibus creaturarum de mente eius sponte decidentibus, † essentiali introuersione donabitur.

† Essentialis introuersio non excludit imagines rerum supernaturalium & diuinarum (saltem in principio antequam ad verticem perueniatur;) cùm numero 7. præcedenti loquens Auctor de Christi Passione & Vulneribus, iubeat concipi supernaturalem imaginem de supersubstantiali Domino IESV.

9. *Perseuerantia in hoc exercitio introuersionis adhibenda est.*

Nullatenus à pio studio & conatu cesset propter ineptitudinem suam, vel propter molestiam quam in initio sentit. Nam qui se alicui arti perdiscendæ tradunt, toties ineptè imperfecteque opus illius iterare solent, donec tandem longo vsu plenam & expeditam eiusdem artis peritiam consequantur. Nonnulli, vbi se vident iam vnum atque alterum annum in labore transegisse, & tamen necdum obtinuisse quod desiderant, despondent animum, ac propositum deserunt: sed non rectè faciunt. Ei enim qui perfectionis scopum aliquando attingere vult, longanimis perseuerantia necessaria est.

CAPVT IV.

Aspiratio, tertium ad vnionem instrumentum. Formulæ aspirationum semper & vbique in promptu habendæ.

1. In promptu habendæ variæ formulæ aspirationum trium viarum Asceticarum.
2. Prima purgatiua.
3. Secunda illuminatiua.
4. Tertia vnitiua.
5. Modus exercendi sese in istis adspirationibus iaculatorijs.

1. *Aspirationes memoriter ediscendæ quomodo in Deum eiaculandæ.*

VT † autem Asceta reddatur ad sanctam introuersionem idoneus, ediscat & commẽdet memoriæ verba aliqua adspirationum suauia atque ignita, quæ in Deum eiaculetur, & quibus vbique locorum, siue quiescat siue progrediatur, seipsum ad illum reuocet, seque ei coniungat & vniat: faciens hoc non quidem cum immoderato impulsu (ne grauatus succumbat sub exercitio) sed placidè. Nos hîc aliquot formulas talium Oratiuncularum adscribemus.

† Has pias & sapidas introuersorum adspirationes ad longum exscriptas laudat R. P. Thomas à IESV lib. 4. de Oratione diuinâ c. 21. toto. Nonnullas etiam ex hoc cap. 4. transcripsit adspirationes R. P. Iacobus Aluares de Paz tom. 3. lib. 4. parte 3. c. 20. Hoc cap. 4. & 5. asserit R. P. Antonius Molina lib. de Oratione tract. 1. c. 17. §. 2. esse exemplar adspirationum omnibus Asceetis ad imitationem positum.

2. *Purgatiuæ vitæ ac viæ adspirationum exempla.*

O Domine Deus, ego vilissimus peccator indignus sum quem terra sustineat. Eheu! procul à te, qui es summum bonum, recessi, & habito in regione longinquâ, in regione dissimilitudinis. Miser & cæcus sum: nihil sum, nihil possum sine te. Eia pie & dulcis Iesu, miserere mei. Ablue me pretioso Sanguine tuo, & ab omni peccato emunda, perfecteque sana, vt tibi placeam.

3. *Illuminatiua.*

O quando mihi plenè moriar, & ab omnibus creaturis liber ero! O vtinam verè mitis & humilis corde, verè pauper & nudus spiritu essem! Præsta, Domine, vt per perfectam mei abnegationem, per perfectam vitiorum omnium mortificationem, perueniam ad perfectum tui amorem. Tu iussisti vt diligam te: da quod iubes, & iube quod vis. Da, vt diligam te ex toto corde meo, ex totâ animâ meâ, & ex omnibus viribus meis, atque ex totâ mente meâ. Ipsas vires animæ meæ confractas & corruptas digneris redintegrare atque reformare per vires sanctissimæ animæ tuæ. Expedi mentem meam ab omni multiplicitate: denuda eam imaginibus & formulis rerum caducarum. Concede mihi liberam ad te introuersionem: concede vt stabili cogitatione, clarâ cognitione, & feruenti amore semper in te fluere possim.

4. *Vnitiua.*

O bone Iesu! O spes mea, & refugiũ meum! O dilecte, dilecte, dilecte! O charorum omnium

nium chariſſime! O amor meus vnice! O ſponſe floride, ſponſe mellifiue! O dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ! O eſſentia eſſentiæ meæ, & iucunda requies ſpiritus mei! O optata conſolatio mea, & ſincerum gaudium meum! O ſpecioſa dies æternitatis, & ſerena lux intimorum meorum! O refulgens conclaue meum, & vernantiſſima mea paradiſus! O amabile principium meum, & ſumma ſufficientia mea, Deus meus! Quid volo præter te? Tu es verum
Cant. 1. & æternum bonum meum. Eia, trahe me poſt te: vt alacriter, purè, & perſeueranter curram in odore viuificantium vnguentorum tuorum.

Præpara, dilecte mi, præpara tibi gratam & amœnam habitationem in me: vt ad me venias, & manſionem apud me facias. Mortifica in me & repelle à me quidquid tibi diſplicet. Auelle ac ſepara me ab omnibus quæ ſunt infra te. Effice me hominē ſecundùm cor tuum: effice me conformem ſacræ humanitati tuæ. Vulnera cor meū medullitus iaculo amoris tui. Inebria ſpiritū meum vino perfectę charitatis. Vni me tibi intimè, & totum transforma atque transmuta in te: vt delicias tuas in me habere poſſis.

O quando tibi per omnia placebo? Quando in me perempta erit omnis proprietas? Quando totus tuus ero? Quando nihil prętter grátiſſimam voluntatem tuam, nihil præter te viuet in me? Quando ardentiſſimè diligam te? Quando me totum concremabis flammâ tui viui incendij? Quando me totum liquefacies penetratum efficaci ſuauitate tuâ? Quando mihi pulſanti aperies, & manifeſtabis pulcherrimum regnum tuum, quod intra me eſt, & quod ipſe es cum vniuerſis diuitijs tuis? Quando me totum in te rapies, abſorbebis, & abſcondes? Quando, ſublatis omnibus impedimentis ac medijs, me tecum vnum ſpiritum efficies, & tibi inſeparabiliter agglutinabis? Eia vnice cordis mei, digneris hoc citiùs perficere: quia te deſidero, ad te anhelo, tui amore langueo, &c.

5. *Modus exercendi orationes & adſpirationes iaculatorias.* Huiuſmodi Oratiunculas pio ſanctoque affectu apud ſe ruminet Tyro ſpiritualis. Plerumque fortè ad exercitium ei ſufficiet vna aut altera ex præſcriptis adſpirationibus: vtiliter tamen illas omnes interdum nacto otio complebit, idque mente tantùm, niſi etiam ore eas proferre velit. Hæc ſola verba, O Domine Deus, ſi deuoto corde ſubinde recogitentur vel repetantur, hominem in præſentiâ Dei ſiue in Deo continere, & peregrina phantaſmata vanaſque cogitationes ab eo excludere poterunt.

CAPVT V.

Quòd per ardentes ad Deum aſpirationes citò quis ad perfectionem, Theologiæque myſticæ ſapientiā, ac diuinam vnionem peruenire poſſit: & quòd multum lugendi ſint, qui hanc vnionem negligunt.

1. Aſpirationes internæ ardenteſque citò perducunt ad vnionem, quæ eſt perfectio myſticæ ſapientiæ.

2. Ideoque lugendi, qui, externis contenti exercitiis, ad vnionem internam non aſpirant: quæ faciliimè ab humilibus, etiam indoctis, obtineri poteſt.

3. Internum exercitium externo longè perfectius; ideoque hoc illi coniungendum: vt magis placeas Deo, qui ſe nobis optimo modo communicare deſiderat.

4. Anima à vitijs purgata facillimè fertur in Deum tamquam in centrum ſuum.

5. Hinc facilè infertur, quænam anima verè diligat Deum.

ASSIDVA † adſpirationū ſiue orationum iaculatoriarum & feruentium deſideriorum ad Deum emiſſio, veræ mortificationi atque abnegationi coniuncta, certiſſimum eſt compendium, quo citò facileque peruenitur ad perfectionem, & myſticæ Theologiæ ſapientiam, vnionemque diuinam. Nam huiuſmodi adſpirationes efficaciter penetrant ac ſuperant omnia media quæ ſunt inter Deum & animam. Sanè quoties quis ab omnibus rebus caducis abſtractus, cor ſuum cum humilitate & amore ad Deum integrè conuertit, toties illi Deus occurrens, nouam gratiam infundit. 1. *Adſpirationum vis quanta, & quantum compēdium ad perfectionem.*

† De hoc §. 1. vide vſum & fructum apud R. P. Iacobum Aluarez de Paz tom. 3 lib. 4 parte 3. c. 4. vbi Bloſius etiam inter alios myſticæ ſcientiæ peritos ob hoc laudatur.

* Multùm lugendi ſunt hi, qui ſenſibus dediti, ac ſolis externis exercitijs per omnem vitam contenti, interiorem animę fundum, beatamque illam cum Deo vnionem negligunt. Ipſi enim, dum veram ſui mortificationem parui faciunt, & ætatem vireſque in his, quæ præcipuè neceſſaria non ſunt, abſumunt, nimirum parum aut nihil in ſpiritu proficiunt, ſemper in eodem luto hærentes. Hæc autem verba, ſi non ore, ſaltem corde & opere dicunt: Vniat ſe Deo qui volet, nos quidem id non curamus, cùm ad eam rem apti non ſimus. Atqui etiam ſimplices & idiotæ poſſunt ad ipſam Theologię myſticæ ſapientiam & vnionem pertingere. Neque enim hîc ingenij ſingulare acumen, ſed puritas atque humilitas cordis, & libertas nuditaſque mentis, ac feruens amor requiritur. Plane humilis ardenſque affectus magis, quàm ſubtilis & inueſtigans intellectus, hominem eò perducit. Imò verò quantumcumque quis ingenio vel eruditione polleat, quan- 2. *Dolendum quòd tam pauci ad vnionem myſticam aſpirent, nec ad animæ fundum peruenire conentur.* * R. P. Thomas à IESV hæc monita à ſe exſcripta laudat lib. 4. de Oratione diuinâ cap. 23.

quantumcumque sublimium rerum cognitione prædicus sit, si seipsum non humiliat, si non efficitur paruulus, & spiritu pauper ac nudus, non potest attingere arcana sapientiæ illius, quam solus Deus per seipsum docet. Hinc Saluator noster exultans in spiritu, dixit ad Patrem: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

Math. 11.

3\. *Exercitiũ internum externo est præstãtius, & minùs periculosũ, & Deo magis placet, qui vult nos optima desiderare & quærere.*

Bona quidem, & Domino grata sunt externa exercitia, laudes diuinas piè decantare, multas preces ore proferre, genua flectere, deuotione sensibili Deum colere, ieiunare, vigilare, ac similia peragere: sed incomparabiliter melius est exercitium internum, quo homo desideranter ardenterque se ad Deum non per sensus & imagines, sed modo quodam supernaturali extendit, vt ei vniatur. Qui externis dumtaxat exercitijs pro sui capitis iudicio cum proprietate inhærent, & se mortificare, Deoque in spiritu coniungere non student, nimirum post vitam in tali imperfectionis vitio finitam, tantò grauiores purgatorij pœnas exoluent, quantò magis hic seipsos quæsierint. Tales benignus Deus non repellit, sed desiderans in illis operari, expectat si fortè aliquando eos aptos atque ab impedimentis liberos inueniat. Relinquit verò eis sua exercitia suosque conceptus: neque enim aliquem cogit. Ipse sanè omnes ad sui cognitionem perducere, sibique vnire vellet, si obstacula remota essent. Satis ægrè fert nos minimis esse contentos, cùm summa dare paratus sit: cupit enim seipsum excellentissimo modo nobis tradere.

4\. *Centrum animæ humanæ & locus naturalis Deus est, qui in animâ mundâ, velut in speculo sol, relucet.*

Et profectò anima à vitijs inordinationibusque expedita, naturaliter tendit in originem suam Deum, sicut ignis sursum & lapis deorsum naturaliter fertur. Naturalis enim locus animæ Deus est, in quo solo illa conquiescere potest. Planè sicut sol visibilis lumen suum in clarum speculum sibi ex diametro obiectum necessariò effundit, atque in eo figuram suam efformat: ita anima munda, & ab impedimentis libera, clarissimis inuisibilis solis radijs illustratur, & in eâ ipsius solis diuini imago excellenter relucet. Heu, quanta est nostra cæcitas ac negligentia! Nos ad hoc conditi sumus vt fruamur Deo, & abyssalem eius bonitatem cognoscamus, iamque in hoc exilio ei vniamur, ac futuram beatitudinem aliquo modo prægustemus.* Ad hoc donata nobis memoria est, vt Dei reminiscamur: ad hoc concessus intellectus, vt per fidem & contemplationem in Dei cognitione proficiamus: ad hoc præstita voluntas, vt Deum eligamus atque diligamus. Quare ergo has excellentissimas animæ vires in nobis marcescere sinimus, illasque ad solas res infimas cogitandas, cognoscendas & amandas deijcimus? Quare eas etiam putenti cœno immergimus? Relinquamus, obsecro, tenebras, auersemur sordes, & lucem puritatemque sectemur. Memores simus nobilitatis nostræ: recogitemus animas nostras imagine Dei insignitas esse: & torpore excusso, reiectisque impedimentis, per verum amorem adhærere Deo conemur: sicut adhæserunt sancti Apostoli, sancti Martyres & Confessores, atque innumeræ Virgines. Illi quippe mundo sibique integrè mortui, Domino intimè vniti fuerunt: inter quos omnes beatissima Dei Genitrix virgo Maria primas in omni sanctitate atque perfectione vitæ post Filium suum tenuit.

* Mysticus Theologus in vsu vnũ animæ potentiarum circa Deum, prægustat in exilio terreno cæleste patriæ beatitudinẽ. Vnde vnio mystica præludium æternæ beatitudinis vocari solet, quæ per actus potentiarum animæ obtinetur, iuxta Theologos scholasticos apud D. Thomam 1. 2. q. 3. a. 3. & seqq.

Ad hoc inquam indefesso conatu assiduè contendamus, vt per omnimodam nostri mortificationem, perfectum Dei amorem consequamur. Is enim Deum verè diligit, cui ipse Deus est id quod est: cui cælestia sapiunt, terrena desipiunt: qui sensus suos exteriores cõcludere, & interiores ab omnibus rebus expedire, viresque omnes Deo applicare nouit: qui, quando se vana aliqua cogitare, atque ab introuersione recessisse aduertit, mox omnibus valefaciens, in essentialem animæ fundum se recipit, & ad simplicissimum illud bonum quod Deus est, integrè conuertit: cui denique dulcedo Creatoris creata omnia in amaritudinem vertit.

5\. *Quis Deum verè diligit.*

CAPVT VI.

Fundamentum contemplationis mysticæ, recordatio & meditatio vitæ atque Passionis, ac Vulnerum Domini Iesu.

1\. *Quomodo de humanitate Christi meditandum sit, eiusque Vulnera sæpius recogitanda.*

2\. *Passio enim Christi fundamentum est, & gradus necessarius ad altissimæ Diuinitatis cõtemplationem.*

3\. *Inter omnia verò miranda passionis præcipuè cogitandus amor ineffabilis, quo tam pro nobis Christus subijt: vt cum nos quoque magis amemus, eique dulcius compatiamur.*

4\. *Maximè verò vt eum imitemur, eique conformemur.*

5\. *Condolendum est Christo, quòd tam multæ nobiles animæ pereant, pro quibus ille tam amanter passus fuit.*

1\. *Christus semper, vt Deus & homo simul, cogitandus & in eius Vulneribus Ascetæ commorandum est.*

ASCETA spiritualis amabilem vitam & passionem Domini Iesu tamquam pretiosissimam margaritam in scrinio pectoris sui semper reconditam habeat. Attendat autem (sicut suprà diximus) ipsum Christum, non vt hominem purum, sed vt Deum & hominem: sic enim sine Deo non erit.

erit. Quandocumque sublimiori meditationi insistere grauatur, libenter recurrat ad humilem humanitatem Domini, exercens se in recordatione eorum, quæ ille fecit ac pertulit pro nobis. Imaginationem tamen nimis pressam & vehementem deuitet, ne caput suum lædat.* In cruce, seu crucifixâ imagine Christi (quæ summam vitæ & passionis eius repræsentat) nidulum sibi collocet. In mellifluis Vulneribus eiusdem benignissimi Iesu commoretur & requiescat. Dum corpus cibo & potu reficit, buccellas, quas sumit, deuotâ cogitatione intingat in purissimum Sanguinem illius (si non impeditur) & hauriat potum è roseis Vulneribus eius. Vel vnica humilis atque amorosa conuersio ad dulcia Vulnera Saluatoris, ipsi Domino gratior est, quàm sit omnis vocum, sonorumque Musicorum harmonia & suauitas. Meritò singulares Dei amici etiam sanguineis lacrymis deflere deberent, quòd hodie in toto terrarum orbe ita eadem præcellentissima Christi Vulnera in obliuionem abierint. Nullus omnino potest aliquid de Domini passione humiliter legere vel cogitare (licet modico fortè affectu id faciat) quin eximium salutis fructum inde referat: quemadmodum fieri nequit, vt is qui farinam vel opobalsamum etiam summis digitis contingit, non habeat ipsos digitos farinâ conspersos, aut opobalsami liquore atque odore perfusos. Etiamsi imago crucifixi Iesu piè inspiciatur tantùm, non erit inanis hæc inspectio.

* Obserua praxim dulcem & meritoriā meditationis de Cruce, Sanguine, Vulneribus & Morte Christi Domini.

2\. Igitur Asceta præclaram crucifixæ humanitatis Christi imaginem in animæ suæ vires, corporisque sui sensus penitissimè imprimat, & se totum in illam immergat. Hæc enim eum tandem in superessentialem ac formæ nesciam imaginem, in æternum (inquam) Verbum ac sapientiam Patris, in altissimam Christi Diuinitatem mirabiliter sustollet. Nam humanitas dulcissimi Iesu, tuta via, ipsissimaque ianua est perueniendi ad eius Diuinitatem. Frustrà planè Asceta adspirat ad mysticam germanamque contemplationem, si se exercere non vult in meditatione passionis Dominicæ, ac verâ humilitate. Nam nisi illam pro fundamento habeat, quò per contemplationem altiùs adscendere pertentauerit, eò profundiùs corruet. Sane etiamsi lumine gratiæ copiosè perfusus, nonnumquam extra suum naturale lumen rapiatur, atque in diuitias Dei absorptus, sese in ipso lumine gratiæ feliciter perdat, dum tamen sibi restituitur, conuenientissimè cordis intuitum ad Iesum crucifixum reuocabit: huic amabili fundamento semper inhærens. Expedit prorsus, vt nunc incomprehensibilem Diuinitatem, nunc nobilissimam humanitatem Christi attendat: atque per istam ad illam adscendat, & ab illâ ad istam redeat. Sic enim tamquam *lignum plantatum secus decursus aquarum*, flumine cælestis gratiæ mirifice inundabitur. Sic feliciter *ingredietur & egredietur, ac pascua* gratissima tam in humanitate quàm in Diuinitate Domini Iesu *inueniet*. Nam summa omnium exercitiorum internorum hęc est, vt abstracti ab omnibus rebus, solum Deum in nudo indepictoque animæ fundo amorosè amplectamur, & nos totos in amabili humanitate Christi abscondamus, eique conformemur.

Humanitatis crucifixæ meditatio, fundamentum contēplationis est; & ianua quâ ad Diuinitatis vnionem intratur.

Psal. 1.

Ioan. 10.

3\. Diligentissimè penset Asceta, quàm ardenti amore, quamque ineffabili gaudio ipse Dominus Iesus humanam carnem assumpserit, & nostram salutem operatus sit: quàm benè de nobis cogitauerit, habens quemlibet nostrûm ante cordis sui oculos in omnibus quę faciebat & sustinebat. Qui post ingentes labores nostri causâ triginta tribus annis toleratos, tandem etiam proprium Sanguinem fundere, & crudelissimam ignominiosissimamque mortem subire voluit: vt peccata quæ commisimus, quotidieque committimus, expiaret. Istam tantam Filij Dei pietatem atque charitatem Asceta memoriâ repetens, exoptet vicem amoris ei reddere: vel etiam paratus sit pro illo non solùm temporales huius vitæ afflictiones, sed & * æterna inferni tormenta tolerare. Domino Deo suo pro se passo medullitus compatiatur. Quòd si durus corde est, duritiam suam illi exponat, ac se humiliet. Plerumque Deo magis placet compassionis * desiderium, quàm ipsa compassio.

Amor, ex quo Christus pati voluit, maximè perpendendus, vt eum & nos redamemus.

* Semper in hoc excessu resignationis amorosę subaudiendū est, quādo id nimirum sine vllâ hominis culpâ ex vehementissimo amore optantis culpâ fieri posset.

* Si verū sit & vehemēs, & ex valdè amoroso ac supernaturali motiuo, & faciat pro actuali cōpassione acquirendâ quidquid potest.

4\. Ceterùm non faciat Asceta quod plerique facere solent, qui cum magnâ quidem forinsecus deuotione, dulcedineque, ac lacrymis passionem Saluatoris nostri recolunt; verùm vitia sua mortificare, & illum sequi, recusant. Non ita faciat: sed ipsam Domini passionem vt verus Christianus meditetur, desiderans imitari sanctissima charitatis, obedientiæ, humilitatis, patientiæ, & resignationis eius exempla.* Optet per omnia conformari sacratissimæ humanitati Christi: vt sicut spiritus Domini Iesu semper fuit subleuatus, ardens, liber, serenus, tranquillus, & lætus, ita sit & spiritus suus. Christus enim, etiam cùm in cruce pendens grauissima tormenta sentiret patereturque, fruebatur Diuinitate secundùm mentem & superiores animæ vires, non minùs quàm modò in cælis fruitur. * Rursus vti anima Christi fuit tristis, compatiens, modesta, mitis, mortificata, ac humilis; * corpusque illius

Amor & compassio prouehant nos ad imitationem Christi, cū omnis amor conformitatem quærat.

* Conformitas cum spiritu Christi crucifixi.

* cum animâ.

* cum corpore.

illius sobrium, castum, purum, honestum, laboriosum, & patiens: ita fit & spiritus suus, anima sua, atque corpus suum.* Grandi desiderio id sibi concedi à Christo postulet: neque enim aliquid magis ei necessarium est, cùm suprema vitæ perfectio in hac conformitate sita sit. O quàm beatus est, qui ad istam conformitatem peruenit! Huic enim reuerà obtigit, quod beatus Paulus Apostolus cunctis fidelibus optat, dicens: *Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.*

* Pro hac conformitate orãdus Christus.

1. Thess. 5.

5\. Meritò autem ad exemplum animæ Christi, anima veri Christiani tristis esse debet, dum considerat, vt plurimi Deum non solùm non piè colant, sed etiam impiè contemnant, seque peccando fœdent ac perdant. Et quomodo is, qui verè Christianus est, non doleret, videns perire tam elegantes & nobiles creaturas? Nam quælibet anima* rationalis, (cùm sit imagine summæ Trinitatis insignita) cælo terraque incomparabiliter præstantior est. Tantam habet cum Deo (à quâ profluxit) similitudinem, vt eius excellentiam nulla creatura, ne ipsa quidem creaturarum omnium præcellentissima virgo Deipara Maria, capere possit. Anima autem abiectissimi mendici, secundùm dignitatem creationis, non est inferior animâ honoratissimi Principis.

Etiã compatiendum Christo pro tot animarum perditione.

* Animæ præstantia incomparabilis.

CAPVT VII.

De derelictione calamitateque internâ, quia solet contemplantibus sæpè euenire. Quòd in consolationum affluentiâ non consistat vera perfectio.

1\. *Desolatio in exercitijs eueniens patienter est toleranda, nec propterea ab eis desistendum: quia tunc illa perseueranter impleta, maximè placent Deo.*

2\. *Vera enim perfectio non est in consolationum dulcedine, sed in verâ resignatione & adhæsione ad Deum.*

3\. *Potest quidem ab incohantibus peti sensibilis consolatio, sed est imperfectionis illa petitio.*

4\. *Quare nõ debet turbari, à quibus eam tollit Deus.*

I. QVANDO Asceta consolatione siue influxu diuinæ † gratiæ destituitur, & frigore interno, duritiâ cordis, obnubilatione sensuum, distractione mentis, aut aliâ consimili miseriâ affligitur: non ob id deserat pia exercitia sua, non sit impatiens, non murmuret aduersus Deũ, non ipsam molestiam effugere quærat, non introuersionis studium deponat, non oblectamenta sensuum sectetur, non recitandis vel audiendis vaniloquijs se tradat, neque tempus inutiliter expendat: sed fidelis Deo suo permanens, voluntatique & ordinationi eius se totum committẽs* ac resignans, tribulationem illam æquanimiter toleret, atque ad peragenda ea quæ fructuosa sunt, se compellat, vel etiam alicui externo operi conuenienter insistat. Oret tunc humiliter: & Domino libenter suis impensis cum labore seruiat, atque ad eum, si non suauiter, saltem diligenter aspiret. Nam bona, quæ durante huiusmodi calamitate facit, licet ipsi insipida sint, si tamen facit quod in se est, Deo optimè sapiunt, & ei gratissima sunt. Dicat ergo Deo: *Domine, etiamsi omnibus diebus vitæ meæ, & vsque ad extremi iudicij diem, absque aliquâ consolatione (te ita ordinante) permanere deberem;* *paratissimus per gratiam tuam esse vellem, ad grauia quæque pro tui amore perferenda.* Errant plurimum, qui tunc solùm sua opera atque exercitia Deo placere putant, quando ipsi sensibiliter à Deo visitantur, exhilaranturque.

Non est desistẽdum ab exercitijs, propter desolationem occurrentẽ: nec ideò quærenda solatia externa per extrouersionem.

* Resignatio, oratio, perseuerãtia, durante derelictione, Deo est gratissima, & derelicto vtilissima.

* De hac purissimâ resignatione in quauis spiritus paupertate & desolatione, ad illustrandam Blosij doctrinã, multa & solida adfert R.P. Ludouicus de Ponte lib. 2. in Cantica, Exhortatione 17. §. 3.

† Hæc sunt mystica synonyma desolationis seu derelictionis spiritualis, quæ tantùm est absentia Dei vel gratiæ actualiter Ascetam consolantis, non verò habitualiter iustificantis.

2\. Sanè, vera perfectio non in perceptione magnæ dulcedinis, neque in consolationum affluentiâ consistit: sed in hoc sita est, vt quis se & omnia pro Dei amore relinquat, se verè abneget atque mortificet, & voluntate propriâ in voluntatem Dei integrè transfusâ, liber tranquillusque in omnibus quæ sibi eueniunt, permaneat, ac Deo adhæreat, vnus spiritus cum eo effectus. Ergo ad veram perfectionem integrâ resignatione atque mortificatione peruenitur; quam nemo sibi promittere debet, quamdiu in eo vel vna sanguinis gutta superest, quæ necdũ acri, vario, diuturnoq; contra vitia certamine prorsus deuicta, necdum diuini amoris igne plenè decocta atque concremata sit. Nonnulli se periisse putant, quando sensibili consolatione priuantur: & rursum se sanctos Deoq; acceptissimos esse credunt, quando illam accipiunt: sed (sicut suprà diximus) falluntur & errant. Plerumque enim Deus ibi per gratiam suam maximè adest, vbi minimè sentitur: & sæpè homini melior est ariditas cordis, quàm esset profusissima abundantia suauitatis. Nam in ariditate & sterilitate homo clariùs agnoscit se ex se nihil posse. Porrò suauitas illa nonnumquam conceditur etiam his qui pessimè viuunt, quique à Deo alieni sunt. Ipsa itaque non est indubitatum sanctitatis indiciũ, sed Deus per eam manifestat bonitatem suam. Certa sanctitas & deuotio, est æqualis illa animi promptitudo, quâ quis paratus est seruire Deo non minùs in aduersis, quàm in prosperis.

Vera deuotio & perfectio non est in consolationibus, sed in forti adhæsione ad Deum cum verâ resignatione & plenâ mortificatione, vsque ad vltimam sanguinis guttam.

Possu-

3. Possumus quidem consolationem & gratiam sensibilem piè à Deo postulare, maximè in initijs melioris vitæ, vt scilicet dulcedine gratiæ Dei gustatâ, citiùs pleniusque omnibus vitijs emoriamur, & ipsi Deo (qui est summum bonum) tenaciùs adhæreamus: aliqua tamen imperfectio in huiusmodi petitione latet, quæ nonnihil germanæ abnegationi derogat. Dona atque effluxus Dei non sunt ipse Deus: vnde & in illis quiescere fas non est. Qui in eis etiam paululùm quiescunt, & qui Sacramentum †Eucharistiæ ad minimam sui oblectationem percipiunt, impediunt semetipsos, ne in suam originem, Deum pertingere possint. Omnino debemus permittere vt Deus in nobis operetur, ac nobis donet quidquid vult, quando vult, & sicut vult: debemus permittere vt nos deducat per vmbram mortis, & tenebras inferni.

Imperfectorum est, deuotionem sensibilem appetere; perfectorũ, resignationẽ ad dulcedinem vel amaritudinem ex animo Deo offerre.

4. Igitur non angamur, si nobis deest sensibilis deuotio, sensibilisque amor, (qui plerumque impurus est) si item desunt lacrymæ exteriores: sed hoc vnusquisque curet, vt per rationalem siue intellectualem amorem, nempe per bonam voluntatem, Deo semper vnitus sit, & beneplacitum Dei pro summo solatio habeat. Absurdum valdè foret, quotidie in Oratione Dominicâ dicere Deo, *Fiat voluntas tua*, & tamen perturbari vel indignari quando illa sit.

Patienter feratur deuotionis sensibilis absentia.

Matth. 6.

† Est quidem ipse Deus idem præsens in Eucharistiâ, qui in cælo vel alibi: sed agit Auctor de quiete & oblectatione ex solâ Sacramentali sumptione, in quâ non ita hærendum, vt impediamur in fruitione vel vnione Dei extra Sacramentum, quod pignus est vitæ æternæ ad illã nos iuuans, non impediẽs.

CAPVT VIII.

Farrago præceptionum, quas Asceta spiritualis ignorare non debet.

§. I.

De pabulo spirituali mentis per orationem, verbum Dei auditum, vel lectum, & Eucharistiæ frequentationem.

1. Quomodo oratio sit inchoanda, mentisque attentio contra distractiones stabilienda.

2. Distractio non voluntaria non minuit orantis meritum. Discrimen orationis internæ & externæ.

3. Adhibenda tamen orationi Sanctorum inuocatio; inuocationi autem coniungenda eorum imitatio.

4. Verbum Dei cum omni reuerentiâ & humilitate, sine vanâ curiositate audiendum.

5. Lectionis sacræ intentio, modus & materia; quæ semper est orationi connectenda.

6. Eucharistia quotidie sacramentaliter, aut saltem spiritualiter sumenda; eius excellentia, fructusque admirandi.

1. ANTE orationem, & in oratione Asceta expediat mentem suam (quantum potest) à curis imaginibusque rerum aliarum: atque ita placide, reuerenter, simpliciter, & amanter Deum præsentem attendens, seque Deo præsentem exhibens, precetur & adoret eum in spiritu & veritate. Vt autẽ discat esse attentus, tranquillâ sedulitate consideret inter psallendum quæ verba ad Deum referantur, quæ item à Deo dicantur: & illa religioso gratoq; animo proferat vel audiat. Si tamen nondum potest esse satis stabilis corde, non ob id perturbetur: sed resignatus sit, atque opus perfectum, quod sibi deest, verâ humilitate & bonâ voluntate sanctoque desiderio suppleat. Vbi Deus in eo, & ipse in Deo per intimam vnionem radicatus firmatusque fuerit, vbi, inquam, ipse à multiplicitate liber, ad simplicem nudumque animæ suæ fundum, (in quo originalis fons Diuinitatis inuenitur) pertigerit, tunc precationem fixam ac stabilem Deo offeret.

Orationis inchoandæ & attentionis stabiliendæ modus.

Ioan 4.

2. Sanè Deus infirmitatis humanę conscius, non reijcit pias orationes, etiam cum distractione mentis peractas; si is, qui orat, studiosè oret, inuitusque distrahatur, & voluntatem suam à Deo non auertat. Precatio exterior, quæ ore tantùm funditur, veluti palea est: nam interna oratio, quæ funditur mente, ipsum granum est: illa quæ & mente funditur & ore profertur, Deo multùm grata est. Horæ Canonicæ, & aliæ Preces, quas quis ex voto vel ex sanctæ Ecclesiæ, Ordinisve sui constitutione persoluere debet, omnino proferendæ sunt ore. * Nulla præstantior oratio est, quàm vt quis petat gratissimam Dei voluntatem in se & in omnibus alijs fieri.

Distractio contra voluntatẽ non minuit meritum. Optima oratio est resignatio.

* Hæc citat & variâ praxi adornat R. P. Ieremias Drexelius lib. 2. Amussis c. 8. § 2.

3. Si Asceta inuocat aliquem Sanctum iam in cælo glorificatum, non dubitet quin ille audiat orationem eius, etiamsi ipse nihil ore proferat. Adspiciat illum tamquam in Deo (cui vnitus est) præsentem. Gratæ quidem sunt Deiparæ virgini Mariæ ac ceteris Sanctis quælibet orationes & hymnodiæ, quas ad honorem eorum piè persoluimus: nullum tamen acceptius obsequium eis præstare, nullo maiori eos honore afficere possumus, quàm vt illos imitati, pauperes simus spiritu, & præsentiam Dei vbique attendamus, nosque in fundum animæ assiduè recipiamus. Vera autem spiritus paupertas, est vera cordis humilitas, quâ quis se infra omnem creaturam deijcit, & ab omnibus rebus caducis liber est, internarumque consolationum oblectationi renuntiat, & afflictus, depressus, derelictus, irrisus, atque contemptus, patientiam pro Dei amore seruat, non quærens ipsa sua grauamina à se depellere.

Sanctorum inuocatio ad orationẽ confert, si adsit imitatio, maximè in paupertate spiritus seu humili resignatione.

4. Verbum Dei, & salutarem doctrinam prom-

Verbũ Dei sine fastidio audiendum, & sine curiositate, à quocumque dicatur.

prompto desiderantique animo Asceta audiat, à quocumque etiam homine proferatur, & quantumcumque simpliciter depromatur. Sic enim perennem fructum referet ex his quæ audit, etiamsi è memoriâ eius illa elabantur. Quòd si minùs alacriter ea, quæ pia sunt, susceperit; non loquẽtis aut docentis vitio, sed suâ culpâ id accidisse credat, ac se humiliet. Non magnoperè curet, vtrùm defectibus aliquibus obnoxius sit is qui loquitur, modò veritatem loquatur. Attendat ipsam veritatem, sicut ex origine suâ fonteque suo (nempe Deo) promanat, & non curiosè discutiat qualis sit fistula per quam illa manat. Paratam voluntatem habeat adimplendi omnia vtilia præcepta, quæ audit vel legit, quantum ad se pertinere possunt.

5\.

Lectionis sacræ obeũdæ præcepta & obseruationes.

* De hoc monito & alijs Blosianis vide, quæso, R. P. Iulium Nigronium Asceticorũ tract. 5. De lectione librorum spiritualium c. 4. §. 21. & c. 6. §. 31.

* Idem Nigronius ibid. cap. 5. §. 24. de praxi in hac auiditate, alacritate, esurie lectionis spiritualis plura adfert. Item de Regulis cõmunibus Soc. IESV Regulâ 2. vbi pro lectione spirituali vtiliter obeundâ Blosij monita commendat § 41. & vicinis.

Dum sacræ lectioni incumbere vult, purè honorem & gloriam Dei quærat, non autem impurè sui oblectationem, vel inanem aliquam curiositatem, multarúmve rerum cognitionem, spectet. * Et non nimis multa vno eodemque tempore legat: ne serenitatem tranquillitatemque mentis amittat, & intus prægrauetur. Legat verò cum placidâ animi sedulitate, * internaque esurie, non negligenter ac fastidiosè. Ea quæ bona & salutaria sunt, licet fortè sæpiùs à se lecta vel audita fuerint, tamquam noua sine tædio semper excipiat. Profectò, si humiliter, piè, simpliciter, studiosè, & reuerenter talia legerit, eximiam vtilitatem ex eis referet, etiamsi illa minùs intelligat. Post lectionem agat gratias Domino: & ea quæ legit aut audiuit, offerat illi in laudem æternam, in vnione diuini amoris ipsius. Ruminet eadem apud se (si otium suppetit) Deumque precetur, vt secundùm illa vitam suam instituere, & ex eis in dilectione Dei proficere possit. Nam oratio lectionem mirè fructuosam reddit. Sanè ei qui ad intimam cum Deo vnionem pertingere, & in amabili vitæ libro supremas literas legere, atque in incorruptibili speculo Diuinitatis ineffabilia spectacula contemplari desiderat, magis necessarium est passionem Domini recolere, orare, aspirare ad Deum, & fundo suo familiarem esse, atque intra se habitare, quàm in lectione materialium librorum iugiter occupari.

6\.

Eucharistiæ frequentatio, saltem spiritualiter, quotidiana ob dignitatem & fructum.

Venerabile Sacramentũ Corporis Dominici Asceta libenter sumat. Nam ex humili, crebrâ, deuotaque perceptione Eucharistiæ, magis in vitæ sanctitate, & diuinâ vnione proficiet, quàm ex quolibet alio exercitio. Eam si fortè non quotidie accipit sacramentaliter, accipiat tamen per pium desiderium, veramque præparationem spiritualiter. Hoc modo non semel tantùm, sed sæpiùs singulis diebus illã cum ineffabili fructu suscipere potest. O dignissimum suauissimumque Sacramentum, in quo sub specie panis, itemque sub specie vini, accipimus totum Christum, nempe Corpus, Sanguinem, animam & Diuinitatem Christi: accipimus totam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Neque enim ab inuicem separari possunt tres personæ vnius Deitatis atque essentię. Tota ergo Trinitas inhabitat ipsum Corpus Christi; quia tota Diuinitas in eo est. * 1. Quod corpus Dominicum qui cum debitâ deuotione percipit, emundatur ab omnibus delictis, & etiam ab illis mortalibus peccatis absoluitur, quæ se nescit vel non meminit admisisse, modò ita sit affectus, vt si illa se perpetrasse sciret, confiteri & pœnitentiam agere vellet: * 2. Efficitur item particeps omnium bonorum illorum quæ Christus in vitâ, passione ac morte suâ promeritus est, * 3. imò & illorum omnium bonorum, quæ ab Adæ temporibus vmquam facta fuerunt, atque ad vltimum vsque electum fient: * 4. vnitur denique & incorporatur Christo, vnde robur virtutemq; vitijs resistendi ac bonis operibus insistendi accipit: iamque puriori & excellentiori vitâ ornatus, transformatur atque transmutatur in Deum, & omni gratiâ gloriosissimæ Trinitatis impletur.

* Fructus mirabiles Eucharistiæ: 1 Emũdatio à peccatis:

* 2. Participatio omniũ bonorũ Christi,

* 3. & aliorũ ab orbe condito:

* 4. Robur vitæ cælicæ ex vnione cũ Christo.

§. II.

Beneplacitum Dei libenter acceptandum. Iudicia Dei & mysteria fidei reuerenter suscipienda, & non curiosè examinanda.

1. Voluntati propriæ pro Deo semper moriendum; obedientiæ verò nihil præferendum.

2. Inspirationes diuinæ diligentissimè obseruandæ, & qua ratione eæ facilè dignoscantur.

3. Omnia ad Deum vt fontem omnium referenda: & quomodo omnia ab æterno fuerint vita in Deo.

4. Iudicia Dei non sunt scrupulosè inquirenda, nec mysteria fidei curiosè discutienda.

ASCETA magis semper id amplexetur & faciat, quod propriæ voluntati sensualitatique magis aduersatur. Quando quispiam petit ab eo aliquid quod non est illicitum, continuò abneget atque relinquat seipsum, paratusque sit facere voluntatem alterius, verâ discretione seruatâ. 1.

Moriẽdum est volũtati propriæ, vt fiat voluntas Dei per obediẽtiam meritoriã: sine quâ nemo perfectus.

Nihil vmquam sanctæ obedientiæ præferat. Malit folia & quisquilias arborum per obedientiam colligere, quàm secundùm pro-

propriã voluntatem magnis operibus sublimibusque exercitiis insistere. Promptè propter Deũ obediat, etiamsi Superior, cui obedire debet, multùm imperfectus sit. Agnoscat illum Dei vicarium esse, & ei honorem atque amorem sincerè impendat. Tanta virtus est obedientia, vt Patres asserant maius esse meritum eius, qui libenter quidem ad honorem Dei ieiunaret, sed ex præcepto Superioris, siue ex sacræ Religionis constitutione, etiam carnes sobriè continenterque manducat; quàm sit meritum illius, qui pane & aquâ contentus, ieiunat ex propriâ deuotione. Ad perfectionem peruenire non potest, qui proprium sensum deserere, & promptè obedire non vult.

2. *Inspirationes diuinæ seriò sunt obseruãdæ, & emissæ proprio iudicio statim executioni mandandæ.*

Diuinas inspirationes diligenter intus obseruet Asceta, audiens quid in se loquatur Dominus: quas quidem inspirationes & internos Dei tractus manifestè percipiet, si nõ implicatã, distractam, & inquietam mentem habeat. Exhibeat se semper Deo tamquam viuum instrumentum, paratissimusq; sit ad exequendum illius beneplacitũ, dicens cum B. Paulo: *Domine, quid me vis facere?* (Actor. 9.) In nullâ omnino re, in nullo exercitio, diuinæ voluntati aduersetur. Nullum modum, nullam consuetudinem, quamlibet sanctam, cum proprietate retineat. Nihil cum proprietate faciat. Eos modos & ea exercitia amplectatur, ad quæ amplectenda magis à Deo intus inuitatur ac trahitur, & quibus se ad Diuinitatis amorem vehementiùs accendi, viciniusque Deo coniungi sentit. Essentialis ad Deum via est vniformis, sed exercitia sunt diuersa. * Si dubitat vtrùm propensio sua à Deo sit, attendat an voluntatẽ Dei omnino sequi vellet, si eam perspectã haberet. Nam si ita reuerà affectus est, & Deũ orat vt se illuminet doceatque, iam id ad quod crebriùs intus trahitur, sciat esse à Deo, modò à sacris Litteris & Ecclesiæ dogmatibus non discordet. In rebus tamen grauioribus præstat consulere expertos, atque eorum consilium humiliter sequi, ob dolos dæmonis se nonnumquã in Angelum lucis trãsfigurãtis.

** In dubio quid faciendum.*

3. *Omnia ad Deum referenda.*

Quidquid Asceta decoris videt, quidquid sentit suauitatis, quidquid perfectionis aduertit in rebus creatis, id totũ referat ad laudem Dei, qui est fons & origo omniũ. Hunc transscensis fragilibus creaturis, sincero amore complectatur. Si eum habuerit, habebit omnia. Deus enim continet in se exuberantissimè totum quod delectat aut placere potest. * Omnis perfectio quæ in creaturis est diuisa, in eo vnita inuenitur: & ipse cùm sit archetypum exemplar omnium, etiam est omnia: increatum esse omnium rerum est. Habuit siquidem in suâ æternâ scientiâ diuinas rationes atque ideas eorum quæ fecit: & quidquid ab eo creatum est, semper ab eo cognitum fuit, semper in mente eius vixit viuetque. Hinc Euangeliũ dicit, *Quod factum est, in ipso vita erat.* (Ioan. 1.) * Vnde & nos in Deo secundùm ideam ab æterno fuimus: in eo inquam fuimus & sumus increati, in quo, siue in cuius cognitione, res omnes sempiternè viuunt, & vita sunt. In essentiâ ergo Dei rerum omnium exemplaria sunt: & ipsa eadem diuina essentia vnum omniũ rerum exemplar & vna idea est. Nam omnis rerum multiplicitas in simplicissimâ superessentialiq; Dei essentiâ ad vnitatem redigitur: & omnia in Deo vnum sunt. Igitur in Deo sunt verissima & perfectissima rerum exemplaria, quæ incorrupta in æternũ permanent. * In hoc autem sensibili mundo, ea quæ videmus, symbola quædam & signa verorum sunt tantùm, quæ cum tempore labuntur & prætereunt. Pulchritudo, elegantia, suauitas, opulentia, dignitas, & perfectio omnium creaturarum, comparata pulchritudini, elegantiæ, suauitati, opulentiæ, dignitati, & perfectioni Creatoris, nihil est: quemadmodum aquæ guttula, comparata toti Oceano, vix aliquid est. Planè si cælum, terra, & quæcumque Deus creauit, item quæcumque creare posset, (posset enim, si vellet, creare plurimos mundos, isto longè excellentiores;) si, inquã, ea cum ipso Deo componãtur, tam nulla vel modica sunt, quàm modica est acies vnius acûs, comparata cum vastißimâ cæli mole. Ipse autem summus Conditor ac Deus noster, sicut sine principio, & sine fine sempiternus est; ita sine alteratione & sine variatione incommutabilis est, semper idem permanens.

** Quomodo sint omnia in Deo vnitas & vita.*

** Quid idea in Deo.*

** Creata sunt symbola & vmbræ, & cum Deo velut guttula in Oceano.*

4. *Iudicia Dei sunt inscrutabilia, & mysteria Trinitatis & Eucharistiæ inuestigabilia.*

Non inquirat Asceta (si errare non vult) quare Deus aliquos in errore cæcitateq; deserat, alios non deserat: sed relinquens Deo iudicia sua (quæ sunt abyssus impenetrabilis) certo credat eum nihil agere, nihilque permittere iniustè. Non etiam temerè inuestiget, neque curiosè loquatur de mysteriis altissimæ atque incomprehensibilis Trinitatis: sed veram integramq; de vno Deo in tribus personis fidem simpliciter retineat: sciens, tam impossibile esse vt aliquis ipsam Trinitatem explicet, quàm impossibile est vt quis in terrã stans cælũ digito contingat. Quis enim intellectu capiat, vt Pater se intuens, clarissimaq; cognitione abyssum perennis essentiæ suæ perspiciens, præ deliciarũ affluentiã Verbum suum æternũ proferat, seu Filium generet? nam illa sui cognitio, Filij sui in æternitate generatio est. Quis intelligat, vt Spiritus sanctus procedat atq; emãnet à Patre & Filio? Quis capiat, vt Pater,

Filius, & Spiritus sanctus, vnum (quantum ad essentiam attinet) verè sint, cùm tamen in ipsis personis magna sit distinctio; & vt quælibet persona duas alias intra se habeat? Præstat omnino aliquid hinc experiri, quàm dicere. * Qui excellenter à Deo illuminantur, & ad mysticã cum eo vnionem pertingunt, certiùs cognoscunt ea quæ ad Fidem Catholicam occultamque veritatem pertinent, quàm nos cognoscamus ea, quæ coràm posita cernimus oculis corporis. Ergo nec istud perscrutari tentet Asceta, quomodo verum, viuum & immortale Corpus Christi sit in Sacramento Eucharistiæ: quin potiùs credens nihil Deo esse impossibile, puram inuiolatamque fidem seruet in his quæ intellectu & ratione comprehendere nequit.

*Excellentissima est cognitio rerum fidei in animâ per mysticã vnionẽ illuminatâ.

§. III.

De luctâ spirituali contra tentationes & aduersitates irruentes.

1. Tentationes & praua inclinationes ad pugnam & coronam relinquuntur, etiam in viris perfectis: vincuntur autem, resignatione, vsu Sacramentorum, & fiduciâ bonitatis diuinæ.

2. Patientia in aduersis propter Deum, inter præstantissima signa seu coniecturas diuinæ electionis meritò numeratur.

1\. PROPTER tentationes occurrentes ipse Asceta non frangatur animo: nam virtutum perfectio strenuâ decertatione comparatur. Vtiliter in nobis Deus relinquit propensiones vitiosas. Idcircò enim hoc facit, vt nos modò viriliter illis resistentes, legitimeque pugnantes, gloriosè aliquando in cælis coronet. Non expedit vt omnes citò absque tentationũ impugnationibus ad perfectionem perueniant. Neque enim solet seges eximium fructum proferre, nisi priùs asperitatem hiemis perferat. * Certum est, eos qui ad vitia multùm procliues sunt, & ægrè ab imaginationibus rerum caducarum (quibus mens eorum depicta est) auelluntur, si diligenter seipsos mortificare denudareque studuerint, multò præclariores futuros, quàm sint illi qui non ita proni sunt ad vitia, & facilè ab imaginibus se expediunt. Nam Principis figura, magno diuturnoque labore lapidi insculpta, magis commendatur, quàm figura molli luto citra difficultatem impressa. * Et quidem si aliquis eorum qui strenuè decertant, migret imperfectus ex hac vitâ, atque in Purgatorio aliquamdiu detineatur, vbi ipse iam plenè purgatus fuerit, gradum in regno cælorum longè altiorem obtinebit, quam obtineat is qui non ita strenuus ac feruens fuit, licet fortè sine aliquâ Purgatorij pœnâ ad Deum peruenit.

1. Tentationes ac propensiones vitiosæ, vtiliter ad pugnam & coronam remanent in studiosis perfectionis.

* Maius meritũ est mortificare sese in naturâ vitiosâ & difficili, quàm in molli & facili, à similitudine sigilli in cerâ vel lapide.

* Altior locus in gloriâ erit pugnantis, quàm non impugnati.

* Nonnumquã etiam viri perfecti in inferioribus & animalibus viribus sentiunt inordinatos vitiorum motus, quibus tamen ratione & voluntate contradicunt. Tunc nimirum tempestas in exteriori homine sæuit: at in interiori homine pax integra seruatur. Asceta igitur propter illa quæ in inferioribus animæ viribus inuitus sustinet, non putet se gratiam diuinam perdere. * Deus salutem electorum suorum sæpè promouere solet ex his, quæ ipsi omnino contraria saluti suæ esse arbitrantur: vnde & tentationes fœdas, horrendas, atque infernales eis nonnumquã accidere permittit. 1. * In talibus Asceta se totum resignet Domino, manens intus apud se. 2. * Non omittat propter illas percipere sacram Eucharistiam, aut alia bona opera facere. Nam quantumlibet eas sentiat, quãdiu non consentit, nullum salutis suæ detrimentum patitur. 3. * Blasphemias, & alia absurda quæ suggerere diabolus cõsueuit, non pluris faciat, quàm muscas circa se volitantes. Mox auertat se ab illis. 4. * Si vehementiùs importuniusq; infestatur, signo Crucis edito, inuocet Deum, & dicat: Domine, conserua me immaculatum coram te: ego mallem mori millies, quàm huic iniquitati, huic pessimæ suggestioni consentire. 5. * Confugiat ad arborem Crucis, seu ad Dominicam Passionem. 6. * Et licet fortè vsque adeò se derelictum esse sentiat, vt Deus ei dicere videatur, Recede à me, non noui te, non places mihi: nequaquam tamen ob id spem abiiciat; sed fide plenus, cum beato Iob dicat: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo:* & si in profundum inferni demersus fuero, inde me liberabit. Atque ad Deum conuersus, addat: Multum quidem me grauant ea quæ sustineo, Domine, & mihi minùs congrua atque vtilia esse videntur: sed tu, qui sine causâ nihil accidere permittis, scis quare eueniant. Vnde ego tuæ bonitati confidens, me totum tibi funditus resigno. Credat, non posse se derelinqui à Deo, si non ipse Deum derelinquat. Deus conscius infirmitatis humanæ, diligentissimè moderatur tentationes electis suis occurrentes, ne magis ingrauescant quàm illi ferre possint: quemadmodum amantissima aliqua mater nudans infantem suum ad ignem, inter ipsum infantem & ignem manum sedulò continet, ne ille nimio calore lædatur.

* Motus sensualitatis, ratione vigilante & repugnante, non minuunt gratiam.

* Tentationes fœdæ & blasphemæ superentur

* 1. Resignatione:

* 2. Piis exercitiis:

* 3. Contemptu talium suggestionum, velut muscarum:

* 4. Oratione, & signaculo Crucis:

* 5. Arboris Crucis memoriâ:

* 6. Fiduciâ in Deum. Nam Deus non derelinquit adhærentem ipsi. Iob 13.

2\. Asceta memor passionis Dominicæ peccatorumque suorum, quamlibet tribulationem & cordis angustiam libenter perferat: & eam, (quomodocumque & vndecumque aduenerit,) non aliunde quàm de manu

2. Patientia in aduersis, ob Dei amorem, ad meritum vtilissima, est annulus desponsans animã Deo, & imago Passionis Christi.

nu Domini suscipiat, etiamsi vitio suo & culpâ illam sibi fortè conciliauerit. Paratus sit vel ad extremum vsque iudicij diem in doloribus ac pressuris viuere, si ita Deus vellet.* Neque enim aliquid vtilius homini accidere potest quàm tribulatio, siue sit externa, siue interna. 1.* Et nullum certius signum diuinæ electionis habetur, quàm si quis tribulationem humiliter patienterque propter Dei amorem sustineat. 2.* Illa enim est preciosus & præclarus annulus, quo Deus animã sibi desponsat. 3.* Pati pro Deo, res tantæ dignitatis est, vt homo iure se reputare debeat indignum eo honore. 4.* Etiam exigua molestia propter Deum æquanimiter tolerata, incomparabiliter præstantior est, quàm sint multa & grandia bonorum operum exercitia. 5.* Quoduis grauamen imaginem aliquam excellentissimæ Passionis Domini nostri Iesu Christi refert, & in eo homo promereri potest perfectam eiusdem Passionis Dominicæ participationẽ. 6.* Per tribulationem dona Dei obtingunt homini: vel si ea ante tribulationem obueniant, per tribulationem conseruantur. 7.* Quidquid modò patimur, hoc Deus ab æterno præuidit, sciuitque nos illud ita, & non aliter, esse passuros. Numquam ipse fineret minimam aduersitatem intus forisve exurgere, & nec minimum quidem ventum flare aduersus electos suos, nisi sciret hoc eis expedire ad salutem. Frigore, æstu, fame, siti, infirmitate, & quibuslibet aliis afflictionibus, non solùm purgat, sed etiam mirificè exornat animas nostras. Sicut peritus aliquis pictor imaginem perornare solet lineis, atq; coloribus superinductis; & sicut aliqua nobilis puella, nuptura illustri Principi, decoratur auro & gemmis, honestaturq; cultu vario. Dicit quidem Deus his quos sublimiter elegit, sibique singulariter segregauit: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei:* verumtamen potiùs, quàm tales non purgarentur atque exornarentur per tribulationes,* ipse permitteret vt & dæmones, & homines, & elementa, siue quælibet creaturæ, illos premerent atque grauarent. 8.* Igitur omnis afflictio & amaritudo patienter loco inferni atque purgatorij toleranda est. Anima enim verè pura & resignata, mox vt è corpore egreditur, ad regni cælestis palatium euolat. 9.* Quidam amicorum Dei ait: *Quando aliquis afflictionem vel dolorem sentiens, Deo se humiliter perseueranterq; resignat, huiusmodi resignatio est ante ipsum Dominum velut cithara dulcisona, in cuius chordis Spiritus sanctus suauissimè canens, cælestis Patris aures occulto quodam internoq; modulamine mirificè demulcet. In hac citharâ crassiores fides, id est, exterioris hominis vires (quæ vndique dolore occupantur) demissum lugubremq; sonum reddunt: at fides exiliores, nempe, vires interioris hominis, (quæ plenâ deuotione in spontaneâ patientiâ, resignatione persistunt) acutum iucundumq; sonum edunt. Natura sensibilis excruciata gemit, sed natura superior ac rationalis permanet trãquilla.* 10.* *Et profectò, anima efficitur Sponsi æterni prædilecta sponsa, specialisq; Regina, per ardentes & ignitas afflictiones ipsam ossium medullam deuastantes: quæ illam non aliter præparant, quàm ignis ceram, vt capere possit eam formam, quam artifex imprimere voluerit. Sanè si supremus ille Artifex nobilissimam perpetuæ essentiæ suæ imaginem imprimere animæ debet; necesse est, vt anima, depositâ formâ suâ vetustâ, supernaturaliter immutetur transformeturq;. Neque enim aliquid potest alterius rei formam induere, nisi priùs propriam exuat & amittat. Ad quam felicem immutationem & transformationem Deus omnipotens animam præparat per intensissimas aduersitates.* * *Nam quem donis potioribus exornare sublimiterq; transformare decreuit, eum non blandè & molliter lauare, sed totum in mare amaritudinis immergere consueuit.* Hæc ille.

Margin notes: * Elogia patientiæ in crucibus ferendis, propter Deum, obseruanda. 1.* Est signum prædestinationis, quod ex Blosio & aliis floridè & solidè ostendit R.P. Ieremias Drexelius Zodiaci sui Signo 5. §.1. & seqq. * 2. Annulus desponsationis: * 3. Maximæ dignitatis: * 4. Vtilitatis: * 5. Conformat animam Christo passo: * 6. Adducit, auget, conseruat gratiam: * 7. Deus non permittit aduersa, nisi ad suorum profectũ, & ornatum. — Zachar. 2. — * Exempla habes in Abrahã, Iob, Tobiã, Dauide; in Prophetis, Apostolis, Martyribus, & omnibus Sanctis. * 8. Pati aduersa pro Deo, pœnas alterius vitæ delet. * 9. In aduersis resignatio sui, est velut prædulcis cithara in aure Dei. * 10. Præparat sponsam, ad imaginem Dei perfectiùs suscipiendam, & ad transformationem animæ in Deum. * De hoc vide Ieremiam Drexelium Zodiaci Signo 5. §. 1. & Amuliis lib. 2. c. 8. c. 5. vbi de vtilitate tribulationis.

§. IIII.

Ratio expurgandi animam à peccatis & defectibus quotidianis.

1. *De peccato dolendum, quia est offensa Dei: ipsique Deo dolor expandendus per amorosam conuersionem in ipsum.*
2. *Defectus quotidiani permittuntur ad veræ humilitatis custodiam.*
3. *De quiete animi contra scrupulos & sollicitudinem anxiã de peccatis præteritis, præsentibus, futuris.*
4. *Satisfactio pro peccatis sedulo & cordialiter offerenda.*
5. *In Deo confidendum, & non in solis donis eius, nec in viribus nostris.*

QVANDO Asceta peccat, sibi soli peccatũ suum imputet: magisq; doleat & deplangat quòd Deum fidelissimum dulcissimumq; Patrem suum offenderit, quã quòd commeruerit vt grauibus vel etiam æternis suppliciis puniatur. Molestiam acerbæ illius reprehensionis, quã tunc intus à Deo conteritur, non quærat effugere, sed humiliter illã tamquã salutiferum antidotũ sustineat. Exaggeret quidem offensas suas, nõ tamen desperet. Si ex lapsu factus est humilior atque cautior, res iam non vsque adeò malè habet. Ergo postquã lapsus est, non nimis scrupulose perquirat vnde id acciderit; neque diutiùs quàm oportet, defectum suum apud se, (quasi fugiens à Deo) reuoluat: sed citò se in

Margin note: 1. *In peccatõ magis dolendum de offensâ Dei, quàm damno proprio: nec fugiendum à Deo ad reuoluenda peccata, sed à peccatis ad Deũ, vt per actus contritionis misericordiam quæramus.*

in Deum recipiat, & contrito atque amanti corde ad Christum conuersus, (etiamsi sensibilis contritio non adsit,) dicat: * *Domine, ego ad te confugio, culpam agnosco: propitius esto mihi peccatori. Proiicio iniquitates & negligentias meas in abyssum miserationum tuarum. Renuntio omnibus quæ tibi displicent, & quidquid tu non es, relinquo. Propono per gratiam tuam corrigere me: ablue me pretioso Sanguine tuo. In te spero, clementissime mi: & amabilem dexteram tuam, quæ me cadentem semper excipit, deosculor.* Præstat omnino mox post peccatum admissum reuerti, & rectà pergere in Deum, quàm diu in peccato discutiendo occupari detinerique. Neque enim contracta dissimilitudo meliùs alibi deponetur, quàm in Deo.* Reuerà Deus, cùm sit fons immensæ misericordiæ, non potest non succurrere, non potest non ignoscere ei qui ipsum humiliter & confidenter inuocat, etiamsi is peccata totius mundi millies commisisset. Fasciculus lini in ingentem ignem coniectus, non tam repentè incenditur, quàm paratus est Deus veniam dare homini pro peccatis suis verè dolenti. Inter bonitatem Dei & peccatorem pœnitentem nullum prorsus medium est.* Optima verò pœnitentia præclaraque contritio est, mentem humilem habere, & voluntatem ab omni peccato atque ab omnibus, quæ impedimentum amori diuino adferunt, auertere, eamque integrè ad ipsum Deum conuertere.* O quantum cordibus nostris Dominus Deus noster dulcescere debet, qui magis diligit nos quàm ipsi diligamus! quique seipsum liberalissimè nobis exhibet, impendit, & offert: cùm tamen propter malitiâ & ingratitudinem nostram simus eo prorsus indigni. Ipse plerumque corda nostra consolatione gratiæ suæ lætificat, licet sciat nos post horulam peccaturos.

*Bona formula contritionis in peccatis Ascetarum.

*Nota immensitatẽ misericordiæ Dei erga pœnitentes.

*Pœnitentia optima.

* Amor & bonitas Dei erga peccantes & peccaturos.

2. *Defectus Ascetarum quotidiani, ad humiliandam & purgãdam animam faciunt.*

Asceta propter eos defectus, quos nullâ ratione in se deuincere potest, non perturbetur: sed se Deo resignans, reputet illos veluti fimum esse, quo conspersus ager animæ suæ, vberiorem fructum profert. Deus enim næuos aliquos spirituales, & modicum quid reprehensibile, etiam in charissimis electis suis sæpè relinquit, (qui vt plurimum ad iram & vehementiam procliuiores sunt, vel primorum motuum molestiâ longo tempore fatigantur) vt sibi & aliis cogniti, magis humilientur: indeque gratia, quam à Domino acceperunt, velut ignis sub cinere occultetur, ac meliùs conseruetur.* Sæpenumerò accidit, vt hi, qui adhuc sunt irresignati, & grandes in oculis suis, viriliùs primos in se motus compescant, & fortiùs aduersa quæque extrinsecus perferant, quàm humiles & verè resignati amici Dei. Isti enim secundùm interiorem quidem hominem tranquilli in aduersis permanent, sed secundùm sensualitatem plerumque turbãtur, atque pœnas exhorrent. Igitur Asceta roget Christũ, vt omnem imperfectionem suam suppleat. Si longanimis fuerit, tãdem ab ipso Christo istud intus audire merebitur: * Gratias ago tibi fili, quòd defectus tuos ad finem vsque patienter tolerando, mecum crucem meam portaueris.

* Verè resignatus aliquando cruces externas sensualitati repugnantes grauius fert, quàm minus resignatus.

* Amorosa ista gratiarũ actio nõ accipienda est in strictâ suâ significatione, sed per modũ gratulationis, & in obsequio quòd à Christo aman meretur, qui suam crucem ferendo videtur crucem Christi subleuare.

3. *Quieti animi consulendũ, contra nimiam in scrupulis anxietatẽ & omnia Deo cõmittenda.*

Nimium timorem, inordinatam pusillanimitatem ac tristitiam, superfluos conscientiæ scrupulos, irrequietasque curas, & implexas sollicitudines, tamquam grauia impedimenta, Asceta semper deuitet. Omnes causas & negotia sua in Deum humili plenaque confidentiâ proiiciat. Ita enim Deus illi meliùs intus ac foris prouidebit, quàm omnes creaturæ prouidere possent. * Sanè illos, qui se curis atque actibus externis nimiùm implicant, & Deo se credere vel nolunt, vel non audent, ipse Dominus plerumque inopiam miseriámve experiri sinit, vt sic agnoscant, quàm parum suâ industriâ efficere possint. Asceta ergo non nisi moderatas & conuenientes curas in se admittat. * Non anxiè pertractet apud se, vtrùm necesse erit, vt post hanc vitam peccata sua adhuc in purgatorio expientur: sed voluntati, prouidentiæ, ordinationique Dei se totum securè in omnibus committens atque resignans, gratum habeat quidquid ille ei facere voluerit in tempore & * æternitate. Speret quidem certâ fiduciâ, misericordissimum Dominum libenter sibi peccata condonaturum: * non tamen petat, neque optet vt ille ea non puniat. Sicut diligit diuinam misericordiam, ita diligat & diuinam iustitiam: adeò vt paratus sit ipsa quoque inferni tormenta pro peccatis suis sustinere, si decor diuinæ iustitiæ id exigeret, & Deus vellet. Hac enim ratione plenissimam remissionem accipere poterit, à culpâ & pœnâ absolutus.

*Exterioritas, & curæ nimiæ, officiunt fiduciæ in Deũ.

* In pœnâ peccatis ritè cõdonatis debitâ, & timore purgatorij, resignatio in Dei voluntatem plurimum valet.

* Saluo semper Dei amore, & gratiâ.

* Ille est sublimissimus apex resignationis in Dei voluntatẽ, non petere aut amare misericordiam plus quàm iustitiã, sed ad vtramque sese æquè paratum sistere: nec id est inchoãtium, sed planè perfectorum.

4. *Satisfactiones nostræ benâ intentione fiant, & immergantur satisfactionibus Christi.*

Agnoscat, quæuis opera, & quæuis grauamina sua minora esse, quàm vt per illa pro innumeris iniquitatibus suis dignè satisfacere possit. Bona ergo quæ facit, & aduersa quæ patitur, ob id faciat atque patiatur, vt Deum, quem offendit, placet, eique placeat, & eius amicus sit: Dei honorem, Dei amorem, Dei voluntatem in illis spectet. Ceterùm in satisfactionem pro peccatis suis, offerat Deo merita, labores, opera, dolores, & Vulnera Christi. Nam hæc indubitanter valent ad planè satisfaciendum pro omnibus peccatis.

Non

5.
In Deo solo fidendum, eiusq; gratia auxiliis, & Deo omnia accepta referenda.

Non in suâ bonâ voluntate suóve proposito, quantumuis etiam firmo, neque in consuetudine diu retentâ, neque in suâ industriâ, virtute, aut diligentiâ, neque in donis quæ à Deo accipit, incautè confidat: sed in ipso solo Deo, in solâ eius misericordiâ, in solo gratiæ eius auxilio spem reponat. Nam sine illo neque bona inchoare, neque in bonis perseuerare aliquo modo potest. Igitur diffidens de se, fidat illi qui omnia potest. Nihil prorsus de his quæ benè agit, loquitur, aut cogitat, sibi adscribat; sed omnia illa Deo attribuat, se in nihilo suo semper continens, & etiam eos qui pessimè viuere videntur, sibi præferens. Reuerà enim si quid in se boni habet, id omnino Dei est, non suum. Nam ex se ad omne malum propensus est: & nisi gratiâ Dei seruaretur, ipse in innumera grauissimaque peccata corrueret. Meritò itaque Dominus ait: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus.* Luc. 17.

§. V.

De curâ & examine quotidiano profectus nostri.

1. *Continuò proficiendum in pietate, & sibi ipsi seriò inuigilandum.*
2. *Examen conscientiæ, seu recollectio vespertina.*
3. *Expergefactio matutina, & præparatio futurarum actionum.*
4. *De somniis & visionibus non facilè credendis; & quomodo discuti debeant.*

1.
Continuū proficiendi desideriū, cum vigili & assiduâ sui custodiâ, ac solitudinis amore.

QVANTVMCVMQVE proficiat Asceta, numquam proficiendi desiderium deponat. Neque enim tempore huius exilij tam altè vel profundè in Deum pertinget, quin quolibet momento sublimiùs profundiusque in eumdem ingredi possit. Ipse sic se semper gerat, & sic se humiliet ac paruipendat, quasi modò primùm inciperet. Quamdiu hîc viuit, non deerit fortè in eo aliquid, quod nondum satis mortificatum sit. Esto sanè, vt iam non ampliùs moueatur adspectu mortalium creaturarum: esto, vt, si vel centum feminæ, omnium, quas totus orbis habet, elegantissimæ ipsi exhiberentur, mox eas fastidiret (non quidem odium aliquod in illas concipiendo, sed vanam corruptibilemque pulchritudinem nihili pendendo) adhuc tamen sedulò vigilare, ac seipsum ad mortem vsque diligentissimè obseruare debet. Licet in omnibus locis, & apud quoscumque homines Dei præsentiam attendere, atque cum Deo esse possit; par est nihilominus, vt, si optio ei datur, secessū quietemq; ab omni multiplicitate semper eligat, & occasiones offendendi declinet.

2.
Vespertina recollectionis quinque partes.

Vespere, quando nocturnæ quieti se daturus est vt somnum capiat, 1. eas occupationes, quæ illi horæ minùs congruunt, repellat. 2. Recogitet quid eo die malè egerit, in quibus deliquerit, quàm negligens atque ingratus fuerit: 3. & ipsas offensas suas confiteatur coram Deo, proponens eas confiteri suo tempore etiam coram Sacerdote, 4. proponens & vitam suam, Domino adiuuante, corrigere. 5. Honestè pudiceque se collocet in lectulo: ac salutaria apud se pertractans, inter sanctas cogitationes piaque desideria obdormiat, vt cum sponsâ dicere possit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. 5.

3.
Manè à somno surgens quatuor res agat.

Manè, vt e somno excitatus est, 1. suam primam cogitationem, suam intentionem, sensusque suos ad Deum cum amore & gaudio conuertere consuescat: vt diuinæ visitationis atque gratiæ capax efficiatur. 2. Offerat se Deo in laudem æternam. 3. Verumtamen si euigilans sentit se prægrauatum, ita vt nequeat liberè se erigere in Deum, non nimiùm deiiciatur animo: sed humiliter patienterque huiusmodi molestiam ferat. Deus enim deuotionem eius non ex primâ illâ spiritus confusione atque inordinatione, sed ex bonâ voluntate ac sanctis operibus consequentibus metietur. 4. Si quid etiam minùs honestum inter dormiendum passus est, statim vbi somno abscedente compos rationis fit, auersetur quidquid fœdum est, & confidat in Domino.

4.
Visionibus non facilè credendū.

Somnis & visionibus non incautè fidem adhibeat. Nam diabolus facilè decipit eos, qui talibus innituntur, & ea expetunt magnifaciuntque. Esto, vt toto decennio vera sint alicuius somnia, & veræ visiones: deinde tamen vel semel malignus spiritus in Angelum lucis transfiguratus sese illis admiscere poterit, vt hominem imprudentem subuertat. 2. Cor. 11. * Ipsæ visiones ad sacram Scripturam & Sanctorū scripta examinari debent: quæ si illis per omnia concordant, admitti possunt: sin minùs, repellendæ sunt. Obseruare etiam oportet, vtrùm is cui reuelationes fiunt, sit verè humilis. Nam reuelatio diuina hominem efficit pauperem spiritu, resignatū, & flexibilem: contrà, diabolica illusio hominem reddit superbum, & in proprio sensu pertinacem, atque obduratum. * Sanè plerique speciales & perfecti amici Dei, sæpenumerò 1.* in ecstasim rapiuntur, præclarasque visiones vident. 2. * Aliquando per verba, aut corporales imagines ipsis exhibitas; 3. * aliquando per spirituales similitudines, siue per intellectualem reuelationem menti eorum insinuatam, perdiscunt veritatem sibi vel aliis necessariam, atque futura nonnumquam cognoscunt. Et hæc quidem,

* Regulæ pro discretione spirituum in visionibus: veritas rei visæ & humilitas videntis.
* Visionum varij modi.
* 1. Per ecstasim seu raptum:
* 2. Per signa externa:
* 3. Per species intellectuales.

dem, quæ verbis vtcumque explicantur, potissima non sunt: sed id, quod ipsi perfecti sentiunt, quando reuerà in Deum excedunt, eique intimè vniuntur, neque verbis exprimi, neque intellectu comprehendi potest. Qui tamen perfecti viri in nullis omnino Dei donis* quiescunt. At imperfecti (quorum nonnulli etiam stuporem quemdam & somnum, siue excessum spiritus interdum incurrunt, miraque in formis atque imaginibus vident) facile donis Dei vel ad inanem gloriam, vel ad sui oblectationem abutuntur.

*Quia non in donis Dei, sed in donante Deo finem suum vltimū ac beatitudinem collocant.

CAPVT IX.

Quâ intentione Asceta opera sua facere, & quomodo illa Domino commendare, operibusque Christi vnire; quâ item ratione imperfectiones suas meritis illius supplere debeat.

1. *Omnia opera nostra per intentionem puram debemus meritis Christi vnire.*
2. *Praxis id ipsum faciendi ante quodlibet opus inchoandum.*
3. *Item post opus completum.*
4. *Similiter & in quibusuis grauaminibus.*
5. *Oblatio meritorum Christi, & Corporis ipsius in Sacramento, pro nostrâ aliorumque salute.*
6. *Per Christum omnia à Deo postulanda.*
7. *Etiam imperfectiones nostræ Christo Domino humiliter offerendæ, vt ipse eas supplere dignetur.*
8. *Deus per reuelationes docuit praxim iungendi merita nostra meritis Christi.*

1. *Intentio pura, quâ vnienda sunt nostra omnia meritis Christi, magnopere est vsurpanda.*

CONSVESCAT* Asceta omnia opera sua per sanctam intentionem ad Dei honorem referre: consuescat tam illa quæ agit, quàm ea quæ patitur, coniungere atq; vnire operibus & doloribus Christi per orationem siue desiderium. Sic enim ipsa opera & grauamina eius, quæ ex se vilia, obscura, atque imperfecta sunt, nobilissima, clarissima, Deoque gratissima erunt. Ineffabilem namque dignitatem ex meritis Christi, quibus vnientur, accipient: sicut aquæ gutta in vas aliquod vino plenum immissa, tota à vino absorbetur, & eximium vini saporem coloremque recipit. Bona opera illius qui istud piè obseruat, excellunt incomparabiliter bona opera eius qui non obseruat.

*Hoc perillustre monitū ob insignem vtilitatem citant, laudant, exornant, R.P. Ieremias Drexelius Amussis l.2.c.8.§.7. R. P. Antonius Balinghem lib.2. de Orat. facul. c.13. & 14. R.P. Alfonsus Rodericus Exercitij perfectionis Part. 1. tract. 5. cap. 19.

2. *Quomodo vtiliter id fiat ante actiones quascúnque. Estq; obseruanda praxis.*

Igitur Asceta ante actus suos, si non est contentus internâ illâ intentione, quâ sine verbis hon[illegible]m Dei purè spectat & desiderat, poterit dicere Deo Patri: *Pater sancte, ego in vnione amoris prædilecti Filij tui, me & omnes actiones meas tibi commendo: precorq; vt quidquid facio, tu digneris suscipere ad æternam laudem nominis tui, & ad omnium hominum salutem.* Vel Christo dicet ita: *O Domine Iesu Christe, qui secundùm Diuinitatem es intra me, digneris istud facere per me sicut tibi placitū est, ad salutem omnium hominum.* Ante refectionem & ante somnum conuenienter dicet: *Domine Iesu, da vt ad honorem & gloriam nominis tui continenter sumam refectionem,* vel, *pudicè capiam somnum, in vnione illius suauissimæ pietatis, quâ tu Deus meus pro me factus homo, refectionem, aut somnum corporalem cepisti in terris.* Sunt, qui dum cibum mandunt, ruminare solent hæc verba: *Virtus diuini amoris tui, dilecte mi Iesu, me tibi incorporet & intimè vniat.* dum verò bibunt, ista: *Dulcedo diuinæ charitatis tuæ, amantissime Iesu, influat in intima mea, & penetret totam substantiam meam, ad æternam laudem tuam.* Qui viuunt in monasticâ vel religiosâ aliquâ congregatione, vbi lectio sacra sub refectione recitatur, debent his quæ leguntur intendere, si ea intelligunt.

Asceta ipsa opera & exercitia sua pio mellifluoque cordi Domini Iesu (quod Diuinitatis cordi inseparabiliter vnitum est, & vnde omne bonum promanat) emendanda atque perficienda commendabit: eaque offeret in laudem Dei æternam, isto vel consimili modo: *Bone Iesu, ego hoc opus quod feci, hæc exercitia mea, commendo diuino cordi tuo emendanda & perficienda: tibiq; ea offero in laudem æternam, & ad totius Ecclesiæ tuæ salutem, in vnione dulcissimi illius amoris, quo tu Deus noster pro nobis homo fieri & mori voluisti,* vel ita, *in vnione perfectissimorum operum & exercitiorum tuorum.* 3.

3. Quomodo post actiones aut opera, offeramus ea cordi Iesu Christi emendanda.

* Similiter offeret preces suas, (si volet) in vnione orationum Domini; ieiunia sua, in vnione ieiuniorum eius; refectionem suam & somnum suum, in vnione illius inæstimabilis charitatis, quâ ipse Christus pro nobis factus homo, refectionem & somnum corporalem accepit in terris. Offerre poterit etiam verba sua in vnione sacratissimorum verborum Christi: itidem & lacrymas quas vmquam fudit, poterit offerre in vnione purissimarum lacrymarum illius, &c. Si oblationem suam dirigit ad Patrem, offeret opera, exercitia, & verba sua in vnione operum, exercitiorum, verborumq; Filij, sicut prædictum est. Vel dicet ita: *Pater sancte, ego offero tibi hæc exercitia, hæc verba mea, per vnicum Filium tuum, in virtute Spiritus sancti, ad æternam laudem nominis tui, omniumq; hominum salutem.*

*Praxis est dulcis, facilis, vtilis, hic & infrà.

Grauamina verò sua (siue parua siue magna, siue externa siue interna sint) offeret in hunc ferè modum: *Dulcissime Domine Iesu* 4.

4. Grauamina quæuis eodem modo offerenda.

Iesu Christe, ego hoc grauamen, hanc tribulationem, hoc impedimentum, hunc mœrorem, hanc tentationem, hos dolores, has calamitates, & quidquid vnquam afflictionis passus sum, offero tibi in vnione veneranda Passionis tuæ, vel, *in vnione omnium quæ pertulisti pro me: offero ea ad æternam laudem nominis tui, & ad totius Ecclesiæ tuæ salutem.* Aut ad Patrem ita dicet: *Pater sancte, ego omnia, quæ me grauant, offero tibi in vnione* • *sacratissima Passionis prædilecti Filij tui, ad laudem nominis tui*, &c.

5. *Oblatio meritorum virtutūq; Iesu Christi, & Hostia Eucharistica pro peccatis minuendis, & meritis augendis.*

In plenam emendationem, expiationem, atque satisfactionem pro peccatis negligentiisque suis, & pro peccatis ac salute aliorum tam viuorum quàm defunctorum, offeret Deo Patri merita Christi: offeret incarnationem, natiuitatem, conuersationem, passionem, mortem, resurrectionem, & ascensionem eius. Aut specialiter pro superbiâ suâ humilitatem illius, pro impatientiâ patientiam, pro incontinentiâ continentiam, pro malitiâ suâ innocentiam eius offeret. Vel dicet Christo: *Eia Domine mi responde pro me, & satisfac pro peccatis meis, offerens Patri merita sanctissimæ humanitatis tuæ.* Poterit & Hostiam Corporis Dominici (vbi ea à Sacerdote consecrata fuerit) offerre pro suis aliorumque peccatis. Hîc obiter dicimus, eamdem sanctam Hostiam posse offerri in augmentum gaudij ac gloriæ cuiuslibet Sancti iam in cælo glorificati. Sic etiam dulcissimum cor Iesu (quod totius beatitudinis gazophylacium est) in augmentum gloriæ Sanctorum offerri potest ipsis Sanctis.

6. *Per Christum Filiū omnia petenda à Deo Patre.*

Si Asceta peccatorum veniam aut qualibet alia salutaria postulauerit in nomine Filij, facillimè impetrabit ea quæ petet. Veluti si dicat Patri: *Pater clementissime, miserere mei, propitius esto mihi peccatori, ignosce delictis & negligentiis meis, per vnicum Filium tuum.* Nam quando per Filium aliquid piè petitur aut offertur, fieri non potest, quin ipsa petitio aut oblatio sit Deo Patri accepissima: quemadmodum necessariò apparet aureum vel purpureum, quidquid per lucidam gemmā, siue per vitrum aurei purpureive coloris conspicitur. Neque enim vel in cælo vel in terrâ Pater quidquam charius habet ipso vnigenito Filio suo. Vnde & mater Ecclesia suas petitiones ita concludere solet, *Per Christum Dominum nostrum.*

7. *Nostræ imperfectiones à Christo & in Christo supplendæ; quod ardenti fiduciâ petendum.*

Hac etiam aut simili ratione Asceta rogare Christum poterit, vt imperfectiones suas suppleat: *Iesu bone, ego nimis imperfectè seruio tibi, nimis imperfectè laudo te, nimis imperfectè desidero & diligo te, nimis longè adhuc absum à verâ mei abnegatione atq; mortificatione, à verâ humilitate, mansuetudine, patientiâ, charitate, continentiâ: rogo ergo, vt quod minus est in me, tu digneris supplere pro me, offerens Patri cor tuum diuinum.* Aut ita dicet: *Ego laudum tuarum pensum quod persolui, ac tepidum distractumq; seruitium meum, commendo diuino cordi tuo emendandum & perficiendum: ipsumq; tibi offero ad gloriam nominis tui & totius Ecclesiæ tuæ salutem, in vnione illius amoris, quo tu Patrem orasti & laudasti in terris: rogo te, vt teipsum perfectissimè laudes in me.* Quando enim talia humiliter dicuntur, Christus Iesus indubitanter supplet quod homini deest. Credamus hoc, & proculdubiò ita fiet. Necesse enim est, vt obtineamus à Deo vtilia quæque, si humili & certâ fiduciâ speramus nos ea obtenturos. • Is qui rogat Christum vt pro se satisfaciat, pro se suppleat, seque suis meritis exornet, si dubius nimiumque meticulosus permanet, similis est ei, qui vilibus sordidisque vestimentis exutus, & repentè indutus Regiis, non nouit decenter atque compositè pro exigentiâ ipsorum regalium vestimentorum incedere: sed pro morum rusticitate, cui assuetus est, ineptè & inciuiliter graditur.

• Nihil hîc pro se habent hæretici, qui cum satisfactionibus Christi nullas, quāuis imperfectas, suas actiones aut passiones iungi debere asserunt.

8. *Certitudo & fundamentū huius exercitij deuoti inxtà ac fructuosi.*

Ista omnia Dominus familiarissimis † amicis suis reuelare dignatus est: vt nos hac ratione opera nostra reddamus nobilissima: hac ratione nostram inopiam ex inexhausto meritorum Christi thesauro subleuemus, & animas nostras eisdem Christi meritis exornemus: hac denique ratione pro peccatis nostris facillimè satisfaciamus.

† Plurimas praxes & orationes hoc capite allatas dicit R. P. Ieremias Drexelius reuelatas à Christo B. Gertrudi, Amussis lib. 1. cap. 4. §. 5. & lib. 2. cap. 8. §. 7. Idem tradit R. P. Iacobus Aluarez de Paz, tom. 3. de Orat. lib. 1. part. 2. c. 16.

CAPVT X.

Declaratio pij admodum exercitij quotidie seruandi, quo quis sese actualiter Deo præsentem sistit.

1. *Primus Introuersionis actus, dolor de peccatis.*
2. *Secundus, Commemoratio beneficiorum Christi cum gratiarum actione.*
3. *Tertius, Humiliatio sui, & resignatio in omne beneplacitum Dei.*
4. *Quartus, Postulatio eorum quæ ad vnionem cum Deo sunt necessaria.*
5. *Quintus, Inuocatio Sanctorum.*
6. *Sextus, Oratio pro aliis, viuis & defunctis.*
7. *Septimus, Glorificatio Trinitatis.*
8. *Octauus, Adspirationes amorosæ.*

1. *Introuersio specialis aliquo exercitio quotidie exercenda. Primò, per actus Pœnitentiæ.*

QVAMVIS Tyro spiritualis debeat semper (quantum fragilitas humana admittit) introuersus esse: quotidie tamen (si non impeditur) sese cælesti Sponso per speciale

ciale exercitium præsentem exhibere, atque vnire studebit, siue sentiat deuotionem, siue non sentiat, electâ ad id horâ congruâ. Et quidem huic negotio non parum conferre poterit exercitium quod suprà posuimus, vbi formulas adspirationum conscripsimus: sed alterum hîc declarabimus, quod sancti Patres vtilissimum esse asserunt. Ipsum non parui pendet spiritualis Tyro. In primis igitur, omnibus viribus & sensibus suis recollectis, prouoluet se in spiritu ad pedes Domini Iesu, atque peccata sua humiliter dulciterque deplanget, & illa in abyssum miserationum Dei proiiciet, vt ibi absorpta consumantur, atque ad nihilum redigantur. Desiderabit, & ex animo optabit se numquam offendisse Deum: vt hac viâ illi ita placere mereatur, quasi eum numquam offendisset. Proponet deinceps vitare per gratiam eius omnia quæ illi displicent. Petet sibi ignosci per merita humanitatis Christi, & per merita beatæ Mariæ omniumque electorum Dei. Petet ablui pretioso Sanguine ipsius Domini Iesu, perfecteque sanari ac sanctificari: atque ita confidet se iam plenam remissionem & veniam peccatorum accepisse.

2. *Secundò, Per gratiarum actionem ob beneficia Christi.*

Deinde exurgens, vitam & passionem Christi breuiter commemorabit, ipsique Redemptori gratias aget.

3. *Tertiò, Per humilitatem, charitatem, & sui resignationem.*

Posteà omni creaturæ se substernet, omnes homines sibi præponet, omnes charitate complectetur: omnibus, quæ infra Deum sunt, renuntiabit: se integrè in diuinum beneplacitum resignabit, & paratum offeret ad quælibet aduersa perferenda. Hæc quidem absque aliquâ fictione facere adnitetur: si tamen integro corde plenaque voluntate talia necdum Deo dicere potest, saltem dicat illa sicut potest, & Domino gratus erit.

4. *Quartò, Per vnionem.*

His peractis, postulabit ab ipso Domino ea quæ sibi necessaria sunt, vt ad intimam cum illo vnionem pertingat.

5. *Quintò, Per Sanctorum inuocationem.*

Post hæc gloriosissimam Dei Genitricem Virginem Mariam, ceterosque Beatos cæli ciues inuocabit, vt gratiam optatam impetret per illos.

6. *Sextò, Per preces pro viuis & defunctis.*

Orabit etiam pro omnibus, pro quibus Dominus Iesus seipsum hostiam viuentem Patri immolare dignatus est. Preces offeret tam pro Christianis, quàm pro infidelibus toto terrarum orbe diffusis; compassionem ex intimis visceribus impendens omnibus, qui peccando pulcherrimam Dei imaginem sibi impressam deturpant, & se ab æternâ beatitudine regnoque cælesti alienos reddunt. Plurimùm item compatietur fidelium defunctorum animabus, quas purgatorij pœna adhuc detinet. In hunc modum pro totâ Domini sui familiâ erit sollicitus, & omnium salutem toto corde exoptabit. Sic enim citissimè inclinabit ad se diuinam clementiam.

7. *Septimò, Per laudes sanctissimæ Trinitatis, cum pio & ardenti desiderio.*

Istis finitis, diriget orationem suam ad sanctam Trinitatem, eamque laudibus prosequetur. Habebit desiderium laudandi Deum perfectiùs quàm laudat & laudare possit. Nam quantum hominis desiderium benè agendi est, tantum Deus hominem benè egisse reputat; suscipiens eius bonam voluntatem pro opere quod præstare atque exequi nequit. Et quàm magna vellemus esse nostra desideria, tam magna sunt coram Deo.

8. *Octauò, Per adspirationes amorosas & ignitas.*

Postremò Asceta amorosè adspirabit ad Deum, & per ignita desideria beatam cum eo vnionem expetet.

CAPVT XI.

Illud ipsum quotidianum exercitium in formulam orationis redactum, quo Asceta multùm in vnione diuinâ proficere poterit.

1. *Recognitio peccatorum cum dolore.*
2. *Gratiarum actio ex beneficiorum Christi commemoratione.*
3. *Humiliatio & resignatio sui ad beneplacitum Dei.*
4. *Postulatio rerum ad vnionem necessariarum.*
5. *Inuocatio B. Virginis & Sanctorum.*
6. *Oratio pro Ecclesiâ & omnibus hominibus.*
7. *Laus & glorificatio beatissimæ Trinitatis.*
8. *Conclusio per amorosas adspirationes.*

LIBET mihi hîc subiicere formulam orandi, iuxta præscriptum exercitium, vt Tyroni spirituali gratificer.

1. *Dolorem excitas pro offensis Dei.*

O Domine Deus meus Iesu Christe, quid dicam? Flecto genua cordis mei, & peccata mea agnosco. Peccaui enim, & malum coram te feci. * Peccaui in te benignissimum conditorem: peccaui in te dulcissimum redemptorem: peccaui in te amabilissimum benefactorem. * Eheu! nimis ingratus atque infidelis tibi semper fui. * Vilissimus sum: puluis & cinis sum: nihil sum. * Miserere, miserere, miserere mei. Ego omnes iniquitates, negligentias, & inordinationes meas (quæ innumeræ grauissimæque sunt) in charissima Vulnera tua depono, in immensum amoris tui ignem proiicio, in infinitam miserationum tuarum abyssum demergo. * Vtinam te numquam offendissem, numquam gratiam tuam in me impediuissem! Vtinam tibi semper placuissem; & tuis inspirationibus tuæque voluntati in omnibus obediuissem! * Propono per gratiam

[Margin: * Agnitio peccati. * Agnitio ingratitudinis. * Agnitio vilitatis. * Deprecatio veniæ per Christũ. * Detestatio peccatorum. * Propositum emendationis.]

tiam tuam deinceps vitare quidquid tibi displicet: paratus potiùs mori quàm velle te offendere. * Eia pie Iesu, propitius mihi esto per merita sanctissimæ humanitatis tuæ, & per merita beatissimæ Genitricis tuæ, omniumque Electorum tuorum. Ablue me pretioso Sanguine tuo, & plenè emunda, perfecteque sana ac sanctifica.

** Inuocatio misericordiæ Dei.*

2. *Commemorat Christi beneficia, & gratias agit, per enumerationem à stabulo ad crucem.*

Adoro, laudo, & glorifico te: benedico, & gratias ago tibi Domine Iesu, pro vniuersis miserationibus & beneficiis tuis. Gratias tibi ago, ô Fili Dei viui, Deus altissime, qui propter nimiam charitatem quâ dilexisti me, dignatus es homo fieri. Voluisti pro me in stabulo nasci, infans panniculis inuolui, fasciolis stringi, in præsepio reclinari, modico lacte Virginis-matris ali, paupertatem & egestatem tolerare, multiplicibus laboribus & ærumnis triginta tribus annis fatigari. Voluisti sudore sanguineo præ angustiis suffundi, ignominiose comprehendi, indignè ligari, iniustè damnari, sputis fœdari, colaphis & alapis cædi, veste albâ ridiculaque velut amens indui & illudi. Voluisti flagris crudelissime conscindi, spinis dirè coronari, clauis atrociter cruci affigi, felle & aceto inhumaniter potari. Tu præclarus vestitor siderum, nudus, contemptus, vulneratus, & immensis doloribus afflictus, pro me pependisti in cruce: pro me fudisti purissimum Sanguinem tuum, pro me mortuus es. Eia dulcis Iesu, vnica salus mea, præsta vt feruentissimo amore te diligam, ac medullitus tibi compatiar. Amplector brachiis animæ meæ venerandam crucem tuam, & eam pro tui honore atque amore osculor. Saluto rosea ac suauiflua Vulnera tua quæ suscepisti pro me, & in quibus descripsisti me. Saluete, saluete, saluete vernantes & salutiferæ Plagæ Domini mei, atque amatoris mei.

3. *Humiliat se infra omnes creaturas, & resignat se in omnem Dei voluntatem.*

Ecce, colende Saluator, ego abominandus peccator, in infimum locum infra omnem creaturam me recipio: quia indignus sum quem terra sustineat. Omnes homines mihi præpono. Omnibus me subiicio, & omnium seruum constituo. Omnes, ac maximè eos qui me grauant aut persequuntur, sincerâ charitate, sicut possum, complector. Omni iniquitati & vanitati, omni delectationi & inordinationi, omni propriæ voluntati & immortificationi, pro tui amore renuntio. Omnia quæ infra te sunt relinquo & respuo: teque præ omnibus eligo. Resigno me tibi integrè. Opto precorque, vt gratissima voluntas tua in me & de me fiat in tempore atque æternitate. Offero me tibi, paratum ad tolerandum, per gratiam tuam, pro gloriâ nominis tui, quamlibet ignominiam atque iniuriam, quemlibet mei contemptum, quodlibet opprobrium, quamlibet tribulationem & quemlibet dolorem. Paratus sum carere quauis consolatione sensibili. Non recuso viuere (si ita velis) in eâdem paupertate atque afflictione, in quâ tu vixisti.

Eia suauissime Iesu, mortifica in me quidquid tibi displicet. Exorna me meritis ac virtutibus tuis. Da mihi veram humilitatem, obedientiã, mansuetudinem, patientiã, & charitatem: da linguæ, atque omnium membrorum omniumque sensuum perfectam continentiam: da puritatem, nuditatem, * libertatemque internam, & introuersionem essentialem. Conforma spiritum meum humano ac beato spiritui tuo, animã meam sanctæ animæ tuæ, & corpus meum incontaminato corpori tuo. Luce Diuinitatis tuæ serena atque illustra intima mea. Credo te esse in me secundùm ipsam Diuinitatem tuam: digneris igitur per oculos meos adspicere, per aures meas audire, per linguam meam loqui, & per cetera membra mea operari quod tibi placitũ est. Absolue me ab omnibus quæ me præpediunt, quò minùs tibi perfectè vniri possim. Per dignissima Vulnera tua introduc me in nudum animæ meæ fundum, & transfer in te Deum meum, originem meam: vt venam aquarum viuentium in me sentiam, te clarè cognoscam, te ardenter diligam, tibi sine medio vniar, & in te per tranquillam fruitionem quiescam, ad laudem nominis tui. Exaudi me, Domine mi, non pro meâ voluntate, sed pro tuo beneplacito: exaudi me, sicut tuo honori, meæque saluti congruere nosti.

4. *Petit ea quæ necessaria sunt ad vniendũ se Deo.*

** Considera, Lector, locutiones Mysticis Theologis familiares, & gradus quibus ad visionem fruitiuam ascenditur.*

O Maria mater Dei dulcissima, ô Regina cæli gloriosissima, miserere mei. Intercede pro me, ô candidum lilium fulgidæ semperque tranquillæ Trinitatis: vt per te perfecto amore filium tuum Iesum Christum constringam, & sim homo secundùm cor eius. O vos omnes Sancti Sanctæque Dei, & beati spiritus Angelici, subuenite mihi. Orate pro me, ô immarcescibiles flores patriæ cælestis: vt per vos summo Regi placeam, de cuius apertâ mellifluaque contemplatione semper iucundamini.

5. *B. Virginis Sanctorũq; implorat intercessionem & auxilium.*

Eia misericordissime Iesu, miserere Ecclesiæ tuæ, miserere omnium pro quibus sacrosanctũ Sanguinem tuum fudisti. Conuerte miseros peccatores. Reuoca hæreticos atque schismaticos. Illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus qui in necessitate & tribulatione aliquâ constituti sunt. Adesto his qui se precibus meis commendauerunt, vel commendati esse cupiunt.

6. *Extendit orationem ad omnes homines, totamq; Ecclesiam.*

Adesto

Adesto parentibus, propinquis, & benefactoribus meis. Redde omnes tibi placentes. Da viuis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Ego pro omnibus offero tibi pretiosum Sanguinem tuum: offero quidquid pro nostrâ salute facere & pati voluisti: offero merita totius humanitatis tuæ.

7. *Adorat superbenedictam Trinitatem.* O altissima, clementissima, & benignissima Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus; doce, dirige, & adiuua me sperantem in te. Eia Pater, per infinitam potentiam tuam, stabili memoriam meam in te, & eam sanctis diuinisque cogitationibus reple. Eia Fili, per æternam sapientiam tuam, clarifica intellectum meum, & eum agnitione summæ veritatis meæque vilitatis perorna. Eia sancte Spiritus, qui es Patris & Filij amor, per incomprehensibilem bonitatem tuam, transfer in te voluntatem meam, & eam inextinguibili charitatis ardore succende. Vtinam, ô adoranda Trinitas, vtinam tam perfectè diligere & laudare te possem, quàm perfectè diligunt laudantque te omnes Sancti atque Angeli tui! Ecce Domine, sicut possum, magnifico sapientem & benignâ omnipotentiam tuam: benedico omnipotenti & benignæ sapientiæ tuæ: glorifico sapientem & omnipotentem benignitatem tuam. Sed quia te dignè laudare non sufficio, tu teipsum digneris perfectissimè laudare in me. Si haberem amorem omnium creaturarum, libenter illum in te solum conuerterem.

8. *Adspirat amorosè.* O Domine Deus! O charum principium meum! O essentia summè simplex, summè tranquilla, & summè amabilis! O abyssus summè dulcis, summè deliciosa, & summè desiderabilis! O amœna lux mea, & suauis iucunditas animæ meæ! O torrens inæstimabilium voluptatum! O pelagus ineffabilium gaudiorum! O incircumscripta plenitudo omnis boni! O Deus meus & omnia! O summa sufficientia mea! Quid volo præter te? Tu es vnicum & incommutabile bonũ meum. Te solum quærere debeo: te solum quæro & concupisco. Eia, trahe me post te. Concrema me igne flagrantissimi amoris tui. Attende desolatam egestatem, ignorantiam, & cæcitatem meam. Aperi mihi pulsanti: aperi orphano te inclamanti. Immerge me in abyssum Diuinitatis tuæ, totumque absorbe, & vnum spiritum tecum effice; vt delicias tuas in me habere possis, &c.

Si quis exercitium istud nimis prolixum esse iudicat, potest illud partiri in plures horas, vel etiam summatim pauc isverbis, aut sine verbis complecti.

CAPVT XII.

Quid Asceta in prædictis perseueranti sperandum sit: item modus describitur, quo perficitur in animâ perfectorum vnio mystica: nonnulla quoque monita eò spectantia: denique de apice mentis, seu fundo animæ.

§. I.

Constanter perseueranti concedi plerumque solet vnio mystica.

1. *Non concedit Deus vnionem mysticam, nisi humiliter, fideliter, & longanimiter in piis exercitiis iam dictis perseueranti.*

2. *Formula suauiter ad illam per adspirationes sanctas anhelandi.*

SI Tyro spiritualis sese quotidie hoc modo exercuerit, Deoque vnierit; si per interna colloquia, & amorosa desideria incessanter illi se adiungere studuerit; si constanter in abnegatione mortificationeque sui perseuerauerit, & neque propter crebros lapsus suos, neque propter innumeras distractiones mentis suæ sanctum propositum deseruerit; omnino perueniet ad perfectionem mysticamque vnionem, si non in vitâ suâ, saltem sub mortem. Quòd si nec tunc peruenerit, perueniet certissimè post mortem carnis.* Nam in æternitate fruetur ipsâ perfectione, tantò plus aut minus, quantò maiori vel minori desiderio hîc eam prosecutus fuerit. Deus enim pro sanctis desideriis æternam mercedem nobis redditurus est, etiamsi in hac peregrinatione numquam consequamur quod desideramus. Ergo viriliter agat Asceta: perseueranter petat, quærat, pulset, longanimiterque expectet: memor fidelis promissionis Domini Iesu dicentis, *Omnis qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur,* congruo scilicet tempore. Credat, nec minimam quidem precationem, nec minimum suspirium piè ad Deum emissum, posse sine fructu esse. Optatam perfectionem, quam nondum habet, amet in aliis singularibus Dei amicis. Propter dona quæ Dominus illis confert, gaudeat, & ipsi Deo gratias agat: sic enim ab omni inuidiâ alienus, bona aliorum per charitatem sinceramque gratulationem sua faciet.

1. *Opus est perseuerantiâ in sanctis exercitiis, vt ad vnionem mysticam pertingamus.*

* Fruitiua seu mystica vnio dabitur in cælo tantò abũdantiùs, quantò hîc eam quæsiuerit constantiùs, & desiderauerit ardentiùs.

Luc. 11.

Poterit magno cum fructu frequenter hæc verba versare animo: O Domine Deus, tu mihi semper præsens ades, tu in fundo animæ

2. *Suaues adspirationes pro vnione cum Deo.*

animæ meæ habitas. O simplicissimum atque iucundissimum bonum, quando te inueniam, & tibi tenacissimè adhærebo? O desiderabile principium meum, quando in te reuertar, & depositâ veteri formâ, supernaturaliter transformabor? Eia Domine, miserere mei pauperrimi exulis, miserere mei vilissimi peccatoris. Emunda & sanctifica cor meum: subleua & illumina mentem meam. Effice me intus purum, simplicem, nudum, ac liberum: effice me hominem secundùm cor tuum. Accende & penitus concrema me igne amoris tui; vt anima mea tota liquefacta, effluat in te, tibique sine medio vniatur, ad laudem nominis tui. O Fili Dei viui Iesu Christe, conforma me sacræ humanitati tuæ.

§. II.

Descriptio mysticæ Theologiæ. Quomodo mirabilis vnio in animâ perfectâ celebretur.

1. *Dulcis ac sublimis descriptio illius vnionis arcanæ, quam propriè Theologiam mysticam vocant, quâ anima quodammodò deificatur.*

2. *Eadem vnio describitur verbis sancti Dionysij Areopagitæ: qui primus illi acini, seu vnioni nomen Theologiæ mysticæ indidit.*

3. *Felix status animæ sanctæ, quæ ad hanc vnionem fuerit perducta.*

1\. *Vberrima delineatio altissimæ vnionis animæ cum Deo, quam Theologiã mysticam vocant.* Est compendium breue, lucidum, solidum totius doctrinæ mysticæ, à Blosio traditæ.

FELIX * illa anima, quæ puritati cordis sanctæque introuersioni iugiter studet, & priuato amori seu propriæ voluntati, propriæque quæsitioni prorsus renuntiat. Hæc enim magis ac magis Deo appropinquare meretur. Tandem verò superioribus eius viribus diuinâ gratiâ subleuatis, clarificatis, & exornatis, vnitatem nuditatemque spiritus obtinet, & purum atque indepictum amorem simplicemque cogitationem (quæ cogitationum expers est,) adipiscitur. Iam itaque cùm excellentis indicibilisque gratiæ Dei sit capax, ad viuum illum fontem, qui ab æterno manat, ac Sanctorum mentes satis superque reficit, perducitur. Iam vires eius ad instar stellarum lucent, & ipsa fit idonea ad contemplandũ Diuinitatis abyssum, sereno, simplici & iucundo intuitu, absque imaginatione, & sine aliquâ intellectus admixtione. Vnde quando sese ad Deum cum amore integrè conuertit, incomprehensibili luce in fundum eius effulgente, rationis & intellectus oculus reuerberatus caligat: simplex verò ipsius animæ oculus (nempe pura, nuda, vniformis, & supra intellectum eleuata cogitatio) manet apertus. Porrò naturali lumine intellectus à tantâ claritate obfuscato, anima nihil in tempore adspicit, sed supra tempus & locum erecta, quamdam æternitatis proprietatem assumit. Nam imagines, & distinctionem considerationemque rerum amittens, iam experimento discit, Deum longè transcendere omnes corporales, spirituales atque diuinas imagines, & quidquid intellectu apprehendi, quidquid de Deo dici scribive, quidquid nominis ei imponi potest. Clare perspicit, talia omnia à veritate diuinæ essentiæ in infinitum distare; ob idque eamdem essentiam innominabilem esse. Ignorat tamen quid sit Deus quem sentit. Hinc præcognitione factâ sine cognitione, in solo amabili, nudo, simplici, & ignoto Deo quiescit. Lux quippe diuina propter nimiã sui claritatem inaccessibilis est: vnde & caligo appellatur. Suscipit hîc anima verbum absconditũ, quod Deus in interno silẽtio & secreto mentis recessu loquitur. Hoc suscipit, atque vnionis mysticæ complexum feliciter experitur. Vbi enim intellectum omnesque imagines per amorem excessit, & supra semetipsam euecta est (quod solus Deus ei præstare potest) iam à se defluens profluit in Deum: tuncque Deus pax & fruitio eius est. Illa ergo in tali mentis excessu posita, iure cantat, ***In pace in idipsum dormiam & requiescam.*** Defluit (inquam) amans anima, deficitque à seipsâ; & velut ad nihilum redacta, in abyssum æterni amoris collabitur: vbi sibi mortua viuit in Deo, nihil sciens, nihil sentiens præter amorem quem gustat. Perdit enim se in vastissimâ Diuinitatis solitudine atque caligine: sed sic se perdere, potiùs se inuenire est. Ibi sanè quidquid est humanum exuens, & quod est diuinum induens, transformatur transmutaturque in Deum: sicut * ferrum in igne positum, formam ignis accipit, & transmutatur in ignem. Manet tamen essentia animæ sic deificatæ, quemadmodum ferrum ignitum non desinit esse ferrum. Igitur ipsa anima, quæ priùs erat frigida, iam ardet: quæ priùs erat tenebrosa, iam lucet: quæ priùs erat dura, iam mollis est. Planè tota Deicolor est: quia essentia eius essentiâ Dei perfusa est. Tota diuini amoris igne concremata, totaque liquefacta, transiit in Deum, & ei sine medio vnita, vnusque spiritus cum eo effecta est: sicut aurum & æs in vnam metalli massam conflantur. Ceterùm illorum, qui in Deum ita excedunt

Ps. Psalm. 4.

* Metamorphosis seu transformatio & apotheosis, aut deificatio quædam animæ deuotæ in mysticâ vnione.

* R. P. Thomas à Iesu, magnus ætate nostrâ Doctor & mystes huius à Blosio traditæ Theologiæ mysticæ, seu supernaturalis & fruitiuæ cum Deo & animâ vnionis, producit nubem testium irrefragabilium, qui in Ecclesiâ Dei per mille & quingentos annos à Patre & principe mysticorum Theologorum S. Dionysio Areopagitâ, vsque ad S. Virginem Teresiam de mysticâ vnione scripserunt, inter quos Blosij laudatissimi testis verba hæc aurea commemorat. Videatur etiam idem Thomas à Iesu lib. 5. de Contemplatione c. 13.

excedunt & rapiuntur, diuersi gradus sunt: nam eò quisque profundiùs atque sublimiùs in ipsum Deum pertingit, quò efficaciùs ardentiusque seu amorosiùs se ad eum conuertit, & quò perfectiùs in ipsâ conuersione omnem propriam quæsitionem repellit.

2. *Idem animæ status à S. Dionysio magnificè descriptus, Blosio consonat.* Dionysius Areopagita in libello quem de Theologiâ mysticâ ad Timotheum scripsit, ita ipsum Timotheum ad prædictam vnionem exhortatur: *Tu*, inquit, *Timothee charissime, per intensissimam ad contuenda mystica spectacula exercitationem, relinque & sensus, & intellectuales operationes, & sensibilia & intelligibilia omnia, & quæ sunt & quæ non sunt, omnia: intendeque teipsum pro viribus per quamdam ignorantiam, vt illi iungaris qui super omnem substantiam scientiamque est. Sanè, vbi liberè, absolutè, & purè à teipso atque ab omnibus excesseris: tum sublatis omnibus, ipse expeditus ab omnibus, euolabis ad supersubstantialem diuinæ caliginis radium.* Et paucis interiectis ait: *Contemplator visibilia & intellectualia deserens, ingreditur mysticam ignorationis caliginem: in quâ omnia scientiæ & cognitionis præsidia terminans, totus fit in eo, qui tactum penitus visumque refugit, ac transcendit omnia.* Et paulò pòst, *Ad hanc*, inquit, *perlucidam liquidissimamque caliginem admitti, & per visus scientiæque priuationem videre ac scire eum, qui aspectum omnem scientiamque transcendit, oramus: hîc enim non videre & non scire, verè videre atque scire est.* Idem Dionysius scribens Dorotheo Diacono, de istâ caligine loquitur in hunc modum: *Diuina caligo est lux inaccessibilis, in quâ Deus habitare dicitur. Hæc propter eximiam & quæ substantiæ supereminet claritatem, inuisibilis est: atque eadem propter immensam supersubstantialis luminis ex se manantis copiam, est inaccessibilis. Ad hanc pertingit, eâque absorbetur, quisquis Deum nosse ac videre meruit: nam eo ipso, quòd neque videt neque cognoscit, familiariùs iungitur illi, qui visionem omnem cognitionemque transcendit: sciens eum esse super omnia quæ in sensum atque intelligentiam cadunt, & cum Prophetâ pronuntians ac dicens, Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam:* (Psal. 138.) *quemadmodum sanctus admirandusque Paulus Deum cognouisse memoratur, qui illum supra omnem scientiam atque intelligentiam esse cognouit.* (2. Cor. 5.) *Quocircà & vias eius inuestigabiles esse dixit, & inscrutabilia iudicia illius, atque inenarrabiles gratias, pacemque eius omnem sensum exuperare testatus est.* (Rom. 11.) (Philip. 4.) *Inuenerat enim eum, qui est super omnia, ipsumque supra modum humanæ intelligentiæ nouerat: quoniam cuncta transcendit, qui auctor omnium est.* Hæc Dionysius Pauli Apostoli discipulus.

3. *De beatâ conditione animæ sic per vnionem deificatæ: & de operatione trium potentiarum animæ in viâ mysticâ.* O* sanctam illam animam, quæ à Deo singulariter visitata, & supra omnia creata, supraque propriam operationem eleuata, in vi memoratiuâ nudatur omnibus imaginibus, & meram puritatem atque simplicitatem sentit: in vi intellectiuâ percipit præfulgidas illuminationes Solis iustitiæ, & diuinam veritatem agnoscit: porrò in vi amatiuâ sentit æstum quemdam quieti amoris, siue contactum Spiritus sancti tamquam fontem viuum, manantem riuulis æternæ suauitatis: atque ita ad excellentem cum Deo vnionem inuitatur, introduciturque. O felicem illam horam! Tunc nimirum anima supernaturali iucundissimaque solemnitate & gaudio vernantissimo intus perfruitur, ac futuram beatitudinem aliquo modo prægustat. O quàm beatus est, cui fragrantissimum illud ver, & æstas illa amœnissima exoritur, cuique diuinam copulam vel ad momentum experiri concessum est! Is enim ad id perducitur, quod nec ratio nec intellectus capere, neque lingua exprimere potest. Per sapientem ignorantiam, & per intimum amoris contactum, meliùs Deum cognoscit, quàm exteriores eius oculi visibilem solem cognoscant. Vsque adeò stabilitur in Deo, vt Deum sibi viciniorem esse sentiat, quàm ipse sit sibi.* Vnde & Deiformem superessentialemque vitam iam ducit: factus Christo secundùm spiritum, animam & corpus conformis. Siue comedat, siue bibat, siue vigilet, siue dormiat, semper in eo Deus operatur, qui superessentialiter viuit in illo.* Talem ipse Deus docet de omnibus, & spirituales mysticosque sensus ei aperit. Creberrimè, vel etiam indesinenter eum visitat, adstringit, osculatur, illustrat, accendit, penetrat, & implet. Nam cùm anima eius sit iam speculum clarum sine maculâ, diuino Soli conuenienter obiectum substratumque, ipse Sol iustitiæ non potest non assiduè stillicidia gratiæ, radios sapientiæ, & charitatis scintillas in eam diffundere. Valdè quidem sublimiter atque mirabiliter Deus se nonnumquam animæ perfectæ reuelat atque manifestat; nondum tamen se ostendit sicuti est in suâ ineffabili gloriâ, sed sicut in hac vitâ videri potest.

* Totum hunc locū hoc §. 3. contentum citat R.P. Thomas à Iesu, lib. 4. de Oratione diuinâ c. 9.

* Deiformis anima.

* Hæc etiam verba citat idem Pater, cum adiunctâ similitudine, & laudat, lib. 4. c. 25. §. 3.

§. III.

§. III.

Monita quædam circa hunc vnionis statum fideliter obseruanda.

1. Quænam ad hanc vnionem maximè promoueant, quæ ab eadem impediant.

2. Summâ vtendum moderatione & discretione, in hoc eleuatæ contemplationis conatu.

3. Visitationes diuinas humiliter & sapienter excipiendas esse.

4. Non abutendum vnione ad oblectationem; nec propter eius studium negligenda ea, quæ sunt vocationis nostræ propria.

1. *Ad vnionem hanc promouent puritas & humilitas; impediunt amor creaturarum, propria voluntas, & omnes actiones aut cogitationes peccaminosæ, vel quæ non directè in vnam & solam cum Deo immediato vnionem tendunt.*

* Quòd in mysticâ vnione cessare debet omnis cogitatio intellectualis, clarè docet Dionysius §. 2. citatus, dum ait: *Relinque & sensus & intellectuales operationes, & sensibilia & intelligibilia omnia, & quæ sunt & quæ non sunt omnia.* Quod tamen accipiendum de solo vertice seu apice mysticæ Theologiæ.

PORRÒ fieri nequit, vt anima ad intimam istam cum Deo vnionem pertingat, nisi tota munda & simplex effecta, similitudinem Dei habeat. Vt igitur ipsa Deo vniri mereatur, sese ab omni peccato atque ab omni delectatione liberam (quantum fieri potest) seruet, & affectum intellectumque suum ab omni creaturâ expediat. Oret Deum vt se tam puram nudamque faciat, quàm pura ac nuda erat, quando in fonte sacri Baptismatis renata est: sic enim liberè refluet in illum. Per profundam humilitatem se semper vilissimam atque indignissimam esse agnoscat, se diuinæ voluntati penitus subiiciat, & mentem in Deum subleuatam habeat. Grauia peccata, grandisque propriæ voluntatis immortificatio, nos reddunt Deo multùm dissimiles, & sunt velut muri densissimi, quibus à Deo disiungimur. Etiam modicus amor, tenuisque affectus, quo quis mortali creaturæ adhæret, & verbulum otiosum, aut buccella cibi aliter quàm oportuit sumpta, atque aliæ huiusmodi minutiores offensæ & inordinationes, non permittunt vt Deus (qui est summa puritas) intimè vniatur animæ, nisi priùs expientur. * Denique quælibet imago vel cogitatio de rebus caducis, sed & cogitatio de Angelis, item cogitatio de Passione Domini, & quæuis cogitatio intellectualis, hominem in hac mortali vitâ impedit, quando ad mysticam cum supersubstantiali superintellectualique Deo vnionem consurgere vult. Eâ ergo horâ huiusmodi sanctæ cogitationes atque imagines (quæ aliàs vtilissimè & suscipiuntur & retinentur) declinandæ relinquendæque sunt: quia medium aliquod constituunt inter animam & Deum. † Quare Asceta, ad ipsam vnionem pertingere cupiens, mox vt sentit se amore Dei vehementer inflammari ac sursum trahi, rescindat quaslibet imagines, properetque ad Sancta sanctorum, & ad internum illud silentium, in quo non humana, sed diuina dumtaxat operatio est: ibi quippe Deus est agens, homo verò patiens. Dum enim vires amantis animæ silent, & à propriâ actione quiescunt, atque ab omni imagine liberæ sunt; Deus loquitur, ipsasque vires sicut vult afficit, ac nobilissimum opus in animâ peragit. Vbi iam Asceta præclarissimam Dei actionem ampliùs in se non sentit, tum suam propriam actionem suaque exercitia resumat.

† Potiùs est hîc inactio Dei quàm actio animæ. ideò vocatur silentium in cælo animæ; quod Dionysius vocat pati diuina potiùs quàm agere, dum de suo Hierotheo agit in lib. de Diuinis nominibus c. 2. & 5.

2. *Moderatio hic summopere seruetur in procurandâ istâ mysticâ introuersione. Vtilis est patientia, & placidus, non coactus conatus.*

Prætereà ipse Asceta in suâ introuersione, atque ad Deum conuersione, non nimis extendat intellectum suum: ne, si altiùs quàm oportet volare pertentauerit, extra simplicitatem aberrans, internis tenebris inuoluatur, ex quibus intolerabiles miseriæ & anxietates oriri solent. Introuertat se simpliciter, oculum intellectus diligenter & placidè deprimens atque excæcans. Violentum etiam impulsum ac nisum prudenter vitet; ne prægrauet naturam, & se nimiùm debilitet. Si tamen non potuerit semper effugere sui afflictionem, nequaquam ob id perturbetur, neque despondeat animum: sed humiliter patienterque huiusmodi calamitatem toleret, suscipiens eam de manu Domini, & eidem illam in laudem æternam offerens. Quod quidem si fecerit, & exercitium sanctæ introuersionis constanter retinuerit, cælesti mannâ tandem abundè reficietur, atque aliquando satiabitur. Nonnulli in feruidis ad Deum adspirationibus se exercentes, grandem sæpè cruciatum sentiunt, donec dono Dei, & perseueranti consuetudine, eò tandem pertingant, vt sese simpliciter ac facilè exercere norint. Plerique etiam modicam compunctionem sensibilem sine sui læsione non ferunt. Asceta solerter declinare studeat, quidquid serenitatem & tranquillitatem internam dissipare potest: ea verò impedimenta quæ vitare nequit, offerat Deo (sicut dictum est) in laudem æternam.

3. *A Deo visitatus quid agat, & quomodo visitationes diuinas à diabolicis discernat.*

Quando consolationem aliquam à Deo accipit, & quando singulariter ab eo visitatus, lumineque gratiæ perfusus, extra naturale lumen suum rapitur, non plus æquo admiretur id quod sentit, nec insolitis gestibus se tradat. Non scrutetur quid sit, aut quomodo sit Deus. Lucem intus coruscantem radiantemque, & saporem se afficientem non discutiat: sed sinens ipsa esse quod sunt, absque aliquâ inuestigatione in solo ignoto & innominabili Deo quiescat. Ne verò quid suspectum habeat, dum luce con-

solationeque internâ abundantiùs lætificatur, scire debet, lumen illud, quod in fundo animæ lucet, & per quod quis, bonitatem Dei propriamque vilitatem agnoscens, in verâ humilitate proficit, infundi à Deo, non à maligno spiritu. Ipse quidem angelus tenebrarum potest vanos superbosque homines decipere, confictum lumen ingerendo, & falsam dulcedinem in sanguine vel corde excitando: ceterùm mentem essentiamque animæ solus Deus ingredi potest.

4\. *Donis Dei non abutendum ad oblectationem nostram, sed admittenda cum resignatione ad carendû aut fruendum. & promptitudine ad faciendû omnia exercitia debita propria vocationis aut charitatis.*

Asceta in donis ipsius Dei non proprium commodum, sed illius laudem quærat. Non abutatur eis ad sui oblectationem, (nimis enim indignum foret, stercus propriæ voluptatis cum pretioso diuinæ gratiæ balsamo commiscere) quin potiùs omnibus donis emortuus, hoc tantùm desideret, vt in se Deus delectationem, gaudium & pacem inuenire, atque effectu gratissimæ voluntatis suæ potiri possit. Semper paratus sit carere consolationibus quibus à Deo recreatur. Verumtamen ipsa dona Dei non repellat, neque impediat: sed humili gratoque animo illa suscipiens, admiretur diuinam bonitatem, quæ tam indigno talia confert. Est quidem res excellentissima atque iucundissima, cum Deo intus in vnitate spiritus requiescere; non tamen propter hoc alia bona opera relinquenda sunt. Nam apis quamdiu in floribus quiescit, neque mel neque ceram conficit. Et quid iuuat per consolationem diuinæ visitationis concipere, nisi etiam partus sequatur? Sanè perseuerans resignatio in languore, sterilitate, obscuritate, & paupertate spiritus, Deo gratissima & homini vtilissima est. Porrò aliqui commodiùs vacant Deo, & meliùs contemplationi insistunt sedendo, quàm stando, vel flectendo genua. Si Asceta interim dum se intus exercet, euocetur, aut per obedientiam abire cogatur, non hoc indignè ferat: sed promptè hilariterque obediens, sic externa quæque peragat, vt interna non deserat. Nam semper se abnegare, semper resignatus manere debet: paratus pro Dei voluntate, & pro iustâ hominum petitione ac necessitate, relinquere consueta sua exercitia. Debet item cauere, ne immoderatæ corporis macerationi castigationique pro capitis sui iudicio incumbens, gratiæ & operationi Dei in se impedimentum præstet.

§. IIII.

Vlterior explicatio huius mysticæ vnionis, in vertice voluntatis, in apice mentis, & fundo animæ; & quàm pauci eam norint.

1\. *Operatio mirabilis Trinitatis in fundo animæ ipsi ita vnitæ; & libertas, ac ornatus inde animæ superueniens.*

2\. *Quales sint in se animæ, quæ hanc vnionem verè sunt consecutæ per quamdam beatitudinis prælibationem.*

3\. *Paucos credere, pauciores intelligere hunc animæ fundum mysticum.*

4\. *Quanti referat illum cognoscere, & ad Deum in ipso per vnionem inueniendum anhelare.*

De ipsâ vnione diuinâ, quæ fit in apice mentis, nonnulli Patres in hunc ferè modum loquuntur. Quando, inquiunt, vertex voluntatis, siue supremus affectus, amore Dei accenditur; etiam vertex intellectus, siue simplex intelligentia, desuper illustratur: iamque beata Trinitas seipsam manifestat: Pater quidem in memoriâ, per simplicem cogitationis lucem; Filius verò in intellectu, per claram cognitionem; & Spiritus sanctus in voluntate, per ardentem amorem. Hinc anima (quæ lucidam illam caliginem caliginosamque lucem contemplatur) à seipsa deficiens, atque in Deum profluens, vnus cum eo spiritus in intimo fundo suo efficitur: & cum æterno Dei Verbo (quod ibi Pater cælestis profert) generata, nobiliter renouatur, aptaque ad omne bonum opus seu exercitium redditur. Vnde & ipse Deus Pater de illâ iam dicit: Hæc est filia mea dilecta, in quâ mihi complacui. Rectè itaque quidam amicorum Dei animam rationalem sic exhortatur: * *O anima generosa, serua te puram ac liberam: libertas enim pretiosus thesaurus est. Noli ad multiplicitatem sensuum foras excurrere, sed cohibitis ipsis sensibus, intus habita. Recipe, inquam, te in fundum tuum: & ad Deum amorosè ardenterq; conuersa, vel millies per diem in ipsam Diuinitatis abyssum immergere. Ibi enim increatæ beatitudinis notitiam haud dubiè adipisceris. Ibi gaudium accipies, quod quidem erit maximum, sed nondum erit perfectum: nam perfectum gaudium quod numquam interrumpetur, in solâ illâ cælesti patriâ tibi dabitur, vbi Deum indesinenter videbis sicuti est.* Hæc ille.

1\. *Quàm mirabiliter operetur Trinitas in animâ sibi vnitâ, per triplicem potentiam, memoria, intellectus, voluntatis.*

* Libertas animi ab omni seruitute creaturarum, quando adest mystica vnio.

2\. *Anima mysticâ vnione in Deum absorpta & immersa.*

Reuerà anima in Deum immersa atque absorpta, vltrò 1 † citroque in Diuinitate natat, & abundat ineffabili gaudio, quod etiam copiosè redundat in corpus: iamque

1\. † Quales sunt mysticæ animæ in apice mentis ac fundo suo.

ipsa

ipsa anima in hoc exilio vitam æternam inchoat. Nam cogitationes suas in Deo fixas firmatasque habet, & semper in suam originem proficit, manens iugiter coram Deo. Possidet supernaturalem quamdam spiritus vnitatem, in quâ velut in proprio habitaculo commoratur: inclinatque se in diuinam essentiam vsque ad supremam illam vnitatem, vbi Pater & Filius & Spiritus sanctus in ipsius diuinæ essentiæ simplicitate vnum sunt. Conuersatur ergo talis anima in cælis, nempe in vnius Diuinitatis tribus personis. Et quādo Deo excellenter vnitur, iam nihil ei præteritum, nihil futurum est: sed ipsa æternum nunc tenet, atque in illâ incommutabili æternitate (quæ Deus est) habet omnia, & supremum ordinem distinctionemque imaginum seu formarum expertem cognoscit. Sic sic anima intellectu transcenso, reuolat in ideam suam, & principium suum Deum, ibique efficitur lumen in lumine. Tunc sanè restinguuntur & offuscantur lumina omnia naturalia atque infusa, quæ infra hoc lumen vmquam emicuerunt: non aliter quàm ad splendorem fulgentis solis, omne stellarum lumen obtenebratur ac deficit. Nam quando lux increata exoritur, lux creata euanescit. Ergo lux animæ creata, in æternitatis lucem commutatur.

2.* Quales in vinum inferiorum mortificatione.

2.* Qui huiusmodi sunt, nimirum naturam sensualitatemque suam Dei gratiâ præclarè vicerunt ac mortificarunt, eis anima iam in spiritum transiit atque transformata est: vnde ipsi nec prosperis nec aduersis vitiosè mouentur, sed essentiali quadam pace gaudent. Nam neque spes, neque timor, neque gaudium, neque mœror, neque odium, neque amor sensualis & inordinatus, nec aliud quidquam turbulentum in eis durare potest. † Licet verò isti amabiles homines diuino lumine copiosè illustrentur, in quo clarè cognoscunt quid agere & quid dimittere debeant:

3.* Quales erga alios homines.

3.* libenter tamen propter Deum aliis sese submittunt, libenter omnibus secundùm Deum obtemperant, libenter infimū locum tenent. Propter dona & multa & excellentia quæ accipiunt, non extolluntur: cùm in nihilum suum se profundissimè demerserint. Nihil omnino de se sentiūt; scientes Deum operari omnia bona quæ faciunt. In verâ humilitate filialique timore iugiter permanent, & se seruos inutiles esse agnoscunt.

4.* Quales in cōscientiâ & fugâ peccati.

4.* Non solùm grauiora, sed & minima peccata studiosissimè (quantum in ipsis est) vitant. Culpas verò & negligentias, quas ex fragilitate humanâ admittunt, Sanguine Christi, & passione seu meritis eius semper diluunt atque expiant.

5.* Quales in communis vitæ exercitiis.

5.* Eis propria instituta & consuetudines, quas aliquando assumpserant, decidunt: quia nesciunt aliquod exercitium cum proprietate retinere, cùm non sint sui, sed sint Christi. Ceterùm mundo incogniti latent: nec eorum simplicem vereque Christianam & ad cælestia erectam conuersationem facile quis aduertit aut perspectam habet, nisi eamdem cum ipsis gratiam accipiat: illi enim singulares & inusitatos modos foris ostendere non solent. Se suaues & benignos in conuictu, omnibusque communes ac sociales exhibent: ita tamen, vt ad peccatum non declinent. Non sunt multùm seueri: sed sunt clementes, & omnibus miserationis affectum impendunt. Vnde verisimile est, eos numquā posse à Deo separari, nisi fortè humilitatem (quod absit) desererent.

6.* Quales illi à rigidioribus & mysticæ ignaris habeantur.

6.* Qui occulti filij Dei, cùm verba humilia protestant, & ita se gerant quasi nullius momenti essent, plerumque vilipenduntur etiam ab his, qui exteriùs aliquid sanctitatis habere videntur. Sed & ab illis qui vitam multùm rigidam ducunt, quique in austeritate externâ, secundùm propriam voluntatem assumptâ, potissimùm confidunt, nonnumquam despiciuntur: propterea quòd ipsi corpusculis suis quietem, atque alia necessaria, ad honorem Dei rationabiliter concedant, vt scilicet corpus spiritui meliùs seruire possit. Deus autem plus delectationis in quolibet eorum inuenit, quàm in multis aliis hominibus, qui sibi intimè vniti non sunt.

3. *Pauci occultum animæ fundū norunt, credūt aut quærunt; qui fundus hic variè describitur.*

* Pauci supra vires suas naturales assurgunt, (& certè nullus propriâ industriâ per seipsum illas transcendere potest, * sed solus Deus hominem perseueranter humiliterq; orantem, & facientem quod in se est, supra eas euehit) pauci supremum affectum & simplicem intelligentiam, apicemque spiritus, atque occultum animæ fundum norunt. Imo verò plerisque vix persuaderi posset, hunc fundum in nobis esse. Ipse enim longè interior sublimiorque est, quàm sint tres vires superiores: nam virium illarum est origo. Omnino simplex, essentialis, atque vniformis est. Itaque in eo non est multiplicitas, sed vnitas: & ipsæ tres vires superiores vnum sunt. Hîc summa est tranquillitas, summumque silentium: quia numquam aliqua imago huc pertingere potest. Nos secundùm hunc fundum (in quo diuina latet imago) Deiformes sumus. Idem fundus, qui tendit in quamdam abyssum, *cælum*

*Hic fateatur Asceta, mysticæ Theologiæ apicem & fundum esse donum Dei supernaturale. Est autem donū, quod nemo scit, nisi qui accipit.

† Citat hæc R. P. Thomas à Iesu de Oratione diuinâ l. 4. c. 25. §. 3. sed & apparet idem in Angelis beatificâ Dei visione fruentibus; qui tamen obedientiam Deo, humilitatem in se, custodiam & charitatem erga homines exercent, non obstante gloriosâ beatitudinis & Dei clarè visi fruitione.

spiritus dicitur: nam in eo regnum Dei est, dicente Domino, ***Regnum Dei intra vos est.*** (Luc. 17.) Regnum verò Dei, est ipse Deus, cum vniuersis diuitiis suis. Iste ergo nudus atque indepictus fundus supra omnia creata, & supra sensus viresque omnes eleuatus est, locumque ad tempus excedit, manens perpetuâ quadam adhæsione in Deo principio suo: est tamen essentialiter intra nos, quia abyssus animæ & intima eius essentia est. Hic fundus, quem lux increata iugiter irradiat, dum homini aperitur, eique illucescere incipit, valdè eum afficit & allicit.

4. *Permagni tamen interest cognoscere, & in solo Deo possidere hunc fundum seu verticem mysticæ introuersionis, & diuinæ vnionis.*

* Totum hunc locũ refert & laudat deuotus Pater Thomas à Iesu lib. 4. de Oratione diuinâ c. 12.

* O nobilem fundum, diuinumque templum, à quo Deus numquam recedit! O fundum præclarissimum, in quo sanctaTrinitas habitat, & in quo ipsa æternitas gustatur! Vel vna perfecta in hunc fundum ac Deum ipsum conuersio, multis aliis exercitiis atque operibus præstantior est, & vel decem pluriumve annorum amissa tempora reuocare potest. Nimirum fons aquæ salientis in vitam æternam in hoc fundo scaturit: quæ quidem aqua tantæ efficaciæ atque suauitatis est, vt omnem vitiorum amaritudinem facilè depellat, facilè omnem naturæ rebellionem euincat ac superet. Mox enim vt bibitur, per totam animæ & corporis regionem diffluit, & miram puritatem miramque fecunditatem vtrique præstat. Non debemus cessare ab oratione, donec ex eo fonte bibere mereamur. Nam vbi vel vnicam eius guttulã perceperimus, iam res vanas labentesque creaturas sitire non poterimus, sed solum Deum, solum Dei amorem sitiremus. In quo amore quãtò ampliùs creuerimus, tantò magis in vnione diuinâ proficiemus: & quò perfectiùs Deo vniti profundiusque in eum immersi fuerimus, hoc clariùs eum in ipso & per ipsum cognoscemus: rursum quantò lucidiùs eum cognouerimus, tantò ardentiùs diligemus. Aliqui seriùs, aliqui citiùs ad venam illam aquæ viuæ peruenientes, supernaturali lumine excellenter illustrantur. Sed & nonnullos Deus celerrimè ad perfectionem perducit: quos etiam repentè plerumq; præueniens tam validè in se rapit, vt resistere nequeant. Beatus est, qui vel post plurimos annos in continuo labore atque conatu fodiendi transactos, tandem ipsam aquarum viuentium venam in fundo animæ suæ inuenire meretur. Non est mirum, si oporteat hominem ante cubiculum Regis æterni diu excubare, diuque pulsare & expectare, priusquam intrò admittatur. Deus, increata abyssus, spiritum nostrum, abyssum creatam, in se vocare, secumque vnum facere dignetur: vt ipse spiritus noster profundissimo Diuinitatis mari immersus, feliciter in spiritu Dei se perdat. Hîc enim omnium exercitiorum, omniumque Scripturarum & præceptionum scopus ac finis attingitur atque obtinetur.

ABsoluto hoc Libello, nos ea quæ scripsimus, sanctæ Matris Ecclesiæ Patrumq; orthodoxorum iudicio submittimus: in cuius Ecclesiæ fide & viuere & mori desideramus, ad gloriam Dei, qui est benedictus in æterna sæcula. Amen.

LVDO-

LVDOVICI BLOSII INSTITVTIONIS SPIRITVALIS APPENDIX PRIMA DESVMPTA EX LIBRIS D. IOANNIS THAVLERI ALIORVMQVE PATRVM.

CAPVT I.

De internæ vitæ iucundo initio, & tentationibus afflictionibusque subsequentibus, ac postremâ perfectione, admirabilique vnione.

1. Perfectam rerum omnium abnegationem in exordio vitæ spiritualis sequitur voluptas incredibilis:

2. Quæ ex intimo corde sæpè in exteriora verba gestusq; singulares deuotorum prorumpit, & in ecstasim.

3. Sed iucundum hoc initium plerumq; desolationes excipiunt: in quibus omnibus resignatio est necessaria.

4. Cruces autem istas patienter toleratas sequitur vnio animæ cum Deo: in quâ ipsa non quærit suam oblectationem, sed beneplacitum Dei.

5. Nam in solâ Dei voluntate est solida consolatio: in quam se verè resignare, securissima est via ad perfectionem. quod ostenditur exemplis.

1. *Incredibilis voluptas oritur ex perfectâ abnegatione in ingressu vitæ spiritualis.* * Fatetur Blosius ipse in Epistolâ sequenti ad Florentiũ, sese hîc nõ vbique verba Domini Thauleri, sed verborum sensum proferre.

INSIGNIS sublimiterque illuminatus Theologus D. Ioannes Thaulerus, diuersis locis loquens de eo homine, qui internam vitam sectatur, ita ferè * ait: Qui internæ vitæ desiderio accensus, seipsum diligenter inspicit, & abradit atque amputat, quidquid in conuersatione suâ, in amore, in intentione, in verbis, in operibus, vestimentis, ornatu, amicis, commoditatibus, oblectamentis, moribus, totaque vitâ suâ inuenit quod impedimentum præstat, quò minùs Deus in ipso viuat atque operetur, & cuius vera causa Deus non est; is, postquam omnia illa obstacula resecuit, conuenienterque reiecit, miram intus dulcedinem sensibilem, miramque voluptatem experiri solet: quæ iucunda & deliciosa satietas, internaque consolatio, omne mundi gaudium superat & excedit.

2. *Gaudium Aserra ex perfectâ mortificatione & beneficiorum & amoris Dei recordatione natum, subinde absconditum nequit, sed in verba & gestus erumpit, cum raptu in excessum mentis.*

Nonnulli eorum qui ita sese ab impedimentis elongauerunt, dum dulcissima amoris signa, à Deo nobis in cælo & in terrâ mirabiliter exhibita, innumeraque bona creaturis omnibus ab eodem præstita, studiosè attendunt: dum considerant, vt omnia vireant, floreant, & Deo plena sint, vtque incomprehensibilis benignitas Dei creaturas omnes maximis donis perfundat: dum considerant, vt Deus ipsos diu tolerarit, quæsierit, inuitarit, commonuerit, expectarit: dum considerant, vt ille propter nos homo factus multa pertulerit, & vitam animamque suam sacratissimam, ac seipsum totum pro nobis obtulerit: dum considerant, ad quam ineffabilem Deus suipsius vicinitatem coniunctionemque ipsos vocarit, & vt beatissima Trinitas cupiat illos sui fruitione perenniter gaudere, quæ etiam ob id tamdiu eos præstolata est: dum inquam hæc mira stupendaque Dei opera, & ineffabilium donorum eius exhibitionem, atque occultæ bonitatis effluxus, amorosâ contemplatione veraque dilectione percurrunt, tantam plerumque mentis iubilationem concipiunt, & tantâ exultatione intus replentur, vt eam corpus fragile continere non possit. Vnde fit, vt illa in verba vel singulares aliquos gestus erumpat: quod nisi fieret, sanguis fortasse (sicut frequenter accidisse constat) ex ore exultantium ebulliret, aut certè ipsi grande periculum seu grauem læsionem incurrerent. In hunc videlicet modum, illi copiosâ dulcedine à Deo intus perfunduntur, & ei per internum amplexum sensibili vnione copulantur, osculaque prædulcia ab eo accipiunt. Maximè verò interdictum omni-

bus esse debet, ne istiusmodi hominibus in hac parte impedimentum præstent: piè tolerandi sunt, & etiam Eucharistia eis in loco à turbis remoto porrigenda est, si commode fieri potest; ne quis ignarus insolitos eorum gestus videns, offendatur. Ceterùm hos ipsos, qui eximiis donis Dei præuenti, exultationem suam verbis ac gestibus prodere coguntur, oportet ad potiora adspirare, & quàm citissimè poterunt, illos gestus in se reprimere. Tales nonnumquam etiam quemdam stuporem seu excessum mentis propter nimiam gratiæ opulentiam, quam sentiunt, patiuntur: sed & mira in formis atque imaginibus vident.* Quamuis autem hoc possit esse bonum, non tamen est optimum. Nam & vnio illa sensibilis quæ foris in naturâ cum aliquo medio fit, ex se quidem bona est; sed hac incomparabiliter præstantior est verissima illa vnio, quam perfecti intus in spiritu absque medio experiuntur.

* Interna consolatio est præstātior externâ.

3. *Iucundum initium afflictio[nes] plerumque subsequuntur; quia aliter viri, aliter pueruli nutriendi.*

Postquam autem homo ab omnibus abstractus, iam puer esse desiit, & abundè refocillatione diuinæ dulcedinis roboratus est, tum Deus panem cibarium ei porrigit, vtpote iam viro, & virilis ætatis annos in spirituali vitâ assecuto. Expedit prorsus, vt is duro solidoque cibo pascatur, nec decet eum deinceps lacte foueri. Necesse est vt ipse iam puerilibus ludis relictis, negotiari, & victum suo labore conquirere, cæliq; sæuitiam ac tempestates perferre discat. Deus igitur vastam, tenebrosam, desolatamque viam illi proponit: per quam eum deducens, aufert siue occultat ab eo omnia dona, quæ illi vmquam largitus fuerat. Hîc iam homo totus sibiipsi relinquitur, ita vt nullam Dei notitiam in se remansisse putet. Omnia exercitia sua, & quæcumque facit aut dimittit, sibi prorsus insipida sunt: vnde & anima eius præ tædio in illis dormitat. Vix ad momentum in piâ & sanctâ aliquâ cogitatione persistere potest: adeò instabilis est mens eius. Si ad Deum se reuocat vt illi intendat, mox inde veluti depellitur, excutiturque. Totum tempus suum se perdere, & in his quæ agit (quantumuis ea bona sint) cælestem Sponsum se offendere arbitratur, pro quibus etiam graues pœnas post hanc vitam se luiturum formidat. In initiis conuersionis eius, volens Deus eum ad se allicere, sicut auceps auem escâ obiectâ allicit, crebrò eum suis illustrationibus visitabat, suauissimoque amoris sui igne inflammabat, & dulcedinem suam gustare faciebat: muneribus gratiæ suæ voluntatem eius ita trahens, vt quidquid ipse vellet, etiam ille vellet. At nunc aliâ viâ ei gradiendum est: iam enim Deus austeritatem rigoremque prætendit, & dura atque aspera exhibet.* Vnde ille sibi derelictus, grauissimam in se rebellionem sentit, & talem ac tantam pressuram plerumque incurrit, vt vtrùm Deum vmquam benè habuerit, vel etiamnum habeat, penitus ignoret. Tam acerbo dolore coarctatur, vt amplissima mundi spatia illi nimis angusta esse videantur. Deum non sentit, Deum non cognoscit: & tamen cetera omnia nihil eum delectant, nihil ei sapiunt. Ipse itaque pendet velut inter duos parietes, in quorum neutro requiem capere potest. Non est quò se vertat, non est quod agat, nisi hoc tantùm, vt se sursum recipiat, & dicat: Salue amaritudo amarissima, omnis gratiæ plena.* Certè si infernus in hac vitâ haberi posset, grauius inferno sibi videretur esse, impense amare Deum, & tamen eodem dilecto penitus carere. Iam verò etiam fœdæ acerbæque cogitationes, & vitia quæ iam pridem se vicisse credebat, vires in eo resumunt, grauissimeque illum impugnant, & fortè molestiùs quàm olim, cùm eisdem vitiis malè subiectus viueret. Sed & plerumque, quò sacratiora sunt tempora, eminentioresque Solemnitates, eò magis affligitur, obruiturque impedimentis: ita vt nec vnam Orationem Dominicam vel Salutationem Angelicam liberè explere possit. Insuper permittit Deus, vt omnis vita & conuersatio eius tamquam vana à plurimis irrideatur, vtque ipse etiam ab his qui boni esse & exteriori sanctitate præcellere videntur, vilis habeatur, contemnaturque.* Tu quisquis hæc experiris, non declines ad vana solatia, sed esto fidelis cælesti Sponso: viriliter age, probè te gere: nam certissimè Deus tuus tibi proximus adest. Tantùm viuæ fidei stipiti fortiter innitere: indubitanter meliùs habebis, omnia prosperè cedent. Sed quid dicimus? cùm huiusmodi desolato ac misero homini (quamdiu in hac gemebundâ afflictione positus est) persuaderi nequeat, intolerabilem hanc obscuritatem & internas tenebras posse vmquam in lucem mutari. Omnino tamen, si verâ vult pace gaudere, debet in huiusmodi derelictione, pressurâ, & spiritus paupertate, resignatus esse, atque ab omnibus internis deliciis animum liberum expeditumque habere. Deprimat igitur sese in gratissimam Dei voluntatem, paratus hanc calamitatem sustinere, quamdiu illi visum fuerit. Profectò multò veriùs vtiliusque in tantâ spiritualis hiemis asperitate Deum præsentem habet, quàm vmquam in omnibus iucundæ consolationis æstatibus habuit. Vnde ipsis diuinæ gratiæ blandimentis, quibus interdum refouetur, hoc tribula-

* Status animæ à diuinis consolationibus, sed nō à Dei amore & gratiâ derelictæ.

* Affinem huic appretiationi sententiam reperies apud S. Bernard. Serm. 35. super Cant. 1. ad illa verba: *Egredere, & abi.* vbi ait, nescire se, an videatur animæ, ad se & Deum præsentem introuersæ, ipsam gehennam ad tempus experiri horribiliùs pœnaliusque, quàm egredi & abire debere ad carēdū dilecto, & fruendū sæcularibus consolationibus.

* Anima sic desolata non omittat pia exercitia, nec vana solatia aucupetur; sed semper speret à Deo meliora, cum plenâ resignatione.

tribulationis exercitiũ præferre debet. Porrò, interim dum tantis afflictionibus à Domino exercetur, ſatis edat & bibat, vt par ſit illis ferendis. * Huiuſmodi autem preſſuræ nonnumquam ex naturali hominis indiſpoſitione, nonnumquam ex aëris inæqualitate, nonnumquam ex maligni ſpiritus operatione oboriri ſolent: ſed vndecumque accidant, de manu Domini ſuſcipiendæ ſunt, cuius permiſſu eueniunt. Irreſignatus quiſque dum in hunc modũ duris ſcopis à Domino atteritur, omnia ſe perdidiſſe arbitratur: vnde & in grauem triſtitiam horribilemque deſperationem prolapſus dicit, *Iam de me actum eſt; Perij, lumen omne perdidi; Omnis gratia à me receſſit.* Ceterùm qui eſſentiali veritate intra ſe frui cupit, ad hoc eniti debet, vt reſignato liberoque animo & Deo, & ſeipſo, & creaturis omnibus carere poſſit, veram pacem intus interim retinens. Felix igitur ille eſt, qui anguſtiis & pœnis afflictus, non aliquid inquirit quo illas euadat, ſed ad finem & vltimum vſque punctum euſtinet: nolens de cruce deſcendere, niſi Deus illum ſoluat ac deponat. Felix planè qui ſe in abyſſum diuini beneplaciti ita demergit, & terribilibus occultiſque Dei iudiciis ita reſignat, vt in huiuſmodi doloribus ac preſſuris non tantùm vnâ hebdomadâ, aut vno menſe, ſed vſque ad extremi iudicij diem, vel etiam perenniter perſiſtere paratus ſit: non recuſans ipſius quoque inferni tormenta † (ſi Deus ita vellet) ſubire. Quæ quidem reſignatio, omnem aliam reſignationem longè vincit. Vel mille mundos relinquere, in huius reſignationis comparatione, nihil eſt. Hoc ipſum, quòd ſancti Martyres animas pro Deo ſuderũt, huic reſignationi collatum, parum eſt: illi enim diuinâ conſolatione affluentes, pœnas omnes pro ludo habebant, hilariterque mortem excipiebant. Sed intus carere Deo, pœnas omnes incomparabiliter excedit.

* De hac bonâ praxi frangendi contumaciã & murmurationẽ propriæ voluntatis, per veram reſignationẽ in Dei voluntatem inter quaſuis preſſuras vndecumque aduenientes, plura cũ his Bloſianis monitis adfert Ieremias Drexelius Heliotropij lib. 4. c. 5. §. 2.

† De hoc ſuperexcellentiſſimo gradu reſignationis in tempore aut æternitate, etiam ad ſubeunda in inferni ignibus damnatorum tormenta, frequenter agit Bloſius, & à magno ſpiritualis vitæ duce ac magiſtro R. P. Ludouico de Ponte lib. 2. in Cantica canticorum, Exhortatione 17. §. 3. poſt Auguſtinum, Bernardum, Bonauenturam, citatur & laudatur, ſed cum eleganti monitione de praxi tam eminentis reſignationis, in hæc verba, quæ ſemel hic dicta vbique occurrere poterunt. *In hoc*, inquit, *gradu conſiſtit ſumma ſpiritus paupertas, quæ omnibus creatis renuntiat, ſolo contenta creatore; quam comitatur perfectiſſima quædam cordis reſignatio in Dei beneplacitum ad carendum, ſi ipſi placuerit, omnibus donis ac bonis creatis, præter ipſius gratiam, & amicitiam & virtutes, quæ nos illi charos reddunt, cuius voluntatem omnibus propriis commodis anteponit: ita vt, ſi ad eius gloriam expediret, paratum ſit perpetuò vel ad tempus eius viſione carere, & inferni pœnas ſuſtinere, dum tamen charitas non excideret: in huncq́; ſenſum adduci ſolet quod dixit Paulus* (ad Rom. 9.) *Optabam ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. & quod olim dixerat Moyſes* (Exod. 32.) *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me de libro tuo. Qui actus adeò inſignes ſicut non ſunt proponendi vel conſulendi Tyronibus &*

imperfectis ac tepidis, ne tanto ſplendore excæcati ſuccumbant & deficiant; ita ſolent eſſe valdè proficui perfectis, vt ſummam ſui erga Deum amoris magnitudinem exerant & teſtentur.

4\. Vbi Deus hominem per cruces varias ſatis ſuperque ad excellentem gratiam percipiendam præparauit (magis enim hæ illum præparant, quàm præparare poſſent quæuis alia exercitia) videns eum probè ſe gerere, & tantas afflictiones tantamque derelictionem patienter ſuſtinere, tandem aduenit, ac ſeipſum in mentem illius (quam nihil niſi ipſe idem Deus ſatiare poteſt) effundit, eamque ſibi ſine aliquo medio vniens, ſupereſſentiali bono, quod ipſemet eſt, copioſè adimplet: vnde & illa vndique ſupereffluit. * Hîc inquã Deus ſpiritui humano ſeipſum abundantiſſimè largitur, quod longe lateque excedit quidquid homo vmquam deſiderauit. Hic iam ipſe homo colliqueſcens defluit in ſuam originem Deum. Rapitur enim in amabilem & infinitam Diuinitatis abyſſum, ſiue in diuinæ ſolitudinis caliginem, omnem intellectum omnemque rationem ſuperantem: & ſupra imagines transformatus, formaque ſuipſius deſtitutus, ad ſtatum quemdã imaginum expertem pertingit: atque intantum deificatur, vt quidquid ipſe eſt & agit, hoc Deus in ipſo ſit atque operetur. Tam ſublimiter ſupra naturæ ſuæ modum effertur, vt quod Deus eſt eſſentialiter per naturam, hoc ipſe fiat per gratiam. Licet enim creatura eſſe non deſinat, totus tamen diuinus ac deiformis efficitur. Igne amoris totus concrematus emoritur: ſed ei ſic emortuo atque ad nihilum redacto, Pater manifeſtus eſt, vnaque Verbum, & Spiritus ſanctus. Hîc ſeipſum homo ſe perdidiſſe percipit, nec vſquam vel agnoſcit, vel inuenit, vel ſentit ſeipſum: nihil namque niſi vnam ſimpliciſſimam eſſentiam (quæ Deus eſt) nouit. Hîc enim ſpiritus creatus liquefit, & immergitur in ſpiritum increatum, totuſque abſorbetur ab eo. Iam itaque nihil ibi eſt, niſi pura Diuinitas, & eſſentialis vnitas. Hîc ſanè Deus hominem afflictũ ex omnibus anguſtiis atque calamitatibus eripit, mirabiliterque illuminat, decuſſis ab interioribus oculis eius veluti ſquammis quibuſdam. Hîc datur homini clariſſima proprij nihili ſui cognitio. Hîc omnia eius debita ſiue peccata remittuntur. Hîc præſtatur ei vera pax, verum gaudium, & vera orationis ſtabilitas. Planè in eo homine, qui vnus ſpiritus cum Deo effectus eſt, ipſe Deus ſine ceſſatione operatur. Vnde & illius hominis opera operibus omnium aliorum, qui non ita Deo vniuntur, potiora ſunt; cùm Deus, qui omnibus melior eſt, ea operetur. Igitur vbi Deus cernit animam deſo-

Cruces internas patienter toleratas ſequitur vnio diuina.

* Exclamatio de felicitate ſtatus animæ in vnione myſticâ, in Deiformi liquefactione & immerſione in Deũ: in quâ multa obſeruare licet myſticæ Theologiæ myſteria.

Esther 15.

desolatam calamitate obrutam, facit quod Rex Assuerus fecisse legitur. Is enim cùm beatam Esther Reginam pænè exanimatam esse, ob idque, colore in pallorem mutato, lassum caput super ancillam reclinare vidisset, prætendit illi sceptrum: & cum festinatione ac metu exiliens de solio suo, atque eam vlnis suis sustentans, osculatus est illam: promisitque se ei daturum quidquid illa peteret, etiamsi dimidiam partem regni sui postulare vellet. Assuerus typum gerit Patris cælestis, qui vbi cernit dilectam animam coram se vultu pallido (vtpote omni creaturarum solatio destitutam) assistere, spirituque deficere & inclinari, ilicò extendit versus eam virgam auream siue sceptrũ: surgensque (vt ita loquamur) de solio suo, in diuinos eam suscipit amplexus, & supra omnem infirmitatem subleuat: vbi iam tanta & tam admiranda spiritui humano contingunt, vt nullus ea explicare possit. In ipsâ sceptri extensione, Deus Pater vnicum Filium suum animæ præbet: in osculo autem, supremam superessentialemque Spiritus sancti dulcedinem infundit. Regnum item suum cum ea partitur: quia plenissimam illi super cælum & terram, imò & super seipsum tribuit potestatem, ita vt omnium illorum domina sit, quorum ipse Dominus est. Sed in his illa non requiescit, suam oblectationem spectando: quia adeò mortificata est, vt nusquam proprium commodum, nusquam propriam vtilitatem requirat. Quærit autem in omnibus Dei beneplacitum, laudem, & honorem. Vnde licet plenitudinem donorum Dei percipiat, æque parata est illis carere, sicut ea habere. Sanè Deus nonnumquam ab his, quos ad perfectionem perduxit, & sibi sine medio vniuit, dona sua excellentia (sicut suprà dictum est) aufert, eosque in tantâ paupertate relinquit, vt putares illos nihil vmquam de Deo percepisse. Nimirum eos inter terram & cælum, siue inter tempus & æternitatem suspendit: dum ipsi terram despiciunt, & tamen cælum attingere non possunt. Quin etiam vehementissimis tentationibus eos affligi, atque à plurimis sperni, persecutionibusque fatigari permittit Deus. In quibus omnibus illi humiles & resignati perseuerant: omni contumeliâ atque oppressione se dignos reputantes.

5. *Exempla varia & notatu dignissima: per quæ in solo Dei beneplacito quiescendũ esse ostenditur.*

1. †Deus cuidam amico suo reuelabat per internam illuminationem omnes Scripturæ sacræ sensus: edocebatque quomodo viuerent eo tempore homines, & vt aliquorum opera coram hominibus grandia apparerent, quæ coram Deo nulla erant; aliquorum verò quæ pro nihilo ducebantur opera, magna apud Deum essent. Sed & alia mira Deus omnipotens interdum illi aperiebat. Ceterùm is rogabat Dominum, dicens: *O benignissime Deus, ego nec hæc nec illa volo: aufer obsecro illa à me, quia multùm me cruciant.* Subtraxit itaque Deus præfata omnia ab illo, & per quinquennium absque consolatione eum in magnis tentationibus, angustiis, atque calamitatibus dereliquit. Contigit autem aliquando vt vehementer fleret: & cùm duo Angeli eum consolari vellent, dixit ad Dominũ: * *O Domine Deus meus, ego nullam consolationem peto: sed abundè hoc sufficit mihi, vt locum illum, vbi tu ipse habitas, in animâ meâ custodire possim, ne quid aliud in eum ingrediatur, aut in eo appareat.* Post quæ verba, subitò ipsum lux ineffabilis circumfulsit: & Dominus dicens illi, *Ego ostendam tibi omne bonum*, feliciter eum in Diuinitatis suæ abyssum immersit.

* Sic beata Magdalena consolationẽ Angelorũ recusauit, dũ Christum solum quæreret.

Exod. 33.

2. * Sancta quædam virgo, cùm aliquando tam ineffabili pressurâ tantaq; afflictione correpta fuisset, vt sibi cruciatus infernales sentire videretur, toto corde ad Deum conuersa, dixit: * *O dulcissime Domine Deus meus, memor esto quæso, benigneq; considera, me tuam pauperem creaturam esse, te verò sempiternum Deum, esse Dominum & creatorem meum. Ecce ego me in æquissimum iudicium tuum humiliter proiicio, & gratissimæ voluntati tuæ integrè resigno in tempore atque æternitate: parataq; sum hunc infernalem cruciatũ, quem sentio, perenniter sustinere, si tibi ita placet. Quidquid tu Pater meus cælestis in me & de me facere volueris, facito: nã ad omnia nunc & in æternum, quâ possum humilitate, me totam offero ac trado.* Hac resignatione factâ, mox virgo illa supra omnia media translata, & in amabilem Diuinitatis abyssum immersa absorptaq; fuit. O quàm felix absorptio! Ex eo tempore ipsa quotidie in eamdem Diuinitatis abyssum rapiebatur.

* Exemplum 2. Resignatio in beneplacitum Dei, fons veri solatij, etiã ad pœnas æternas.

* Hanc orationem recitat in suo Prodromo Æternitatis R. P. Ieremias Drexelius cap. 2. §. 50. Oratione 5. vbi & aliæ orationes huic affines, in quibus semper intellige, quidquid fieri potest saluâ Dei gratiâ & charitate.

3. * Altera quoque virgo, quæ & ipsa eximiæ sanctitatis erat, cum interrogaretur, quibus exercitiis ad perfectionem peruenisset, humiliter respondit: *Numquam ita doloribus & pressuris obruta fui, quin maiores pro Dei amore perferre expeterem, indignam me illis ipsis tam eximiis Dei donis iudicans. Commorata sum inter Angelos & Sanctos: qui æquè mihi noti sunt, vt alicui honesto viro sua familia nota est. Iam ergo quoties me intrò recipio, in meipsâ summæ Trinitatis imaginem reperio, in quâ & me & creaturas omnes vnum cum Deo inuenio.*

* Exemplum 3. Pati acerbissima pro Deo, certissima via ad perfectionem mysticæ vnionis.

† Exemplum 1. Consolatio non petenda ab Angelis, aut vllis creaturis, sed à Deo solo.

4. * Rur-

* Exemplum 4. Methodus optima tolerandi grauamina.

4.* Rursum alia etiam vitæ sanctioris virgo, cuidam à se illud ipsum percunctanti, ait: *Omnem aduersitatem æquanimiter de manu Domini suscepi. Et quisquis me aliquâ iniuriâ molestiáve affecit, huic ego speciale beneficium rependere curaui; quod minimè contulissem, nisi ab eo læsa fuissem. Nulli nisi soli Deo grauamina mea conquesta sum. Vnde & euestigiò consolationem corroborationemq́; ab ipso Domino accepi. Iam illi gratias ago, qui me indignam supra omnia creata misericorditer euehere, atque ad tranquillam sui fruitionem, ineffabilemq́; vnionem admittere dignatus est.*

* Exemplum 5. Pax & quies in solo Deo inuenitur.

* R.P. Antonius Sucquet Viæ vitæ lib. 3. c. 21. & R.P. Alfonsus Rodericius Exercitij perfectionis parte 1. tract. 8. c. 8. hoc exemplum citât, & alia de conformitate omnimodâ cum Dei voluntate adferunt.

5.* Item quidam perfectæ vitæ mendicus, interrogatus à quodam Theologo, quomodo perfectionem consecutus fuisset, in hunc ferè modum respondit: *Soli diuinæ voluntati inhærere statui: in quam adeò integrè voluntatem meam transfudi, vt quidquid Deus vult, velim & ipse. Quando fame premor, quando frigus patior, Deum laudo: siue serena, siue pluuiosa turbulentaq́; aura sit, Deum itidem laudo. Quidquid ille mihi dat aut euenire permittit, siue prosperum siue aduersum, siue dulce siue amarum sit, lætus id tamquam optimum ab eo suscipio: me totum illi cum humilitate resignans. In nullâ re, quæ Deo minor est, quiescere potui: & iam Deum meum inueni, in quo requiem pacemq́; sempiternam habeo.*

CAPVT II.

De Deiparâ virgine Mariâ, quæ totius sanctitatis speculum & exemplar fuit.

¶. B. Virgo perfectissimo amore Deum prosequebatur, semper ad ipsum introuersa, ipsique per omnia conformis.

2. Altissima fuit illius contemplatio.

3. Nec tamen exteriora illius opera interior vnio cum Deo impediuit: quodammodo enim statum innocentiæ assecuta est, quia peccato caruit originis.

4. Humillimè & cupidissimè verbũ Dei audiebat.

5. Plenè resignabat se ad omnem crucem, vt Filio se suo conformaret.

6. Oratio eius purissima, sermo sanctus & discretione plenus, munditia totius vitæ Angelica.

1. *Deipara perfectus in Deum amor, introuersio & conformitas.*

IPSE Thaulerus multa multumq́ue insignia scribit de Deiparâ virgine Mariâ, ex quibus pauca hic proponemus. Beatissima (inquit) Dei Genitrix virgo Maria, omnis gratiæ omniumq́ue virtutum plena, speculum & exemplar totius sanctitatis fuit. Quamdiu enim in hac vitâ permansit, tam perfecto (quo Deum diligebat) amore sese in intimum animæ suæ templum recepit atque introuertit, vt extra Deum nullam penitus amaret creaturam. Nec vlla vmquam imago cordi eius illapsa est, quæ puræ ipsius erga Deum dilectioni aliquid impedimenti adferret. Nam integro & indiflecto Deum prosequebatur amore, & in Deo creata omnia diligebat. Recipiebat igitur se cum vniuersis viribus suis in interiorem fundum, in quo diuina latet imago, atque ibi in templo animæ suæ cõmorabatur; trahens minansq́; in illud ipsas vires suas omnes, & adorans illic vnicum Deum suum in spiritu & veritate. Cognoscebat autem & fatebatur, dignè se Deum laudare non posse: vnde poscebat, vt intra se ille laudaret atq; magnificaret semetipsum. Fundus & omnia interiora eius prorsus Deiformia erant: ita vt si quis cor illius fuisset intuitus, vidisset illic Deum in omni claritate suâ, vidisset processionem Filij & Spiritus sancti essentialiter. Nec enim vmquam cor eius vel breuissimo temporis momento extra Deum se vertit. Ipsa spiritu pauper, sese totam in gratissimâ Dei voluntatem cum amore, tamquam aptissimum instrumentum, resignarat, & continuè se Deo cum profundâ humilitate, ac suiipsius nihilipensione, offerebat, effecta omnis proprij desiderij, voluntatis, atque actionis expers, haud secùs quàm cùm necdum creata esset: quod ipsum, liberum pandebat Deo accessum in eam.

2. *Contemplatio B. Virginis erat maximè sublimis in silentio & fundo animæ, supra omnem propria actionis virtutem, Deo sine medio vnita.*

Hinc quando sese ad æternitatem extendebat, anima eius ad diuinam contemplationem supra omnem intellectum transferebatur, quæ in mente ipsius per omnes vires declarabatur. Nam memoria illius in simplicem lucem erecta, & supra omnes sensuales incidentias in vnitate spiritus stabilita erat. Intellectus eius splendidissimâ quadam claritate perfundebatur, in quâ facilè omnes virtutes, omnes exercitiorum modos, & abdita Scripturarum distinctè didicit, agnouit, intellexit. Voluntas ipsius deuotissimo quieti amoris æstu flagrabat, per quem supra creata omnia rapiebatur. In hac autem mentis eleuatione, supra imagines & distinctionem rerum posita, diuinum susurrium siue alloquium diuinasq́ue inspirationes in silentio percipiebat; eiusq́ue spiritus supra omnem propriæ actionis virtutem, superessentiali fonte perfundebatur. Quiescebat hîc supra omnia in Deo, & semetipsam per immensi complexum amoris, in vastissimâ Diuinitatis solitudine atq; caligine amittebat, Deoque sine medio vniebatur, vnus spiritus cum illo effecta: quæ quidem vnio, omnia alia creata dona, charismata ac lumina excedebat. Hîc in simplici quadã luce (quæ sine cessatione in intimo eius fundo, & supremâ spiritus nobilitate renouabatur) claritatem

ritatem illam, quæ Deus est, & creata omnia sine distinctione, vniformi intuitu adspiciebat. Videbat lumen in lumine, facta vnum cum ipso lumine: & futuram beatitudinem experiebatur, Deumque æterno atque inseparabili amore diligebat. Sub isto contemplationis modo, omnia creata dona, virtutes, & exercitia, infrà subsistere oportebat: nam ipsa transformabatur claritate diuinâ supra omnem rationem atq; intellectum. Et quis explicet, quantas secretorum cælestium reuelationes præclara Virgo, tam sublimiter supra locum & tempus eleuata, à Deo acceperit? Conspiciebat cum ineffabili exultatione ac voluptate perennem illam lucidissimamque claritatem, & rerum omnium ideas, vti in æternitate conspiciuntur. Reuerà, si omnia mundi gaudia, omnis pax, omnes voluptates, omniaque oblectamenta in vnum conflata, compararentur cum minimo gaudio, quod ibi beata Virgo Maria percipiebat, non nisi merissima amaritudo essent.

3. *Sic tamen, vt exteriora opera charitatis, obedientiæ, & humilitatis, & alia nō impedirentur in B. Virgine per mysticam vnionem.*

Prætereà, hoc ornatu ipsa dignissima Virgo supra mortales omnes prædita fuit, vt quantumcumque altè in Deum raperetur, non minùs tamen cetera quæque aspicere, & æquè exteriorem hominem suum in sanctis moribus atque gestibus sine interioris hominis impedimento continere ac moderari posset. Nam supremæ vires eius in suam sese vertebant originem, eidemque vniebantur; infimæ verò supremis obtemperabant: sicut in Adam, cùm adhuc iustitiam innocentiamque originalem retineret. Qui quidem ornatus hinc illi accessit, * quòd originalis culpæ expers fuerit, à quâ eam præseruarat Filius ipsius. Neque enim vel ad temporis momentum filia iræ, aut vas immundum diabolico dominio subiectum fuit, sicut nos omnes fuimus. Nam hoc Sapientia æterna præuenit, nolens electissimum templum suum aliquâ labe adspergi. Vnde etiam in intimâ Diuinitatis contemplatione siue in raptu posita, æquè diuinas laudes, & ea quæ ad cultum Dei spectabant, extrinsecus cum magno studio ingentique deuotione, ac profundâ cordis humilitate, auscultabat. Et hæc non modò nullam molestiam nullumque tædium ei ingerebant; sed optatissima præ omnibus, quæ vita ista habet, illi erant.

* Maria culpæ originalis expers.

4. *Verbū Dei delectabiliter audiebat.*

Verbum Dei, quamlibet simplicibus depromeretur verbis, licet ipsa meliùs perfectiùsque ipsum caperet, summâ tamen cum deuotione audiebat; imprimens illud virgineo cordi suo, summumque desiderium habens perficiendi tam minima quàm maxima quæque.

Cùm cogitaret, vt Dei suusque Filius Iesus Christus semper contemptui, semper passionibus fuisset expositus, omnem vitam suam ad afflictiones & sui depressionem præparabat ordinabatque: quibus adeò se totam offerebat, vt numquam illas vel abbreuiari vel minui peteret. Nam eas ad nouissimum vsque punctum tam voluntariâ subiectione semper pertulit, vt parata esset etiam æternaliter in tribulationibus doloribusque permanere, si id diuinæ voluntati placitum fuisset. Attendens enim vt ille Filius suus acerbissimam passionem plenissimâ cum patientiâ, absque vllo murmure, ex ingenti atque ardentissimo erga nos amore, cum gaudio spiritus pertulisset, ipsa, quidquid patiendum occurrebat, flagranti desiderio & æstuanti dilectione cum lætitiâ tolerabat. 5.

Cum Filio suo crucifixo summè conformis omnes cruces tolerabat, etiam parata in æternis doloribus permanere ob exstaticam resignationem in voluntatem Filij sui.

In precibus suis sese & omnia sua Deo offerebat, atque in pias illius manus commendabat; orans, vt in se ipse gratissimam suam perficeret voluntatem. Nulli vmquam dono Dei cum delectatione inhæsit, nec ad spiritus sui voluptatem diuinis charismatibus vtebatur, sed ad Dei laudem. Nullam sapientiam, nullam scientiam vmquam inordinatè appetiuit. In virtutibus, in cibo & potu, non aliquam saporis suauitatem quæsiuit. Tam pura erat, vt numquam alicui creaturæ aliter, quàm oportebat, afficeretur, * numquam ad vitia moueretur: vnde & splendidis atque micantibus Angelis similis fuit. Quæ etiam tametsi pulcherrima omnium feminarum esset, numquam tamen ab aliquo hominum libidinoso affectu potuit inspici, ob Angelicam puritatem in ipsâ relucentem. * Singula quæque opera sua, quamlibet etiam minuta, singulari deuotione ad honorem Dei omnipotentis faciebat. Initium finisque omnium actionum atque dimissionum eius, Deus erat: quidquid inquam agebat aut dimittebat, id totum pura diuinaque possidebat intentio. Antequam loqueretur, seipsam intrans perpendebat, vtrùm verba sua necessaria essent, & vtrùm sine scandalo proferri possent, vtrùm item ad gloriam Dei pertinerent. Quibus simul pensatis, humiliter, benignè, & breuiter dicebat quod dicendum erat. * Quando se nocturnæ quieti dabat, Angelorum turmæ sacratissimum eius cubile cingebant, vt nulli maligno spiritui ad eam pateret accessus. Itaque nullum vmquam vanum phantasma aut somnium passa fuit, nec vlla ei incidit imago, nisi quam ex diuinâ irradiatione suscepisset: semper enim beatissima Trinitas eam vndique protegebat.

6. *Oratio eius pura, sermo sanctus, mundissima anima.*

* Vitiorum motus non sensit Maria, nec in alio vllo homine excitauit.

* Omnia ad Deum, & pro Deo operabatur.

* Maria nullū vanum somniū passa.

bat. Nec vmquam quietem Virgo purissima capiebat, quin priùs somnum suum summo cum desiderio ad honorem Dei referret.

CAPVT III.

De præparatione ad salutarem mortem, quam æterna beatitudo consequitur.

1. *Mortificatio concupiscentiæ, & resignatio propriæ voluntatis, optima est ad mortem præparatio.*

2. *Propinquus morti, primùm inuocet auxilium Sanctorum; deinde vniat se meritis & Passioni Christi; tum ex verâ charitate resignet se ad omnem amaritudinem pro Dei beneplacito ferendam.*

3. *Quàm facilè etiam maximi peccatores possint gratiam Dei sibi conciliare: modò non præsumant nimiùm de diuinâ misericordiâ.*

4. *Bonam vitam felix mors, & beatitudo æterna subsequitur.*

1. *Omnibus, quæ sunt extra Deũ, moriendũ, antequam moriendũ; quia maximum morituri solatiũ est abdicatio omnium in vitâ, & plena resignatio.*

* Quæ est resignatio in summo gradu, & sæpè, ob excellentem charitatis actum, cõdonatiua omnis pœnæ in hac vel alterâ vitâ post cõdonatam culpâ subeundæ.

Meritò vnumquemque discere oportet, quomodo mori, & defectus proprios enecando, iterùm atque iterùm emori debeat. Omnino necesse est insistere mortificationi propriæ voluntatis, propriarumque concupiscentiarum. Talis mors, vitalis mors est. Qui sic moritur, securus ad carnis mortem venit, & eam vt vitæ introitum lætus excipit. Nullum sanè exercitium in extremis vtilius esse potest, quàm vt quis seipsum ex integro diuinæ voluntati resignet; nihilque suum, sed solum Dei beneplacitum in tempore* atque æternitate requirat. Fieri enim nequit, quin is, qui in huiusmodi verâ perfectâque resignatione ex hac luce exit, confestim ad regna cælestia euolet. Nam sicut nihil omnino pœnæ, nihil ignis purgatorij in Deum cadere potest; ita nec in hominem, qui eo modo per voluntatis conformitatem amoremque Deo vnitus est.

2. *Præparatio ad mortem.*

* Hoc exẽplũ moriẽtium cum plenissimâ resignatione in Dei voluntatẽ, adfert & variè exornat Ieremias Drexelius Heliotropij l.4.c.6.§.3.

a Moriens inuocet B. Virginem & Sanctos.

b Ecclesiæ Catholicæ adhæreat.

c Innitatur meritis Christi.

* Moriturus quisque,[a] sedulò ac deuotè ad benignissimam misericordiæ Matrem, gloriosissimamque cæli Reginam virginem Mariam sese conuertet, eamque & omnem cæli exercitum inuocabit: [b] Fidei sanctæ Catholicæ Ecclesiæ firmiter & simpliciter adhærebit: [c] atque meritis Saluatoris nostri Iesu Christi magis quàm suis innitetur; cuius amarissimam Passionem mortemque sibi proponens, & ineffabilem illam charitatem, quæ eum tam indigna sustinere coëgit, memoriâ repetens; spiritum, animam, & corpus suum, spiritui, animæ, & corpori ipsius Domini Iesu vnire curabit. In patentia Vulnera, & in profundissimum pelagus immensæ misericordiæ eius, sese cum vniuersis peccatis atque negligentiis suis demittet immergetque.[d] Ad summam Dei gloriam seipsum, velut hostiam viuam, offeret ipsi Domino, ad perferendum pro acceptissimâ eius voluntate patienter ex vero amore omnem languoris acerbitatem, ipsam etiam mortis amaritudinem, omnem denique pœnam, quam sibi Dominus in tempore &* æternitate immittere voluerit. Hoc si reuerà facere potuerit: si, inquam, sese ex purâ dilectione, cum perfectâ sui resignatione, ad omnem pœnam pro honore diuinæ iustitiæ tolerandam animo trãquillo spontaneoque obtulerit; ipse neque infernum neque purgatorium subibit, etiamsi solus omnia totius mundi peccata commisisset. [e] Hoc animo iustus ille latro moriebatur in cruce, qui non salutem corporis à Domino postulauit, nec orauit vt à pœnis inferni vel purgatorij seruaretur, nec cælorum regnum petiit; sed libenter pro peccatis suis proque Dei gloriâ moriens, se totum in diuinam resignauit voluntatem, se totum Christo obtulit, vt ille secum ageret quidquid vellet. Nihil nisi misericordiam & gratiam precatus est, dicens: *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.*

d Resignet se ad Dei beneplacitum.

* Qui est excessus charitatis in homine morituro.

e Exemplo pij latronis cũ Christo crucifixi.

Luc.23.

[f] Hæc verba morientium auribus ingesta multùm prosunt: *Domine Deus, ego sum miser ille, quem tu pro paternâ bonitate tuâ creasti, & per ignominiosissimam mortem Vnigeniti tui de potestate inimici redemisti. Tu solus imperium & dominium in me habes, meq; saluare potes secundùm immensam misericordiam tuam.* Ipse Deus amicis suis reuelare dignatus est, prædicta verba fidelibus morientibus recitata, vel ab ipsis piè prolata cogitatáve, miræ virtutis esse: adeò vt quilibet fidei Catholicæ cultor perire nequeat, si in extremis constitutus, vero integroque corde illa humiliter proferre, aut apud se reuoluere potuerit.

f Miræ virtutis verba, morituris suggerenda.

Quidam Dei amicus interrogatus quid facere vellet, si multo tempore in grauibus peccatis vixisset, respondit: * *Si omnia, quæ discretus & sapiens confessor mihi iniunxisset, compleuissem, & peccata (sicut oportet) dimisissem: numquam deinceps inde cogitare, neque cor meum eis contaminare vellem: sed ita piè iam conarer viuere, vt Deus omnium peccatorum meorum obliuisceretur. Quando enim peccatum nec volumus nec perpetramus, sed prorsus ab eo auertimur: Deus ipsum obliuioni tradit. Quòd si etiam quadraginta annis in peccatis vixissem, & tempore resolutionis meæ instante, peccata mea purè confessus, cum perfecto amore ex fundo cordis mei saltem spatio vnius Angelicæ Salutationis sic meipsum in Deum recipere possem, vt reuerà totus*

3. *Grauissimis peccatoribus via aperiatur, quâ possint in morte perfectam de peccatis totius vitæ contritionẽ exercere.*

* Hic idem casus verbatim ponitur in lib. Consolationis pusillanimiũ cap.12. vbi plura de eo.

totus ad ipsum conuersus, & ab omni peccato auersus, inuenirer: tunc nimirum sicut *purus atque innocens ex hac luce migrarem. Si verò non nisi vnum peccatum admisissem, & contritus, dolens, mærensq; hinc exirem, tunc vtique sicut* *pœnitens morerer.*

* Absolutus ab omni labe culpæ & pœnæ, ob actum charitatis & perfectæ cōtritionis.
* Habens aliquid nōdum perfectâ contritione expiatum.

* Ceterùm plerique verum Dei timorem non habentes, seipsos miserè fallunt, dum sibi nimiùm de immensâ Dei misericordiâ blandiuntur, & prauam vitam suam non corrigunt. Hi veniales & quotidianas offensas paruifaciunt: sed & grauiora peccata non magnopere ponderant. Dicunt enim: Mox vbi pro iniquitatibus nostris suspirauerimus atque ingemuerimus, inexhausta Dei clementia illas omnes delebit, & nos felici morte hinc migrabimus. Atqui Deus, sicut est summè misericors, ita est & summè iustus. Non est misericors absque iustitiâ, neque iustus sine misericordiâ. Dicit enim Psalmista: *Misericordiam & iudicium diligit Dominus.* Ac rursum: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Quare qui vult saluus esse, debet vtrumque pedem Domini amplecti atque osculari; nempe pedem misericordiæ, & pedem iustitiæ: debet ita confidere in infinitâ Dei misericordiâ, vt tamen in peccatis non perseueret, sed ad Deum ex animo conuersus, iustè & piè viuere studeat. Sic demum sanctam mortem sortietur. Nimis stolidi sunt, qui modò malè securi, in vitiis & negligentiis suis sponte persistunt: nam posteà grauia tormenta, etiam pro leuibus peccatis hîc non expiatis, sustinebunt. Deus enim exactissimam rationem exiget temporis inutiliter expensi, omniumque leuitatum, vanitatum, oblectationum, & affectuum indomitorum. Vnde ipse in Euangelio dicit: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo.* Non relinquet nec minimam quidem culpam impunitam, quæ in hac vitâ expurgata non fuerit. Hinc soror sanctorum Cosmæ & Damiani scribitur quindecim diebus in purgatorio cruciatus sustinuisse, propterea quòd cum voluptate semel spectasset quosdam in plateâ tripudiantes. Et altera quædam Deo deuota virgo, quæ in infirmitate vltimâ cibum solatiaque externa cum aliquâ terrenæ delectationis adhæsione perceperat, debuit post mortem diutiùs purgari, priusquam regnum cælorum ingredi posset. Beatus quoque Seuerinus legitur ipsas purgatorij pœnas defunctus sensisse, eò quòd diuersis negotiis in aulâ Principis præpeditus, Preces horarias negligentiùs sæpenumerò persoluisset. Meritò itaque occulta Dei iudicia pertimescere, & coram ipso Domino nos profundissimè humiliare debemus, resolutionem corporis nostri & horam mortis exspectantes.

* Semper tamen timenda est Dei iustitia, nec nimiū de Dei misericordiâ sibi blandiendū, ob exempla formidāda leues culpas in purgatorio grauibus pœnis luētium.

Psal. 32. Psal. 100. Matth. 12.

Tutissimúm est, vt quidquid boni in extremo decessu nos fecisse vellemus, id modò sani incipiamus: nam ad mortem vsque illud protrahere, & periculosum nimis & stultum est. Vitam sanctam sancta mors, & sanctam mortem æterna beatitudo consequitur.* Quam vbi obtinuerimus, videbimus Deum facie ad faciem, videbimus eum sicuti est. Cognoscemus ineffabile illud gloriosæ Trinitatis mysterium. Contemplabimur cum inenarrabili lætitiâ glorificatam Iesu Christi humanitatem. Deo perfectè vniemur, & diuinæ pacis dulcedinem feliciter perenniterque gustabimus. Ab ipsius Domini Dei nostri adspectu, dilectione, & complexu numquam separari poterimus. Absque labore & fatigatione eum semper laudabimus. Cum speciosissimâ, benignissimâ, suauissimâ, amabilissimaque Dei genitrice Mariâ, & cum sanctis Angelis, ceterisque cæli ciuibus, perpetuum habebimus consortium, eosque plenissimè cognoscemus. Verè beata cælestis patria, & sola patria, vbi iugis est solemnitas atque exultatio: vbi vna & sempiterna dies refulget, melior vtique super millia dierum huius sæculi. Illam patriam purè desiderare debemus, magis laudem Dei, quàm nostrum proprium commodum quærendo. Ad eam nos perducere dignetur Pater, Filius, & Spiritus sanctus: cui laus, honor, & gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

4. *Bona & beata mors sequitur bonam vitam.*

* O felix & æterna fruitio & vnio Dei in cælo! 1. Ioan. 3.

LVDO-

LVDOVICI BLOSII INSTITVTIONIS SPIRITVALIS APPENDIX SECVNDA SIVE COROLLARIVM EXERCITIORVM EIVSDEM INSTITVTIONIS.

1. *Exercitium adſpirationum.*
2. *Purgatiuæ adſpirationes.*
3. *Abnegationem & reſignationem inducentes.*
4. *Illuminatiua.*
5. *Vnitiua.*
6. *Ad beatam Virginem.*
7. *Pro cunctis hominibus.*
8. *Auctor paruulis ſcripſit & humilibus.*
9. *Adſpirationum ſumma vtilitas: ſed debent moderatè vſurpari, ſine vehementiâ.*
10. *Dei præſentia attendenda, cum Paſſione Christi.*

1. *De exercitio adſpirationis.* QVONIAM plerique infirma capita habentes, vel alioqui diuerſis occupationibus implicati, exercitia verbis prolixa minùs expetere ſolent, nos hîc Corollarium addemus, quò breuiter complectemur ea quæ de adſpirationibus & quotidiano internoque ſanctarum petitionum exercitio ſuprà in Inſtitutione diffuſiùs ſcripſimus: vt Tyro ſpiritualis, cui fortè graue fuerit illa ſingulis diebus complere, ſaltem in his paucis ſeſe libenter exerceat.

2. *Adſpirationes purgatiuæ ex dolore & deteſtatione peccatorum.* O bone Ieſu, bone Ieſu, bone Ieſu! O ſpes mea, refugium meum, & ſalus mea! Miſerere, miſerere, miſerere mei. Pauper ſum & egenus: nihil ſum: nihil poſſum. Eheu! nimis ſum ingratus: peccator ſum viliſſimus. Peccaui enim, peccaui, peccaui, & malum coram te feci: ignoſce mihi. Ego omnes iniquitates & negligentias meas proiicio in abyſſum miſericordiæ tuæ, meritorumque tuorum. O vtinam, vtinam numquam te offendiſſem! vtinam numquam gratiam tuam in me impediuiſſem! Propono (te adiuuante) corrigere me. Eia, propitius mihi eſto: dele omnia peccata mea. Ablue me pretioſo Sanguine tuo. Sana me ſacris Vulneribus tuis. Sanctifica me amarâ Paſſione & morte tuâ. Eia, emunda, emunda, emunda me perfectè. Reſtitue mihi innocentiam, quam in Baptiſmo contuliſti; vt tibi verè placeam.

Ecce Domine, ecce conſtituo me in infimo loco infra omnem creaturam: quia indignus ſum quem terra ſuſtineat. Subſterno & ſubiicio me omnibus hominibus. Complector, complector, complector omnes ſicut poſſum ſincero amore. Relinquo propter te omnia caduca. Reſpuo quidquid tu non es. Renuntio omni delectationi ſenſuali: renuntio omni vanitati & impuritati: renuntio omni propriæ quæſitioni. Reſigno, reſigno, reſigno me tibi integrè. Omnem voluntatem meam in tuam transfundo. Fiat, Domine, fiat voluntas tua in me, & de me: fiat voluntas tua in tempore atque æternitate. Offero me paratum ad perferendum cum auxilio gratiæ tuæ quidquid tibi placuerit. 3. *Pro abnegatione & reſignatione.*

Eia ſuauiſſime Ieſu, mortifica, mortifica, mortifica quidquid malè viuit in me, quidquid vitioſum & inordinatum eſt, quidquid tibi diſplicet: mortifica in me omnem proprietatem. Da mihi veram humilitatem, veram patientiam, & veram charitatem: da perfectam linguæ, ſenſuum, & membrorum omnium continentiam. Exorna me meritis ac virtutibus tuis. Eia, præpara, præpara, præpara tibi gratam & amœnam habitationem in me. Renoua ſpiritum, animam & corpus meum excellenti gratiâ tuâ. Conforma me ſacræ humanitati tuæ. Reforma vires animæ meæ per vires ſanctiſſimæ animæ tuæ. Effice me hominem ſecundùm cor tuum. Eia, expedi & denuda mentem meam, eamque ſimplicem redde, & illumina. Concede mihi liberam ad te introuerſionem. Eia, accende me, concrema me, transforma me; vt nihil præter te viuat in me. 4. *Illuminatiuæ adſpirationes pro mortificatione & virtutibus.*

5. *Vnitiua cum ecstasi amoris vsque ad nudum animæ fundum.*

O dilecte, dilecte, dilecte! O charorum omnium charissime! O amor meus vnice! O sponse floride, sponse mellifIue! O dulcedo, dulcedo, dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ! O serena lux intimorum meorum! O Domine Deus! O superlucida & deliciosa Trinitas vnus Deus, pasce, pasce, pasce me tuis influxibus. Adoro, laudo, & glorifico te: quia te decet laus & honor in æterna sæcula. O Deus meus, & omnia! O abyssus summè suauis, & summè amabilis! O simplicissimum atque iucundissimum bonum, verum & incommutabile bonum meum, imple me teipso! Eia, dilectissime mi, introduc me in nudum animæ meæ fundum, & transfer in te originem meam: vt delicias tuas in me habeas. O quando, quando, quando te feliciter inueniam? Quando ardentissimè diligam te? Quando tibi tenacissimè agglutinabor? O quando, quando, quando me totum in te rapies? Quando me totum absorbebis? Quando me tibi sine medio vnies? Eia, remoue misericorditer omnia impedimenta, & me tecum vnum spiritum effice, ad gloriam nominis tui. Exaudi Domine, exaudi, exaudi me, non pro meâ voluntate, sed pro tuo beneplacito. Eia doce, illumina, dirige, & adiuua me in omnibus: vt nihil agam, nihil loquar, nihil cogitem, nihil velim, nisi quod tibi sit acceptum.

6. *Adspirationes ad B. Virginem & omnes Sanctos.*

O Maria, Maria, Maria, virgo dulcissima! O Mater Dei, Regina cæli, lilium Trinitatis, miserere mei pauperrimi exulis. Saluto, saluto, saluto & veneror te. Eia, impetra mihi perfectam mei mortificationem & abnegationem: impetra puritatem, simplicitatem, nuditatem, libertatemque internam: impetra introuersionem essentialem, vt sim homo secundùm cor Filij tui. O Sancti Sanctæque Dei omnes, & beati spiritus Angelici, orate pro me. Saluto, saluto, saluto & veneror vos. Eia, impetrate mihi plenam omnium peccatorum meorum remissionem, impetrate gratiam, vnionemque diuinam.

7. *Pro Ecclesiâ & toto mundo.*

O clementissime & misericordissime Iesu, miserere Ecclesiæ tuæ: miserere omnium pro quibus sacrosanctum Sanguinem tuum fudisti. Eia conuerte, conuerte, conuerte, & reuoca miseros peccatores. Da viuis veniam & gratiam: da fidelibus defunctis requiem, lucemque sempiternam, Amen.

8. *Hæc pro paruulis scripta.*

Si quis eorum, qui secundùm sæculum sapientes sunt, ista legerit, deridebit fortassis, & vilipendet, aspernabiturque: sed nos ea paruulis atque humilibus scripsimus. Quòd pleræque dictiones hîc sæpiùs iterantur, ideò fit, vt & affectus magis excitetur, & attentio commodiùs seruetur. Licebit alias quoque dictiones itidem repetere.

9 *Vtilitas harum eiaculationũ, & moderatio.*

Quidam nouellus Dei seruus proficere desiderans, solebat creberrimè voluere animo hæc paucula verba: *O bone Iesu, bone Iesu, bone Iesu! O dilecte, dilecte, dilecte! O amor meus vnice! O Iesu dulcißime! Miserere, miserere, miserere mei. Redde me placentem tibi, & tecum vnum spiritum effice.* Aut ista: *O Domine Deus! O charum principium meum! O amabilis abyssus! O simplicißimum atque iucundißimum bonum, dona te mihi, & in me influe. Expedi quæso, expedi, expedi me ab omnibus, transfer in te, totumq; absorbe.* Tyro spiritualis ediscat huiusmodi amorosas adspirationes, & eas assiduè apud se ruminet, sanctâ improbitate ostium diuinæ clementiæ pulsans: ita enim vitæ perfectionem aliquando assequetur. Sed caueat, ne immoderato impulsu, aut acriori verborum prolatione naturam prægrauet, caputque lædat.

10. *Dei præsentiã attendo, & Christi Passionem.*

Discat etiam sine verbis externis Dei præsentiam amanter attendere, Deoque vacare; exercendo se in sanctis desideriis atque affectibus. Vitam & Passionem Domini Iesu recolere poterit iuxta rationem vndecimo Institutionis capite descriptam, vel iuxta aliquam aliam rationem sibi magis arridentem, ad gloriam Dei, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

LVDO-

LVDOVICI BLOSII INSTITVTIONIS SPIRITVALIS APPENDIX TERTIA SIVE PIARVM PRECATIONVM EXERCITIVM.

AD SS. TRINITATEM, ENDOLOGIA I.

Creationis & gubernationis beneficium.

ADORO te, ô gloriosa, fulgida, & semper tranquilla Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus, spes mea, lumen meum, requies mea, gaudium meum, vita mea, & omne bonum meum.

Gratias ago tibi Domine, qui me ad imaginem tuam creasti, & peccantem hactenus misericorditer sustinuisti, eripuistique è multis periculis, ac fouisti innumeris beneficiis.

Christi merita.

Pie Pater, ego in plenam emundationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis ac negligentiis meis, & pro peccatis omnium hominum, offero tibi sanctissimam incarnationem, natiuitatem, conuersationem, passionem, mortem, resurrectionem & ascensionem prædilecti Filij tui Iesu Christi. Offero labores, ærumnas, depressiones, ludibria, tunsiones, plagas, dolores & angustias quibus attritus fuit. Offero pretiosissimum Sanguinem quem fudit. Offero humilitatem, patientiam, charitatem, & innocentiam illius.

Desideriũ beneplaciti Dei.

O Pater, ô Fili, ô sancte Spiritus, Deus meus qui es in me, da vt nihil aliud cogitare, nihil aliud velle, nihil aliud loqui aut agere possim, quàm quod tibi gratum est. Concede, vt ego & omnes homines semper faciamus voluntatem tuam. Nos tibi redde placentes, & vnum fac tecum: vt in nobis omnibus delicias tuas habere possis. Ego debeo & desidero laudare te Domine: sed quia hoc dignè facere non possum, peto vt tu teipsum perfectissimè laudes in me: peto nempe, vt omnes respirationes meas, siue vigilem, siue dormiam, tibi sanctifices; easque pro gratissimâ tui laude suscipias.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

AD IESVM, ENDOLOGIA II.

Incarnatio Verbi.

ADORO, laudo, & glorifico te, Domine Iesu Christe, benedico, & gratias ago tibi, Fili Dei viui: qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, in castissimo vtero beatæ Mariæ virginis concipi, & homo passibilis pro me fieri voluisti. O bone Iesu, quàm inæstimabili atque incomprehensibili charitate dilexisti me, qui cùm sis Dominus summæ maiestatis, teipsum exinaniuisti, formam serui accipiens! Tu Deus meus, factus es frater meus: Quid pro istâ pietate & misericordiâ tibi retribuam? Ecce ego animam meam & corpus meum tibi offero in laudem æternam.

Natiuitas.

Gratias ago pro sacratissimâ natiuitate tuâ, quâ tu in stabulo, sæuiente hiemis asperitate, ex Mariâ virgine in mundum tenellus infantulus editus fuisti. Salue dulcissime pusio, salue Rex gloriæ, lux gentium, Saluator desiderabilis, qui pro me panniculis inuolui, fasciolis stringi, in præsepio super fœnum reclinari, atque vberibus virgineis lactari non dedignatus es.

Circũcisio. Epiphania. Præsẽtatio. Fuga in Aegyptum. Labores vitæ.

Gratias ago pro tui circumcisione dolorosâ, pro apparitione quâ Gentibus stellâ duce reuelatus fuisti, pro tui præsentatione in templo, pro fugâ in Ægyptum, & pro vniuersis necessitatibus ac pœnis, quas in san-

sanctißimâ infantiâ, pueritiâ, atque adolescentiâ tuâ pertulisti.

Baptismus. Gratias ago pro venerando Baptismo, quem tu creator cæli & terræ à Ioanne seruo tuo humiliter suscepisti, & pro ieiunio *Ieiunium.* quadraginta dierum atque quadraginta noctium, quo attritus in deserto fuisti, proque *Tentationes.* tentationibus, quibus à diabolo impeti non recusasti.

Prædicationis labores & miracula. Gratias ago pro salutari doctrinâ tuâ, pro miraculis & beneficiis mundo exhibitis, pro itineribus, laboribus, ærumnis, fame, siti, frigore, æstu, atque multiplicibus persecutionibus, quibus pro meâ salute triginta tribus annis fatigari voluisti.

Pedilauium. Gratias ago pro admirandâ illâ tui submissione, quâ tu humilis Magister pedes discipulorum tuorum, fixis terræ genibus, benignè abluisti, & linteo tersisti.

Eucharistia. Gratias ago pro institutione venerabilis Sacramenti Eucharistiæ, in quo stupendâ liberalitate inenarrabilique charitate teipsum nobis dedisti atque reliquisti.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

AD IESVM, ENDOLOGIA III.

Agonia in horto. Adoro, laudo, & glorifico te, Domine Iesu Christe, benedico, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, pro pauore & tristitiâ, pro sanguineo sudore atque angustiis, quibus pro me in horto afflictus fuisti.

Trina oratio. Gratias ago pro perfectißimâ abnegatione, quâ te Patri plenißimè resignasti, quando positis genibus procidens in faciem & orans, inter angores, quibus grauißimè premebaris, dixisti: *Pater, fiat voluntas tua.* *Matth. 26.*

Occursus ad capturam. Gratias ago pro summo illo patiendi desiderio, quo flagrabas, quando teipsum inimicis tuis mei amore capiendum ligandumque obtulisti.

Comprehensio & circumductio ignominiosa. Gratias ago pro impulsionibus, tunsionibus, diuulsionibus, improperiis, conuitiis & blasphemiis, quibus vexatus fuisti, quando vinctus tamquam latro abducebaris ad domum Annæ, indeque ad domum Caiphæ.

Alapa. Gratias ago pro atrocißimâ alapâ, quæ à seruo Pontificis tibi Regi regum & Domino dominantium iniquißimè fuit impacta.

Condemnatio, sputa, colaphi, & alia per noctem. Gratias ago pro mitißimâ illâ patientiâ tuâ, quâ iniustam tui condemnationem, fœdißimaq; sputa in Regiam faciem tuam proiecta, & ludibriosam eiusdem Imperialis faciei tuæ velationem, diros quoque colaphos & diras alapas ac multas alias iniurias, subsannationes atque afflictiones, per totam noctem tolerasti.

Ad Pilatum & à Pilato raptatio. Gratias ago pro summâ ignominiâ, quam sustinuisti, quando sicut maleficus vinctus manè ducebaris ad Pilatum, deinde à Pilato ad Herodem, rursumque ab Herode ad Pilatum. Intereà tu, dulcis Saluator, inhumanam inimicorum tuorum sæuitiam benignißimo corde tulisti.

Silentium in contumeliis. Gratias ago pro illo tuo sancto silentio, quo humiliter coram Pilato & coram Herode tacuisti ad falsas tui accusationes, & ad innumeras contumelias in te dictas. In eis enim sicut agnus mansuetus non aperuisti *Isai. 53.* os tuum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

AD IESVM, ENDOLOGIA IV.

Vestis alba. Adoro, laudo, & glorifico te, Domine Iesu Christe, benedico, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, pro contemptu tui, & pro probro quo ab Herode affectus fuisti, quando veste albâ ridiculaque indutus, tamquam delirus & amens remittebaris ad Pilatum.

Denudatio ad columnam. Gratias ago pro acerbißimo & ineffabili illo dolore, quem perpessus es, quando in prætorio nudatus, atque ad columnam ligatus, dirè flagellabaris: vnde virginea delicataque caro tua tota miserabiliter fuit conscissa.

Flagellatio sanguinolenta. Gratias ago pro ipsorum flagrorum sulcis atque liuoribus, & pro purpurei sanguinis riuulis, qui è sanctißimo corpore tuo vndique decurrebant.

Chlamys coccinea. Gratias ago pro abyssali illâ patientiâ, quam exhibuisti, quando chlamyde coccineâ in maius ludibrium indutus, spinis co- *Corona spinea.* ronabaris vulnerabarisque, nugatoriè salutabaris, impiè conspuebaris, alapisque & *Arundinis ictus.* arundine cædebaris. In his enim & aliis iniuriis atque tormentis tibi illatis, nusquam vel minimum indignationis aut impatientiæ signum ostendisti: sed mansuetißimè omnia pro me sustinuisti.

Ecce homo. Gratias ago pro ignominiâ illâ ac pœnâ, quam pertulisti, quando capite spinis obsito compunctoque, & facie cruore tinctâ, gestans purpureum vestimentum, ante tribunal in conspectu populi statuebaris, iniusteque morti adiudicabaris.

Baiulatio crucis. Gratias ago pro ingenti pressurâ, & fatigatione quam sensisti, quando voluntati Iudæorum à Pilato traditus, probrosè & festinanter ad Caluariæ locum protrahebaris,

crucem

crucem propriam attritis ac laceris humeris baiulans.

Myrrha & fel. Gratias ago pro potu vini myrrhati cum felle misti, quod tibi anhelo, & præ lassitudine pænè deficienti, fuit porrectum: cuius amaritudinem gustasti, ac mitissimo corde pro me tolerasti.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

AD IESVM, ENDOLOGIA V.

Crucifixio. ADORO, laudo, & glorifico te, Domine Iesu Christe, benedico, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, pro acerbissimis illis doloribus, quos passus es, quando Vulnera tua vestimentorum detractione innouabantur, & quando delicatæ manus tuæ, atque incontaminati pedes tui, cruci affigebantur, membrorumque tuorum compages soluebantur.

Fontes Sanguinis per Vulnera. Gratias ago pro effusione pretiosissimi Sanguinis, qui è Vulneribus tuis velut è fontibus largiter profluxit. Sit tibi laus, honor, & gloria in æterna sæcula, pro singulis rosei illius cruoris tui guttis, Domine mi Iesu.

Blasphemia, & pro blasphemantibus oratio. Gratias ago pro inexplicabili illâ mansuetudine & charitate, quâ iniquorum tibi insultantium proteruiam blasphemiasque patientissimè tolerasti, & insuper pro illis ipsis qui te crucifixerant, atque crucifixum maledictis incessebant, Patrem orasti.

Cruciatus inter latrones. Gratias ago pro incomprehensibilibus illis cruciatibus, quos pertulisti, quando transfixis manibus ac pedibus, miserabiliter in stipite crucis pendebas medius inter latrones: *Matris compassio.* & quando matrem tuam dulcissimá totam compassione penetratam, totam amore liquefactam, totam doloris gladio transfossam, iuxta crucem adstare cernebas.

Sitis. Gratias ago pro vehementissimâ siti, quâ æstuabas, quando aceto sub mortem potatus fuisti.

Mors in cruce. Gratias ago pro benignissimâ illâ pietate & misericordiâ, quâ tu, viuificator omnium, venerandum caput inclinans, pro me mori dignatus es. Sit tibi gloria in sæcula sempiterna, pro separatione præcellentissimæ animæ tuæ ab immaculato corpore tuo.

Lateris apertio cum fluxu sanguinis & aquæ. Gratias ago pro sacrosancto illo Sanguine & salutiferâ illâ aquâ, quæ de latere tuo lanceâ confosso effluxerunt.

Sepultura. Resurrectio. Ascensio. Gratias ago pro sepulturâ incontaminati corporis tui, & pro gloriosâ Resurrectione atque Ascensione tuâ, & pro Spiritus sancti missione.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

AD IESVM, ENDOLOGIA VI.

Salutatio ad omnia Christi membra suauissima: quod est mellifluum precationis exercitiũ. ADORO, laudo, & glorifico te, Domine Iesu Christe, benedico, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, cuius membra dignissima pro meâ salute nimiùm fuerunt afflicta: ego illa pro tui honore & amore saluto.

Pedes. Saluete immaculati pedes Domini mei, pro me fatigati & clauis perforati.

Genua. Saluete venerabilia genua, pro me ad orationem flexa, & sæpe lassata.

Pectus. Salue floridissimum pectus, pro me liuoribus & plagis deformatum.

Latus. Salue sacratissimum latus, pro me lanceâ confossum.

Cor. Salue amantissimum, benignissimum, atque mellitissimum cor, pro me vulneratum. Salue totius boni totiusque beatitudinis incomparabile gazophylacium. Eia, esto mihi in morte gratum vmbraculum, & post mortem æternum domicilium.

Dorsum. Salue sanctissimum dorsum, pro me flagris conscissum, & sanguine rubricatum.

Brachia. Saluete dulcissima charissimaq; brachia, pro me in cruce extensa.

Manus. Saluete delicatæ manus, pro me crudeliter clauis transfixæ.

Humeri. Saluete nitidissimi humeri, pro me pondere crucis grauati & confracti.

Collum. Salue purissimum collum, pro me colaphis inhumaniter contusum.

Os & guttur. Salue os & guttur suauissimum, pro me felle & aceto potatum.

Facies. Salue gratiosissima facies, pro me putentibus sputis fœdata, & duris alapis cæsa.

Aures. Saluete benignissimæ aures, pro me contumeliis oneratæ.

Oculi. Saluete beatissimi oculi, pro me lacrymis perfusi.

Caput. Salue venerandum caput, pro me spinis coronatum, sauciatum, atque arundine percussum.

Corpus totum. Saluto, clementissime Iesu, totum corpus tuum, pro me flagellatum, dilaceratum, crucifixum, mortuum & sepultum.

Sanguis. Saluto Sanguinem tuum pretiosissimum, pro me prorsus effusum.

Anima. Saluto nobilissimam animam tuam, pro me contristatam atque angustiatam.

Adspiratio pro membris nostris ad membra Christi. Amabilis Iesu, sanctifica, quæso, per sacratissima membra tua, omnia membra mea: & dele omnes peccatorum maculas, quas eisdem membris meis abutendo vmquam contraxi.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

AD IESVM, ENDOLOGIA VII.

Ad rosea Christi Vulnera amantissima salutationes.

ADORO, laudo, & glorifico te, Domine Iesu Christe, benedico, & gratias ago tibi, Fili Dei viui, pro omnibus Vulneribus tuis, & maximè pro illis quinque colendis Plagis, quas tamquam præclara redemptionis reconciliationisque meæ sigilla, in corpore tuo resurgens à mortuis retinuisti.

Salutatio pedis dextri.

Saluto, piissime mi, & totâ deuotione osculor roseum Vulnus dextri pedis tui: precorque, vt per illud plenam omnium peccatorum remissionem mihi concedas.

Pedis sinistri.

Saluto, benignissime mi, & totâ deuotione osculor vernans Vulnus sinistri pedis tui: precorque, vt per illud instaures omnes ruinas deperditæ vitæ meæ.

Manus dextræ.

Saluto, optatissime mi, & totâ deuotione osculor floridum Vulnus dextræ manus tuæ: precorque, vt per illud mortifices in me quidquid tibi displicet.

Manus sinistræ.

Saluto, amabilissime mi, & totâ deuotione osculor charum Vulnus sinistræ manus tuæ: precorque, vt per illud eum ornatum internum mihi dones, qui tibi placet.

Lateris.

Saluto, dulcissime mi, & totâ deuotione osculor amorosum ac præsuaue Vulnus sanctissimi lateris tui: precorque, vt per illud me totum in te trahas & rapias, me totum tibi copules atque vnias.

Immersio animæ in fontes Vulnerum.

Tu, Domine, in ipsis beatis Vulneribus tuis me include, & præsta, vt ex eis verum tui amorem æternamque salutem hauriam. Scribe illa in corde meo, pretiosissimo Sanguine tuo: vt in eis legam tuum dolorem pariter & amorem. Eorum memoria semper in conclaui pectoris mei permaneat: vt in me erga te & dolor compassionis excitetur, & ardor dilectionis accendatur. Sit mihi omni tempore, ac præcipuè in horâ mortis meæ, certum in illis refugium, atque protectio secura.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

AD IESVM, ENDOLOGIA VIII.

Offert pro se peccatore omnia Christi & Sanctorum merita.

ADORO, & glorifico te Domine Iesu Christe, qui dignaris tibi vnire animas perfectè diligentium te. O Fili Dei viui, ego abundans peccatis, vacuus meritis, indignus sum qui tibi appropinquem: sed ecce, pro omnibus offensis quas in te admisi, & pro omnibus bonis quæ mihi desunt, offero tibi, quidquid pro me facere, loqui, & tolerare voluisti: offero quidquid in gloriosissimâ genitrice tuâ virgine Maria ceterisque Sanctis tuis vnquam tibi placuit. Totam vitam meam, nimis indignam atq; immundã, purissimâ innocẽtiæ tuæ meritorumq; tuorum sindone inuolue, & me perfectissimis virtutibus sacræ humanitatis tuæ exorna, exornatumq; tibi inseparabiliter coniunge.

Orat vt cor amore saucietur.

O viuificans gemma diuinæ nobilitatis, ô immarcescibilis flos dignitatis humanæ, Iesu pro me vulnerate, vulnera obsecro, & medullitus transfige cor meum iaculo amoris tui, ita vt nihil terrenum continere possit, sed à solâ efficaciâ tuæ Diuinitatis contineatur.

Vt Deum sitiat.

Largire, dilecte mi, vt toto corde, pleno desiderio, sitientique animâ ad te adspirem, & in te suauissimo respirem. Largire, vt totus spiritus meus, & omnia interiora mea, ad te, qui es vera beatitudo, semper anhelent. Flagrantissima charitas me totum concremet, tibique intimè vniat, & in se transmutet: vt tu in me, & ego in te, gaudium habeamus nunc in tempore, ac posteà in æternitate.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.*

* In quibusdã exemplaribus antiquis ponuntur hic duæ Endologiæ pro sacrâ Communione, quas Lector inueniet in Parte v post Exercitium Adspirationum secundum.

AD MARIAM VIRG. DEIPARAM, ENDOLOGIA IX.

Deliciæ Virginis in Christi infantiâ.

AVE candidum lilium fulgidæ semperque tranquillæ Trinitatis. Aue vernans rosa sempiternæ amœnitatis. Salue præclara cæli Regina, inæstimabilibus deliciis affluens, virgo Maria. Ex te, ô beata, nasci, & tuo lacte pasci Rex cælorum voluit Iesus Christus, splendor paternæ gloriæ. Tu eum panniculis inuoluisti, fasciolis strinxisti, vlnis gestasti, gremio fouisti, & amplexibus atque osculis deliniisti: ipse, te intercedente, mentem meam diuinis influxibus pascere dignetur.

Patrocinium B. Mariæ inuocatur.

Eia Aduocata mea singularis, illos tuos misericordes oculos ad me conuerte. Impetra mihi plenam omnium peccatorũ meorum remissionem, & perfectam mei mortificationem atque abnegationem. Impetra cor purum, humile, benignum, & amore dulcissimi Filij tui vulneratum. Impetra spiritus nuditatem ac libertatem: vt ipse Dominus meus Iesus Christus pacem & gaudium in me habeat.

Ego

Exercitium piarum precat.

Ego te veneror, te inuoco, & tibi in augmentum gaudij, offero cor vnici Filij tui: precorque, vt mihi sis pia auxiliatrix atque consolatrix toto huius exilij tempore, & præcipuè in horâ mortis meæ, Amen.

AD OMNES SANCTOS ANGELOSQVE DEI, ENDOLOGIA X.

Salutatio. AVETE Sancti Sanctæque Dei omnes, qui æternâ beatitudine donati, Dominum cum iubilo iugiter laudatis. Auete spiritus Angelici, qui amabilem faciem Dei semper cum iucunditate contemplamini. Salue sancte Angele custos meus fidelissime, cui à Domino commissus sum.

Veneratio. Vos estis vernantes cæli flores, supernam Ierusalem mirificè exornantes. Ego vos veneror, vos inuoco, & vobis, in augmentum gaudij ac gloriæ, offero totius boni totiusq; beatitudinis gazophylacium, cor Iesu Christi mellifluū. Gratias ago ipsi Domino Deo nostro qui vos elegit, & in suis benedictionibus præuenit: gratias ago pro omnibus bonis quæ vobis contulit. *Congratulatio.*

Imploratio. Eia beati amici Dei, impetrate mihi plenam omnium peccatorum meorum remissionem, & perfectam mei mortificationem atque abnegationem. Impetrate spiritus nuditatem & libertatem, ardentemque Dei amorem: vt ipse Dominus delicias suas in me habere possit. Orate pro me nunc & in horâ mortis meæ: vt vestris precibus adiutus, aliquando sanctam Trinitatem vobiscum glorificem in dulcissimâ illâ patriâ, vbi dies vna melior est super millia, vbi Deus est omnia, quæ desiderare potest mens pia, Amen.

LVDOVICI BLOSII INSTITVTIONIS SPIRITVALIS APPENDIX QVARTA SIVE APOLOGIA PRO D. IOANNE THAVLERO ADVERSVS D. IOAN. ECKIVM.

LVDOVICVS BLOSIVS FLORENTIO A MONTE S.

Blosij humilitas. Laudat hoc opusculū Card. Bellarminus in Censurâ Biblioth. Eccles. in Thaulero, anno Dñi 1350. & vocat EGREGIAM DEFENSIONEM. & in Apparatu sacro R.P. Ant. Possevin in Ioāne Thaulero, citat ex hoc Opere nonnulla, & probat.

QVOD à me extorquere potuisti INSTITVTIONEM *illam, quam ex sanctorum Patrum monumentis mihi collegeram, mi Florenti, meus erga te amor effecit, & Deus (vti spero) ita voluit. Iam tu & ego ad hoc contendere debemus, vt quotidie in spirituali internaque vitâ proficientes, ipsi Domino magis magisque vicini simus. Pudet me sanè, quòd tam procul adhuc à perfectâ mei abnegatione & mortificatione, atque à perfecto Dei amore absim. Benignissimus Iesus propositum conatumque meum adiuuare dignetur.*

Consolatur se verbis partim ex S. Augustino, partim ex S. Bernardo desumptis. *Vtcumque me consolantur verba cuiusdam amici Dei, ita ipsum Dominum alloquentis:* Diligam te Domine pro dono tuo & pro modulo meo. Si tantum diligere

non possum quantum diligere debeo, non possum tamen vltrà quàm possum. Potero verò te amare ampliùs, quando ampliùs donare dignaberis: numquam tamen tantum te diligere potero, quantum dignus es qui diligaris. Imperfe-
Psal. 138. ctum meum viderunt oculi tui: verumtamen in libro tuo omnes scribentur, qui quod possunt faciunt, etsi quod debent non possunt. *Hæc inquam verba mihi languido, & humi inter multos defectus reptanti, nonnullam consolationem adferunt.*
Commendat lectionem Institutionis. *Opto vehementer, vt omnes qui illam* INSTITVTIONEM *piè legent (si tamen aliqui præter te legent) fructum salutis percipiant, & me tardum atque inutilem suis precibus apud Deum adiuuent. Appendicem eidem* INSTITVTIONI *adiectam, excerpsi ferè totam hinc inde ex Operibus* D. IOANNIS THAVLERI: *ita tamen, vt non vbique verba eius, sed verborum sensum proferre curauerim.*

Connexio sequentis Apologiæ cum præcedentibus Opusculis. *Antequam colligerem* INSTITVTIONEM, *scripseram* APOLOGIAM, *quâ ipsum Thaulerum, iniuriâ ab Eckio traductum, breuiter excusare volui. Eam ad te mitto. Adiunges illam libello nostro, collocabisque post* EXERCITIVM PRECATIONVM. *Vale in Domino Iesu. Lætiis, pridie Nonas Octobris, anno M. D. LI.*

APOLOGIÆ PRO D. IOANNE THAVLERO

CAPVT I.

Quòd Eckius Thaulerum immeritò traducat, & inconsideratè damnet.

1. Occasionem damnandi Thaulerum præbuit Eckio Lutherus.

2. Fecit hoc Eckius, motus ardore fidei defendendæ; sed fecit immeritò:

3. Falsò enim Lutherus abusus est dictis Thauleri, sicut & ipsius sacræ Scripturæ.

1. *Cur Eckius Thaulerum damnauerit.* CVM ego intellexissem, plerosque à lectione librorum D. Ioannis Thauleri deterreri verbis Ioannis Eckij, operæ pretium esse duxi, paucis refellere ea quæ in ipsum Thaulerum minùs consideratè scribit Eckius. Hic enim disputans aduersus Martinum Lutherum hæresiarcham tertio libro de Purgatorio, Thaulerum appellat somniatorem, eumque hæreseos insimulare videtur: nihil tamen adducit, quo comprobet illum esse hæreticum. Qui si diligenter legisset eius lucubrationes, longè aliter de eo sensisset.* Nam Thaulerus Catholicæ fidei cultor integerrimus est. Ea quæ scripsit, sana & planè diuina sunt; vt cognoscere possunt omnes, qui in illis studiosè sunt versati.

*Hæc recitat Posseuinus in Apparatu sacro, in Ioanne Thaulero; & cùm in Ioanne Eckio Sueuo Theologo laudasset eum velut propugnatorem Ecclesiæ Catholicæ contra Lutherum, tamen remittit Lectorem ad R. P. Laurentium Surium Carthusianum, qui in Præfatione ad Opera D. Thauleri etiam agit contra Eckium, cui immeritò quædam Thauleriana displicuerunt.

Sed Eckius ardore defendendæ Ecclesiæ succensus, indignè tulit quòd Lutherus magnificè laudaret Thaulerũ, & sententiis eius sua praua dogmata confirmare niteretur. 2. *Immeritò id fecit.*

Quid verò mirum, si miser & infelix ille suos errores dictis Thauleri, à se perperàm allegatis, tueri tentauerit; cùm non solùm sanctorum Patrum, verùm ipsius quoque sacræ diuinæque Scripturæ verbis impudentissimè ad suam hæresim stabiliendam abutatur? Si doctrinæ Thauleri adhærere voluisset, profectò hæreticus numquam fuisset. Nam ex vnius Thauleri scriptis hæreses, quæ hisce temporibus emerserunt, plenissimè confutari possunt. Et quidem Lutherus, posteà videns scripta Thauleri prorsus aduersari suis scriptis, vituperauit eum quem priùs intantum commendarat, vt diceret, plus solidæ Theologiæ in vno Thaulero inueniri, quàm in omnibus aliis. 3. *Lutherus falsum imposuit Thaulero.*

CAPVT II.

Quòd Lutherus peruersè citet Thaulerũ, & quòd sanctissimi quique fecerint id quod de ecstasi & raptu scribit Thaulerus.

1. Calumnia à Luthero imposita Thaulero, quòd diceret, fideles in deuotione positos à legibus Ecclesiæ liberos esse.

2. Expressè refellitur ex ipsis Thauleri verbis, qui ait, in raptu quidem à legibus solutos esse pro eo tempore, quia tunc ligantur sensus, sed, raptu recedente, subiici obligationibus ab Ecclesiâ inductis.

3. Hoc modo fecit S. Franciscus, & sancta Clara, & sanctissimi quique.

IPSE Lutherus non parum concitauit Eckium contra Thaulerum, cùm obedientiam Ecclesiasticam deprimens, citaret 1. *Calumnia Lutheri affingentis falsa dicta Thaulero.*

eumdem

eumdem Thaulerum, diceretq́; illum istud sensisse, vt si quis in mediis obedientiæ Ecclesiasticæ operibus rapiatur in ecstasim, vel singularem aliquam illuminationem percipiat, omnino debeat obedientiam Ecclesiæ relinquere, & Deo obsequi magis quàm hominibus.

2. *Reiicitur apertis Thauleri ipsius verbis.*

Sed quàm alienum sit à mente Thauleri id quod Lutherus adstruere vult, facilè agnoscet, quicumque locum, vbi de eâ re Thaulerus tractat, attentè legere & diligenter discutere voluerit. Habetur autem hic locus secundo Sermone in Circumcisione Domini, vbi hæc inter alia legimus: *Quando* (inquit Thaulerus) *cõtingit aliquem in verâ ordinataq́; deuotione ad altiora rapi, is, durante huiusmodi raptu, omnem exteriorum exercitiorum occupationem missam faciet, etiamsi talia sint, ad quæ complenda voto sese obstrinxerit. Nam quamlibet multa ac varia quis Deo promiserit, si verâ dilectione succensus in Deũ cum vniuersis viribus suis intrabitur, rapitur, absorbetur & immergitur, est ab omnibus votis liber atque absolutus interim dum vera hæc deuotio & ecstasis in ipso perdurat. Imò, si huiusmodi ecstasis hebdomadâ vnâ, aut mense vno, vel integro anno perseueraret, is qui illam patitur, toto eo spatio nullum tempus coram Deo negligit. Quando autem sibi restituitur, vota sua exequatur, ab eo tempore quo plenè compos suiipsius factus est. De præterito tempore & iis omnibus, quæ intereà neglexit, ad quæ præstanda se obligatum sentit, docebit illum Deus, qui per seipsum omnia illa supplet, quamdiu eum ad altiora rapit. Minimum enim Dei opus, omnes omnium creaturarũ actiones longè præcellit. Ista verò de eruditis & copiosè illuminatis perfectisq́; viris dicta sunt, quos vnctio docet de omnibus, non autem de externis atque immortificatis hominibus.* Hæc ibi.

3. *Exemplo sunt sanctus Franciscus, & S. Clara, & alij.*

Certum habemus, perfectissimos quosque fecisse id quod Thaulerus scribit. Nam beatus Franciscus legitur ita plerumque in Deum immersus atque absorptus fuisse, vt totâ nocte totoq́; die prorsus loqui non posset: vnde & discipulo suo Fratri Leoni præceperat, ne ad se pro horariis Precibus legendis accedens, molestus sibi esset, quando in talem mentis excessum raptus erat. Et Dominus Henricus Harphius, vir Spiritus sancti vnctione eximie imbutus, in libris quos de Mysticâ Theologiâ scripsit, meminit cuiusdam Abbatissæ Claræ virginis sanctissimæ, quæ cogitationes & affectiones suas omnes ad Dei amorem conuertens, diuinos in se assiduè recipiebat radios: dicitque, hanc eorumdem radiorum influxu ita solitam fuisse sursum in Diuinitatem trahi, vt vsum naturalium virium suarum amitteret. Hinc contigit eam aliquando in die Epiphaniæ tam vigorosè in Deum rapi, vt totis triginta diebus in ecstasi permaneret; nullam intereà rerum humanarum memoriam habens, nec cibum sumens, neque quidquam corpore suo sentiens. Posteà ad se reuersa, vix poterat cor suum deorsum deducere, vt de rebus temporalibus suæ curæ commissis cogitaret.

CAPVT III.

Quòd Thaulerus non solùm non implicatus sit erroribus Begardorum (quod ei impingit Eckius) sed etiam acerrimè aduersus eos scribat.

1. *Error Begardorum, quòd peruenire possint in hac vitâ ad statum impeccabilitatis, & ad consistentiam quamdam merendi, vltra quam non possint proficere, immeritò impingitur Thaulero:*
2. *Clarissimè enim contra eos scribit, asserens, quietem otiosam Begardorũ esse fornicationem spiritualem;*
3. *Et fontem ac radicem peccatorum:*
4. *Eosdem inusitata & singularia affectare,*
5. *Bonis operibus non inuigilare, ne turbent quietem,*
6. *Obedientiam Ecclesiæ & Prælatorum excutere,*
7. *Peiores esse latronibus,*
8. *Hypocritas denique & precursores Antichristi.*

MVLTVM fallitur Eckius, dicens, Thaulerum implicatum esse erroribus Begardorum, qui nescio cui inani & falsæ contemplationi dediti, asserebant, hominem ad tantam perfectionem in hac vitâ pertingere posse, vt iam nec peccare, nec in gratiâ proficere ampliùs queat, ob idque tum omnino liber sit, nullis Ecclesiæ præceptis subiectus. (Qui errores in Concilio Viennensi damnati fuerũt.) Immeritò inquam Eckius hanc notam sancto viro inurit. 1.

Begardorũ delirium, de statu impeccabilitatis, falsò Thaulero adscribitur.

NamThaulerus secundo Sermone primæ Dominicæ Quadragesimæ, vehementissimè inuehitur in eos, qui huiusmodi erroribus sunt obnoxij, vbi inter cetera dicit: *Ex falso otio, & fornicatione spirituali, pessimus error nascitur: quo qui subuersi sunt, Contemplatores se vocant. Ipsi vacuitatem quamdam & pacem quietemq́; naturalem sectãtur, quam & Gentiles & Iudæi, & pessimi quique homines sentire atque adipisci possunt, si se ab omnibus phantasiis & actionibus expedire sciant, & absque discussione sua conscientia intra se viuant. Ista naturæ quies hoc pacto fouetur, si quis in aliquo loco quietus ac vndique otiosus sedeat, & nec intus nec foris aliquid exercitij habeat: vt hanc eamdem quietem & consequi possit, & adeptam nemo perturbet perpediátve. Hoc autem malum esse, quis non videat? cùm id nihil aliud efficiat quàm cæcitatem quamdam ac ignorantiam, & descensum in seipsum,* 2.

Teste Thaulero, fornicatio spiritualis, erroris illius causa est.

• *Falsa quies & otium erroneum Begardorum.*

* Piorū requies mystica probata.

ipsum, absque ullâ actione.* Boni in Deo, non in seipsis requiem quærunt. Sancta probataq́ requies, quæ poßidetur in Deo, est amorosa omnium ab animo exclusio, cum simplici intuitu siue inspectione in incomprehensibilem claritatem Dei, quæ à veris Dei amicis, & semper deuotis desideriis quæritur, & per fruitionem inuenitur, perenniterq́ poßidetur in ardentißimo amore: possessa verò nihilominus quæritur.

3. Falsum Begardorum otium, occasionem peccatorū adducit.

Planè quando aliquis quietem in otio absque deuotis intimisq́ ad Deum adspirationibus atque desideriis sectatur, omni tentationi & errori expositus est, atque ad mala quæque sibi præstat occasionem: propterea quòd à Deo auersus, atque ad seipsum dilectione affectuq́ naturali conuersus, sui oblectationem propriumq́ commodum venetur & inquirat.

4. Affectata singularitas Begardorum coniexia diabolicis illusionibus.

Isti infelices homines inusitata quadam & singularia plerumque à Deo petunt: quibus etiam interdum (Deo permittente) contingunt ea quæ postulant, illusione diabolicâ: at ipsi persuasum omnino habent, illa à Deo sibi obtigisse pro salute suâ, & (quod grauius est) se talibus dignos esse iudicant. Quod quidem quid aliud indicat, quàm eos spirituali superbiâ infectos esse, nihilq́ intrinsecus diuinæ gratiæ habere?

5. Nolunt otium suum bonis operibus interrumpere.

Hi se à peccatis immunes, & Deo sine ullo medio vnitos, ob idq́ tam diuinis quàm humanis legibus solutos, atque ad nulla iam bona opera facienda obligatos esse arbitrantur: isto errore seducti, quòd putent, otium illud, cui vacant, pro sui nobilitate atque excellenti[illegible] nullo modo esse interturbandum aut impediendum. Hinc nihil operantur: sed sicut instrumentum præstolatur artificem, ita illi diuinam expectant operationem, nihil ipsi penitus agentes. Aiunt enim suâ operatione opus Dei fore præpediendum. Itaque vanißimo otio dediti, in virtutibus se non exercent. Vis scire quale sectentur otium? Breuibus expediam. Non gratias agere, non Deum laudare, non orare, nihil cognoscere, nihil amare, nihil desiderare volunt. Hæc omnia tamquam noxia postponunt. Quidquid enim orando petere possent, habere se existimant.

6. Ecclesiæ leges & instituta negligunt.

Iam quod ad Ecclesiæ leges attinet, ea omnia se non modò consecutos esse, sed & transscendisse credunt, ob quæ cuncta sanctæ Ecclesiæ præcepta, ritus, consuetudines & cærimoniæ rationabiliter institutæ sunt. Persuasum habent, neminem, nec ipsum Deum, quidquam sibi vel dare vel auferre posse: eò quòd exercitia omnia cunctasq́ virtutes superarint, vt ipsis videtur, atque ad meram puramq́ nuditatem ac præclarum otium pertigerint.* Hinc tantam sibi libertatem vsurpant, vt nemini prorsus obedire velint, neque Summo Pontifici, neque Episcopis, neque Pastoribus suis. Ab omnibus sanctæ Ecclesiæ consuetudinibus legibusq́ immunes & exempti esse volunt: palàm asserentes, hominem tamdiu imperfectum esse, quamdiu virtutibus consequendis dat operam.* Credunt, se omnia tam Angelorū quàm hominum merita vicisse, & nullum deinceps virtutis augmentum capere, nullum peccatum admittere posse, hac de causâ, quòd absque voluntate viuant, vt ipsi arbitrantur, spiritumq́ suum quieti atque otio tradiderint, & in seipsis ad nihilum redacti, vnumq́ cum Deo effecti sint. Nulla eis neque de ieiuniis, neque de Festorum obseruatione, neque de aliquo alio Ecclesiæ præcepto cura est, nisi quatenus in hac parte adspectum hominum verentur, aut hominibus placere cupiunt.

* Libertas Euangelica Begardorum.

* Arrogantissimam impeccabilitatem sibi arrogant.

7. Quibuscumque latronibus peiores sunt, causam scelerum suorum adscribentes Deo.

Equidem constanter asseuerare non dubitem, latrones quosque, & eos qui in manifestis sceleribus vitam agunt, eiusmodi hominibus meliores esse. Et tamen se Dei-patientes nuncupant; dicentes se Deum-pati, quòd ab omni operatione expediti & otiosi sint. Putant se Dei instrumenta esse, in quibus ille quidquid velit operetur. Aiunt autem, ea opera quæ Deus per ipsos perficit, multò excellentiora esse, quàm sint cuiuslibet hominis opera, quæ per seipsum etiam in gratiâ Dei agit. Quidquid faciant, nihil se peccare existimant,* cum Deus hoc quod agunt, per ipsos efficiat (vt ipsi dicunt) & quidquid velit Deus, id per eos fiat, nec prorsus aliud quidquam. Humilitatem quamdam in conuersatione suâ atque actibus suis præ se ferunt, facileq́ aduersa omnia tolerant, propterea quòd se Dei instrumenta esse arbitrentur, per quæ ille pro gratißimâ voluntate suâ operetur. Sunt igitur isti veris Dei amicis admodum similes in multis.

* Qui error est Caluini & Nouatorum.

8. Duo characteres instrumenti Spiritus sancti, vtilitas spiritualis, & conformitas cum Ecclesiâ. Vtroque carent Begardi hypocritæ, propria voluntatis serui, & præcursores Antichristi.

Ceterùm nimiùm aberrant, quòd ea omnia, ad quæ intus mouentur, siue bona siue mala sint, à Spiritu sancto procedere & fieri putant. Certè Spiritus sanctus neque otiosa neque inutilia, neque vitæ Christi vel sacris Litteris repugnantia, in aliquo homine operatur. Difficulter sanè seducti isti agnosci queunt, propterea quòd vitã suã modum optimè tueri, & gloßis quibusdam ornare sciant: est tamen in quo agnosci poterunt, ipsorum videlicet propria voluntas, quam abnegare & deserere nesciunt. En dilectißimi, omnes isti, & quotquot huius farinæ homines inueniuntur, ipsißimi prænuntij sunt Antichristi, viamq́ illi præparant, deducentem ad infidelitatem damnationemq́ perpetuam. Certâ ergo fide tenendum est, neminem à mandatorum Dei & sanctæ Ecclesiæ obseruatione, atque à virtutum exercitio absolutum aut exemptum esse. Nemo vniri Deo potest in otio, nisi & amet & desideret Deum. Nemo sine bonis operibus aut est

aut

aut esse potest sanctus. Sed quisque cum multâ gratitudine omnipotenti Deo cooperari debet, ne ipsius Dei operationem præpediat, quisque illum laudare, eiq́; gratias agere adstrictus est. Hæc omnia Thaulerus in eo Sermone, quem designauimus, dicit.

CAPVT IV.

Quòd Eckius falsò dicat, Thaulerum doctrinâ suâ demoliri Religionis obseruantiam.

1. *Thaulerus maximus deprædicator Regularis obseruantiæ & obedientiæ.*
2. *De fundo animæ, & paupertate in vsu rerum.*
3. *De fraternâ dilectione, & mutuâ tolerantiâ.*
4. *De choro, & Precibus horariis.*
5. *De solitudine deuotâ.*
6. *De Eucharistiæ discretâ frequentatione.*
7. *De frequenti & integrâ peccatorum mortalium confessione.*

1. *Thaulerus plurimus in Regularis obseruãtiæ laudibus est.* ECKIVS etiam affirmat, Thaulerum doctrinâ suâ Regularem Religionis obseruantiam, præclarissimamq́; virtutum gemmam obedientiam, demoliri. Quod quàm falsum sit, manifestè liquet ex innumeris lucubrationum Thauleri locis. Nos aliquot tantùm loca citabimus. In Sermone vndecimæ post Trinitatem Dominicæ, ipse Thaulerus viros & feminas in Ordine sacræ Religionis Deo seruientes ita alloquitur: *Dignissimam vocationem vestram, quæso, frequenter attendite: & ita viuere curate, vt & vobisipsis & ceteris innotescat, quem ex sacri huius Ordinis susceptione fructum referatis. Cuius quidem Ordinis statuta, leges, & consuetudines omnes diligentissimè obseruare debetis. Non tamen exigitur, vt Frater vel Soror senio prægrauati, ieiuniis, vigiliis, aut externis operibus supra vires insistant: sed silentium vestrum locis & temporibus quibuscumque pro sacri Ordinis institutione omnes seruabitis sedulò: quod quidem quem fructum & quam vtilitatem adferat, nemo capere, nullus intelligere satis potest. Deinde, verba vestra suauia benignaq́; erunt. Si quod fortè asperum durumq́; verbum exciderit vobis, mox culpam vestram humiliter fatebimini, & tam Deo quàm hominibus vos subiicietis. Ceterùm si quis verbis duris vos aggressus fuerit, nihil prorsus contrà illi respondebitis, nisi fortè vnum aut alterum verbum, idq́; placido ac benigno vultu.*

2. *Fundus animæ custodiendus in vsu rerum.* *Fundum vestrum studiosè obseruabitis, cauebitisq́;, ne quamcumque rem, siue libros, siue indumenta, siue ornamenta, siue societatem humanam cum delectatione possideatis. Quæcumque autem ordinatè atque secundùm rationem necessaria sunt vobis, eis, quatenus ipsa necessaria sunt, & Deus atque Ordo libenter admittunt suppeditantq́;, vtemini.*

3. *Mutua charitas & submissio cum patientiâ.* *Fraternâ vos inuicem dilectione prosequemini: & alter alteri humilem subiectionem, amorem pietatemq́;, non autem graues ac toruos vultus prætendetis. Non exhibebitis vos inuicem alienos, quæcumque etiam occasio vel res inter vos eueniens pacem mutuam infregerit. In bonis operibus, maximeq́; in charitatis officiis, vos exercebitis: ita videlicet, vt vos mutuò offeratis ad ipsa charitatis obsequia inuicem impendenda, & alter alteri onus ac laborem hilariter præripiat, vel etiam è manibus tollat. Iam si pro aliquo pietatis exercitio contingat vos ab aliis irrideri, contemni, & malè tractari: nequaquam vosipsos defendetis, nec ad aliquem querimonias deferetis.*

4. *Corporis & animi habitus in choro, ob Dei præsentiam.* *In choro, vbi Corpus Dominicum in veritate præsens adest, multâ cum reuerentiâ, oculis in terram demissis, animoq́; attento, & ad Deum conuerso, coram Rege æterno consistetis. Si enim virgo pudica in conspectu Regis adstaret, certumq́; haberet, illum in se oculos defigere, siquidem compos animi prudensq́; esset, haud dubiè mores præ se ferret honestissimos, & modestissimè se gereret. Quàm ergo æquum est, hominem coram Deo ac Domino suo, electissimoq́; animæ suæ sponso, iugiter se foris & intus contemplante, collectis viribus reuerentissimè adstare? Preces horarias cum ingenti deuotione, & cum quantâ animi attentione potestis, decantabitis legetisq́;. Pro conscientiæ tamen securitate, noueritis sufficere (quantum ad Ecclesiæ præceptum attinet) si verba integra dicantur: nec opus esse aliquid repetere, modo sponte non cogitentur ea quæ verbis lectis contraria sunt.*

5. *Solitudo religiosa, & temporis ratio.* *Præterea ab omnibus, quorum Deus vera causa non est, abstracti eritis. Temporis quantulamcumque perditionem, vt virus pestiferum fugietis. Solitudini libenter vacabitis: in quâ liberè & expeditè vos Deo vnietis: primò quidem, ad floridam dignissimæ Passionis Christi arborem, & ad gloriosa Vulnera eius; deinde etiam ad præclarissima Diuinitatis illius celsitudinem vosipsos conuertentes: sicque ita ingredientes & egredientes, plena pascua inuenietis.*

6. *Eucharistiæ frequentatio, cum præparatione & recollectione debitâ.* *Si talem vitam egeritis, si huiusmodi fructus protuleritis, dignissimum Eucharistiæ Sacramentum non sine grandi vtilitate ac profectus vestri incremento percipietis. Non quidem inficias eo, bonum esse ad tempus ex profundâ humilitate abstinere: sed multò melius fuerit, ex amore accedere. Quisquis libenter pro gratissimâ Dei voluntate suam vitam institueret, si posset, & non stupidâ cæcaq́; temeritate, vel propriâ reputatione accedit, sed dolet se vmquam offendisse Deum: quisquis in-*

quam

quam se talem verè sentit, securus accedere potest, imò verò quo crebriùs accesserit, eò meliùs vtiliusq́ faciet. Quòd si fortè Fratribus vel Sororibus, qui ipsam Eucharistiam perceperunt, tempore matutino non licet immensos fructus, innumeraq́ bona, quæ hoc dignissimum Sacramentum in homine operatur, obseruare, propterea quòd secum manere non sinantur, dum aut legere, aut cantare, aut in aliis iuxta consuetudinem statutaq́ Ordinis occupari debent: obseruent illa post prandium, aut post Vesperas, vel etiam post Completorium. Aequè Dominus tunc operari potest sicut tempore matutino: & hoc venerabile Sacramentum operatur vbicumq́ ei locus præbetur.

7. De modo confitendi peccata seu venialia seu mortalia.

Iam verò, quod ad veniales quotidianasq́ culpas attinet (à quibus dum hic viuimus omnino liberi esse non valemus) monendi estis, charissimi, ne multùm solliciti sitis, néve perturbemini, si non omnes in confessione expresseritis. Illas humiliter ac seriò Deo confitebimini, & contrito deuotoq́ corde vos reos coram eo accusabitis. Sic enim his, qui confessionibus audiendis adhibentur, nimis multum temporis non auferetur. Sanè tales culpas generaliter exposuisse satis est: cùm mortalia dumtaxat peccata, & ea de quibus dubium est vtrùm mortalia sint, ex præcepto & necessitate confiteri obligemur. Venialia enim peccata multis modis delentur; puta, contritione, Dominicæ Orationis prolatione, genuflexione, Aquæ benedictæ adspersione, &c. Si alicui dolor siue contritio deest, saltem doleat se non dolere: nam hoc quoque dolor est. Itidem si quis desiderium & amorem non sentit, desideret habere desiderium atque amorem. Hæc & his similia scribens Thaulerus, non demolitur, sed plurimùm adiuuat stabilitque regularem Religionis obseruantiam.

CAPVT V.

Quàm exactè Thaulerus doceat, quisnam scopus, & quænam essentia sit Ordinis monastici.

1. *Scopum vitæ Monasticæ esse Deum, & puritatem cordis.*
2. *Votorum monasticorum robur & obligatio.*
3. *Religionis essentia, Charitas Dei & proximi.*
4. *Hilarem datorem diligit Deus.*
5. *Pænitentialis vitæ veritas.*
6. *Diuinæ præsentiæ signum est, perseuerantia in vitâ religiosâ.*
7. *Scholæ monasticæ iucunditas.*
8. *Misera conditio negligentium mortificationem religiosam.*
9. *Variæ excusationes tepidorum reiiciuntur.*

1. Scopus religiosæ vitæ Deus, cordisq́ puritas in animæ fundo.

RVRSVM secundo Sermone quartæ Dominicæ Quadragesimæ, idem Thaulerus Religiosis loquens, ita ferè ait: *Debemus Deum semper quærere, illiusq́ præsentiam suspirare, & eum in cunctis actibus nostris purè spectare. Debemus nos crebrò introuertere, & nosipsos atque omnia quæ extra Deum sunt transcendere. Quod si fecerimus, ipsum haud dubiè tandem inueniemus. Huc faciunt omnes ritus, cuncta opera atque exercitia, & quæque pia instituta, omnesq́ ordinationes tam nostri Ordinis quàm aliarum Religionum. Illa enim ob hoc fiunt & obseruantur à nobis, vt Deo intendere, eumq́ solum purè quærere discamus, & fundum habeamus ab omnibus, quæ operationem Dei præpediunt, expeditum, nihilq́ continentem nisi Deum; quò ipse Deus intra nos festum agat diem. Si ad hunc finem, omnes Religionis ritus non referimus, sed illis contenti sumus; si, inquam, externa exercitia ad interiorem fundum veramq́ cordis puritatem non referuntur, ea parum aut nihil profutura sunt.*

Sanè, dilectissimi, quando primùm sæculo abrenuntiauimus, & monasticen professi sumus, omnes Deo omnipotenti vouimus, nos ipsum amore atque intentione prosecuturos, eidemq́ perseuerantem famulatum ad mortem vsque exhibituros: à quo † voto nec Pontifices nec Sacerdotes omnes nos absoluere possunt. Si fides sanctis Doctoribus habenda est, plus illud votum obligat, quàm quoduis iuramentum in iudicio præstitum. Vnde constat, nos multò magis crimen periurij incurrere, quando sponte animoq́ deliberato cor & intentionem (quæ Deo semel consecrauimus) alicui tradimus creaturæ extra Deum, quàm si iuramentum violaremus. 2. *Voti monastici in genere robur, & obligatio, quâ adstringimur, vt purâ intentione D. o vsque ad mortem seruiamus; quod nō est intelligendum de votis particularibus Religiosorum.*

† Malderus, & Lessius, & alij Scholastici ad D. Thomam 2. 2. quæst. 88. art. 11. fatentur, Pontificem Romanum dispensare in votis solemnibus Religiosorum, sed non in obligationibus legis diuinæ & naturalis, vt hic est casus.

Itaque sacræ Religionis essentia & fundus est, vt Deum ex toto corde amemus, & confratres nostros diligamus vt nosipsos, mentes nostras humiliantes subdentesq́ Deo, & charitatem exhibentes inuicem: vtq́ quarumlibet rerum creatarum ac nostriipsorum, siue voluntatis nostræ proprietatem omnem abdicemus, atque ab omnibus, quæ Deum à nobis excludere vel præpedire possunt, expediti nudiq́ simus: quò Deus omnipotens præclarissimum fundum nostrum (cui suam ipse imaginem impressit) liberè possidere valeat, quæ sunt deliciæ atque voluptas eius, sicut ipse ait, Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Hic planè, dilectissimi, scopus est Ordinis nostri, & hæc intentio. In hunc finem omnes religiosæ Congregationes, omnia Monasteria, omnia statuta, omnes ritus & cærimoniæ, cunctaq́ honestè viuendi genera, sunt instituta, approbata, atque recepta. Si illud obseruamus, nimirum ipsam Ordinis nostri substantiam fundumq́ 3. *Religionis essentia, & fundus.* Prouerb. 8.

fundumq; tenemus: sin verò illud negligimus, periuri sumus, & fidem Deo præstitam violamus. Prædictum religiosæ regularisq; vitæ fundum, legifer & Patriarcha noster S. Dominicus, ac alij venerabiles Ordinum Patres, S. Benedictus, S. Augustinus, S. Bernardus, S. Franciscus, tenuerunt, coluerunt, atque spectauerunt: cui omnes externi ritus, constitutiones, & cærimoniæ famulantur. Hanc Ordinis nostri substantiam quæso vt sectemini: sic enim certo certiùs Deus omnipotens grandem in animabus vestris peraget solemnitatem.

4. *In religiosis officiis seruendū Deo hilariter & alacriter.* *Multa Patrum sanctiones nobis obseruandæ sunt, visitandus est chorus, legendum atque psallendum est nobis: quare ergo non id iucundo animo facimus potiùs, quàm aridâ plumbeâq; mente, ne ab æternâ solemnitate excludamur? Quamuis enim verissimum sit, eum, qui nullius sibi mortalis criminis conscius est, & nullâ ratione vult Deum offendere, saluum in sanctâ Catholicâq; fide fieri, ac beatitudinem consequi: quisquis tamen iucundam illam solemnitatem, quâ felicissimè sentitur atque degustatur Dei præsentia, intra se experiri appetit, oportet vt purum, liberum & expeditum fundum Deo exhibeat. Et profectò, ipse Deus suâ inæstimabili pietate nos ad hunc sacrum vocauit, traxit, atque perduxit Ordinem, vt illi soli per amorem intentionemq; hæreamus: cuius vocationi nos morem gerere debemus. Gratuitâ bonitate suâ, amoreq; purissimo, sine vllis meritis nostris, ad hanc sanctam veræ pœnitentiæ vitam perduxit.*

5. *Describitur vita pœnitentialis.* *At quærat fortasse aliquis, quæ sit vitæ pœnitentialis essentia ac veritas. Nihil sanè aliud, quàm vera ab omnibus extra Deum auersio, & integra ad purissimum certissimumq; bonum illud, quod Deus ipse est, conuersio. Quod qui studiosiùs perfectiusq; facit, ille plus quoque agit pœnitentiæ. Meritò ex ipsis animi visceribus deuotissimas semper conditori nostro gratiarum actiones referre debemus quotquot Religiosi sumus, quod ipse nos ad istam vitam inuitare dignatus sit.*

6. *Diuinæ præsentiæ signum euidens, à flore ætatis in senectutem vsque iugum ferre Religionis.* *Et quod euidentius signum esse queat diuinæ apud nos præsentiæ, quàm quod plerique nostrûm in ipso iuuentutis flore constituti (quæ ætas admodum solet esse indomita, atque omnis regiminis impatiens, ac sæculo dedita) alterius se voluntati subiecerunt, præceptis & exhortationibus obtemperant, domari regiq; se patiuntur, atque creaturis omnibus valedicentes, Dominum Deum suum sequuntur? Qui licet magna aliqua de Deo necdum experiantur, patientiam tamen seruant, & sustinent Dominum. Agite dilectissimi, in hoc neruos conatusq; omnes intendamus, vt iucundissimam intra nos experiamur solemnitatem, aliquâ vitæ æternæ prælibatione donati. Ea inquâ cura sit nobis, vt quoties volumus, quoties nos introrecipimus in orationibus, exercitiis, & operibus quæ nobis ex Ordinis nostri instituto facienda incumbunt, diuinam intra nos præsentiam, verumq; gaudium sentiamus, Deo sese in intimis nostris verè manifestum exhibente. Quo bono illi perfruuntur, qui se Deo proprios fecerunt ac dediderunt, & ei soli obligati sunt. An non felicissima prorsus vita censenda est, quando & nos sumus in Deo, & ipse in nobis hîc in tempore, ac postmodum in æternitate?* Hæc ibi.

Item secundo Sermone quartæ Dominicæ Aduentus, dicit Thaulerus: *Schola præamabilis, vita est religiosa siue monastica, in quâ qui degunt, à mundo & à diuersis miseriis abstracti disiunctiq; sunt, quò omnipotenti Deo in veritate seruientes purissimè viuant, Deum & seipsos iugiter obseruent, naturæ & sensibus atque ipsi mundo perfectè moriantur. Aequum profectò foret, Religiosum quemque adeò diuini amoris igne succensum, adeò intus & foris Deiformem esse, vt quisquis ad eum accederet, nihil vmquam in eo nisi Deum, siue animum feruentissimum in Deum erectum, atque ad omnem Dei voluntatem paratissimum, inueniret.* 7. *Monastica schola.*

Ceterùm de his, qui in sanctâ Religione non religiosè viuunt, Thaulerus secundo Sermone tertiæ post Trinitatem Dominicæ, loquitur in hunc modum: *Nullo erga Deum atque diuina studio, nullâ diligentiâ, nullâ strenuitate feruent. Licet codices multos legendo atque psallendo percurrant, ac folia terant, ea tamen quæ legunt non eis sapiunt, nec ipsi inde gratiam aliquam referunt. Satis verò creaturæ eis placent & sapiunt: his videlicet delectantur, has amore prosequuntur, his consuetudine & amicitiâ se iungunt, in his sponte delectationem (quantum possunt) quærunt: & ad huiusmodi tam seipsos quàm alios prouocant modis omnibus quibus possunt, nempe verbis, operibus, vestitu, gestibus, internuntiis, munusculis, litteris: atque ita sese totos foras effundunt, moribus incompositi, sensibus incustoditi, in loquendo garruli, stolidiq; : interim tamen, si superis placet, aiunt, se ægrè mortale aliquod peccatum velle admittere. Enimuerò pretiosum Christi Sanguinem, acerbissimamq; eius passionem, sine fructu debere abire putant: sed errant miseri atque falluntur.* 8. *Charitatis mortificationemq; negligentium conditio misera: quia labores ferūt, nec consolationes sentiunt.*

Dicunt autem: * *En in sacrâ Religione positi sumus, in sanctâ congregatione viuimus, & multùm oramus ac legimus. Quibus ego, Hæc, inquam, omnia sine amore, sine attentione, tam cæcè & tepidè agitis, vt id absque admiratione nec cogitari quidem possit.* * *Sed frequenter confitentur, & Corpus Dominicum* 9. *Excusationes friuolæ tepidorum.* * 1. * 2.

accipiunt. Confitentur quidem verbis, verùm integram sese corrigendi voluntatem non habent. Vnde quòd sacram Eucharistiam percipiunt, faciunt nimirum non aliter, quàm si quis Regem ad domum suam inuitet, & venientem in sordidißimam putentißimamq́; haram inter porcos sessum ducat. Præstaret sanè tales numquam tremendum illud Sacramentum percipere.
3. *Dicunt, agrè se mali quidpiam facere. An verò benefacere credendi sunt, dum frigida quædam vocalium orationum lectionumq́; murmura, tamquam paleas Deo offerunt: amorem autem, cor, intentionem, fauoremq́;, per liberã voluntatem creaturis tribuunt? Iam si fortè accedat aliquis, qui præmoneat ostendatq́; quantis ipsi in periculis degant, & quàm horrendam mortem habituri sint: irrident hominem, dicuntq́;, Begardorum ista sunt verba, En nouum hîc habemus spiritum. Hæc dicunt. Qui si in hac impœnitentiâ, & vitiorum suorum periculosâ ignorantiâ permanserint, numquam Dei faciem sunt conspecturi.* Audiant, & in animos suos demittant ista Thauleri verba Religiosi negligenter viuentes.

CAPVT VI.

Quàm præclarè Thaulerus differat de obedientiâ, quam præstare maximè debeant ij qui in sacrâ Religione viuunt.

1. *Obedientiæ mater humilitas.*
2. *Quanta virtus, & quàm grata Deo.*
3. *Sui resignatio tutißima ad cælum via.*
4. *Cor humile & obediens optimum sacrificium.*
5. *Exemplum Virginis præsentiam Christi pro obedientiâ relinquentis.*
6. *Inobedientes propriique sensus Monachi quantum Deo displiceant.*

1. *Obedientia humilitatis filia, ex Thaulero, quem falsò fingit Eckius obedientiam disperdere.*

POSTEAQVAM abundè demonstrauimus, Thaulerum suâ doctrinâ non destruere, sed erigere confirmareque sacram Religionem; res exposcit, vt nonnulla etiam proferamus, quæ ille scribit de sanctâ obedientiâ: nam Eckius affirmat (sicut diximus) eum hanc disperdere. Igitur ipse Thaulerus in suis Institutionibus, capite decimo tertio hæc inter alia dicit: *Obedientia, humilitatis prima filia est. Hæc hominem Dei voluntati subditum facit, & sensus viresq́; sensitiuas superiori rationi subiicit. Hæc hominem subdit Ecclesiæ, eiusq́; Sacramentis, pastoribus, superioribus, dogmatibus, præceptis, institutionibus, consiliis, consuetudinibusq́; vniuersis. Hæc hominem promptum flexibilemq́; reddit aliis quibuslibet, in consiliis dandis, in auxiliis obsequiisq́; tam corporalibus quàm spiritualibus impendendis secundùm discretionem, & iuxta cuiusque necessitatem. Verus obediens velle & nolle suum prorsus abnegat, & in exequendo ea quæ præcipiuntur moras non nectit: sed mox vbi ei aliquid iniungitur, paratus est, imò verò præceptum non expectat. O quàm pauci verè & perfectè obedientes nunc inueniuntur, qui omni propriâ voluntate abdicatâ, non cupiant vt sibi Deus & creaturæ obtemperent, sed magis ipsi alterius voluntatem facere velint!*

Obedientia, tanta virtus est, vt vel minimum aliquod opus ex eâ factum, qualecumque illud fuerit, multò melius Deoq́; acceptius sit quolibet alio opere, quamlibet etiam magno, quod sine obedientiâ peragitur, siue sit Missæ auditio, siue lectio, siue oratio, siue contemplatio, seu quodlibet bonum opus quod excogitari poßit. Dum humilis obediens recogitat, quomodo Sancti Dei magno desiderio ad hoc peruenire contenderint, vt verè obedientes essent, propriumq́; sensum prorsus extinguerent: dum considerat, vt illi mox vbi aliquam fortè propriam quæsitionem in se deprehendebant, seipsos abnegarint: maximè verò dum fidelißimi amatoris sui Iesu Christi perpendit obedientiam, attendens vt ille cùm esset Rex regum & Dominus dominantium, vsque ad mortem crucis obediens ac resignatus fuerit: inde nimirum æstuanti obedientiæ desiderio succensus, ad omnia bona alacer paratusq́; redditur, ac se subiicit non tantùm Deo & Superioribus, verùm etiam omnibus hominibus: & quantò homines sunt inferiores, tantò ei subiectio ampliùs sapit, tantò ipse libentiùs obedit: maiorem enim hîc sui mortificationem inuenit, quàm dum sub maioribus inclinatur. Quò nos magis abnegamus, hoc similiores efficimur ei, qui propter nos non solùm cælesti Patri suo obediuit, sed etiam in manus peccatorum semetipsum tradidit, sine querelâ permittens eos liberè facere in se, quidquid vellent. Ergo licet magnum sit obedire Superioribus, maius tamen est obtemperare æqualibus, maximum autem obedire inferioribus propter Deum. Nullus adeò aridus & diuinâ gratiâ destitutus est, quin, si suaui obedientiæ iugo colla submittere velit, virere ac florere, copiosumq́; fructum producere poßit. Obedientia enim ad quamlibet gratiam suscipiendam aptißimus capacißimusq́; locus est. 2. *Obedientia virtus quanta, & quanti meriti; Christo & Sanctis nos conformes reddit.*

Item vndecimo capite Institutionum suarum Thaulerus ait: *Ea resignatio, quâ cor bonæ voluntatis adeò se ad obediendum inclinat, vt ex seipso viuere nolit, (viuit autem, & cuncta opera sua facit ex salubri sanctoq́; alicuius spiritualis atque illuminati Confessoris consilio,) planè via ad calũ tutißima est, per quam facillimè retia diaboli euaduntur. In huiusmodi resignatione, omnia hominis opera abundant gratiâ: sed ea opera, quæ bonus homo ex proprio* 3. *In omnibus sui resignatio via est ad cælum tutißima & compendiosißima.*

proprio facit indicio, difficile est discernere, vtrùm ex naturâ an ex gratiâ fiant. Ei, qui voluntatem propriam abdicauit, iter inferni præclusum est. Vnde S. Bernardus ait: * *In inferno nihil nisi propria voluntas ardebit: tolle hanc, & infernus non erit. Vbi enim seipsum homo deserit & exit, ibi Deus ingreditur. O quàm multi Religiosi sunt martyres infructuosi, dum propriâ voluntate pleni, sibiipsis per propriam quæsitionem propriumq; iudicium duces sunt, ob idq; paruam aut nullam magnis suis exercitiis beatitudinem merentur. Qui si omnia opera sua in obedienti resignatione perficerent, insignes nimirum Sancti apud Deum efficerentur.*

* Serm. 3. de Resurrectione.

4. *Cor humile & obediens sacrificium Deo longè gratissimum, & in viâ mysticâ vtilissimum.*

Primo etiam Sermone tertiæ post Trinitatem Dominicæ, Thaulerus ita loquitur: *Nullum in hac vitâ charius digniusq; sacrificium Deo omnipotenti offerri potest, quàm cor humile atque obediens. Vnde posset aliquis sub vno momento tam humiliter ac purè propter Deum obedire, propriamq; exire & abnegare voluntatem, vt ampliùs veriusq; in Deum sine medio duceretur, quàm si toto decennio in propriis conceptibus atque institutis magnâ cum deuotione vixisset. Libet hîc similitudinem quamdam proponere. Si quis Dei munere ad tam altum sanctitatis gradum peruenisset, vt Deum reipsâ semper visibiliter præsentem secumq; habitantem haberet; is si ad aliquod opus obedientiæ euocaretur, humiliter Domino dicere deberet: Eia suauissime Deus, permitte me, obsecro, hanc obedientiam tui amore perficere. Credite mihi, humilis ista propriæ voluntatis abnegatio, in illo homine multò gratior iucundiorq; Deo esset, quàm si ille idem tunc cum omnibus beatis spiritibus cælum penetraret.*

5. *Exemplum sanctæ obedientiæ.*

* Hoc & alia in eamdem rem exempla refert Iulius Nigronius in Regulam XV. cōmunem Societatis Iesu, §. 19.

Exemplum huius rei subiicio: * *Virgo quadam in Monasterio degens, & diuino amore flagrans, cùm aliquando immenso dilectissimi Sponsi sui Iesu Christi desiderio teneretur, sic illum ex toto corde suo allocuta est: O vnice Fili Dei, amabilis Redemptor animæ meæ, vtinam vel ad momentum te in hac vitâ cernere possem! Ad quæ verba mox adstitit illi ipse Dominus noster Iesus Christus in formâ cuiusdam puerulí. Contigit verò vt vna ex sororibus Congregationis, ianuam cellæ illius deuotæ virginis pulsaret, eamq; cum festinatione ad commune aliquod opus ex obedientiâ faciendum accersiret. Audiens virgo sancta iussionem obedientiæ, puerulo Iesu ait: En dulcissime Domine mi Iesu Christe, pro explendâ obedientiâ abeo: tu interim me hîc expecta obsecro, si tibi placet, donec ad te redire liceat. His dictis, è cellâ exiit: & quod facere iussa erat, animo voluntario hilariq; vultu peregit. Deinde magnâ cum celeritate ad cellam reuersa est: quam cùm aperiret, mira quadam & radiantissima lux oculis eius se ingessit, adeò vt vix eam sustinere posset. Vidit igitur amātissimum Dominum suum in perfectâ ætate, tamquam elegātissimum iuuenem viginti & quatuor annorum adstantem. Vnde ipsa maximo gaudio repleta, ita eum affatur: O dilecte mi Iesu, quomodo tam grandis tantillo tempore factus es, qui tam pusillus apparebas, cùm à te recederem? Dic obsecro, dic vnica spes mea, quî id factum sit. Cui pius ac dulcis Iesus respondit: O filia charissima, profunda velocis atque impigra obedientia tua humilitas, me tam breui tempore tam grandem effecit. Semper ergo mei amore libenter obedi, si mihi continuè sine medio optas vniri. Post quæ verba Dominus disparuit.*

6. *Deplorantur inobedientes proprijq; sensus Monachi, qui pluris faciunt priuatas deuotiones, quàm obedientiæ officia.*

Ista nimirum institutio ac visio, sanctæq; virginis prompta obedientia, manifestè arguunt Religiosos omnes, qui seipsos non abnegant, quia propriam voluntatem retinentes, non obediunt promptè & alacriter suis Superioribus, sicut promiserunt obedire. Enimuerò quosdam in Monasteriis religiosisq; Congregationibus inuenire est, qui certas orationes legere, aut alia bona opera facere proponunt, diuersos modos priuatos, diuersaq; exercitia assumentes: à quibus si ad obedientiam euocentur, statim innotescit quàm nullam pacem in se habeant. Quare verò tam ægrè obedientiam priuatis illis exercitiis præponunt, nisi quia cum proprietate eis inhærent, & illa velut pro Deo sibi statuunt? Sed fallunt semetipsos. Nam quicumque sub obedientiâ viuunt, semper promptè alacriterq; obedire, & omnia alia (siue sint meditationes, siue orationes, siue quodcumque aliud) interim postponere debent. Sic enim fiet, vt ad humilem suiipsorum tam in spiritu quàm in naturâ abnegationem resignationemq; citò pertingant: sic fiet, vt Deus purè in eis viuat atque nascatur, & ipsi in illum sine medio ducantur: quibus bonis frustrantur miserè, hi qui suæ proprietati inhærent, qui promptè obedire recusant, qui glossas quantas possunt cōmiscuntur, vt à præclarissimâ obedientiæ virtute se excutiant, atque proprios modos & conceptus propriaq; instituta pro suo capite prosequi sinantur. Quod quidem ingens medium inter Deum & ipsos constituit: neque enim aliquid de Deo diuinaq; dulcedine vtiliter experiri possunt, quamdiu irresignato fundo præditi, propriam voluntatem exire non student. Hæc ibi. Ista Thauleri verba consona sunt verbis Scripturæ sacræ, dicentis: *Melior est obedientia quàm victimæ:* quoniam *quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* 1. Reg. 15.

CAPVT VII.

Dicta quædam Thauleri, calamitatem horum temporum nostrorum designantia.

1. *Pseudodoctores numquam fallunt humiles.*
2. *Thaulerus prædicit Lutherana tempora.*
3. *Ecclesiæ recepta prædicatio etiam contra Angelum aliud prædicantem retinenda.*
4. *Thauleri lectio commendatur: & Eckius excusatur.*

1. *Ab hæreticis magistris superbi & sibi placentes falluntur.*

IAM plenè refutatis his, quæ Eckius inconsideratiùs contra Thaulerum scripsit, addemus pro coronide Apologiæ paucula quædam eiusdem Thauleri dicta, quibus apertè satis calamitas horum temporum nostrorum designata est. Ipse enim Thaulerus, qui ante annos ducentos vixit, primo Sermone decimæ octauæ post Trinitatem Dominicæ, inter alia ita ferè loquitur: *His qui humiles & parui non fuerint, pseudodoctores persuadere nitentur, ea omnia, quæ à veritatis magistris vmquam tradita fuerunt, non esse vera. Vnde & multi ex eis, qui in vanâ complacentiâ suiq; æstimatione permanserint, laqueis deceptionis inuoluentur: adeò vt ipsis omnia sanctæ Ecclesiæ instituta, cerimoniæ, ac ritus, videantur errori falsitatiq; obnoxia. Et* * *væ his qui intus vocem Patris sui, nempe Dei, ac foris vocem matris suæ, id est Ecclesiæ (quorum voces non nisi vna vox est) auscultare noluerint!*

* Dei & Ecclesiæ vox vna, vt patris & matris.

2. *Lutheranas plagas prædixit Thaulerus ante annos circiter ducentos.*

Et in Sermone, quem festo die omnium Sanctorum habuit Thaulerus, dicit: *Magnæ & perniciosæ plagæ certo certiùs imminent nobis. Iam nubes succensæ sunt vt feriant: sed eas amici Dei lacrymis suis retinent. At si non corrigimus nos, nimirum citò nos grauiter ferient: eritq; tanta calamitas, vt iudicium extremum homines instare existiment. Qui modò multâ pace gaudent, magnis pressuris affligentur. Verbum Dei peruertetur, cultusq; diuinus penè in obliuionem abibit. Vnus huc, alius illuc properabit: nec facile scire licebit, quem hæc mala finem habitura sint. Intereà tamen fidelissimus Deus suos velut in nidulo quopiam abscondet ac proteget.*

3. *Firmiter adhærendum prædicationi Ecclesiæ Catholicæ.*

Idem Thaulerus alibi ait: *Saluberrimum consilium hoc est, vt omnes senescenti ac propemodum effetæ matri Ecclesiæ, animo resignato propensissimaq; voluntate humiliter sese submittant, atque illius ordinationibus & doctrinis, quas ab Apostolorum tempore huc vsque Concionatores palàm è suggestu nobis proponunt, spontaneâ subiectione obtemperent: etiamsi Angelus de cælo aliud præter id, quod euangelizatum est, annuntiet ac persuadere moliatur. Sicut & à Domino nostro Iesu Christo diligenter præmoniti sumus, cùm diceret: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate & facite, secundùm verò opera eorum nolite facere.* Math. 23. *Immensa & inexhausta Dei misericordia dignetur nos in viuâ veraq; fide semper stabiles conseruare.* Hæc Thaulerus.

4. *Laudatur Thaulerus, non sine laude & excusatione Eckij.*

Ipse itaque non in odium adducendus, sed vt eximius orthodoxusque Theologus, ac singularis Dei amicus, piè commendandus est. * Eckius non putans se falli, dicit: *Vtinam Thaulerus prorsus lateret, & non inuolaret in Monasteria!* Ego vero in nomine Domini dico: *Vtinam Thaulerus vbique gentium cognitus esset, & à quamplurimis diligentissimè legeretur!* Verum Eckius, licet minus circumspectè damnauerit Thaulerum nondum à se satis studiosè lectum, nequaquam tamen hoc malignè fecisse credendus est: sed feruens ille zelus, quo inuehebatur in hæresiarcham Lutherum, facilè ei persuasit, vt præproperè iniquam de sanctissimo viro Thaulero sententiam ferret. Equidem ipsum Eckium, vt venerabilem Theologum, & inuictum Catholicæ fidei defensorem amplector. Ceterùm veritatis amor me compulit, vt hanc breuem Apologiam pro Thaulero scriberem, ad gloriam Dei, qui est benedictus in æterna sæcula, Amen.

* Hæc vltima Blosij pro Thaulero verba citat R.P. Antonius Posseuinus in Apparatu sacro, in Ioanne Thaulero. Et sanè eodem modo Apologia pro Blosio texenda esset, si quis in Blosium Thauleri sectatorem scribere vellet Eckij sectator.

LVDO-

VENERABILIS PATRIS

D. LVDOVICI BLOSII

ABBATIS LAETIENSIS

ORDINIS S. BENEDICTI

BREVIS REGVLA

ET

EXERCITIA QVOTIDIANA

TYRONIS SPIRITVALIS.

LVDOVICI BLOSII
BREVIS REGVLA
TYRONIS SPIRITVALIS.

LVDOVICVS BLOSIVS CLEMENTI LEVANTIO SALVTEM.

PROPOSITVM *animi tui, chariſſime Clemens, quo decreuiſti collum iugo ſacræ Religionis ſubdere, commendo plurimum, & gratias ago Domino Deo qui illud tibi inſpirauit. Sed perpende diligenter, quantam vitæ puritatem atque integritatem requirat Ordo monaſticus. Nam quotquot Religioni per profeſſionem ſeſe adſtringunt, obligati ſunt totis viribus ad perfectionem contendere, licet non ſint obligati ad eam peruenire. Religioſus, vel Monachus, qui ſibi mundoque perfectè mori, & Deum vero ſinceroque amore proſequi non ſtudet, ſuæ profeſſioni non ſatisfacit.* 1. *Monachus ad perfectionem eniti debet ex vi profeſſionis.*

Heu quàm multi viri & feminæ hodie ſe miſerè fallunt, qui monaſtico habitu ſuſcepto, vota Religionis vouent, cùm tamen parum aut nihil de perfectione vitæ cogitent! Creaturis tenaciter adhærent, & in eis delectationem inordinatè quærunt, externas conſolationes auidiſſimè appetunt, ſeſe totos abſque timore foras effundunt: mente vagi, moribus incompoſiti, ſenſibus incuſtoditi, verbis garruli ac vani ſunt: atque in ſuâ negligentiâ ſuiſque vitiis ad mortem vſque perſeuerant. O quàm acerbæ pœnæ manent tales poſt hanc vitam! Tu verò, mi Clemens, vide vt non habitu tantùm, ſed maximè ſanctâ cæleſtique conuerſatione ſis Religioſus. Cogita, quanta ſit inſania, modò ita praua deſideria ſua voluntatemque propriam ſequi, vt poſteà neceſſe ſit indicibilibus tormentis cruciari. Nónne præſtaret breuiſſimo vitæ huius tempore per ſtrenuam ſui mortificationem & abnegationem, per veram humilitatem atque charitatem, ſeſe aptum reddere ad capeſſendam beatitudinem æternam? Hæc crebrò meditare. Mitto BREVEM REGVLAM, *ad quam tu & ego vitam moreſque noſtros ſedulò exigere debemus. Vale.* 2. *Error & calamitas eorum qui cum habitu non aſſumunt mores perfectos.*

§. I.

Officium Tyronis erga ſeipſum.

1. *Eccleſiæ Catholicæ fides bonæ vitæ fundamentũ.*
2. *Sanctorum inuocatio.*
3. *Vita Chriſtiformis.*
4. *Sui derelictio & abnegatio.*
5. *Mundo moriendum.*
6. *Regula corporalis refectionis.*

1. *Fundamẽtum ſanctæ vitæ, Fides Catholica.* QVI Deo placere, & aliquem in vitâ ſpirituali profectum conſequi, tandemque ad perfectionem peruenire cupit, in primis omnes hæreſes & ſchiſmata deteſtetur, Eccleſiæ Catholicæ firmiter adhærens, & ei ſeſe humiliter ſubiiciens. Quicumque enim ab Eccleſiâ recedunt, etiamſi iuſtiſſimè viuere videantur, à Deo & ſocietate Sanctorum ſeparati ſunt. Retento ergo rectæ fidei fundamento, iam bonam ſanctamque vitam ſuperædificet.

Seruiat Deo, & Deiparam virginem Mariam, Sanctoſque cæli ciues veneretur atque inuocet, non negligenter aut ex aridâ quadam conſuetudine, ſed diligenter ac religioſè. 2. *Cultus Sanctorũ, & religioſa inuocatio.*

Vitam Chriſti, maximeque paſſionem eius, piâ animi gratitudine recolat. Humi- 3. *Chriſtiformis vita.*

 lita-

litatem, obedientiam, mansuetudinem, patientiam, resignationem, modestiam, benignitatem, continentiam charitatemque Domini & Magistri sui totis viribus conetur imitari.

4. *Abnegatio sui in omnibus.* Abneget & relinquat seipsum, propter Deum, in omnibus desideriis & inclinationibus suis vitiosis. Priuatum amorem, propriamque voluntatem, assiduè in se persequatur, & strenuè mortificet, penitusque extirpet. Eam in voluntatem Dei omnino transfundat: ita vt quidquid voluerit Deus, velit & ipse: quidquid ei euenire permiserit Deus, hoc tamquam optimum ipse libenter suscipiat, siue dulce siue amarum sibi sit. Seipsum propriâ quæsitione & electione prorsus exuat ac spoliet. Etiam in bonis desideriis suis Deo se resignet: petens vt non sua, sed Dei voluntas fiat.

5. *In sensibus & affectibus mundo moriendum.* Nulli caducæ & mortali creaturæ per inordinatum affectum vel amorem inhæreat. Sensuum oblectamentis & carnis voluptatibus valedicat atque renuntiet. Sit verè mortuus mundo: & tamquam cæcus ac surdus, nihil adspicere, nihil audire velit aut optet, nisi quod adspicere audireque necessarium vel vtile est.

6. *Praxes pia corporalis refectionis & vestitus.* Dum corpus alimentis reficit, 1.* summopere caueat, ne ventrem & spiritum nimio cibo nimióve potu prægrauet. 2.* Tam cibum quàm potum modestè & continenter sumat, non quærens in illis aliquam delectationem. Quòd si tunc sentit terrenam voluptatem, non illi adhæreat, non eam intrò admittat. 3.* Si non impeditur, intingat spiritualiter bucellas, quas edit, in pretiosum Sanguinem Christi, & è roseis Vulneribus eius potum hauriat. 4.* Vulgares & simplices escas magis amet, quàm lautas atque exquisitas: quia Dominus Iesus felle & aceto potatus fuit. 5.* Meminerit tamen, eum, qui escas etiam vilissimas cum inordinato desiderio sumit, veræ abstinentiæ virtutem amittere; quam non perdit, qui cibos deliciosos sine desiderio percipit. Vnde is, cuius sensualitas magis delectatur pomis & aquâ, quàm vino & perdicibus, laudabiliùs facit, si pro Dei amore à pomis & aquâ abstinet (parum aut nihil ex his gustando) quàm si abstineat à vino atque perdicibus. Verus ergo vitæ spiritualis & perfectionis amator aduersus sensualitatem suam viriliter decertet, prudenter ei negans, quod ipsa inordinate concupiscit. 6.* Sed non destruat naturam corpusque suum intolerabili abstinentiâ, & nimio vitæ rigore secundùm proprij capitis iudicium assumpto. Modum sanctamque discretionem in omnibus seruet, & sanis consiliis se subdat. Superflua non requirat, sed paucis contentus sit.* Vanitatem & curiositatem in vestibus ceterisque rebus non sectetur.

1.* Refectio ne prægrauans sit: 2.* ne ob delectationem: 3.* sit condita deuotione: 4.* non lauta: 5.* non auida, cùm in vilibus escis etiam gula lasciuiat cum sensualitate: 6.* ne sit indiscreta abstinentia. * Vanitas & curiositas vestis.

§. II.

Officium erga proximos.

1. *Verba pauca, innoxia, veracia, sine contentione.*
2. *Gestus graues, societas rara, temporis parsimonia.*
3. *Obedientiæ bonum.*
4. *Pertinacia proprij iudicij fugienda, & erga correctores æquanimitas tenenda.*
5. *Humilitas propter Deum.*
6. *Patientia.*
7. *Tria proximo sine fuco exhibenda, amor, correptio, compassio.*
8. *Neminem temerè iudicet; nec suspicetur facilè malum de vllo, nec de vllo desperet.*

VERBA noxia, inhonesta, vel detractoria numquam proferat, nec his qui talia proferunt, consentiat; sed potiùs prauum eorum sermonem conuenienter interrumpere studeat. Mendacium multum perhorrescat. Iactantiam & adulationem omnem vitet. Non sit asper aut mordax in verbis suis, sed sit dulcis & placidus. Neque tamen per affectatam verborum suauitatem hominibus placere quærat. Vana item, inepta, puerilia, & otiosa verba loqui refugiat. Quando saluâ charitate vel obedientiâ tacere potest, libenter taceat. Non autem sit seuerè aut amarè taciturnus, ne silentium eius aliis tædium adferat. Et quando ei loquendum est, pauca verba (si fieri potest) proferat, idque cum grandi circumspectione. Antequam loquatur, inuocato diuino auxilio, statuat intra se non plura loqui quàm expedit. † Non facilè alicui pertinaciter contradicat, neque contendat verbis: sed vbi semel vel bis testimonium perhibuit veritati, si non recipitur, sinat deinceps alios sentire quod volunt, & velut ignorans taceat: nisi periculum animarum ex silentio suo sequeretur. Consuescat assertiones suas sub dubio proferre: veluti si dicat, Puto ita esse, Nisi fallor ita est, &c. 1. *Verborum leges, quid, quando, quomodo dicendum aut tacendum.*

† Hanc facilem & vtilem praxim vitandi contentiones, citat & variè illustrat R. P. Iulius Nigronius in Regulam XXVIII. Societatis IESV, de clamore & contentione vitandis, §. 14.

2. *Conformandus gestus. Item quid in societate & temporis curâ agendum.* Mores leues, & gestus incompositos, risumque immoderatum sedulò vitet. Vitet & offendendi occasiones quantum potest. Humanâ societate non inordinatè delectetur: sed solitudinem diligat, & in solitudine Deo rebusque diuinis secundùm gratiam sibi datam intendat. Socialis tamen & rationabiliter affabilis inter homines sit. Etiam minimam temporis perditionem multum ponderet.

ponderet. Non autem putet se tempus inutiliter traducere, quando intus Deo vacans, foris nihil agit.

3. *Obedientiæ vtilitas in rebus omnibus, & erga omnes.*

Nihil sanctæ obedientiæ præferat: sciens, perfectam voluntatis propriæ mortificationem, gratissimum esse Deo sacrificium. Melius est sobriè & continenter ad gloriam Dei ex obedientiâ manducare, quam rigidam antiquorum Patrum abstinentiam ex propriâ voluntate sectari. Quidquid purè per obedientiam fit, quantumuis vile & abiectum esse videatur, Deus magnificat, & eximiâ mercede remunerat. Nullum opus Deo placere potest, cui inobedientia coniuncta est. Ipse ergo Superioribus suis (etiamsi fortè imperfecti, & multis defectibus obnoxij sint) prompte vultuque hilari, ac deuoto corde, tamquam Deo obediat, & eis honorem impendat. Obtemperet item æqualibus, obtemperet & inferioribus, in his quæ licita sunt. Sancta sua exercitia intermittere vel omittere semper paratus sit, propter obedientiæ opera, & charitatis obsequia.

4. *Obstinatio proprij sensus.*

Non sit obstinatus in proprio sensu: sed aliorum sensum & iudicium suo sensui atque iudicio ad honorem Dei sapienter præferat. Patiatur se à quolibet doceri atque reprehendi: & eis qui se obiurgant, non indignabundè aut acerbè, sed dulciter & placidè respondeat, libenter culpam agnoscens. Si iniuste accusatur vel arguitur, non superbè se defendat aut excuset; quin potiùs, imitatus Dominum suum, tacere eligat, nisi fortè scandalum ex silentio suo oriretur.

5. *Humilitas in Dei donis cum verá sui annihilatione, & omnimodâ vanæ gloriæ fugâ.*

Infra omnem creaturam propter Deum se demittat ac deprimat. Etiamsi magnas consolationes aut grandia dona intus forisve à Deo acceperit, non propterea erigat ceruices, non propterea se aliis præferat, nec sibiipsi placeat, neque se aliquid esse existimet: illa enim reuerà non sua, sed Dei sunt: solum peccatum in se suum est. Non ergo ipsa Dei dona sibi vsurpet aut vendicet; sed omnia in Deum integre refundens, & opera sua illi prorsus adscribens, fateatur ex corde, se ex se nihil esse, nihil habere, nihil scire, nihilque posse. Ex istius nihili sui consideratione, maneat semper verè humilis, omnes homines sibi præponens: quia si etiam sceleratissimi quique accepissent à Deo ea dona quæ accepit, sanctiùs fortè viuerent quàm ipse. Plane, nisi gratiâ Dei continuè protegeretur, grauiùs peccaret quàm quiuis alius. Se igitur omnium vilissimum esse reputet, indignumque iudicet quem terra sustineat. Omnem vanæ gloriæ affectum diligentissime in se mortificet. Non ab hominibus cognosci, aut laudari, sanctúsve haberi appetat: sed potiùs ignorari, vilipendi, atque contemni desideret. Dei, non hominum fauorem & gratiam ambiat.

6. *Patientia in afflictionibus, omnia aduersa suis demeritis imputat.*

Iniurias, irrisiones, calumnias, afflictiones, & damna permissu Dei sibi illata, absque querimoniis vel murmurationibus humiliter perferre discat; credens, indubie ea sibi à Deo esse transmissa. Non indignetur nec malè velit hominibus qui illa inferunt: sed, exemplo Domini sui Iesu Christi, mitem benignumque se eis exhibeat. De eorum defectibus non loquatur, nisi necessitas aut euidens vtilitas compellat. Agnoscat se non posse ab aliquo tantum grauari ac deprimi, quin maiorem depressionem propter iniquitates & ingratitudines suas commeruerit.

7. *Proximorum sine fuco dilectio, correptio, compassio. Vbi notanda pulchra praxes charitatis fraternæ.*

Ab omni dolo & vitiosâ simulatione sit alienus. Omnes homines communi & sincerâ dilectione prosequatur, nullo penitus excepto. Omnes loco fratrum & sororum habeat, carnali sensualique amore excluso. Omnes ad æternam beatitudinem peruenire desideret. Non metiatur hominem ex visibilis carnis miserandâ corruptione, sed ex inuisibilis animæ (quæ ad imaginem Dei facta est) incomprehensibili dignitate. Erga neminem cor amarulentum gerat: sed serenitatem vultus præ se ferens, suauis omnibus sit. Defectus aliorum piè toleret: verumtamen ea quæ honori Dei aduersantur, libenter cum charitate emendet, aut curet emendanda. Oderit peccatum in homine, sed non oderit hominem propter peccatum: nam Deus fecit hominem, peccatũ verò non Deus, sed homo fecit. Omnibus, & maximè inimicis benefacere, omnes adiuuare atque consolari paratus sit. His qui peccant, & his qui afflicti sunt, compatiatur. Singulari verò compassione moueatur erga animas fidelium defunctorum, quæ in purgatorio pœnas adhuc sustinent. Existimet quemlibet hominem esse seipsum, vt faciliùs pro peccatis calamitatibusque aliorum indoleat, & pro bonis eorum gaudeat. Nemini inuideat. Nemini obtrectet. De omnibus benè sentiat.

8. *De suspicionibus, contemptu, desperatione emendationis, & aliis repugnantibus dilectioni fraternæ.*

Sinistras suspiciones in cor suum incidentes, mox repellat. Nullum spernat. De nullo peccatore desperet: nam qui modò malus est, potest mox gratiâ Dei mutari, & bonus esse. Firmo proposito apud se statuat nullum iudicare. Dicta & facta aliorum in meliorem partem semper interpretetur, omnia in simplicitate cordis audiens atque adspiciens. Ea quæ mala sunt, sinat esse mala: sed nihil temerè iudicet, nihil definiat, aut pro certo asserat. Oret autem pro se peccatore maximo, & pro aliis qui malè agunt.

§. III.

§. III.

In aduersis & desolationibus officium.

1. *Aduersa de manu Dei solius suscipienda.*
2. *Dei prouidentia in omnibus honoranda.*
3. *Ariditate internâ fatigari non decet.*
4. *Absurdæ cogitationes contemptu potiùs quàm anxiâ altercatione vel scrupulosâ confessione superandæ.*
5. *Interna calamitas animosè ferenda.*
6. *Vera deuotio est bona voluntas.*

1. *Aduersa cum Dei laude suscipiat, & velut Dei munera admittat.*

ADVERSA & molesta quæque, animam vel corpus grauantia (quomodocumque aut vndecumque aduenIant) non aliunde quàm de manu Domini suscipiat. Talia resignato patientique animo, ad finem & vltimum vsque punctum, pro Dei amore toleret; certò persuasus, ea sibi vtilissima, & saluti suæ conuenientissima esse, licet fortè aliter ipsi videatur. Deum, qui ex immenso amore illa mittit, laudet, & ei gratias agat.

2. *Dei prouidentia semper ob oculos habenda.*

Non perturbetur ex his quæ in mundo accidunt: sed in omnibus prouidentiam Dei sapienter attendat, sine quâ nec vnum quidem folium de arbore decidit. Eidem diuinæ prouidentiæ se & omnia sua securè committat, atque per humilem confidentiam bono Domino suo in omni rerũ euentu firmiter innitatur, semper ad eum per orationem confugiens, quemadmodũ monet Psalmista, dicens: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* (Psalm. 54.) Et Petrus Apostolus itidem nos hortatur, vt proiiciamus omnem sollicitudinem nostram in eum, quoniam ipsi cura est de nobis. (1. Petr. 5.)

3. *Ariditas interna cum patientiâ & spe perferenda.*

Etiamsi consolatione internâ destituatur, & insuper grauissimis tentationibus fatigetur, non tamen propositum sanctum deserat: sed fide plenus permaneat apud Dominum, non quærens aliqua vana solatia, quibus naturam grauatam releuet.

4. *Absurdæ immissiones contemnendæ & conspuendæ.*

Quantumcumque absurda & fœda malignus spiritus cordi eius ingerat, ipse ea nihili faciat, internum intuitum mox ab illis auertens. Talia enim meliùs vincet contemnendo & conspuendo, quàm si illa attendere, & de eis cogitare, atque cum eis altercari voluerit. * Nec putet se ex illis, quæ sibi prorsus displicent, & quæ statim reiicit, culpam aliquam contrahere, quam coram Sacerdote confiteri necesse sit. Peccata quæ perpetrauit, confiteri Sacerdoti debet: sed tentationes quibus non consentit, non sunt peccata admissa. Sordes spirituales animam eius non polluunt, si ei non placent, * si ab eo per consensum non recipiuntur. Aliud est sentire in se malum, atque aliud consentire malo. Plerique Sancti nonnumquam senserunt in carne suâ vehementes vitiorum motus, sed eis ratione & voluntate contradixerunt.

*Tentationes inuoluntariæ non sunt peccata.

*Sensus earum nõ est vitiosus, sed consensus.

5. *Interna calamitas nõ impediat Eucharistiam, vel pia exercitia.*

Non omittat percipere sacram Eucharistiam, nec alia pia exercitia sua deserat propter derelictionem, obnubilationem, & paupertatem internam, aut propter angustias, quibus (Deo ita ordinante) affligitur. Ipsa quidem exercitia sua tempore huiusmodi calamitatis sibi insipida sunt & multùm laboriosa: sed si facit quod in se est, Deo sunt gratissima.

6. *Deuotio, & sanctitas non est in consolatione, sed in bonâ voluntate ad placendum Deo.*

Non putet sanctitatem vitæ in hoc consistere, vt quis magnam consolationem & dulcedinem intus sentiat: nec arbitretur, certam deuotionem esse, sensibilem illam cordis mollitiem, quâ quis facilè in lacrymas resoluitur: nam hanc & hæretici & Gentiles plerumque habent. Vera deuotio, est bona voluntas, quâ homo paratum se offert ad cultum, honorem, & beneplacitum Dei. Hæc perdurat, etiamsi cor aridum & mens sterilis sit. * Ipse ergo suauitatem internam non inordinatè appetat: sed æquè paratus sit illâ carere, sicut eam habere. Si Deus ipsum consolari voluerit, suscipiat quidem humiliter atque cum gratiarum actione consolationem diuinam; at caueat, ne aliquo Dei dono ad sui oblectationem abutatur, néve in eo quiescat. Tam purus, simplex, liber & tranquillus intus permaneat quando à Deo benignè visitatur, quasi nihil sentiret: neque enim in donis Dei, sed in ipso solo Deo quiescere licet. Agnoscat se etiam minimo Dei dono prorsus indignum esse.

* Resignatio circa suauitatem internam.

§. IIII.

Occupatio quotidiana spiritus.

1. *Magnâ cum attentione orandum.*
2. *Lectio sacra frequenter adhibenda.*
3. *Eucharistia crebrò sumenda.*
4. *Vespertina & matutina recollectio.*
5. *Culpæ non graues tantùm, verùm & leues vitandæ.*
6. *Consilium aduersus defectus quotidianos.*

1. *Oratio eiusq; attentio.*

SI inter psallendum & orandum nondum potest esse satis attentus, non ob id nimium deiiciatur animo. Nam etiam ea precatio quæ cum distractione cordis peragitur, fructuosa est, & à Deo suscipitur, si modò is qui orat, patitur inuitus huiusmodi distractionem, & placidè facit quod in se est, bonam voluntatem Deo exhibens, studioséque ac reuerenter precibus insistens. * Non ergo sit irrequietus, impatiens, aut nimis anxius: sed humiliter resignet se Deo,

*Pax indistractionibus inuoluntariis quomodo seruanda.

Deo, pieque gaudeat illum tam bonum & clementem esse, vt nos plerumque etiam vana atque indigna in oratione cogitantes, benignè toleret. Dicat illi: *Domine, tu scis quàm multæ sint auolationes cordis mei: propitius esto mihi vilissimo peccatori. Bone Iesu, responde, satisfac, & supple pro me. Ego ex ægritudine defluo: sana me, & stabilis ero. Sed infirmum adhuc atque defluentem misericorditer toleras, quia suauis es & mitis.*

2. *Lectio sacra, & verbum Dei quomodo suscipienda.* Lectionem sacram amet, sed orationem lectioni præferat. Non legat nimis multa vno eodemque tempore, nè ipsâ lectione spiritum suum obruat magis quàm reficiat. * Semper suscipiat verbum Dei animo esurienti, à quocumque etiam depromatur, & quantumcumque simplicibus verbis proferatur. Si illud minùs libenter exceperit, accuset & humiliet se: non docentis aut loquentis vitio, sed suâ culpâ id accidisse credens.

* De hoc monito plura vide Parte IV. in Institutione spirituali cap. 8.

3. *Sæpè Eucharistia, si non sacramentaliter, at spiritualiter sumatur.* Paratus sit & desideret crebrò sacram Eucharistiam ad laudem Dei percipere. Si tamen eam toties sacramentaliter sumere non potest quoties sumere desiderat, non perturbetur, sed maneat in vera resignatione tranquillus, & sese ad spiritualem susceptionem præparet. Neque enim aliquis eum impedire potest, quin per sanctum desiderium quotidie etiam pluries spiritualiter communicet, si vult.

4. *Vespertina recollectio, & matutina, ferè vt in Institutione spirituali c. 8.* Vespere seipsum exactè discutiat, recogitans quomodo tempus expenderit, & quas offensas eo die admiserit. Veniam peccatorum petat à Deo: proponens corrigere se, adiuuante gratiâ illius. Corpusculo ad quiescendum pudicè collocato, obdormiat (si fieri potest) inter amorosas orationes & adspirationes, vel inter pias meditationes. Manè itidem mox vbi euigilauit, primam cogitationem suam amanter ad Deum conuertere consuescat: vt capax sit visitationis & gratiæ eius. Si tamen, propter confusionem spiritus sui, nequit liberè se erigere in Deum, vel * si inter dormiendum fœda aliqua somnia ligatâ ratione passus est, non absorbeatur nimiâ tristitiâ: sed simul atque somno recedente vsum rationis recepit, abominetur quod sordidum est, confidatque in Domino, humiliter & patienter ferens molestiam quam sentit.

* Praxis post illusiones in somnio.

5. *Culpæ leuiores quomodo vitandæ & expiandæ.* Non solùm grauia peccata, sed & minores culpas omni studio atque diligentiâ vitet. Nisi enim fugere voluerit quidquid Deo displicet, & quidquid in se amorem Dei impedit, puritatem pacemque cordis veram obtinere non poterit. Non tamen desperet, quando peccatum aliquod admittit, neque tunc fugiat à facie Dei, vt anxius multa apud se cogitet de peccato suo: sed humiliter & confidenter ad Deum conuersus, tractet cum eo de suâ iniquitate atque ingratitudine, dulciter deplangens seipsum. Attendat suam abyssalem vilitatem ac miseriam: attendat & pietatem atque misericordiam Dei immensam, quæ animæ verè pœnitenti, & ab omni peccato plenè auersæ non potest non succurrere atque ignoscere. In plenam expiationem, emendationem, & satisfactionem pro delictis suis, offerat Deo Patri sanctissimam conuersationem, amarissimamque Passionem prædilecti Filij sui. Petat amanter à Christo, vt se pretioso Sanguine quem fudit, abluat, perfecteq; emundet. Quod vbi fecerit, iam bono sit animo, quasi Deum numquam offendisset.

Et propter illos defectus, quos nullâ ratione in se deuincere potest, non sit nimiùm pusillanimis, sed eos diuinæ clementiæ committens, seque Deo resignans, humilis, tranquillus, patiens, & longanimis permaneat. Etiamsi centies vel millies quotidie ex humanâ fragilitate labatur: toties cum sanctâ spe veniæ resurgat, quoties labitur. Proponat & conetur puriùs viuere: non tamen confidat in suo proposito vel conatu, sed in solâ bonitate Dei, & in auxilio gratiæ eius, quæ numquam deerit facienti humiliter quod in se est. 6. *Aduersus defectus quotidianos quæ remedia tenenda.*

§. V.

Pura intentio & iugis introuersio.

1. *Sit pura in cunctis actibus intentio.*
2. *Efficacissima operum nostrorum oblatio.*
3. *Sine turbulentâ præcipitatione, aut passione operandum.*
4. *Introuersio iugis ad Deum vbique totum.*
5. *Crucifixi Iesu imago in mente gestanda.*
6. *Adspirationes pro introuersionis exercitio.*
7. *Compendium ad cordis puritatem per adspirationes.*
8. *Epilogus ad perseuerantiam exhortans; non obstantibus crebris lapsibus fragilitatis.*

In omnibus operibus, verbis, cogitationibus, & omissionibus suis, laudem atque gloriam Dei purè spectet. Quando aliquid agere, loqui, cogitare, aut dimittere proponit, sedulò examinet quid se moueat ad hoc faciendum dimittendúmve, consideretque vtrùm Deum an seipsum quærat. Si videt se quærere seipsum, mox relinquat & abneget se, Deum solum intentione atque amore prosequens. Intus ita ordinatus esse debet, vt Deus sit illi omnia in omnibus, & ipse Deum in cunctis creaturis agnoscat atque diligat, creaturas item omnes in Deo amet: adspiciens easdem modo nobilissimo, 1. *Intentio pura sit, semper agenda præmeditans, & intus se suaq; ordinans.*

mo, nempe sicut profluxerunt ex Deo suâ origine.

2. *Operũ nostrorum diuino cordi oblatio vnit nos Deo, & opera quasi diuina reddit.*

Opera atque exercitia sua diuino cordi Christi emendanda perficiendaque commendet, & illa eidem Domino Iesu aut Deo Patri offerat in laudem æternam, ad salutem totius Ecclesiæ, in vnione sanctissimorum operum & exercitiorum ipsius Christi Iesu. Si enim hoc fecerit, ipsa eadem opera & exercitia sua, quæ ex se vilia atque imperfecta sunt, nobilissima, Deóque acceptissima erunt. Nam ex operibus & exercitiis Christi, quibus coniungentur atque vnientur, ineffabilem dignitatem accipient: quemadmodum gutta aquæ missa in vinum, & vino vnita, excellentem ipsius vini colorem saporemq; recipit. Itidem omnia quæ ipsum grauant & affligunt (siue parua siue magna, siue externa siue interna sint) offerat Deo in laudem æternã, ad salutem omnium hominum, in vnione Passionis ac dolorum Christi; vt ex eisdem passionibus & doloribus Domini Iesu, quibus vnientur, diuinam claritatem assumant.

3. *Ne sit turbulentus in viâ spirituali, nec circa passiones, nec circa scrupulos, nec circa res etiam temporales.*

Non sit concitatus, præceps, & turbulentus in his quæ agenda sunt, nec illis per immoderatum affectum alligetur tamquam captiuus. Non sequatur importunos cordis sui impetus: sed per rationem dominus sit sui, operumque suorum. Diuinas inspirationes, diuinamque voluntatem in se semper obseruet, & Deo intus loquenti libenter obediat. Quidquid in se puritatem, tranquillitatem, libertatemque animi impedire potest, prudenter declinet. Inordinatas passiones & affectiones iræ, concupiscentiæ, timoris, gaudij, tristitiæ, amoris, & odij, à se repellat. Reiiciat & irrationabiles vanosque conscientiæ scrupulos. Non implicet spiritum suum curis superfluis. Ea quæ sibi commissa non sunt & quæ nihil ad se pertinent, prorsus Deo relinquat. Non sit nimiùm sollicitus pro temporalibus & externis rebus.

4. *Sui introuersio ad Deum præsentẽ quouis loco.*

Denique tam intellectum quàm affectum suum auertens & abstrahens ab omnibus fragilibus creaturis, * introuertat se, hoc est, se intra se recipiat, ibique Deo intendat. Assiduè inquam mentem suam ad Deum reuocet, eiusque præsentiã reuerenter in omni loco attendat (nam Deus vbique totus atque indiuisus est) & cum eo per internã orationem infatigabiliter loquatur, pia desideria, ignitasque adspirationes ad illum emittens. Relictâ omni multiplicitate, vnum cogitare, vni hærere discat. Hæc introuersio ei summè necessaria est. Non despondeat animum, neque spem abiiciat, proptereà quòd ipse tam instabilis sit, & cogitationem suam tam difficulter apud Deum fixam retinere possit: sed perseueranter laboret, illam continuè reuocando ad Deum. Vbi hæc bona consuetudo in eo firmata fuerit, iam sine labore de Deo rebusque diuinis cogitabit.

* Introuersio ad Deũ, seu Exercitium præsentiæ Dei in omni loco debet esse perfectionis studioso perfamiliare, vt monent omnes vitæ spiritualis magistri.

Proponat ante mentis suæ oculos amabilem Iesu Christi Dei & hominis in cruce pendentis imaginem, eamque sibi intimè imprimat. Salutet ac veneretur grandi deuotione dignissima illa & numquam obliuioni tradenda Saluatoris sui Vulnera, seq; totum in ea immergat. Hac aut aliâ Passionis Christi imagine omnes rerum infimarum imagines & similitudines, omniaque peregrina phantasmata, siue inutiles cogitationes è corde suo expellat, sicut clauus clauo expelli solet. Sit ergo semper (quantum fieri potest) introuersus, & intra se habitet: animum ab omnibus rebus caducis auocans atque expediens, internumq; intuitum simpliciter ac trãquillè in Deum (qui in se præsens est) dirigens, & dulcia colloquia cum eo miscens. Existimet meram miseriã infelicitatemque esse, etiam breuissimo tempore elongari ab ipso Domino Deo, qui est summum atque incommutabile bonum, qui est torrens & abyssus inæstimabilium voluptatũ. 5.

Contra omnia impedimenta opponatur Crucifixi Iesu imago, & cum Deo familiaritas, in quo est omne bonum.

Ceterùm vt faciliùs sanctæ introuersioni operam dare possit, commendet memoriæ aliquot suaues & amorosas adspirationes, quibus vbique locorum, siue progrediatur siue quiescat, Deo se coniungat & copulet: deuote eas apud se reuoluens ac repetens. Appellamus autem adspirationes, oratiunculas iaculatorias pio affectu plenas, quas amanter eiaculamur in Deum. Veluti cùm dicimus: *O bone Iesu, bone Iesu! O dilecte, dilecte, dilecte mi! O charorum omnium charissime! O amor meus vnice! O dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ! Quando tibi per omnia placebo? Quando mihi ipsi & creaturis omnibus perfectè moriar? Quando nihil præter te viuet in me? Miserere, quæso, miserere mei, & adiuua me. Ecce saluto & veneror rosea Vulnera tua: immerge me in illa, vt plenè emunder, & tui amore inebrier. O Domine Deus! O deliciosum principium meum! O amabilis abyssus! O serena lux intimorũ meorum! O iucundissimum & vnicum bonum meum! Quando ardentissimè diligam te? Quando tibi tenacissimè agglutinabor? Eia digneris trãsfigere cor meum iaculo amoris tui: digneris me tibi sine medio vnire, & tecum vnum spiritũ efficere,* &c. Tales adspirationes placidè & absq; immoderato impulsu ad Deũ emitti debent, ne caput lædatur: neque necesse est vt ore proferantur, nisi is qui se exercet sentiat deuotionem suam prolatione verborum adiuuari. Hanc orandi rationem omnes testãtur efficacissimam maximeq; fructuosam esse. 6.

Adspirationum introuersioni accommodatarum exempla memoriæ mandanda, & corde vel ore vsurpanda.

Sanè

7. *Adspirationes iaculatoriæ sæpè vsurpatæ ducunt breui & tutâ viâ ad mysticum perfectionis apicem.*

Sanè si cum studio mortificationis exercitium introuersionis internæque orationis ac sanctarum adspirationum diligenter continuetur, homo tandem obtinebit mentem puram, simplicem, nudam, liberam, & super omnia caduca subleuatam, Deoque stabiliter inhærentem: atque ita in vnitate spiritus cum Deo requiescet, & ipsum perfectionis apicem attinget. Nam supra imagines & formas omnes per purissimum amorem euectus, sapientiaque Theologiæ mysticæ præclarè ornatus, rapietur in Deum, & feliciter absorbebitur, paradisumque & regnum Dei etiam in hoc mundo inueniet: admittetur, inquam, ad diuinam illam vnionem, quæ omnem intellectum excedit. Vnde iam vnus cum Deo spiritus effectus, totus erit Deiformis. In eo ad hunc modum mirabiliter transformato, Spiritus sanctus superessentialiter viuet, sicut in Apostolis viuebat, cùm adhuc in hoc exilio essent.

8. *Peroratio Breuis regulæ; hortàs ad praxim & perseuerantiã, non obstante quacumque difficultate.*

Qui hæc legit, sic legat, vt firmiter statuat cum auxilio gratiæ Dei moribus & vitâ exprimere ea quæ legit: alioquin lectio parum aut nihil ei proderit. Conetur ergo quotidie magis ac magis mortificare in se omnem proprietatem, hoc est, omnem propriam voluntatem, propriamque quæsitionem; quia natura ad seipsam reflectitur, ac seipsam suumque commodum quærit: conetur extirpare è corde suo omnes passiones affectionesque vitiosas. Et quamuis grauem immortificationem in se sentiat, quamuis frequentissimè labatur ac deficiat, quamuis multis annis aduersus semetipsum pugnare debeat, non desperet neque perturbetur: nam qui artem aliquam discit, diu laborare debet priusquam eam exactè calleat. Quòd si ipse in huiusmodi certamine persistens, migrauerit ex hac vitâ priusquam ad perfectionem perueniat, beatus nihilominùs erit, & in æternum Domini sui gaudium recipietur. Itaque petat, quærat, pulset humiliter ac perseueranter ad ianuam benignissimi liberalissimique Dei. Sic enim orando, accipiet congruo tempore quidquid ei necessarium est ad placendum Deo: accipiet ipsum Deum modo excellentissimo. Persuadeat sibi sanè quod vult, vertat se quò vult, non poterit proficere, nisi per indefessum conatum vitijs rebusque omnibus emori studeat, (ita tamen vt non in suo conatu, sed in solâ Dei misericordiâ & gratiâ confidat.) Nam in verâ mortificatione atque resignatione, verissima iucundissimaque vita latet. Eam nobis concedere dignetur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus, qui est benedictus in sempiterna sæcula, Amen.

LVDOVICI BLOSII
EXERCITIA QVOTIDIANA
TYRONIS SPIRITVALIS.

I.
EXERCITIVM CIRCA PASSIONEM DOMINI.

* Hic obseruabit Adscecta praxim Breuis regulæ §. 5. num. 5. de Imagine Crucis & Vulnerum Domini Iesv Christi patiẽtis.

**Assiduè imaginem Iesu crucifixi propone tibi ante mentis oculos. Nihilominùs in Passione Dominicâ ita te exerce, vt quotidie vnam Meditatiunculam assumas, in quâ saltem semel vel bis piâ studiosaq; attentione verseris, seruato hoc ordine.*

MEDITATIO I.

Incarnatio Saluatoris. *Natiuitas.* *Circumcisio.* *Fuga in Aegyptum.* *Baptismus.* *Ieiunium.*

BONE Iesu! Tu Deus altissimus, propter nimiam charitatem quâ dilexisti me, voluisti homo fieri. Dignatus es in stabulo nasci, in præsepio reclinari, posteà circumcidi, & fugere in Ægyptum. Dignatus es baptizari, ieiunare, tentari, vigilare, docere, prædicare, atque infirmos curare. Dignatus es triginta tribus annis multiplices labores, ærumnas & persecutiones pati, ac tandem venire Ierosolymam vt morereris pro me.

Tentatio. Prædicatio. Miracula. Labores vitæ. Oblatio ad mortem.

MEDITATIO II.

Cœna vltima. *Lotio pedum.*

BOne Iesu! Tu Ierosolymis manducasti Pascha cum charis discipulis tuis. Et surgens à cœnâ præcinxisti te linteo, misistique aquam in peluim, ac positis genibus humiliter lauisti pedes ipsorum discipulorum tuorum, eosque linteo extersisti.

MEDITATIO III.

Eucharistia.

BOne Iesu! Tu antequam patereris, excellentissimum bonum filijs tuis legasti: relinquens nobis sacratissimum Corpus tuum in cibum, & pretiosissimum Sanguinem tuum in potum. Huius charitatis tuæ abyssum nullus omnino intellectus penetrare potest.

MEDITATIO IV.

Agonia. BOne Iesu! tu in hortum olineti perueniens, cœpisti pauere ac mœstus esse: vnde discipulis tuis dixisti, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Deinde ab eisdem discipulis auulsus, humiliter flexisti genua super terram, & procidens in faciem tuam, *Oratio ad Patrem.* orasti Patrem, plenissimeque ei te resignasti *Resignatio.* dicens: *Pater, fiat voluntas tua.* Postremò, *Sudor sanguineus.* præ angustijs quibus premebaris, sudasti toto corpore sudorem sanguineum.

MEDITATIO V.

Occursus ad captu-ram. BOne Iesu! Tu ineffabili desiderio redimendi me ardens, processisti inimicis *Osculum Iudæ.* tuis obuiàm, & passus es te à Iudâ proditore osculari, atque à facinorosis hominibus ignominiosè tamquam latronem compre-*Vincula. Abreptio.* hendi, ligarique, ac vinctum indignè abduci.

MEDITATIO VI.

Domus Annæ. Alapa. BOne Iesu! Tu ad Annam probrosè adductus, diram alapam ab impio eius ministro tibi inquissimè datam, modestissimè tulisti.

MEDITATIO VII.

Domus Caiphæ. BOne Iesu! Tu ligatus vt malefactor, ad domum Caiphæ Pontificis ductus fuisti: *Condemnatio.* vbi Iudæi iniustè te condemnarunt, & Re-*Sputa.* giam amabilemque faciem tuam fœdè con-*Colaphi & alapæ.* spuerunt, colaphosque & alapas tibi scelerate ingesserunt, & ipsam faciem tuam lu-*Velatio. Subsannatio.* dibriose velauerunt, teque cædentes subsannando dixerunt, *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* atque innumeras iniurias nocte illâ tibi irrogarunt.

MEDITATIO VIII.

Tribunal Pilati. BOne Iesu! Tu manè ductus es ad Pilatū, & vultu benigno oculisque demissis coram illo in Prætorio stetisti: cumque falsò à Iudæis accusareris, ac multæ contumeliæ in *Silentium Christi.* te dicerentur, humiliter tacuisti, nihil respondens.

MEDITATIO IX.

Herodes. BOne Iesu! Tu à Pilato missus fuisti ad Herodem. Hic, vano curiosoque animo miraculum aliquod videre cupiens, multis sermonibus te interrogabat, & Iudæi pertinaciter te accusabant: sed inter hæc sapien-*Silentium.* ter silebas. Hinc ipse Herodes cum exercitu *Illusiones.* suo te spreuit, & tamquam fatuum veste al-*Vestis alba.* bâ ridiculaque induit, atque ita ad Pila-*Reditus ad Pilatum.* tum remisit. O quàm abyssalis est tua humilitas & obedientia! Pro voluntate atque arbitrio inimicorum tuorum, progrediebaris & regrediebaris, sine contradictione; permittens vt in te facerent quidquid vellent.

MEDITATIO X.

BOne Iesu! Tu in Prætorio nudatus, & ad columnam inclementer ligatus, crude-*Flagellatio.* lissimeque flagellatus fuisti. Tunc virginea delicataque caro tua tota fuit flagris concisa, tota liuoribus ac plagis deformata: vnde & riuuli pretiosissimi Sanguinis tui vndique decurrebant in terram.

MEDITATIO XI.

BOne Iesu! Tu post diram illam tui flagellationem, à satellitibus diaboli indutus fuisti, ad maius opprobrium, veste coc-*Vestis coccinea.* cineâ vili ac tritâ. Qui etiam satellites coro-*Corona spinea.* nam spineam plectentes, impresserunt sacratissimo vertici tuo. Aculeis igitur spinarum ipsum caput tuum grauiter sauciantibus, purissimus sanguis in amabilem faciem col-*Sanguis ex spinis.* lumque tuum vbertim defluebat. Illi deinde posuerunt arundinem in dextrâ tuâ, & *Arundo.* genuflexo nugatorie te salutarunt, dicentes: *Aue Rex Iudæorum.* Et accipientes arundi-*Genuflexiones cum opprobrio.* nem, horribilibus ictibus venerandū caput tuum percusserunt, & expuerunt in mellifluam faciem tuam, dederuntq; tibi alapas.

MEDITATIO XII.

BOne Iesu! Tu à Pilato foras productus, & furentibus Iudæis ad spectandum ex-*Ecce homo.* hibitus fuisti, coronâ spineam purpureumque vestimentum gestans. At illi magnis vocibus petebant, vt crucifigereris.

MEDITATIO XIII.

BOne Iesu! Tu voluntati Iudæorum fuisti traditus: qui statim te eduxerunt vt *Baiulatio crucis.* crucifigerent, ipsam crucem cruentis lacerisque humeris tuis imponentes. Tu igitur propriam crucem mansuetissimè baiulasti, cuius pondus nimiùm te affligebat.

MEDITATIO XIV.

BOne Iesu! Tu ad Caluariæ locum fessus *Caluariæ mons.* & anhelus perueniens, amaritudinem vini myrrhati cum felle misti (quod tibi of-*Vinū myrrhatū felle mixtum.* ferebatur) pro meâ salute gustare non recusasti.

MEDITATIO XV.

BOne Iesu! Quando in loco Caluariæ nudatus es, plagæ tuæ ex vestimento-*Cruenta nudatio.* rum detractione innouatæ fuerunt. O quàm atrocem cruciatum sustinuisti, quando delicatæ manus tuæ, atque incontaminati pe-*Clauatio manuum & pedum.* des tui, diris clauis cruci affigebantur, & quando membrorum tuorum compages soluebantur! O quantâ charitatis suauitate manus & pedes obtulisti vt perforarentur! Tunc è Vulneribus tam manuum quàm pedum tuorum, velut è fontibus, sanguis *Sanguis à quatuor fontibus.* tuus pretiosus abundanter effluxit.

MEDITATIO XVI.

BOne Iesu! Tu pendens in cruce medius inter duos latrones blasphemijs impete-*Blasphemia.* baris, sed interim orabas Patrem, dicens: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* *Oratio pro crucifixoribus.* Tunc latroni pœnitenti paradisum promisisti. Tunc dulcissimam genitricem tuam *Latro pœnitens.*

(quæ

Matris compassio. Filij locutio. (quæ compassionis dolorisque gladio penetrata, iuxta crucem adstabat) Ioanni discipulo nobisque omnibus in Matrem dedisti. Et cùm tribus horis immensos cruciatus in *Sitis.* cruce tolerasses, vehementissimeque sitires, *Aceti oblatio.* aceto potatus fuisti: quo gustato, tu viuifica- *Mors.* tor omnium, caput venerandum inclinans, emisisti spiritum.

MEDITATIO XVII.

BOne Iesu, bone pastor! Tu posuisti animam tuam pro ouibus tuis. Et dextrum *Lancea lateris.* latus emortui corporis tui lanceâ fuit aper- *Sanguis & aqua ex vulnere cordis.* tum, vnde nobis profluxit sanguis & aqua. Voluisti cor tuum amorosum pro me vul- *Vulnus cordis.* nerari. Posteà ipsum corpus tuum immacu- *Depositio in B. Virginis gremio.* latũ, depositum de cruce, beatissima Mater tua in gremium suum excepit, osculata est, lacrymis rigauit. Postremo Ioseph & Nicodemus illud inuoluentes sindone, condide- *Sepultura.* runt in sepulchro. Dilecte mi! dilecte votorũ meorum! Tu dignatus es pro salute meâ mori ac sepeliri, qui viuis & regnas benedictus atque gloriosus in sempiterna sæcula.

CONCLVSIO PRECATORIA.

Post quamlibet Meditationem Passionis Dominicæ (in quâ humilitatem, obedientiam, mansuetudinem, patientiam, resignationem, modestiam, benignitatem, continentiam, charitatemque CHRISTI IESV *diligenter attendere debuisti) accensus imitandi desiderio, ita mente precare.*

Contemplatio charitatis in Christo passo. O MITIS & innocens Agne Dei! tu sic dilexisti me: tu ista fecisti, ista humillimè, patientissimè & benignissimè pertulisti pro me. Quid retribuam tibi? Adoro, laudo & glorifico te; benedico, & gratias ago tibi sicut *Glorificatio & gratiarum actio.* possum. Aue dulcis Iesu, Fili Dei viui, Rex regum, Rex gloriæ. Aue viuificans gemma diuinæ nobilitatis, & immarcescibilis flos *Oratio ad Saluatorem.* dignitatis humanæ. Eia, pie Redemptor, miserere mei propter bonitatem tuam. Dele omnia peccata mea. Mortifica in me quidquid tibi displicet. Effice me hominem secundùm cor tuum, conformans me sacræ humanitati tuæ. Concede, Domine mi, vt sequar & imiter te studiosissimè pro modulo meo.

Passionis Christi oblatio ad Deum Patrem. O Pater cælestis! Ego pro salute meâ, & pro salute omnium hominum, in plenam emundationem atque expiationem delictorum nostrorum, offero tibi sanctissimam incarnationem, conuersationem, & Passionem prædilecti Filij tui, Pater clementissime, per eumdem Vnigenitum tuum da viuis veniam & gratiam: da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam, Amen.

II.

DVO EXERCITIA ADSPIRATIONVM.

**Sequentes Adspirationes & Preces edisce, ac sæpiùs quotidie repete, si vacat. Immò verò, siue quiescas siue progrediaris, semper & vbique aliquas earum (quantum fieri potest) animo reuolue. Sed interim deuita immoderatum impulsum, nimiamq́ vehementiam, ne prægrauatus deficias sub exercitio.*

*Hic etiam est obseruanda praxis longior iaculatoriarum precũ seu adspirationum, quæ commendantur in Regulâ breui §. 5. num. 6 & 7.

EXERCITIVM PRIMVM.

O Bone Iesu, bone Iesu, bone Iesu! O spes mea, refugium meum, & salus mea! 1.

Adspirationes peccatoris pro condonatione peccati, humilitate, resignatione, verâ vitiorum mortificatione, & virtutum acquisitione. Sunt adspirationes partim purgatiuæ, partim illuminatiuæ.

Miserere, miserere, miserere mei. Pauper sum, & egenus, & infirmus: Nihil sum, nihil habeo, nihil possum ex me, Eia adiuua me.

Domine, propitius mihi esto peccatori vilissimo, peccatori abominando, & terrâ ipsâ indigno.

Vere iustum est, vt omnes me despiciant, & persequantur, & affligant, & conculcent.

Resigno me tibi integrè. Fiat semper in me & de me gratissima voluntas tua.

Da mihi, quæso, plenam omnium peccatorum remissionem, abluens me pretioso Sanguine tuo!

Da mihi perfectam mei mortificationem & abnegationem. Perime in me omnes passiones & affectiones vitiosas.

Perime in me omnem propriam voluntatem atque quæsitionem.

Largire mihi veram humilitatem, patientiam, charitatem, & linguæ atque sensuum continentiam.

Largire mihi puritatem, simplicitatem, nuditatem, libertatemque mentis, & introuersionem essentialem: vt sim homo secundùm cor tuum.

Ecce prædilecte, ecce Vulnera tua rosea & suauiflua: ego saluto & veneror illa. Saluete, saluete vernantes & salutiferæ Plagæ Domini mei. 2. *Adspirationes ad Christi Vulnera.*

Salue benignissimum cor amatoris mei pro me vulneratum: salue totius boni totiusque beatitudinis amœnissimum gazophylacium.

Christe Iesu! gratias tibi ago pro ipsis colendis Vulneribus tuis. Eia, immerge me in illa, absconde me in eis: inscribe & imprime illa cordi meo intimè, vt tui amore totus ardeam, ac medullitus tibi compatiar. Concede, vt omnes creaturæ fragiles mihi vilescant, & tu solus placeas atque dulcescas. Conforma me sacræ humanitati tuæ.

 O dile-

3. *Adspirationes vnitiuæ ad Christum.* O dilecte, dilecte, dilecte! O charorum omnium charissime! O amor meus vnice! O sponse floride, sponse mellisflue! O dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ! Accende, concrema, & trãsforma me: vt nihil præter te viuat in me. Eia, vulnera, vulnera cor meum profundissimè iaculo amoris tui.

Hic, relictâ imaginatione humanitatis CHRISTI, *converte spiritum tuum placidè & simpliciter ad Diuinitatem.*

4. *Conuersio amorosa per adspirationes vnitiuas ad Diuinitatem.* O Domine Deus! O deliciosum principium meum! O amabilis abyssus! O serena lux intimorum meorum! O simplicissimum atque iucundissimum bonum, verum & incommutabile bonum meum! O Deus meus & omnia! Quid volo præter te? Tu es summa sufficientia mea.

O quando, quando, quando te feliciter inueniam? Quando ardentissimè diligam te? Quando tibi tenacissimè agglutinabor? O quando, quando, quando me totum in te rapies? Quando me totum absorbebis? Quando me tibi sine medio vnies? Eia, remoue misericorditer omnia impedimenta, & me tecum vnum spiritum effice, ad laudem nominis tui.

5. *Ad sanctissimam Trinitatem.* Aue gloriosa, fulgida, & semper tranquilla Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus. Eia, digneris animam meam pascere tuis influxibus.

6. *Ad beatam Virginem.* Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum. Aue Virgo suauis, felix Dei Mater, præclara Regina cælorum. Aue sidus rutilans, rosa valdè venusta, candidum lilium Trinitatis. O Domina, miserere mei pauperrimi exulis.

7. *Ad Sanctos & Angelos.* Aue chare Dei N. Aue egregia sponsa Christi N. Aue sancte Angele Dei, custos meus fidelis. Auete Sancti Sanctæque Dei omnes, & beati spiritus Angelici, qui torrente diuinæ voluptatis semper inebriamini. Orate pro me nunc & in horâ mortis meæ.

8. *Pro omnibus viuis & defunctis.* Pie Iesu! rogo te per venerandam Passionem & mortem tuam, da viuis veniam & gratiam: da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Amen.

EXERCITIVM SECVNDVM.

Quotidie etiam comple mente hoc Exercitium, si non impediris.

1. *Adspirationes purgatiuæ.* BONE Iesu, propitius mihi esto peccatori abominando. Peccaui, peccaui, peccaui, & malum coram te feci, ignosce mihi. Ego omnes iniquitates, negligentias, & immortificationes meas depono in charissima Vulnera tua, & proiicio in abyssum misericordiæ tuæ meritorumque tuorum. O vtinam, vtinam numquam te offendissem! vtinam numquam gratiam tuam in me impediuissem! Propono, te adiuuante, corrigere me. Eia, dele omnia peccata mea: ablue me pretioso Sanguine tuo. Sana me sacris Vulneribus tuis. Sanctifica me amarâ passione & morte tuâ. Emunda, emunda me perfectè. Restitue mihi innocentiam, quam in Baptismo contulisti, vt tibi verè placeam.

2. *Commemoratio actionum & passionum Christi in vitâ & morte.* Adoro, laudo, & glorifico te; benedico, & gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, pro vniuersis miserationibus & beneficijs tuis. Gratias tibi ago, ô Fili Dei viui, Deus altissime, qui propter nimiam charitatem, quâ dilexisti me, dignatus es homo fieri. Voluisti pro me in stabulo nasci, infans panniculis inuolui, fasciolis stringi, in præsepio reclinari, modico lacte Virginis-matris ali, paupertatem & egestatem tolerare, multiplicibus laboribus & ærumnis triginta tribus annis fatigari. Voluisti sudore sanguineo præ angustiis suffundi, ignominiosè comprehendi, indignè ligari, iniustè damnari, sputis fœdari, colaphis & alapis cædi, veste albâ ridiculaque, velut amens, indui & illudi. Voluisti flagris crudelissimè conscindi, spinis dirè coronari, clauis atrociter cruci affigi, felle & aceto inhumaniter potari. Tu præclarus vestitor siderum, nudus, contemptus, vulneratus, & immensis doloribus afflictus, pro me pependisti in cruce, pro me fudisti purissimũ Sanguinem tuum, pro me mortuus es. Amplector vlnis animæ meæ venerandam crucem tuam, & eam pro tui honore atque amore osculor. Præsta, vt ad te pleno desiderio semper adspirem, & in te dulcissimo respirem.

3. *Humiliatio sui, abnegatio & resignatio.* Ecce Domine, ecce constituo me in infimo loco infra omnem creaturam, quia indignus sum quem terra sustineat. Substerno & subiicio me omnibus hominibus. Complector, complector omnes sicut possum sincero amore. Relinquo propter te omnia caduca. Respuo quidquid tu non es. Renuntio omni delectationi sensuali: renuntio omni vanitati & impuritati: renuntio propriæ quæsitioni & immortificationi. Resigno, resigno me tibi funditus. Omnem voluntatem meam in tuam transfundo. Fiat, Domine, fiat voluntas tua in me, & de me: fiat voluntas tua in tempore atque æternitate. Offero me paratum ad perferendum, cum auxilio gratiæ tuæ, quidquid tibi placuerit.

4. *Adspirationes illuminatiuæ.* Eia, suauissime Iesu, mortifica, mortifica quidquid malè ac sensualiter viuit in me, quidquid vitiosum & inordinatum est, quid-

quid

quid tibi displicet: mortifica in me omnem proprietatem. Exorna me meritis ac virtutibus tuis. Eia, præpara tibi gratam & amœnam habitationem in me. Renoua spiritum, animam, & corpus meum excellenti gratiâ tuâ. Conforma me sacræ humanitati tuæ. Effice me hominem secundùm cor tuum. Expedi & denuda mentem meam, eamque simplicem redde, & illumina. Concede mihi liberam ad te introuersionem.

5. *Aspirationes vnitiuæ ad Deum.* O Domine Deus! ô verum & incommutabile bonum meum! imple me teipso. Introduc me in nudum animæ meæ fundum, & transfer in te originem meam. Vni me tibi intime, & totum in te transforma: vt delicias tuas in me habeas. Exaudi, Domine, exaudi me, non pro meâ voluntate, sed pro tuo beneplacito. Eia, doce, illumina, dirige & adiuua me in omnibus: vt nihil agam, nihil loquar, nihil cogitem, nihil velim, nisi quod tibi sit acceptum.

6. *Ad B. Virginem.* O Maria, Maria, virgo dulcissima! miserere mei vilissimi peccatoris. Saluto, saluto & veneror te. Eia, impetra mihi plenam omnium peccatorum remissionem. Impetra perfectam mei mortificationem, & abnegationem. Impetra veram humilitatem, patientiam, charitatem, & linguæ atque sensuum continentiam. Impetra puritatem, simplicitatem, nuditatem, libertatemque mentis, & introuersionem essentialem: vt sim homo secundùm cor Filij tui.

7. *Ad Sanctos & Angelos.* O Sancti Sanctæque Dei omnes, & beati spiritus Angelici, quos Deus mellifluo vultu suo semper lætificat! orate pro me. Saluto & veneror vos. Gratias ago Domino, qui vos elegit, & in suis benedictionibus præuenit. Eia, impetrate mihi veniam, impetrate gratiam, vnionemque diuinam.

8. *Pro omnibus Ecclesiæ fidelibus.* O clementissime & misericordissime Iesu! miserere Ecclesiæ tuæ. Miserere huius loci, huius Congregationis. Concede, vt sit hic humilitas, pax, charitas, continentia, & puritas. Concede, vt omnes dignè emendemus atque corrigamus nos, & timeamus te, & seruiamus tibi fideliter, & diligamus te, & placeamus tibi. Commendo pietati tuæ omnia negotia, & omnes necessitates nostras. Miserere omnium hominum, pro quibus sacrosanctum Sanguinem tuum fudisti. Eia, conuerte & reuoca miseros peccatores. Da viuis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam, Amen.

III.

ANTE MISSAM VEL COMMVNIONEM PRECATIO.

ADORO te, & gratias ago tibi, amantissime Domine Iesu Christe, pro innumeris beneficijs donisque tuis mihi indignissimo præstitis: omnia illa in te refundo, & tibi offero in laudem æternam. Gratias ago pro omnibus bonis, quæ vmquam alicui creaturæ rationali contulisti atque collaturus es. Gratias ago pro vniuersis miserationibus suauissimæ pietatis tuæ. Gratias ago pro incarnatione, natiuitate, infantiâ, pueritiâ, adolescentiâ, laboribus, ærumnis, passione, morte, resurrectione, & ascensione tuâ. Gratias ago, quòd me vilissimum peccatorem admittere dignaris ad splendidum viuificumque sacræ mensæ tuæ conuiuium. 1. *Commemoratio beneficiorū Dei, & incarnationis Christi Domini.*

Bone Iesu! per illum amorem, qui te incarnari, pati, & mori pro me coëgit, rogo te, vt ab omni peccato me plenè emundes, & tibi per omnia placentem reddas. Exorna egenam animam meam meritis ac virtutibus tuis. Præsta, vt humili reuerentiâ, ardenti desiderio, & casto affectu offeram tibi sanctum Missæ sacrificium, vel percipiam venerabile Corporis tui Sacramentum, in memoriam eorum omnium, quæ pro salute meâ facere, loqui & tolerare voluisti. 2. *Petitio virtutum.*

Perficiam hoc purissimè, ad gloriam nominis tui sempiternam, ad honorem dulcissimæ genitricis tuæ virginis Mariæ, ad honorem illius aut illius Sancti, ad honorem omnium Sanctorum tuorum, omniumque beatorum Angelorum: ad salutem meam, ad salutem illius vel illius, ad salutem omnium fidelium viuorum & defunctorum. 3. *Oblatio ad gloriam Dei, & Sanctorū, & ad salutē omnium.*

Miserere, Domine, miserere Ecclesiæ tuæ. Miserere huius loci, huius Congregationis. Concede, vt sit hîc humilitas, pax, charitas, continentia, & puritas. Concede, vt omnes dignè emendemus atque corrigamus nos, & timeamus te, & seruiamus tibi fideliter, & diligamus te, & placeamus tibi. Commendo pietati tuæ omnia negotia, & omnes necessitates nostras. Miserere omnium hominum, pro quibus sacrosanctum Sanguinem tuum fudisti. Da viuis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam, Amen. 4. *Oratio pro Ecclesia, & proximis nostris.*

Post Missam vel Communionem

PRECATIO.

1. *Gratiarum actio cum humiliatione.* ADoro te, & gratias ago tibi, benignissime Domine Iesu Christe, qui me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad splendidum viuificumque sacræ mensæ tuæ conuiuium. Hei mihi! quia nimis indignè compleui hoc sanctum sacrificium, vel percepi hoc venerabile Sacramentum: miserere mei, ignosce mihi. Ego, quod egi, commendo diuino cordi tuo emendandum & perficiendum.

2. *Oblatio ad Dei laudem, & nostram salutem.* Suscipe, quæso, hæc sacrosancta Corporis tui mysteria, quæ tibi offero ad gloriam nominis tui sempiternam, ad honorem dulcissimæ genitricis tuæ virginis Mariæ, ad honorem illius aut illius Sancti, ad honorem omnium Sanctorum tuorum, omniumque beatorum Angelorum: ad salutem meam, ad salutem illius vel illius, ad salutem omnium fidelium viuorum & defunctorum.

3. *Pro emendatione vitæ.* Suscipe hoc præcellentissimum Sacramentum in plenam emendationem, expiationem, atque satisfactionem pro omnibus peccatis ac negligentijs meis, & pro peccatis totius mundi. Per illud instaura omnes ruinas meas spirituales, & supple omnem inopiam meam. Per illud mortifica in me quidquid tibi displicet, & effice me hominem secundùm cor tuum. Per illud conforma spiritum, animam, & corpus meum, spiritui, animæ, & corpori sacræ humanitatis tuæ: meque totum luce Diuinitatis tuæ illustra. Per illud largire, vt in te stabiliar, te perfectè & perseueranter diligam, tibi incorporer, intimeque vniar, ac totus in te transmuter, ad laudem nominis tui.

4. *Pro Ecclesiâ & pro omnibus specialiter in oratione commendatis.* Conuerte, Domine, miseros peccatores. Reuoca hæreticos atque schismaticos. Illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus qui in necessitate & tribulatione aliquâ constituti sunt. Adesto his, qui se precibus meis commendauerunt vel commendari esse cupiunt. Adesto parentibus, propinquis, & benefactoribus meis. Miserere omnium, pro quibus ego orare debeo, & tu rogari vis. Miserere huius loci, huius Congregationis. Concede, vt sit hîc humilitas, pax, charitas, continentia, & puritas. Concede, vt omnes dignè emendemus atque corrigamus nos, & timeamus te, & seruiamus tibi fideliter, & diligamus te, & placeamus tibi. Commendo pietati tuæ omnia negotia, & omnes necessitates nostras. Miserere omniũ hominum, pro quibus sacrosanctum Sanguinem tuum fudisti. Da viuis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam, Amen.

IV.

XIII. PRÆCEPTIVNCVLÆ AD VITÆ PERFECTIONEM ADSPIRANTI NECESSARIAE.

In tredecim istis Articulis continetur medulla & compendium succinctum atque elegãs multorum præceptorum in Institutione spirituali & in Breui Regulâ traditorum, suntq́; hîc velut tredecim flores in vnam coronam conserti, ad ornatum mysticæ Christi sponsæ.

PRÆCEPT. I.

PROPTER amorem Iesu Christi, qui pro te durissima passus est, oblectamentis sensuum renuntia. Quando aliquid videre, audire, odorari, gustare, tangere, vel loqui vis atque desideras, memineris, non sensualitati te incitanti, sed rationi & Deo in te loquenti obediendum esse. Etiam paratus esto carere oblectamentis spiritus, iuxta Dei beneplacitum atque ordinationem. Et quando consolatione dulcedineque internâ recrearis, caue ne in eâ quiescas, néve illâ ad propriam voluptatem abutaris. 1. *Abnegatio oblectationum omnium, tam carnis, quã spiritus.*

PRÆCEPT. II.

VIsum, & auditum, & linguam diligentissimè custodi, ne ad illicita, vana atq; inutilia declinent. Oportet te vigilantem & valdè cautum esse in loquendo, vt non plura verba proferas, neque aliter loquaris quàm conuenit. Sermo tuus sit succinctus, simplex & tranquillus. Omnia membra corporis tui studiose rege & contine. Risum immoderatum & omnem morum leuitatem deuita. 2. *Custodia sensuũ, & linguæ, ac totius corporis membrorum.*

PRÆCEPT. III.

NVlli creaturæ per inordinatum affectum adhæreas, sed omnibus rebus caducis morere, & animum ab eis liberum gere: nam in tali morte ac tali libertate verissima iucundissimaque vita latet. 3. *Nulli creaturæ adhærendum inordinato affectu.*

PRÆCEPT. IV.

PAssiones & affectiones vitiosas, propriamque voluntatem atque quæstionem, sedulò in te per integram tui abnegationem & resignationem perime. Voluntatem verò diuinam vnicè dilige, eamque semper exopta, & ei prorsus te subde: adeò, vt quidquid vult Deus, velis & ipse. Vbique Dei laudem & honorem potiùs quàm tuum commodum quære. 4. *Abdicatio propriæ voluntatis, & conformitas cum diuinâ.*

PRÆCEPT. V.

IN omnibus quæ accidunt, prouidentiam Dei sapienter attende, & te tuaque omnia Domino securè committe: sciens illi curam esse de te. Quamlibet aduersitatem atque tribu- 5. *Omnia suscipienda tamquam verè de manu Dei, etiam aduersa.*

tribulationem (siue ea interna siue externa sit) de manu Dei suscipe; certò credens, eum pro tuâ vtilitate & salute illâ misisse. 1.* Tolera igitur eam æquanimiter ad vltimum vsque punctum: gratias Domino agens, & eum laudans, cuius permissu atque ordinatione illa euenit. 2.* Et propter iniurias tibi irrogatas non perturberis, neque impatienter apud homines conqueraris: 3.* sed memoriâ repetens iniquitatem ingratitudinemque tuam, dignum te esse existima, quem omnes reprehendant, increpent, contemnant, vexent, irrideant, & etiam pedibus conculcent. 4.* Quare anxius es, & deijceris animo propter verba hominum, aut propter tentationes quas pateris? Sentiant & dicant homines quod volunt de te: desæuiat mundus, desæuiat diabolus (quantum Deus permittit) in te. 5.* Tu interim ipsi Domino humiliter firmiterq; innitere, & in silentio pacem cordis conserua. Si ritè perpendis, quàm indigna atque acerba Creator & Redemptor tuus Christus Iesus perpessus sit, paratissimo animo grauia quæque tolerabis.

* 1. Aduersitatem sustine cum gratiarum actione.
* 2. Absque impatientiâ.
* 3. In satisfactionem defectuum.
* 4. Non torquendo temet ob iudicia hominum.
* 5. In humilitate, spe, silentio & meditatione ac imitatione Passionum Christi.

PRÆCEPT. VI.

6. *Humilitas & annihilatio sui.*

DEprime & constitue te infra omnem creaturam, considerans propriam vilitatem, propriumque nihilum tuum. Si aliquid te esse existimas, cùm nihil sis; si opera vel exercitia tua insipienter apud teipsum magnifacis, nimirum superbissimus es, & coram Deo fœtes. Quidquid boni habes, Dei est, non tuum. Vide igitur, ne illud tibi vsurpes quod Dei est, vide ne inde stultè glorieris, & tibi placeas, ob idque Deo omnino displiceas. Iudica te etiam minimo Dei dono indignum esse.

PRÆCEPT. VII.

7. *Obedientia.*

VOluntatem & sensum alterius, in his quæ licita sunt, libenter perfice ac sequere, tuâ voluntate abnegatâ, tuoque sensu relicto. Obedi semper promptissimè: quia Deo gratissimum est, quidquid purè fit per obedientiam: contrà, ipse Deus execratur, quidquid fit per inobedientiam.

PRÆCEPT. VIII.

8. *Simplex paupertas victus & vestitus.*

PAucis & simplicibus rebus contentus esto, exemplo Domini Iesu ac Mariæ matris eius. Non ames vanitatem in vestitu, neque luxum in victu. Et quàm ingratus esses, si propter cibum vel potum minùs suauem atque exquisitum murmurares, cùm Christus felle & aceto pro te potatus fuerit! Si desunt etiam ea quæ necessaria esse videntur, Deum lauda, & in eo confide, qui suos deserere nescit, licet eos nonnumquam egestate premi vtiliter permittat.

PRÆCEPT. IX.

9. *Charitas sincera & ardens erga omnes.*

OMnes homines sincerè dilige vt fratres ac sorores, nobilissimâ Dei imagine insignitos. Omnium salutem medullitus exopta. Omnibus, maximeque inimicis & persecutoribus, benignum serenumque vultum ac placida verba exhibe, dulcore sanctæ charitatis sanans & extinguens in te omnem cordis amarulentiam. Omnes adiuuare atque consolari paratus esto. His qui afflicti sunt, & his qui peccant, compassionem impende. Pro virtutibus aliorum, sicut pro proprijs, gaude; & miseriam aliorum, tuam esse reputa: existimans quemlibet esse teipsum.

PRÆCEPT. X.

10. *Neminem despicere, aut iudicare, de omnibus benè sentire, omnibus seruire cōsuesce.*

NEminem contemnas. Temeraria iudicia, & prauas suspiciones, magnâ diligentiâ è corde tuo profliga. Consuesce de omnibus benè sentire. Dicta & facta aliorum in meliorem partem simplici corde interpretare. Omnes tibi ex animo præpone. Te omnium ingratissimum vilissimumque esse crede. Dic tibi ipsi, dic Deo, *Ego non sum dignus quem terra sustineat.* O si saperes, quàm libenter abiecta quæque opera propter Deum perficeres! quàm alacriter quibuslibet hominibus inseruires! Nam & Christus Dominus formam serui accepit, factus homo, pedesque discipulorum suorum lauit.

PRÆCEPT. XI.

11. *Soli Deo placere stude.*

DEo, non hominibus placere stude: & despici magis, quàm laudari vel honorari appete.

PRÆCEPT. XII.

12. *Præsentia Dei & introuersio.*

PIas & sanctas cogitationes habe, Deique præsentiam vbique attende, dulcia cum eo colloquia miscens, siue sentias siue non sentias deuotionem. Ad spiritum verò recolligendum, & præsentiam Dei reuerenter considerandam, multùm iuuare possunt hæc verba sæpiùs recogitata: *O Domine Deus, tu mihi semper ades, tu in fundo animæ meæ habitas.* Amen.

PRÆCEPT. XIII.

13. *Vnum est necessariū, Deum solum liberâ mente in fundo cordis cogitare, & in eo spem ponere, vt peccata vites, & eum perfectè diligas.*

QVidquid Deus non est, non magnopere cures, nec multùm ad te pertinere arbitreris: sic enim per sanctam introuersionem ipsi Deo liberâ mente intendere vacareque poteris. Et profectò, vnum est necessarium. Ad quod obtinendum, laborare, conari, & quod in te est facere semper debes: ita tamen, vt de te tuisque conatibus prorsus desperes, & in solo Deo, in solâ eius misericordiâ ac bonitate, in solo gratiæ eius auxilio, spem omnem reponas. Nam sine Deo, nihil nisi peccare potes.

VENERABILIS PATRIS
D. LVDOVICI BLOSII
ABBATIS LAETIENSIS
ORDINIS S. BENEDICTI

CONSOLATIO PVSILLANIMIVM

EX
SCRIPTIS SANCTORVM
ET

PARACLESIS DIVINA

EX
SACRIS LITTERIS
DEPROMPTA.

PRAEFATIO.

1. *Hæ Consolationes inseruiunt bonæ voluntatis hominibus, & profectũ in sanctâ vitâ desiderantibus.*

HAec Consolatio hominibus bonæ voluntatis collecta conscriptaque est, qui etsi aliquando grauiter peccauerunt, vel etiam quotidie ex humanâ infirmitate sæpiùs offendunt, firmo tamen proposito sese cum auxilio gratiæ Dei corrigere statuunt, & in bonâ sanctâque vitâ proficere desiderant atque contendunt, inordinatum erga creaturas amorem diligenter in se mortificantes.

2. *Non ignauis, aut creaturarum amore corruptis:*

Ceterùm, non est quòd de consolatoriis verbis in isto libello positis sibi blandiantur homines corrupta mundanaque corda possidentes, qui in vitiis suis sponte persistunt, & creaturarum amore captiui suâ merâ negligentiâ detinentur. Tales enim etiamsi à perpetratione peccatorum mortalium abstineant, propter venialia tamen, quæ in illâ suâ ignauiâ scienter admittunt, longo horribilique purgatorio posteà excruciari debebunt, nisi hîc dignâ pœnitentiâ huiusmodi peccata deleantur.

3. *nec hæreticis:*

Frustrà etiam hæretici hanc Consolationem ad se pertinere credent, nisi hæreticâ prauitate depositâ, humiliter se subdant Ecclesiæ Catholicæ.

4. *sed Catholicis, Dei timore præditis, & iuxta spiritum viuere conantibus.*

Itaque non timeant homines bonæ voluntatis, qui fidem Orthodoxam retinentes, ab omni peccato recedunt, & secundùm spiritum viuere conantur, vt Deo placeant. Non timeant, inquam, tales, sed gaudeant, quantumcumque etiam imperfecti sint ac fragiles. Nam de eis proculdubiò loquitur beatus Paulus, quando dicit: Nihil damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant. *Planè si vsque in finem perseuerauerint, peruenient ad lucidißimum amœnissimumque regnum cælorum, vbi Deum facie ad faciem semper videbunt, vbi Deum perfectè amabunt & laudabunt, vbi denique Deo feliciter vnientur, & eo fruentur in sæcula sæculorum.*

Rom. 8.

LVDO-

LVDOVICI BLOSII CONSOLATIO PVSILLANIMIVM EX SCRIPTIS SANCTORVM ET SACRIS LITTERIS DEPROMPTA.

PIVS *& venerabilis viæ spiritualis magister R. P. Thomas à* IESV *Carmelita lib. 2. de Oratione diuinitus infusâ, agens de tentationibus, & afflictionibus, & derelictionibus in viâ purgatiuâ occurrentibus, & ad pusillanimitatem ducentibus, sic loquitur:* Pro consolatione quâ magnopere indigent qui tribulato & afflicto sunt corde, ex multis quæ in Libello de Consolatione pusillanimium scripsit, atque ex Patribus collegit piissimus vir LVDOVICVS BLOSIVS, nos ea quæ conferunt ad nostrum propositum, proferemus.

CAPVT I.

De scrupulis confessionum.

§. I.

1. Confessiones prolixæ vitandæ:

2. Quia signa sunt plus in suâ diligentiâ quàm in Dei misericordiâ confidentis.

3. Conscientiam in venialium explicatione frustrà sollicitam inquietant, non tranquillant; contaminant, non purgant.

D. IOANNES RVSBROCHIVS *in Speculo æternæ salutis, cap. 5.*

1. *Incommoda confessionis verbosæ.*

HORTOR, vt maximè caueas prolixas & verbosas confessiones; nam turbabunt pectoris tui pacem, & erroribus ac scrupulis te implicabũt.

2. *Signũ diffidentiæ in Deum est, anxiè & prolixè venialia confiteri:*

Si enim vtaris in confessione multis verbis non necessariis, puta in enarrandis peccatis venialibus, magisque velis tuo labore, quàm piè Deo confidendo, in huiusmodi minoribus culpis conscientiam tuam reddere pacatam: semper manebis diuinæ illuminationis expers, nec à Deo doceri poteris.

3. *Et impedimentum spiritualis quietis & munditiei.*

Atque ita fiet, vt inter grande & exiguum, inter maius & minus peccatum, vel defectum tuum, discernere nequeas: cumque aliquid prætermiseris quod sis assuetus confiteri, licet non sit necessarium exprimi; imaginibus vexaberis, atque animi angore ac mœrore contraheris, perinde quasi confessus non sis, & fortè multò ampliùs. Nam conscientiam tuam, quam Fide, Spe, & Charitate præditam esse oporteret, formido, anxietas, & priuatus erga teipsum amor occupabunt. Quæ sanè cauenda tibi sunt.

§. II.

1. Venialia peccata paucis & generatim tantùm confitenda, non autem omnia singulatim enumeranda, cùm etiam citra culpam in confessione taceri scienter volenterque possint, vt patet ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7.

Idem RVSBROCHIVS *vbi suprà.*

1. *Venialia generaliter confitenda.*

EAS culpas quæ quotidianæ & communes dicuntur, & à quibus nemo sibi cauere

uere potest, paucis explica verbis: nec inde speciatim animo multùm occuperis aut angaris, sed generatim illas confiteraris, tecumque proponas & constituas semper benè agere, & omnia tam venialia quàm mortalia peccata deuitare te velle.

§. III.

1. Puritas conscientiæ ex quatuor capitibus seu industriis oritur. 1. Ex conscientia diligenti discussione: 2. deuotâ Sacramenti Pœnitentiæ frequentatione: 3. humili erga Deum fiduciâ: 4. suæque fragilitatis agnitione, etiam post peccati condonationem.

Idem RVSBROCHIVS *lib. de Septem custodiis, cap. 2.*

1. *Puritas cõscientiæ quomodo obtineatur & conseruetur.*

TOtius sanctitatis fundamentum, conscientiæ puritas est: quam vt possis adipisci, 1. te ipsum explorabis, discuties, examinabisque quantum meminisse poteris: 2. & si quid in te repereris, quod censeas mortiferum aut graue esse peccatum, inde coram Sacerdote & æternâ Veritate te expurgabis contritione, confessione, & satisfactione: 3. ac deinde bonâ spe, certaque erga diuinam misericordiam fiduciâ conceptâ, confides peccata tua tibi remissa esse. 4. Licet verò veniam peccatorum à Deo consecutus sis, nihilominùs coram illius misericordiâ semper perseuerans, corde & affectu intus vociferaberis, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18.

§. IV.

1. Non est laborandum, vt omnia peccata venialia confessori aperiamus:

2. Sola enim mortalia sunt speciatim confitenda.

3. Venialia autem non per solam confessionem, sed & per alia media quamplurima delentur, iuxta sententiam Tridentinam citari solitam apud Thomistas, 3. p. q. 87. art. 3.

4. Etiam desiderium verum doloris est verus dolor, pœnitentiaque sufficiens.

D. IOANNES THAVLERVS *Serm. in Dom. XI. post Trinit.*

1. *Omnia venialia non sunt in confessione enumeranda, cùm etiam Deo confiteri illa liceat.*

QVod ad veniales quotidianasque culpas attinet, (à quibus, dum hîc viuimus, omnino liberi esse non valemus) monendi estis charissimi, ne multùm solliciti sitis, néve perturbemini, si non omnes in confessione expresseritis. Illas humiliter ac seriò Deo confitebimini, & contrito deuotoque corde vos reos coram eo accusabitis. Sic enim iis qui confessionibus audiendis adhibentur, nimis multum temporis non auferetur.

2. *Generaliter ea confiteri sufficit.*

Sanè tales culpas generaliter exposuisse satis est: cùm mortalia dumtaxat peccata, & ea de quibus dubium est an mortalia sint, ex Ecclesiæ præcepto & necessitate confiteri obligemur.

3. *Venialia multis modis tolluntur.*

Venialia enim peccata multis modis delentur, puta contritione, Dominicæ Orationis prolatione, genuflexione, Aquæ benedictæ aspersione, &c.

4. *Desiderium doloris est dolor.*

Si alicui dolor siue contritio deest, saltem doleat se non dolere,† nam hoc quoque dolor est. Itidem si quis desiderium & amorem non sentit, desideret habere desiderium & amorem.

† Hoc sufficere in Sacramento Pœnitentiæ, docent cum casuum Doctoribus Scholastici apud D. Thom. 3. p. q. 86. art. 2. & in Supplem. q. 2. de dolore vt est pars Sacramenti.

§. V.

1. Confessione semel peractâ, tentationes cum patientiâ & humili resignatione vincuntur; & vel ita fit vt non sint, vel ita saltem vt non noceant.

Idem THAVLERVS *Serm. 1. in Dom. XII. post Trinit.*

1. *Quid agendum in remorsibus conscientiæ post confessionem ritè peractam.*

PEccatis mortalibus sufficienter in confessione detectis, & satisfactione peractâ, cetera Deo humiliter relinquenda sunt, ac interim remorsus, qui exoriuntur (donec ille per gratiam suam hominem liberet alleuietque) patienter ferendi, cum humili in diuinum beneplacitum resignatione.

§. VI.

1. Potestas absoluendi concessa Sacerdotibus, est efficax & certissima, si pœnitens accedit præparatus.

2. Ideoque confessione factâ, melius est fiduciam habere de peccatorum remissione, quàm de illis angi scrupulosius.

Idem THAVLERVS *Serm. in Dom. VI. post Trinit. Vide antè Dom. V.*

1. *Credendũ est peccata deleri per confessionem Sacerdoti factã.* Ioan. 20. Matth. 18.

EOrum qui confessiones recipiunt potestati & auctoritati fides adhibenda est, sicut & verbis Dominicis, quibus ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* &: *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

2. *Melius igitur est, credere absolutioni Sacerdotis, quàm confessiones anxiè iterare.*

In veritate dico, charissimi, vbi quis peccata sua ritè confessus, adhuc remorsum ex eisdem in conscientiâ patitur, multò meliùs fecerit, si hac in parte Deo confidendo, & fidem virtuti confessionis adhibendo, eadem denuò non confiteatur, quàm si iteret confessionem.† Oportet enim diuinæ pollicitationi & ipsi Deo confidere. Quod dum facit homo, habet illum veracem; credens haud dubiè seruaturum quod ei in absolutione promisit.

† Assinia Thaulero docuit S. Ioannes Chrysost. sæpè, maximè super Psal. 50. & D. Ioan. Gerson p. 3. Alphab. 70. lit. C.

CAPVT

CAPVT II.

De tentationibus immundis blasphemiæ & desperationis.

1. Grauissima tentatio fœdarum & abominandarum cogitationum, quas inuitæ patiuntur sæpè etiam innocentes animæ.

2. Nullo modo meliùs vincitur, quàm eam non respiciendo, quasique spernendo, & ad alia cogitatum diuertendo.

3. Contra tentationem desperationis, firmandus est animus anchorâ spei.

4. Humilis enim fiducia auxilij diuini contra eiusmodi tentationes valet plurimum.

D. IOANNES THAVLERVS *Serm. 1. in Dom. III. post Trinit.*

1. *Sæpè diabolus fœdas imagines inuitis suggerit.* MVLTAS & innumeras malignus spiritus plerumque bono homini nefarias cogitationes suggerit; quas dum sentiunt minùs experti, dicunt apud semetipsos: Hæc & illa animo meo inciderunt. Heu me miserum, quomodo nunc agitur inter Deum & animam meam!

2. *Quæ optimè vincuntur, animû ab iis diuertendo.* Obsecro quicumque talis es, bono animo esto. Si praua aliqua tibi inciderunt, cura vt rursum excidant: sic enim salutem tuam nihil impedient. Non ergo turberis animo, sed corde ad Deum conuertere. Noli respicere, noli cum eis disputare, noli vel verbum respondere: tantum excidant, & animum inde, quantum potes, auerte.

3. *Desperatio retundenda spe misericordiæ diuinæ.* Sed & in desperationis barathrum diabolus pium hominem nonnumquam immergere nititur, loquens intus in ipso: Incassùm agis quidquid agis, displicent Deo omnia opera tua, & ipse filius es perditionis æternæ. Quid verò hîc agendum est illi, cui talia suggeruntur? Omnem omnino curam & sollicitudinem suam (iuxta S. Petri consilium) in Deum proiiciet, & anchoram suam in eumdem cum firmâ erga immensam illius misericordiam spe & fiduciâ figet. *1. Petr. 5.*

4. *Humilis enim in Deum fiducia, optima armatura.* Sicut illi qui in mari periclitantur, cùm se iam iamque maris fluctibus obruendos metuunt, relictis funibus & remis, omnes anchoram arripiunt & in fundum mittunt, cuius beneficio, mortis euadunt periculum: sic & ipse, dum graues nefariasque dæmonum tentationes patitur, relictis omnibus, viriliter anchoram arripiat, * totamque in Diuinitatis demittat abyssum, hoc est, perfectam atque firmissimam erga Deum spem fiduciamque assumat.

* Hæc est etiam doctrina Gersonis loco citato, quē legisse iuuabit.

CAPVT III.

De primis motibus, & cogitationibus importunis.

1. Peccatum mortale, præsertim ex malitiâ, numquam committitur, nisi cum voluntas aduertenter & deliberatè, ratione superiore ampliùs non contradicente, nec repugnante, auertit se à beneplacito Dei.

2. Quare nulla cogitatio, quantumuis fœda aut diuturna, erit peccatum mortale, quamdiu ratio superior practicè contradicens, eam cum displicentiâ aduersatur, & repellere conatur.

3. Quando verò ex tali cogitatione aliquantum delectatur ante plenam rationis aduertentiam, nondum est peccatum mortale, sed veniale dumtaxat.

D. HENRICVS SVSO *Serm. 1. Dom. III. Aduent. apud Thaulerum.*

VERVM peccatum in hoc dumtaxat consistit, quòd homo cum deliberatâ ac certâ voluntate scienter atque libenter, absque rationis * contradictione, à Deo sese auertens, ad prauitates conuertit. 1. *In quo consistat peccatum mortale.* * *Surius vertit reluctatione.*

Porrò, si contingeret vel tot a incidentias aliquem sustinere, quot momenta sunt temporis, quæ & adeò abominabiles & detestandæ forent, vt similes cor humanum vix excogitare, aut lingua aliqua effari posset, de quocumque etiam illæ essent, siue de Deo, siue de creaturis, & homo in tali statu, vno vel altero, vel pluribus quoque annis contra voluntatem suam persisteret, si saltem ratio remorsum, displicentiam, atque auersionem ab huiusmodi haberet, itaque non cum plenâ deliberatione & integrâ voluntate talibus consentiret, sed potiùs resisteret, cum naturâ huiusmodi sustineat, peccatum mortale haudquaquam admissum foret: quod etiam secundùm ipsam sacram Scripturam, & sanctæ Ecclesiæ traditionem, per quas nos docet Spiritus sanctus, certo certius est. Sanè vel vna tantùm vana b complacentia suiipsius, hominem in Dei oculis deformiorem reddere posset, quàm vel mille (licet pessimæ) c incidentiæ tales. 2. *Cogitationem morosam non facit fœditas aut diuturnitas; sed tantùm consensus, cum aduertentiâ sufficienti ad resistendum.*

Verumtamen latet in isto occulta quædam pressura, quæ & est subtilissimus quidam & acutissimus funis, qui hîc contingere possit: & hæc est, quando homini aliqua praua cogitatio incidit, & ipse fortassis cum delectatione ei intendit, atque suiipsius oblitus, non ita celeriter inde se auertit. Et tunc putat se cum voluntate & deliberatione illi intendisse, & seipso neglecto peccasse mortaliter. Sed absit vt hoc ita esse credamus. Concors namque multorum, etiam sanctorum, d sententia est, rationem sæpè per importunas incidentias & delectationem præueniri, 3. *Surrepit etiam delectationis ante plenam rationis aduertentiam est peccatum veniale dumtaxat.*

ueniri, idque satis bonâ morâ, & longo tempore, antequam ratio suiipsius per maturam deliberationem plenè compos fiat. Et tunc ea recipere vel auersari, peccatum admittere vel respuere potest. Quod cùm ita sit, nequaquam in talibus mortale peccatum homines boni metuere debebunt, si sanæ atque Catholicæ doctrinæ fidem adhibere volent.[e] Augustinus namque adeò voluntarium peccatum esse dicit, vt si voluntarium non est, peccatum nullo modo sit habendum.

[a] De istis incidentiis si Lector clarè videre desiderat, quantum sensus & titillatio distat à consensu ac deliberatâ voluntate, videndus erit Ioannes Gerson p. 3. Alph. 70. lit. B. & F.

[b] Voluntaria & pleno consensu; quod veniale est.

[c] Indeliberatæ, & cum repugnantiâ voluntatis; quod nullum peccatum est.

[d] Hæc sententia de motibus concupiscentiæ & pugnâ carnis contra spiritum absque consensu voluntatis in peccatum, quæ docetur à D. Thomâ 1. 2. q. 74. a. 3. vtrùm in sensualitate possit esse peccatum; & à Concilio Tridentino sess. 5. accepta ferè est ex S. Augustino lib. 1. Retract. c. 13. & lib. 3. de Lib. arbitr. c. 18. & lib. contra Secund. Manichæum, c. 15. & 16. & alibi.

[e] August. de Verâ relig. c. 14. & lib. 1. Retract. c. 13.

CAPVT IV.

De impatientiâ in tentationibus & defectibus superandis.

1. Impatientia inordinata in dolore pro peccatis, sæpè magis displicet Deo, quàm ipsa peccata.

2. Contra eam triplex scutum: Humilitas, displicentia peccati, & fiducia bonitatis Dei.

D. HENRICVS SVSO *Serm.* I. *Dom.* III. *Aduent.*

1. *Vera & ordinata contritio non debet accedere ad impatientiã, nec ex eâ prodire.*

SÆPE nonnulli inordinatâ quadam contritione obnubilati, aiunt intra semetipsos: Heu, malum est quòd viuo! Vt quid etiam natus sum? O si mori mihi liceat! & plura alia, quibus Deum grauiùs frequenter offendunt, quàm ipsis peccatis.

2. *Sed comites habeat humilitatem, displicentiam peccati, & fiduciam Dei.* Eccli. 38.

Proinde qui veram optat habere contritionem, in seipso humilitatem, peccati displicentiam, & firmam in Deo fiduciam habere curet. Vnde & ipsa præamabilis æterna Sapientia ait: *Fili, in tuâ infirmitate ne despicias teipsum: sed ora Dominum, & ipse curabit te.* Planè nimis fatuus * fuerit, qui dum vno se sentit oculo destitutum, etiam alterum sibi vult eruere.

* Vt Cain, & Esau, & Iudas, & alij desperabundi pœnitentes.

CAPVT V.

De admirabili misericordiâ Dei.

1. Deus erga pœnitentes misericors, erga peccantes nondum pœnitentiâ purgatos longanimis.

2. Sed erga procrastinantes & differentes pœnitentiam formidabilis.

S. AVGVSTINVS *sup. Psal.* CII. *Videndus etiam Serm.* V. *de Tempore.*

1. *Deus nulli pœnitenti negat veniam; sed & peccantes ad pœnitentiam vocat & expectat.* Zachar 1. Ezech. 33.

MISERICORS & miserator Dominus, longanimis, & multùm misericors. In his quibus veniam dedit, misericors est: in his quibus non dedit adhuc, longanimis est, non damnans, sed expectans, atque ipsâ expectatione clamans: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Et nimiâ longanimitate, *Nolo*, inquit, *mortem impij, sed vt conuertatur impius à viâ suâ, & viuat.* Quid dicis, quia peccator es? Conuertere, & propitius fit Deus omnibus iniquitatibus tuis. Omnipotenti medico nihil est insanabile.

2. *Dat veniã pœnitenti, sed non promittit crastinum differenti.*

Noli autem dicere, Cras me conuertam, cras Deo placebo, & omnia peccata dimittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia conuersioni tuæ Deus indulgentiam promisit, sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit.

CAPVT VI.

Gratiosissimum B. Mariæ Virginis patrocinium afflictis.

1. Patrocinium Mariæ Virginis in omni desolatione inuocandum.

2. Sed inuocatio auxilij coniungenda imitationi exempli quod ipsa nobis reliquit.

3. Timoratarum & anxiarum conscientiarum dulcissima & promptissima est Aduocata.

S. BERNARDVS *Serm.* II. *super* Missus est. *Videndus etiam est Sermo eiusdem de Aquæductu, & Arnoldus Abbas Bonæuallis Tract. de Laudib. Virginis.*

1. *Inuocanda B. Virgo in omni angustiâ.*

SI criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, & desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde.

2. *Maximè ab iis qui eius virtutes imitantur.*

Et vt impetres orationis eius suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens, non deuias; ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non erras. Ipsâ tenente, non corruis: ipsâ protegente, non metuis: ipsâ duce, non fatigaris: ipsâ propitiâ, peruenis.

3. *Nullius recusat patrocinium suscipere.*

Quid ad Mariam trepidet humana fragilitas? In eâ nihil austerum, nihil terribile. Tota suauis est, omnibus misericordiæ sinum aperit. Præterita non discutit * merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet: omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.

* Quod est iustitiæ diuinæ, non maternæ misericordiæ.

CAPVT VII.

Quantum à Deo obtineat vera pœnitentia.

* Iuxta illud Apostoli 1. Cor. 6. *Hæc quidã fuistis*, nēpe grauissimi peccatores, *sed nunc abluti estis, sed sanctificati estis.*

* De quâ re Cyprianus, vel Auctor Serm. de Cœnâ Dñi, citat exēplū latronis ad crucem. Bern. Serm. 3. de Petro & Paulo, vtriusque Apostoli post peccata in plenā amicitiam restituti.

1. Omni peccatori verè contrito remittit Deus peccata, quantumcumque magna vel multa.

*2. Nec propter præterita peccata minùs se præstat familiarem, aut minùs copiosam gratiam dat *.*

3. Ideò autem permittit lapsus piorum, vt feruentiùs resurgant, & fortiùs ei adhæreant.

*4. Patet in Apostolis Christi, qui non fuēre minùs familiares Christo post peccata defleta, quàm antea *.*

5. Citò ergo surgendum à peccato, idque quanto poteris conatu contritionis & dilectionis.

6. Quatuor comites veræ pœnitentiæ: 1. castigatio suipsius: 2. propositum non peccandi: 3. dilectio Dei super omnia: 4. spes veniæ, intuitu passionis Christi.

D. IOANNES THAVLERVS *Instit. spirit. cap. 20. qui ea habuit ex Rusbrochio de Præcip. virtutib. c. 10.*

1. *Verè pœnitenti semper remittit Deus culpam seu offensam omnem peccati, & pœnam etiam temporalem pro dilectionis mensurâ.*

DVM quisque peccator à vitiis resurgens, & ab eis integrè se auertens, Deo perpetuò seruire, eique soli viuere statuit: adeò se illi benignam exhibet æterna illa ac immensa Bonitas, ac si numquam in peccata corruisset. Omnia namque peccata illi perfectè remittit, nec vmquam illi ea imputabit, etiamsi tot essent quot omnes simul homines commiserunt, si tamen ex animo doleat purè ad gloriam Dei: & ideò potissimùm suæ illi iniquitates displiceant, quòd eas Deo displicere intelligit. Feruentissima [a] quippe charitas illa, ex quâ dolor iste promanat, omnem peccati absumit rubiginem, dummodò magna satis sit charitas ista atque contritio, ex omnibus (vt decet & oportet) viribus procedens.

2. *Restituit etiam omnem gradū amicitiæ.*

Quamlibet parua sit contritio, purè Dei intuitu concepta, Deo tamen multò gratior est omni alio dolore, quem propter [b] seipsos omnes simul homines habuēre. Huiusmodi conuerso peccatori Deus familiaritatem omnem & secretorum suorum reuelationem, quam vmquam alicui impendit, exhibere iam potest. Si enim eum paratum & idoneum inueniat, non magnopere attendit qualis antè fuerit. Nam Deus, præsentiæ [c] Deus est. Qualem vnumquemque reperit, talem eum suscipit & assumit. Nec respicit quid olim [d] fuerit, sed quid modò [e] sit.

3. *Permittit, diuque tolerat suorum peccata, ob maius ipsorum bonum.*

Ideoque contemptum omnem & iniuriam, quæ sibi per peccata inferuntur, Deus misericordissimus longanimiter tolerat, & multis annis benignissimè tulit, vt homo quandoque ad peccatorū suorum, & æternæ charitatis Dei veram perducatur agnitionem; & ex his suus amor, gratitudo, reuerentia, strenuitas erga suum conditorem augeantur, fiantque meliora, & vehementiùs accendantur. Ista quippe non rarò ex peccatorū cognitione oriuntur in homine. Vnde vitiorū probra & contumeliā patienter ab electis suis Deus tolerat, vt eos olim ad magna quædam & sublimia perducat.

4. *Patet in Apostolis, aliisque multis, qui post grauia peccata fuēre tamen Deo charissimi.*

Quis, quæso, Domino nostro Iesu Christo vasis illis misericordiæ suæ (Apostolos dico) charior aut familiarior fuit? quorum tamen nemo perstitit, sed omnes in peccata ceciderunt, vnus tamen grauiùs alio. Huiusmodi lapsus tam in veteri quàm nouo Testamento, sæpè Deus etiam in illis sustinuit, qui ipsi postmodum fuere chariores. Et perrarò [f] contingit aliquem ad magna quædam prouehi, qui non priùs in aliquo lapsus sit.

5. *Citò igitur surgendum à peccato, & pœnitentiæ tarditas magnitudine dilectionis compensanda.*

Vnde mox vt in aliquo te excidisse cognoueris, totis viribus amorosè te ad Deum conuertas, idque profundâ cum displicentiâ tuiipsius: & ab omni peccato seriò te auertens, minimum illud quod contra Dei gessisti honorem ac beneplacitum, magis quàm omnem illam confusionem, damnum, pœnam, ignominiam, quæ illo ipso meruisti, ponderare studeas, atque ad Deum (vt dixi) ex vero amore, cum stabili perpetuoque numquam deinceps peccandi proposito, te conuertas. Ista autem conuersio, cum immobili quadam ad Deum fidelissimum amicum tuum dilectione coniuncta erit: cuius nimirum tanta fidelitas est, vt neminem deserere possit, nec potuerit vmquam, qui plenâ illi fiduciâ innitetur.

6. *Quatuor conditiones veræ pœnitentiæ.*

Magna quippe 1. dedignatio & displicentia erga nosipsos, 2. cum vero ac serio numquam peccandi proposito, 3. & amorosà ad Deum conuersione, 4. firmaque fiducia ex amarissimæ passionis ac immensæ charitatis illius concepta intuitu, vera pœnitentia est.

[a] Pro istâ consolatoriâ doctrinâ feruentissimæ & charitate informatæ contritionis, perfectè delentis omnia peccata, & peccatorem in integrū apud Deum restituentis, citant Scholastici apud D. Thomam 3. p. q. 86. a. 1. & 4. & q. 88. a. 1. Scripturas passim obuias Psalm. 31. & 50. Ioël. 2. Ierem. 18. Ezech. 18. & 33. 2. Reg. 12. item Luc. 7. vbi Magdalenæ remittuntur peccata, quia dilexit multum. & Luc. 15. vbi prodigo filio ad patrem redeunti redditur stola prima; & Marci 16. vbi resurgens Christus iubet per mulieres salutere Petrum, qui lacrymis contritionis deleuerat maculam criminis, & ad fauores pristinos redierat.

[b] Attendenda est perfectio contritionis ex motiuo doloris.

[c] Deus præsentes lacrymas pœnitentium adspicit, & ideò misericordiæ & beneuolentiæ brachiis amorosè amplectitur. Præterita peccata nec exprobrat, nec adspicit, nec meminit. Estque vna ex solidis Scoti subtilitatibus, qui in prædestinatione ac iustificatione hominum Deum vocauit Præsentiæ Deum, quasi in hominibus non adspiciat præterita aut futura, sed tantùm præsentia.

[d] per sua peccata iam condonata.

[e] per Dei gratiam nunc præsentem.

[f] O abyssum misericordiæ Dei erga peccatores!

CAPVT VIII.

Formula actuum contritionis, oratione comprehensa.

1. *Confessio peccatorum in generali:*
2. *Maxime verò ingratitudinis nostræ erga Dei longanimem benignitatem.*
3. *Agnitio reatus ad pœnam, quem pro peccatis incurrimus.*
4. *Deprecatio culpæ & pœnæ, cum petitione veniæ.*
5. *Reprehensio suiipsius.*
6. *Erectio ad spem misericordiæ, humilemque fiduciam.*
7. *Confusio & dolor ob auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturas.*

D. IOANNES THAVLERVS *Exercit. de Vitâ & paß. Christi, cap.* 13.

1. *Confessio generalis peccatorũ, cum humilitate & fiduciâ.*

O PATER omnipotens, pie, & misericors, ego miser & vilis peccator, cum tantâ humilitate quantâ mihi possibile est, & cum plenâ erga immensam bonitatem tuam fiduciâ, pedibus tuis prouolutus, confiteor tibi omnia magna & grauia peccata mea, quibus in hanc vsque horam te benignissimum Patrem meum offendi: quòd non timui execranda illa perpetrare scelera, quæ dilectus Vnicus tuus tam cruciabiliter diluit, & tantâ cum amaritudine expiauit.

2. *Specialis detestatio ingratitudinis erga Deum tantâ longanimitate vocantem & expectantem peccatores ad pœnitentiam.*

Confiteor etiam tibi, clementissime Pater, multam & magnam ingratitudinem meam, quòd ad hanc vsque horam tam ingratus fui & tibi & Filio tuo, pro omni amore, benignitate, & fidelitate, quæ mihi exhibuisti; quòd tot iam annis in meâ mihi malitiâ & peccatis tam longanimiter pepercisti, omnemque iniuriam & contemptum tibi à me per inobedientiam & maleuolentiam meam irrogata benignè tolerasti, nec non tantâ cum benignitate me expectasti ad pœnitentiã, quò posses quandoque obtinere cor meum ad extruendum in eo habitaculum tuum, & infundendum illi amorem tuum. Et ô quoties, Domine Deus meus, pulsasti ad ostium cordis mei per inspirationem tuam, beneficiis blanditus es, consolatione allexisti, afflictionibus compulisti; & tamen repulsam passus es, & semper dorsum tibi verti! quod ipsum tamen benignè sustinuisti. *Cant. 5. Apoc. 3.*

3. *Agnitio peccatoris ob reatum peccati dignũ se fuisse suppliciis æternis.*

O quàm iustè in abyssum me inferni detrudere poteras; & clementer mihi pepercisti! Mirum certè est, ô Pater dulcissime, non crepare præ contritionis vehementiâ cor meum, dum ista recogito. Prorsus nec infernus ipse tot pœnas habet, vt malitiam & scelera mea dignè corrigere possit. Indignus sum vocari creatura tua, & quem terra sustineat, cuique alimenta subministret. Mirum est, Domine, non esse vltas creaturas tuas, omniaque simul elementa, iniuriam & contemptum, quæ tibi per multiplices irrogaui iniquitates meas.

4. *Deprecatio pœnarum peccato debitarum, cum obsecratione paternæ misericordiæ.*

Sed nunc, fidelissime Pater, miserere (obsecro) mei, & conuerte ad me miserum ac desolatum peccatorem oculos diuinæ gratiæ & clementiæ tuæ. Aperi mihi viscera benignitatis tuæ; meque in gratiam recipiens, ignosce quòd tam diu distuli ad te conuerti. Pande mihi paternum pectus tuum, & infunde mihi nutrimentum & confortationem gratiæ tuæ. *Luc. 15.* Quæso, Domine Deus, operare nunc velociter in me id, cuius gratiâ mihi hucusque pepercisti, & ad quod ab æterno me præordinasti.

5. *Reprehensio sui ob dilatam pœnitentiam.*

Et væ mihi infelici peccatori, quòd tam amabilem tamque pium reliqui Patrem, qui numquam mihi nisi amorem, beneficia, gratiam & fidelitatem præstitit: quodque cor meum (in quo templum, habitationem & delectationem tuam habere decreueras) tibi denegaui, & multis fœdaui sordibus, factus vas iniquitatis, & antrum spirituum immundorum.

6. *Erectio ad fiduciam misericordiæ diuinæ.*

Planè confiteor, Domine, me omnium, quos mundus habet, vitiosissimum esse: sed nihilominùs in immensâ confido bonitate tuâ. Nam etsi supra numerum sunt peccata mea, etiam misericordiæ tuæ non est numerus. O Pater amantissime, *si vis, potes* vtique *me mundare. Sana animã meam,* quia peccasse me tibi confiteor. *Luc. 5. Psal. 40.* Memento, pie Domine, consolatorij verbi illius, quod locutus es per Prophetam quemdam tuum, dicens: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* *Ierem. 3.* Nimirum, Pater misericordissime, multùm in hoc verbo dulcissimo confido, totoque me corde ad te conuerto, ac si nemini præterquam mihi soli istud dixeris, meque per ipsum vocare volueris.

7. *Exaggeratio doloris & confusionis ab exemplo filij prodigi, ob auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturas, quod peccatori maximè deplorandum.*

Ego namque immunda hæc & infidelis anima sum, filius hic prodigus & inutilis, qui infeliciter me à Patre luminum, à quo bona cuncta promanant, abalienaui, ac velut ouis errans procul à te aberraui, perditis atque destructis omnibus illis largissimis donis tuis, quæ tam profusâ mihi concesseras liberalitate. Reliqui te *fontem aquæ viuæ, &* fodi mihi *cisternas,* consolationes externas quærendo, *quæ* tamen *continere non valent aquas,* cùm omnis temporalis caducaque delectatio velut fumus celerrimè euanescat. *Iacob. 1. Ierem. 2. Luc. 15.* Reliqui etiam te panem vitæ, & siliquas porcorum edi, sequendo appetitus sensuum, & bestialibus indulgendo affectibus.

bus. Deserui te summum, perfectissimum perenneque bonum, & ad terrena labentiaque defluxi. Ideoque verè nudus, pauper, miser, & immundus effectus sum, & vt iumentum in stercoribus & sordibus meis

Ioel. 1. computrui. Sed oro te, Pater, ne memineris contemptus & iniuriæ, quæ à me accepisti.

CAPVT IX.

Oratio alia pro veniâ peccatorum.

1. *Depositio peccatorum in Vulneribus Christi.*
2. *Propositum amoris.*
3. *Fiducia de misericordiâ ex meritis Christi passi:*
4. *Et ex immensâ misericordiâ Dei.*

D. IOANNES THAVLERVS *Exercit. de Vitâ & Passione Christi, cap. 25.*

1. *Proijcit omnia peccata sua in dulcia Christi Vulnera.* * *Obseruandæ praxes bonæ contritionis redactæ in formam orationis.*

AD* quem, ô Iesu dulcissime, innumeris peccatis onustus & conclusus, refugiam, nisi ad te misericordiâ plenum? Itaque omnia simul mala mea, omnem ingratitudinem, sensualitatem, iracundiam, inobedientiam, leuitatem, immortificationem, & cupiditatem meam, in abyssum proiicio diuinæ clementiæ & gratiæ tuæ, atque in sacratissima & cruenta Vulnera tua, quæ accepisti causâ salutis meæ; oroque te Deus meus, vt omnia hæc pretioso ac mundo Sanguine tuo ita diluere velis, vt nulla apud te eorum memoria perseueret.

2. *Proponit amare Deum super omnia.*

O amabilis Iesu, vnicum solatium meum, en accedo ad te pleno affectu ac desiderio te feruenter amandi, cunctaque, quæ me à tuo amore possint abstrahere, euitandi, quò vnus tecum effici merear, affectu, voluntate, & amore.

3. *Fiduciam concipit misericordia diuina ex intuitu passionis Christi:*

Spes mea omnis, consolatio & refugium meum tu es. Quantum me perturbant & deiiciunt peccata mea, tantum me exhilarat & erigit immensa bonitas tua, & merita sacratissimæ passionis tuæ. Quidquid enim ego deliqui, morte tuâ acerbissimâ abolitum est. Quidquid mihi deficit, merita sacratissimæ incarnationis & passionis tuæ abundè adimplent.

4. *Et infinitâ bonitate Dei.* * *Hoc piũ Exercitium cõtriti cordis, peccatori, in pusillanimitate, opportunum est & fructuosum.*

Et licet magna & innumera sint peccata mea, parua tamen sunt tuæ immensæ collata misericordiæ.* Vnde & confido de infinitâ bonitate tuâ, quòd numquam me perire sines, quem creasti ad imaginem & similitudinem tuam: nec me despicies, cuius caro, sanguis & frater effici voluisti. Sed & spero, minimè me abs te condemnandum esse, quem tanto redemisti labore, tam caro emisti pretio.

CAPVT X.

Deuota oblatio meritorum Christi pro necessitatibus nostris.

1. *Excellentia diuina philanthropiæ, seu Dei amantis humanum genus, quæ nobis per incarnatum Christum elucescit:*
2. *Datum scilicet nobis absq; vllis meritis nostris:*
3. *Et datum ad omnia peccata nostra pretio abundantissimæ satisfactionis compensanda.*
4. *Eius ergo merita efficacissima offeruntur Deo Patri pro necessitatibus nostris.*

D. IOANNES THAVLERVS *Exercit. de Vitâ & Passione Christi, cap. 8.*

QVID est homo, ô Pater misericordiarum, quòd sic amas eum, vt pro vilissimis peccatoribus, qui te semper offenderunt, & iniuriâ ac contumeliâ affecerunt, Iesum dares obedientissimum filium tuum? Ergóne plus illo nos amas? Vt nos viueremus, ipsum mori oportuit: vt nos exhilararemur, ipse tristatus est: vt nos sanaremur, ipse vulneratus est: vt nos mundaremur, ipse fudit pretiosum Sanguinem suum. 1. *Magna Dei dilectio erga homines, dantis Vnigenitum suum pro eis:*

Quidnam præuidisti in homine, vt adeò eum diligas, tam feruenter ames, tam ei fidelis sis? Enimuerò thesaurum pretiosissimum, & quidquid summum atque præcipuum præstare potuit paternum cor tuum, pro ipso dedisti redimendo, Iesum vtique dilectum filium tuum, Verbum cordis tui, quo enuntias nobis amorem tuum, quo nos tam paternè ab initio dilexisti. 2. *Idq; sine vllo merito nostro:*

O clementissime Pater, per amorem & supplices preces dilecti Filij tui, ignosce erratis peccatoris famuli tui. Suscipe dignissimum sacrificium vnigeniti Filij tui, & obliuiscere iniuriam nequam serui tui. Multò enim plura ille soluit tibi, quàm sit debitum meum. O si malitiam meam, & illius bonitatem; mea vitia, & merita acerbissimæ passionis eius, simul librare velles; nimirum longè hæc illis essent grauiora. Quod enim tam graue scelus esse queat, quod talis tristitia, talis afflictio, obedientia tanta, humilitas tanta, tam inuicta patientia, & præ omnibus tam ineffabilis amor, expiare non possit? Quod tam enorme sit crimen, quod feruens & cruentus sudor, pretiosusque Sanguis illius non diluat? Quod tam flagitiosum scelus, cui amarissima Christi mors non præponderet? 3. *Ad omnia vulnera nostra sananda.*

O cælestis Pater, en offero tibi ipsum Saluatorem & Redemptorem meum Iesum Christum, dilectissimum filium tuum, cum deuotione magnâ, & gratitudine mul- 4. *Oblatio efficacissima meritorum Christi pro*

tâ, in vnione amoris illius, quo illum ex paterno corde tuo ad me misisti, vt & meam susciperet naturam, & me ab æternâ morte liberaret. En offero tibi ineffabilem mœrorem, & incomprehensibilem angustiam, quam sustinuit, tibi soli satis notam, pro omnibus peccatis meis, & pro dolore ac contritione, quam me sentire iure oporteret. Offero, inquam, tibi sanguineum sudorem illius, pro lacrymis quas non habeo, & quas præ cordis duritiâ fundere non possum. Offero etiam tibi humillimas ignitissimasque preces eius pro omni tepore, ignauiâ & negligentiâ meâ. Offero denique tibi omnes grauissimos labores, exercitia virtutum, rigidam & asperam vitam, & quidquid demum in humanâ naturâ operatus est, & cruciatus omnes acerbissimos, quos in passione suâ perpessus est, vnà cum omni laude spirituum supernorum, & meritis Sanctorum omnium, in sacrificium dignum, ad æternum honorem & gloriam tuam, pro vniuersis peccatis meis, quibus vmquam te offendi, & virtutibus quas exercere neglexi: nec non pro viuis & defunctis omnibus, pro quibus tu Deus meus rogari vis, & ego rogare sum adstrictus; vt des singulis per dilectum Filium tuum, quod eis noueris esse necessarium, ad fideliter seruiendum tibi in eo statu, ad quem sunt tuâ misericordissimâ pietate vocati.

omnibus necessitatibus nostris: quæ praxis orandi pia & vtilis ad consolationem pusillanimium vsurpanda.

CAPVT XI.

Excellens efficacia perfectæ contritionis ad culpam & pœnam diluendam.

§. I.

1. *Perfecta contritio procedens ex motiuo perfectissimæ charitatis, aliquando breuissimo spatio delet culpam simul & pœnam. Quod magnam consolationem afferre debet timoratis conscientijs.*

2. *Quamuis enim rara sit talis contritio, ob nostram tepiditatem; expedit tamen scire, eam esse cuiuis ex gratiâ Dei possibilem; & suadendum vt conemur ad eam quam proximè accedere. Nam quantò plus diligimus, tantò plus nobis dimittitur; iuxta regulam Christi de amore Magdalenæ:* Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multùm. *Luc. 7.*

3. *Est autem pretiosissimus hic thesaurus veræ contritionis & dilectionis, quo omnia nobis necessaria & vtilia mercari possumus.*

D. IOANNES THAVLERVS *Instit. c. 1.*

1. *Quanta sit virtus perfectæ contritionis etiam ad reatum pœnæ remittendum. de quo legi-*

POSSET quis breui spatio ex vero Dei amore, cum tantâ displicentiâ ac suiipsius dedignatione seu aspernatione, purè ad Dei gloriam, seipsum ab omni peccato tam strenuè ac fortiter auertere, vt cuncta ei peccata sua etiam cum pœnâ dimitterentur: ita vt si sic eum mori contingeret, ad Deum sine [a] medio euolaret, licet etiam totius mundi peccata solus admisisset.

di Doctores Scholastici apud diuũ Thomam 3. p. q. 86. art. 4.

Quòd enim parum nobis sæpè de pœnâ, etiam post absolutionem à culpâ, remittitur, inde accidit, quòd nostra contritio, & ab omni peccato auersio, atque ad Deum conuersio, & amor noster, ex toto corde, ex totâ animâ, ex omni mente cunctisque viribus nostris minimè procedunt: sicut à [b] Deo præceptum habemus.

2. *Contritio est sæpè imperfecta, ex defectu conatus, ideóq; paruã pœnæ remissionẽ plerumq; impetrat.*

Verus etenim amor, veraque ad Deum confidentia, perfecto odio, displicentiæ ac nostri ipsorum despectui coniuncta, pretiosissimus est thesaurus, quo facilè quidquid desideramus, imò plusquam desideramus, mercari ac obtinere valemus.

3. *Maximus thesaurus dilectionis & contritionis.*

[a] Sine impedimento pœnæ purgatoriæ, quæ plerumque retardat à beatitudine eos, qui verè quidem contriti fuerint, & sufficienter ad condonationem omnis culpæ, sed non omnis pœnæ.

[b] Vide Opusculum D. Thomæ de Moribus Dei, & 2. 2. q. 44. art. 4. 5. 6.

§. II.

1. *Misericordia Dei solet paruulam & breuissimi temporis pœnitentiam acceptare ab illis, qui plus nequeunt ob fragilitatem aut infirmitatem præstare.*

2. *Et peccata semel dimissa non exprobrat: neque propterea familiaritatẽ suam subtrahit aut minuit.*

Idem THAVLERVS *eod. cap.*

LIcet mater obliuiscatur interdum vnici filij sui, Dominus tamen (prout ipse testatur) haudquaquam nostri potest obliuisci. Tanta siquidem eius misericordia est, vt stuppa aliqua siue linum in immenso igne positum, non tam citò incendi possit, quàm ipse peccatori veraciter dolenti peccata omnia condonare paratus est. Enimuerò [a] inter Dei bonitatem & pœnitentem peccatorem, neque tempus, neque medium vllum intercedit.

1. *Misericordia diuina immẽsitas, statim condonando peccata ob dolorem peccatoris. Isaiæ 49.*

Deinceps autem inter Deum & huiusmodi pœnitentem tam perfecta suboritur fidelitas, ac si peccata commissa non essent: tamque bonus & super omnem æstimationem pius est Dominus, [b] vt quæ semel condonauit, numquam ei improperet, nec vllum propter ea dispendium siue pœnam eum sustinere velit, si tamen in vitâ correctiore persistat.

2. *Deus non subtrahit amicitiam intimam verè pœnitentibus.*

[a] Non est opus morâ temporis, aut medio alio vllo, nisi perfectâ charitate, vt Deus gratiosissimè coniungatur pœnitenti peccatori. De quâ re D. Hieronymus loquens, post multa in Epist. 46. ad Rustic. *Nullum, ait, in medio est spatium. Mors & vita sibi contraria sunt, & tamen pœnitentiâ copulantur.*

[b] D. Thomas 3. p. q. 88. art. 1. disputat, vtrùm peccata dimissa redeant per subsequens peccatum: & respondet, non redire simpliciter, sed secundùm quid. Iuxta quam doctrinam accipe hæc à Blosio dicta.

§. III.

§. III.

1. *Nullius indulgentissimæ matris amor erga vnigenitum, comparari potest amori, quo Deus dignatur peccatores verè contritos.*

2. *Quæ causa est, quare multi peccatores conuersi magis exardescant in amore Dei, quàm multi faciunt innocentes: quia videlicet magis penetrant vim diuini amoris ex summâ indignitate, in quam eos sua coniecerant peccata.*

3. *Vnde etiam plerumque gratiores sunt Deo quàm fuissent, si numquam peccassent.*

HENRICVS SVSO *Serm.* I. *in Dominic.* III. *Aduent. apud Thaulerum.*

1. *Viscera Dei plus quàm materna erga verè contritos, post peccata maxima & plurima.*

DEus benignissimus tam inexhaustus fons est prorsus immensæ misericordiæ ac naturalis bonitatis, vt numquam vlla quamlibet fidelissima mater proprio filio suo, quem sub corde suo gestauerit, tam desideranter ac libēter in mediis flammis iacenti manum porrigeret adiutricem, sicut Deus homini contrito, etiamsi possibile foret eum omnia totius mundi peccata vel millenis vicibus quotidie perpetrasse.

2. *Tãtus erga pœnitentes amor Dei maximè accendit corda verè contrita, etiam magis quàm plerosque innocentes.* Psal. 15.

Quid igitur causæ est, ô dulcissime Deus, quòd multis cordibus tam verè amabilis es? cur animæ multorum tantopere exultant de te? cur mentes plurimorum ita copiosè lætantur in te? Numquid hoc ipsorum innocentiæ tribuendum est? Minimè. Sed dum attendunt proprios defectus & culpas suas, & quàm te verè sint indigni, quamque nihilominùs tu eis teipsum adeò liberaliter exhibeas, impendas, offerasque, cùm tamen bonorum nostrorum non egeas; hoc est, Domine, quod te in eorum cordibus tam verè magnum dulcemque efficit. Ita namque facile est tibi mille, sicut vnum, talenta remittere; & infinitis mortalibus culpis, sicut vni, veniam dare. Et hæc dignatio est super omnem dignationem. Vnde nec ipsi dignas vmquam tibi gratias referre possunt: & ideò in tuis laudibus corda ipsorum resoluuntur & liquefiunt.

3. *Quamuis innocentia melior sit pœnitētiâ, multi tamē pœnitentes et plus diligūt quàm multi innocentes: & melior est feruens post culpā vita, quàm securitate torpescens innocentia.*

Planè etiam, secundùm Scripturas, multò isti tibi laudabiliores sunt, quàm si numquam in peccata collapsi essent, & in tepore viuerēnt, nec tantâ erga te dilectione feruerent. Nam iuxta D. Bernardi sententiam, non tam attendis quid homo fuerit, quàm quid pro cordis sui desiderio esse velit. Et ideò quisquis de te peccatorum remissionem, etiam tot vicibus quot momenta sunt temporis, negare tentat, magno te prorsus honore spoliare molitur.

CAPVT XII.

Quatenus vsurpanda sit peccatorum remissorum memoria.

1. *Peractâ ex discreti Confessoris directione Sacramentali pœnitentiâ, peccata non sunt in particulari à pusillanimis recogitanda, propter periculum aut relapsus, aut desperationis.*

2. *Possunt multa, etiam grauissima peccata, breuissimâ temporis morâ ita deleri per excellentissimam contritionem feruentissimâ charitate inflammatam, vt homo sic moriens liber sit ab omni reatu pœnæ; quod est mori tamquam innocentem. Potest etiam fieri ob debilem, tametsi veram contritionem, vt vnum solum peccatum sic deleatur quoad culpam, vt, propter debilem conatum pœnitentis, maneat pœna temporalis exoluenda in purgatorio; quod est mori tamquam pœnitentem.*

IOANNES THAVLERVS, *postquam multis verbis præclarè exaggerasset necessitatem operum pœnitentiæ, addit pro solatio pusillanimium, Instit. cap.* I.

1. *Peractâ pœnitentiâ Sacramentali, melius est pusillanimibus tēdere ad dilectionem Dei, quàm peccata recogitare, maximè quæ turpia sunt, & rememorando cor purgatum contaminare possent, vt & blasphemia, & similia.*

QVIDAM amicus Dei, interrogatus quid facere vellet, si (vt multi peccatores) omnibus diebus vitæ suæ in magnis iniquitatibus vixisset; respondit: Si omnia quæ sapiens & discretus Confessor mihi iniunxisset, fecissem, & peccata sicut oportet dimisissem, numquam deinceps * vellem inde cogitare, nec cor meum eis contaminare: sed tam purè deinde conarer viuere, vt omnium meorum peccatorum in me Deus penitus obliuisceretur. Quando enim ampliùs peccatum nec volumus nec perpetramus, prorsusque ab eo auertimur, tunc & Deus ipsum obliuioni tradit.

* Consilium hic datur pusillanimibus & scrupulosis, quibus, post susceptum ritè Pœnitentiæ Sacramentum, expedit abstinere ab anxiâ nimis recordatione singulorum peccatorum, præsertim luxuriæ, blasphemiæ & similium; idque ob periculum desperationis vel relapsus: nec ideò excluditur recordatio aut pœnitentia peccatorum, etiam antè condonatorum, saltem in genere; quam Blosius alibi commendat, vt videre licet in Speculo Monachorum, Diuis. 5. num. 3. § *Deinceps.* & seqq.

2. *Quantum possit perfecta cordis ad Deum conuersio.*

Si quadraginta annis in peccatis vixissem, & iam tempus resolutionis meæ instaret, si peccata mea purè confessus essem, meque ipsum * cum perfecto amore ita ex fundo cordis mei saltem vnius Angelicæ Salutationis spatio, in Deum recipere & conuertere possem, vt totus ad ipsum conuersus, &

* Obseruet Lector, quàm multa tum hic, tum Cap. 7. suprà, tum alibi requirat Auctor ad veram istam & totalem ad Deum conuersionem ex perfectâ charitate promanantem, vt ad culpæ & totius pœnæ remissionem sufficiat.

LAT. PVSILLAN.

ab omni pecato auersus essem; tunc planè sicut purus &* innocens homo ex hac luce migrarem. Si verò non nisi vnum peccatum admisissem, & in dolore, contritione, ac mœrore hinc exirem; tunc vtique sicut pœnitens* morerer.

* Nempe deleto per charitatem perfectam omni reatu.

* Propter charitatem minus intensam, etsi veram.

Porrò huius Capitis doctrinam dulcissimæ & plenissimæ consolationis, pius afflictorum consolator BLOSIVS ad scrupulosorum ac pusillanimium verè pœnitentium consolationem iisdem ferè Thauleri verbis repetit in Monili spirituali cap. 12. §. 8. vbi Lector, sicut & alibi, Notas huius Capitis in memoriam reuocare poterit: cui etiam suademus, vt pro maiori Blosianæ doctrinæ illustratione legat Chrysostomum Homiliis de Pœnitentiâ ac Niniuitis, & ad Theodorum lapsum, Bernardum Ser. 11. in Cant. Augustinum in Psal. 31. & 139. & maximè Cassianum Coll. 20. cap. 9. ac Richardum Hallum lib. 3. Conscientiæ quinquep. cap. 50. & vicinis. Videre etiam poterit Interpretes super Ezech. cap. 18. v. 21. & 22. & cap. 33. v. 12. ac Doctores Casuum v. Scrupuli.

CAPVT XIII.

Consolatio pro distractionibus in oratione.

1. Deus misericorditer tolerat distractiones ex merâ infirmitate naturæ prouenientes.

S. AVGVSTINVS *in Psal.* 85.

1. *Misericors Deus cogitationes obrepentes inter orãdum facilè condonat fragilitati humanæ.*

QVID? desperandum est de genere humano, & dicendum, iam ad damnationem pertinere omnem hominẽ, cui subrepserit aliqua peregrina & vana cogitatio oranti, & interruperit orationem ipsius? Si hoc dixerimus, fratres, quæ spes remaneat non video.* Porrò quia nobis bona spes est ad Deum, quia magna est eius misericordia, dicamus ei, Iucunda *animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.* Et quomodo eam leuaui? Quomodo potui, quomodo tu vires dedisti. Suauis es, Domine, ac mitis. Mitis es, tolerans me. Ex ægritudine defluo: cura, & stabo; confirma, & firmus ero. Donec autem facies, toleras me: quia tu suauis es & mitis, *& multùm misericors.* Nõ enim solùm misericors, sed & multùm misericors omnibus inuocantibus te.

* Praxis & allegoria huius consolationis est apud S. Gregorium lib. 16. Moral. cap. 20. super c. 23 Iob. Psal. 85. Psal. 101.

CAPVT XIV.

Consolatio in certamine contra gulam.

1. Rarum est gulæ defectibus non tentari.

S. AVGVSTINVS *lib.* 10. *Confess. c.* 31.

1. *Humilis & imitanda S. Augustini confessio de gulæ defectibus.*

EGO in tentationibus positus, certo quotidie aduersus concupiscentiam manducandi & bibendi. Et quis est, Domine, qui non aliquando rapiatur aliquantulùm extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum: ego autem non sum, quia peccator homo sum. Sed & ego, ô Pater cælestis, magnifico nomen tuum: & interpellat te pro peccatis meis Vnigenitus tuus, qui vicit sæculum, numerans me inter intima membra corporis sui.

CAPVT XV.

Consolatio in luctâ castitatis.

1. Prælium castitatis cessabit in patriâ cælesti:

2. Sed omnino perseuerabis in hac vitâ mortali, quæ est perpetua militia.

3. Nec vllus super terram absque concupiscentia bello viuet. relinquitur enim hic hostis, vt de eo triumphantes coronemur in cælo.

S. AVGVSTINVS *Ser.* 43. *de Verb. Domini.*

ATTENDITE Sancti quicumque pugnatis. Præliantibus loquor: intelligunt qui pugnant, non me intelligit qui non pugnat. Vult homo castus, vt nulla omnino surgat in membris suis concupiscentia aduersaria castitati. Pacem vult, sed nondum habet. Quando enim ad illud ventum fuerit, vt nulla omnino exurgat concupiscentia aduersaria, nullus erit hostis cum quo luctemur: nec expectatur ibi victoria, quia de hoste iam victo triumphatur. 1. *Carnis concupiscentia cessabit post hanc vitã:*

Modò autem quando *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem,* contentio est. Non quod volumus facimus. Quare? Quia volumus vt nullæ sint concupiscentię, sed non possumus. Velimus nolimus, habemus illas: velimus nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt: premuntur, nondum extinguuntur. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæcumque vultis, faciatis.* 2. *Non autem in hac vitâ:* Galat. 5. Rom. 7.

Quid enim vultis, ô Sancti, ô boni præliatores, ô fortes milites Christi, quid vultis? Vt non sint omnino concupiscentiæ malæ. Sed non potestis. Exercete bellũ, sperate triumphum. Facite quod potestis, quod ait ipse Apostolus alio loco, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore,* ad obediendum desideriis eius. Non ait, Non sit peccatum; sed, *Non regnet.* Quamdiu viuis, peccatum necesse est esse in membris tuis: saltem illi regnum auferatur, non fiat quod iubet. 3. *Vt tota vita contra eam pugnantes, in terrâ vincamus, & in cælo triumphemus.* Rom. 6.

CAPVT XVI.

De imperfectionibus, & tentationibus seruorum Dei in vitâ spirituali.

§. I.

1. Magna premia etiam imperfectis parantur in domo Dei, vbi mansiones multæ & vasa varia.

S. AVGVSTINVS *in Psal.* 138.

IN libro tuo omnes scribentur, non solùm perfecti, sed etiam imperfecti. Non timeant imperfecti, tantùm proficiant. Nec tamen, quia dixi, Non timeant, ideò ament imperfectionem, & ibi remaneant: sed tantum proficiant, quantum in ipsis est. 1. *Imperfectis, sed facientibus quod in se est, locus datur in libro Dei.*

§. II.

§. II.

1. *Semper est conandum, vt proficiamus in vitâ spirituali.*

2. *Et qui hoc curat toto desiderij conatu, etiamsi repentè moriatur, securè tamen moritur.*

3. *Non peccat, qui sentit motum peccati, sed ille peccat qui motui consentit, & succumbit.*

4. *Sensus tentationum sine consensu, ideò relinquitur in seruis Dei, vt mansuetè compatiantur tentatis & tribulatis; & vt ipsi non extollantur ob dona gratiæ: quæ est causa cur D. Paulo datus est stimulus carnis, 2. Cor. 12.*

S. BERNARDVS *Serm. 49. in Cantica.*

1. *Numquam non progrediendum in viâ spiritus.* Ioan. 12. Sap 4. AMbulemus dum lucem habemus, ne tenebræ nos comprehendant. Ambulare, proficere est. Non ambulantem, sed sedentem à mortis tenebris comprehendi, periculum est. Et quis sedet, nisi qui non curat proficere? Id caueto: etsi morte præoccupatus fueris, in refrigerio eris.

2. *Sic securè morieris, etsi repentè moriaris.* Psal 138. Dices Deo: *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Et nihilominùs (inquit) *in libro tuo omnes scribentur.* Qui omnes? Profectò qui in desiderio proficiendi inueniuntur. Proficientes enim si morte præoccupati fuerint, in eo quod eis deest[a] perficiendi sunt.

3. *Sensus peccaminosi motus, differt à consensu.* Et quomodo, ais, ego proficere possum, qui fratri proficienti inuideo? Si doles quòd inuides, sentis, sed non consentis. Passio est quandoque sananda, non actio condemnanda. Tantùm non illic resideas, iniquitatem meditans in cubili tuo: qualiter videlicet foueas morbum, satisfacias pesti, persequaris insontem, benè ab illo gesta calumniando, deprimendo, peruertendo, atque impediendo gerenda. Alioquin, non nocet tibi ambulanti & extendenti te ad meliora, quod iam non operaris, sed quod habitat in te peccatum.

4. *Sensus tentationū facit vt tentatis compatiamur, & non superbiamus.* Rom. 7. & 8. Non est ergo damnatio illi qui non dat membra sua arma iniquitati, non linguam ad detrahendum, non quidquam reliqui corporis ad lædendum nocendúmve aliquo modo: magis autem confunditur sic se esse malè affectum, & inolitum ex longo vitium, confitendo, flendo, orando conatur expellere: & cùm non præualet,[b] mitior inde ad omnes, atque apud se humilior inuenitur. Quis sanè sapiens hominem damnet, Math. 11. qui à Domino didicit mitis esse, & humilis corde? Absit vt inueniatur expers salutis, imitator Saluatoris.

[a] Quia bonus Dominus in famulis bonæ voluntatis coronat bonum desiderium proficiendi, si mors intercedat, & profectus non sequatur.

[b] Ecce fructus duplex pugnæ aduersus concupiscentiam rebellantem.

§. III.

1. *Permittit Deus defectus aliquos ad gratiam humilitatis conseruandam.*

2. *Seruatur humilitas securiùs, cùm fragilitatem nostram alijs manifestam scimus, vt non audeamus superbire coram testibus infirmitatum nostrarum spiritualium.*

3. *Facit hæc sui notitia eos cautiores, vt remedia defectibus suis diligentiùs apponant.*

IOANNES THAVLERVS *Institut. cap. 34.*

PLerumque & in electissimis amicis suis aliquid semper vitij Deus residere permittit: & vt plurimum ad iram & vehementiam proniores sint, quò & sibiipsis innotescant, & alijs; atque per hoc gratia sua, quam illis infudit, velut ignis sub cineribus occultetur & conseruetur. 1. *Nœui in bonis reperti, faciunt ad custodiam humilitatis.*

Igitur, vt nihilum suum ipsi penitius agnoscat, Deo permittente, defectus quosdam incurrunt, veluti est, indignationis motus, aut durioris asperiorisque verbi subita prolatio. Inde verò sibiipsis & alijs quos id videre vel audire contingit, vilescunt; & ita suo nihilo magis immerguntur. 2. *Minùs enim superbis, qui se ab alijs fragilem agnosci sentit.*

Nec est quòd hinc terreantur Christi serui: modò in suum se nihilum ampliùs demittant, ac seipsos penitiùs cognoscant. Facilè his defectibus mederi poterit, fietque vt deinceps cautiores sint. 3. *Cautiùs agit, & diligentiùs medelam quærit.*

CAPVT XVII.

De humili fiduciâ in misericordiâ Dei.

§. I.

1. *Animus ad fiduciam sanctam assuefaciendus, quod peruitile est ad securam mortem.*

IOANNES THAVLERVS *Instit. cap. 34.*

DVM incolumes sumus, meritò nosipsos in verâ erga Deum fiduciâ exercere deberemus; vt, vbi illa potissimùm necessaria erit, eam velut ex vsu habeamus. In illo siquidem extremæ necessitatis articulo, & plurimum confert, & securè mori facit eos qui ad hanc sese assuefecerunt, & Deo per exercitia crebra atque continua didicerunt inniti. 1. *Fiducia erga Deum crebrò exercenda, maximè in horâ mortis.*

§. II.

1. *Cogitanti magnitudinem misericordiæ diuinæ, nulla potest obrepere causa desperationis.*

2. *Modò fiduciam coniungat humilitati & amori Dei, & sollicitudini vitandi peccata; alias degeneraret in præsumptionem.*

[*] *Quidam pius* SCRIPTOR.

NVlla mœroris magnitudo, nulla angustiarū acerbitas, nulla defectuum multitudo, nulla scelerum enormitas, te ad desperationem nimiámve pusillanimitatem addu- 1. *Numquam desperandū de misericordiâ diuinâ inquacumque pusillanimitate.*

[*] Sunt qui putāt Anonymū hunc esse Blosiū: sed nominandus non videtur, quē Blosius voluit toties prodire & loqui anonymum.

adducat. Quantúcumque peccaueris, semper Dei misericordia in infinitum [a] excedit tuas iniquitates: quantumcumque infirmus sis, semper illius benignitas adiuuare parata est tuam fragilitatem.

2. *Placet Deo humilis fiducia, coniuncta conatui proficiendi.* Vult & potest Deus sanare ac liberare te, si ad eum verè conuerteris, atque humilis factus, ipsum piè inuocas, & speras in eo. O quàm homini salutaris, & Deo grata est spes atque confidentia illa, quam Dei amor sanctaque humilitas parit, & quæ hominem non ad negligentiam vel incuriam sese emendandi, neque ad facilitatem peccandi pertrahit, sed magis ad conatum proficiendi extimulat!

[a] Ideoque est damnata vox desperabundi Caini ad Deum, Gen. cap. 4. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.*

§. III.

1. *Ipsa Dei natura est bonitas & misericordia.*
2. *Proinde sicut vbique præsens est eius natura, sic cuiuis obuia eius misericordia.*
3. *Humilis & amorosa fiducia, Dei donum est.*

Idem Scriptor.

1. *Dei essentia est abyssus bonitatis.* QVantumuis magni peccatores & imperfecti homines simus, quare non cum humili plenaq; fiduciâ ad Deum conuertimur, qui est abyssus inexhaustæ pietatis, cuius natura bonitas est, cui verè proprium est misereri semper ac parcere?

2. *Dei misericordia omnibus peccatoribus sese quærentibus vltrò occurrit.* Iustum omnino est, vt eum ex intimis animæ medullis diligamus, qui benignissimus est erga peccatores, & nos quotidie cogitationibus, verbis atque operibus offendentes, cum gaudio recipit, nobisque libenter ignoscit, si ad eum confugimus, & in eo speramus atque confidimus.

3. *Humilis fiducia mortis solatium est à Deo datum.* O quàm præclarum Dei donum est, firma, humilis, & amorosa in Deum fiducia! Hanc qui habet, dum ei moriendum est, nimirum feliciter ex hac vitâ emigrat.

§. IV.

1. *Deus non seuerus Iudex, sed pius Pater erga verè pœnitentes.*
2. *Imò potiùs materna viscera erga ipsos gerit.*
3. *Quia non vincitur nostrâ ingratitudine, sed longanimiter inuitat ad pœnitentiam.*
4. *Quantum amorem postulat talis dilectio.*

Idem Scriptor.

1. *Deus paterna gerit viscera erga filios prodigos à peccatis ad se cum contritione redeuntes.* SI nobis ex animo displicent peccata nostra, & iam humiles facti, vitam corrigere, Deoque placere verè desideramus, ipse Deus nobiscum agere vult, non sicut seuerus iudex, sed sicut pius & misericors pater: nam *apud eum propitiatio & copiosa redemptio* est. *Non* iam *secundùm peccata nostra* facit *nobis*, *neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis: quoniam secundùm altitudinem cæli à terrâ corroborauit misericordiam suam super timentes se: & quantum distat ortus ab occidente, longè* facit *à nobis iniquitates nostras: & quomodo miseretur pater filiorum*, miseretur *Dominus timentibus se.* Psal. 129. Psal. 102.

2. *Amor Dei erga nos ineffabilis & incomprehensibilis, superat longè amores maternos.* Sanè numquam aliqua mater tam tenerè dilexit vnicum filium suum, quàm tenerè ille nos diligit. Tam vehementi, dulci & incomprehensibili amoris ardore pijssimum cor Saluatoris nostri Iesu Christi erga nos semper flagrauit & flagrat, vt si vel tenuissimam amoris illius scintillam corda nostra perciperent, ipsa statum præ ardoris vehemētiâ scinderentur, ac resoluta [a] deficerent.

3. *Nostris peccatis non minuitur: quibus non obstantibus, patienter nos expectat ad pœnitentiam.* Ecce nos ingrati quotidie illum multis modis offendimus; & tamen non propterea ipse nos à se repellit, sed humiliatos benignè dulciterque semper suscipit, atque etiam innumeris beneficijs fouet. Et licet per mortalis peccati consensum sæpè illum à nobis quasi violenter abiecerimus, nec sic tamen permisit, vt diabolus abominandos ad æternum supplicium pertraheret: sed expectauit nos longanimiter, donec resipiscentes ad eum reuerteremur.

4. *Ferrei igitur sumus, si tanto amore non sauciemur, nec amemus eum qui sic amauit nos.* Planè, si immensam Dei pietatem & misericordiam erga nos, fidelissimumque & infinitum amorem ritè perpenderemus, nimirum toti amore saucij à nobisipsis atque à creaturis omnibus deficeremus, & nihil possemus diligere, nisi ipsum dulcissimum amatorem ac Redemptorem nostrum, qui nos ad imaginem suam creauit, & cùm sit Dominus summæ maiestatis, propter nimiam charitatem, quâ diligit nos, carnem humanam assumere, fraterque noster fieri, & triginta tribus annis salutem nostram super terram operari, ac tandem passionem acerbam pro nobis sustinere, pretiosumque Sanguinem fundere, & in ignominioso crucis stipite mori voluit. Eia, amemus eum qui nos sic amauit & amat. Quòd si needum ardenter amare possumns, amemus quantum ille donare dignatur, & magis magisque amare desideremus, sedulò petentes ab eo quod nondum accepimus.

[a] Sic exempla Sanctorum passim obuia docent varios cordis affectus & effectus ob dulcedinem diuinæ misericordiæ & bonitatis gustatam, teste Sponsâ, quæ in Canticis cap. 2. & 5. amore languet, & amore liquefit per varias cordis affectiones. De quibus legi possunt gesta Francisci Assisiatis, Philippi Nerij, Stanislai Kostkæ, Claræ de Montefalco, Catharinæ Senensis, Teresæ de Iesu, & similium, quorum cor & caro exultauerunt in Deum.

CA-

CAPVT XVIII.

De ariditate, & subtractione sensibilis deuotionis.

1. Desolatio spiritualis, & interiores tenebræ, sensibilisque gratiæ subtractio, non est signum quòd Deo displiceamus:

2. Sed potiùs quòd ab eo amemur, si desolatione patienter & fructuosè vtamur.

3. Hoc est, cum resignatione in Deum quasi abscondentem se à nobis ad tempus, & piorum exercitiorum virili adimpletione.

Quidam pius SCRIPTOR.

1. *Ariditas spiritus non semper est signū quòd Deo displiceamus.* QVANDO spirituali cognitione, sensibilique gratiâ & deuotione subtractâ, tardum, pauperem, frigidum, ac velut à Deo derelictum proiectúmque te sentis, quando afflictus præ tædio dormitas, & tantâ mentis instabilitate fatigaris, vt in sanctis cogitationibus nullâ ratione persistere possis; non propterea putare debes, quòd cælesti Sponso displiceas.

2. *Si eâ non obstante tempus vtiliter expendamus.* Nam si tunc fidelitatem illi seruas, si vana solatia non sectaris, si illas tenebras, illam cordis ariditatem patienter humiliterque sustines, & torpore excusso tempus vtiliter expendis; plurimùm ei places.

3. *Resignato animo piis exercitiis insistentes.* Dum igitur in tali calamitate positus es, resigna te totum in diuinum beneplacitum, & per sanctam fiduciam Domino firmiter innitere, dicens cum beato Iob: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* Tunc quidem quælibet pia exercitia tibi insipida sunt, sed Deo optimè sapiunt, & animæ tuæ maximum fructū adferunt, si facis quod in te est. *Iob 13.*

CAPVT XIX.

Vt quisque sit mensurâ gratiæ statui suo concessâ & conuenienti contentus.

§. I.

1. Deum amemus, quantum per Dei gratiam poterimus: & Deus augebit amorem, & amanti securum præstabit premium.

S.BERNARDVS *Tract. de diligendo Deum. §. Hîc primùm.*

1. *Amore Dei, pro sorte suâ, contentus esse quisque debet.* DILIGAM te Domine pro dono tuo, & pro modulo meo. Si tantum diligere non possum, quantum diligere debeo, non possum tamen vlterà quàm possum. Potero verò te amare ampliùs, quando ampliùs donare dignaberis: numquam tamen tantum te diligere potero, quantum dignus es qui diligaris. *Imperfectum meum viderunt oculi tui: verumtamen in libro tuo omnes scribentur*, qui quod possunt, faciunt, etsi, quod * debent, non possunt. *Psal. 138.*

* Loquitur de debito consilij, non præcepti.

§. II.

1. Voluntas bona bono affectu cauens peccata, & studens virtuti pro ratione status in quo vnusquisque vocatus est, iungit animam Deo, etsi in effectu ipso maiora opera non assequamur.

IOANNES THAVLERVS *Instit. cap. 2. ex Rusb. de Præcipuis quib. virtut. cap. 13.*

1. *Bona voluntas hominem Deo coniungit, etsi maiora opera facere nequeat.* NVllâ ratione homo bonæ voluntatis vel ob defectus quosdam minores, vel ob naturæ imbecillitatem, vel quia forinsecus asperiorem viuendi modum seruare nequit, vel ob inæqualitatē quam in seruitio Dei & virtutum sentit exercitio, à Deo se remotiorem æstimare debet. Hoc autem summo curabit studio, vt vitia grauiora maioresque defectus suos ita radicitus euellat, vt pro nullâ re, neque pro vitâ, neque pro morte quidquam facere aduersus præcepta Dei consentiat. Quæ voluntas quamdiu in ipso perseuerat, non est vnde se à Domino longiùs abesse suspicetur.

CAPVT XX.

Quòd nullum opus bonum propter vehementiam afflictionum spiritus sit prætermittendum.

1. Astus est diaboli quotidianus, cùm tempus Festi aut Communionis sacra maiorem postulat deuotionem, inijcere occupationes repentinas, grauiores tentationes, aut ariditates spirituales.

2. Sed hæc nihil impediunt bonitatem operum aut exercitiorum spiritualium.

3. Ideóque tantò magis bono operi est insistendum, quantò magis experimur diabolum per huiusmodi techñas velle nos à Deo auocare.

D.HENRICVS SVSO *Serm. 1. in Domin. III. Aduent. apud Thaulerum.*

1. *Diabolus maximè insidiatur solemnioribus occasionibus pietatis.* PLERIQVE * quantò sacratiora sunt tempora, & ipsi se libentiùs ad Deum conuerterent, tantò magis ipsorum afflictio augetur, ita vt nec vnam quidem Orationem Dominicam, vel Angelicam salutationem absque diabolicis susurris explere liberè possint. Vnde & ipsi in quamdam velut desperationem labentes, orationem à se abiiciunt, & hoc pacto sibiipsis loquuntur: Quid putas, ista tibi oratio prodest tot sordibus conspurcata?

2. *Proptereà diligentiùs repellendus; quia victoria gloriosior & gratior Deo.* Sed in hoc nimiùm errant, & suo aduersario penitus obsequuntur, cuius hoc præcipuum

puum studium est, vt eos ab exercitijs spiritualibus repellat. Nesciunt certè, quòd oratio ipsorum cum omnibus immissionibus illis, de quibus dolent, optimè sapit, & verè accepta est ante conspectum diuinæ Maiestatis. Sæpè namque (vt D. Gregorius ait) mens humana adeò perturbatur, vt seipsam eruere nesciat, in præsenti dolore & angustiâ constituta: sed ipsa pro eadem ante Dei oculos aduersitas deuotissimè interpellat; ipsaq; passionis amaritudo in oculis illius resplendens, citiùs eum ipsi, quàm alia exercitia, inclinat, & velociùs adesse compellit.

3. *Non ergo propter insidias diaboli relinquenda sunt pia exercitia, quæ non amittunt meritum, licet in afflictione peragantur.*

Vnde nec vllum omnino bonū opus negligendum est, nec orationes, & templi frequentatio (quæ maligno spiritui singulariter aduersatur & molesta est non minimum) vnquā intermittenda. Quod enim homini de orationis puritate minuitur, hoc ei ex afflictionis molestiâ accedit, & satis grata est huiusmodi oratio in oculis Dei.

[a] Hæc consolatio citatur à R.P. Thomâ à IESV lib. 2. de Orat. c. 21. estque etiam Thomæ à Kempis animaduersio l. 3. de Imit. Christi c. 6. Nempe sicut Pharao affligebat Israëlem dum esset abiturus in desertū ad sacrificandū Deo, Exodi c. 5.

CAPVT XXI.

Resignatio in afflictionibus & pressuris iuuat afflictos, & genus quoddam martyrij videtur.

§. I.

1. Aduersitatum lucta ægrè ad initium toleratur: sed posteà plenam generat resignationem; in quem finem à Deo permittitur.

D. HENRICVS SVSO *Serm. 1. in Domin. III. Aduent. apud Thaulerum.*

1. *Resignatio in aduersis paulatim acquiritur ex similitudine equi domandi.*

CONTINGIT nonnullis, sicut alicui iuuenili & indomito equo, qui vehiculo adstrictus, dum ex nimiâ fatigatione & luctâ perpetuâ maceratur, nec euadendi consilium inuenit, animo demisso, modestiùs sese habere incipit: ita & isti, quamdiu suis aduersitatibus reluctantur, & se necdum ex toto diuinæ voluntati, ad sustinendum æquanimiter pro amore ipsius omnem aduersitatem, resignarunt, satis grauiter affliguntur, & tamen eas sustinere oportet, donec misericors Deus ipsorū laborem & patientiam consideret, qui etiam nouit quando eis ab huiusmodi expediat liberari. Et ideò nihil ita necessarium est, quàm se humiliter ad ipsas afflictiones sustinendas resignare & offerre, quamdiu Domino placuerit, eiusque patienter auxilium implorare.

§. II.

1. Tentationes & afflictiones piorum prosunt ipsis ad meritum, & ad pœnam Purgatorij minuendam.

2. Patiens earum toleratio martyrium quoddam spirituale est: quia verè placet Deo istorum patientia in tot tormentis afflictionum, sicut fortitudo Martyrum in morte tolerandâ. Vocatur martyrium pacis, incruentum, internum aut spirituale.

3. Semper autem hæc patientia est indicium gratiæ diuinæ, quia actus veræ virtutis, ac proinde & dilectionis, nec improbabilis coniectura diuinæ electionis.

Idem SVSO *eod. Serm. paucis interpositis.*

CONsiderare [a] libet, quàm suauiter & amorosè æterna Sapientia cuncta disponat, dum quod plurimum sibi nocere plerique angustijs tentationibusque grauissimis pressi arbitrantur, ipsa ad summam eorum vtilitatem inflectit. Magnam siquidem Purgatorij partem illa afflictio tollit, & eam patientibus impendio prodest, atque ingens præmium adducit. 1. *Afflictionis patienter tolerata summa vtilitas.*

Quamuis enim ipsi multorum se criminum reos arbitrentur, sed coram Deo veri magnique [b] Martyres sunt, cùm nulli dubium sit, longè acerbiorem huiusmodi perpetuam afflictionem dolorem infligere, quàm vnius carnificis ictus collo exceptus. 2. *Facit pares Martyribus coram Deo.*

Denique passionem hanc magnæ esse dilectionis indicium præsagiumque, tam Scripturarum testimonijs, quàm ipsâ [c] veritate probatur: quippe quam & copiosa gratia, & multorum secretorū reuelatio subsequuntur. Debent igitur præfati homines eam non solùm patienter, sed & libenter sustinere, certi quòd breuis hæc amaritudo, & *momentaneum tribulationis* huius, *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus* operetur *in* eis. 3. *Estque magnum indicium gratia, & pignus gloria.* 2 Cor. 4.

[a] Citatur à R.P. Thomâ à IESV lib. 2. de Orat. c. 21.

[b] Iure meritoque eiusmodi Martyres vocandos esse, tametsi non in strictâ & propriâ acceptione martyrij, clarissimè docent & passim ita appellant SS. Patres, vt Gregor. Mag. Hom. 35. in Euang. August. Serm 32. de Sanctis, qui est 3 de S. Laurentio; Bernard. Serm. 1. de Omnib. SS. alijque quamplurimi citati à Theophilo Raynaudo Soc. IESV Theologo in Disquisit. de Martyrio per pestem, lib. 1. c. 1. 2. 3.

[c] Reipsâ, & experientiâ teste.

CAPVT XXII.

De tristitiâ ortâ ex imperfectionum nostrarum consideratione.

1. Perfectos viros sæpè permittit Deus ignorare statum perfectionis, ad quem peruenerunt, ne in periculosam sui complacentiam ruant.

2. Qui tamen Dei offensam firmissimo fidelissimoque animi proposito cauent.

3. Hanc tamen iustorum de statu suo ignorantiam compensat Deus non solùm humilitatis securitate in vitâ, sed & dulci fiduciâ in morte.

IOAN-

IOANNES THAVLERVS *Serm. in Dom. II. post Octau. Epiph.*

1. *Deus perfectos viros sibiipsis imperfectos videri permittit, ob custodiam humilitatis.*

FIT sæpenumerò, vt Dominus quosdam permittat velut infirmos iacere, qui tamen plenam sunt ª sanitatem consecuti: sed ipsi hoc ignorantes, cunctis diebus vitæ suæ languidos se putant: nec aliud sibi persuasum habēt, nisi quòd debiles sint & infirmi. Et hoc benignissimus simul & sapiētissimus Conditor, pro ipsorum permittit vtilitate & salute. Satis enim perspectum est illi, eam ipsorum infirmitatē esse, vt si se plenè conualuisse pro comperto haberēt, statim ad seipsos cum vanâ sui cōplacentiâ reflecterentur.

2. *Sic sibi videntur infirmi, vt tamen omnem Dei offensam firmissimè cauere conantur.*

Ex magnâ proinde fidelitate & amore, quem semper erga illos habet, quamdiu viuunt, eos in tali ignorantiâ, timore, pressuris, & humilitate stare permittit; cùm tamen ad eum virtutis gradum ipsi conscenderint, vt nec pro toto mundo Deum offendere velint: imò priusquam scientes in Deum peccarent, potiùs mortem ipsam fidenter subirēt.

3. *Sed compensat hanc pressuram Deus solatio in morte.*

Quid ergo, ait aliquis, fit eis pro hac suiipsorum humili resignatione in eiusmodi ignorantiâ? Nil aliud sanè, quàm quòd, dum optatissima dies aduenit, quâ de hac miseriâ erutos, Dominus eos secum in regnum suum adducere statuit, in ipsâ horâ quâ ex hac luce sunt migraturi, ab omni hac ignorantiâ ᵇ longisque tenebris per seipsum eos refouet, ac blandè nimis consolatur: sæpiusque ante obitum ipsorum, prælibare eos facit & experiri feliciter illud, quo in ipso perpetuò sunt fruituri. Et sic magnâ cum securitate animam fundunt.

ª Plena sanitas vocatur status gratiæ, exclusis omnibus peccatis mortalibus, quantumuis venialia plurima adsint, quæ stare solent cum charitate & gratiâ, seu sanitate animæ, etiam in viris valdè perfectis, vt docent Scholastici apud D. Thomam 2. 2. q. 24. art. 10. & alibi.

ᵇ Sperate benè, ô pusillanimes, de Deo bono, qui tenebras, & ærumnas, & lacrymas iustorum in vitâ, per quamdam cælestis gaudij prægustationem illuminare, & abstergere, & exhilarare solet in morte.

CAPVT XXIII.

De tentatione scrupulorum in spiritualibus exercitijs, & tristitiæ pressurâ.

§. I.

1. In animis spiritualiter viuentium sæpè oriuntur molesti scrupuli, an exercitia sua perfecerint rectâ intentione.

2. Eorū causæ variæ assignātur externæ & internæ.

3. Remedium verò est, non violentè pugnare, ad alias cogitationes bonas suauiter diuertere,

4. Resignatoque animo eos tolerare, & interdum sese alijs exercitijs occupare.

5. Pressuris enim istis patienter toleratis purgatior fit animus, & magna à Deo meretur,

6. Et seipsum minùs quærit, quàm quando in consolationibus magnis ponitur.

IOANNES THAVLERVS *Serm. 1. in Pentecost.*

1. *Viri pij anguntur scrupulo de purâ intentione.*

* *Citatur à R. P. Thomâ à Iesv lib. 2. de Orat. c. 21.*

SCIENDVM * est, fideliterque retinendum, quòd in homine Deum purè intendente, sæpè grauis quædam pressura & angustia oboriatur, quâ oppressus, videtur sibi Deum non purè intendisse, & ita omnium laborum suorum fecisse iacturam, omnemque perdidisse operam. Hinc iam pacem pectoris amittit, animique mœrorem & perturbationem incurrit.

2. *Oritur ex indispositione corporis aut aëris, aut ex malignitate dæmonis.*

Hæc autem pressura nonnumquam ex grauitate naturali seu indispositione, vel complexionis malitiâ, nonnumquam ex influentiâ cæli vel aëris inæqualitate, nonnumquam verò ex maligni spiritus operatione, qui per huiusmodi grauissimas immissiones suas bonum hominem istum perturbare moliatur, accidere solet.

3. *Non vincitur violentè resistendo, aut disputādo, aut varios Doctores inordinatè consulendo.*

Sed hæc suauiter declinanda sunt, cum benignâ tranquillaque mansuetudine: ita enim faciliùs vincuntur. Vnde non satis rectè faciunt quidam, qui pressuram hanc violenter & impetuosè à se excutere, eamdemque perrumpere volunt, destruentes ac debilitantes per hoc capita sua; quique nimis inordinatè Doctores & Dei amicos pro consilio & auxilio accedunt, eripere se inde & euadere cupientes: vnde sæpiùs magis implicantur, cùm nemo facilè inde eos extrahere & expedire queat.

4. *Sed cum patientiâ resignatâ suauiter ad alia diuertendo: sicut qui grandinē effugere vult, sub tectum se recipit.*

Quamobrem vbi ista pressura & tempestas in homine exurgunt, haud secùs faciat quàm solent homines facere, vbi tempestas oritur, & pluuiæ vel grandines cadunt. Tunc enim fugiunt omnes sub tectum, donec tempestas sopiatur, & pluuiæ cessent. Ita & ipse, vbi intra se simpliciter sentit ac deprehendit, quòd nihil velit neque desideret nisi Deum, dum hac pressurâ corripitur, modestè subtiliterque fugiat, donec integrè sibiipsi restituatur: simulque in verâ resignatione ac patienti abstractione humiliter sustinens, tranquillo ac benigno animo in hac afflictione Deum præstoletur: etiamsi vnâ hebdomadâ, vel vno mense, aut sex mensibus, vnóve anno, vel etiam diutiùs sine cessatione illa perduret.

5. *Purgatur enim sic animus, Deoq́; magis placet.*

Et quis nouit, quali modo, quâve ratione benignissimus Deus ad ipsum venire, suáque illi charismata & dona infundere velit? Stet itaque cum benignâ mansuetudine sub tecto diuinæ volūtatis ac beneplaciti, certus quòd hoc vel centuplo gratius sit, magisque placeat Deo, quàm si magnâ sensibili deuotione afflueret, & multas virtutes Deo quotidie offerret, intusque florerent & vIrerent omnia, & ipse diuino lumine irradiaretur.

 In

6. *Quàm in statu consolationis, in quâ seipsum quærit.*

In pressurâ namque non ita facilè quis seipsum & sua quærere vel retinere potest, sicut in consolationis ac sensibilis dulcedinis deuotionisq́; affluentiâ. In hac namque sæpè se natura [a] admiscet; & dum anima in eâ immodicè delectatur, maculam [b] contrahit.

a Et amor proprius.

b Multa enim incommoda nascuntur ex intemperantiâ & irresignatione in dulcedine sensibili consolationum.

§. II.

1. *Eadem doctrina breuissimo dialogismo comprehensa.*

Idem THAVLERVS *Serm. 1. in Epiphaniâ.*

1. *Breuis & absoluta consolatio scrupulosorum ob desolationes.*

* Citatur à R. P. Thomâ à IESV ibidem.

PLerique aliquâ * molestiâ grauati, ita mihi dicere consueuerunt: Pater, malè mecum agitur; diuersis enim afflictionibus multoque mœrore perturbor. Et ego rectè cum eis agi pronuntio. Tum illi, Non, aiunt, Domine; sed meâ culpâ id actum est. Ad quod rursus ego: Siue tuâ culpâ id actum sit, siue non, crede ipsam afflictionis crucem à Deo tibi impositam: eidemque gratias agens, sustine, & resigna teipsum. Rursum illi: Sed magnâ intus ariditate obscuritateque contabesco. Quibus ego, Feras, aio, dilecte fili, patienter; & meliùs tecum agetur, quàm si in magnâ multaque sensibili deuotione versareris.

§. III.

1. *Ad internam animi desolationem curandum non est sollicitè & anxiè festinandum, nec vllo modo ad externa solatia sæculi, sed ad Deum dumtaxat Deique seruorum consilia confugiendum.*

Idem THAVLERVS *Ser. 2. in Dom. V. post Trin.*

1. *In desolatione spirituali non quærenda solatia per euagationem ad externa, sed tecum mane, & spera in Deum.*

* Ab eodem R. P. Thomâ ibidem citatur.

IN * grauissimâ illâ pressurâ & tenebrosâ desolatione homine constituto, pressuræ omnes, miseriæ, calamitates, quas iam pridem euicerat & superarat, iterùm in eo consurgunt; denuò impugnant, totoque impetu nauem illius magnâ cum tempestate concutiunt, & fluctibus suis impetunt exagitantque. Sed, obsecro, quicumque hæc sentis, noli timore deijci: modò nauicula tua probè anchorâ fixa sit, venti ei & fluctus obesse non poterunt. Ad mentem tibi veniat, quod Iob ait: *Post tenebras spero lucem.* (Iob. 17.) Tantùm ergo tecum maneas, non foras euageris: ad finem vsque tentamenta & pressuram hanc sustine, nec [a] aliud aliquid quæras quo hanc euadas molestiam, sicut faciunt plerique, qui dum hanc internam paupertatem & pressuram sentiunt, semper [b] aliquid inquirunt, quo eam effugere possint: quod profectò officit plurimùm.

a Nisi Deum, & spiritualia remedia à Deo & spiritualibus magistris præscripta.

b Nempe carnale aut sæculare. Estq; illa fraus diaboli insidiantis animæ piæ, vt immittat eiusmodi tristitiæ pressuras, eâ mente, vt pro emendicandis solatiolis auertat nos à Deo, & conuertat ad creaturas.

§. IV.

1. *Desolationes spirituales piorum acerbissimè pungunt animum.*

2. *Illas Deus variè mitigat. Sunt autem piis hominibus instar Purgatorij in hac vitâ, quia sunt eiusmodi desolationes satisfactoriæ pro pœnis peccati in Purgatorio soluendis.*

Idem THAVLERVS *Instit. cap. 11.*

ELectorum hominum passio, non semper vulgaris est passio: sed frequenter ita insolita ac inaudita est passio, quam eis etiam improuisè Deus euenire permittit, vt nihil tale vmquam cogitarint, nec quidquam inde vel suspicati sint. — 1. *Afflictionis spiritualis amaritudo, etiam in electis.*

Verumtamen æquanimis ac bono animo esto, ô anima patiens. In cunctis namque amaritudinibus tuis Christus electus cordis tui ex millibus, clausis ianuis (id est, cunctis viribus tuis duritiâ conclusis) introire, tibique nouam quamdam & inexpertam nouit infundere suauitatem. Amaritudinem verò quam sentis, pro inferno & purgatorio tuo suffer patienter. Verè namque [a] pura, resignata & patiens anima, nuda ac munda de ore euolans, ad regni cælestis palatia (vbi mille anni die vno breuiores sunt) cōscendit. — 2. *Desolatio spiritualis datur pro Purgatorio.*

a Sic enim, vt supponitur, ab omni reatu culpæ & pœnæ æternæ per prætiam contritionem & confessionem legitimè absoluta, & à reatu pœnæ temporalis per satisfactionem longanimis patientię in aduersis sufficienter purgata anima, nihil habet post mortem, nec in inferno luendum, nec in Purgatorio purgandum. Docet enim Conciliū Trid. sess. 14. c. 9. amoris diuini argumentum esse, quòd inter alia satisfactionis opera flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Iesum Christum satisfacere valeamus.

CAPVT XXIV.

De causis & fructibus tribulationum.

1. *Afflictiones pijs illatas plurimùm conferre ad sanctitatem, & ab immenso Dei amore procedere.*
2. *Præcipuus finis earum est, vt anima auocetur à creaturis, & soli Deo adhæreat, & adipiscatur pro afflictionibus infinita præmia.*
3. *Malè ergo de crucibus sibi illatis conqueruntur homines:*
4. *Cùm nihil potentiùs eos impellat ad Deum;*
5. *Et nihil sit iucundius, quàm crucem patienter tolerauisse: sic enim iam crux esse desinit.*
6. *Hinc patet, nullam scientiam, nullam artem tam proficuam esse, atque patientiam in afflictione.*
7. *Vtilitates ex crucibus enumerantur octodecim.*
8. *Meritò proinde gratiæ agendæ Deo pro crucibus & pro afflictionibus, quas permittit nobis inferri.*

HENRICVS SVSO *Dialog. inter* SAPIENTIAM ÆTERNAM *&* MINISTRVM.

SAPIENTIA ÆTERNA. * Non rectè sapiunt illi, qui vmquam grauatè & cum querimoniâ quamlibet afflictionem ferunt: omnino enim paterna castigatio & virga mea ex maximo amore proficiscitur, & verè suauis ac benigna est; vt non immeritò felix ille censendus sit, à quo illam numquam retra- — 1. *Omnis afflictio infertur à speciali Dei in nos amore proueniens:* * Citantur hæc à R. P. Thomâ à IESV lib. 2 de Or. c. 11.

retraxero. Afflictio, inquam, non ex aliquâ duritiâ aut asperitate meâ, sed ex amore tenerrimo ac benignissimo trahit originem. Et hoc de qualibet cruce vel tribulatione dictum volo, siue ea vltrò suscepta sit, siue nolenti aliunde acciderit, vbi plerumque necessitas mutatur in virtutem; quâ tamen cruce is qui eam patitur, nolit (me inuito) esse absolutus, quamque amicabili ac humili cum patientiâ in mei æternam referat laudem. Quæ sanè crux quantò maiori cum amore & promptiori voluntate coniuncta est, tantò etiam præclarior mihique acceptior est. Itaque de huiuscemodi afflictionibus me paulò latiùs dicentem ausculta, & quæ dixero, ipsis cordis tui visceribus inscribe, sintque velut signum quoddam spiritualibus animæ tuæ oculis propositum.

2. *Et animam à creaturis auocat, Deo arctiùs coniungit, & maius præmium meretur.* Oseæ 2.

Id pro certo retineas, ita me commorari in animâ mundâ, ceu in quadam paradiso voluptatis. Eam ob rem ferre non possum, vt cum amore aut delectatione vlli rei incumbat vel adhærescat. Est namque ex ipsâ naturâ in noxias propensa voluptates. Itaque sepio viam illius spinis, atque omnes semitas eius (velit nolit) aduersitate obstruo, ne ex manibus meis elabatur. Cuncta eius itinera afflictionibus conspergo, ne quâ aliâ in re cordis sui oblectationem, præterquam in me, constituat. Crede mihi, si corda omnia in vnum redigerentur, non possent in hac vitâ minimum* ferre præmium, quod redditurus sum in illo æuo sempiterno, etiam pro minimâ quaque cruce, quam quispiam ex amore passus fuerit meâ causâ.

* Nulla afflictio, vel minima, est sine præmio maximo.

3. *Falsò queruntur homines suas afflictiones grauissimas esse, cùm nihil mali bonus Deus immittat aut permittat, nisi in bonum eorum.* Sap. 11.

Minister. Fortassis negari non possit, Domine, afflictiones longè saluberrimas esse, si tamen non sint nimiæ, nec plus satis immanes & inusitatæ. Atqui, Domine Deus, qui solus nosti occulta omnia, quique cuncta in numero, pondere, & mensurâ condidisti, tu ipse perspectum habes, cruces meas modum omnem prætergredi, & vires meas excedere. Nescio profectò, si quis alius toto hoc terrarum orbe duriùs perpetuò affligatur. Et quî tandem perpeti potero? Quòd si vulgaribus me molestijs afficeres, Domine, ferrem eas vtique: at verò peregrinas hasce atque insolitas cruces, animam & mentem meam adeò occultè transfigentes, tibique vni funditus cognitas, tolerare quî possim, necdum video. Sapientia. Morbidus quisque & ægrè affectus, putat suum morbum esse omnium grauissimum: & sitibundus neminem se miseriorem arbitratur. Ita ergo si te alijs afflixissem modis, tu quoque sentires idem quod modò sentis. Itaque virili animo permitte ac resigna te ipsum voluntati meæ, in qualibet aduersâ quam te volo perpeti, idque facias absque vllâ exceptione huius aut illius molestiæ. Nostin' me semper id solum velle, quòd sit maximè è re tuâ, multò etiam studiosiùs quàm tu ipse velis. Neque te latet, æternam me esse Sapientiâ, quæ sola perfectissimè nouerim, quid tibi sit côducibilius.

4. *Cruces à Deo immissæ multò plus boni bonis præstãt, quàm sponte susceptæ.*

Iam verò etiam propriâ te experientiâ didicisse puto, cruces à me irrogatas, si quis illis ritè vti norit, propiùs attingere, penitiùs penetrare, & celeriùs in Deum vrgere ac propellere, quàm quæuis aliæ proprio arbitrio susceptæ. Quid igitur adhuc queritaris? Quin ita potiùs dicis: Fac mecum, Pater benignissime, quidquid vnquã tibi visum erit.

5. *1. Cruces sunt amâti Deum iucundissimæ,*

Minister. Facile id quidem dictu est, mi Domine, sed præsens afflictio toleratu difficilis est, ob nimium dolorem suum. Sapientia. Si non doleret crux, non posset nomen tueri suum. Sicut cruce nihil est molestius, ita nihil iucundius atque optabilius, quàm crucem pertulisse. Crux & afflictio breuis quidem dolor est, sed prolixum gaudium. Crux illi perquam dolet, cui crux molesta est & inuisa, ei verò, qui illam fert equanimiter, hoc prestat crux,* vt ipsum minimè crux excruciet. Certè si tantâ iugiter abundares spirituali suauitate, diuinaque consolatione & oblectatione, vt præ cælesti illo rore perpetuò colliquesceres, ex his omnibus per se consideratis non tantùm tibi accresceret meriti, neque pro his tanta tibi à me referenda esset gratia, neque perinde me tibi obligarent, ac quasi debitorem efficerent, vt crux vna vel afflictio cum amore tolerata, aut tui derelictio in mentis ariditate, in quâ me ex amore sustineas. Et* citiùs quidem vel decem euerti possint ac excidere in magnâ voluptate & iucundâ suauitate cordis, quàm vel vnus subruatur, continuâ laborans aduersitate & perpessione.

* Animæ in Deum resignatæ crux non est crux.

2. Fructuosissima,

3. Securissima.

* Hoc fe. è sensu Bruno Richelius & Rudolphus Carthusiensis explicant Psalmum xc. *Cadent à latere tuo mille, & decẽ millia à dextris tuis*, de sinistrâ aduersitatis, & dextrâ prosperitatis.

6. *Nulla itaque scientia magis quæstuosa, quàm resignatio in aduersis.*

Si Astronomorum omnium præditus esses scientiâ; si tam copiosè & eleganter posses de Deo dicere ac eloqui, quàm cunctæ & Angelorum & hominum linguæ; si denique solus eâ esses eruditione luculenter instructus, quâ simul tota litteratorum atq; Doctorum omniũ frequentia: non tibi isthæc omnia tantùm conferrent ad vitæ pietatem ac sanctitatem, quàm si in quibuslibet afflictionibus tuis Deo te permittere ac resignare possis. Illa namque bonis malisque communia sunt, hoc verò non nisi electorum est. O* si quis iusto posset perpendere ac ponderare iudicio tempus & æternitatem! mallet ille profectò vel centum annis in ardenti iacere camino, quàm vel minimâ leuissimæ afflictionis carere mercede, in cælis æternè percipiendâ. Illud nam-

* O: Exclamatio pro afflictis & simul resignatis solatij plenissima. Testes sunt omnes Martyres.

namque finem tandem habet, istud nullo clauditur termino.

7.
Catalogus vtilitatum ex afflictionibus prouenientiũ: Sunt octodecim.

MINISTER. Ea quæ commemoras, benignissime Iesu, tamquam cithara sunt suauissima homini afflicto. Certè, Domine, si mihi tam dulcibus modulareris vocibus, dum cruce aliquâ premor, equidem lubens paterer, mallemque crucem perpeti, quàm carere. SAPIENTIA. Age nunc, arrectis percipe auribus dulce melos, sonosque tinnulos chordarum intensarum: animaduerte quàm suauiter resonent, quàm suauiter aures perstringant.

1. Afflictio coram Deo gloriosa.
2. Reddit Deo gratũ & conformem.

Afflictio quidem mundo huic despectui est, at apud me immensam dignitatem obtinet. 2. Afflictio iram extinguit meam, gratiam meam conciliat & amicitiam, hominemque mihi gratum efficit & amabilem, vtpote mihi conformem & assimilem.

3. Est incõpensabile bonum, & supra omne meritum.

Afflictio bonum est occultum, quod nemo compensare queat: adeò vt etiamsi quis centum annis crucem amicabilem flexis genibus à me precetur, nec sic tamen illam emereri possit.

4. Auertit à mundo, adducit ad cęlũ & Deũ.

Afflictio hominem ex terrestri cælestem efficit. Afflictio hunc mundum homini alienum reddit, & perpetuam adducit meam familiaritatem: amicos quidem minuit, sed auget gratiam. Afflictio tutissimum atque compendiosissimum iter est.

5. Est donum Dei.

Crede mihi, si quis probè cognitum haberet, quanta sit crucis vtilitas, haud dubiè ceu donum præstantissimum ex Dei manibus eam susciperet.

6. Liberat ab inferni damnatione.

O quàm multi erant iam æternæ perditioni addicti, & somnum dormierant sempiternum, quos tamen afflictio restaurauit & excitauit ad meliorem vitam!

7. Præseruat à peccato.

O quantos, velut feras & indomitas auiculas, in caueis continuæ cruces retinent & conseruant, qui tamen, si eis daretur loci & temporis opportunitas, in suæ salutis sempiternam perniciem confestim aufugerent! Afflictio à graui seruat ruinâ.

8. Conseruat in sui cognitione & omni virtute cũ gratiâ & gloriâ.

Afflictio præstat homini vt sese cognoscat, intra seipsum se contineat, sibique constet, ac proximis fidem accommodet. Conseruat animam in humilitate, docetque patientiam: tuetur castimoniam, æternæ beatitudinis adfert coronam.

9. Prodest probis & improbis.

Vix quempiam comperire possis, qui non aliquid consequatur commodi ex afflictione & igne tribulationis, siue etiamnum culpis viuat obnoxius, siue iam vitæ emendationem inchoarit, siue in proficientium, siue denique in perfectorum numero sit. Ignis namque purgat ferrum, mundat aurum, & pretiosa ornat monilia.

10. Minuit pœnas peccati hic & in Purgatorio.

Afflictio, peccati aufert sarcinam, minuit pœnas Purgatorij, pellit tentationes, profligat vitia, spiritum renouat, veram confert fiduciam, mundam conscientiam atque animum stabilem & excelsum.

11. Salubris est carni & spiritui.

Afflictio salutaris est potio, & herba salutifera præ cunctis paradisi herbis. Castigat corpus, breui tamen in putredinem abiturum, at animam reficit longè nobiliorem semperque victuram. Sicut rosarum eximij flores, suaui vernantis Maij rore tinguntur: ita animam afflictio vegetat & fecundat.

12. Mater est sapientiæ, & virga paterna ad erudiendum. Eccli. 34.

Ipsa animum sapientia imbuit, redditque hominem exercitatum. Qui afflictiones & tentationes non est expertus, quid quæso ille nouit? Afflictio virga est amoris plena, & paterna castigatio electorum meorum. Afflictio hominem, velit nolit, trahit vrgetque ad Deum. Quisquis in aduersis sese hilariter gerit, illi & iucunda & tristia, hostes & amici inseruiunt, proficiuntque.

13. Vincit hostes.

O quoties tu ipse quoque hostes tuos te impugnantes profligasti, ac penitus eneruasti, cùm me alacri & hilari animo laudares, leniterque & benignè aduersa perferres!

14. Datur amicis à Deo ob varia priuilegia.

Equidem malim afflictiones creare ex nihilo, quàm amicos meos crucis expertes relinquere. Perpessione enim virtutes omnes confirmantur, homo decoratur, proximus ad meliora prouocatur, Deus laudatur.

15. Recreat Deum & cælum.

Patientia in aduersis, est hostia viua, & odor suauissimus præcellentis balsami in conspectu diuinæ Maiestatis meæ, totamque cælestis exercitus frequentiam ingenti admiratione afficit. Neque verò vmquam quisquam, quamuis strenuus pugil, vel eques, publicitùs cum alio congressus, adeò in se hominum oculos animosque conuertit, vti totus Beatorum omnium cœtus hominem afflictiones ritè perferentem adspectat.

16. Miraculum est maximum.

In aduersis retinere patientiam, præstabilius est, quàm extinctos ad vitam reuocare, aut alia perpetrare miracula.

17. Velut Martyres coronat.

Afflictio via est arcta, quæ ad ipsas vsque cæli portas fortiter pertingit. Ipsa hominem ad Martyrum euehit contubernium: ipsa laudem palmamque refert ex cunctis hostibus: ipsa animam roseo purpureoque vestit indumento: ipsa coronas vel serta nectit rosacea, & sceptra conficit ex palmis virentibus.

18. Euehit supra sortem Angelorum.

Ipsa est velut gemma pretiosissima in monili ad virginis pectus appenso: ipsa in æternâ vitâ canticum nouum præcinit dulcibus modulis ac liberrimis animis, quod nec omnes possint deponere Angelici spiritus, eò quòd nullam vmquam crucem experti sint.

* O felicitas à Deo ad crucem sic electorum!

Atque vt paucis te expediam, homines afflictos mundus iste miseros appellat, * sed ego felices dico, vtpote quos ipse mihi elegerim.

8.
Ob hosce fructus grates Deo agenda pro omni afflictione immissâ, aut permissâ.

MINISTER. Pulchrè nimirum ex his apparet, æternam te esse Sapientiam, qui veritatem ipsam tam perspicuè in medium proferre queas, vt nullus vlli reliquus sit ambigendi

gendi vel hæsitandi locus. Nihil iam admirationis habet, si is afflictiones possit perpeti, cui tu eas tantopere efficis commendatas. Certè, Domine, tuis planè mellitis sermonibus id, fateor, apud me egisti, vt mihi deinceps crux omnis & molestia longè futura sit tolerabilior iucundiorque. Domine Deus, Pater indulgentissime, en, flexo coram te poplite, laudes gratesque medullitus tibi ago pro afflictionibus præsentibus, atque etiam pro præteritis admodum acerbis & molestis, quas ego tum acres nimiùm sentiebam, eò quòd ex animo infensò & hostili proficisci viderentur. SAPIENTIA. At quid nunc de illis sentiendum putas? MINISTER. Planè ita nunc persuasum habeo, Domine, dum te, gratissima oculorum cordis mei pascua, amantibus oculis intueor, cruces illas acerrimas & immanes, quibus me pro paternâ benignitate probasti & exercitasti (quarum tamen vel sola consideratio etiam non vulgares perterruit amicos meos, dum me illis pressum cernerent) non nisi dulcem quemdam Veris florigeri rorem fuisse.

CAPVT XXV.

Aliæ consolationes in tribulationibus.

§. I.

1. Optimam in omni aduersitate consolationem esse, si considerantur aduersa, non vt ab hominibus illata, sed vt ab optimo parente Deo ad filiorum bonum ordinata.

2. Vnde oritur in nobis patientia & humilitas.

Quidam SCRIPTOR.

1. *Omnia aduersa consideranda, tamquam à manu Dei ex mero amore donata.*

SI, Deo permittente, tantas tenebras, tantamque ariditatem, duritiem & instabilitatem intus sentis, vt tibi videaris prorsus à Deo derelictus esse; si tam diris animi angoribus premeris, vt putes te infernales cruciatus perpeti; si molestissimæ iugesque tentationes te diuexant, & vitia, quæ iam in te extincta credebas, rursum magno impetu exurgunt ac te impugnant; si non solùm mali homines, verùm etiam qui boni habentur, quique tibi maximè fideles esse debuerant, te persequuntur, & maledictis atque obtrectationibus fatigant, varijsque iniurijs afficiunt; si damna rerum, & purulenta vlcera, morbosque inauditos cum Iob *Iob 1. & 2.*
sustines; si corporali cæcitate cum Tobiâ, *Tob. 2.*
& grauissimâ paupertate cum mendico
Lazaro affligeris; si denique aliud quid- *Luc. 16.*
quam aduersum pateris, qualecumque illud sit, & vndecumque emergat; non aliunde id accipias, quàm de manu benignissimi Dei, qui ex amore & pro tuâ salute tribulationibus te exerceri sinit.

2. *Ex hoc patientiâ & humilitatem accipiet anima resignata.*

Perfer talia omnia humili resignatoque corde, pro illius honore, quamdiu ipse voluerit: nam afflictionibus anima tua purgatur, & mirè exornatur. Quòd si in ipsis non semper æquè resignato fueris animo, non proptereà spes salutis ablata erit, nec Dei gratia amissa. Vide tantùm ne impatienter & pertinaciter aduersus Deum recalcitres, eique sis rebellis. Profectò, si benignam humilemque patientiam pro viribus retinueris, Deo eris charissimus, & ad cæleste eius regnum feliciter tandem peruenies.

§. II.

1. Patientia in aduersis est signum electionis; non quidem semper infallibile, sed prudentialem & quasi moralem quamdam faciens certitudinem, sicut ex Scripturâ & sanctis Patribus piè & doctè ostendit R. P. Ieremias Drexelius Zodiaci seu Prædestinationis ad gloriam signis duodecim, Signo 5. Vide etiam S. Bernardum Serm. 1. de Septuages. & Serm. 2 de Octauâ Paschæ.

S. TRVTHA *siue* GERTRVDIS *virgo.*

1. *Annulus, signum est desponsationis; tribulatio cum patientiâ, prædestinationis.*

SIcut annulus signum est desponsationis, sic aduersitas, tam corporalis quàm spiritualis, quæ patienter propter Deum sustinetur, verissimum signum est electionis diuinæ, & quasi desponsatio animæ cum Deo.

CAPVT XXVI.

Gradus resignationis, ad quem etiam imperfecti possunt attingere.

1. Perfecta abdicatio rerum temporalium, cum mortificatione & resignatione suipsius, est fundamentum salutis nostræ.

2. In quo tamen gradus sunt: quidam enim ad summum peruenerunt annihilationis & abnegationis apicem, quidam ad eum ex animo anhelant, qui omnes tenent fundamentum salutis in Christo.

HENRICVS SVSO *Serm. 2. in editione Laurentij Surij.*

1. *Mortificatio sese annihilatio, salutis fundamentum.* * *Sublimissimus gradus resignationis, quò paucissimi pertingunt.*

HOC fundamentum est salutis nostræ, mortificare scilicet, abnegare, resignare, perdere, & annihilare nosipsos. Si vis esse quod non es, oportet te priùs deficere ab eo quod es *. Id autem certo certiùs tenendum est, neminem sibi de resignatione blandiri, nec, se resignatum esse, in animum inducere debere, quamdiu guttula vna sanguinis in carne, vel aliqua medullæ portio in ossibus latet, quæ non pro verâ sit resignatione decocta atque consumpta.

2. *Etiam imperfectè resignatis patet cælestis gloria.*

Quæso, dilectissimi, non vos ista perturbent: & vobis ad cęlestia regna aditus patet, etiamsi

etiamsi ad summam perfectionem minimè pertingatis. In supernâ patriâ & pusilli & magni reperiuntur. Facite quod in vobis est, & in sancto proposito sanctisque exercitijs persistite. Ita enim, etsi non ad supremum montis verticem pertigeritis, in ipso tamen æternæ salutis vestræ itinere deprehendemini.

CAPVT XXVII.

Etiam imperfectas animas in humilitate cum bonâ voluntate perseuerantes, admitti ad præstantem gradum vnionis cum Deo.

1. *Aspirandum ad humilem & amorosam vnionem cum Deo trino & vno:*

2. *Quam vnusquisque citiùs vel seriùs assequetur, pro ratione sui conatus seu cooperationis cum gratiâ diuinâ.*

3. *Deus enim singulis veris desiderijs mercedem reddit, & in amore perseuerantes coronat secundùm id quod in totâ vitâ perfectissimum attigerunt.*

HENRICVS SVSO *Serm. 3. editionis Surianæ.*

1. *Vnio cum Deo finis omnis conatus nostri.*

EÒ nos totâ mente, & omni quo possumus tendamus amore, vt simul cum Deo vniri, & * speculum candens effici mereamur. Tum verò in tribus diuinæ substantiæ personis commorabimur & ambulabimus, ita vt cum Apostolo fidenter dicamus: *Nostra conuersatio in cælis est*, hoc est, in * tribus Diuinitatis personis.

* Nimirum in quo sola Dei voluntas reluceat.
Philip. 3.
* Earum dumtaxat honorem & beneplácitum cogitando.

Hanc perfectionem toto desiderio, cunctis sensibus, ac vniuersis viribus suis quisque apprehendere conabitur: & si fortasse in vitâ suâ ad eam minimè pertigerit, bono sit animo, quia dabitur illi à Deo iam extremum trahenti spiritum, & ad mortem tendenti. Quòd si nec tunc assequatur, & hinc decedens quibusdam maneat culpis obnoxius, ad Purgatorij quidem deducetur locum, & ibi omnes illæ ad purum excoquentur: deinde verò ad cæli palatia perductus, eâ ibidem perenniter perfruetur, tantò magis aut minùs, quantò maiori eam vel minori est dilectione prosecutus dum adhuc viueret, eámque ex toto corde plus aut minùs desiderauit.

2. *Quam vel hic vel in cælo certò assequemur, si ad eam diligenter contendamus.*

3. *Nullũ momentũ prætereat in quo non lucremur Deum, & toto desiderio ad quæramus.*

Meritò proinde sui quisque desiderij arcum ad summum vsque extendere deberet, vt nullum tam breue abscederet tempus, quo non perfectiùs Deum lucraretur. Veris namque animi eius desiderijs Deus perenniter vicem reddet, etiamsi quod desiderat, numquam in hac vitâ consequatur: * omnemque tepidam & negligentem conuersationem, & vitam illius, iuxta supremum illud iudicabit, ad quod vmquam peruenit in vitâ suâ. Vnde licet non sentiat se aliquis in alto perfectionis gradu constitutum, non despondeat animum: sed quantum potest, totis viribus eam assequi conetur. Quòd si nec sic ad optatam valet perfectionem pertingere, hoc tantùm curet, vt amet eam ex corde, & votis omnibus ad eam suspiret.

* Magna consolatio pro imperfectis bonæ voluntatis.

CAPVT XXVIII.

Non omnes Dei amicos, seruosque fideles consolationum spiritualium frui suauitate.

1. *Non omnibus datur dulcedo contemplationis, & consolationum spiritualium suauitas.*

2. *Facit enim ad ornamentum domus Dei varietas, strenua actionis, & amorosa contemplationis.*

3. *Consolatio pro occupatis circa externa propter obedientiam, aut status sui exigentiam: vt si non habeant deuotionis melleam dulcedinem, retineant auream humilitatis soliditatem.*

Quidam CHRISTI *seruus.*

DOMINVS Iesus Rex regum non omnes ad hoc eligit aut admittit, vt in hoc exilio secum mensæ assideant, hoc est, vt in fruitione & quiete sanctæ contemplationis pleniùs delicientur: sed multos constituit velut ministros, qui ante mensam suam stent, sibíque inseruiant.

1. *Non omnes serui Dei ad arcana admittuntur.*

Non, inquam, in magnâ domo & Ecclesiâ suâ vult habere tantummodò delicatas atque ornatas puellas; sed etiam ordinat Principes, Duces, milites, aliósque seruos diuersis operibus aptos, quos semper ad negotia paratos habeat. Neque enim in internis dumtaxat delicijs excellentissimæ contemplationis delectatur Deus, verùm etiam in externis vtilium occupationum exercitijs, quæ propter honorem & amorem ipsius purè suscipiuntur.

2. *Neque enim sola contemplatio, verùm & vtilis actio, etiam externa, Deo placet.*

Ceterùm post hoc exilium omnes qui Christi sunt, beatæ & æternæ mensæ eius assidebunt. Non igitur sint pusillanimes illi, qui licet propriæ mortificationi, abnegationi, & resignationi diligenter operam dent, non tamen hic percipiunt gratiam perfectæ contemplationis: sed fideliter & perseueranter Domino seruientes, * ament illam gratiam in alijs, quibus Deus gratuitâ pietate suâ eam in hac vitâ concessit.

3. *Consolationem hinc capiant humiles, qui spirituali dulcedine non abundant.*

* Praxis pro ijs qui vident gratias in alijs quibus ipsi carent.

CAPVT XXIX.

Indignatio, quòd statim non liberentur defectibus, plerumque procedit ex amore propriæ excellentiæ.

1. *Optimus modus electionis est, vt velimus aliquid, non quia nobis placeat, sed ideo dumtaxat quia Deo placet, & quando, & quantum Deo placuerit.*

2. *Sic enim citius purgabimur à defectibus, & ornabimur abundantius donis Dei.*

IOANNES THAVLERVS *Serm. 2. de Ascensione.*

1. *Desideranda quidè est perfectio, sed propter Dei beneplacitum, non amorē proprium nostrum.*

SI in optione alicuius foret & arbitrio positum, vtrùm ab omnibus vitijs & [a] defectibus suis absolui & expediri, cunctasque virtutes & omnem perfectionem obtinere vellet, necne; deberet ita dicere Deo suo: Domine, non meum donum, non meam gratiam peto, non meam voluntatem deposco: sed quomodo tu vis, ita libens accipio. Si tibi visum est vt illis caream, ego pro tuâ voluntate eis potiùs carere volo.

2. *Quia perfectio obtinetur resignatione, non propriâ quæsitione, optādo voluntatem Dei in omnibus, & non nostrā.*

Certè dum hoc pacto in verâ resignatione carere [b] magis & frustrari eligimus, plus accipimus & plus habemus, quàm si ex propriâ voluntate caperemus haberemusque Deum, aut quamlibet creaturam. Multò siquidem vtilius nobis est, sponte humiliterque carere velle omnibus Dei [c] donis in verâ resignatione & abnegatione propriæ voluntatis, quàm illa habere ex propriâ voluntate.

[a] Non agitur hîc de peccatis actualibus quæ priuant gratiâ Dei, aut de virtutibus necessarijs ad salutem, sed de tentationibus & inclinationibus habitualibus post culpæ condonationem relictis, & de donis quibusdam gratiæ gratis datæ, quæ Mysticis dicuntur dona Dei; & adesse atque abesse possunt, saluâ semper manente gratiâ Dei cum verâ resignatione ad vtrumlibet.

[b] Thaulerianam istam supereminentem resignationem non sic accipe, quasi otiosa esse, & nil agendo pro vitijs exstirpandis, vel virtutibus inuertendis solum Dei beneplacitum expectare debeat; sed opus est vt faciat quod in se est, & posteà dicat Deo: Sicut vis, ita volo. exemplo Pauli, qui orando & sese castigando pugnauit, & tandem pro resignatione in Dei voluntatem, audiuit: *Sufficit tibi gratia mea*, 2. Cor. 12.

[c] Gratis datis, non gratum facientibus, aut ad salutem necessarijs.

CAPVT XXX.

Consolatio pusillanimitatis ex multitudine tentationum, crebrisque defectibus ortum habentis.

§. I.

1. *Non oportet nimis molestè ferre, quòd in quotidianos defectus incidamus: cùm etiam perfectissimi viri hoc suo modo patiantur;*

2. *Nec tamen, quia grauibus tentationibus vexantur, ideo coram Deo habentur immortificati;*

3. *Nec quia horrent aut fugiunt aspera secundùm sensualitatem, displicent Deo, quamdiu mens eorum conformatur diuino beneplacito.*

4. *Non igitur mirum, si hoc imperfectis accidit, quod etiam perfectissimis euenire permittit Deus.*

5. *Propterea solentur se Euangelio Angelorum, qui non solùm perfectis, sed etiam omnibus hominibus bonæ voluntatis pacem cælicam annuntiabant.*

Quidam Dei AMICVS. *Talia sunt quæ adfert Carthusianus Florentius Instit. Vitæ Christian. lib. 4. cap. 53. & 54. Edidit Surius.*

1. *Etiam perfecti in multis offendunt.*

QVID turbaris, ô homo bonæ voluntatis, quid turbaris atque animo deijceris, quòd virtutes perfectè pro voto tuo, absque omni defectu & impedimento, tempore huius exilij exequi nequeas, sed quotidie vel etiam continuè inuitus & contra voluntatem tuam in imperfectiones labaris? Nam & excellentissimi Apostoli ceterique Sancti & amici Dei ipsas quidem virtutes omnes volebant, atque appetebant, seu desiderabant, supremo & optimo modo perficere: sed hoc in istâ vitâ sine aliquâ imperfectione præstare non poterant. Vnde & dicebant: *In multis offendimus omnes.* Itemque: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Iacob 3. 1. Ioan. 1.

2. *Nec propterea minus placent Deo, quia tentantur.*

Reuerà etiam sancti & perfecti homines defectibus quibusdam & tentationibus hic obnoxij sunt. Qui licet leuiter offendant, licet ab humani generis inimico, & propriâ corruptione, vel de luxuriâ, vel de vanâ gloriâ, aut de quibuslibet alijs vitijs contra suam voluntatem tententur impugnenturque; non tamen propterea eos immortificatos vel à verâ sanctitate & perfectione alienos esse Deus iudicat, cùm hæc eis displiceant, contraque rectæ rationis iudicium & omnem ipsorum voluntatem sint.

3. *Nec quia primis motibus refugiunt aspera, cum tandem se diuinæ voluntati subdant.*

Itidem, dum (vt natura fert) secundùm sensualitatem & primos motus contraria quæque animæ & corpori in tempore atque æternitate fugiunt & horrent; nequaquam ob id à Deo pro non verè sanctis habentur, si tantùm secundùm superiorem rationis portionem hinc doleant, & Dei voluntati sese adiungant conforment que.

4. *Hoc ergo & imperfectos solari debet.*

Cùm igitur nec ipsi perfecti viri possint in hac miserâ vitâ carere defectibus; nihil mirum, si contra voluntatem tuam in multas imperfectiones labaris. Itaque necesse est, vt cum sanctissimo Paulo Apostolo dicas: *Velle quidem adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Id est, Integra quidem mihi voluntas est, in omni virtute, gratiâ & sanctitate perfectè viuendi: non tamen pro meo desiderio tam perfectè id re ipsâ exequor, sicut libentissimè vellem. Rom. 7.

5. *Nam Angeli etiam imperfectis bonæ voluntatis pacem annuntiabant.*

Profectò non solùm perfectis, sed & tibi cunctisque bonæ voluntatis hominibus pax per sanctos Angelos in Christi natiuitate denuntiata fuit in hunc modum: *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Non dixerunt veraces Angeli, Pax sanctis perfectisque hominibus, (licet hoc maxime ita sit;) sed notabiliter sic cecinerunt, *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Nam animæ rationales, bonâ voluntate sanctaq; charitate prœditæ, etiamsi multis adhuc imperfectionibus detineantur, filiæ tamen & charæ sponsæ sunt Regis æterni: at animæ perfectæ atque heroicæ, sunt Reginæ & excellentes sponsæ eiusdem cælestis Sponsi. Qui sicut cum istis volantibus volat, ita cum illis ambulantibus vel currentibus ambulat & currit, nusquam eas deserens.

Lucæ 2.

§. II.

1. *Qui terrore peccatorum anguntur, postquam Confessarij consilijs satisfecerint, reliqua supplere conentur ex superabundantibus passionibus & meritis Christi.*

2. *In illo enim, & per ipsum, habemus quidquid ad salutem necessarium est, tam ad internam sanctitatem & iustitiam animæ, quàm ad satisfactionis abundantiam.*

3. *Per ipsum perficimus omnem sanctitatem & perfectionem nobis præceptam, quando ex præscripto Ecclesiæ pœnitentiam agentes de præteritis, & satisfactionem Christianaque pietatis opera proponentes de futuro, quod conatibus nostris deesse veremur, per misericordiam Christi suppleri postulamus.*

Idem Dei AMICVS *eodem lib.4. cap.55. Vide Speculum spirit. cap.7.§.4.*

1. *Nihil ex nobis boni ad salutem æternam, omnia ex gratiâ & meritis Christi.*

Age, bonæ voluntatis homo, iuxta denuntiatam tibi per sanctos Angelos pacem, abundè in hoc & propter hoc contentus tranquillusque esto, quòd Pater ille cælestis vnicũ Filium suum Iesum Christum, Deum & hominem, non solùm tibi nasci voluit, sed etiam vsque adeò ad tuos vsus proprium donauit, vt quæcumque bona tibi desunt, nec [a] satis ex teipso habere potes, cuncta hæc ex ipso & in ipso Domino Iesu habeas: neque dubites, Patrem cælestem, dilectissimumque eius Filium, ita omnino hæc abs te accipere, ac si nihil horum tibi in teipso & ex teipso deesset; cùm quidquid in te nec habes nec inuenis, id in Christo habeas.

2. *Imperfectionem operum nostrorum perficit vnio ipsorũ cum meritis Christi.*

Reuerà ipse Christus Iesus nobis imperfectis, & multis culpis obnoxijs, datus & factus [b] est quidquid saluti nostræ necessarium est. In illo habemus omnia bona, virtutes omnes, omnem sanctitatẽ & perfectionem, seu quæcumque Deus à nobis exigit, & quidquid nos ei præstare æquum est: ita vt ex ipso Iesu Christo & per ipsum impleamus, sarciamus, perficiamusque, etiam summo & excellentissimo modo, quæcumque alioqui nobis in nostrâ fragilitate imperfectioneque & ad mala propensione, prorsus essent impossibilia.

3. *Coniunctâ enim operibus Christi, induunt etiam sanctitatẽ eius.*

Itaque si homo es bonæ voluntatis, hoc est, si iuxta Dei voluntatem in cunctis virtutibus, in omni sanctitate & perfectione eidem Domino Deo tuo libenter placere velles; potes implere ac perficere in Christo, & per Christum, omnem [c] iustitiam, perfectionem, atque sanctitatem: nec de hac re vllum apud te dubium hærere debet. Offer igitur deuotâ mente Deo Patri dilectissimum Filium ipsius Iesum Christum. Pro deperdito pueritiæ & iuuentutis tuæ tempore, offer sanctissimam eiusdem Christi pueritiam ac iuuentutem. Pro cunctis negligentijs & imperfectionibus tuis, offer illius vitam perfectissimam, & passionem salutarem.

a Nam nudis & solis viribus naturæ nihil habemus aut agimus vtile ad salutem, sed omnia per Christum ex gratiâ & meritis eius. Vide S. August. de Nat. & grat. libb. citatis à Theologis apud D. Thomam 1.2.q. 109. art. 2. & seqq.

b Pauli verba sunt 1. Cor. 1. *Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio* Explicantur non (vt hæretici solent) imputatiuè aut formaliter, sed (vt Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, Anselmus, D. Thomas hîc) meritoriè, satisfactoriè, efficienter aut exemplariter.

c Statui tuo & saluti tuæ necessariam.

PRAXIS ista in hoc cap. XXX. & XXXI. suauitatis & vtilitatis spiritualis plenissima, frequenter admodum à D. Blosio in pijs deuotionis exercitijs vsurpata de adsciscendis meritis Domini nostri Iesu Christi vitæ, passionis, Vulnerum, Sanguinis & mortis, in supplementum defectus operum nostrorum valdè ex sese imperfectorum, suadenda est Asceticæ studiosis, & fundatur in dulcissimi Abbatis S. Bernardi monitis & exemplis, qui Serm. 22. in Cant. super Cant. 1. *Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* & Serm 43. super Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* & Serm 61 super Cant. 2. *Veni columba mea in foraminibus petræ, in cauernâ maceriæ;* fusè de eâ loquitur. Paucula excerpo. Sermone 22. *Vbi vera fortitudo,* ait, *nisi in Christi passione?* & addit alias virtutes nostras, ex vitâ & morte Christi robur & meritum accipientes. Serm. 43. *Ego, fratres, ab ineunte,* ait, *meâ conuersione pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei* Et mox: *Hæc meditari dixi sapientiam, in his iustitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his diuitias salutis, in his* COPIAS MERITORVM. Serm. 61. post multas delicias adductas ob merita Vulnerum Christi, ad solatium animæ peccatricis, alludens ad Psalmũ 103 *Petra refugium herinaceis;* *Et reuerà,* ait, *vbi tuta firmaq; infirmis securitas & requies, nisi in Vulneribus Saluatoris?* Et paulò pòst: *Ego verò fidenter, quod ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina per quæ affluant.* Plura apud Bernardum in hanc rem repenet pius Lector.

CAPVT XXXI.

Exercitium applicandi nobis actiones & passiones Christi Saluatoris.

1. Ut suscipiat Deus actiones & passiones Christi tamquam res nostras, opus est. [illegible] per desiderium in fide & charitate operetur quod potest per gratiam Dei. Non enim otiosa, sed actuosa desideria hic proponuntur ad obtinendum merita Christi.

2. Optimum est frequentare à primo rationis vsu hoc exercitium applicandi sibi merita Christi.

3. Qui tamen id neglexerit, vel serò tamen faciat modo hic præscripto. Actualis enim intuitus Christi in omnibus actibus nostris, fructuosior est virtuali duntaxat.

4. Nihil aliud enim est hoc exercitium, quàm vnire conatus nostros imperfectos cum meritis & satisfactionibus Christi.

Quidam Dei AMICVS *.

* Florentius Inst. Christ. lib. 4. c. 37. &c.

1. *Ratio optima supplēdi defectus nostros per vnionē cum operibus Christi.*

VT Deus omnipotens virtutes omnes, omnem sanctitatem & perfectionem, cunctaque bona opera non aliter à te suscipiat, quàm si illa omnia reipsâ perficeres ac perfecisses; satis necessarium fuerit, vt cor, voluntatem, deuotionemque animi tui integrè ad ipsum Deum conuertere, dirigere atque erigere studeas: teipsum totum, & quidquid in tempore atque æternitate Deus super te permittere volet, ipsi eiusque gratissimæ voluntati resignans, offerens ac vniens. Ita enim cum eo vnum eris, & omnium virtutum, omnisque sanctitatis perfectionem in ipso Deo tuo habebis, supplebisque ex meritis vitæ & passionis Iesu Christi, quidquid boni vel in præterito ac deperdito tempore tibi defuit, vel in residuâ vitâ tuâ deerit.

2. *Ab ineunte ætate assuefaciendus animus ad hanc vnionem.*

Æquum quidem fuerat, te ab eo tempore, quo primùm *ratione vti cœpisti, in Deum dirigere ac referre cunctas actiones & omissiones tuas, totum corpus totamque animam tuam, & omnes eorum motus ac opera, sensus item & rationem tuam, vti hoc Deo gratissimum fuisset: sed quia illud mox à primâ ætate non fecisti, aut ita perfectè & integrè abs te factum non est vt iustum erat, vel nunc tandem id facere studeto, atque hoc vel simili modo precare.

3. *Oratio pia, vt qui sic non fecerit, vel nunc tandem hoc aut simili modo faciat.*

Psal. 138. Psal. 37.

O dulcissime Domine Deus meus, confiteor,[b] debere me tibi omnem fidelitatem, amorem, mortificationem, resignationem, sanctitatem, virtutes omnes, cuncta opera bona, supremamque animæ & corporis perfectionem: sed *imperfectum meum viderunt oculi tui*, & *ante te est omne desideriū meum.* Cùm igitur, pie Iesu, tam infirmus, fragilis, negligens, corruptus atque ad mala propensus sim, vt contra voluntatem conatumque meum multis modis præpediar, quò minùs illa bona tam purè ac perfectè reipsâ & opere implere possim, sicut libenter vellem obsecro te per omnes miserationes tuas, vt ipsam voluntatem meam eodem modo suscipias, quo sancti Pauli Apostoli ceterorumq; amicorum tuorum voluntatem suscepisti. Oro etiā, benigne Redemptor, vt me, sicut & amicos tuos omnes, in teipso operum ac meritorum tuorū participem reddas. Oro, vt plenissimè Patri tuo cælesti ac tibi satisfacias pro omnibus malis quę vnquam commisi, & perfectissimè suppleas omnia bona quæ omisi. Tu enim non minus integrè pro meâ salute mihi datus es quàm perfectis amicis tuis, vt in te & per te sarciantur suppleanturque omnes defectus mei, & quidquid mihi ex supradictis bonis contra plenam voluntatem meam deest. En, amantissime Domine Iesu Christe, desidero hanc meam voluntatem in omne reliquum tempus vitæ meæ, & in omnem æternitatem tam perfectè, purè ac fortiter in te erigere, tuæque gratissimæ voluntati resignare & offerre, sicut vllus vmquam fecit homo, aut facere debuit. Itaque ex hac horâ & deinceps in omne æuum, nihil vmquam aliter, aut plus vel minus in corpore & animâ meâ, in vitâ & morte, in habendo, carendo, patiendo, agendo ac dimittendo, volo atque appeto, quàm tibi gratissimum est. In purâ intentione, in verâ mortificatione & dilectione, in omni bono opere & virtute, omnique sanctitate, tam perfectè tibi pro gratâ voluntate tuâ placere cupio, sicut aliquis vmquam ex præcipuis amicis tuis placuit. Peto, Domine, & intimè opto, vt omni reliquo vitæ meæ tempore, nocte ac die, omnes respirationes meæ, & singuli motus cordis mei, te laudent & honorent, tibi famulentur & gratias agant, amoremque exhibeant. Ex toto corde meo iam dicta omnia & singula fixè irreuocabiliterque volo ac desidero. Et quoties ob meam infirmitatem, corruptionem, & ad mala propensionem, negligentiamque vel obliuionem, aliquid aliter à me fiet, protestor id non esse meæ voluntatis, sed maximè contra omnem voluntatem & propositum meum. Adiuua, quæso, & confirma me in hac voluntate, ad æternam gloriam nominis tui, Amen.

Igitur in hunc modum voluntatem tuam componere, & in Deum erigere atque dirigere consuescito: ita enim benignissimus Deus illam pro opere suscipiet,[c] vbi nihil vltrà poteris; & ipse in eodē suauissimo Creatore tuo singularem pacem, gratiam, libertatem, 4.

Actualis applicatio facit opera Christi & Sanctorum quodāmodò nostra esse.

tatem, gaudium, deuotionem & amorem persenties. Sæpiùs quoq; per diem aut corde tantùm, aut ore simul & corde, dicito breuiter ad Dominum: O amantissime Domine Deus meus, vtinam pro tuâ gratissimâ voluntate tibi placerem, & summum fidelissimumque amorem in omnibus exhiberem!

a Anceps est controuersia apud Theologos, ob dictum D Thomæ 1.2.q.89. art.6. an puer capax discretionis, in primo momento quo ratione vti ur, teneatur sese & sua dirigere in Deum velut vltimum finem.

b Sic D. Bernard. Hom. de Verbis Origenis: *Etsi proximo fortè videtur quis reddere plus quàm debeat, Deo tamen nemo vnquam totum reddit quod debeat.* Sufficit tamen Deo, si reddamus id quod exigit eius præceptum, etsi non possimus reddere quod exigit eius dominium.

c Tunc enim voluntas pro facto reputatur, quando fecimus id quod in nobis erat per gratiam Dei.

CAPVT XXXII.

De immenso Dei erga homines amore.

1. Duplex Dei dilectio erga homines: vna merita, quâ Deus, propterea quòd, eius gratiâ præuenti & adiuti, eum diligimus, nos diligit ad augmentum charitatis, & varios effectus gratiæ: altera immerita, cuius effectus nullo modo meriti sumus.

2. Meritam dilectionem licet nemo infallibiliter cognoscat se adeptum; qui tamen multum in Dei amore profecerunt, prudentialem coniecturam illius nanciscuntur, quâ ipsorum conscientiæ serenantur vt perseuerent in bono; qualis in plurimis Sanctis fuisse videtur, & certitudinis propè nomen meretur.

3. Estque tantò maior ea prudentialis certitudo, tantoque clarior, quantò purior, feruentior, perseuerantiorque est actualis nostra erga Deum dilectio.

4. Immerita dilectio, quatenus antecedens est, & consideratur ponenda si faciamus quod Dei præcepta postulant, est certissima: nullusque amor creatus est ei comparabilis, quamuis omnes omnium matrum amores in vnum conflarentur.

5. Per illum non potest Deus vllius damnationem velle, nisi suppositis peccatis eius, quorum tamen ipse Deus nullatenus causa vel auctor existat.

6. Ita enim liberum est homini, peccare & non peccare, vt etiam qui æterno Dei iudicio damnatus est, liberè tamen possit conuerti, si velit, & damnationis sententiam euadere: quamuis ex duritiâ cordis sui eueniat, vt non sit eam euasurus, qui liberè eligit non conuerti.

7. Coniunge igitur huic arbitrij tui libertati (quam Deus in te inuiolatam voluit conseruari) considerationem infinitæ bonitatis & misericordiæ Dei: & quantumcumque timidus sis ac pusillanimis, generabit in te piam fiduciam.

FLORENTIVS CARTHVS. *Instit. lib. 4. cap. 47. & seqq.*

1. *Duplex dilectio Dei erga homines: merita, seu consequens & immerita, seu antecedens.* SI bonæ voluntatis es, plurimum te consolari & exhilarare debet immensus atque incomprehensibilis amor, quem Deus habet erga homines. Noueris autem, duplicem esse ipsam Dei ad homines dilectionē: quarum alteram meritam, alteram immeritam dicere possumus. Merita illa est, quam bonis operibus, virtutum exercitatione, præceptorum Dei, & Christi consiliorum obseruatione, conciliare nobis & possumus & debemus. Immeritā verò illam dicimus, quam ab omni æternitate ex suâ naturâ Deus gratuitā prorsus atque immensam ad nos habuit, quam sanè meriti non sumus.

Nonnullis quidem aliquâ ex parte in hac vitâ occultatur merita Dei erga ipsos dilectio, sicut Scriptura ait: *Nescit homo, vtrùm amore an odio dignus sit:* sed hoc fit in bonum maximamque salutem eorum, vt scilicet in bonis actibus virtutumque studijs tantò humiliores & constantiores ad finem vsque perseuerent, nec superbiâ intumescāt, vel negligentiâ dissoluantur: quod accidere posset, si certò illis Dei erga ipsos dilectio constaret. Piè tamen credimus (saluo iudicio meliùs sentientium) illam Scripturæ sententiam de vulgari dumtaxat & imperfecto homine scriptam esse, non de eo cuius spiritui testimonium perhibet Spiritus veritatis, quòd filius Dei sit, vt dicit Paulus Apostolus. Neque enim scriptum est, Nescit quisquam, sed, *Nescit homo*, id est, quatenus homo est, absque testimonio spiritus Dei nescit, *vtrùm amore an odio dignus* [a] *sit.* 2. *Plerumque latet, an meritam dilectionem sint adepti: Ecclesi. 9. ne superbiant, aut torpescant. Perfectos tamen non omnino latet, Spiritu sancto pias coniecturas illis suggerente.* Rom. 8.

Quòd autem possimus aliquo modo certi fieri de merito erga nos Dei amore, etiam hæc verba Christi apertè testantur: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum.* Nam cùm Deus diligat seruantem mandata sua, non omnino ambigimus nos à Deo diligi, si præcepta illius sermonesque obseruamus. Planè, si de nostro erga Deum amore certi sumus, etiam de eius erga nos dilectione minimè dubitamus. Ipse enim dicit: *Ego diligentes me diligo.* Modis omnibus prorsus impossibile est, vt incomprehensibilis Dei benignitas suum amorem deneget ijs qui eum verè diligunt. Et hæc ipsa merita dilectio, quâ Deus nos ob sibi exhibitum verum amorem complectitur, tam infinita ac vehemens est, vt non intellectum modò, sed & omne desiderium hominis superet: nam multò ampliùs omnem & Angelicum & humanum vincit amorem, quàm ignis immensus tenuissimam scintillam. 3. *Hæc certitudo de dilectione diuinâ oritur ex prudenti coniecturâ & experimentali de nostrâ erga Deum dilectione.* Ioan. 14. Prou. 8.

Iam quod ad alteram illam, immeritam, naturalem gratuitamque Dei erga nos charitatem attinet, sicut certi sumus esse Deum, & nos à Deo esse conditos, ita de immerito eius ad nos amore dubitare non possumus. Et hæc quoque immerita Dei erga homines dilectio, omnem tum humanum tum Angelicum longè lateque excellit amorem. Quare si omnium matrum amor, fides & beneuolentia in vnius alicuius genitricis pe- 4. *Immerito amore Deus omnes diligit, modò voluntatem eius & mandata faciant.*

ctus

ctus erga vnicum natum suum cogeretur, tametsi illa vehemẽtissimè & temporariam & æternam filij sui non posset non cupere vitam & salutem, nec sic tamen tantus hic matris erga vnicum suum amor, fides ac beneuolentia, posset aliquâ ex parte æquiparari dilectioni, fidei ac beneuolẽtiæ, quam Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus gerit erga cuiuslibet hominis temporariam æternamque salutem. Vnde & indubitatum apud te esse debet, nullam vmquam, licet indulgentissimam genitricem, vsque adeò vnici dilectissimique filij sui damnum & interitum doluisse, vt benignissimus Deus perditionem cuiuscumque hominis: vtpote quem tam præclarè ad imaginem & similitudinem suam condidit, ac tanti fecit, tantoque in pretio & honore habuit, vt illius causâ nec vnico charissimoque Filio suo pepercerit, sed hunc in acerbissimam & maximè ignominiosam mortem tradiderit: idque tanto amoris ardore & quasi intemperantiâ [b], vt si non nisi vnus fuisset redimendus homo, eumdem ipsum eâ ratione proculdubiò fuerit liberaturus.

Rom. 8.

5\.

Non enim vult mortẽ peccatoris, sed eam sibi peccator accersit, libero arbitrio suo abutens, & peccatis suis iustitiã Dei ad suam damnationẽ prouocans.

1\. Tim. 2.

Certissimum [c] est, Dei charitatem, misericordiam & benignitatem æternam nullâ vmquam ratione posse alicuius hominis perditionem damnationemque velle: nam de ipso Deo verissimè scriptũ est, proprium illi esse, misereri semper & parcere, nec velle eum quemquam perire, sed *omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* At cùm libera sit homini data voluntas, isque eâ sponte ac improbè aduersus Dei abutatur voluntatem, & cunctas illius institutiones, adhortationes, comminationes, præcepta, consilia, promissa, beneuolentiamque omnem contemnat, atque contra Deum propriamque salutem agere pro nihilo ducat, nimirum diuina eum iustitia (vt dignum & æquum est) condemnat.

6\.

Libertas arbitrij etiam in reprobo, dum viuit, potens est, vt eum gratiâ Dei ad eum conuertatur.

Est autem ipsa voluntatis libertas adeò in hominis arbitrio sita, vt si quis etiam multis iam annis ob sua crimina damnationi adiudicatus esset, posset tamen, per liberam voluntatem auertendo se à peccatis, & ad Deum iustitiamque conuertendo, redire ab illâ damnationis sententiâ ad felicitatem æternam: id quod beatus Augustinus confirmat, dicens ita: Nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris mutare delictum. Itaque præscientia quidem Dei, quâ iam antè nouit exordium, medium & exitum tuum, immutabilis est, sed non item iudicium siue sententia. Nam si centũ annis ad vltimum vsque vitæ spatium in mortalibus vixisses peccatis [d], & ob illa ex diuinâ iustitiâ damnationi addictus esses, atque in ipso vitæ termino, à peccatis auersus, per confessionem, contritionem ac pœnitentiam redires ad Deum, eiusque gratiam tibi conciliares; iam sententia illa & iudicium damnationis mutaretur, & ipse ad sempiternam beatitudinem reuocareris. Tangat, quæso, animum tuum hæc tanta & tam gratuita Dei in te dilectio.

7\.

Humilis cõtemplatio diuinæ bonitatis parit amorosam confidentiã, & solatur timidos ac pusillanimes ob consilia Dei erga reprobos & electos.

Attentè totaque animi deuotione meditare eiusdem Conditoris ac Redemptoris tui bonitatem, dulcedinẽ, pulchritudinem, pietatem, misericordiam, charitatem, fidelitatem, atque eius generis alias illius amabiles perfectiones: quæ sanè tam immensæ atque incomprehensibiles sunt, vt nec scribi, nec dici, nec cogitari satis possint. Enimuerò si cuncti spiritus Angelici, omnesque animæ creatæ, & quæ deinceps creandæ sunt, vnam aliquam ex prędictis Domini Dei tui perfectionibus perscribere vellent, etiã si singulis quibusque spiritibus ac animabus tantum suppeteret atramenti, quanta est vastissimi maris vnda, & membranarum vicem amplissima cæli moles expleret: attamen antequam decima pars illius describeretur, singulorum singula maria penitus exhaurirentur, & cæli singuli tam in omnes partes litteris opplerẽtur, vt ne vnum quidem apicem prętereà capere possent. Huiusmodi pia meditatio, & infinitè gratiorem suauioremque Deum tuum in pectore tuo efficiet, & sanctam confidentiam intimumque amorem & gaudium, ac bona omnia intra te adducet: vnde fiet, vt iam mortem non inordinatè pertimescas, sed lætus illam exspectes.

[a] De istâ certitudine aut piâ credulitate, quòd simus in dilectione Dei, controuersia est aduersus Nouatores plenissimè discussâ apud Cardinalem Bellarminum tom. 4. lib. 3. de Iustificatione, vbi has & alias Scripturas de certitudine vel incertitudine gratiæ & charitatis, iustificationis aut prædestinationis loquentes solidè explicat. Videri etiam possunt Doctores Theologi apud D. Thomam 1. p. q. 23. de Prædestinat. & q. 24. de Libro vitæ; & interpretes D. Pauli Rom. 8. & 2. Timoth. 1. qui se dicit certum: & D. Petri Epist. 2. c. 1. qui hortatur, vt certam vocationem faciamus. Nam hæc accipienda sunt de certitudine coniecturali, prudenter iudicando per Spiritus Dei testimonia, ex bonis signis; non de infallibili ex fide diuinâ, qui error est Nouatorum.

[b] Hanc amoris Iesu Christi vehementiam & excessum supra omnem amoris modum, quòd pro vnicâ animulâ paratus sit omnia pati, laudat S. Dionysius Epistolâ ad Demophilum, & exaggerat S. Chrysostomus super cap. 2. ad Galatas: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

[c] Idem Auctor lib. 5. cap. 49. & 51.

[d] Præclarè pro hac doctrinâ amorosâ, quòd reprobus possit per Dei gratiam ad Deum conuerti, loquitur Augustinus de Esau reprobo lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Noluit Esau, & non cucurrit; sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset.*

CAPVT XXXIII.

De eo qui circa vitæ finem ex animo sese corrigit.

1. Consolatoria instructio pro illis qui in senectute conuertuntur ad Dominum, Numquam esse seram pœnitentiam, dum in hac vitâ sumus.

2. Qui secus opinatur, facit summam iniuriam bonitati diuinæ, quæ in admittendâ pœnitentiâ, etiam serâ, maximè relucet.

3. Quod constat ex parabolâ operariorum in vineâ vltimâ horâ laborantium, & denarium diurnum accipientium.

4. In eis autem qui serò sed seriò conuertuntur, defectum meritorum supplet Christi amor, quantum opus fuerit ad ipsorum salutem.

5. Quare etiamsi ad Purgatorium descendant animæ verè pœnitentium, non carent ibi refrigerio, maximè ob salutis suæ certitudinem cum dulci in Dei voluntatem resignatione.

6. Illis verò tantummodò timendum est atrox Purgatorium, qui ipsum in hac vitâ præuenire negligunt per remedia satisfactionum ordinaria; imò iactant se non timere Purgatorium, quò euadant infernum.

7. Non eis qui in vitâ suâ conantur omni studio se ab eo eximere.

8. Magna consolatio peccatorum verè pœnitentium quorumcumque, ex historiâ filij prodigi, multisque dulcibus Scripturæ locis.

1. *Numquam sera est pœnitentia, modò sit vera.*

O TV, qui in senili vel vltimâ ætate, relictis vitiorum iniquitatumq; sordibus, iter iustitiæ ingredi cœpisti, iamque bonæ voluntatis es; quare sic trepidas, ac tantâ tristitiâ deprimeris, quasi nulla tibi salutis spes esset relicta? Recordare, quæso, recordare misericordissimi, benignissimi dulcissimique Redemptoris tui Iesu Christi, qui venit (1.Tim.1.) in hunc mundum peccatores saluos facere. Pro eis incarnatus est, pro eis laborauit, acerbam passionem pertulit, Sanguinem fudit, & mortuus est.

2. *De quo qui dubitaret, iniuriam Deo faceret. Gaudeãt igitur qui etiam serò conuertũtur ex animo.*

Illum magis inhonorare vel maiori iniuriâ afficere non potes, quàm si propter multitudinem, diuturnitatem, aut enormitatem scelerum tuorũ, de eius pietate, misericordiâ ac bonitate desperes. Quamuis igitur senio iam prægrauatus, seu vitæ huius termino proximus, inceperis te corrigere, & fortè non nisi vno anno, vel vno mense, aut vno die hîc viuere habeas; non est tamen quòd perturberis, nimiáve pusillanimitate deijciaris: sed est vnde plurimum gaudeas, considerans immensam Dei erga te clementiam, qui te ante obitum tuum ad se reuocauit, bonam voluntatem tibi donans; quique (vt beatus Bernardus ait) non admodum attendit in homine quid fuerit, sed quid iam esse velit.

3. Quòd si deperditum & in vanitatibus ac peccatis consumptum vitæ præteritæ tempus te angit; rursum consoletur, ac piâ firmaque fiduciâ stabiliat animum tuum parabola illa Euangelica, vbi legis, eos qui horâ vndecimâ à patrefamilias conducti atque in vineam missi sunt (id est, qui in senectute & vltimâ ætate, sobriè, iustè, ac piè viuere cœperunt) (Matth.20. Tit. 2.) licet vnâ dumtaxat horâ laborassent, denarium æternæ beatitudinis recepisse, sicut & illi qui totâ die laborauerant, seu ab ipsâ pueritiâ vel iuuentute Deo seruierant. Hinc iterùm in Euangelio Saluator (Luc.12.) beatos dicit, non solùm illos qui in primâ aut secundâ, sed etiam qui in tertiâ vigiliâ parati inueniuntur.

Probat id parabola conductorum in vineâ, omni diei horâ, etiam vndecimâ & vltimâ.

4. *Defectum meritorum in verè conuersis supplet Christus, quod solatio est tardè ad pœnitẽtiam veniẽtibus.*

Neque inordinatâ formidine concuti debes, propter propriorũ meritorum inopiam: nam cùm iam per bonam voluntatem & Dei gratiam veramque charitatem coniunctus sis Christo, tamquam viuũ membrum particeps eris meritorum eius, & omnium electorum ipsius: accipies reuerà hereditatem cælestem, quia de numero filiorum Dei es. Planè iam ex illis es, de quibus Paulus Apostolus loquitur & dicit: (Rom. 8.) *Nihil damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant.* Itaque iam lætus expectare & potes & debes *beatam spem* (vt (Tit. 2.) idem Paulus ait) *& aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Iam cum ingenti gaudio audire te æquum est etiam hæc verba: Iesus Christus *traditus est* (Rom. 4.) *propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Et ista: (1 Ioan. 4.) *In hoc est charitas; non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Item ista: Iesus Christus *dilexit nos, & lauit* (Apoc. 1.) *nos à peccatis nostris in Sanguine suo.*

5. *Etiã in Purgatorio Deus præstat tardè conuersis solatia ob certitudinẽ æternæ salutis.*

Sed metuis fortasse, ne te hinc migrantem pœnæ Purgatorij excipiant. At iste quoque metus nimius deponendus est. Omnino expedit tibi vt resignes te totum Deo, sinasque eum facere tecum quod voluerit. Sicut diligis eius misericordiã, ita diligas oportet & iustitiam ipsius.* Pater est indulgentissimus, qui siue in hac vitâ, siue in Purgatorio, filios suos à peccatis & vitijs corde iam auersos, atque ad se conuersos, flagellet, non nisi paterno affectu id facit. Nihil dubites de tam amabilis Patris pietate. Quando iam illi placere verè desideras ac studes, dolesque quòd eum vmquam offenderis: hinc te migrantem, non acerbè, sed benignè suscipiet, sinuque misericordiæ suę confouebit. Etiam si ad Purgatorium deductus fueris, non carebis

* Obseruẽt hanc consolationem, qui perpetuâ anxietate ob pœnas Purgatorij, quas immodicè timent, in vitâ torquentur.

rebis illic refrigerio & consolatione, certus de tuâ salute, ac futurâ beatitudine, gratiusque tibi erit ibi esse, quàm hîc, vbi multæ occasiones offendendi Deum habentur. Vnde legimus, quemdam sanctum virum hæc aut similia verba dixisse: Si pro comperto haberem, me post mortem peruenturum ad Purgatorium; paratissimus essem mox collum gladio subijcere, vt certus esse possem de meâ salute.

6. *Purgatorium autem negligentibus est maximè formidandum.*

Sunt tamen etiam nonnulli negligentes, vitamque suam ex animo corrigere nolentes, qui dicere solent, satis sibi esse si ad Purgatorium, & non ad infernum, post mortem descendant. Sed valdè imprudenter loquuntur, & nesciunt quid dicant: tales enim cùm in negligentijs & vitijs suis sponte permaneant, nimis atrox atque horribile Purgatorium expectare debent. si tamen eis datum fuerit, vt ad Purgatorium, & non ad infernum vadant.

7. *Nos item ipsum euadere satagentibus.*

Tu verò bonæ voluntatis homo, qui peccatum omne iam odisti, & Deo viuere ac seruire cupis, immoderatum metum depone. Qui enim charitatem habent, & mente ad Deum conuersi sunt dum moriuntur, etiamsi aliquid fortè secum deferant quod adhuc purgari debeat, felices tamen sunt, quia numquam à Deo auertentur. Vbi plenè purgati fuerint, gloriosè peruenient ad patriam cælestem. Hinc scriptum est: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Apoc. 14.

8. *Quibus magnum affert solatium historia filij prodigi, aliaq; dulces Scripturarum promissiones.*

Profectò qui attentè considerare vult, quàm clementer & amicè prodigus ille filius in Euangelio receptus à patre fuerit, nullà ratione potest desperare. Ipsæ Scripturæ veritatis vbique ingentem consolationem & fiduciam pœnitentibus, atque ad Deum verè conuersis, præstant. Hinc Isaias ait: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum; quoniam multus est ad ignoscendum.* Lucæ 15. Isa 55.

Ioël itidem dicit: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitiâ.* Ioël. 2. Et per Ezechielem Deus loquitur in hunc modum: *Cùm auerterit se impius ab impietate suâ, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitiâ suâ, quam operatus est, viuet. Numquid voluntatis meæ est mors impij, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Ezech. 18. Tobias quoque ait: *Conuertimini peccatores, & facite iustitiam coram Deo, credentes quòd faciat vobiscum misericordiam.* Tob. 13. Rursumque Isaias dicit: *Qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* Isa. 50. Innumera talia in diuinis Scripturis inueniuntur, quæ animæ peccatrici, iam ad Deum conuersæ, præsentissima remedia sunt contra desperationem ac diffidentiam.

CAPVT XXXIV.

Consolationes imminenti mortis periculo.

§. I.

De morte non nimiùm metuendâ.

1. *Exemplo Simeonis docetur mortem pijs esse desiderabilem tamquam introitum ad libertatem.*
2. *Item quia per mortem cessat concupiscentiæ bellum, & animus redditur Deo suo.*
3. *Euolat enim ad latissimam societatem Dei & Beatorum in cælo.*
4. *Morituri ergo deuotè amplectantur pedes Christi, & non timeant.*

Ex S. AMBROSIO *lib. de Bono mortis.*

CVM Iesum infantem parentes in templum ducerent, Simeon, qui responsum acceperat, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini, gauisus suscepit eum in manibus suis, & dixit, *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace:* quasi necessitate quadam teneretur in hac vitâ, non voluntate. Ita dimitti petit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. Anima enim liberatur, dum à corporis contubernio secernitur, & inuolucris perturbationis exuitur. Ipsa post mortem operatur magis quàm ante: quia operatur quæ sua sunt, sine vllâ societate corporis, quod hîc animæ oneri & impedimento est. 1. *Simeon Euangelicus docet mortē pijs desiderabilem, vt libertatis ianuam.* Lucæ 2.

Iustis mors quietis est portus. Insipientes mortem quasi summum malorum reformidant, sapientes illam quasi requiem post labores & finem malorum expetunt. Per mortem id quod inquietum, quod erubescendum, quod inimicum nobis, quod violentum, quod procellosum, & ad omnia vitia propensum est, conquiescit & iacet, ac sepulchro clauditur: id autem quod familiare virtutibus, quod amicum disciplinis, quod sequax boni, ac Deo subditum est, in sublime euolat, vt cum illo perpetuo atque immortali Bono maneat, ipsique adhæreat, & cum ipso sit. 2. *Mors malorum & bellorum carnis contra spiritum finem adfert.*

Non timeamus igitur recipi ab hominibus, nec vereamur nimiùm illum omnibus debitum finem. Intrepidè pergamus ad Redemptorem nostrum Iesum, ad Sanctorum cœtum, Iustorumque conuentum. Ibimus enim ad patres nostros, ad illos fidei nostræ 3. *Iungit nos Deo & Beatorum cœtibus.*

Matth. 8. Lucæ 13.

præceptores: vt etiamsi multa bona opera desint, vera fides opituletur. Ibimus ad eos qui recumbunt in regno Dei cum Abraham, Isaac, & Iacob: vbi & Latro ipse regni cælestis consortio gratulatur: vbi Paradisus est iucunditatis: vbi nullæ nubes, nulla tonitrua, nullæ coruscationes, nulla ventorum procella, neque tenebræ, neque hiems, neque vllæ temporum vices. Non frigus, non grando, non pluuiæ, non solis æstus, nec lunæ aut stellarum erit vsus, sed sola Dei fulgebit claritas.

4. *Saluberrima consolatio morituri ex amplexu pedum Christi.*

Matth. 28.

Morituri quæramus piè & amanter ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, & complectamur pedes eius, & adoremus eum cum mulieribus illis, quibus in die Resurrectionis suæ apparuit, vt dicat & nobis, *Auete, nolite timere:* id est, nolite timere ab iniquitatibus, ego enim sum peccatorum remissio: nolite timere à tenebris, quia sum lux: nolite timere à morte, ego enim sum vita: quicumque ad me venit, mortem non videbit in æternum.

§. II.

De bonâ & felici morte.

1. *Qui morti appropinquat, conetur humiliter suos affectus & desideria meritis & passionibus Christi coniungere, vt ab illis valorem capiant.*
2. *Idque cum quantâ fieri poterit resignatione in omnem Dei voluntatem ex feruenti charitate.*
3. *Talis enim plenaria puraque resignatio ex verâ & perfectâ charitate procedens, ab omni culpâ & pœnâ liberare potest.*
4. *Infirmitas autem naturæ in articulo mortis afflicta corroboranda est intuitu eorum quæ Christus ipse pro nobis est passus;*
5. *Simul etiam spe certâ resurrectionis per Christum,*
6. *Et exemplo Sanctorum cum spe & exultatione in Domino morientium,*
7. *Et tandem dulci repræsentatione æternæ gloriæ mox affuturæ.*

Ferè ex THAVLERO *de Preparat. ad felicem mortem.*

1. *Passio & merita Christi à morituris cogitanda deuotissimo affectu.*

MOriturus [a] quisque meritis Saluatoris nostri Iesu Christi, magis quàm suis innitetur. In illius bonitate, & in precibus beatæ Mariæ Virginis, ac Sanctorum Electorumque Dei, satis confidet. Christi amarissimam passionem mortemque sibi proponet, & ineffabilem illam charitatem, quæ eum tam indigna sustinere coëgit, memoriâ repetet, atque in patentia Vulnera, & in profundissimum pelagus immensæ misericordiæ eius, sese cum vniuersis peccatis atque negligentijs suis dimittet immergetque.

2. *Idque cum plenâ resignatione ad plenissimam conformitatem voluntatis nostræ cum diuinâ in vitâ & post mortem.*

Ad summam Dei gloriam seipsum velut hostiam viuam offeret ipsi Domino, ad perferendum pro acceptissimâ eius voluntate patienter, ex vero amore, omnem languoris acerbitatem, ipsam etiam mortem, & quidquid sibi Dominus in tempore & [b] æternitate immittere voluerit. Hoc si reuerà facere potuerit; si, inquam, sese ex purâ dilectione, cum perfectâ sui resignatione, ad omnem pœnam pro honore diuinæ iustitiæ tolerandam animo spontaneo obtulerit, ipse neque infernum, neque Purgatorium subibit, etiamsi solus omnia totius mundi peccata commisisset. [c] Nullum igitur exercitium in extremis vtilius esse potest, quàm vt quis seipsum ex integro diuinæ voluntati resignet: humiliter, amorosè, pleneque confidens in immensâ Dei misericordiâ ac bonitate.

3. *Hæc plena resignatio efficacissima est ad delendam omnem culpam & pœnam, maximè si ex feruenti in Deum charitate oriatur.*

Fieri enim nequit, quin is qui in huiusmodi verâ perfectâque resignatione, cum sanctâ erga Deum fiduciâ, ex hac luce exit, confestim ad regna cælestia euolet. Nam sicut nihil omnino pœnæ, nihil ignis purgatorij in Deum cadere potest; ita nec in hominem, qui eo modo per voluntatis conformitatem amoremque Deo vnitus est. Hoc animo iustus ille Latro moriebatur in cruce, qui non salutem corporis à Domino postulauit, nec orauit vt à pœnis Purgatorij seruaretur, sed libenter pro peccatis suis proque Dei gloriâ moriens, se totum in diuinam resignauit voluntatem, se totum Christo obtulit, vt ille secum ageret quidquid vellet. Nihil nisi misericordiam & gratiam petijt, dicens: *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Luc. 23.

4. *Recogitatio passionis Christi & resurrectionis securiorem facit mortis metum.*

Quòd si, morte imminente, infirmitas naturæ mœret aut trepidat; huiusmodi mœstitia & formido in Deum per resignationem proijcienda, ac certa spes erga eum concipienda est. Mors Christi mortem tuam soletur. Ille præcessit, præcesserunt & innumeri electi eius: non igitur pigeat te sequi. Corpus quod modò deponis, vile quoddam vestimentum est. Quid ad te, si computrescat, & ad tempus in terrâ occultetur? Posteà ipsum idem corpus tuum resurget: iamque immortale, incorruptibile, gloriosum ac fulgidum erit.

5. *Consolatur etiam morituros promissa per Christum resurrectio.*

Vt etiam mortis metum faciliùs mitiges, ad memoriam reuocanda sunt verba vnigeniti Filij Dei, qui est Veritas æterna. sic enim ait in Euangelio: *Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Ioan. 11. Ruminanda item sunt hæc verba Apostoli Pauli: *Siue viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur.* Rom. 14.

mur. Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus.

6. Pensandum quoque est, quàm resignati ac voluntarij fuerint ad moriendum antiqui iusti, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, Dauid, & ceteri consimiles, cùm nondum ianua regni cælestis esset aperta. Vnde in fine Deuteronomij legimus Dominum dixisse ad Moysen: *Ascende in montem istum Abarim, in montem Nebo, & vide terram Chanaan, quam ego tradam filijs Israël obtinendam, & morere in monte. Quem conscendens iungêris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus populis suis: quia præuaricati estis contra me, in medio filiorum Israël, ad Aquas contradictionis in Cades deserti Sin. Econtrà videbis terram, & non ingrediêris in eam, quam ego dabo filijs Israël.* Et infrà ita legimus: *Ascendit ergo Moyses super montem Nebo, in verticem Phasga contra Iericho, ostenditq́; ei Dominus omnem terram,* &c. Dixitque Dominus ad eum: *Hæc est terra, pro quâ iuraui Abraham, Isaac & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuusq́; est ibi Moyses seruus Domini, in terrâ Moab, iubente Domino.* Ecce quàm resignato animo, iuxta Dei beneplacitum, mortem excepit Moyses amicus Altissimi. Non transiuit quidem ad terram illam visibilem; sed in inuisibilem, & meliorem receptus est, videlicet in secretum sinum pacis & limbum, in quo iustorum animæ tunc in magnâ tranquillitate requiescebant.

Et exempla veterum Iustorum fiducialiter morientiũ etiam priùs quàm ianua calorũ reserata fuisset per Christum.

Deut. 32.

7. Iam verò iustis aditus patriæ cælestis per Christum Dominum nostrum reseratus est. Nos igitur qui hic peregrini & exules in alienâ patriâ degimus, quotidie cum desiderio vel gemitu ad supernam illam patriam nostram, patriam Angelorum, patriam hiemis nesciam, patriam florigeram, vernantem, lucidam & amœnam, patriam verè beatam, redire festinemus, dicentes cum Apostolo: *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino:* quoniam *non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Ibi numquam ampliùs Deum offendemus, numquam illi displicebimus; sed ei placebimus per omnia, cumque perfectè amabimus atque laudabimus in sæcula sæculorum. *Videbimus eum clarè sicuti est,* & ita beati erimus. Iucundissimè complectemur ac possidebimus illum pro desiderio nostro, ipsoque fruemur in æternum. Denique ibi abundabimus omnigenis delicijs ac diuitijs. Quidquid enim hic decoris, dulcedinis, perfectionis & amabilitatis percipimus in creaturis, videndo, audiendo, olfaciendo, gustando & tangendo, id omne eminentissimè ac superessentialiter est in Deo, & æternâ illâ patriâ. Ipse gloriosus creator Deus omnibus creaturis infinitè pulchrior, dulcior atque amabilior est: à quo profluxit quidquid in hoc exilio cordi humano iucundum & gratum esse potest. Vnde & minimum gaudium patriæ cælestis multò magis excellit omnia gaudia mundi huius, quàm vastissimum mare vnicam aquæ guttulam superat. Itaque amemus felicem illam patriam nostram, & eam ardentibus votis desideremus: ad quam nos perducat benignissimus Iesus, Amen.

Consideratio felicitatis perpetuæ, ad quam properant morientes, magno est solatio in metu mortis.

2. Cor. 5.
Hebr. 13.

1. Ioan. 3.

a Hoc in mortis agone exercitium exponit & dilaudat R.P. Ieremias Drexelius Heliotropij lib. 4. cap. 6. §. 3.

b Quoad pœnam omnem, charitate tamen semper retentâ; vel, vt Theophylactus, quoad amissionem gloriæ. Vide D. Thom. in 9. ad Rom. & Chrysostomum ab eo citatum, & Theophylactum in eumdem locum; Bernard. Serm. 12. in Cantica.

c Hæc verba videbis in Prodromo æternitatis R. P. Ieremiæ Drexelij cap. 5. §. 48. & in Horologio, Horâ 9. Annotat. 7. eadem laudat ad praxim.

§. III.

Alia consolatio morituri.

1. *Fidelis moriturus gaudere debet, quòd anima ipsius è carcere corporis profectura sit ad clementissimum Deum suum:*

2. *Nec turbari nimiùm ob debita quibus Deo obligatur: quia Sacramentis deuotè susceptis, aut reipsâ, si fieri poterit, aut saltem in voto; & Christi passione amorosis desiderijs sibi applicatâ, obtinebit ab omnibus culpis absolutionem.*

3. *Etiam gaudeat appropinquare mortem, tamquam terminum laborum, & refugium periculorum.*

4. *Quia longior vita sæpiùs accumulat plura debita quam merita.*

5. *Resignato proinde animo acceptanda est voluntas Dei.*

6. *Fructus huius admonitionis experientiâ comprobatus.*

D. HENRICVS SVSO, *admonens pium quemdam infirmum, vt mortem parato animo excipiat, inter cetera sic ait Epist. 6.*

SI visum est Deo vt moriaris, firmiter retine fidem Catholicam, & lætus moriaris. Gaude, pulcherrimam animam tuam (quæ est purus, rationalis ac Deiformis spiritus) ab hoc angusto, misero & graui carcere absoluendam, ac deinceps sine vllo impedimento suâ beatitudine felicissimè fruituram. 1.

Morte appropinquâte, appropinquatur Deo.

Vnum est, quod multos inexpertos in morte perterrere solet, eisque mortem adfert acerbam & anxiam: id videlicet, quòd dum præteritos annos, dissolutamque & malè transactam vitam reducunt ob oculos, grandi se debito obligatos Deo sentiunt, neque in illâ horâ satis perspiciunt, quid ad id facere debeant. Sed hac in parte certum 2.

Sacramentis Ecclesiæ reipsâ vel in voto susceptis, condonantur morituro peccata.

** Id est, experientiâ, reipsâ.*

tibi præstabo consilium ex diuinis litteris & ipsâ * veritate petitum. Si tu quidem in diebus tuis perperàm te vixisse nosti, sicut pauci à vitijs immunes viuunt, inde non nimiùm in extremâ horâ terreri debes. Postquam Sacramentis Ecclesiæ munitus es, Crucifixi imaginem tibi ob oculos statuas, eamque intuearis, & tuo apprimas pectori; atque in sanguinolentâ immensæ misericordiæ eius Vulnera te reclina, obsecrans eum, vt in ipsis cruentis Vulneribus suis diuinâ virtute suâ cuncta peccata tua abluat, pro sui laude, & tuâ indigentiâ vel necessitate: ac deinde fide meâ securus esto, (iuxta Ecclesiæ Catholicæ fidem, quæ nullâ ratione fallere potest) si id firmiter ita possis agere, te à cunctis vitijs penitus absolutum esse, & hilariter posse mortem oppetere.

3. *Mors periculorũ huius vitæ terminus.*

Vide, obsecro, quæ sit huius vitæ calamitas, quæ cruces & afflictiones, quæ angustiæ & necessitates vndique existant. Etsi nihil aliud esset, quàm metus pro corpore & animâ seruandis nos sollicitans, mutabilisque huius mundi inconstantia, meritò hinc exire appeteremus.

4. *Longa vita plerumque pluribus peccatis oneratur.*

Si quis eâ causâ diutiùs viuere cupiat, vt plura sibi possit coaceruare merita, id quidem valde incertum est, vtrùm merita vel potiùs debita sibi cumulaturus sit. Plerumque cum ætate etiam peccata augentur: multoque plures inuenias qui deteriores quàm qui meliores fiant. Si præsens mors amara est, at omni amaritudini semel finem imponit.

5. *Mors igitur libenter de manu Dei accipienda.*

Age igitur, fili mi, cor, manus & oculos in cælestem leua patriam, atque ex animi affectu eam saluta. Resigna voluntatem tuam in Dei voluntatem, & sis liber hac in parte. Quidquid ille tecum agere volet, siue sit ad vitam, siue ad mortem, id tamquam optimum de illius manibus accipe. Noli timere: en sancti Angeli tibi assistunt, teque vndique cingunt & circumuallant; & benignissimus atque misericordissimus Deus plus quàm paterno affectu ex cunctis angustijs te eripiet, si tantùm illius benignitati possis confidere. Vale.

6. *Experientiá probatus huius admonitionis fructus.*

Litteras hasce consolatorias postquam accepit is cui scriptæ fuerant, exhilaratus animo, iussit eas bis sibi prælegi, auditisque tam pijs & suauibus adhortationibus, maiori sumptâ fiduciâ, mortisque terrore ac formidine superatâ (quæ eum malè vexauerat) liberè se diuinæ permisit voluntati, & sanctâ morte obijt.

CAPVT XXXV.

De patrocinio beatissimæ Virginis, quæ est consolatrix afflictorum.

1. *Deuota interpellatio B. Virginis Aduocatæ nostræ:*
2. *Cuius omnes indigent intercessione, maximè autem qui magis peccauerunt.*
3. *Quibus & illa sæpè desperantibus attulit suo interuentu salutem.*
4. *Eum matri suæ honorem vnigenitus eius Christus reseruauit.*

D. HENRICVS SVSO, *docens vti confugiendum sit ad Mariam Virginem Deiparam, scribit in hunc modum Dialogo Aetern. Sapient. cap. 16.*

QVANDO miseros nos premit & angit immensus cordis dolor, metus aut mœror, nec vllus vsquam patet effugiendi locus; hoc vnum dumtaxat nobis reliquum est, ô præstantissima Regina cælorum Virgo Maria, vt oculos nostros ad te leuemus. Et quidem semper, maximè verò in extremâ mortis horâ te benignam adiutricem atque consolatricem inuenire optamus. 1. *Virginis Deiparæ patrociniũ dulcissimũ, præsertim in morte.*

Tu namque es omnium hominum peccatorum mediatrix apud Filium. Itaque quò quisque se sentit pluribus peccatis irretitum, tantò iustiùs sibi videtur ad te accedere: & quantò est sceleratior, tantò maiori iure ad te properare se putat. Tu es vnicum reorum solamen, vnicum peccatorum perfugium, ad quam respectant multorum humescentes oculi, cui suspirant complura saucia ac misera corda. Eia ergo, illos tuos misericordes oculos, quos certe à nullo vmquam peccatore, nec ab vllo misero & destituto ac desolato homine auertere potuisti, ad me miserum conuerte. Accipe me in fidem & tutelam tuam: siquidem consolatio & spes mea in te sita est. 2. *Omnibus peccatoribus paratissimum.*

O quàm innumeri peccatis dediti iam Deum deseruerant, omnemque cælestis patriæ cœtum ac Deum ipsum abiurarant negarantque, & in desperationis voraginem sese præcipites dederant, atque à Deo miserè separati erant, qui tamen, tibi innitentes, atque ad te confugientes, benignissimè à te seruati sunt, donec te intercedente apud Deum in gratiam restituerentur! Ecquis tam immanis vspiam peccator est, qui tot flagitijs sese obstrinxerit, quot vllus vmquam, qui non idem tui reminiscens, animum & spem bonam conceperit? Tu planè es vnica singularis & fidelissima peccatorum consolatrix. 3. *Etiam desperatissimis, quos sæpè à desperatione reduxit ad gratiam.*

4. *Dedit hunc honorem Filius matri.*

Te immensa Dei benignitas adeò fecit cunctis peccatoribus amabilem, vt superabundans pietas & beneuolentia tua non possit nos non afficere & recreare. O quoties tremendi Iudicis seueram iustitiam aut mitigasti aut auertisti! O quoties apud Filium tuum nobis gratiam & consolationem impetrasti! Citiùs cælum cum terrâ perierit, quàm tu aliquem seriò te implorantem tuâ ope destituas. Reuerà tu & es & diceris mater & Regina misericordię. Eia ergo, mater indulgentissima, Regina clementissima, Domina cæli & terræ, exurge nunc, exsurge, & mediatricem conciliatricemque te pro nobis exhibe apud dulcissimum Filium tuum: vt ipse ob tui gratiam cuncta peccata nostra deleat, nosque sibi gratos efficiat, & ad vitam æternam perducat, Amen.

CAPVT XXXVI.

De plenâ resignatione in beneplacitum Dei.

1. Pœnitens ex animo peccator, carens præclaris operibus pietatis, humiliter soletur se Christi Domini satisfactionibus & passionibus:

2. Et plenâ resignatione conformet se, quantum fieri potest, amorosè Christo patienti, paratus ad quoduis purgatorium sicut Deus volet.

SVSO *Dialogo Aeternæ Sapientiæ cap. 19. Christum ita alloquitur:*

1. *Qui non habet magna merita, habet tamen, si velit, Christi pro se Vulnera.*

ALII quidem, Domine Iesu, consolantur sese vitæ suæ innocentiâ, alij magnis exercitijs & asperâ viuendi ratione, alij item atque alij alijs & alijs studijs suis vel meritis nituntur.ᵃ At ego spem omnem & consolationem potissimùm collocatam ac repositam habeo in tuâ passione, in tuâ satisfactione & expiatione, & in tuis meritis.

2. *Resignatio ad vitam aut mortē ex desiderio placendi Deo.*

Id verò omnino ex me permissum tibi sit, Domine, vt me vel breuî vel post longa annorum curricula tollas è medio. Etiamsi hac horâ esset discedendum è corpore, atque in tui vergeret laudem, vt annis quinquaginta flammis purgatorijs cruciarer, illicò me in tui venerationem sub pedes tuos abijcerem, animoque libenti in honorem tui pœnas illas exciperem, diceremque: Benedictus ignis ille expiatorius, in quo tui laus in me perficitur.

a Non præponit hoc solarium fideli innocentiæ, aut gratiæ per heroicas virtutes acquisitæ: sed suam agnoscens paupertatem, confortat sese isto solatio ob merita Christi patientis sibi applicanda in defectu meritorum propriorum valdè exilium.

CAPVT XXXVII.

Consolatio sumpta ex consideratione æternæ beatitudinis.

1. Maturandum ab inimicis in viâ, ad amicos innumerabiles in patriâ:

2. Descriptio imaginaria Paradisi cælestis ex sacrâ Scripturâ.

3. Felicissima societas B. Virginis, Angelorum, Sanctorumque omnium.

4. Quorum essentiale præmium est Clara visio Dei sibi vniti in gloriâ.

5. Ad hunc statum nobis est semper anhelandum.

6. Comparatio felicitatis Sanctorum cum afflictionibus ipsorum in mundo toleratis.

7. Deuota adspiratio animæ ad patriam festinantis.

SVSO *de patriâ cælesti sic scribit Dialogo Sapientiæ cap. 12.*

VOX CHRISTI.

ATTOLLE iam oculos, & vide patriam cælestis paradisi, ad quam tendere debes. In terris non nisi hospes es, & exul, ac peregrinus. Itaque sicut peregrinus ad patriam properat, vbi eum chari illius amici expectant magno cum desiderio & amore, ita tu quoque festinare debes ad illam patriam supernam, vbi omnes videre te cupidissimè appetunt, omnes felicem præsentiam tuam medullitus & ex animo suspirant, auidè optantes te salutare amicissimè, accipere blandissimè, atque in iucundissimam sodalitatem suam æternè admittere adiungereque. * Crede mihi, tanta illic amicorum tibi turba est, vt etiam qui in illâ innumerâ multitudine à te alioqui vel maximè extraneus est, propensiùs ac fideliùs multò te amet, quàm vlli vmquam parentes suam amarint prolem in hoc orbe sublunari. 1. *Chariores amici nobis sunt in patriâ, quàm in viâ.*

* *Hæc est formula consolationis, quâ vsus est S. Cyprianus in libro de Mortalitate.*

Equidem iam sub crassâ quadam similitudine patriam illam procul tibi conspiciendam præbebo. Est cælum nonum, quod totius terræ latitudinem (etiamsi ea centies millies foret maior) inæstimabiliter suâ vincit amplitudine. Vltra hoc porrò aliud cælum est, quod dicitur empyreum, id est, igneum, non tam ab igni, quàm immensâ & radiantissimâ claritate, ac igneo splendore, qui illi ex naturâ inest immobilis & inocciduus. Atque hoc est regale illud palatium, in quo omnis cælestis exercitus commoratur, vbi *me simul* laudant *astra matutina, &* iubilant *omnes filij Dei*. Ibi sedes sempiternæ positæ sunt incomprehenso cinctæ lumine, ex quibus detrusa est tota cohors malignorum spirituum, in quas electi recipiuntur. 2. *Descriptio Paradisi cælestis.* Iob. 38.

 En

Apoc. 21. a

En ciuitas illa iucundissima tota refulget ex auro mundo, pretiosissimisque radiat margaritis. Fundamenta muri eius omni lapide pretioso ornata: platea illius aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum: tota rosis rubentibus, albicantibus lilijs, omnigenisque vernantibus nitet ac resplendet floribus. Tu ipse iam contemplare propiùs cælestes illos amœnissimosque campos. Hîc hîc nimirùm æstiua floret iucunditas: hîc splendidi veris prata floridissima, hîc verorum vallis fecunda gaudiorum: hîc gratissimi aspectus amicorum in amicos: hîc citharæ & testudines suauiter resonant: hîc omniuarijs perpetim vacatur gaudijs: hîc adsunt pro voto omnia: hîc prospera sunt omnia, nullis permixta tristibus, sed cum sempiternâ securitate coniuncta.

3. *Felicissima societas Sanctorum.*

Circumspice innumeram illam multitudinem, vt ex vitali illo (qui perpetuò scaturit) fonte potent pro omni cordis sui desiderio. Aspice vt in mundissimum præclarissimumque præsentissimæ Diuinitatis speculum (in quo cuncta illis relucent & perspicua sunt) suos intendant obtutus. Adhuc penitiùs considera, vt mellitissima Mater mea, cælestis patriæ Regina, quam tu ita medullitus amas, omnes illos cæli incolas felicitate, exultatione & dignitate excedat ac superemineat *delicijs affluens*, & præ teneritudine *innixa super me dilectum suum*, circumdata floribus rosarum & lilijs conuallium. Cerne, vt eius absolutissima formositas & pulchritudo omnes cæli ciues gaudio & voluptate afficiat: & vt ipse quoque ob illam exhilarescas ac animo erigaris. Conspice, vt eadem pijssima misericordiæ Mater clementissimos ac blandissimos oculos suos tam benignè ac dulciter ad te ceterosque peccatores omnes ipsam implorantes conuertat, quantaque auctoritate & potentiâ eos tueatur, & mihi Filio suo reconciliet.

B. Mariæ virginis gloria. *Cant. 8.*

Intuere porrò oculis puræ intelligentiæ, vt millia millium agminum cælestium mihi ministrent, ac decies millies centena millia mihi assistant. Aspecta, vt immensa illa præcelsorum spirituum multitudo suauiter, amicabiliter, iucundè, & dissimiliter valdè constituta ac disposita, siue ordinata sit: & quantam voluptatem adferat horum consideratio. Neque verò electissimos meos prætereas discipulos, amicosque charissimos, sed intentis in eos oculis vide, quantâ illi requie perfruantur, quamque immenso honore prædití sint, residentes in venerandis iudiciariæ potestatis sedibus. Itemque attende, vt Martyres purpureis rutilent vestibus, Confessores vernantissimâ reniteant pulchritudine, tenerrimæ Virgines Angelicâ splendeant integritate puritateque, & vt denique totus cælorum exercitus præ diuinâ colliquescat suauitate. O quàm iucunda est horum societas, quàm amœna & fortunata regio! Felix nimiùm cui vmquam nasci contigit, & has sedes in æternum occupare dabitur. Nam intrinsecus quidem vestiam eum elegantissimo habitu luminis gloriæ, extrinsecus autem corpus habebit gloriosum, septuplò quàm sit sol ipse lucidius, itemque agile, subtile & impassibile.

Angelorum. *Apostolorum.* *Martyrum, Confessorum, Virginum.*

Ceterùm essentiale præmium consistit in contemplatiuâ vnione animæ cum nudâ Diuinitate. In hoc, inquam, beatitudo animæ potissimùm sita est, vt Deum sine medio contempletur. Numquam enim perfectâ requie potest anima potiri, donec supra omnes vires & potentias suas euecta, in diuinarum personarum naturalem essentiam, & in essentiæ simplicem nuditatem deducatur. Vbi tum demum in hoc ipso obiecto veram oblectationem & æternam capit, atque obtinet beatitudinem. In vastam illam solitudinem & impenetrabilem abyssum Diuinitatis Beati omnes immerguntur, colliquescunt, dimanant, & vniuntur. 4.

Essentiale præmium Beatorum, Clara Dei visio, per vnionem, quam vocant Mystici Sine medio

Quæ cùm ita se habeant, agedum, erecto hilariter vultu, sepositisq; extra memoriam rebus caducis, recrea animum in hoc caliginoso silentio vnà cum hac iucundissimâ sodalitate, & frequentiâ Beatorum, quos in ænigmate contemplaris. Cerne, quàm roseo lætoque perfusi colore vultus eniteant, olim in terris sæpenumerò meâ causâ verecundo rubore suffusi. 5.

Ad hanc gloriam toto corde anhelandum.

VOX HOMINIS PII. O cæli ciues, & amici Dei, quàm estis felices! Vbi nunc sunt cruces, molestiæ, dolores, incommoda, quibus vmquam in terris afflicti fuistis? En cuncta hæc velut somnium euanuerunt, quasi numquam quidquam eiusmodi perpessi sitis. Profectò, si corda omnia in vnum conflata forent, non possent cogitatione complecti ingentem honorem, immensam dignitatem, laudem & gloriam, quibus absque vllo fine perfruemini. O vos inclitos Principes, ô vos præclaros Reges ac Imperatores, ô vos charissimos æterni Dei filios: quàm splendidæ sunt facies vestræ, quàm iucunda & serena corda, quàm magnus & sublimis animus, quàm dulcibus concinunt modulis voces vestræ carmen istud: *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarũactio, honor, & virtus, & fortitudo, & salus Deo nostro in sæcula sæculorum*, cuius gratiâ & benignitate hisce bonis perpetuò fruituri sumus. 6.

Breues afflictiones æternam beatitudinem pepererunt, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriá, Rom. 8. *Apoc. 5.*

Hæc reuerà est patria, hîc perfecta quies, hîc intimum cordis iubilum, hîc laus ex ipsis animi medullis profecta, semperque duratura. 7.

Aspirationes ad gaudia cælestis Ierusalem.

ratura. O summum & immensum bonum, Deus noster! quidnam es tu? O dulcissime atque amantissime Domine Iesu! quàm beatus ille est, qui iucundissimam faciem tuam semper contemplabitur, & gratissima ciuium cælestium societate perfruetur! Oculi tui nitidissimi, Domine, vincunt solis radios: diuinum ac suauissimum os tuum, rubentesque ac candidæ genæ tuæ tam diuinæ quàm humanæ naturæ, ac ipsa denique elegantissima facies tua longè excedit, quidquid vel optari possit in vitâ temporariâ. Prorsus quidquid potest amabilitatis, decoris ac pulchritudinis vllâ ratione cogitari, id omne in te, dulcissime Deus, vltra modum omnem reperitur. Nihil iucundum, nihil gratum aut plausibile vllo in homine potest inueniri, quod non purissimâ quadam ratione infinitè copiosiùs & excellentiùs in te existat.

Precatio breuis cuiusdam AMICI DEI.

** Postulat contritionē charitate informatā.* BOne Iesu, *largire mihi, quęso, sanctam, amorosam diuinamque contritionem: in quâ digneris non solùm culpam peccatorum meorum remittere, sed etiam pœnam eis debitam prorsus relaxare, propter dignissimam conuersationem, & amarissimam passionem tuam. * O vtinam numquam te offendissem! Vtinam purum perfectumque seruitium & amorem tibi semper exhibuissem! * Vtinam, quando mihi moriendum erit, in gratiâ & amicitiâ tuâ vitam hanc finirem! Eia, * ablue me pretioso Sanguine tuo: & concede, vt anima mea exiens è corpore, tota munda coram te appareat, ad æternam laudem tuam. Fiat, pie Iesu, fiat in me & de me gratissima voluntas tua, in tempore * atque æternitate. Tibi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

** Dolet de peccatis.* ** Optat sanctā mortem.* ** Propter Christi merita.* ** In resignatione perfectissimā.*

CAPVT XXXVIII.

Præclara quædam dicta de Dei misericordiâ, quæ pusillanimes multùm confirmare possunt aduersus desperationem, ex varijs Dei Amicis desumpta.

§. I.

Quàm immensa sit Dei misericordia.

1. *Desperatio detrahit diuinæ potentiæ, quasi infirmam; & veritati, quasi mendacem esse suadens.*

2. *Magis admiranda est misericordia Dei, quàm ipsius omnipotentia.*

3. *Quomodo in Dei misericordiâ & charitate sit magnitudo, multitudo, & nimium, ac velut sine modo.*

4. *In eius operibus magis laudatur misericordia, quòd pro nobis omnia fecerit; quàm potentia, quòd tam præclara fecerit.*

QVISQVIS, abiectâ spe veniæ, deijcit sese in desperationis barathrum, is non solum non credit Deum omnipotentem, existimans aliquod esse flagitium quod ille non possit diluere: verùm etiam facit illum mendacem. Pollicitus est ille per Prophetam, se protinus commissorum omnium fore immemorem, simul atque peccator ingemuerit. Contrà, Caina posteritas dicit: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Quid ais, impie? Si Deus, victus magnitudine peccati, non potest ignoscere, detrahis illi omnipotentiam: si non vult quod potest, mendax est, & vanus; qui nolit præstare, quod toties promisit per ora Prophetarum.

1. Desperatio calumniatur Deum quasi infirmum & mendacem. *Ezech. 18.* *Gen. 4.*

Quid dicit Psalmus 144? *Miserator & misericors Dominus, patiens, & multùm misericors. Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Ergo est aliquid mirabilius, quàm condidisse cælos cum tot siderum luminibus, condidisse terram cum tantâ animantium, arborum, ac rerum omniū varietate; condidisse tot Angelicarum mentium agmina. Quis hoc auderet affirmare, nisi Propheta clarè pronuntiaret, miserationes Domini superare reliquorum omnium illius operum gloriam?

2. Mirabilior Deus in misericordiâ, quàm in omnipotentiâ.

Litteræ diuinæ misericordiam Domini aliquando *magnam*, aliquando *nimiam* appellant, aliquando multitudinis quoque nomine copiā illius exuberantem exaggerant. Rex ille & Propheta Dauid vno eodemque in loco magnitudinem ac multitudinem diuinæ misericordiæ complectitur, dicens: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Vbi magna miseria, ibi opus est magnâ misericordiâ. Si consideres quàm atrox fuerit peccatum Dauid, agnoscis misericordiæ magnitudinem: si repures quot modis peccarit in illo crimine, vides multitudinem miserationum eius. Ipse Deus, qui Rex est noster, qui Pater est, qui Dominus, qui sponsus, nullum excipit peccati genus, nullum pręscribit peccandi numerum: quoties per veram pœnitentiam resipiscimus, remittit pœnam quam comminatus est, recipit in familiam, introducit in cubiculum charitatis suæ; nec recipit solùm, verùm etiam omnium admissorum obliuiscitur. Ouem perditam humeris suis reducit ad caulas, inuitat sanctorū Ecclesiam ad commune gaudium, occurrit filio prodigo redeunti domum è longinquâ profectione,

3. In Dei misericordiâ est magnitudo, multitudo, & nimiā sine immodicum. *Psal. 50.* *Luc. 15.*

profert stolam & annulum, iubet occidi vitulum insignem. Quid hæc sonant aliud, quàm immodicam quamdam ac nimiam (vt ita dixerim) Dei misericordiam? Nec mirum est, si nimiam habet misericordiam, qui nimiam habet erga nos charitatẽ. Non

Ephes. 2. veretur hoc scribere Paulus Ephesijs. *Eramus*, inquit, *naturâ filij iræ, sicut & ceteri: Deus autem, qui diues est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.* Planiùs exprimit nimiam Patris erga nos charitatem Ioannes in

Ioan. 3. Euangelio suo, dicens: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Cui congruenter succinit

Rom. 8. Paulus scribens ad Romanos: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Hæc tanta charitas, hæc tanta misericordia, nónne meritò videatur immodica?

4. *Ex misericordiâ omnia condidit Dei potentia, & gratiæ, & pro nobis.* Quoniam nihil habemus, quod non gratis acceperimus à Deo, quidquid possumus aut sumus, quidquid possidemus, Dei misericordia est. Imò quòd Angelos, quòd hunc mundum condidit, Dei misericordia est. Si sibi condidisset, potentia aut sapientia laudari poterat: nunc quoniam hæc omnia nobis condidit, nónne agnoscimus immensam Dei misericordiam? Cui voluuntur orbes cęlestes, cui lucẽt sol per diem, luna cum stellis per noctem, nisi homini? Cuius vsibus hæc omnia condita sunt, cùm nihil essent? Cui pendulæ nubes vmbrã faciunt, & arua rigant? Cui spirant auræ, cui fluunt amnes, scatent fontes, æstuant maria, stagnant lacus? Cui tellus fecunda tantum gignit animantium, tantum gignit opum, nisi homini? Nihil enim omnium rerum non subiecit homini, solum hominem voluit sibi subiectum esse.

§. II.

Etiam ex aduersitatum immissione, & longanimi peccatorum expectatione, probatur immensa Dei misericordia.

5. Aduersitas à Deo miserante nobis mittitur, ac proinde est à Deo acceptanda cum gratiarum actione.

6. Nemo clarius perspicit quanta sit Dei misericordia, quàm qui per humilem sui discussionem videt quanta sit fuerítve sua miseria.

7. Misericordia Dei erga pœnitentes ex summo amore, sicut mariti indulgentissimi, sponsam post adulteria in pristinam gratiam admittentis.

5. *Aduersa immittuntur à Deo misericorditer admonente, aut puniente, aut probante.* ADuersa frequenter immittuntur à miserante Deo, quò nos vel purget à malis admissis, vel retrahat ab admittendis, aut vt virtutis exercendæ materiã subministret. Ita tentatus est Abraham, ita Iob varijs malis exercitus, ita quicumque vmquam piè vixerunt in Christo Iesu, in mundo hoc vel- 2. Tim 3. ut aurum igni varijs afflictionibus probati sunt. Vbi sunt isti, qui Deo obmurmurant quoties incidit morbus corporis, aut mors liberorum vel vxoris, quoties res familiaris damno minuitur, quoties fallunt agrorum prouentus; non intelligentes hæc esse certissima signa miserentis Dei? Audiamus potiùs quid nos admoneat Salomon. *Disciplinam,* Prou. 3. inquit, *Domini, fili mi, ne abiicias: nec deficias cùm ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.* *Non ergo est murmure ferenda, sed cum gratiarum actione.* Eamdem sententiam, verbis nonnihil mutatis, ad Hebræos repetit Paulus: *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Heb. 12. Ergo, quoties ingruit aduersitatis procella, iuxta Pauli consilium in disciplinâ perseueremus, scientes, quòd tamquam filijs offerat se nobis misericors Deus. Si quid serenitatis indulget Patris nostri misericordia, gratias agamus illi, solliciti necubi abutamur illius benignitate: sin vrgent aduersa, nihilo seciùs illi gratias agentes, totos nos illius dedamus arbitrio. Vt corpore valeas, permittis te medico homini, credis te chirurgo ligandum, secandum, vrendum: vt animæ salutem æternam compares, non credes te conditori, Domino, Patri & Saluatori? Non audes dicere Medico, Hac & hac ratione curato me; & Deo præscribimus quomodo oporteat nostræ saluti consulere?

6. *Qui suam scit miseriã, optimè agnoscit Dei misericordiam.* Vnusquisque nostrûm descendat in cubiculum conscientiæ suæ, considerans quot modis, quoties, quàm grauiter offenderit Deum, quàm omnia etiam benefacta nostra sint varijs vitijs inquinata, atque ita intelliget quantum debeat immensæ Dei misericordiæ, qui nostram imbecillitatem tam patienter tolerat, qui tot occasionibus inuitat ad pœnitentiam, qui resipiscentibus & conuersis tam placidè remittit omnem noxam. Ille profectò omni genere lacrymarum deplorandus est, qui semet auertit à fonte vitæ perennis, nec vmquam per pœnitentiam, vnde abijt, reuertitur. Abierat filius Luc. 15. ille profusor in regionem longinquam, reli- Marc. 11. querat domum amantissimi patris, sed reuersus est. Longè recesserat à Domino Pe- Luc. 22. trus, cùm ter illum abiuraret: sed mox reuer- Ioan. 18. sus est, dum recordatus sermonis quem dixerat Iesus, cœpit amarè flere. Exciderat sibi, sed reuersus est in sese, reuersus est ad Iesum.

Audiamus quàm blandè Dominus apud Iere- 7.

Deus sicut indulgentissimus maritus erga sponsam, quantumuis adulteram, modò pœnituerit, animã in gratiã recipit. Ierem. 3. Iob 36. Psal. 94.

Ieremiam sub personâ sponsæ, quæ deserto marito se prostituerat passim omnibus, populum suum reuocet ad pœnitentiam. *Conuertimini*, inquit, *filij reuertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester*. Et apud Iob Dominus reuelat *aurem* peccatorum, *vt corripiat*, & loquetur, *vt reuertantur ab iniquitate*. Sed miseri, qui ad hanc Domini vocem obturant aures suas. *Hodie*, inquit Psalmus, *si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.*[c] Hodie nostrum est, quamdiu sumus in hac vitâ: quæ donec manet, non desinit nobis loqui Dominus, prouocans ad pœnitentiam, offerens paratam veniam.

a Non quòd virtutes nostræ sint peccata, sed quia opera nostra bona coram Deo variè sunt mixta multis defectibus aut imperfectionibus, teste Gregorio lib. 9. Mor. 2. super c. 9. Iob. *Verè scio quòd ita sit, & quòd non iustificabitur homo compositus Deo. Sanctus vir omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitrio districtè iudicetur.* Affinia huic sententiæ videri possunt in S. Bernardo Serm. 1. de Omnibus Sanctis, & Serm. 5. de Dedicatione.

b Maximè peccator deplorandus, qui numquam redit ad cor.

c Quàm longum hodie nobis indulgeat Deus.

§. III.

Testimonia consolatoria ex veteri Testamento de Dei erga peccatores misericordiâ.

8. *Deus non solùm veniam promittit pœnitentibus, verùm etiam omnium peccatorum obliuionem.*

9. *Postquam ignouit pœnitentibus, etiam ipsorum merita coronat.*

10. *Ad spem nostram corroborandam, insigniter & notanter exaggerat sacra Scriptura misericordiæ diuinæ immensitatem.*

8. *Deus omnia remittit pœnitentibus, nec vllam seruat peccati condonati memoriam.* Ezech. 18.

IPse Dominus apud Ezechielem non solùm promittit veniam redeunti, verùm etiam omnium superiorum malorum obliuionem. Cùm enim commemorasset omne genus facinorum ac flagitiorum, subijcit: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam; vitâ viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Et aliquantò inferius, *Conuertimini*, inquit, *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite.* Cur desperas miser, cùm Deus in hoc miserit Filium suum in terras, vt spem bonam haberes? Ipse nimirum est Dei misericordia, de quo canit Psaltes: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Esto in templo, permane * in Ecclesiâ Dei & in fide Catholicâ; & amplectere misericordiam. Ille clamat, *Nolo mortem* impij, *sed vt conuertatur, & viuat.* Audi vocem hanc iucundissimam, excute letalem somnum, resurge cum Christo, vt viuas in illo. Audi eum clarâ voce pollicentem: Quacumque horâ ingemuerit peccator, omnium iniquitatum illius non recordabor. Non excepit criminum genus, non perpendit magnitudinem aut multitudinem admissorum. Tantùm ingemisce * vt oportet, & parata est omnium superiorum criminum obliuio.

Psal. 47. Ezech. 33. *In solâ Ecclesiâ Catholicâ suscipitur Dei misericordia ad condonationẽ peccatorũ. * Per verã contritionẽ & Sacramẽti Pœnitentiæ susceptionem in re vel saltẽ in voto.

Quò gratior sit Domino nostra precatio, Osee Propheta orandi formâ nobis dictat. *Tollite*, inquit, *vobiscum verba, & reuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Reuertamur & nos qui multis modis aberrauimus, ad eum qui solus *tollit peccata mundi*, qui pro nostris peccatis effudit pretiosum Sanguinem, & dicamus illi: Aufer à nobis omne malum quod perpetrauimus, & accipe bonũ. Quod bonum? *Vitulos labiorum nostrorum.* Agemus gratias tuæ misericordiæ, qui debebimus quidquid post lapsum boni gesserimus: auferes à nobis quod nostrum est, & accipies à nobis quod tuum est. 9.

Deus misericors post opera pœnitentiæ dat etiam præmia & coronas. Osee 14. Ioan. 1. Osee 14.

Dominus apud Ioëlem ait: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitiâ.* Deijcit te magnitudo criminum, sed erigat magnitudo misericordiæ diuinæ. Eam vide quot modis exaggeret Propheta. *Benignus est*, inquit. Id quamquam satis erat, ne desperaremus veniam, addit, *Et misericors*, vt intelligamus, illum nostris malis etiam indolescere, non solùm succurrere. Nec hoc contentus, addit, *Patiens*. Et adhuc desperas ô peccator? Audi igitur quod sequitur, *Et multæ misericordiæ*. Si multa sunt peccata, ne diffide, multa est misericordia. Quid nunc superest, nisi vt conuertaris & adeas inuitantem? Sed terrent minæ supplicij: audi & respira, *Et præstabilis* est *super malitiâ*. Ipse toties offensus vltrò prouocat ad pœnitentiam, inuitat ad veniam, remittit minas, condonat gehennæ pœnam, offert pro supplicio benignitatem, & adeò non auertit sese à resipiscente ac pœnitente peccatore, vt vltrò etiam occurrat reuertenti, & obuijs vlnis excipiat conuersum. Nimirum hoc est quod apud Zachariam pollicetur: *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & ego conuertar ad vos.* Quid est, *Conuertimini ad me?* 10.

Deuotissima exaggeratio misericordiæ diuinæ ad solamen trepidæ conscientiæ. Ioël. 2. Zach. 1.

me? Agnoscite vestram miseriam, & expetite meam misericordiam. Quid est, *Et ego conuertar ad vos?* Illicò ex vindice factus opitulator, adiuuabo conatus vestros, vt quod vestris viribus non potestis efficere, meo fauore consequamini. Nemo potest salubriter odisse peccata sua, nisi Deus dederit, nisi auferat cor lapideum, & inserat cor carneum : Psal. 50. nisi pro corde polluto, creet in nobis cor mundum : nisi pro spiritu prauo, spiritum rectum innouet in visceribus nostris.

§. IV.

Suaues consolationes ex Euangelio.

11. *Misericordia diuina paratissimam copiam clamat tota Christi Domini vita, doctrina, miracula, & passio.*

12. *Exempla etiam eorum, qui Christi misericordiam quæsiuerunt & inuenerunt.*

13. *Et lacrymæ Christi super Ierusalem effusa: & gaudium Angelorum de vnius peccatoris conuersione.*

11. *Misericordiam erga nos clamat Christi vita tota, & miracula.*

RElege totam Christi vitam: quid aliud vides quàm perpetuam in omnes misericordiam? Gratis sanabat ægrotos, pauit famelicos, subleuauit periclitantes, mundabat leprosos, cæcis impartijt lucem, debiles & mancos restituit, dæmonia profligauit, mortuos resuscitauit, pœnitentes absoluit. Rursus excute doctrinam illius vniuersam, quid aliud resipit, quàm immensam Dei misericordiam? Quot parabolis rem eamdem inculcat animis nostris, ne quâ possit elabi? Quid enim aliud agit parabola de oue reuectâ humeris pastoris, de drachmâ perditâ & inuentâ, de sanis quibus non est opus medico, de seruo cui donatum est omne debitum, rursum de fœneratore qui donauit vtrisque debitoribus, de Publicano & Pharisæo, de viatore saucio quem Samaritanus curat, de œconomo benigno in debitores, fraudulento in dominũ, de filio prodigo recepto? Quin ipsum Euangelij vocabulum, nónne statim misericordiam pollicetur? Quid enim pollicetur? Cæcis lucem, captiuis remissionem, confractis restitutionem, breuiter, annum acceptabilem Domino, qui nihil aliud sitit quam salutem hominum. Iam ipsum nomen IESV, hoc est, Saluatoris, quid aliud pollicetur peccatori, quam salutem & misericordiã? Si iudicem professus venisset, erat cur sibi quisque formidaret: nunc Saluatorem audis, & desperas salutem? Denique quò certior esset fiducia salutis, ipse Dei Filius conscendit aram crucis, ac pro nostris peccatis immolauit seipsum victimâ efficacem omnibus omnium peccatis expiandis. Atque in ipsâ cruce pendens, orat pro crucifixoribus, pro conuitiantibus & insultantibus : & tu putas negaturum veniam tibi agnoscenti peccatum tuum, & imploranti misericordiam? Confide misericordi, & experieris misericordiam. Fides vera & firma nihil non impetrat à Christo. Qui diffidit Medico, sibi obstat, quò minùs recipiat sanitatem.

(Lucæ 15. Matth. 9. Marc. 2. Lucæ 5. Matth. 18. Luc. 7. 18. 10. 16. & 15. Isa. 61. Lucæ 4. Luc. 23.)

Clamat Chananæa, & sanatur filia: confidit Centurio, & restituitur famulus: rogat Archisynagogus, & reuiuiscit filia: deprecatur pater, & filius à pessimo dæmonio liberatur: clamant Apostoli, *Domine salua nos, perimus*, & seruantur omnes. In multis non expectauit preces oris. Videt fidem baiulorúm: & dicit paralytico, *Confide fili, remittuntur tibi peccata.* Tantùm plorat mater & comites, & surgit extinctus adolescens. Tantùm lacrymantur Martha & Maria, & reuiuiscit Lazarus. Plorat Maria peccatrix, vngit & osculatur, & audit, *Remittuntur tibi peccata.* Satis rogat, qui morbum agnoscit: vehementer rogat, qui plorat & confidit. Mulier profluuio sanguinis obnoxia, furtim contingit vestem Iesu, & illicò sensit vim prodeuntis misericordiæ. Multos item alios sanatos legimus cõtactis vestibus Iesu. Adeò nusquam non est parata illius misericordia, & ad quamuis occasionem subleuat miseros. Si non audes compellare Iesum, si non potes contingere Iesum, saltem furtim continge * fimbriam, adito Sanctum aliquem, in quo relucet pietas ista, vt suis precibus te commendet misericordi Domino. Per hos enim exerit sæpè virtutem suam, vndiquaque paratus ad conferendam omnibus salutem. In hoc venerat, hic erat cibus quo pascebatur, vt peccatores adduceret ad pœnitentiam. O cæcos! ô ingratos! qui tam obuiam, tam vbique paratam Domini misericordiam negligunt : sed infeliciores, qui desperant quod vltrò quod gratis offertur. Facilè placatur, qui nolens vlciscitur. Quid enim aliud sonat illa vox, *Et quare moriemini domus Israel?* Ezech. 33.

(12. *Exempla eorum, qui à Christo prædicante misericordiã gratiosissimè sunt consecuti.* Matth. 15. & 8. Luc. 7. Marc. 5. Luc. 8. Matth. 17. & 8. Marc. 2. Luc. 5. Luc. 7. Ioan. 11. Luc. 7. Matth. 9. Luc. 8.)

(* Fimbriam Christi tangere, est aliquem Sanctorum eius inuocare. Ioan 4.)

Dominus nihil non facit vt nos saluet, & nos volentes abijcimus spem salutis? In Euangelio lacrymis etiam prosequitur Ierosolymam, quæ sibi pertinaciâ peccandi exitium accersebat. *Quoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Dominus clementissimus plorat, quòd non liceat saluare miseros; & nos illi diffidimus, quasi saluare nolit? In Euangelio tota domus perstrepit gaudio, quòd filius, qui mortuus fuerat, reuixerit; qui perierat, receptus sit. Pater ille bonus cohortatur totum Angelorum ac Sanctorum cœtum ad commune

(13. *Lacrymæ Christi super Ierusalẽ, pignus euidens misericordiæ omnibus ad eum reuertentibus:* Matth. 23. Luc. 15. *Vt & gaudium Angelorum ex conuersione vnius peccatoris.*)

mune gaudium, quòd vnus peccator reductus sit ad pœnitentiam: & tu miser desperas, & tibi salutem inuides, & Domino tam ingens* gaudium? Quem cruciat peccatorum interitus, quem exhilarat impiorum conuersio) cum credimus negaturum veniam pœnitentibus ac resipiscentibus? Vocat omnes ad nuptiale conuiuium, vult impleri domum suam, etiam cæcos & claudos compellit intrare. Quid tu restitas miser? cur non potes auelli à porcorum siliquis? cur pugnas aduersus misericordiam Domini?

* Itenim forma loquendi ἀνθρωποπαθῶς, sicut illud: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominũ*, Prou. 8.
Lucæ 14.

§. V.

Misericordiam diuinam ad emendationem vitæ, non ad licentiam peccandi, nobis exhiberi.

14. *Misericordiæ diuinæ thesaurum distribuendo numquam exhauriri: distribui autem vitam in melius per pœnitentiam mutantibus, ita vt possint Deum quodammodo conuenire ex promisso.*

15. *Filius promittit veniam verè pœnitentibus, Pater fideiubet, Spiritus sanctus interim præstat arrhabonem.*

16. *Periculosissimè tamen differtur vitæ correctio, ex misericordiæ diuinæ fiduciâ: ceterùm qui etiam sic distulit, non desperet; quia misericordiæ terminus tantum extenditur, & tamdiu durat, quàm vita.*

14. QVid est stultius, quàm ob res fluxas ac momentaneas priuari bonis æternis? Quid sapientius, quam breui tolerantiâ lucri facere immortalitatem? Desipiunt igitur omnes, qui perseuerant in peccatis: sapiunt, qui vitam in melius commutant. Quantis laboribus scrutamur rem vilissimam in metallis! & misericordiæ thesaurum oblatum, & gratis oblatum, aspernamur; aut, quod stolidius est, desperamus? *Diues est in misericordiâ Deus*. Opum humanarum thesaurus exhauritur largiendo; misericordiæ thesaurus non potest exhauriri. Obstrinxit homini Deus suam fidem, nec (vt ait Paulus) *seipsum negare potest*. Non recusat argui, si, quod pollicitus est, non præstiterit. Sic enim loquitur apud Isaiam populo vndique contaminato: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite benefacere; quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, & arguite me, dicit Dominus.* Audisne peccator? Quid aliud requirit abs te misericors Dominus, nisi vitæ* mutationem? Et ne quid deijciat animum tuum flagitiorum enormitas, audi paratam omnium veniam. *Si fuerint*, inquit, *peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Quis tam demens, qui nolit saluari? Quid facilius, quàm audire Patrem amantissimum, nihil imperantem, nisi quod ad nostram pertinet felicitatem?

Misericordiæ thesaurus inexhaustus est.
Ephes. 2.
Facit homini copiã Deus ipsum arguendi, si promissa non præstet.
2. Tim. 2.
Isa. 1.
* Vitæ autẽ mutatio vera non est sine operibus pœnitentiæ, aut saltem desiderio vero ipsorum.

Cur, infelix Euæ progenies, audis serpentem vanis promissis ad exitium allicientem, & non audis Dei Filium ad æternæ felicitatis consortium inuitantem? *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Filius promittit, Pater fideiubet, datur interim arrhabo Spiritus sanctus: & tu dubitas amplecti tantam felicitatem oblatam? Nec alia vox est Apostolorum, quàm Domini. *Pœnitentiam*, inquiunt, *agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Relinquite vitam spurcam, fœdam, miseram, & accipite vitam æternam. Accurrunt milites, publicani, meretrices, idololatræ, parricidæ, magi, lenones, incesti. Nullus excluditur, omnibus ex æquo patet aditus ad misericordiam. Non imputatur vita superior, modò vera pœnitentia & vitæ correctio subsequatur.

15.
Nihil est securius ac certius, quã Deum daturum pœnitentibus veniam.
Matth. 3.
Act. 2.

Quemadmodum terra frequenter irrigata cælesti pluuiâ, nec aliud proferens cultori suo quàm spinas & tribulos, execrabilis est, & igni traditur: ita Deus nonnumquam ob pertinaciter spretam ipsius bonitatem, tradit peccatores in reprobum sensum. Quare consultissimum est, non in longum proferre correctionem vitæ, sed protinus ad vocem inuitantis Domini exuere veterem hominem cum factis suis & concupiscentijs, ne toties non auditus Dominus, vicissim non audiat nos clamantes ad ipsum. Terribilis vox est quâ comminatur his qui misericorditer vocantem nolunt audire. *Quia*, inquit, *vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me; eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ.* Quamdiu durat hæc vita, spes est misericordiæ. Ergo dum viuis, implora Domini misericordiam, & corrige te.

16.
Heb. 6.
Periculosa est procrastinatio emendationis ob fiduciam miserationum: non tamẽ desperet qui procrastinauit.
Coloss. 3.
Prou. 1.

§. VI.

§. VI.

Exempla eorum, qui post peccata benè vsi sunt Dei misericordiâ.

17. Exemplis ostenditur, occurrendum misericordia Dei per pœnitentiam & mutationem vitæ. Sic Dauid & Petrus fecerunt.

18. Quàm deuotè egerit Dauid pœnitentiam.

19. Exemplum Chananæa, & mendici cæci, & latronis in cruce.

20. Qui verè petit veniam, verè detestatur peccatum, exemplo Prodigi & Publicani.

21. Cain & Iudas desperantium miserrima exemplaria.

22. Multi etiam ex occisoribus Christi obtinuerunt misericordiam.

23. Desperatio veniæ magis auget peccata, fiducia misericordiæ minuit, & iuuat ad delendum illa.

17. *Permisit Deus Sanctos aliquos enormiter peccare, vt eorũ exemplo discere mus pœnitere: Vt Dauidem,*

DOminus nostræ saluti modis omnibus consulens, passus est summos ac probatissimos viros in grauia crimina prolabi, vt nos horum exemplo consolaretur, & erigeret ad spem veniæ. Quid in libris sacris laudatius Rege Dauid? Rex erat & Propheta, vir erat iuxta cor Dei, ex huius stirpe promissus erat Christus. At in quàm fœdum, quàm multiplex crimen vir tantus prolapsus est? Audit à Nathan obiurgationẽ ac sæuas minas Domini: Dauid autem totam iram Dei duobus verbis vertit in misericordiam. 2.Reg.12. *Peccaui*, inquit, *Domino.* ac mox Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Prolixæ sunt minæ, vt corrigatur; sed quàm expedita vox misericordię, *Vt Petrum.* Luc. 22. *Non morieris?* Passus est Deus & Petrum, quem destinarat Ecclesiæ suæ principem, insigniter labi. Tantùm fleuit, & misericor- Ioan. 21. diam est consecutus. Cùm huic tradit oues suas (pro quibus mortuus fuerat) pascendas, num exprobrat illi crimen ter abiurati Domini? Nequaquam: iam enim totum hoc sic erat dilutum lacrymis, vt ne vestigium quidem remaneret in memoriâ clementis Domini. Habemus magna exempla peccantium, habemus & pœnitentium: * non oportet cuiusquam exemplo prouocari ad peccandum, ne tentemus Dominum: sed si quis peccato fuerit circumuentus, habet exempla pœnitẽtiæ ne desperet. Præposterè verò faciunt, qui quos secuti sunt peccantes, eosdem nolunt sequi pœnitentiam agentes.

* His exẽplis rectè vtendũ peccatori, non ad præsumptionẽ, sed ad celerem pœnitentiã.

18. *Dauid per pœnitentiã non solùm Dei misericordiam, verùm & familiaritatem obtinet.* Psal 50.

Dauid cùm ingenue confessus esset peccatum suum, ac commeritam Dei vindictam, audi quantum spei conceperit ex misericordiâ Domini, *Asperges me*, inquit, *hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* Ex aspersione sanguinis Agni immaculati pollicetur sibi munditiem: cumque agnoscat sese ex vtero matris sordibus inquinatum, tamen ex hoc lauacro sperat candorem innocentiæ, cui cedat etiam candor niuis. Nec solùm sperat redituram innocentiam, verùm etiam pœnitentiæ mœrorem vertendum in spirituale gaudium. *Auditui*, inquit, *meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* O miram peccatoris fiduciam!

Quis vmquam piè clamauit, Iesu miserere, quin illicò misericordiam sit adeptus? Clamat Chananæa, *Miserere Domine*, & sanatur filia. Clamet & vnusquisque peccator, Miserere Domine, & sanabitur anima. Clamat mendicus ille cæcus, *Miserere mei fili Dauid*, & abiecto palliolo recipit oculos. Clamemus & nos, Miserere Iesu fili Dauid, clamemus fortiter & constanter inter medias obstrepentium malarum cogitationum turbas, & ex huius mundi mendicis faciet regni cælestis heredes. Patet ara misericordiæ, aperitur asylum diuinæ clementiæ, & tu profugis in barathrum infelicis desperationis? Saluator porrigit tibi manum, & tu auertis vultum? Reseratur tibi cælum, & tu te proripis ad præcipitium? Aperitur tibi diuinæ bonitatis gremium, & tu fugis ad infelicem laqueum? Latro audit in cruce, *Hodie mecum eris in paradiso*, & tu teipsum addicis gehennæ?

19. *Nusquam, numquam, nulli verè pœnitenti denegari misericordiam Dei, testes sunt Chananæa, cæcus, & latro in cruce.* Matth. 15. Lucæ 18. Lucæ 23.

20. *Verè petit & certò accipit veniã, qui dolet, & deserit culpã, vt Prodigus & Publicanus.* Ioan. 8.

Venit ad nos Dei misericordia, cùm in terras descenderet Dei Filius: nos vicissim veniamus ad illam. Inclinat se Dominus clementissimus, vt absoluat adulteram, sed vicissim erigamus affectum nostrum ad inclinantem se nobis. Primus gradus est abijcere mala. Sic Medici primum corpus inaniunt, vt pòst inserant succos meliores. Euome & tu, peccator, ex animo tuo prauas cupiditates, quæ militant aduersus Deum, libidinem, auaritiam, luxum, arrogantiam, iracundiam, ac cetera vitia; vt Deus tibi infundat gratiam suam. Qui persistens in peccatis, implorat Dei misericordiam, nónne perinde facit, quasi si seruus atque hostis armatus gladium & clypeum tenens, petat à Rege Dominoque suo pacem? *Qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit:* & qui pulsat, huic aperitur. Lucæ 11. Si petitis misericordiam, verè petite: si quæritis, verè quærite: si pulsatis ostium misericordiæ, verę pulsate. Vultis exemplum verè petentis misericordiam? Rectè petebat filius ille profusor, sed iam relictis porcis, sed iam reuersus ad patrem, *Pater*, inquit, *peccaui in cælum & coram te, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis.* Luc. 15. Audi & Publicanum, qui ob conscientiam suorum

rum

rum criminum non audet attollere oculos in cælum, non audet propiùs accedere ad propitiatorium, ſed procul ſtans tundit pectus ſuum, ac dicit, ***Domine, propitius eſto mihi peccatori.***

21. Super Pſal. 108. *Grauiſſimũ ſcelus deſperationis in Iudâ & Cain.*

Beatus Hieronymus aſſerit, Iudam grauiùs peccaſſe de ſalute deſperando, quam peccauerat Chriſtum tradendo: quemadmodum & Cain enormius Deum offendit deſperatione veniæ, quàm offenderat fratris ſui Abel occiſione.

22. Tract. 92. in Ioan. *Etiã multi ex occiſoribus Chriſti per pœnitentiam meruerunt veniam.*

Sanctus Auguſtinus ait: Multi eorum qui Chriſtum occiderant, conuerſi ad Chriſtum, & in eum credendo, veniam de effuſione Sanguinis eius meruerunt, exemplumque præbuerunt hominibus, quòd non debeant diffidere dimitti ſibi qualecumque peccatum, quando & interfectio Chriſti dimiſſa eſt confitentibus.

23. Super Pſal. 39. *Magis auget peccandi libidinem deſperatio veniæ, quã ſpes indulgentiæ.* Super Pſal. 101.

Idem Auguſtinus ſcribit ita: Vis audire miſericordiam Domini? Recede à peccatis, donabit peccata. Vis audire veritatem Domini? Tene iuſtitiã, coronetur iuſtitia. Non ſic eſt Deus miſericors, vt iniuſtus ſit; nec ſic iuſtus eſt, vt miſericors non ſit. Paruane miſericordia tibi eſt, quòd ipſe non imputat priora omnia peccata? Sed ait fortè aliquis: Augent homines peccata ſpe veniæ. Imò verò augerent peccata deſperatione veniæ. Si non eſſet peccatorum indulgentia, nónne tu tibi diceres, Iam peccator ſum, iam iniquus, iam damnandus, nulla veniæ ſpes eſt. Cur non faciam quidquid libet? Cur non impleam quantum poſſum quæcumque deſidero, ſi poſt hæc non reſtant niſi ſola tormenta? Nónne hoc tibi diceres, & deſperatione ipſâ peior fieres? Potiùs ergo te corrigit qui veniã promittit, & dicit, Nolo mortem impij, ſed vt reuertatur & viuat. Non facit Deus peccatores ſecuros per iſtam promiſſionem indulgentiæ. Etenim ne homines deſperatione peiùs viuerent, promiſit indulgentię portum: rurſus ne de ſpe veniæ peiùs viuerent, fecit diem mortis incertum. Indulgentiã tibi promiſit ſi reuertaris, craſtinum diem tibi non promiſit. Ergo ſi malè vixiſti vſque in hodiernum diem: adhuc viuis, benè viue hodie. Corrige te, & ignoſcit tibi Deus: iamque ſecurus eris non tibi imputari quod ille condonauerit.

Ezech. 18.

CAPVT XXXIX.

Conſolatio puſillanimitatis ex crebris lapſibus ortum ducentis in hominibus bonæ voluntatis.

1. *Etſi ſæpè labaris, nunquam tamen bonam voluntatem deponas, ſed ſurge confidenter.*

2. *Electi famuli Dei, licet ſæpè cadant, diligenter tamen reſurgunt: reprobi verò plerumque reſurgere à peccato non curant. Qui ergo non multùm dolet lapſus ſuos, habet quod vereatur: qui autem multùm dolet, habet vnde non vanè concipiat fiduciam miſericordiæ.*

3. *Quantumcumque moleſtæ ſint diaboli tentationes, aut crebri magnique lapſus noſtri; ſi de illis nos pœnitentiam agimus, non excludent nos à fructu Sanguinis Christi.*

Ait pius quidam SCRIPTOR:

1. *Crebrò peccantibus enitendum, vt crebrò etiam reſurgant.*

VBI Deus bonam voluntatem tibi præſtiterit, ita vt iam, relictis omnino peccatis, meliùs viuere ſtatuas, Deoque placere deſideres atque coneris; ſi contingat te crebrò quotidie ex humanâ fragilitate offendere ac labi, toties reſurge quoties laberis, neque vnquam deſperes de Dei miſericordiâ quæ immenſa eſt. Sanè in hoc valdè laudabilis & amabilis eſt Deus, quòd tam benignè peccatores pœnitentes recipit. Id maximè eum decet, cùm ei proprium ſit miſereri ſemper & parcere.

2. S. Benard. Serm. 2. in Pſal. *Qui habitat. Lapſũ enim nõ curare, plerumque reprobi ſenſus indiciũ eſt: vt ab eo citò reſurgere, electionis probabile argumentum.*

Quemadmodum beatus Pater Bernardus docet, electi à reprobis in hoc diſcernuntur, quòd reprobi, cùm ceciderint, non adijciunt vt reſurgant; electi verò mox reſurgere ac proficere nituntur. Igitur quando te in aliquo lapſum eſſe aduertis, ſtatim mentem tuam humiliter & confidenter conuerte ad clementiſſimum Dominum Deum tuum, eiuſque dulciſſimam manum (quæ te reſurgentem ſuſcipere ſemper parata eſt) amplectere & exoſculare, ac bono ſis animo. Vide ne propter frequentes lapſus tuos tædio victus, deſeras bona opera atque exercitia tua. * Reſume vires, innoua propoſitũ, & dic animæ tuæ: Age iam anima mea, rurſum ita demus operam virtutibus & ſanctitati, quaſi non offendiſſemus Deũ: id enim ipſi Domino gratum eſt. Vitia etiam quæ adhuc in te viuunt, & propter quæ videris tibi deficere magis quàm proficere, non te nimiùm conturbent: ſed certa ſtrenuè aduerſus prauas propenſiones tuas. Quamuis * ſentias in te malum, ſi malo non conſentis, ſi peccato viriliter reluctaris, nihil inde detrimenti, ſed plurimum emolumenti accipis. Nonnullos inuenire eſt, qui tam inordinato metu laborant, vt omnia quæ piè agunt, Deo diſplicere credant. Sed huiuſmodi cogitatio atque perſuaſio diligenter propellenda ac vitanda eſt.

* Crebri lapſus non debent ingenerare tædium certandi contra peccatũ.

* Senſus tentationũ non eſt peccatum, ſed conſenſus.

3. *Crebra diaboli impugnationes non debent nobis animum auferre, ſed augere.*

Sanctiſſima virgo Catharina Senenſis in quadam Epiſtolâ ſcribit in hunc ferè modum: Oro ne vnquam deſinatis in benè cœptis progredi, quantumcumque etiam diabolus vos moleſtijs & tentationibus diuexet. Is enim varias mouet pugnas, & multas

tas tendit insidias, vt animas vestras possit adducere ad tædium & inordinatam tristitiam, confusionemque spiritus, ac desperationem. Sed * si etiam peccata omnia simul in vno homine coaceruata conglobataque essent, impedire tamen eum non possent, quò minùs fructum Sanguinis Filij Dei in se reciperet, modò vera fides & spes infinitæ Dei misericordiæ in eo remaneret. Cùm peccatum solummodò in malâ peruersaque voluntate situm sit, homo videns bonam * voluntatem sibi à Deo concessam esse, debet omni confusione spiritus abiectâ, perseuerare in sanctis operibus & exercitijs, ambulareque in lumine gratiæ, quam inuenit in se absconditam munere Dei, qui bonam voluntatem in eo conseruat. Debet diabolo confusionem vel desperationem suggerenti respondere: Si gratia Dei in me non esset, etiam bona voluntas non esset in me, & ego prauas suggestiones tuas ac malitiam tuam sequerer: iam verò confido in pio & benigno Domino meo Iesu Christo, qui me semper tuebitur ac saluum faciet, propter immensam misericordiam & bonitatem suam.

* Nulla peccata impediunt fructum Sanguinis Christi, si adsit vera fides, & pœnitentiæ voluntas.

* Nota benè, bonam voluntatem nec nudam esse nec otiosam, sed facere quidquid potest ad obediendum Deo, & resistendum diabolo.

CAPVT XL.

Interna allocutio, quâ IESVS CHRISTVS *consolatur animam peccatricem meliùs viuere cupientem.*

Ex scriptis IOANNIS LANSPERGII *& aliorum decerpta.*

§. I.

Quomodo concipiat fidelis anima dolorem & contritionem pro peccatis.

1\. *Vulnera Christi ex amore erga animam fidelem suscepta, prouocant eam ad amorem & dolorem.*

2\. *Dolor autem est verus, quando quis vellet dolere, & non sentit dolorem, ideoque tristatur & affligitur propter Dei offensam, quæ est passim doctrina Doctorum Theologiæ Scholasticæ & conscientiæ Casuum, quos magno numero citat Doctor Richardus Hallus de Quinquepartitâ conscientiâ, toto libro 3. & Blosiana dogmata hoc consolationis libello allata crebrò citat & laudat.*

3\. *Diabolus ante peccatum promittit securitatem, pòst immittit diffidentiam. Contra hunc eius astum egregia consolatio.*

4\. *Alius diaboli astus per immissiones malas ex anteactâ vitâ, & per insomnia: in quibus non est peccatum, dum voluntas non consentiat, nec delectetur.*

5\. *Pulchri gradus veræ pœnitentiæ, per quos adscenditur ad gratiam & amorem Dei.*

1\. *Passio Christi postulat ab animâ fideli amoris vicem.* Prou. 8. Ioan. 3.

EGO *diligentes me diligo, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Sic dilexi mundum, vt in mortem darem animam: vt non pereat, sed habeat vitam æternam, quicumque in me crediderit. O anima, ô filia, ego pro te laboraui, esuriui, sitiui, contemptum & persecutionem passus sum. Vulneratus sum propter iniquitates tuas, attritus sum propter scelera tua, mortuus sum propter delicta tua, resurrexi propter iustificationem tuam. Ad hæc omnia facienda & perferenda me impulit amor quo te diligo, & in filiam adoptionis adscisco. Itaque tu resipiscens ad me reuertere, in Vulnerum meorum sanguine lauare, virtutibus & vitę meæ meritis vestire. Omnia hæc libens tribuo, imò vt amantissimus pater hęc offerens, tibi occurro in amplexum, ad osculum te recipio, & ad redamandum te inuito. Reuertere filia, & mundare. Præbe cor tuum mihi, quia præter hoc aliud abs te non desidero.

Isa. 53. Rom. 4.

Dole quia peccasti, quia me offendisti; aut saltem dole, quia non sentis te dolere. Sæpenumerò etenim fit, vt mihi magis placeat, & homini * vtilius sit, velle esse contritum aut deuotum, quàm sentire contritionem vel deuotionem: quia velle habere, & non habere, generat afflictionem cordi. Itaque dole, & irascere tibiipsi, atque damnabilem te iudica quòd peccaueris, & quòd non doleas quantum deberes. Hæc contritio tametsi sensibilis non sit, id est, licet interim cor patiaris durum, aridum, & siccum, sufficit ad salutem. Ego enim vestram attendo miseriam, vestram imbecillitatem, vestram paupertatem: nec vllo modo bonæ voluntati desperandum est, quantamlibet cordis sentiat ariditatem seu frigiditatem, quando vellet se non peccasse, statuitque propter me posthac nolle peccare. Sed dicis: Ego innumera peccata admisi, quomodo de singulis debeo sigillatim conteri? Consolatione eges, ô filia: at sola veritas consolatur. Si multa habes peccata, de multis ac omnibus simul generalem habe contritionem, in quâ omnia ac singula peccata velis includi, ita vt nullum peccatum sit, quod (etiam si sigillatim memoriæ occurreret) excipi velis de quo non doleas, & quod nolis vitare atque relinquere. Hæc namque contritio generalis extendit se ad omnia ac singula peccata, etiam ad illa quorum oblita es, & de quibus non cogitas. Neque enim hoc exigo, vt de singulis peccatis necessariò habeas singulas contritiones, iuxta numerum aut speciem peccatorum. Ita enim de Mariâ Magdalenâ dixi: Dimisi ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Non dixi, quoniam dilexit multoties. Nec ipsa Magdalena aliter quàm simul de omnibus dolere potuit

2\. *Dolere quòd non doleas est verus dolor, Deo placens, & sufficiens cum Sacramento Pœnitentiæ.*

Etsi interim durum & aridum cor patiaris:

Quamlibet etiã multa & grauia peccata commiseris.

De quibus omnibus in genere dolendum, non necessariò de singulis sigillatim. Lucæ 7.

potuit in tam subitâ compunctione. Tu quoque ita de omnibus dole, vt nullum sit peccatum quod tibi placeat, siue generaliter siue sigillatim memoriæ occurrat.

3\. *Fraus diaboli, occultantis initio peccati fœditatem, & ostentantis Dei misericordiam:*

Non inordinatè tristeris, nec recipias tales imaginationes ac phantasias, quasi iratus sim, adeò vt nolim placari, nolim indulgere, nolim te in gratiam recipere: hæc enim susurria sunt diaboli, quibus ad desperationem te nititur pertrahere. Huius consuetudo est, initio, dum tentat ad peccandum, mei memoriam à cordibus euellere, misericordiam meam peccantibus promittere, securitatem, audaciam, obstinationem voluntatis impiæ confirmare: at postquam delinquentes à se velle sentit recedere, si alijs tentationibus non potest retrahere ad facinus, tentatione desperationis animas formidolosas aggreditur. Suadet non esse confitendum: suggerit non posse vinci consuetudinem malam: terret magnitudine peccati commissi, mentiens quòd nolim dimittere peccatum. Tu, ô filia, noli credere: quidquid sentias, non consentias desperationi. Sufficit hæc contritio (licet sis arido corde) quòd doleas me esse offensum, & optes te non offendisse, statuasque nolle ampliùs peccare. Quòd si iterùm deliqueris, iterùm surge, & denuò propositum non delinquendi resume. Si tertiò deliqueris, tertiò resurge. Si quartò, quintò, si postremò septuagies septies quotidie cecideris, toties ad me reuertere, & ego suscipiam te. Nónne melius est vt te suscipiam, quàm vt te amittam, simulque omnes labores meos & pœnas pro tui redemptione toleratas perdam? Nihil igitur, ô filia Sanguine meo redempta, te à me auocet, nihil remoretur. Et si diabolo te tradideris, si me centies negaueris, si me & mei imaginem pedibus conculcaueris, si conspueris, si Sacramento meo contumeliam feceris, dole quia fecisti, & ego dimitto tibi peccatum. Non sit peccatum in oculis tuis adeò magnum, vt spem veniæ adimat: non videatur adeò numerosum, vt meam misericordiam possit superare. Nihil interest apud me, vtrùm à multis an à paucis peccatis te liberem. Et magnus & paruus peccator æquè egent misericordiâ meâ, quæ inexhauribilis omnibus fluit & abundat. Non potest misericordiam meam vincere malitia tua. Quantò plura habes peccata, tantò ego libentiùs ignosco pœnitenti. Eò enim magis elucet gloria mea, quò maiori peccatori erogo misericordiam. Non sum durus, non sum parcus, sed totus in te (ô filia) liberalis & profusus. Nihil minus habeo, si omnia mundi peccata tu sola fecisses, & tibi cuncta dimitterem.

Postea verò exaggerantis peccati enormitatem, & diuinæ iustitiæ rigorem.

Contra hūc astum concipe dolorē, & confuge ad Dei misericordiā:

Quæ tam citò & facilè condonat verè pœnitenti magna & multa, atque parua & pauca peccata.

4\. *Alius astus diaboli, peccatorū iam relictorum imaginibus vexare.*

Est fortasse aliud quod te terret, quia peccatis pressa etiam ea quæ olim vltrò admiseras, iam inuita cogeris tolerare. Persequitur te aduersarius, & suas fœditates tecum exercet. Quidquid inuita sustines, filia, non te damnabit, nec gratiâ meâ spoliabit. Peccatum namque adeò esse oportet voluntarium, vt si non sit voluntarium, non sit peccatum. Cohibe igitur voluntatem tuam à consensu, & sine deinceps carnem atque diabolum furere. De somnijs etiam nihil metuas: quidquid ibi egeris, quidquid passa fueris dormiens, si ante & post somnum (quando rationis compos es) tibi displicet, nequaquam venit tibi imputandum. Et licet per malè actam vitam atque conuersationem priorem tibi occasionem dederis, iam tamen quia illius conuersationis te verè pœnituit, & meliùs viuere studes, non eris rea eorum quæ pateris, si modò voluntas non consentiat. Quòd si quandoque etiam blasphemias aut execrandas cogitationes contra me Sanctósque meos in cor tuum diabolus immiserit, noli propterea perturbari, aut nimiùm pusillanimis esse. Nam quamdiu consensum animo deliberato non præstas, magis talia pateris quàm agis. Cùm hæc tibi tristitiam & afflictionem potiùs ingerant quàm delectationem, nullo modo formidanda, sed nec Sacerdoti confitenda sunt. Permitto autem te illa sentire, eaque tibi molesta esse, vt purgeris, non autem vt inquineris. Idcircò verò illa diabolus excitat, vt dum his conaris resistere, retarderis & impediaris à gustu charitatis meæ, ac nimiùm consternata non audeas accedere ad me. Gaudet enim ille dum scrupulis & perturbationibus inuolueris. Sed tu, filia, noli talia timere, noli ad ea respicere, noli respondere, noli repugnare, noli aduertere: imò verò quasi nihil senseris, imperturbata perge in tuis exercitijs, prætereundo & contemnendo huiusmodi incidentias velut canum latratus, aut anserum sibilos. Nam si reniti, disputare, formidare, discutereque eas volueris, tu illas magis semper tuæ memoriæ imprimes, grandique te perturbationi inuolues.

Sed non est in his peccatū, modò absit consensus; vt nec in somnijs.

Etiamsi ex anteactâ vitâ remotè occasionē habeant.

Etiamsi blasphemiarum cogitationes fuerint.

Cur hoc Deus permittat.

Cur eadem suscitet diabolus.

Reijcienda sunt diuertendo, & spernendo, non cum ijs luctando aut disputando.

5\. *Gradus veræ pœnitentiæ:*

1. Agnitio & admiratio bonitatis diuinæ.

Anima pœnitens postquam bonitatis meæ aliquam notitiam gustumque susceperit, considerans quòd adeò sim bonus, adeò misericors, quòd denique adeò non impropero nec imputo peccata; vt non solùm illa dimittam, sed pœnitentem etiam, sicut eum qui numquam peccauit, in gratiam & amicitiam meam recipiam, consoler, ac dona ei largiar: hæc, inquam, dum anima pœnitens meditatur, etiam ex lapsu suo occasionem sibi acquirit maioris feruo-

2. Feruor & gratitudo in Deū.

3. Feruor emendationis cum displicentiâ peccatorũ.
4. Zelus vindicandi in se iniuriam Deo factam.

feruoris & gratitudinis erga me. 3 maioris item odij displicentiæque contra seipsam, irascens sibiipsi ac detestans se, quòd me tam benignum contempserit Deum suum: qui cùm iustè possem & damnare & perdere, parco, consolor, ac benefacio. 4 Ideoque quantò me sentit ergà se magis misericordem, tantò maiori zelo mouetur iustitiæ contra seipsam, quasi pro me vindicare cupiens in se contemptum mei. Hinc fit, vt non solùm veniam de peccatis petat & reconciliationem, 5 sed ad honorem iustitiæ meæ desideret etiam pati, humiliari, ac puniri, propterea quòd se contra me impiè erexerit. Inde contingit ei, vt quantò plus à me sentit se consolari, tantò magis indignitatem suam horreat ac detestetur, doleatque de suorum enormitate peccatorum & indignetur, admirans quòd tam ingrata esse possit mihi. Talis animæ, quæ ad huiusmodi zelum venit, vt non minùs diligat meam in se iustitiam quàm misericordiam, peccata absorbentur, sicut in camino ardenti aquæ gutta solet absorberi. Igitur inter omnia pœnitendi genera non potest aliud esse melius, quàm vt quis continuè consideret meam charitatem ac fidelitatem immensam erga se, simulque suam econtrà infidelitatem, ingratitudinem, & peruersitatem erga me.

5. Amor iustitiæ diuinæ punientis, non minùs quã misericordiæ indulgentis, quæ est optima contritio & pœnitentia.

a Ex contritione dolere quòd non doleas, aut dolorem non sentias de peccatis, sufficit ad salutem. Quomodo autem vtilius esse possit, velle esse contritum, quàm sentire contritionem, d[illegible]ctè docet Doctor Hallus de Quinquepartitâ conscientiâ lib. 3. cap. 45. citans hunc §. Blosij, & alia huc adfert ex Gersone de Remedijs contra pusillanimitatem num. 70. lit. B. & num. 69. lit. Y.

§. II.

De modo ac discretione seruandâ in Confessione & satisfactione.

6. Scrupulosa iteratio confessionum semel factarum, iuxta arbitrium discreti Confessoris abscindenda.

7. Fructus ex confessione præcipuus, vt agnoscas vilitatem tuam: quod præsertim fit recogitatione peccatorum in generali. Ostenditur quomodo fieri debeat hæc generalis recogitatio, præsertim in cogitationibus blasphemiæ & luxuriæ, quarum particularis recogitatio est periculosa.

8. Quo affectu agenda pro peccatis satisfactio, tum ad humiliationem, tum ad fiduciam.

6. *Confessio semel facta discreto cõfessario, non est facilè iteranda.*

SOLET diabolus circa pœnitentiæ luctum, & circa alia omnia, pœnitentibus seruis & ancillis meis insidias a ponere, vt plerique efficiantur scrupulosi, iterùm atque iterùm eadem confitentes; ita vt numquam ad tranquillitatem aliquam possint venire. Nam de confessionibus suis omnibus diffidunt, dum circumstantiam semper aliquam vel peccatum inueniunt neglectum, cuius in priori confessione non fecerint mentionem: vnde & ad confitendum denuò compelluntur. Hi semel vnâ generali confessione factâ, debent hanc inquietudinem irrationabilem postponere. Necesse omnino est, vt alicuius spiritualis & discreti Patris vel Confessoris consilium sine aliquâ hæsitatione humiliter sequantur, eique sicut mihiipsi obediant; proprium iudicium, prudentiam, sensum, atque etiam propriam erroneam conscientiam relinquentes. Non hoc desidero, neque placet mihi, vt tu verseris semper in sordibus, b & inquineris assiduè reuoluendo peccata tua. Quin potiùs proijce te in me, & ego liberabo te. Nam si mille annis teipsam scrutari volueris, & confiteri, haudquaquam c mundaberis. Quando enim exhauries abyssum? Mihi ergo te securè committe, vbi semel cum omni diligentiâ conatum adhibueris ad confitendum singula peccata tua. d Permitte vt habeam in quo tibi propitier. Cognosce quòd teipsam mundare nequeas: dic quòd egeas misericordiâ meâ. Confitere quòd vnum pro mille mihi non sufficis respondere: sed in omni opere insufficiés e es, & eges misericordiâ meâ. Non ergo fidas in confessionibus tuis, sed in miserationibus meis: hæc enim sunt quibus tu iustificaberis. Interim dum nimiùm occuparis circa peccata tua, conuerti deberes ad me, f & meâ gratiosâ præsentiâ frui. An dolum non aduertis inimici? Ideò enim circa peccatorum numerum, & circa recogitationem fœtorum te detinet, vt alia interim multò salubriora, quibus deuotio tua accendi deberet, negligas. Scito igitur, hoc mihi præcipuè placere, vt de me sentias in bonitate, & in simplicitate me quæras. Sentias me esse benignum, pium, compassione plenum, misericordem, optimum. g Confide mihi, spera in me. Quære gratiam, amicitiam, ac familiaritatem meam: & pro ijs habendis exercitia deuotionis tuæ dirige. Senties proculdubio longè vberiorem fructum, si quomodo me ames, quomodo mihi placeas, quomodo me imiteris, studiosè cures; quàm si ea quæ confessa es, denuò confitearis, aut scrupulos inquiras, & putans exhaurire eosdem, nouos semper tibi generes. Non potes me nimis pium aut misericordem æstimare, modò super misericordiâ meâ non delinquas: nec potes nimis mihi confidere. Exercitium tuum igitur sit, benè de me sentire, & credere quòd nolim te damnare: quia reuerà quemlibet se corrigere volentem, & non desperantem, damnare nolo.

Iuxta spiritualis Patris directionẽ, cuius vox velut Dei vox esse debet.

Iob. 9.

Nimia enim anxietas circa peccata, impedit meliora charitatis exercitia.

Sap. 1.

Siquidem Deus non vult haberi durus Dominus, sed pius Pater, & amantissimus sponsus.

Vtilius igitur est timorata conscientia, post confessionẽ in Dei amore se exercere, quàm in continuâ recogitatione peccatorum:

nolo. Sufficit mihi, ô filia, quòd peccasse doleas, quodque peccare deinceps nolis. Iam in statu es salutis, quid trepidas? Diues ego
Ephes. 2. sum in miserationibus infinitis. Sic ergo de me cogita. Inde enim maiori me afficis honore, quàm si quasi crudelem aut durum me imagineris: aut ita formides, quasi ad hoc solum vigilem, vt capiam & inuoluam homines, si fortasse hunc vel illum scrupulum, si hanc vel illam circumstantiam neglexerint in confessione. Quando tamen aliquod peccatum mortale certum ad memoriam redit antè non confessum, tu illud cum omni tranquillitate confitere. Habitâ semel bonâ examinatione conscientiæ ante confessionem generalem, deinceps post confessionem scrupulos abijce: noli denuò inuestigare conscientiam, ne inquietudinem tibi paries semper confitendi. Per alia bona exercitia ad amorem conducentia, scrupulosam illam inuestigationem exclude. Nam si obseruaueris scrupulos, si scrutari & inuestigare singulos timores volueris, mille tibi parabuntur insidiæ. Proptereà (sicut dixi) semel diligenti factâ confessione omnium peccatorum tuorum, semel habito proposito nihil reticendi in confessione quod nolueris confitendum, deinceps sta in pace, & reijce in os diaboli scrupulos omnes. Ego te desidero, ego tuâ amicitiâ potiri cupio, ego abs te amari peto: cura igitur vt meæ respondeas voluntati.

Nec curiosè iterùm aut in particulari scrutanda conscientia, nisi occurrat mortale, quod priùs obliuione exciderat.

Iterata ob scrupulos confessiones non medentur scrupulis, sed augent.

7. Intellige, scito, & iudica te peccatricem animam esse. Cognosce te in multis offendisse, te ingratissimam, rebellem, contumeliosam atque blasphemam, meis præceptis ac votis contraiuisse: & inde humiliare, adeò vt ne oculos quidem ante me leuare audeas, cùm sis sordibus & abominationibus plena. Sunt qui peccata sua recolunt ita, vt vel ad risum, vel ad delectationem, vel è diuerso ad desperationem, aut ad alia eiusmodi inconuenientia moueantur. Quod idcircò fit maximè, quia pro obiecto cogitationis ipsa peccata sua assumunt: & illa inspiciendo, ad illa se conuertendo, loquuntur atque disputant cum eis extra me. Vnde dum sic sua peccata secum ipsi tractant, quamlibet etiam bonâ intentione, magis obtenebrescunt, quàm illuminantur. Tu verò cùm peccatricem te cogitare, cùm te humiliare vis, relictâ peccatorum imaginatione, ad me conuertere: mecum de peccatis, de infirmitatibus, de defectibus tuis tracta: mihi querimonias aduersum te expone: mihi loquere; & quòd iniquè egeris, apud me te accusa. Inde fiet, vt peccatorum tuorum accusatio in orationem conuertatur. Ergo ad me conuersa, orando tracta de peccatis tuis: hoc enim modo conscientia tua serena efficietur & tranquilla, affectio quoque tua, ad me directa, ex me inflammabitur.

Post confessionem peccatorū manere debet amorosa humiliatio ex generali dumtaxat peccatorum recogitatione:

Non ipsam peccatorum materiam pro obiecto cogitationis assumendo,

Sed offensā Dei, qui tam dulciter nobis peccata condonauit.

Iam verò de satisfactione pro peccatis, hoc consilium amplectere, vt quidquid potest manus tua, instanter opereris: non tamen eo animo aut eo fine, quasi tu pro ipsis peccatis tuis [b] satisfacere queas; ad hoc enim opera tua nimis indigna, nimisque imparia debes æstimare: sed age omnia, vt mihi placeas quem offendisti. Me verò roga, vt meritis passionis ac vitæ meæ sanctissimæ tua aboleam delicta, atque pro illis Patri meo satisfaciam. Hæc humilitas, hæc fiducia ad me tua, quibus teipsam operaque tua vilia æstimas, me verò ac merita mea extollis, omnia satisfactionis tuæ opera excellit: quandoquidem vna gutta Sanguinis mei [i] plus valoris ac satisfactionis habet, quàm omnia merita humana: vnde & pro peccatis totius mundi satisfacit. Talis humilitas & fiducia me inclinat ad te, vt meritorum meorum thesaurum tibi faciam communem. Quapropter hoc præcipuum sit studium tuum, vt beneplacitum meum non negligas, vt me continuè cogites, desideres, ames, & quæ iussi siue per me, siue per Vicarios meos, imò quæcumque volo, diligenter perficias. Tunc si vel mille millium peccatorum haberes aceruos, omnia tibi sicut vnum peccatum dimitto. Neque enim minùs facile est apud me condonare multa peccata, quàm pauca. Mirum est quod dicturus sum, certissimâ tamen indubitataque fide tenendum. [k] Si totus mundus globus esset igneus, & in medium eius fasciculus lini mitteretur, hic ex suâ naturali inclinatione non tam citò flammarum reciperet incendium, quàm recipit abyssus miserationum mearum peccatorem pœnitentem, & conuerti volentem: quia in illâ actione naturali requireretur aliqua morula, licet minima, ac fortasse imperceptibilis, [l] hic verò nulla penitus mora inter pœnitentem & remittentem, inter gementem & gemitus exaudientem interuenit.

8. *Satisfactio nostra nulla est, nisi in quantū fundatur in satisfactione Christi.*

Fiat cum humilitate & fiduciâ.

[a] Obseruent scrupulosi tendiculas & insidias diaboli circa peccatorum condonatorum pœnitentiam & confessiones iterandas. Vide Doctorem Hallum lib. 3. Quinquepartitæ conscientiæ, cap. 45.

[b] Semper enim occupari in reuoluendis & recogitandis sordibus peccatorum turpium, semel ritè purgatorum, & plenè condonatorum, inquinat auream animi munditiam, & turbat tranquillam conscientiæ pacem.

[c] Nemo potest per scrupulosas scrutationes efficere, quin semper defectus aliquos occultos soli Deo notos in obscuro animi recessu seruet; de quibus cum Dauide orandum Psalmo 18. *Ab occultis meis munda me Domine.* Lege etiam Iob toto cap. 9. in hanc rem.

[d] Hoc, ad hominem, scrupuloso dicitur, qui stultâ & anxiâ suâ curâ videtur hoc agere, vt nil Deo condonandum

ex

ex misericordiâ permittat, cùm velit quodammodò ipse solus suâ anxietate omnia per sese purgare.

e Anxietas & industria humana scrupulosorum nudis naturæ viribus, absque Dei gratiâ concomitante & adiuuante, insufficiens est ad plenam & perfectam peccatorum purgationem. Rom. 9. *Non volentis neque currentis*, addo, neque scrupulosâ anxietate peccata condonata reuoluentis, *sed miserentis est Dei*; quia sufficientia nostra non est à nobis, aut ex nobis, sed, 2. Cor. 3. *sufficientia nostra ex Deo est*.

f Hæc est fraus maxima & laqueus diaboli in viâ spirituali, quòd distinet scrupulosos in periculosâ & inutili anxietate rememorandi peccata fœtida semel remissa, & per hoc impedit, ne magno fructu & merito conuertantur ad Deum, & ad vtilissimas amoris Dei ac virtutum aliarum exercitationes.

g O anima scrupulosa, diffide de te, & confide in Deo; & ad praxim reuoca hæc monita & exercitia fiduciæ ob Dei bonitatem.

h Ex te ipso solo absque Christi Domini meritis ac satisfactionibus: de quo latè S. Bernardus Ser. 3. de Annuntiatione.

i Quia valor satisfactionis crescit iuxta dignitatem personæ satisfacientis: quæ in Christo est diuina per vnionem hypostaticam, vt loquuntur Scholastici apud D. Thom. 3. p. quæst. 1. art. 2.

k O abyssus miserationum Dei, vno momento absorbentium omnia peccata verè pœnitentis! Hic sese demergant scrupulosi.

l Remissio peccati est actio instantanea in subiecto ritè dispositio.

§. III.

De internâ renouatione & sanctitate animæ ad Deum conuersæ, & eiusdem resignatione ad quamlibet aduersitatem, & mortem.

9. *Enumeratio piarum institutionum pro internâ renouatione animæ.*

10. *Resignatione firmari debet anima ad libenter toleranda pro Deo quæuis aduersa.*

11. *Parata etiam ad mortem ipsam debet esse, eamque vt ianuam ad cælum amare, si Deum, non mundum amat.*

12. *Non expedit scire an morituri simus in gratiâ, vt non nobisipsis fidamus, sed Deo.*

9. *Catalogus sanctarum exercitationum ad vsum & fructũ animæ deuotæ, ex toto corde Deo placere desiderantis.*

TV igitur, filia, omnem inordinatum timorem reijce: & mihi toto corde placere desiderans, stude esse sancta, quoniam ego sanctus sum. [1] Nullum peccatum, quantumuis etiam leue & exiguum, animo deliberato admittas. [2] Fuge peccandi occasiones quantum potes. [3] A superfluâ hominum familiaritate, superfluisque colloquijs, & ab inutilibus otiosisque occupationibus, prudenter te abstrahe, [4] solitudini & silentio conuenienter vacans, [5] tempusque vtiliter ad honoré meum expendens. [6] Deuotè exerce te in vitâ & passione meâ. [7] Planta floridam arborem crucis meæ in corde tuo. [8] Ad me crucifixũ sponsum & Deum tuum frequenter adspira per verba vel desideria amorosa. [9] Ambula corã me cum sancto timore & reuerẽtiâ, credens me vbiq; præsentẽ esse, teq; incessanter intueri. [10] Sensus tuos [11] & linguam tuam diligenter refrena atque custodi, si multiloquium amas, non poteris proficere. [12] Sobrietatem & continentiam rationabilem amplectere. [13] Vanitatem & pompam superbiæ deuita. [14] Sensualia oblectamenta & illicitas voluptates non secteris: sed quantum tibi possibile est, serua teipsam immaculatam. [15] Viriliter certa aduersus vitia: [16] & ora me attentè, vt prauas passiones atque inclinationes tuas vincere ac frangere possis. [17] Conare quidem & fac semper quod in te est: non tamen in conatu tuo, sed in gratiæ meæ auxilio confidas: si enim in te tuaque industriâ fueris confisa, facilè corrues. [18] Nihil vmquam eorum quæ benè facis, tibi adscribas, nec aliquid de donis meis vsurpes: quia ex teipsâ nihil aliud potes quàm offendere, ex teipsâ nihil habes nisi peccatum, quod propriè tuum est. [19] Non cupias vanè alicui mortali homini placere. [20] Opta nesciri potiùs quàm cognosci, & contemni magis quàm laudari. [21] Numquam aliquid te esse existimes, nec opera seu exercitia tua apud te magni pendas: sed omnium ingratissimam, indignissimam, & vilissimam te esse reputa sine fictione. [22] Deprime & humilia te infra omnem creaturam propter me. [23] Omnes homines, etiam eos qui te persequuntur, sincerâ charitate dilige, & omnium salutem desidera. [24] Nullum despicias. [25] De nullius salute desperes, [26] nemini detrahas. [27] Neminem iudices. [28] Ea quæ in alijs vides, & quæ de aliorum statu audis, interpretare in meliorem partem. [29] Propriam voluntatem omni studio in te mortifica: [30] & meam voluntatem singulariter ama. [31] Mei amore libenter & promptè obedi hominibus in his quæ licita sunt. [32] Relinque proprium sensum, [33] & abnega temetipsam in omnibus. [34] Securè committe & crede te prouidentiæ meæ, & spera in me firmissimè in omni tentatione, periculo, ac necessitate: quia mihi cura est de te, qui tibi tam diligenter assiduè intendo, quasi tu sola esses in toto mundo.

Filia, disce quamlibet aduersitatem & afflictionem nõ aliunde quàm de manu meâ suscipere; disce eam patiẽter vsque ad finem amore mei tolerare. Nam tribulatio, calix benedictionis est, quo Sanctos meos omnes potaui. Nullus omnino Sanctorum fuit, qui non aut externam aut internã aliquam crucem portare debuerit. Abiectâ igitur omni pusillanimitate, quidquid tibi accidit, de manu meâ accipe, & hoc tibi à me ex immenso amore pro tuâ salute transmissum esse crede. Pati aduersa, [a] regia via est, quæ hominem ad regnum cælorum perducit. Ambula igitur in eâ gaudens: mihique gratias age, quòd te tanto digner honore, vt tibi ali- 10. *Omnis tribulatio tãquam de manu Dei Patris amantissimi accipiẽda.*

bi aliquid quod pati debeas offeram & donem. Quando aliquis tibi molestus est, & iniuriam contumeliámve irrogat, tu eum meo iussu tibi molestum esse arbitrare. Non aduersus illum irascaris, non aspera & amara verba proferas, neque de vltione cogites. Imò nec hominem (qui instrumentum & flagellum meum est) sed me qui per hominem talia fieri permitto, attende. Itaque in quibuslibet tribulationibus & doloribus humiliare, ac patientiam retine, teque mihi resigna. Nam per afflictiones ego te purgo, & aptam dignamque, quæ mihi cõiungaris, facio. Quòd si ex humanâ infirmitate in impatientiam aut alium defectum labaris, non idcircò animum abijcias, nec in bono proposito vacilles desperando: sed confestim resurgens, (sicut suprà dixi) ad me conuertere, meque cum certâ spe veniæ inuoca. Noui imbecillitatem humanã generalem, noui etiam tuam particularem. Confide in me. Non potest esse nimia tua erga me spes & fiducia, si bona & pœnitens fuerit vita tua. Ergo citò ad me confuge: ego te suscipiam, ego sanabo, ego protegam.

Iniuria à proximo illata patienter toleranda, tamquã à Deo, non ab homine immissa aut permissa.

Impatientia statim reprimenda, & spes in Deo ponenda.

11\. Quid adhuc ô filia times? Cur non iam etiam mortem desideras? Quid enim mali tibi adferet mors? Certè post mortem non ampliùs me offendes: nullo ampliùs peccato inquinaberis. Si nihil in hoc mundo amas, nihil tibi mors tollere potest. Si aliquid mundi amas, cum tuo periculo, imò ipsum tuum periculum amas. Igitur ante mortem, mundana & caduca amare desine, vt mori non nimis timeas. Imò si me solum in hac vitâ amas, gaude quia morieris: neque enim nisi moriẽdo assequêris quod amas. Verùm scio quid timeas: nihil quidem in hoc mundo diligis, nihil quod amittere aut nolis aut doleas, possides; angustat tamen te formido & pauor, quia nescis vtrùm amore an odio digna sis, nescis quomodo à me sis excipienda, an ad requiem, an ad pœnam. Eccle. 9.

Qui nihil in mundo amat, illi mors est optabilis, non formidabilis.

12\. Nihil horum, filia, debes scire, imò nec expedit quidem. Sta (licet timeas) in spe & fiduciâ erga me, siue viuas, siue moriatis. Non potes ex te benè viuere, & non potes ex te benè mori. Vtrumque habes ex me. Quomodo, si tibi dedero benè viuere, non dabo etiã benè ac feliciter mori? Cùm igitur omnia habeas ex me, cùm omnia à me expectes, quomodo vnum speras, aliud desperas? Ex te neque benè viuere, neque benè mori potes. Confide igitur, & iacta cogitatum tuum in me, proijce omnem timorem & sollicitudinem tuam in me. Sicut ex te nulli potes tentationi resistere, nullumque euadere peccatum viuens, ita nec moriens. Si viuentem te non derelinquo, si tentationes fideliter præuenio ac moderor in vitâ, vt possis sustinere, ita & in morte idipsum facio. Numquam tuis armis aut viribus vadas ad prælium: sed innitere super me. Si enim innixa fueris super me, ego pugnabo pro te. Porrò me pugnante ac protegente, quid habes timere? De conditione etiam ac genere mortis nihil hæreas. [b] Nullum est genus mortis quod nocere possit iusto. Iustus enim quacumque fuerit præoccupatus morte, in refrigerio erit. Nihil itaq; sollicita sis, vtrùm domi an foris, in lecto an in agro moriaris: nec cum formidine pertractes vtrùm naturalis an violenta erit mors tua. Vt autem benè ac feliciter moriaris, stude sobriè, iustè ac piè (sicut Apostolus meus monet) viuere. Bonam ac iustam vitam non sequitur mala mors: sed pretiosa est in conspectu meo mors Sanctorum meorum, quocumque etiam modo vitam hanc finiant, siue in aquis, siue in igne, siue in lecto moriantur.

Ignorantia de bono aut malo statu in morte futura.

Consolat. pusillan. reddit nos in vitâ humiles, diligentes, & benè de Deo sperantes. Psal. 54. Sap. 4. Tit. 2. Psal. 115.

[a] Extat in Thomâ à Kempis de Imitatione Christi lib. 2. caput duodecimum De regiâ viâ sanctæ Crucis.

[b] Docet S. Ambrosius de Bono mortis, & S. Cyprianus de Mortalitate, nullum mortis genus esse iusto timendum, maximè quando quis sese in vitâ benè ad mortem parauit.

OBSERVA, pie Lector, hanc Consolationem Pusillanimium, non tantùm piam & suauem, sed doctam & solidam & in Theologiâ fundatam esse, vt præclarè docuit Richardus Hallus Theologiæ Doctor, & peritissimus morborum omnium afflictæ conscientiæ medicus, qui in aureo suo opere de Conscientiâ quinquepartitâ, pleraque dogmata à Blosio ex varijs Auctoribus huc translata, doctè & solidè confirmat per sententias conformes antiquorum, & mediæ ætatis, & recentiorum Ecclesiæ Romanæ Doctorum, inter quos valdè laudat similem libellum Consolationis Pusillanimium à Ioanne Nidero conscriptum. Non pœnitebit vidisse Richardi librum tertium, qui est de Conscientiâ scrupulosâ, plenus doctrinæ Blosianæ verbis ex hac Consolatione allatis, confirmatis, exornatis, vt apparet toto quidem libro, sed maximè capite 43. 44. 45. 49. 50. 51. 52. & 53. quæ plenissima sunt Blosianis consolationibus, & animas afflictas ac pusillanimes vanè adhuc solari & erigere poterunt.

Huius Paraclescos praxim cōmendat R. P. Bernardinus Rossignolius de Disciplinâ Christianæ perfectionis libro 2. c. 21.

LVDOVICI BLOSII PARACLESIS DIVINA EX SACRIS LITTERIS DEPROMPTA.

Isa. 40. & 55. *CONSOLAMINI, consolamini popule meus. Dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere, ecce Deus vester.*

Isa. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate.*

Venite, emite absque argento, & absque vllâ commutatione vinum & lac.

Audite audientes, & comedite bonum: & delectabitur in crassitudine anima vestra.

Apoc. 21. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis. Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & ipse erit mihi filius.*

Exod. 20. *Ego sum Dominus, faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

Prou. 8. *Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me.*

Ierem. 29. *Ego scio cogitationes, quas ego cogito super vos, cogitationes pacis, & non afflictionis: vt dem vobis finem & patientiã.*

Et inuocabitis me, & ibitis: & orabitis me, & ego exaudiam vos. Quæretis me, & inuenietis.

Cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis.

Isa. 45. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: conuertimini ad me, & salui eritis.*

Zachar. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Isa. 55. *Inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite, & viuet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles.*

Non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus. Leuit. 26.

Et scietis quia ego Dominus, cùm benefecero vobis propter nomen meum, & non secundùm vias vestras malas, neque secundùm scelera vestra pessima. Ezech. 20.

Non propter vos ego faciam, domus Israël, sed propter nomen sanctum meum. Ezech. 36.

Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri.

Non propter vos ego faciam, notum sit vobis: confundimini, & erubescite super vijs vestris.

Ego Dominus, hoc est nomen meum. Isa. 42.

Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam. Et sedebit populus meus, in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ. Ezech. 34. & Isa. 32.

In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Oseæ 11.

Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum. Isaiæ 43.

Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ. In lætitiâ egrediemini, & in pace deducemini. Malach. 4. & Isa. 55.

Non confundetur populus meus in sempiternum. Ioël. 2.

Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors ego sum. Exod. 22.

Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israël non derelinquam eos. Isa. 41.

An-

Isa. 65. *Antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.*

Ierem. 31. *Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor ampliùs.*

Isa. 58. *Ecce adsum. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet.*

Isa. 66. & 51. *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos. Ego, ego ipse consolabor vos.*

Isa. 49. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.*

Isa. 43. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

Isa. 48. *Propter nomen meum longè faciam furorem meum: & laude meâ infrenabo te, ne intereas.*

Isa. 43. & 45. *Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me saluator. Deus iustus, & saluans non est præter me.*

Ierem. 32. *Ego Dominus Deus vniuersæ carnis. Numquid mihi difficile erit omne verbum?*

Isa. 50. *Numquid abbreuiata & paruula facta est manus mea, vt non possim redimere, aut non est in me virtus ad liberandum?*

Isa. 46. *Ego feram, ego portabo, & saluabo. Quoniam ego sum Deus, & non est vltrà Deus, nec est similis mei.*

Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.

Propè feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur.

Isa. 48. *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in viâ, quâ ambulas.*

Exod. 33. *Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te; & miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.*

Isa. 54. *Montes commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur.*

Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Isa. 44.

In charitate perpetuâ dilexi te: ideò attraxi te, miserans. Ierem. 31.

Sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitiâ, & iudicio, & in misericordiâ, & in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide: & scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum. Oseæ 2. & Isa. 49.

Sciet omnis caro, quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.

Nolo mortem morientis, reuertimini, & viuite. Ezech. 18.

Si reuertamini & quiescatis, salui eritis: in silētio & in spe erit fortitudo vestra. Isa. 30.

Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à viâ suâ, & viuat. Ezech. 33.

Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras. Ierem. 3.

Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erūt. Isa. 1.

Obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabo te. Ierem. 30.

Qui fiduciam habet mei, hereditabit terram, & possidebit montem sanctum meum. Isa. 57.

Erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam. Ierem. 39.

Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, Meus es tu. Isa. 43.

Non in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar. Isa. 57.

In indignatione meâ percussi te, & in reconciliatione meâ misertus sum tui. Isa. 60.

Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Isa. 54.

In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordiâ sempiternâ misertus sum tui.

Ecce serui mei lætabuntur, & laudabunt præ exultatione cordis. Isa. 65.

De manu mortis liberabo eos. Redimam eos, & conuertam luctum eorum in Oseæ 13 & Ier. 31.

gau-

gaudium, & consolabor eos, & lætificabo à dolore suo.

Zach. 10. *Et conuertam eos, quia miserebor eorum: & erunt sicut fuerunt quando non proieceram eos.*

Ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos.

Osee 14. *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spõtaneè: quia auersus est furor meus ab eis.*

Ierem. 32. *Et feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere.*

Zach. 2. *Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui.*

Ego sum principium & finis, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens.

Apoc. 1. *Noli timere: ego sum primus, & nouissimus; & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum, & habeo claues mortis, & inferni.*

Per me si quis introierit, saluabitur; & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ioan. 10.

Ego vitam æternam do ouibus meis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ.

Quid timidi estis, modicæ fidei? Nónne duo passeres asse veneunt: & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Nolite timere, multis passeribus meliores estis vos. Math. 8. & 10.

Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Math. 18.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Apoc. 2.

Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.

VENE-

VENERABILIS PATRIS
D. LVDOVICI BLOSII
ABBATIS LAETIENSIS
ORDINIS S. BENEDICTI
MARGARITVM
SPIRITVALE
PARTIBVS VI. DISTINCTVM.

I. De Incarnatione & Vitâ Domini Iesv: ex D. Ioanne Thaulero & D. Ioanne Rusbrochio.

II. Epitome Vitæ Iesv Christi, ex quatuor Euangelistis concinnata: cum Appendice ex Actis Apostolorum.

III. Dominicæ Passionis Explicatio admodum præclara, ferè tota desumpta ex pijssimis Exercitijs D. Ioannis Thauleri: cum Appendice de immenso Dei Amore in Incarnatione, Passione, & Eucharistiâ.

IV. Farrago vtilissimarum institutionum, ex scriptis potissimùm D. Ioannis Rusbrochij decerptarum.

V. Articuli Vitæ Christi, amplam meditandi materiam paucis verbis subministrantes.

VI. Diuini Amoris Igniariolum, cum Exercitiolis varijs piarum precationum.

LVDOVICI BLOSII IN MARGARITVM SPIRITVALE PRÆFATIO.

1. *Scopus historiæ Euangelicæ in epitomen redactæ.* — *Explicatio passionis.* — *Institutio vitæ per varia exercitiola.*

Ex libris quatuor Euangelistarum breuem & apertam historiam collegimus contexuimusque, vt anima fidelis, quæ adhuc paruula est, haberet in promptu veluti suaueolentem quemdam fasciculum eorum quæ dulcis Iesus pro ipsâ fecit, dixit, ac pertulit. Omisimus obscuriora quæque, ne ei talium nondum capaci tædium adferrent. Post ipsam Epitomen Euangelicam, adiunximus Explicationem Dominicæ passionis, ex piissimis Exercitijs Ioannis Thauleri desumptam: quâ lectâ, Tyro spiritualis aptior erit ad meditandum. Vltimo loco posuimus nonnulla alia, ad vitam sanctè instituendam plurimùm conducentia.

2. *Meditatio vel lectio vitæ & mortis Dominicæ quàm pretiosum animæ margaritum.* — *S. Mechtildis deuotio erga Euangelium & historiã vitæ Christi.*

Beata prorsus anima illa, quæ amabilem vitam & passionem dilecti sui Iesu Christi, tamquam pretiosum margaritum, in scrinio memoriæ suæ semper reconditam habet, & vbique secũ circumfert. Dici non potest, quantum vtilitatis adferat deuota & frequens meditatio vel lectio vitæ Domini Iesu. Hinc enim peccatorum venia, & prauorum affectuum extinctio: hinc cordis puritas, & mentis illuminatio: hinc conscientiæ pax & tranquillitas, sanctaque erga Deum fiducia: hinc in aduersis inuicta animi constantia, in prosperis Deo grata depressio: hinc interna consolatio, & gaudium in Spiritu sancto: hinc vera humilitas, vera charitas, ceterarumque virtutum numerosa cohors: hinc denique certa felicitatis æternæ expectatio nascitur. Et profectò nihil optabilius inter præsentis exilij labores atque ærumnas homini verè pio esse potest, quàm mentem circa opus redemptionis nostræ occupatam habere, apud benignissimum Iesum assiduè diuersari, ambulare cum eo, & cum virgine Matre, charisque discipulis eius; contemplari gratiosum vultum illius, verba vitæ ac monita salutis ex mellifluo ore eius (qui vtique æterna veritas, sapientia, & Rex Regum est) suscipere; ignominiosam acerbamque passionem eius considerare, & ei per purum amorem iugiter adhærere. Tradunt Scriptores, beatam Mechtildem virginem tanto gaudio tantaque suauitate perfundi solitam, quando verba Euangelica legebat, vt sæpenumerò tota præ amore liquescens, penè exanimis redderetur. Ipsa enim sacrosancta Euangelij verba miræ virtutis sunt: sed mundam humilemque mentem requirunt.

3. *Christi Incarnationis modus, & quàm dulce de Christo incarnato meditari.* — Lucæ 1.

Et quis non maximè lætetur, dum legit vel recolit, quemadmodum Gabriel Angelus à gloriosissimâ Trinitate missus in Nazareth, amabilissimã virginem Mariam salutarit, eique nuntiarit incarnationem Filij Dei, & illa deinde eumdem Patris Vnigenitum conceperit? Mox enim vt ipsa per humilem sui resignationem assensum præbuit, dicendo, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbũ tuum; *Spiritus sanctus sine morâ in illam descendens, ex purissimo eius sanguine, virtute Diuinitatis suæ, formauit corpusculum humanum membris omnibus absolutum atque perfectum: creauit eodem momento rationalem animam, quàm eo ipso temporis puncto vniuit illi corpusculo: atque ita in vtero virginis Mariæ Deus homo factus est. Hoc Dominicæ incarnationis admirabile mysterium, hoc diuinæ pietatis inæstimabile beneficium, ac cetera omnia quæ pius Iesus pro salute nostrâ peregit, amicus Dei Bernardus, cum inenarrabili cordis exultatione & sapore, reuoluere animo solebat, qui de illis scribens, sic ait:* Memoriam abundantiæ suauitatis

horum eructabo quamdiu vixero: in æternum non obliuiscar miserationes istas, quia in ipsis iustificatus sum. Hæc meditari, dixi sapientiam.

4. *Christus via nostra, & Crux liber noster.* *Sanè humanitas Christi tuta via veraque ianua est, quà ad Diuinitatem peruenitur. O quàm abundat gaudio is, cui Iesus intima sua in hac peregrinatione patefacit! Ipse Iesus in cruce pendens præclarus quidã & sole splendidior liber est, in quo quidquid ad perfectionem & contemplationis celsitudinem pertinet, mirabiliter supernaturaliterque relucet ac legitur. Hic candidissimus codex totus exaratus est litteris rubicundis, quæ nobis veram Christi erga nos charitatem significant: & quidem quinque illa insigniora Vulnera incontaminati corporis eius, maiusculæ & capitales huius codicis litteræ sunt. Age iam, tyruncule spiritalis, contemne impuras carnis & sensuum voluptates, atque cælestem hunc librum lege ac relege. Conuerte te intrò ad Dominum & in Dominum tuum Iesum Christum. Considera eius passionem acerbam, Vulneraque eius rosea, & pretiosum Sanguinem tui causâ largiter ex amore effusum. In his te exerce: horum imagines tuo cordi, animæ, corpori, totique naturæ tuæ imprime, sicut sigillum imprimitur ceræ.*

Quinque Vulnera Christi litteræ sunt capitales.

5. *Intuitus Christi sponsi anima deuota est iucundissimus: Virtutes eius inspicienda. Totũ se nobis impendit Christus.* *Adiunge te libenter amantißimo animæ tuæ sponso. Intuere illum internis oculis, non quidem vt hominem tantùm, sed vt Deum & hominem, vt creatorem cæli & terræ, vt omnipotentem & omnia scientem, etiam cùm paruulus in vtero virginis Matris delitesceret, & vt veram atque increatam lucem. Attende sedulò perfectißimas illius virtutes, humilitatem, obedientiam, mansuetudinem, patientiam, benignitatem, misericordiam, suauitatem, continentiam, charitatem atque modestiam, & eas pro modulo tuo imitari stude. Perpende, obsecro, vti ipse Dominus Iesus ne vnum quidem temporis momentum vmquam neglexerit, quod non ad salutem tuam iuxta Patris sui voluntatẽ perfectè expenderit, faciens ac perferens omnia ex immenso & penè intemperãti amore, quo te ab æterno dilexit. Ipsa salus tua semper in illius pectore versabatur, qui velut fidelissimus pater triginta tribus annis multùm sollicitus fuit, studioseque laborauit, vt te bonis æternis ditaret. Tibi comparauit donauitque indeficientem virtutem ac meritorũ suorum thesaurum, vnde, quidquid boni tibi deest, poßis abundè haurire. Gratias igitur age illi pro tantis beneficijs, & cum Apostolo Paulo deuotè exclama:* Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. *Gratias, inquam, age Redemptori tuo, vicemque amoris sicut potes ei repende, & cum intimâ commiseratione ærumnas, afflictiones, cruciatusque eius recogita. Excita animam tuam ad illorum meditationem his aut consimilibus verbis, quæ Spiritus sanctus suggesserit:* O anima mea, ecce Deus noster, dulcis & amabilis Iesus: eia videamus quid pro nobis fecerit ac pertulerit.

Affectus gratitudinis. 1. Tim. 1.

6. *Cordis sterilitas resignato animo perferenda.* *Quòd si cor tuum durum ac sterile est, ita vt neque compaßionem neque amorem sentias, non hoc te perturbet, sed humilis ac resignatus esto: & libenter etiam arido corde hæc lege ac rumina pro Dei honore & gloriâ. Nam si bonâ voluntate præditus es, non poteris ex his non referre fructum maximum. Plerumque homini vtilius est, compaßionem vel amorem desiderare, quàm sentire. Si tibi desunt externæ lacrymæ, non desint internæ: hoc est, si non plorant oculi, ploret cor. Offer pro sensibili compaßione piam gratiarum actionem. Neque inordinatè contristeris, si te ad sublimiorem contemplationem Deus in hac vitâ fortè non subuexerit: bonum tibi est, inter præsentis vitæ tempestates in dignißimâ Filij Dei humanitate, velut in tutâ quadam naui cõmorari & requiescere. Hæc enim te tandem ad portum salutis rectà perducet, si in eâ humiliter permanseris, & vitiorum mortificationi cordisque puritati inuigilans, Christo per charitatem adhæseris. O parue pulle, contine te sub alis huius gallinæ: nam ibi miluum non timebis.*

Tutissima deuotio, Christum cogitare.

7. *Causa cur ad Epitomen præmittitur Prologus ex Thaulero & Rusbrochio.* *Ceterùm vt paratior & magis idoneus sis ad suscipiendã legendamque historiã Euãgelicam, tibi in isto libello propositã, subiungemus huic Præfationi pauca quędã de incarnatione & vitâ Domini Iesu, deprompta ex duobus sanctißimis Patribus, nempe ex ipso Ioanne Thaulero, & ex Io. Rusbrochio. Aduerte igitur animum, & attentè audi ea quæ dicentur.*

LVDO-

LVDOVICI BLOSII MARGARITI SPIRITVALIS PARS PRIMA, SIVE DE INCARNATIONE ET VITA DOMINI IESV.

EX D. IOANNE THAVLERO.

Summarium vitæ Christi.

1. *Dignatio amoris diuini, cùm nos maximè offendissemus Deum.*
2. *Incarnatio quomodo facta.*
3. *Natiuitas Christi, humilitatis speculum.*
4. *Circumcisio Christi.*
5. *Persecutio contra ipsum adhuc infantem exorta.*
6. *Pueritia Christi.*
7. *Obedientia erga parentes.*
8. *Adolescentia humiliter transacta.*
9. *Monomachia cum diabolo in deserto.*
10. *Prædicatio Euangelij miraculis confirmata.*
11. *Vita Christi exemplar vitæ nostræ rectè componendæ.*
12. *Exhortatio ad vitam Christi sedulò recogitandam.*
13. *Ea tutissima est ad contemplationem, perfectionem, & felicitatem via.*

1. *Deus nos amauit, cùm adhuc ipsum offenderemus.* Ephes. 2.

CVM omnes essemus damnationis & iræ filij, inimici Dei, contaminati maculâ peccati originalis, violatores imaginis Dei, & destructores templi eius; tum ipse
Genes. 6. memor fuit misericordiæ suæ, tactus intrinsecus dolore cordis, & motus compassione super miseriâ populi sui. Et licet verus esset
1. Tim. 6. Dei Filius, lucem habitans inaccessibilem, sustentans omnia diuinâ virtute suâ, cunctaque moderans ac regens diuinâ sapientiâ
Philip. 2. suâ, in cuius nomine omne genu flectitur: minimè tamen dedignatus est sublimem potentiam suam ad hunc vsque tenebrosum sæculi carcerem inclinare, & particeps fieri infirmitatis & miseriæ nostræ, mortalique indui sacco nostro, quò vitia nostra ablueret & aboleret, naturamque nostram suæ pristinę restitueret innocentiæ, captiuitatem solueret, & ruinam nostram ad perennem repararet gloriam.

Non Angelum aliquẽ misit ad exequendum opus redemptionis nostræ; sed ipsemet venit ex iussu & voluntate Patris sui: non quidem locum mutans, sed suam nobis præsentiam exhibens per assumptam humanitatem. Enimuerò ex sinu Patris delapsus est in purissimum, virgineũ, integerrimumque corpus pudicissimæ dulcissimæque virginis Mariæ: in cuius sacratissimo vtero sola virtus Spiritus sancti concipi ac nasci eum fecit in humanâ naturâ: ita tamen, vt hæc natiuitas maiestati eius diuinæ nihil detraxerit, nec Virginis beatissimam minuerit integritatem. O admirabile & incomprehensibile commercium! Dominus gloriæ pro humanâ infirmitate nostrâ suam dedit celsissimam Diuinitatem. Conditor creaturarum non dedignatus est formam serui induere. Et non serui tantùm formam assumpsit, sed instar abiectissimi vermiculi humiliatus & pro nihilo habitus est. Non satis erat illi esse Dominum, creatorem & protectorem nostrum; sed & redemptor, consodalis, frater, caro & sanguis noster fieri voluit. — 2. *Quâ ratione peractum fuerit incarnationis mysterium.*

Adeò pauper effectus est, nostræque miseriæ adeò gustauit amaritudinem, vt ipso natiuitatis suæ tempore non tantillum haberet rei — 3. *Natiuitas Christi, in paupertate & humilitate.*

rei hereditariæ, vbi tenera & infantilia membra sua reponi & hospitio recipi potuissent, cùm sit cæli terræque Dominus: sed in alieno stabulo natus est, & tenerrima membra sua in præsepi rigido vilibusque panniculis collocari permisit. Et hunc ipsum indignum locum benedicta & verè pijssima Mater eius à bestijs irrationalibus mutuata est. O bone Iesu! cuius cor non emolliatur, non accendatur ad amorem, non ad deuotionem excitetur, non moueatur ad compassionem, quando maximam inopiam, admirabilem humilitatem, & feruentissimum erga nos amorem tuum attendimus? O quàm citò pati cœpisti! Quare verò, ô dulcis Iesu, tam inops & abiectus fieri voluisti? Certè, vt beatam nos doceres humilitatem, sanctamque nobis commendares paupertatem. Ideò namque & humanam assumpsisti naturam nostram, vt nos faceres participes Diuinitatis tuæ: factus es filius hominis, vt nos filij Dei efficeremur: fieremus, inquam, per adoptionem & gratiam, quod tu ab omni æternitate fuisti per naturam. Natus es in stabulo, & in præsepi positus es, vt pabulum esses humilium iumentorum. Nunc igitur, ô homo, adora in stabulo iacentem, honora sanctum illud præsepe; & tamquam humile iumentum vescere pabulo illo cælesti, vescere pane Angelorum. O Rex gloriæ! quæ te vicit charitas, vt pro me peccatore vilissimo tam humilis fieres, & in stabulo sordido inter bruta animalia collocareris, qui ab Angelis adoraris in cælis? Lacte refocillaris, qui ipse es cibus Angelorum: vilibus inuolueris pannis, qui cælum stellis adornas, & Sanctos tuos stolis vestis aureis.

Luc. 2.

4. *Circumcisio.* Iam octo vix benè dies impleuerat dulcis Iesus, & infantilem ac innocentem pro nobis fudit Sanguinem suum, ac velut peccator, legique obnoxius, secundùm legem circumcisus est.

5. *Herodes adhuc infantē persequitur.* Et nec in sacrâ infantiâ ipsius à teneris membris eius cruenta hostium manus abstinuit. Vixdum enim natus erat, & adhuc inter castissima iacebat brachia dulcissimæ Matris, suauiter quiescens in materno illius pectore, auideque sugens virginea illius vbera, necdum cuiquam verbum dixerat; & iam crudeles ac impij homines quærebant animam eius, vt perderent eum. O amabilis Iesu! quàm cito insurrexerunt aduersum te iniqui hostes tui? Nempe cum ætate ipsâ creuit tecum afflictio.

6. *Christi pueritia vsque ad annum duodecimum.* Iam vt eius pueritia religionis exemplar & speculum esset virtutum, non secutus est sæculi vanitatem, non solatium vllum, aut animi remissionem expetijt in ludis puerilibus, vel fabulosorum hominum consortijs & conuenticulis; sed in templo cultuque & famulatu Patris sui inuentus est in Doctorum medio, audiens & interrogans homines, ipse qui Patris est sapientia, scientiarum Dominus, & Verbum Dei quod erat in principio.

Vtque formam quamdam obedientiæ nobis traderet, humiliter parentibus suis se submisit, obediens eis factus, cui cuncta subiacent elementa, cuique data est potestas omnis in cælo & in terrâ. 7. *Obedientia.* Matth. 28.

Deinde vbi plenitudo illi iustæ accreuit ætatis, adessetque propè tempus quo manum ad fortia mitteret; manè egressus est in salutem populi sui, exultauitque vt gigas ad currendam viam. Et vt excellenter nos virtutem doceret beatæ humilitatis, * quæ initium est & fundamentum virtutum omnium, innocens Agnus ad deuotissimum seruum suum Ioannem Baptistam, peccatoribus pœnitentiæ baptisma conferentem, perrexit, haud secùs quàm si & ipse peccator esset, ab eoque baptizari petijt, qui nullam vmquam peccati senserat maculam. 8. *Adolescentia, vsque ad baptismū Ioannis.* Prou. 31. Habac. 3. Psal. 18. *Humilitas virtutum fundamentum. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

Inde iam in virtute spiritus ad eremum abijt: vtque nobis ceu strenuus signifer & dux animum adderet ad pugnam subeundam, primus ipse aciem subijt, singulare cum crudelissimo hoste nostro certamen iniens, quem & primo statim congressu, elisis vniuersis viribus eius, prostrauit. Non eremi solitudinem, non diaboli tentamenta, non famis molestiam, non asperitatem pœnitentiæ refugit; nec laboris orandi, meditandi, vigilandi eum pertæduit. 9. *Tentatio in eremo.* Matth. 4. Luc. 4.

Quia verò lumen diuinum, quod intra ipsum sub modio humanitatis latebat, abscondi non poterat, lucem cælestis doctrinæ, & sapientiæ suæ, deinceps propalàm lucere permisit, vt mortales omnes ad fidem illuminaret. Cunctis namque illis in locis degentibus regnum Dei annuntiauit, doctrinam miris confirmans operibus ac portentis: cunctisque debilibus & malè affectis diuinam potentiam suam declarans, nec vlli denegans benignissimam pietatem suam, quò cunctos lucrifaceret, & sanaret omnes. At verò intellectus multorum hominum obcæcatus erat: qui eum non cum amore exceperunt vt saluatorem suum, sed potiùs cordibus ab eo auersi sunt, tamquam à seductore & impostore maleuolo, simulque doctrinam eius contempserunt, opera calumniati sunt, miracula despexerunt, ipsumque, quem amare & venerari debuerant, iniquis- 10. *Labores in Euangelio prædicando, & miracula, etiam apud obcæcatos.* Luc. 11.

Ioan. 9. 7. & 8. Luc. 7. iniquissimè accusarunt, odio habuerunt, persecuti sunt, & blasphemauerũt dicentes: Non est hic homo à Deo: dæmonium habet: seducit turbas: potator est vini, & amicus publicanorum. * Neque tamen agnus mansuetissimus sacrum os suum aperuit ad conquerendum & murmurandum; sed cuncta modestissimè sustinuit, omnemque iniuriam, vilipensionem, contemptum, & ignominiam pro nobis libentissimè pertulit, seipsum exhibens totius sanctitatis & perfectionis exemplar.

* Patientia Christi in opprobrijs.

11. *Speculum vitæ nostræ est vita Domini.*

Omnis eius vita, cunctaque operatio, lux quædam & manuductio nobis fuit ad virtutem & veritatem. Itaq; si quâ in re dubitare te contingat, protinus sanctissimam vitam Saluatoris, ceu speculum quoddam lucidum contemplare. In hac namque admirandam abstinentiam, veram obedientiam, profundam humilitatem, voluntariam paupertatem, ineffabilem puritatem, summam patientiam, immobilem longanimitatem, constantem perseuerantiam, & incomprehensibilem inuenies charitatem. Sed & eam, quâ maximè indigemus, abundè hîc reperies infinitam benignitatem & misericordiam:* imò & quascumque virtutes in corde tuo meditari queas, in hac ceu in tabulâ descriptas manifestè deprehendes. Reuerà amabilis Iesus liber est, quem Propheta vidit scriptum intus & foris: quandoquidem omnis & externa & interna vita eius, spiritualibus doctrinis & virtutibus abundat. Et certè, quisquis hunc librum benè terit, & cum Prophetâ comedit, dulcis erit in ore eius instar mellis.

* Vita Christi est liber, è quo omnia nobis necessaria discimus. Ezech. 2. Apoc. 5.

Ezech. 3.

12. *Vita Christi nobis diligenter contemplanda.*

Qui igitur Deo placere, eiusque dulcedinem gustare cupit, vitam & passionem Christi diligenter attendat, ac perfectissimas illius virtutes contempletur, imiteturque. In solitudine, in hominum frequentiâ, & vbicumque est, hoc sibi speculum proponat, atq; ad ipsum internos oculos amanter ac placidè conuertat, pijs sanctisque cogitationibus cunctas cogitationes noxias ac vanas è corde suo expellens, sicut clauus clauo pellitur. * Etiamsi externis negotijs & exercitijs debeat occupari, nihilominùs amabilem hanc incarnati Filij Dei imaginem animæ suæ impressam seruare studeat quantum commodè potest. Si comedit, & impedimentum nullum patitur, buccellas amoroso ac feruido Domini Iesu Sanguini intingat. Si bibit, potum suum ab illo benedici, aut se ex sacris eius Vulneribus potari cogitet. Si dormit, super cor illius saucium ac suaue sese reclinet. Si loquitur, illum sibi adstare, verba sua attendere, cunctosque gestus & intentionem suam inspicere imaginetur. Atque hoc modo sese totum in præclaram hanc imaginem immergat. Cum discretione tamen hæc introuersio colenda est, ne caput lædatur, & natura destruatur.

* Etiam in medio negotiorum huius sæculi vtilis meditatio vitæ IESV Christi.

Et obserua praxim dulcissimam recogitandi vitã Christi Domini, inter varia opera vitæ nostræ.

13. *Est enim secura semita ad felicitatem.*

Planè, proxima purissimaque ad Deum pertingendi via hæc est, vt quis cum ingenti amore & gratitudine Saluatoris intra se conuersationem passionemque circumferat, atque illam moribus & vitâ intus ac foris exprimere curet, attentè considerans in quo culpabilis, & vitæ Dominicæ dispar sit, vt suis imperfectionibus ex dilectione pro qualicumque mortis Christi compensatione mori conetur; & quia foris pro Christo animam ponere iam necessitas nulla indicit (quod ex vehementissimo Diuinitatis amore sanctos Martyres fecisse legimus) saltem voluntati delectationique propriæ intus & foris renuntiare discat. Hoc enim Deo præ omnibus quæ ipse à nobis requirit, perquam gratissimum est. Nec dubium est, quin ille per hanc viam gradientes, benignè post mortem recepturus sit in cælum gloriamque sempiternam. * Sed & in hoc exilio fortè perducet ac prouehet eos ad occulta felicissimaque Diuinitatis suæ susurria: quibus alioqui percipiendis, nemo securè se applicat. Neque enim aliquis ad contemplationis quietem tutò adspirat, nisi viâ istâ gradiatur. Nam Christi Diuinitas in illius humanitate abscondita est, & humanitas via quædam & ianua est pertingendi ad Diuinitatem, sicut ipse Christus testatur, dicens, *Ego sum via.* & rursum: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur* in Diuinitatem, *& egredietur* in humanitatem meam, *&* vtrobique *pascua* æternæ viriditatis, pulchritudinis, atque felicitatis *inueniet.* Itaque diligens imitatio incarnati Filij Dei, & humanitatis eius imago * per meditationem atque amorem benè impressa animæ, solet tandem ipsam animam in indepictam, & formæ nesciam, ineloquibilemque Diuinitatem subuehere.

* Nemo per aliam viam tutò ad altissimã huius vitæ cõtemplationẽ peruenit, quàm per vitæ Christi meditationem.

Ioan. 14. Ioan. 10.

* Ecce imago mystica vitæ Christi per meditationem impressa animæ.

EX D. IOANNE RVSBROCHIO.

Cur Deus incarnari voluerit & pati.

1. *Amor Dei incarnationis beneficium nobis immerentibus contulit.*
2. *Quàm citò pro nobis passus est Christus, & quàm perseueranter.*
3. *Mortuus est, vt mundum à peccato redimeret.*
4. *Vita Christi speculum est & norma vitæ nostræ.*
5. *Liber est doctorum pariter atque indoctorum.*

1. *Beneficium Incarnationis ab amore diuino profectum.* Ioan. 3. Luc. 2.

BENIGNISSIMVS Pater noster cælestis sic dilexit nos, vt vnigenitum Filium suum sibi cõsubstantialem nobis daret. Misit eum in mundum: & ipse Dei Filius operatione Spiritus sancti factus est homo propter nos. Eramus ob originalis peccati reatum perditi, & è paradisi sedibus depulsi: at ille, purissimo nostri victus amore, naturam nostram, in imum vsque inferni damnatam relegatamque, & à Deo maledictam, in se recepit, vt pro nobis satisfaceret, nosque Deo reconciliaret, & reuocaret ad regnum suum cæleste. Seipsum quidem humiliauit, nos verò exaltauit supra omnia à se condita. * Sed quamuis sese humiliauerit, ac nostri similis mortalis, & omnium nostrûm frater factus sit, non tamen pristinam amisit dignitatem atque nobilitatem. Nam assumpsit quod non erat, manens quod erat: mansit enim Deus, & homo factus est. Induit se omnium nostrûm humanitate, tamquam si Rex quispiam vestibus seruorum suorum se induat. Reuerà ipse Rex Regum & Dominus dominantium est, cui iure omne genu curuatur, & cuius regni nullum neque initium, neque finis est.

Philip. 2. * Incarnatio Dei Deum non minorauit, sed hominem nobilitauit. Ioan. 1. Isa. 45.

2. *Christus pro nobis citò pati incepit, & diu pati sustinuit: viuens in laboribus & doloribus à iuuentute suâ.* Psalm. 87.

Propter nos ab ipso statim natiuitatis suæ exordio pati cœpit, puta frigora, paupertatem, circumcisionem in quâ suum fudit Sanguinem, & fugam in exteras regiones. Matri virgini & Ioseph nutritio humiliter seruiuit. Famem, sitim, probra, contemptum, & indigna Iudæorum verba atque opera pertulit. Vigilijs & ieiuniis vacauit, ab hoste tentari voluit, subiectus omnibus fuit. Grandi cum labore pedes huc illucque regionatim & oppidatim discurrit, seriò admodum ac strenuè regnum Dei annuntians, ac Iudæis Euangelium prædicans. Et licet ipse tamquam præcipuus amicus salutem eorum quæreret, ab eis tamen captus est & proditus, irrisus, consputus, flagellatus, cæsus, spinis coronatus, spretus, iniquis & falsis testibus oppressus, atque damnatus. Ac deinde cum ingenti dolore crucem ipse suam ad Caluariæ montem detulit: vbi vestibus omnino nudatus suis, sub totius orbis aspectu, ignominiam, cruciatum frigusque perpessus est. Etenim nudus erat, & vulneribus vsquequaque confectus, & cælum frigidum erat atque asperum. Mox obtusis clauis affixus ligno crucis, dirè distendebatur, adeò vt venæ illius dirumperentur. Deinde eleuatus cum cruce, cùm ea in petram excisam mitteretur, totus quassatus est. Inuidi Iudæi, qui horridis clamoribus antè vociferati fuerant, Crucifige, crucifige eum, etiam impias blasphemias euomuerunt in illum cùm penderet in cruce. Sed ipse Patrem inuocans dicebat, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Tandem capite inclinato mortuus est, atque ita debitum nostrum dissoluit. Luc. 23. Ioan. 19.

3. *Redemptio mundi à peccato per mortem Christi.* Philip. 2.

Volebat Pater vlcisci peccatum mundi secundùm iustitiæ rigorem: ideoque Filium suum pro peccatis nostris neci dedit, & Filius ad mortem vsque illi fuit obediens: sanctus autem Spiritus opus illud charitate consummauit. Itaque Filius Dei suâ morte nos restituit libertati, & pretioso Sanguine suo in conspectu Patris sui nos mercatus est, ac pro nobis satisfecit: ita vt per illius mortem nos vitam adepti simus. O incomprehensibilem Dei erga nos charitatem! Ipse qui est altissimus, abiecit & humiliauit sese, nos autem extulit: sese pauperem, nos diuites fecit: se contemni passus est, & nos honore affecit. Nobis datus est, nobis vixit ac inseruiuit, nos instituit ac redemit.

4. *Vita Christi vita nostra regula est.*

Idem Dominus Iesus speculum nostrum ac regula nostra est, secundùm quam exigere debemus omnem vitam nostram. Erat humilis, mansuetus, patiens, misericors, plenus gratiâ, benignitate ac fidelitate, obediens, resignatæ voluntatis, ac innocens. Exhibuit sese abiectum infra mortales omnes. Flexis genibus Deum & Patrem suum adorabat, & sese altissimæ eius potentiæ summâ cum reuerentiâ ac veneratione submittebat, amantissimaque fide & beneuolentiâ ad quasuis tam corporales quàm spirituales mortalium omnium necessitates inclinabat. Cunctis paratissimus erat, quacumque siue foris siue intus detinerentur miseriâ, tamquam communis orbis minister.

Planè vita eius Christianorum omnium 5.
liber

Liber in quo æquè studere possint indocti atque doctissimi.

liber est, quem, vbicumque simus, nobiscum circumferre, & passionem mortemque illius acerbissimam in nostrâ memoriâ absque vllâ obliuione retinere debemus: ita vt summa dilectio & fidelitas eius corda nostra delectatione atque amore afficiat, & sanctissima vita illius in amantibus animabus nostris semper recondita sit. Hæc enim cibus noster sunt, quibus assiduè vesci possimus. Hic liber doctis & indoctis, perfectis atque imperfectis, qui Deo placere cupiunt, communis est: cui quotquot vitam suam accommodant & conformant, dicent fidenter Domino in die iudicij: Domine, tibi placere, tibi perenniter viuere ac famulari concupiuimus. Itaque Christus Iesus eos in perpetuam gloriam ipsis ab origine mundi præparatam secum abducet. Ostendet illis gloriosam faciem suam sole incomparabiliter splendidiorem, & eos claritate suâ superuestiet, donabitque eis sui fruitionem, & ineffabilem lætitiam atque exultationem, sine fine mansuram.

LVDOVICI BLOSII MARGARITI SPIRITVALIS PARS SECVNDA, SIVE EPITOME VITAE IESV CHRISTI EX QVATVOR EVANGELISTIS CONCINNATA.

MONOTEΣΣAPON, siue ex quatuor Euangelijs vnam vitæ & mortis Christi Domini narrationem, ad magnam Euangelicæ Historiæ lucem, quam alij Quadrigam, alij Concordiam, alij Harmoniam, alij Consensum Euangelistarum appellant, ante Blosium concinnauerunt Theophilus, Tatianus, Ammonius, Augustinus, & alij citati à R. P. Ioanne de la Haye Seruio, in Triumpho veritatis ordinati Euangelij quadrigâ inuectæ, Admonitione ad Lectorem: post Blosium multi, qui passim manibus teruntur, Euangelicam istam concordiam Imaginibus, Commentarijs, Meditationibus, Patrum sententijs illustrauerunt. Cum Blosio vixit Episcopus Gandensis Cornelius Iansenius, & celeberrimam illam Euangelicam Concordiam scripsit, quam Cardinalis Baronius Tomo 1. Annalium in Historiâ Vitæ, Mortis & Resurrectionis Christi toties citat & laudat.

CAPVT I.

Conceptio Saluatoris.

1. Angelus Incarnationẽ Christi annuntiat Mariæ.
2. Elisabeth visitata à Mariâ,
3. Parit Ioannem.
4. Monetur Ioseph ab Angelo, ne Mariã dimittat.

I. *Gabrielis Archangeli annuntiatio, & Incarnationis historia Euāgelica.* Luc. 1.

MISSVS est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud? quoniam virum

cognosco. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute suâ: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab illâ Angelus.

2. *Maria visitat Elisabetham. & Historia visitationis Marianæ. Luc. 1.*

Exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth: & exclamauit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo: & beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suę: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes. Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordię suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula. Mansit autem Maria cum illâ quasi mensibus tribus: & reuersa est in domum suam.

3. *Natiuitas Præcursoris, & Canticū loquentis Zachariæ. Lucæ 1.*

Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illâ, & congratulabantur ei. Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquã, sed vocabitur Ioannes. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto: & prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos: ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. In sanctitate & iustitiâ coram ipso, omnibus diebus nostris. Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius: ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum: per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos, oriens ex alto: illuminare his qui in tenebris, & in vmbrâ mortis sedent; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.

4. *Instruitur Ioseph ab Angelo de partu Virginis sponsæ. Matth. 1.*

Christi autem generatio sic erat. Cùm esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam, dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam.

CAPVT II.

Natiuitas Christi Domini.

1. *Christus natus in stabulo in Bethlehem;*
2. *Pastoribus ab Angelo nuntiatur.*
3. *Octauo die circumciditur.*
4. *A Magis quæsitus & inuentus adoratur.*

1. *Ex Augusti decreto, Maria & Ioseph veniũt Bethlehem: vbi Saluator nascitur. CHRISTI ANN. 1. Lucæ 2.*

FACTVM est autem in diebus illis, exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à Præside Syriæ Cyrino: & ibant omnes vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæâ de ciuitate Nazareth, in Iudæã in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eò quòd esset de domo & familiâ Dauid, vt profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi vxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi,

ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio.

2. *Pastores ab Angelo moniti, veniunt festinãtes Iesum adoraturi.* Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cælum, pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem, cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores, glorificãtes & laudantes Deum, in omnibus quę audierant & viderant, sicut dictũ est ad illos.

3. *Puer circumcisus vocatur Iesus.* Lucæ 2. Math. 1. Et postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priùs quàm in vtero conciperetur.

4. *Magi cum muneribus quærunt Iesum Regem. & Historia Epiphaniæ.* Math. 2. Cùm ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ. sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: & mittens eos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cùm audissent Regem, abierunt, & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsquedum veniens staret suprà, vbi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valdè. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Mariâ matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

CAPVT III.

Mariæ Purificatio, & Christi oblatio in templo.

1. *Iesu in templo sistitur offerturque Patri.*
2. *Et à iusto Simeone,*
3. *Atque ab Annâ prophetissâ agnoscitur.*

ET postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. & vt darent hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. 1. *Maria mater & puer Iesus in templo.* Lucæ 2.

Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum, in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum; lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Et erat pater eius & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel; & in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. 2. *Simeon senex agnoscit Saluatorē, & canit canticum.*

Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate suâ. Et hæc vidua vsque ad annos octogintaquatuor: quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus ser- 3. *Anna prophetissa confitetur Redemptorem.*

seruiens nocte ac die. Et hæc ipsâ horâ superueniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.

CAPVT IV.

Fuga in Aegyptum. Inuentio in templo.

1. *Ioseph cum Iesu & Mariâ fugit in Aegyptum.*
2. *Infantes occiduntur ab Herode.*
3. *Ioseph redit monitu Angeli.*
4. *Iesus anno ætatis duodecimo in templo à parentibus inuentus, reducitur in Nazareth.*

1. *Ioseph ab Angelo monitus, cum puero & matre in Aegyptum fugit.* Matth. 2.

ANGELVS autem Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum. Et erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.

2. *Infanticidium per Herodem.* CHRISTI ANN. II.

Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis. Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Vox in Ramâ audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

3. *Ioseph monitus iterũ ab Angelo redit in Galilaeam.* CHRISTI ANN. VII.

Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somniś Ioseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Israël. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæâ pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur. Puer autem crescebat, (Lucæ 2.) & confortabatur, plenus sapientiâ: & gratia Dei erat in illo.

4. *Iesus duodennis à parentibus perditur & inuenitur, & vsque ad trigesimum annum in obedientiâ viuit.* CHRISTI ANN. XII.

Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in die solemni Paschæ. Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundùm consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cùm redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentiâ & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.

CAPVT V.

Baptismus Christi. Ieiunium. Prima vocatio discipulorum.

1. *Ioannes Baptista prædicat pœnitentiam,*
2. *Turbis, Publicanis, & militibus.*
3. *Testatur Christi excellentiam.*
4. *Iesum ad se venientem baptizat.*
5. *Iesus ieiunat, post ieiunium tentatur.*
6. *Prima vocatio discipulorum, Andreæ & Petri:*
7. *Philippi & Nathanaelis.*

ANNO autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarchâ autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarchâ Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysaniâ Abilinæ Tetrarchâ, sub principibus sacerdotum Annâ & Caiphâ, factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans & dicens: Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam, dicentem: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre. Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Dicebat ergo ad turbas: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

1. *Ioannes Baptista suâ prædicatione implet Isaiæ vaticinium, de pœnitentiâ à se prædicandâ.* CHRISTI ANN. XXX. Lucæ 3. Matth. 3.

Lucæ 3.

Et

Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det

2. *Dat monita pœnitentiæ turbis, Publicanis, & militibus.*

non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quàm quod constitutum est vobis, faciatis. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti estote stipendijs vestris.

3. *Testificatur de Christo: baptismumque eius suo baptismo præfert.*

Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus; respondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aquâ baptizo vos: veniet autem fortior me post me, cuius non sum dignus soluere corigiam calceamentorum eius. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.

4. *Profitetur Christum Redemptorẽ peccatorum, & eum baptizat.* Marc. 1. Matth. 3. Ioan. 1. Matth. 3. Lucæ 3. Matth. 3. Lucæ 3. Ioan. 1.

Et factum est, in diebus illis venit Iesus à Nazareth Galilææ in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Et vidit Ioannes eum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ei: Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aquâ: & ecce aperti sunt ei cæli, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. Et ecce vox facta est de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui quia hic est Filius Dei.

5. *Christus ieiunat in deserto dies quadraginta.* Lucæ 4. Matth. 4. Marc. 1. Lucæ 4. Matth. 4. *Tentatur à diabolo ter, & eum profligat.*

Iesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane, & ductus est à spiritu in desertum. Et erat in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à satanâ, eratque cum bestijs. Et nihil manducauit in diebus illis. Et consummatis illis, esurijt. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculũ templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterùm assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade satana: scriptum est enim: Dominũ Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

6. *Baptista docet discipulos suos, Christũ esse Messiam: duo sequuntur Iesum.* Ioan. 1.

Quadam autem die stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. Et respiciens Iesum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum, Magister) vbi habitas? Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum.

Andreas fratrem suũ Petrum adducit ad Iesum.

Inuenit hic primùm fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam; (quod est interpretatum, Christus.) Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

7. *Philippus vocatus sequitur Iesum.*

In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaidâ, ciuitate Andreæ & Petri. Inuenit Philippus Nathanaël, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus:

Philippus adducit Nathanaëlem.

Veni, & vide. Vidit Iesus Nathanaël venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanaël. Vnde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanaël, & ait: Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israël. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis.

CA-

CAPVT VI.

Prima miracula. Secunda vocatio discipulorum.

1. *Iesus mutat aquam in vinum in nuptijs.*
2. *Eijcit è templo vendentes & ementes.*
3. *Mulieri Samaritanæ innotescit.*
4. *Sanat à febri filium Reguli.*
5. *Habitat in Capharnaum, prædicat regnū Dei.*
6. *Vocat è naui quatuor discipulos.*
7. *Circumit totam Galilæam docens in synagogis & miracula patrans.*

1. *Iesus vocatus, interest nuptijs. Ioan. 2.* POSTEA nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius, ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. *Intercedit mater pro vino.* Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aquâ. Et impleuerunt eas vsque ad summum. *Conuertit Christus aquam in vinum.* Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Canâ Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

2. *Venit Capharnaum.* Post hæc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus. Et propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam: *Ascendit Ierosolymā.* & inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues; & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit. *Negotiatores eijcit è templo, & disputat de templo corporis sui.* Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Recordati sunt verò discipuli eius quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat: & crediderunt Scripturæ, & sermoni quem dixit Iesus. Cùm autem esset Ierosolymis in Paschâ in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat.

3. *Iesus cum Samaritanâ colloquitur. Ioan. 4.* Et reliquit Iesus Iudæam, & abijt iterùm in Galilæam. Oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædiū, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samariâ haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. (Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.) Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? *Instruit eam de potu aquæ viuæ.* non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est; vnde ergo habes aquā viuam? Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aquâ hac, sitiet iterùm: qui autē biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. *Dicit secreta prioris vitæ ipsius.* Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Benè dixisti, Quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir; hoc verè dixisti. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet. Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, *Docet ad orationem Dei in spiritu & veritate.* quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus.

Declarat ei se esse Messiam. stus. Cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum. Et continuò venerunt discipuli eius: & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris? aut quid loqueris cum eâ? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci. numquid ipse est Christus? Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum. *Mulier euangelizat Christum.* Intereà rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Numquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. *Cibus & potus Christi, salus animarum.* Ex ciuitate autem illâ multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. Cùm venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia non iam propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est verè Saluator mundi. *Credunt in eum Samaritani.*

4. *Iesus redit in Galilaeã, vbi sanat filium Reguli.* Post duos autem dies exijt inde, & abijt in Galilæam. Exceperunt ergo eum Galilæi, cùm omnia vidissent quæ fecerat Ierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. Venit ergo iterùm in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audisset, quia Iesus adueniret à Iudæâ in Galilæâ, abijt ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis; non creditis. Dicit ad eum Regulus: Domine, descende priùs quàm moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in quâ meliùs habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri horâ septimâ reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in quâ dixit ei Iesus, Filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota. *Regulus cũ totâ domo suâ credit in Christũ.*

5. *Iesus in Capharnaũ prædicat regnum cælorum per pœnitentiã obtinẽdum. Matth. 4.* Iesus autem, relictâ ciuitate Nazareth, venit & habitauit in ciuitate Capharnaum maritimâ, in finibus Zabulon & Nephthalim: vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.

Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò, relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & vocauit eos. Illi autem statim, relictis retibus & patre, secuti sunt eum. 6. *Secunda vocatio Petri & Andreæ.* *Iacobi & Ioannis.*

Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni: & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos. 7. *Euãgelizat in Galilæa: Curat ægros.* *Dæmoniacos liberat.*

CAPVT VII.

Miracula. Vocatio Matthæi.

1. *Iesus immundum spiritum expellit.*
2. *Socrum Simonis à febri liberat.*
3. *Sedat tempestatem imperio.*
4. *Curat in regione Gerasenorũ duos dæmoniacos.*
5. *Sanat paralyticum.*
6. *Vocat Matthæum.*

ET descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis. Et stupebant in doctrinâ eius, quia in potestate erat sermo ipsius. Et in synagogâ erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magnâ, dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cùm proiecisset illum dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilque illum nocuit. Et factus est pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt? Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. 1. *Christus eijcit immundum spiritum, qui ipsum fatebatur Messiam. Lucæ 4.* *Modus eijciendi in potestate & virtute.*

Surgens autem Iesus de synagogâ, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt 2. *Sanat socrũ Simonis à febre, solo imperio.*

uerunt illum pro eâ. Et stans super illam, imperauit febri: & dimisit illam. Et continuò surgens ministrabat illis. Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei. Et increpans, non sinebat ea loqui.

Alios item agros & dæmoniacos.

3. *Solo verbo tempestatē sedat. Lucæ 8. Math. 8. Mar. 4.*

Factum est autem in vnâ dierum, & ipse ascendit in nauiculam, & discipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ecce, nauigantibus illis, motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipse verò erat in puppi super ceruical dormiens. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic; quia venti & mare obediunt ei?

4. *Liberat Gerasenorum duos dæmoniacos.*

Et cùm venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis & tibi, Iesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos. Et ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem, nuntiauerunt omnia, & de eis qui dæmonia habuerant. Et ecce, tota ciuitas exijt obuiàm Iesu. Et viso eo rogabant, vt transiret à finibus eorum, quia magno timore tenebantur.

Permittit dæmones in porcos ingredi.

Lucæ 8

5. *In Capharnaum curat paralyticū. Math. 9. Marc. 2.*

Iesus autem ascendens nauim, reuersus est, & transfretauit: & iterùm intrauit Capharnaum. Et auditum est, quòd in domo esset, & conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cùm non possent offerre eum illi præ turbâ, nudauerunt tectum vbi erat: & patefacientes, submiserunt grabatum, in quo paralyticus iacebat. Cùm autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? Vt autē sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et statim surrexit ille, & sublato grabato, abijt coram omnibus, ita vt mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia numquam sic vidimus.

Probat se peccata remittere posse.

Paralyticus tollit grabatū suum, & ambulat.

6. *Vocat Iesus Matthæum à telonio. Math. 9.*

Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos. Et cùm inde transiret, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum. Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu, & discipulis eius. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester? At Iesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Euntes autem, discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

Manducat cum publicanis & peccatoribus.

CAPVT VIII.

Varia miracula.

1. *Iesus mulierem profluuio sanguinis laborantem curat.*
2. *Filiam Archisynagogi in vitam resuscitat.*
3. *Duobus cæcis visum restituit.*
4. *Mutum à dæmonio liberat.*
5. *Sanat aridam manum.*
6. *Mansuetudo & patientia Christi inter tot miracula.*

1. *Hæmorrhoissa tactu fimbriæ sanatur. Marc. 5.*

ET venit quidam de Archisynagogis nomine Iairus: & videns eum, procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multùm, dicens: Quoniam filia mea in extremis est: veni, impone manum tuam super eam, vt salua sit, & viuat. Et abijt cum illo: & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum. Et mulier, quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deteriùs habebat; cùm audisset de Iesu, venit in turbâ retrò, & tetigit vestimentum eius. dicebat enim: Quia si vel vestimentum eius tetigero, salua ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius: & sensit corpore quia sanata esset à plagâ. Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conuersus ad tur-

bam, aiebat: Quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit? Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. Mulier verò timens & tremens, sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te saluam fecit: vade in pace, & esto sana à plagâ tuâ.

2. *Suscitat à mortuis Archisynagogi filiã.*

Adhuc eo loquente, veniunt ab Archisynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua est, quid vltrà vexas Magistrum? Iesus autem, audito verbo quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere, tantummodò crede. Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi. Et veniunt in domum Archisynagogi. Et videt tumultum, & flentes, & eiulantes multùm. Et ingressus ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. Et irridebant eum. Ipse verò, eiectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingreditur vbi puella erat iacens. Et tenens manum puellæ, ait illi: Thalita cumi, quod est interpretatum: Puella (tibi dico) surge. Et confestim surrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis vehementer, vt nemo id sciret: & dixit dare illi manduca-
Matth. 9. re. Et exijt fama hæc in vniuersam terram.

3. *Restituit visum duobus cæcis ipsum confitentibus.*

Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri, fili Dauid. Cùm autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis Iesus, dicens: Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in totâ terrâ illâ.

4. *Dæmoniacum mutũ sanat, & loquelam ei reddit.*

Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et eiecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit sic in Israel. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eijcit dæmones.

5. *In Sabbato manũ aridam curat.* Luc. 6. Matth. 12. CHRISTI ANN. XXXII. *Probat quædam opera posse in Sabbato fieri.*

Factum est autem vt intraret sabbato in synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida. Obseruabant autem Scribæ & Pharisæi, si in sabbato curaret; & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare? vt accusarent eum. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam, & si ceciderit hæc sabbatis in foueam, nónne tenebit & leuabit eam? Quantò magis melior est homo oue? Itaque licet sabbatis benefacere. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati sicut altera. Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum. *Conspiratio Pharisæorum.*

6. *Alij ægroti curantur.*

Iesus autem sciens recessit inde, & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes: & præcepit eis ne manifestum eum facerent. Vt adimpleretur quod dictũ est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eijciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius gentes sperabunt. *Mansuetudo Christi Isaia vaticinio comprobata.*

CAPVT IX.

Salutaria monita, quibus Jesus tam in monte, quàm in alijs locis discipulos suos, nosque omnes sacratissimo ore suo instituit ad benè beatéque viuendum.

1. *Electio duodecim Apostolorum: Octo beatitudines.*
2. *Iustitia superabundans Christianorum.*
3. *Bonum pro malo reddendum.*
4. *Docemur amare inimicos.*
5. *Iustitiam coram Deo facere, non vt videamur ab hominibus.*
6. *Oratio in abscondito: Oratio Dominica.*
7. *Auaritia cauenda: thesaurizandum in cælo.*
8. *Sollicitudo crastini in Deum reijcienda.*
9. *Neminem iudicare licet.*
10. *Cum perseuerantiâ petendum à Deo, quod opus est.*
11. *Per angustam portam, non per latam viam iter est in cælum.*
12. *Iugum Christi.*
13. *Christus lux, via, veritas, & vita: panis verus & vinum: pastor bonus.*
14. *Christus Saluator mundi à Patre ex amore datus.*
15. *Prudens simplicitas in persecutionibus.*
16. *Sequi Christum, omnibus pro illo dimissis, consulitur.*
17. *Vigilandum. Otiosi verbi ratio reddenda.*
18. *Lux vestra luceat coram hominibus. Serui inutiles nos putemus. Retributio finalis cogitanda.*
19. *Domus fundata super arenam, super petram.*
20. *Sapientia Dei paruulis reuelatur.*

1. *Duodecim Apostolos ex omni numero discipulorum selegit.* Luc. 6.

FACTVM est autem in illis diebus, exijt Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos; & elegit duodecim

decim ex ipsis (quos & Apostolos nominauit) Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem, Philippum, & Bartholomæum, Matthæum, & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor. Et aperiens os suum, docebat

Octo beatitudines viæ. Matth. 5.

eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

2\. *Superabundans iustitia Christianorum supra Pharisæos.*

Dico autem vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.

3\. *Reddendũ bonum pro malo plenâ condonatione.* Luc. 6. Matth. 5.

Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

4\. *Inimici diligendi.* Luc. 6. Matth. 5.

Dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, benedicite maledicentibus vobis, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

5\. *Iusti appareamus coram Deo, non vt videamur ab hominibus.* Matth. 6.

Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Cùm ergo facis eleëmosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleëmosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: vt sit eleëmosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

6\. *Modus orandi, non publicè, sed in occulto.*

Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Sic autẽ vos

Oratio Dominica.

orabitis: Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnũ tuum. Fiat volũtas tua, sicut in cælo, & in terrâ. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo, Amen. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

7\. *Detestatio auaritiæ.* Marc. 10. Luc. 12.

Filioli, difficile est confidentes in pecunijs in regnum Dei introire. Videte, & cauete ab omni auaritiâ. Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona

Thesaurizandũ non huic mundo, sed cælo.

posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ, vbi

Matth. 6.

ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo neque tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Non potestis Deo seruire & mammonæ.

8\. *Ne sitis solliciti in crastinum.* Luc. 12.

Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

9\. *Nolite iudicare.* Luc. 6. Matth. 7.

Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in quâ mensurâ mensi fueri-

tis,

A teipso incipe iudicium.

tis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine, eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.

Petendum à Deo perseueranter. Luc. 11. Math. 21.

10. Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quantò magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

Portâ angustâ intrandum. Math. 7.

11. Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt, qui inueniunt eam! Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

Christi iugum suaue. Matth. 11. *Mansuetudo ab eo discenda & humilitas.* Luc. 22.

12. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Qui maior est in vobis, fiat sicut iunior: & qui præcessor est, sicut ministrator. Ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.

Christus lux, via, veritas, & vita: Ioan. 8. Ioan. 14. Ioan. 10. *Panis vitæ:* Ioan. 6. *Pastor bonus:* Ioan. 10.

13. Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vmquam. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Ego sum pastor bonus, & animam meam pono pro ouibus meis. Oues meę vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ.

Ioan. 3. *Saluator mundi ex amore Patris missus & datus.* Luc. 12.

14. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?

Prudens simplicitas, vt serpens & columba. Ioan. 15. Math. 10. Luc. 21. Matth. 10. *Confessio fidei necessaria.*

15. Ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Ad præsides & ad reges ducemini propter me. Nolite tunc cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius; & seruo, sicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius? Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: capillus de capite vestro non peribit. In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.

Sequela Christi. Ioan. 12. Matth. 16. Matth. 10. *Abrenuntiationem postulat omniũ suique abnegationem.* Matth. 16. Luc. 9.

16. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus; & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?

Perpetuò vigilandũ & orandũ. Matth. 24. Luc. 21. Marc. 13. Matth. 12. *Otiosi verbi ratio in iudicio reddenda.* Luc. 12.

17. Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapulâ & ebrietate, & curis huius vitæ. Videte, vigilate & orate. Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quandò reuertatur à nuptijs: vt, cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi,

quos,

quos, cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes. Et si venerit in secundâ vigiliâ, & si in tertiâ vigiliâ venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate.

Mar. 13. Math. 5.

18. *Bonum exemplũ aliis præbendũ.* Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Luc. 17. Et cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: *Serui inutiles.* Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Math. 16. *Retributio finalis secũdũm opera* Filius hominis venturus est in gloriâ suâ, cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Math. 13. Et mittet Angelos suos, & colligent eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.

19. *Domus duæ,* Math. 7. *Prudentis super petram:* Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit *Stulti super arenã.* domum suam super arenam: & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Ioan. 8. Luc. 11. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

20. Luc. 10. Math. 11. *Paruulis reuelatur Dei sapientia.* Luc. 10. Et exultauit Iesus in Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et conuersus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.

CAPVT X.

Miracula. Laus Baptistæ.

1. *Iesus mundat leprosum.*
2. *Sanat seruum Centurionis.*
3. *Resuscitat filium viduæ Naim.*
4. *Commendat Ioannem Baptistam, qui duos de discipulis miserat ad Iesum.*

1. *Sanat Iesus leprosũ.* Math. 8. CVM autem descendisset de monte, secutę sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius.

2. *Centurionis seruum curat.* Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: *Centurionis fides.* Domine non sum dignus vt intres sub tectũ meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit; & alij, Veni, & venit; & seruo meo; Fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus miratus est, *à Christo laudata.* & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illâ horâ.

3. *Viduæ filiũ mortuũ resuscitat in Naim.* Luc. 7. Et factum est, deinceps ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illâ. Quam cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. (Hi autem qui portabant, steterunt.) Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam. Et exijt hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & in omnem circà regionem.

4. *Legatio discipulorum Baptistæ ad Iesum.* Et nuntiauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Cùm autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? (in ipsâ autem horâ multos curauit à languoribus suis, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum.) Et respondens, dixit illis: *Respondet ijs Christus, se esse Messiam.* Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis, & vidistis. Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me. Et cùm discessissent nuntij Ioannis, cœpit de Ioanne

dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatã? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosâ sunt & delicijs, in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Vtique dico vobis, & plus quàm Prophetam: hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptistâ: qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo. A diebus autem Ioannis Baptistæ vsq; nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et omnis populus audiens, & Publicani, iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisæi autem & legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo. Ait autem Dominus: Venit Ioannes Baptista, neque manducãs panem, neque bibens vinum: & dicitis: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus Publicanorum, & peccatorum.

Commẽdat Ioannem vt plusquam prophetam; imò vt Angelum Matth. 11.

Applaudũt Christo publicani, & populus: spernunt Pharisæi & legisperiti Lucæ 7.

CAPVT XI.

Vis veræ contritionis in conuersione Magdalenæ. Verbi Dei auditores.

1. *Iesus remittit peccata mulieri peccatrici:*
2. *Maria Magdalenæ ministerio & facultatibus viuit Christus & Apostoli.*
3. *Curat item Iesus dæmoniacum cæcum, & mutum & surdum.*
4. *Proponit parabolam seminantis, & explicat.*
5. *Aperit & legit librum Isaiæ in Synagogâ.*

1. ROGABAT autem illum quidam de Pharisæis vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier, quę erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti: & stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum: quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem, ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem minus dimittitur, minùs diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: vade in pace.

Peccatrix vngit & lauat pedes Iesu, in domo Pharisæi. Lucæ 7.

Pharisæus murmurat.

Parabola duorum debitorum.

Peccatricis amor laudatur.

Peccata ei dimittit Iesus.

Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat 2.
per ciuitates & castella, prædicans & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

Christo cũ duodecim euangelizanti, de facultatibus suis ministrant mulieres. Lucæ 8.

Et oblatus est ei dæmonium habens, cæ- 3.
cus & mutus, & curauit eum, ita vt loqueretur & videret. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est filius Dauid? Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic non eijcit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.

Dæmoniaco surdo & cæco curato, mirantur turbæ, blasphemant Pharisæi. Matth. 12.

Cùm autem turba plurima conueniret, 4.
& de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem. Exijt qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysteriũ regni Dei, ceteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola. Semen, est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram: qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & vo-

Parabola seminantis. Lucæ 8.

Explicatio parabolæ traditur discipulis.

& voluptatibus vitæ, euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientiâ.

5. *Legit Christus Isaiã in synagogâ.* Lucæ 4.

Et venit Iesus Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit secundùm consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi Liber Isaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat: Spiritus Dominus super me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in synagogâ oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? Nónne hic est faber, filius Ioseph fabri? Nónne mater eius dicitur Maria? Vnde ergo huic omnia ista? Iesus autem dixit eis: Amen dico vobis, quia non est propheta sine honore, nisi in patriâ suâ, & in domo suâ, & in cognatione suâ. Et repleti sunt omnes in synagogâ irâ, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illũ vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat. Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.

De seipso interpretatur locum. *Mirantur sapientia eius verba & gratiã.* Matth. 13. Mar. 6. Matth. 13. Lucæ 4. *Eijcitur ex synagogâ.* Matth. 13.

CAPVT XII.

Alia Christi miracula, anno eius trigesimo tertio.

1. *Iesus curat hominem, qui triginta & octo annis infirmus iacuit, ad Probaticam piscinam.*
2. *De quinque panibus pascit quinque millia hominum.*
3. *Super mare ambulat post orationem in monte.*
4. *Filiam Chananææ sanat.*
5. *Surdum & mutum sputo curat.*

1. *Piscina probatica.* Ioan. 5.

ERAT dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorũ, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam: & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate suâ. Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille; & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit à turbâ constitutâ in loco. Posteà inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset qui fecit eum sanum. Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato.

Ad motum Angeli primus intrãs sanabatur. *Languens 38. annos.* *Hominem non habet.* CHRISTI ANN. XXXIII. *Christus eum sanat.* *Tollit grabatum in sabbato.* *Calumnia Iudæorum de curationibus in sabbato factis.*

2. *Sequitur Christum turba, vt doceantur.* Ioan. 6.

Post hæc abijt Iesus trans mare Galilææ quod est Tiberiadis: & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subijt ergo in montem Iesus: & ibi sedebat cum discipulis suis. Cùm subleuasset ergo oculos, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem, Et cœpit illos docere multa: & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui curâ indigebant, sanabat. Et cùm iam hora multa fieret, dixit ad Philippũ: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autẽ dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dixit ei vnus ex discipulis eius, Andreas, frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaue-

Marc. 6. Lucæ 9. Mar. 6. Ioan. 6. *Quinque panibus & duobus piscibus pascit Christus quinque millia hominum.*

iunt

Et superèrant duodecim cophini fragmentorum. runt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducauerant. Illi ergo homines cùm vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.

3. *Dominus erat solus in monte.* Matth. 14. Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissâ turbâ, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi, nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. *Ambulat super mare.* Quartâ autem vigiliâ noctis venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicẽtes: Quia phantasma est. *Discipuli timent.* Et præ timore clamauerunt. Statimque Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciã: ego sum, nolite timere. Respondens autem *Petrus ambulans in mari deficit;* Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauiculâ, ambulabat super aquam vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac. Et continuò Iesus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? *Adorant Iesum discipuli.* Et cùm ascendissent in nauiculam, cessauit ventus. Qui autem in nauiculâ erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es. *Curantur morbidi; etiam tactu fimbriæ eius.* Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesar. Et cùm cognouissent eum viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes: & rogabant eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicumque tetigerunt, salui facti sunt.

4. *Mulier Chananæa intercedit pro filiâ dæmoniacâ.* Matth. 15. Mar. 7. Matth. 15. Et secessit Iesus in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, cuius filia habebat spiritum immundum, clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. *Discipuli etiam intercedunt.* Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me. Qui respondens ait. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. *Fidelis & humilis importunitas Chananææ obtinet sanitatem filiæ.* At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illâ horâ.

5. *Iesus mutũ & surdum sputo sanat.* Mar. 7. Et exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Et apprehendens eum de turbâ seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius: & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha, quod est Adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant: & eò amplius admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

CAPVT XIII.

Alia miracula. Transfiguratio. Obedientiæ doctrina & humilitatis.

1. Iesus de septem panibus satiat quatuor millia hominum:
2. Pharisæos signum quærentes reijcit, & ad signum Ionæ Prophetæ remittit.
3. Cæco visum in Bethsaidâ restituit.
4. Passionem suam prædicare & prædicere incipit.
5. Transfiguratur coram Petro, Iacobo, & Ioanne.
6. Eijcit dæmonium, quod discipuli eijcere non poterant.
7. Iterùm prædicit se passurum.
8. Statere in ore piscis inuento, soluit didrachma pro se & Petro.
9. Discipulos humilitatem docet.

IN diebus illis iterùm cùm turba multa esset, nec haberent quod manducarent, 1. *Quatuor millia hominum satiat Iesus septẽ panibus, & paucis pisciculis.* Mar. 8. conuocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in viâ: quidam enim ex eis de longè venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis vt apponerent, & apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos: & ipsos benedixit, & iussit apponi. Et manducauerunt, & saturati sunt, & sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas. *Superfuere septem sportæ fragmentorum.* Erant autem qui manducauerant, quasi quatuor millia, & dimisit eos.

2. *Signum quærunt Pharisæi.* Matth. 15. Mar. 8. Matth. 16. Et statim ascendens nauim cum discipulis suis, venit in fines Magedan & Dalmanutha. Et exierunt Pharisæi & Sadducæi, & accesserunt ad eum, & cœperunt conquirere cum eo. Et rogauerunt eum, vt signum de cælo ostenderet eis, tentantes eum. Et ingemiscens

Dat illis signũ Ionæ prophetæ. miscens spiritu, ait: Quid generatio ista mala & adultera signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum, nisi signum Ionæ Prophetæ.

3. *Restituit cæco visum apposito sputo oculis. Marc. 8.* Et dimittens eos, ascendit iterùm nauim, & abijt trans fretum, & venit Bethsaidam. Et adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret. Et apprehensâ manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogauit eum si quid videret. Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterùm imposuit manus super oculos eius: & cœpit videre. & restitutus est, ita vt clarè videret omnia. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam, & si in vicum introieris, nemini dixeris.

4. *Matth. 16. Passionem suam prædicit. Marc. 9.* Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & principibus sacerdotum, & tertiâ die resurgere. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

5. *Transfiguratio Christi in monte. Matth. 17. Lucæ 9. Matth. 17.* Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & ducit illos in montem excelsum seorsum, vt oraret. Et dum oraret, transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. *Colloquuntur cum eo Moyses & Elias. Lucæ 9.* Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnũ, Moysi *Matth. 17.* vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce *Vox Patris de nube.* vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.

6. *Dæmonium, quod discipuli non poterant, Iesus eycit. Mar. 9.* Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus videns Iesum, stupefactus est, & expauerunt, & accurrentes, salutabant eum. Et interrogauit eos: Quid inter vos conquiritis? Et respondens vnus de turbâ, dixit: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis vt eijcerent illum, & non potuerunt. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cùm vidisset eum, statim spiritus conturbauit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans. Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantiâ: & frequenter eum in ignem & in aquas misit, vt eum perderet. sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. *Omnia sunt possibilia credenti.* Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam. Et cùm vidisset Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute *Præcepto Christi eijcitur dæmonium.* spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo; & amplius ne introëas in eum. Et exclamans, & multùm discerpens eum, exijt ab eo, & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit. Et cùm introisset in domum, discipuli eius secretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eijcere eum? Dixit illis Iesus: Propter *Matth. 17. Fidei, ieiunij, & orationis efficacia contra dæmonia.* incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium.

7. *Mar. 9. Prædicit iterùm passionẽ suam.* Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam. Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertiâ die resurget. At illi ignorabant verbum, & timebant interrogare eum. Et contristati sunt vehementer. *Matth. 17.*

8. *Matth. 17. Statere in ore piscis inuento, tributũ soluit pro se & Petro.* Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait: Etiam. Et cùm intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alie- *Non quia debebat, sed ne scandalizarentur.* nis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem; illum sumens, da eis pro me & te.

9. *Mar. 9. Statuto paruulo in medio discipulorum, docet eos humilitatẽ. Matth. 18. Mar. 9.* Et interrogabat discipulos suos: Quid in viâ tractabatis? At illi tacebant: siquidem in viâ inter se disputauerant, quis eorum maior esset. Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum: quem cùm complexus

Matth. 18.

xus esset, ait illis: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum.

CAPVT XIV.

Mansuetudo Christi Domini in varijs occasionibus.

1. *Iesus veniens in Iudæam relictâ Galilæâ, à Samaritanis reiectus, increpat indignationem filiorum Zebedæi.*
2. *Curat decem leprosos.*
3. *Docet Ierosolymis in templo in festo scenopegiæ, turbis credentibus, indignantibus Pharisæis.*
4. *Sitientes ad se inuitat. Nicodemus pro eius innocentiâ respondet.*
5. *Iesus adulteram absoluit.*
6. *Post varias altercationes Iudæos se lapidare volentes deserit.*

1. *Matth. 19. Lucæ 9. Iesus relictâ Galilæâ venit in Iudæam. Non recipitur à Samaritanis.*

ET migrauit Iesus à Galilæâ, & faciem suam firmauit, vt iret in Ierusalem. Et misit nuntios ante conspectum suum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. Cùm vidissent autem discipuli eius, Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? *Increpat indignantes filios Zebedæi* Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.

2. *Lucæ 17. Decem leprosos mundat.*

Et cùm ingrederetur Iesus quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè, & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est, cum magnâ voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus. *Solus ex illis Samaritanus rediit gratias agens.* Respondens autem Iesus dixit: Nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.

3. *Ioan. 7. Festum scenopegia, siue tabernaculorum. Docet Christus in templo.*

Erat autem in proximo dies festus Iudæorum, Scenopegia. Et iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit? Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. *Turba credit, Pharisæi indignantur.* De turbâ autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit? Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt Principes & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui me misit.

4. *Iesus inuitat ad se omnes sitientes.*

In nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Ex illâ ergo turba cùm audissent hos sermones eius, dicebant: Hic est verè Propheta. *Dissensio in turbâ circa Christi dignitatem.* Alij dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid à Galilæa venit Christus? Nónne Scriptura dicit: Quia ex semine Dauid, & de Bethleem castello, vbi erat Dauid, venit Christus? Dissensio itaque facta est in turbâ propter eum. *Ministri non audent eum apprehendere.* Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus. Venerunt ergo ministri ad Pontifices & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illũ? Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Responderunt ergo eis Pharisæi: Numquid & vos seducti estis? Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt. *Nicodemus respondet pro innocentiâ Christi.* Dixit Nicodemus ad eos, qui vnus erat ex ipsis: Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæâ propheta non surgit. Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam.

5. *Ioan. 8. Iesus absoluit adulteram à Iudæis accusatam.*

Iesus autem perrexit in montem Oliueti: & diluculo iterùm venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio, & dicunt ei: Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. *Accusatoribus ostendit ipsorum secreta peccata.* Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terrâ. Cùm ergo perseuerarent interrogātes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Et iterùm se inclinans, scribebat in terrâ. Audientes autem vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. *Mira Christi mansuetudo.* Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, vbi sunt, qui

te

te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo: Vade, & iam ampliùs noli peccare.

6. Iterùm ergo locutus est eis Iesus, dicens: Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognouistis eum: ego autem noui eum. Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.

Sermo Christi seruatus, dat vitam æternam.

Iudæorum blasphemia in Christū.

Christus maior Abrahámo, & ante eum.

Lapidare se volentes defer...

CAPVT XV.

Alia miracula. Martha Christi hospita.

1. Iesus homini à natiuitate cæco visum restituit. Hoc miraculum variè exagitatur.
2. Rursum de manibus se lapidare volentium exit.
3. A Marthâ suscipitur, à Magdalenâ audiutur.
4. Sanat mulierem contractam.
5. Curat hydropicum.

1. Ioan. 9. ET præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit Iesus, Neque hic peccauit, neque parentes eius; sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari: quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoriâ Siloë (quod interpretatur Missus.) Abijt ergo, & lauit, & venit videns. Itaque vicini, & qui viderant eum priùs quia mendicus erat, dicebant. Nónne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est. Alij autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat: Quia ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutū fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloë, & laua. Et abij, laui, & video. Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait: Nescio. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterùm ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterùm: Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est. Posteà cùm inuenisset eum Iesus, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Respōdit ille, & dixit: Quis est, Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum. Et dixit ei Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, vt iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo. Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis, Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis, numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

Cæcus natus vt manifestarentur opera Dei.

Lutum fecit Iesus ex sputo, eoq; liniuit oculos cæci, iussitq; lauari in Siloë, & vidit.

Miratur vulgus.

Pharisæi calumniantur violatū sabbatum.

Schisma inter Iudæos de Christo.

Cæcus credit esse prophetam, & filium Dei.

Pharisæi suâ sponte excæcati.

Ioan. 10. Christus pastor bonus.

Alia dissensio Iudæorum de Christo.

Facta sunt autē Encænia in Ierosolymis, & hiems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis. opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Ego & Pater vnum 2.

Iudæi interrogāt Christum an sit Messias.

Respondet, ex operibus coniiciendū.

Iudæi conantur eum lapidare.

sumus. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo: propter quod eorũ opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemiâ: & quia tu, homo cùm sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Iesus: Nónne scriptum est in lege vestrâ, Ego dixi, dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura; quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre. Quærebant ergo eum apprehendere: & exiuit de manibus eorum.

Psal. 81.

Probat se esse Deum, & Filium Dei.

3. *Lucæ 10.* *Martha excipit Christum hospitio, Maria ipsum audit.* *Martha cōqueritur.* *Maria præfertur.*

Intrauit autem in quoddam castellum, & mulier quędam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et huic erat soror, nomine Maria: quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, vt me adiuuet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessariũ: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.

4. *Lucæ 13.* *Mulierem contractam sanat Christus.* *Iudæi iterũ calumniam obiiciunt de sabbato.*

Erat autem Iesus docens in synagogâ, sabbatis. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cùm videret Iesus, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tuâ. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Respondēs autem Archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati. Respondens autē ad illum Dominus, dixit: Hypocritæ, vnusquisque vestrûm sabbato non soluit bouem suum aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati? Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriosè fiebant ab eo.

5. *Lucæ 14.* *Hydropicū sanat in sabbato.*

Et factum est, cùm intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad Legisperitos & Pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit: Cuius vestrûm asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo; & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere: sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco: vt, cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

Probat id licitè fieri, ex ipsis Iudæorum factis.

Parabola de inuitatis, & locum altiorem ambientibus.

CAPVT XVI.

Parabolæ. Benedictio paruulorum.

1. Iesus proponit parabolas de oue & drachmâ perditis:
2. De filio prodigo.
3. Loquitur item de diuite epulone, & Lazaro mendico,
4. Et de Pharisæo atque Publicano.
5. Manus etiam paruulis imponens benedicit eis.

1. *Lucæ 15.* *Iesus concionatur peccatoribus per parabolas.* *Parabola de oue perditâ & in humeris pastoris reductâ.* *Parabola de drachmâ perditâ & repertâ.*

ERANT autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo qui habet centum oues: & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonagintanouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Cōgratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentiâ. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram? Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Ait autem:

Homo

2. *Parabola de Filio prodigo.* Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. Et post non multos dies, congregatis omnibus, adolescentior *Peregrè proficiscitur.* filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in re- *Dissipatis bonis pascit porcos.* gione illa, & ipse cœpit egere. Et abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In se autem reuersus, dixit: Quanti mer- *Proponit redire ad patrem,* cenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens venit ad pa- *A quo misericorditer suscipitur.* trem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit au- *Vestitu & conuiuio solemni exhilaratur.* tem pater ad seruos suos: Citò, proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manû eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.

3. *Lucæ 16. Historia diuitis epulonis, & Lazari mendici.* Et ait Iesus: Homo quidam erat diues, qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensâ diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab *Mendicus in sinu Abrahæ, diues in inferno.* Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in *Nullum refrigerium in inferno.* hac flammâ. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. & in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Dixit autem & ad quosdam, qui in se con- 4. *Luc 18. Parabola Pharisæi arrogantis, & humilis Publicani.* fidebant tamquam iusti, & aspernabantur ceteros, parabolam istam, dicens: Duo homines ascenderunt in templum vt orarent: vnus Pharisæus, & alter publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, gratias *Oratio superbi.* ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominũ, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Et publicanus à *Oratio humiliati.* longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico *Iudicium Christi.* vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.

Et offerebant illi paruulos, vt tangeret il- 5. *Marc. 10. Paruulis benedicit manus imponens; eorum innocentiam in exemplum proponit.* los. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cùm videret Iesus, indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnũ Dei. Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.

CAPVT XVII.

Lazarus rediuiuus.

1. *Iesus Lazarum resuscitat à mortuis.*
2. *Pharisæi in concilio ad eius mortem conspirant.*
3. *Secedit in ciuitatem Ephrem.*

1. *Ioan. 10.* ET abijt Iesus trans Iordanem, in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans pri- *Ioan. 11. Lazarus frater Marthæ & Mariæ infirmatur.* mùm, & mansit ibi. Erat autem quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de castello Mariæ, & Marthæ sororis eius. (Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur.) Miserunt ergo so- *Sorores id significant Domino.* rores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Iesus, dixit eis. Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloriâ Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus, deinde post hæc dixit discipulis suis:

Iudæi non poterant occidere Dominum, nisi id ipse permitteret.

CHRISTI ANN. XXXIV.

Lazari mortem absens videt Christus.

Eamus in Iudæam iterùm. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterùm vadis illuc? Respondit Iesus: Nónne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Hæc ait: & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado vt à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum eo. Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadijs quindecim.) Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Et cùm hæc dixisset, abijt, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum: nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo, qui erant cum eâ in domo, & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam quia citò surrexit & exijt, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. Maria ergo, cùm venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum eâ, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. Et lacrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur? Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim. Dicit ei Iesus: Nónne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem: Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me, ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi: vt credant quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, voce magnâ clamauit: Lazare veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus.

Venit Iesus Bethaniam ad sorores.

Iesu colloquium cum Marthâ de resurrectione.

Martha credit Iesum esse Messiam filium Dei.

Accersit sororem Mariam.

Collacrymatur Iesus.

Iesus solâ voce suscitat Lazarũ à mortuis.

Multi credunt in eum.

2\. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Vnus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit quòd Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum.

Pharisæi in concilio decernunt mortem Christi.

Caiphas prophetizat vnum pro populo mori debere.

3\. Iesus ergo abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Proximum autem erat Pascha Iudæorum: & ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante Pascha, vt sanctificarent seipsos. Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur ad inuicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.

Secedit Iesus.

Quæritur à Iudæis in Paschate:

Et à Pontificibus vt comprehenderetur.

CAPVT XVIII.

Benignitas Christi erga peccatores.

1. *Iesus rursus mortem suam discipulis prædicit.*
2. *Sanat cæcum antequam ingrediatur Iericho.*
3. *A Zachæo Publicano suscipitur.*

4\. Egres-

4. Egressus è Iericho, duobus cæcis visum restituit.

5. Sumit cœnam in Bethaniâ, vbi Maria eum alabastro vnguenti effuso vngit.

1. *Rursus prædicit discipulis mortem suam.* Matth. 20.

ET ascendens Iesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertiâ die resurget.

2. *Dum appropinquat Iericho, cæcum sanat.* Luc. 18.

Factum est autem, cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quòd Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cùm appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

3. *Zachæus Christum è sycomoro prospicit.* Luc. 19.

Et ingressus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps publicanorum, & ipse diues: & quærebat videre Iesum, quis esset: & non poterat præ turbâ, quia staturâ pusillus erat. Et præcurrens, ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus, vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tuâ oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eò quòd & ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.

Inde vocat eum Christus. — *Zachæi restitutio quadrupla.* — *Saluum declarat Dominus.*

4. *Duos cæcos illuminat è Iericho digressus.* Matth. 20.

Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa: & ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret: & clamauerunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili Dauid. Turba autem increpabat eos vt tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili Dauid. Et stetit Iesus, & vocauit eos, & ait: Quid vultis vt faciam vobis? Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.

5. *Cœna in domo Simonis leprosi.* Ioan. 12.

Iesus ergo ante sex dies paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat: Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo. Cùm autem esset in Bethaniâ in domo Simonis leprosi, & recumberet; Maria accessit ad eum habens alabastrum vnguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes eius, & extersit capillis suis, & fracto alabastro effudit super caput ipsius recumbentis, & domus impleta est ex odore vnguenti. Dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non vænijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non, quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Sciens autem Iesus, dixit: Sine illam: bonum opus operata est in me: pauperes enim semper habetis vobiscum, & cùm volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum, præuenit vngere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, dicetur & quòd hæc fecit, in memoriam eius. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia Iesus illic est: & venerunt, non propter Iesum tantùm, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis. Cogitauerunt autem principes sacerdotum, vt & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.

Matth. 26. *Maria Magdalena vngit Dominum nardo.* Marc. 14. Ioan. 12. — *Iudas Iscariotes indignatur.* — *Iesus Mariæ factum defendit.* — *Iudæorum contra Christum & Lazarum conspiratio.*

CAPVT XIX.

Triumphalis ingressus ad passionem in Ierusalem.

1. Iesus insidens asino venit Ierosolymam.
2. Flet super ciuitatem, eiusque ruinam prædicit.
3. Vendentes & ementes eijcit è templo.
4. Gentiles ipsum adeunt per Philippum. Vox de cælo eum clarificat.

1. *Venit Iesus Ierosolymâ asello insidens.* Ioan. 12. Matth. 21.

IN crastinum autem, cùm appropinquasset Iesus Ierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum eâ, super quem nemo adhuc hominum sedit, soluite, & adducite

Adimpletur de hoc prophetia.

cite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filię Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Eunte autem illo, plurima turba quæ venerat ad diem festum, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiàm ei, & strauerunt vestimenta sua in viâ: alij autem cædebant frondes & ramos de arboribus, & sternebant in viâ. Et cùm appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ descendentium, quæ præcedebant & quæ sequebantur, gaudentes laudare Deum voce magnâ, super omnibus quas viderant virtutibus, & clamabant dicentes: Osanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël. Benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid. Pax in cælo, gloria in excelsis, osanna in altissimis. Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Sternit ei turba vestes & ramos palmarum. Luc. 19. Ioan. 12. Math. 21. Marc. 11.

Osanna in excelsis.

Luc. 19.

2\. *Iesus flens super ciuitatem, eius ruinam deplorat.*

Et vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.

3\. *Populus Christum confitetur, Pharisæis murmurantibus.* Math. 21. Ioan. 12.

Et cùm intrasset Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus propheta à Nazareth Galilææ. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea & obuiàm venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abijt. Et intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & dicit eis, Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo: & sanauit eos. Videntes autem principes sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid; indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique. numquam legistis, Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?

Iesus eijcit negotiatores è téplo. Math. 21.

Respondet Pharisæis indignantibus.

4\. *Gentiles rogant Philippum, vt eos ad Iesum adducat.* Ioan. 12.

Erant autem quidam gentiles, ex his qui ascenderant vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaidâ Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, vt clarificetur Filius hominis. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac horâ. Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo; Et clarificaui, & iterùm clarificabo. Turba ergo, quæ stabat & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei locutus est. Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans quâ morte esset moriturus.

Vox de cælo Iesum clarificans.

CAPVT XX.

De consummatione sæculi.

1. *Iesus maledicit ficulneæ:*
2. *Quæ proinde aruisse inuenta est.*
3. *Docet in templo, ostenditque quod sit maximum mandatum, & quod simile maximo.*
4. *Prædicit euersionem templi. Loquitur de consummatione sæculi:*
5. *De iudicio finali & generali.*

1\. *Maledictio ficulneæ sterilis.* Marc. 11. Math. 21.

Et cùm iam vespera esset hora, abijt foras extra ciuitatem in Bethaniam cum duodecim, ibique mansit. Manè autem reuertens in ciuitatem, esurijt. Cumque vidisset fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, si quid fortè inueniret in eâ. Et nihil inuenit, nisi folia tantùm: non enim erat tempus ficorum. Et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea. Et veniunt Ierosolymam. Et erat docens in templo. Principes autem sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere, & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

Luc. 19. Iudæi insidiantur Christo.

Et

2. Et cùm veſpera facta eſſet, egrediebatur de ciuitate. Et cùm manè tranſirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus, & mirati ſunt diſcipuli. Et recordatus Petrus, dixit Ieſu: Rabbi, ecce ficus, cui maledixiſti, aruit. Reſpondens autẽ Ieſus ait eis: Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia ſi habueritis fidem, & non hæſitaueritis, omnia quæcumque petieritis in oratione, euenient vobis. Et veniunt rurſus Ieroſolymam.

Ficus aruit ex maledictione Domini. Marc. 11. Matth. 21. *Fidei efficacia.*

3. Et docente illo populum in templo, & euangelizante, Phariſæi conuenerunt in vnum: & interrogauit eum vnus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? Ait illi Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.

Mandatũ maximum, Dei dilectio: ſecundum, dilectio proximi. Luc. 10. Matth. 22.

4. Et egreſſus Ieſus de templo, ibat. Et acceſſerunt diſcipuli eius, vt oſtenderent ei ædificationes templi. Ipſe autem reſpondens, dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Sedente autem eo ſuper Montem oliueti, acceſſerũt ad eum diſcipuli ſecretò, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi? Reſpondens Ieſus, dixit eis: Videte ne quis vos ſeducat: multi enim venient in nomine meo, dicẽtes: Ego ſum Chriſtus: & multos ſeducent. Et quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò, neque fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fuiſſet ſalua omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere: ſurgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum: & tunc parebit ſignum Filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multâ, & maieſtate.

Ieſus prædicit templi deſtructionem. Matth. 24. *Signa conſummationis.* *Pſeudoprophetæ.* *Frigus charitatis.* *Vniuerſalis prædicatio Euangelij.* *Tribulatio omnium maxima.* *Præmonitio contra falſos doctores.* *Signum ſecundi aduentus.*

5. Cùm autem venerit Filius hominis in maieſtâte ſuâ, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis: & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te? ſitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et reſpondens Rex, dicet illis: Amen dico vobis; quamdiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & his qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi? Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.

Iudicium generale. Matth. 25. *Sententia pro electis, ex operibus miſericordiæ.* *Sententia contra reprobos, ex neglectu operum miſericordiæ.*

CAPVT XXI.

Paſcha & cœna vltima Euchariſtica.

1. *Paciſcitur Iudas cum Iudæis.*
2. *Paratur agnus Paſchalis.*
3. *Comeditur cum Apoſtolis.*
4. *Lauat Ieſus pedes diſcipulorum.*
5. *Inſtituit ſacram Euchariſtiam.*
6. *Prædicit ſui traditionem per Iudam,*
7. *Et abnegationem ſui futuram per Petrum.*

APPROPINQVABAT autem dies feſtus azymorum qui dicitur Paſcha: & dixit 1.
Ieſus diſcipulis ſuis: Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi in atrium

Vendit Dominum Iudas Iſcariotes. Luc. 22. Matth. 26.

principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. Timebant verò plebem, & dicebant: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum, vt proderet eum illis. Et ait ad illos: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi audientes gauisi sunt, & constituerunt ei triginta argenteos. Et spopondit. Et exinde quærebat opportunitatem, quomodo traderet illum sine turbis.

Marc. 14. Matth. 26. Lucæ 21.

2. Matth. 26. Mar. 14. *Paschalis cœna paratur.*

Venit autem dies azymorum, in quâ necesse erat occidi pascha. Et accesserunt discipuli ad Iesum, & dixerunt ei: Quò vis eamus, & paremus tibi comedere pascha? At Iesus misit Petrum & Ioannem, & dixit ad eos: Ite in ciuitatem ad quemdam. Ecce enim introëuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo lagenam aquę baiulans: sequimini eum in domum in quam intrat, & dicite patrifamilias domus: Dicit tibi magister, Tempus meum propè est: vbi est diuersorium vbi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis, & fecerunt sicut constituit eis, & parauerunt pascha.

Lucæ 22. Matth. 26. Lucæ 22.

3. Mar. 14. Lucæ 22. *Manducat Iesus Pascha cum duodecim Apostolis.*

Vespere autem facto, venit Iesus cum duodecim. Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

4. Ioan. 13. *Apostolis pedes lauat Iesus.*

Sciens igitur Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit; surgit à cœnâ, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò; scies autem posteà. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei

Petrus stupefactus recusat lauari.

Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: proptereà dixit: Non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cùm recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis; sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis: Non est seruus maior domino suo: neque Apostolus maior eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.

Exemplum humilitatis & dilectionis.

5. Matth. 26. Mar. 14. Lucæ 22. *Venerabilis Eucharistiæ institutio.*

Cœnantibus autem illis, accepit Iesus panem, & gratias egit, & benedicens fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem accipiens postquam cœnauit, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

6. Ioan. 13. Lucæ 22. Matth. 26. *Præscit & prædicit Iesus proditionē Iudæ.* *Discipuli inde anxiantur.*

Et protestatus est Iesus, & dixit: Ecce manus tradentis me, mecum est in mensâ. Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Et contristati valde, cœperūt singuli dicere: Numquid ego sum Domine? At ipse respondens ait: Vnus ex duodecim qui intingit mecum manum in paropside, me tradet. Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo: verumtamen væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. Et cœperunt discipuli quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est de quo dicit? Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam, introiuit in eum satanas. Et dixit ei Iesus: Quod facis, fac citiùs. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei.

Lucæ 22. Ioan. 13. *Christus indicat Ioāni proditorem.* *Satan introit in Iudam.*

Qui-

Quidam enim putabant, (quia loculos habebat Iudas) quòd dixisset ei Iesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret. Cùm ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox. Cùm ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Vos autem estis, qui permansistis mecú in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum: vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.

Luc. 22. *Regnum cælorum promittitur.*

7. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quò ego vado, vos non potestis venire. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Respondit Iesus: Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequêris autem posteà. Ait autem: Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò? Tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire: animã meam pro te ponam. Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges. Respondens Petrus ait illi: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter omnes discipuli dixerunt. Et ait illis Iesus: Dico vobis, quòd adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus est.

Ioan. 13. *Mandatum nouum dilectionis dat Apostolis.* *Luc. 22.* *Prædicit Iesus Petro trinam negationem.* *Ioan. 13.* *Luc. 22.* *Ioan. 13.* *Matth. 26.* *Luc. 22.*

CAPVT XXII.

Sermo post cœnam.

1. *Iesus post cœnam dulcissimis verbis Apostolos suos consolatur, dilectionem proximorum commendans.*

2. *Mandatum nouum dilectionis.*

3. *Ardenti oratione discipulos suos Patri commendat.*

1. Non turbetur cor vestrum, vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterùm venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Ego ad Patrem vado: & quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cognoscetis: quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum: vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite, eamus hinc.

Ioan. 14. *Consolatur Iesus Apostolos suos.* *Spiritum sanctum pollicetur.* *Dilectio mandatorũ obseruantiam operatur.* *Paracletus omnis veritatis Doctor.* *Dilectio Christi perficitur ex absentiâ corporali ipsius.*

2. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione meâ. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione meâ, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi

Ioan. 15. *Mandatum dilectionis inculcatur.* *Manendum in Christo.* *Qui diligit, seruat mãdata.* *Fideles non sunt de hoc mundo.*

elegi vos de mundo, propterea odit vos mũdus. Mementote sermonis mei, quem dixi vobis: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Modicum, & iam non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Nunc quidem tristitiam habetis: iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero præcedam vos in Galilæam. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

Ioan. 16. Prædicit Iesus discipulis futurã tristitiam; & postea lætitiam æternam. Matth. 26. Ioan. 16.

3. Hæc locutus est Iesus; & subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Ego pro eis rogo. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, vt sint vnum, sicut & nos. Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Notũ feci eis nomen tuum, & notum faciam: vt dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Ioan. 17. Dulcissima Christi oratio pro discipulis, & omnibus fidelibus. Volo fidelium cum Christo & inter se.

CAPVT XXIII.

Agonia in horto.

1. Iesus cum discipulis venit in hortum vbi comprehendendus erat: orat Patrem sudatq́; sanguinem.
2. Iudas dux cohortis osculo tradit Christum.
3. Christus se capi permittit: sed priùs solo verbo deijcit aduersarios.
4. Petrus amputat auriculam Malchi, increpatur à Christo: Apostoli eo relicto fugiunt.

1. Mat. 26. Luc. 22. Ioan. 18. Venit Iesus in hortum Gethsemani.

1. IGITVR hymno dicto, egressus Iesus cum discipulis suis, ibat secundùm consuetudinem in montem Oliuarum. Et venit cum illis trans torrentẽ Cedron, in villam quæ dicitur Gethsemani, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse, & discipuli eius. Et dixit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & cœpit pauere, & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hîc, & vigilate mecũ. Et auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis, & positis genibus procidit super terram in faciem suam, orans, vt si fieri posset, transiret ab eo hora, & dixit: Abba, pater, omnia tibi possibilia sunt: si vis, transfer calicem hunc a me: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et cùm surrexisset ab oratione, venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes præ tristitiâ, & ait illis: Quid dormitis? Et dicit Petro: Simon dormis? non potuisti vnâ horâ vigilare mecum? Surgite, vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et iterùm secundò abijt, & orauit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et reuersus, venit, & iterùm inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati, & ignorabant quid responderent ei. Et relictis illis, iterùm abijt, & orauit tertiò, eumdem sermonem dicens. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum: & factus in agoniâ, prolixiùs orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Tunc venit tertiò ad discipulos suos, & ait illis: Dormite iam & requiescite. sufficit, ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce qui me tradet, propè est.

Math. 26. Tristitia Christi, & trina oratio. Sopor discipulorum. Math. 26. Angelus Christo agonizanti apparet. Sudor sanguineus.

Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros (adhuc Iesu loquente) venit illuc, & cum eo turba multa cum laternis, & gladijs, & fustibus, & armis. Dederat autem signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè: & antecedebat eos. Et statim accedens ad Iesum, dixit: Aue Rabbi: & osculatus est eum. Iesus autem dixit illi: Amice, ad quid venisti? Iuda, osculo filium hominis tradis? 2.

2. Ioan. 18. Iuda osculum proditorium. Matth. 26. Luc. 22. Mar. 14.

Sciens itaque Iesus omnia quæ ventura erant super se, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas qui tradebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterùm ergo in- 3.

3. Ioan. 18. Iesus solo verbo prosternit aduersarios.

interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire: vt impleretur sermo quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Tunc accesserunt illi, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.

Permitit se capi. *Matth. 26.*

4. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? Simon ergo Petrus, extendens manum exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit illi auriculam dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. Respondens autem Iesus, ait: Sinite vsque huc. Et cùm tetigisset auriculam eius, sanauit eum. Et dixit Petro: Conuerte gladium tuum in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? Et ait turbis, & ad eos qui venerant ad se, Principes Sacerdotum, & magistratus templi, & seniores: Tamquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me. Quotidie eram apud vos, & sedebam in templo docens, & non me tenuistis: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli eius omnes, relicto eo, fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone, super nudo, & tenuerunt eum. At ille, reiectâ sindone, nudus profugit ab eis.

Luc. 22. Petrus auriculã Malchi gladio abscindit. Matth. 26. Ioan. 18. *Increpatur Petrus: & sanatur Malchus. Matth. 26.* *Luc. 22. Iesus dulciter exprobrat aduersarijs.* *Fugiunt discipuli: & adolescens sindone abiectâ. Marc. 14.*

CAPVT XXIV.

Iesus examini impiorum traditus.

1. Iesus ad Annam ducitur: alapam à seruo Pontificis accipit. Petrus ter negat.

2. Iesus condemnatur & illuditur in domo Caiphæ.

3. In concilio Iudæorum denuò exagitatur, & inde ad Pilatum rapitur.

4. Iudas seipsum suspendit. Ager figuli, siue Haceldama.

5. Iesus adductus ad Pilatum in Prætorium, coram eo accusatus tacet, & innocens declaratur.

6. Mittitur ad Herodem, & inde remittitur ad Pilatum.

1. COHORS autem, & tribunus, & ministri Iudæorum ligauerunt Iesum, & adduxerunt eum ad Annam primùm: erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius; Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis, Quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autẽ cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrinâ eius. Respondit ei Iesus: Ego palàm locutus sum mundo; ego semper docui in synagogâ, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt; & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam: Nónne ego te vidi in horto cum illo? Iterùm ergo negauit Petrus: & statim gallus cantauit. Et conuersus Dominus, respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amarè.

Vexatio Christi in domo Annæ. Caiphæ consilium. *Petrus & alius discipulus sequuntur Christum. Petri prima negatio.* *Examinatur Iesus à Pontifice.* *Alapa.* *Mittitur ad Caiphã.* *Altera & tertia Petri negatio.* *Gallus cantat. Luc. 22.* *Pœnitentiam agit Petrus.*

2. Et adduxerunt Iesum ad Caipham summum sacerdotem, vbi Scribæ & seniores conuenerant. Quærebant autem falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt, cùm multi falsi testes accessissent. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, dicentes: Quoniam nos audiuimus eum dicentem: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Et non erat conueniens testimonium illorum. Et exurgens Princeps Sacerdotum in medium, interrogauit Iesum, dicens: Nihil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat, & nihil respondit. Et rursum Princeps Sacerdotum interrogabat eum, & dixit ei: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Iesus autem dixit illi: Tu dixisti, ego sum. Verum-

Matth. 26. Vexatio in domo Caiphæ. *Falsi testes. Marc. 14. Matth. 26.* *Adiurat Pontifex Iesum: qui fatetur se esse Christum.*

& venturũ mundi iudicem.

rumtamen dico vobis: Amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tunc Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi omnes condemnauerunt eum, & respondentes dixerunt: Reus est mortis. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. Et cœperunt conspuere in eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum.

Luc.22. Marc.14. Matth.26.

Conspuitur, & colaphis cæditur, & velatur.

3\. *Luc.22. Iteratum examen in concilio Iudæorum.*

Et vt factus est dies, confestim conuenerunt, & consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & seniores populi, & Scribæ, aduersum Iesum, vt eum morti traderent, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius. Et surgens omnis multitudo eorum, vinctum adduxerunt Iesum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.

Clara Christi professio.

Iterùm à Iudæis damnatur. Matth.27.

4\. *Inutilis pœnitentia Iudæ.*

Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens, laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernũ diem. Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

Suspendit se.

Emitur pretio Christi venditi ager figuli.

5\. *Ioan.18. Iesus ad prætorium adductus Pilato sistitur.*

Adducunt ergo Iesum à Caiphâ in prætorium. Erat autem manè: & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam. Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans quâ morte esset moriturus. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse. Introiuit ergo iterùm in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum. Iesus autem stetit ante Præsidem: & interrogauit eum Præses, & dixit illi: Tu es Rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Numquid ego Iudæus sum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Nihil inuenio causæ in hoc homine. Accusabant autem eum summi Sacerdotes in multis: & cùm accusaretur, nihil respondit. Tunc Pilatus rursum interrogauit eum dicens: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? non respondes quidquam? Iesus autem amplius non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer. At illi inualescebant dicentes: Commouet populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæâ vsque huc.

Luc.23. Accusatur seditionis.

Pilatus Christum examinat. Ioan.18. Matth.27. Ioan.18.

Qui se Regem fatetur, sed non de hoc mundo.

Christus veritatis testis.

Pilatus Christum innocentem pronuntiat. Luc.23. Marc.15.

Christus tacet.

Luc.23.

Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu, gauisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autẽ Principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autẽ illũ Herodes cum exercitu suo, & illusit indutũ veste albâ, & remisit ad Pilatũ. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsâ die: nam antea inimici erãt ad inuicẽ. 6.

Mittitur Iesus ad Herodem.

Remittitur ab Herode ad Pilatũ.

CA-

CAPVT XXV.

Iesus à Pilato damnatur.

1. *Iesus ad mortem postulatur, frustrà renitente Pilato, & ipsius vxore.*
2. *Flagellatur, & spinis coronatur.*
3. *Ecce homo. Clamores Iudaeorum contra Iesum.*
4. *Morti adiudicatus, voluntati Iudaeorum traditur, vt cruci affigatur.*

1. Luc. 23. *Postulant Iudaei Christum ad mortem.* PILATVS autem conuocatis Principibus Sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis, sed neque Herodes. Nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. *Pilatus testis est innocentiae Christi.* Matth. 27. Marc. 15. *Cupit eum dimittere.* Per diem autem solemnem consueuerat Praeses populo dimittere vnum ex vinctis, quemcumque petissent: habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas, qui in seditione fecerat homicidium. Et cùm ascendisset turba, coepit rogare, sicut semper faciebat illis, & dixit: Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. *Vxor Pilati sollicita de Christo.* Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem Sacerdotum, & seniores persuaserunt populis, vt magis peterent Barabbam, Iesum verò perderent. Respondens autem Praeses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi simul omnes clamauerunt: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. *Iudaei Barabbam praeponunt Christo.* Iterùm autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum: Quid igitur vultis faciam de Iesu, qui dicitur Christus? At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. *Christum postulant ad crucem.* Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo. corripiam ergo illum, & dimittam. At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur.

2. Ioan. 19. Matth. 27. Marc. 15. *Christus flagellatur.* Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites Praesidis, suscipientes Iesum, duxerunt in atrium praetorij, & congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & *Coronatur spinis.* arundinem in dexterâ eius. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudaeorum. Et acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius, & conspuebant eum, & dabant ei alapas.

3. Ioan. 19. *Ecce homo.* Exiuit iterùm Pilatus foràs, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. (Exiuit ergo Iesus, portans coronam spineam, & purpureum vestimentum.) & dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. *Postulatur iterùm ad crucem.* Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite; ego enim non inuenio in eo causam. Respondèrunt ei Iudaei: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est praetorium iterùm, & dixit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. *Non respondet Pilato.* Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum. Iudaei autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris: omnis enim qui se Regem facit, contradicit Caesari. *Iudaei terrent Pilatum rationibus politicis.*

4. Ioan. 19. *Iterùm postulatur Christus ad crucem.* Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adducit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem parasceue Paschae, hora quasi sexta, & dicit Iudaeis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Luc. 23. Et instabant vocibus magnis, postulantes vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Ioan. 19. Respondèrunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Caesarem. *Iudaei negant Christum Regem suum.* Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, acceptâ aquâ lauit manus coram populo, dicens: Matth. 27. *Pilatus manus abluit.* Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Marc. 15. *Tradit tamen Christum voluntati Iudaeorum.* Tunc Pilatus volens populo satisfacere, adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit ergo illis Barabbam, qui propter homicidium & seditionem missus erat in carcerem: Iesum verò tradidit voluntati eorum, vt crucifigeretur.

CAPVT XXVI.

Iesu Christi crucifixio in Caluariæ monte. Septem vltima verba. Mors. Sepultura.

1. Iesus crucem baiulans ad Caluariam ducitur, & crucifigitur cum duobus latronibus. Orat pro crucifixoribus.

2. Titulus Crucis à Pilato conscriptus.

3. Milites diuidunt vestimenta Christi: alij crucifixum blasphemant.

4. Iesus latroni paradisum promittit.

5. Compassio Filij & Matris.

6. Emittit spiritum cum clamore valido. Sol obscuratur.

7. Signa in morte Christi: confessio Centurionis, & compassio turbæ.

8. Lanceâ vulneratur & aperitur latus Christi: fluit aqua & sanguis.

9. Sepelitur à Ioseph ab Arimatheâ, & aromatibus conditur.

10. Custodia militum sepulchro apponitur.

1. Ioan. 19. Matth. 27. *Iesus crucē suam baiulat ad Caluariæ locū.*

SVSCEPERVNT autem Iesum, & exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & eduxerunt eum, vt crucifigerent. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè Golgotha. Et cùm ducerent eum, inuenerunt & apprehenderunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, venientem de villâ, patrem Alexandri & Rufi: hunc angariauerunt, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit, Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur, & venerunt in locum Caluariæ. Et dederunt ei vinum myrrhatum bibere, cum felle mistum: & cum gustasset, noluit bibere. Et ibi crucifixerunt eum, & cum eo duos latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris eius, medium autem Iesum. Et impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

Luc. 23. *Simon Cyrenæus baiulat eam post eum.* Marc. 15. Luc. 23. *Consolatur Iesus mulieres plorantes.*

Ioan. 19. *Vinum myrrhatum felle mixtum bibit.*

Crucifigitur inter latrones. Orat pro inimicis. VERBVM I.

2. Ioan. 19. *Titulus crucis.*

Scripsit autem & titulum causæ eius Pilatus, & posuit super crucem supra caput eius. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere Rex Iudæorum; sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.

3. *Milites vestes Christi diuidunt, tunicam inconsutilē sorte partiuntur.*

Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illâ cuius sit. Vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt, & sedentes seruabant eum. Et stabat populus spectans. Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus illud reædificas: saluum fac temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes, ad alterutrum cum Scribis & senioribus dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Christus Rex Israel est, descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult. Dixit enim: Quia filius Dei sum. Illudebant autem ei & milites accedentes, & dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac.

Lucæ 23. Matth. 27. *Blasphemāt Christum prætereūtes, & Principes Sacerdotū.* Marc. 15. Matth. 27.

Lucæ 23. *Milites etiam.*

4. Lucæ 23. *Latrones in initio blasphemant:*

Vnus etiam de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit: Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

Vnus tamē pòst in ipsum credit. VERBVM II.

5. Ioan. 19. *Compassio matris & filij.*

Stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Iesus matrem, & discipulū stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam discipulus in sua.

VERBVM III.

6. Matth. 27. Lucæ 23. *Prodigium solis obscurati in morte Christi.* VERBVM IV. *Tenebræ. Eclipsis solis.* Mar. 15. *Clamor Domini in cruce.*

A sextâ autem horâ tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam: & obscuratus est sol. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magnâ, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? quod est interpretatum, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat iste. Posteà sciens Iesus quia omnia iam consummata sunt, vt consummaretur

Scri-

VERBVM V. Ioan. 19. Sitis: acetū.
Scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Et continuò currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, &
Matth. 27.
imposuit arundini, & dabat ei bibere. Ceteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat
VERBVM VI. Lucæ 23.
Elias liberans eum. Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et
VERBVM VII. Clamans moritur.
clamans voce magnâ, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, inclinato capite, emisit spiritum.

7.
Matth. 27. Alia prodigia. Velum templi scinditur. Resurgunt multi.
Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparue-
Mar. 15. Confessio Centurionis.
runt multis. Videns autem Centurio qui ex aduerso stabat quod factum fuerat, quia sic clamans expirasset, glorificauit Deum di-
Matth. 27.
cens: Verè hic homo iustus erat, verè Filius Dei erat. Et qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Vere Filius Dei
Compunctio & compassio turbæ. Lucæ 23.
erat iste. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres multæ quæ secutæ erant
Insuper familiarium, & mulierū deuotarum. Mar. 15.
Iesum à Galilæâ ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome, quæ simul cum eo ascenderant Ierosolymam.

8.
Ioan. 19. Franguntur latronum crura, non autē Christi.
Iudæi ergo, quoniam parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem
Aperitur latus lanceâ, exit sanguis & aqua.
cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit, vt & vos credatis: facta sunt enim hæc vt Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterùm alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

9.
Mar. 15. Matth. 27. Lucæ 23. Ioan. 19. Ioseph ab Arimathæâ petit corpus Iesu ad sepeliendum.
Posteà autem cùm iam serò esset factum (quia erat parasceue, quod est ante sabbatum) ecce venit homo quidam diues ab Arimatheâ ciuitate Iudææ, nomine Ioseph, nobilis decurio, vir bonus & iustus, qui & ipse discipulus erat Iesu, & non consenserat consilio & actibus eorum, & expectabat regnum Dei. Hic audacter introiuit ad Pilatum, & petijt vt tolleret corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur si iam obijsset. Et accersito Centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset: & cùm cognouisset, donauit corpus Ioseph, & iussit reddi. Ioseph autem
Condit ipsum aromatibus iuuãte Nicodemo.
mercatus sindonem, venit, & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & inuoluerunt in sindone mundâ, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est
Sepelierunt in monumento nouo.
Iudæis sepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorum, quia iuxtà erat monumentum, posuerunt Iesum. Et aduoluerunt saxum magnum ad ostium monumenti, & abie-
Mulieres locum notant.
runt. Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum. Subsecutæ autem & aliæ mulieres viderunt monumentum, & quemadmodū positum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & vnguenta.

Alterâ autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt Principes sacerdotum 10.
Matth. 27. Iudæi postulant vt sepulchrum à militibus custodiatur.
& Pharisæi ad Pilatū, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore. Ait
Custoditur. Lucæ 23.
eis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum: signantes lapidem cum custodibus. Et mulieres sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum.

CAPVT XXVII.

Resurrectio gloriosa. Christus apparet mulieribus.

1. Sanctæ mulieres in die Dominicæ resurrectionis manè veniunt ad monumentum, & Angelos vident.
2. Petrus & Ioannes currunt ad sepulchrum, & intrant.
3. Magdalenæ ad sepulchrum perseueranti apparet Christus, & ab eâ agnoscitur.
4. Item ei & alijs mulieribus sese videndum offert.
5. Etiam ipsi custodes annuntiant resurrectionem.

PRIMA autem sabbati valdè diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ 1.
Lucæ 24. Mar. 16. Matth. 28. Marc. 16. Mulieres deuotæ veniunt ad sepulchrū.
parauerant aromata, vt vngerent Iesum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Angelus enim Domini descēdit de cælo, & accedens reuol-

revoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hîc, surrexit enim sicut dixit. Venite, & videte locum vbi positus erat Dominus. Et citò euntes, dicite discipulis eius & Petro, quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Et illæ ingressæ, non inuenerunt corpus Domini Iesu. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hîc, sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis cùm adhuc in Galilæâ esset, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus peccatorum, & crucifigi, & die tertiâ resurgere. Et recordatæ sunt verborum eius, & exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis eius. Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis.

Matth. 28. Angelus revoluit lapidem. Mulieribus resurrectionem Christi nunciat. Mar. 16. Matth. 28. Lucæ 24. Duo alij Angeli. Matth. 28. Lucæ 24. Mulieres sanctæ annunciant discipulis.

2. Petrus autem surgens, & alius discipulus quem amabat Iesus, venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumentum, & vidit & credidit: nondum enim sciebant Scripturam, quia oporteret eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo iterùm discipuli ad semetipsos.

Ioan. 20. Petrus & Ioannes properant ad sepulchrum. Intrat Petrus. Intrat Ioannes. Credunt resurrexisse.

3. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis, sedentes vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur Magister. Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Adscendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.

Magdalena foris ad sepulchrum stans & perseuerans. Apparet ei Dominus. Colloquium cū Domino. Agnoscit Dominum Iesum ex voce.

4. Venit Maria Magdalene cum alijs mulieribus: & ecce Iesus occurrit illis dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Surgens ergo Iesus manè primâ sabbati, apparuit primò Magdalenæ: quæ vadens nuntiauit discipulis lugentibus & flentibus: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

Matth. 28. Iterùm apparet Magdalenæ & alijs mulieribus. Mar. 16. Ioan. 20.

5. Ecce autem quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniâ copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit à Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi acceptâ pecuniâ, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos, vsque in hodiernum diem.

Matth. 28. Custodes sepulchri annunciant resurrectionem. Pecuniâ corrumpuntur.

CAPVT XXVIII.

Apparitiones factæ discipulis.

1. Iesus in die resurrectionis apparet duobus discipulis euntibus in Emmaus: item Petro.

2. Apparet discipulis, ianuis clausis ad eos ingressus.

3. Rursum post dies octo, præsente Thomâ, venit ad eos.

4. Signa Iesu Christi quæ fecit, non extant scripta in libris Euangelicis.

1. DVO autem ex discipulis Iesu ibant ipsâ die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emmaus. Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderunt. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis: oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus

Lucæ 24. Apparet Iesus duobus discipulis euntibus in Emmaus.

Sanctum colloquium de Christi passione & morte.

nus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illâ his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum: nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos: quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, &, non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quò ibant, & ipse se finxit longiùs ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas? Et surgentes eadem horâ, regressi sunt in Ierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim; & eos qui cum illis erant, dicentes: Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in viâ, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Aperit illis Christus sensũ Scripturarum.

Hospitio excipitur ab ijs: & manifestatur in fractione panis.

Apparet etiam Petro.

2\. Ioan. 20. *Ingreditur ad vndecim discipulos ianuis clausis.* Luc. 24.

Cùm autem hæc loquerentur, & serò esset die illo, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum; venit Iesus, & stetit in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere. Conturbati verò, & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes & latus. Gauisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit iterùm, Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Ostendit se non esse spiritum.

Ioan. 20.

Luc. 24.

Manducat cum illis. Ioan. 20. *Dat illis Spiritum sanctum.*

3\. *Thomas adhuc incredulus.*

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo, iterùm erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

Christus apparet Thomæ, qui tactu vulnerum credit.

4\. *Innumera Christi miracula.*

Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.

CAPVT XXIX.

Ascensio admirabilis.

1. *Iesus apparet discipulis ad mare Tiberiadis. Petrus Pastor omnium a Christo ponitur.*
2. *Deinde apparet Iesus in monte Galilææ.*
3. *Promittit etiam eis Spiritum sanctum, sensumque docet Scripturarum,*
4. *Et ascendit in cælum coram ipsis.*

1\. Ioan. 21. *Discipulis in mari piscantibus apparet Iesus.*

POSTEA manifestauit se iterùm Iesus ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic: Erant simul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Dydimus, & Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in nauim: & illâ nocte nihil prendiderunt. Manè autem facto stetit Iesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est. Dixit ergo eis Iesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.

Capiunt eius iussu ingentem multitudinẽ piscium.

Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est, tunicâ succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. *Petrus ambulat in mari.* Alij autem discipuli nauigio venerunt (non enim longè erant à terrâ, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite, prandete. *Manducat cum eis Christus.* Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes quia Dominus est. Et venit Iesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter. Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? *Trina interrogatio ad Petrum; & trina iussio pascendi oues.* Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterũ: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oues meas. Amen, amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. *Prædicit Petro mortis genus.* Hoc autem dixit, significans quâ morte clarificaturus esset Deum.

2. Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi constituerat illis Iesus. *Math. 28. Apparet discipulis Iesus in monte Galilææ.* Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus, locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ. Euntes ergo in mundum vniuersum, docete omnes gentes, & prædicate Euangelium omni creaturæ, *Mittit eos prædicatum in vniuersum orbem. Mar. 16. Math. 28.* baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.

3. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscũ, *Lucæ 24. Aperit illis sensum Scripturarum.* quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolymâ. Vos autem testes estis horum. *Promittit illis Spiritum sanctũ.* Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & postquam locutus est eis, eleuatis manibus suis benedixit eis. 4. *Benedicens discipulis, in cælum ascendit.* Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum, & sedet à dextris Dei. *Lucæ 24. Mar. 16.* Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Sunt autem & alia *Ioan. 21.* multa quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

Hanc Epitomen Vitæ Christi in compendium longè breuius redegit Blosius in Articulis XXVI. quos sub finem huius Margariti Spiritualis pius Lector inueniet.

CAPVT XXX.

APPENDIX EX ACTIS APOSTOLORVM:

Continens ascensum Domini IESV *in cælum, & descensum Spiritus sancti in discipulos.*

1. Christus per quadraginta dies post resurrectionem apparet discipulis, docetque eos quæ sunt de regno Dei.

2. Ascensio Christi: post quam Apostoli manent in Ierusalem.

3. Eligitur sortibus Matthias loco Iudæ proditoris in Apostolum.

4. Aduentus Spiritus sancti: concio prima Petri, & conuersio multorum ad fidem.

IESVS præbuit discipulis suis seipsum viuum post passionem suam 1. *Act. 1. Conuersatur Iesus cum suis 40. dies post resurrectionem.* in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et conuescens, præcepit eis, ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris: Quam audistis (inquit) per os meum: quia Ioannes quidem baptizauit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: *Colloquia de futuro regno Dei.* Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate; sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæâ, & Samariâ, & vsque ad vltimum terræ.

Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. 2. *Ascensio Christi in cælum.* Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri *Visio Angelorum.* Ga-

Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Tunc reuersi sunt Ierosolymam, à monte qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, sabbati habens iter. Et cùm introissent, in cœnaculum ascenderunt vbi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi: hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Mariâ matre Iesu, & fratribus eius.

Manent Apostoli in oratione.

3. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit, (erat autem turba hominum simul ferè centũ viginti:) Viri fratres, oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem quâ assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.

Matthias eligitur Apostolus loco Iudæ traditoris.

4. Et cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repentè de cælo sonus, tamquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est. Factâ autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque linguâ suâ illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nónne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in quâ nati sumus? Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes: audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes, & mirabantur, ad inuicem dicentes: Quidnam vult hoc esse? Alij autem irridentes, dicebant: Musto pleni sunt isti. Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia: sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioël: Et erit in nouissimis diebus, (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terrâ deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. Et erit, omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Act. 2. Spiritus sanctus in igneis descendit linguis.

Stupet inde multitudo Iudæorum.

Concio prima Petri ad Iudæos.

Ioël. 2. Prophetia de copiosâ gentilium conuersione.

LVDOVICI BLOSII MARGARITI SPIRITVALIS PARS TERTIA, SIVE DOMINICAE PASSIONIS EXPLICATIO ADMODVM PRÆCLARA FERE TOTA DESVMPTA EX PIISSIMIS EXERCITIIS D. IOANNIS THAVLERI.

CAPVT I.

Iesus post esum agni Paschalis, pedes Apostolorum suorum lauit, & sacram Eucharistiam instituit.

1. Dominus Iesus vltimam cœnam sumens cum discipulis suis,

2. Consolatur mœstos ex proximo dulcissimi Magistri discessu.

3. Post cœnam legalem incipit Christus mysteria gratiæ.

4. Summam perfectionis Christianæ reducit ad humilitatem & charitatem: & humilitatis exemplum præbet in lotione pedum discipulorum.

5. In quâ cõsideratur suprema maiestatis dignatio:

6. Vnde discipulis suis speculũ existit humilitatis.

7. Charitatis nouum mandatum, perfectio legis charitatis; cuius sacramentum, Eucharistia.

8. Præcellentissimum pignus amoris diuini, transmutans hominem quodammodo in Deum.

9. Eâ institutâ, omnibus modis mirabiliter sese nobis donauit Deus.

10. Opus fuit summæ potentiæ, sapientiæ, & dilectionis, omne bonum in se continens,

11. Postulans proinde summam in recepturis præparationem.

1. *1.Pet.1. Cœna vltima Christi cum discipulis.* APPROPINQVANTE tempore gratiæ & misericordiæ, quo Christus Iesus ab æterno cõstituerat perficere salutem nostram, nosque redimere, non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso San- (1.Pet.1.) guine suo; ex vero amore, ceu liberalissimus paterfamilias, celebrem cum discipulis suis cœnam agere voluit, antequam per acerbissimam mortem discederet ab eis: idque in signum magnæ dilectionis quâ tenebatur erga illos.

2. *Solatur dolentes de propinquo ipsius per mortem discessu.* Et cùm vidisset eos ob mortem passionemque suam è vicino imminentem vehementer affligi, quòd à tam fideli patre & amabili Præceptore separandi essent, ex magnâ compassione multùm eos benignè consolatus est, dicens: *Nolite tristari,* neque *turbetur cor vestrum, Non relinquam vos orphanos. Expedit vobis vt ego vadam. Vadam ergo, & iterùm veniam ad vos.* (Ioan. 14. & 16.) Sed cùm cerneret eos prorsus pusillanimes esse, & grauiter angi; & alios quidem vbertim lacrymas fundere, alios verò ex imo pectore alta ducere suspiria, cuncta illius viscera (vt est misericordissimus) compassione mota sunt: simulque voce consolatoriâ affatus est eos, dicens: Filioli dulcesque discipuli mei nolite timere, nolite turbari: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* (Math. 28.)

3. *Præparatio Agni paschalis.* Ceterùm præparato iam agno Paschali, eo loco vbi ipse mandauerat, ingressus est cœnaculum, & secuti sunt eum discipuli eius. Age sequamur & nos. Neque enim pius Dominus aliquem inde famelicum abire patietur.

4. *Summa perfectionis est in humilitate & charitate.* Agno deinde Paschali iuxta ritum & legem Iudaicam absumpto, vniuersas virtutes suas,

Humilitatis exēplar, in lotione pedum discipulorum suorum.

suas, quas omni vitæ suæ tempore diuersis modis mirificè exercuerat, iam ob hominum infirmitatem velut in summâ quadam duabus partibus (nempe humilitate & charitate) complexus est. Surrexit ergo de mensâ, & linteo quodam præcinctus, cœpit diligenter admodum abluere pedes discipulorum suorum. Nimirum in insignis exemplum humilitatis, opus hoc grande peregit in ipso vitæ suæ termino: vt & charis discipulis suis, & nobis omnibus, altiùs imprimeret virtutem profundæ humilitatis, sine quâ nec persistere nec progredi in virtutibus aliquis potest. Et reuerà, quomodo maiorem nobis dulcis Dominus humilitatem exhibere potuisset, quàm quòd immundos pedes creaturarum suarum abluit? Ad terram vsque sese dimisit, & discipulorum suorum omnium seruus effectus est. Quis, obsecro, sine compunctione videre possit Regem gloriæ (cuius admirabilem potentiam stupent & cum tremore adorant spiritus Angelici) præcinctum linteo, tam studiosè abluere sordidos pedes seruorum suorum?

5. *Summa diuinæ maiestatis dignatio in lauãdis pedibus discipulorum: Ephes. 2. Phil. 2.*

Sedebant discipuli; at virtus omnipotentis Dei ad terram vsque sese deiecit, & Dominus dominantium coram illis genuflexit, in cuius nomine genu curuatur omnium. O quàm humiliter, quàm deuotè, quàm amabiliter de vno ad alium, positis humi sacris genibus, processit, nitidisque manibus suis illorum tractauit sordes, imò & officiosè lauit, extersit, osculatus est! Nec pedes modò amicorum, sed etiam proditoris sui (*Etiam proditoris.*) ita abluere & osculari voluit, cùm tamen ab isto sciret se triginta argenteis venditum: nec quidquam alijs minus ei præstitit verè pius Iesus.

6. *Proponit se discipulis speculum humilitatis. Ioan. 13.*

Igitur hoc tam admirandæ humilitatis opus fecit ad nostri institutionem. Audi ipsum dicentem discipulis suis: *Scitis quid fecerim vobis? Si ego laui pedes vestros, Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*, & vt vos alter alteri mutua charitatis opera præstetis; idque non amicis tantùm, sed etiam inimicis.

7. *Charitas compendiũ legis & perfectionis.*

Cùm itaque Dominus Iesus dilectos discipulos suos in verâ humilitate verbis & exemplis instituisset, iamque propinquum esset tempus passionis, eosdem, & nos omnes, etiam alteram suam virtutem, non minùs quàm præcedentem nobis ad salutem necessariam, docere voluit, perfectam videlicet charitatem. Has duas virtutes ceu testamento ad perennem memoriam nobis dereliquit, cupiens eas intimis imprimere cordibus nostris. Audi quid benignissimus Dominus dicat discipulis suis: *Filioli, mandatum nouum do vobis.* (*Ioan. 13.*) Quasi diceret: Multas à me institutiones, diuersaque & numerosa præcepta habetis; sed iam præceptum nouum do vobis, summam quamdam & clausulam cunctarum institutionum mearum, hoc est, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos: vt sicut ego animam pro vobis pono, ita & vos ad mortem vsque inuicem diligatis, & eis benefaciatis qui vos persequuntur, ac mala vobis irrogant. Hoc nouum charitatis præceptum Dominus Iesus non solùm verbo docuit, sed etiam opere præstitit. Etenim declarare voluit, veros nos esse filios suos: nec vllum vmquam naturalem patrem tanto filios amore complexum esse, quanto ipse nos complexus sit. Vnde tamquam fidelissimus parens præstantissimum nobis reliquit testamentum, & excellentissimum nobis legauit bonum, quod cælo terraque dignius & melius est, sacratissimum videlicet Corpus suum in cibum, & pretiosum Sanguinem in potum. (*Eucharistia testamentum charitatis.*)

O admirabile mysterium! ô præcellentissimũ Sacramentum! O vos omnes quotquot Deum amatis, venite, videte, admiramini, obstupescite & laudate. Tale namque tamque admirandum opus operatus est in nobis Dominus, vt quisquis hoc piè voluerit perscrutari, non possit non spiritu contabescere, deficere intellectu, imò cunctis viribus præ nimiâ admiratione destitui. Planè si quis fundum charitatis huius pro humanæ fragilitatis modulo, auxiliante sibi gratiâ Dei, intellectu peruestigare volet, quanto scilicet ex amore hoc ipsum Deus facere dignatus sit; nimirum cor illius liquefiet conflagrabitque dilectionis incendio. In isto opere omnipotens Deus suam nobis largitur Diuinitatem cum humanitate coniunctam & vnitam, vt eam intra nos suscipiamus. Sicut enim cibus ab homine sumptus, transit in illius substantiam, fitque vnius cum homine naturæ; ita quisquis hunc cibum dignè percipit, vnum cum eodem per gratiam efficitur. Nam, quemadmodum D. Augustinus ait, non nos diuinã hanc escam in nostram mutamus substantiam; sed ipsa potiùs nos in se transmutat atque transformat, efficitque nos Deiformes, & vnius secum naturæ: veluti ignis naturam in se ligni trahit, & absumit, ipsumque transmutat in ignem. 8. (*Pignus amoris diuini maximũ, Eucharistia.*) (*Transmutans hominem in Deum.*)

Cur iam cor non inardescat dilectione, non excitetur & moueatur ad deuotionem, vbi attenderit, quanto amore & desiderio flagrarit potens ille Rex gloriæ & Dominus maiestatis, erga nos viles creaturas suas, qui non 9. (*Per eam omnibus ferè modis se dedit nobis Deus.*)

non nisi puluis & cinis sumus? Nam quia cor illius paternum atque pijssimum nihil melius, nihil sublimius excogitare potuit; seipsum nobis dedit, vt nobis largifluam bonitatem, & altissimum cordis sui demonstraret amorem. Liberalis prorsus largitio est, cùm quis dat seipsum: sed multò liberalius est, cùm quis tali se ratione largitur. Dedit namque seipsum nobis in patrem, in fratrem, in socium, in cibum, in pretium, in intercessorem & aduocatum. Denique & olim sese nobis in perenne præmium daturus est: tumque seipso nos prorsus exsatiabit, & erit nobis quidquid desiderare poterimus.

10. *Opus est summæ sapientiæ, potentiæ, & bonitatis.*

O prædicanda potentia Dei, quæ sub specie panis exigui, sublimem Diuinitatem suam, perfectum Corpus sanctamque animam suam, hominibus vniuersis integrè præbere potuit in cibum: qui ab vnoquoque totus sumitur, & tamen in seipso integer & incorruptus perseuerat! O stupenda sapientia Dei, quæ hunc subtilem & salutarem modum pro salute nostrâ instituit: O incomprehensibilis bonitas Dei, quæ tam sublime charitatis opus nostræ salutis causâ perfecit! O salutaris esca, per quam filij hominum transeunt in filios Dei! O desiderabilis, ô sacer & adorande panis, qui mentem reficis, cor hominis confirmas, & spiritum exhilaras! Hic planè est panis sapidus seu manna cæleste, plenum spiritualibus delicijs, in quo nihil est asperum. Quid multis? In hoc dignissimo Sacramento quidquid vel cogitari vel desiderari potest, accipitur. Enimuerò sumitur hîc verus Dei Filius Iesus Christus, verus Deus, & homo verus, semper vnum existens cum Patre & Spiritu sancto. Et quidquid demum virtutis ac meriti Christus in vitâ & passione suâ exercuit obtinuitque, id omne hîc * percipitur ab animâ dignè præparatâ. Imò & paratus est dulcis Iesus cunctas has virtutes per pijssimam & largissimam bonitatem suam donare nobis, perinde ac si ipsi eas exercitassemus.

Omne bonũ in Eucharistiâ sumitur.

*Per modũ causæ meritoriæ vel exẽplaris, nõ per realem cõmunicationem ipsarũmet virtutum Christi.

11. *Ideò purganda corda ad recipiendã Eucharistiam.*

Festinemus igitur omni studio expurgare corda nostra ab omni inquinamento peccati, atque exornare ea virtutibus & operibus bonis, vt cibum hunc salutiferum semper accipere idonei simus, ad æternam gloriam benignissimi Creatoris.

CAPVT II.

Agonia Christi in horto. Iesus in hortum, vbi capiendus erat, venit: ibique ingentem mærorem & angustiam ob imminentem passionem perfert.

1. *Peractâ cœnâ venit Christus in hortum vbi erat capiendus: seorsum secedit cum Petro, Iacobo, & Ioanne.*

2. *Attentio vehemens ad passionis mysteria postulatur:*

3. *Ea enim piè considerata, maximè emolliunt cor etiam durissimum.*

4. *Amore spontaneo obtulit se pro nobis Iesus. Præparat se oratione ad certamen futurum.*

5. *Assumit sponte tristitiam inenarrabilem.*

6. *Duæ causæ illius, Prima, ingratitudo hominum & peccata, quorum grauitatem plenissimè perspiciebat.*

7. *Sic pater indulgens, miseriam vnigeniti filij deplorat.*

8. *Longanimis oratio Christi in oratione positi.*

9. *Altera tristitiæ Christi causa, plenissima eorum, quæ iamiam erat passurus, notitia.*

10. *Pugna in Christo de acerbitate passionis acceptandâ.*

11. *Compassio spiritus & carnis. Sensus trinæ petitionis Christi. Resignatio Christi nobis imitanda.*

12. *Lassitudo Christi ab oratione resurgentis. Leniter increpat discipulorum pigritiam.*

13. *Excitat torporem nostrum, vt eum sequamur, eique compatiamur.*

CVM itaque propè esset tempus, vt Dominus Iesus ex hoc mundo transiret ad Patrem, constituto iam ab eo (ceu patre fidelissimo) cum dilectis discipulis testamento suo, relicto videlicet eis præcipuo & excellentissimo bono, quod cor ipsius paternum excogitare poterat, vtpote sacratissimo Corpore in cibum, & pretioso Sanguine in potum: hoc, inquam, opere peracto & consummato, cùm hymnum dixisset Deo Patri, exiuit cum discipulis suis in montem Oliueti trans torrentem Cedron, vbi erat hortus quidam, quò sæpe orationis gratiâ conuenire solitus fuit cum eisdem discipulis suis. Aitque ad eos: Sedete hîc, *vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Assumpsitque Petrum & duos filios Zebedæi, Iacobum & Ioannem, vtpote secretissimos, fidissimos, maximeque dilectos quos haberet amicos suos: vt quibus gloriam Diuinitatis suæ in transfiguratione ostenderat, etiam doloris sui in passione acerbitatem demonstraret.

1. Ioan. 13. *Post sacrã cœnã venit Iesus in hortũ montis Oliueti.*

Matth. 26. Ioan. 18. Marc. 1

Luc 22. *Cum Petro, Iacobo, & Ioanne secedit à reliquis discipulis.* Luc. 9. Matth. 17.

Hic nunc adsistis quotquot Deum diligitis: attendite, & videte quanta fecit Dominus animabus nostris. Iam nunc aperitur liber vitæ, in quo relucet veritas, & omnes thesau-

2. Marc. 9. *Excitatur attentio ad passionis arcana pertendenda.*

Coloss. 2. thesauri sapientiæ & scientiæ sunt abscondi-ti; qui scatet doctrinis, & mysterijs abundat. Nunc planè speculum virtutum omnium cunctis manifestè proponitur. Nunc exhibetur immensus thesaurus diuitis patrisfamilias, ex quo inopes, infirmi & oppressi omnes largissimis exhilarantur donis; ita vt vnicuique liceat ex sacris Christi Iesu haurire visceribus, quidquid sibi deesse intelligit. Copiosam namque profundunt gratiam: & vt largius fluerent, pluribus in locis scissa atque patefacta sunt. Nunc denique ignis ille, quem Pater cælestis misit in terram, adeò accensus est, vt flamma cælum contigerit, atque per intemperantem * calorem suum frigidam terram & dura saxa emollierit perruperitque.

• Intemperantia hic vocatur excessus magnitudinis amoris in Christo patiente & moriente pro nobis, de quo vide Luc. 9. v. 31

3. *Inde præsertim emollitur duritiess cordis nostri.*

Et reuerà, quisquis deuotâ meditatione ad hunc ignem propiùs accesserit, incendium hoc euadere non valebit. Cuius enim vel saxeum cor non liquescat, dum aduertit immensam Iesu Christi bonitatem, quanto ille erga nos viles terræ vermiculos desiderio teneatur, & quantoperè sitierit salutem nostram, exponens pro illâ iuuenile ac elegans corpus suum, & quidquid habuit?

4. *Sponte se pro nobis obtulit Iesus, solo impulsus amore.* 1. Reg. 17.

Enimuerò nullâ coactus vi, sed sponte suâ ad locum proditori suo cognitum accessit, vt ab eo posset faciliùs inueniri. Vide hîc, ô fidelis anima, & inspice hunc strenuum Dauid, Deum ac Dominum tuum, quàm ardeat, quàm vehementer desideret inire certamen, & ponere animam suam pro populo suo & domo Israel. Vide, obsecro, vt amore animatus, primus ad locum certaminis pro te dimicaturus accedat. Quia verò non nisi humilitate, charitate, orando & sustinendo certare statuerat; priusquam inuidi Iudæi cruentas manus suas in eum injicerent, tantum in se cruciatum vltrò recepit, vt huic nullus possit dolor æquiparari.

Oratione se præparat.

5. Matth. 25. Mar. 14. Lucæ 22. *Assumit tristitiam, & eam discipulis exponit.*

Igitur vbi iam in hortum venerat, cœpit contristari & mœstus esse, pauere etiam & tædere: atque ex doloris interni vehementiâ extrinsecus membris omnibus miserabiliter contremuit. Et hanc ipsam tristitiam, infirmitatem & perturbationem corporis sui, non erubuit confiteri discipulis suis, dicens: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Matth. 26.

6. *Duæ causæ cur Christus tanto dolore in horto affici voluerit; quarũ vna hic est, peccatorum grauitas & ingratitudo nostra.*

Eamus nunc, & videamus quænã sit tanti causa doloris. Et quidem multas ob rationes Christus ita contristatus est; sed nos hîc duas tantùm attingemus, quæ nos vehementiùs ad compassionem pariter & amorem accendant. Prima ergo ratio, nostra fuêre grauia multipliciaque peccata, ingens ingratitudo, & quòd tam eramus diuini timoris expertes. Ob ista sic doluit pius Iesus. Enimuerò & legimus, & experientiâ probatum est, si quem Deus permitteret videre peccata sua, sicut ipse ea videt, mox præ dolore rumpendũ cor illius, aut sensibus eum destituendum, vbi aspiceret quantâ iniuriâ & contemptu affecerit Creatorem ac Redemptorem, Deumque ac Dominũ suum, & quàm indignè ac turpiter deformauerit nobilem speciosamque animam suam. Et certè Christus omnia mundi peccata in se receperat, tantumque pro illis vltrò sibi assumpsit dolorem cordis, ac si ipse ea perpetrasset. Et quia per diuinam cuncta perspicientem sapientiam suam, vniuersa quæ vmquam facta sunt, & deinceps fient peccata, cernebat, simulque aspiciebat contemptum & iniuriam, quæ per hæc cælesti Patri suo erant irroganda: quis iam vllâ possit ratione comprehendere, quantum hinc mœrorem doloremq; persenserit? Semper enim cum vniuersis viribus suis honorem Patris & salutem animarum sitiebat. Hac igitur de causâ tantum Christus dolorem & mœrorem in passione suscepit, quantum saluâ vitâ sufferre potuit. Neque enim (vt Iudæi solebant) vestimenta scidit in argumentum doloris sui quo mordebatur, sed omne perrupit corpus suum, ita vt sudor sanguineus ex cunctis membris illius, præ nimiâ angustiâ & tremore, velut humor ex vuâ fortiter pressâ, erumperet. Et vt ostenderet nobis, mœrorem hunc interiores absumere medullas animæ suæ, mortis correptus angoribus dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Matth. 26.

quæ ille perfectissimè intuebatur.

Sudor sanguineus ex agone dolorifico ortus.

7. *Deplorauit nostra damna, sicut pater vnigeniti miseriam doleret.*

O ineffabilis bonitas Christi Iesu! ô amor incomprehensibilis! Gaudium cæli propter nos, ad mortem vsque, mœrore afficitur: quodq; nos voluptate deliquimus, ipse Iesus lethalibus voluit cruciatibus expiare. Enimuerò, vbi attendit quid peccando perdideramus, & quid eramus meriti, cuncta illius viscera cõpassione mota sunt. Et sicut aliquis benignissimus parens mortem dolet vnigeniti sui, sic ille miseriam & infelicitatem nostram doluit. Ob idque tantam sibi assumpsit afflictionem & mœstitiam, quæ totius mundi peccatis præponderaret, quæque non solùm vires omnes elegantis & delicati corporis sui excederet, sed ad mortem vsque angeret animam suam. Quis hîc sine compunctione & lacrymis intueri possit amabilem illum Ioseph, nos fratres suos, qui in ipsum peccauimus, amplexantem, singulos nostrûm osculantem, plorantem super singulos, & peccata remittentem, imò ea omnia in seipso cum dolore punientem? Ita nos ille dilexit. Gen. 43. 44. 45.

8. Isa. 45. *Perseuerat longanimiter in oratione.*

Secedens ergo paululùm à discipulis suis, posuit genua, & pronus cadens in terram, hu-

humiliter, feruenter longanimiterque precatus est. En potens ille Dominus, cui omne genu iure curuatur, vt pauperrimus homo, imò vt peccator quispiam, iacet vultu terræ affixus, & à Patre derelictus, vt nos Patri reconciliet. O anima mea, & vos omnes qui diligitis Deum, venite, contemplemur oculis cordis Saluatorem nostrum in magnâ spiritus angustiâ constitutum, & alta suspiria ex imo pectore trahentem: consideremus vt hic portauerit omnia peccata nostra, & quàm grauiter pro nobis afflictus sit. Non simus ingrati dulcissimo amatori nostro, qui tam cruciabiliter desudauit in opere salutis nostræ.

9. *Altera dolorum Iesu causa, comprehensio futurorum tormentorum.*

Altera causa doloris Christi fuit, quòd præuidebat horribiles ac immanes cruciatus omnes, quos mox perpessurus erat: idque tam perfectè, ac si iam præsentes sensisset. Et quia reuerà homo erat instar aliorum passibilis, tenera ac nobilis complexio eius, suprà quàm vllus capiat humanus intellectus, vehementer hinc exhorruit: ita vt extrinsecus membris omnibus contremisceret, & intrinsecus ad mortem vsque tristaretur. Iam enim susceperat damnatum redimere hominem, & vniuersum soluere debitum: ideoque Pater cælestis vt iustus iudex exactam cum illo inijt rationem, aperiens illi antiquum rationarium codicem, debita mortalium continentem, in quo perspicuè vniuersa vidit mundi peccata, simulque pretium incomparabile quo hæc erant debita exoluenda.

10. *Lucta in Christo spiritus & carnis de cruciatibus acceptandis.*

Igitur ipse Saluator noster Iesus Christus secundùm spiritum optabat, vt cuncta in se perficerentur, quæ ab æternâ Dei sapientiâ, & consilio Spiritus sancti decreta & præfinita erant: at caro tota exhorruit ad mortis acerbitatem. Spiritus quidem vnitus & subditus Deo erat, paceque fruebatur; sed sensitiua natura ac portio omnino imbiberat imagines amaritudinũ passionis imminẽtis, eratque turbata & anxia supra modũ. *Apparuit autem illi Angelus de cælo, cõfortans eum* in hac spiritus & carnis cõcertatione. Et ipse quidem cùm esset totus viuidus ac ætate iuuenis, omnium quos vmquam terrarum orbis habuit multò pulcherrimus atque amabilissimus, tantam hîc luctam sustinuit, tantâque vi ipsam naturam sensitiuam in horribiles cruciatus consentire coëgit, vt præ nimio labore cruentus sudor ex omnibus illius membris erumperet. Etenim ob orationis feruorem, & metum ac horrorem mortis, sanguis eius ad cor confluxerat: tum verò amor validus, & ardens desiderium paternam exequendi voluntatem, nosque redimendi, ceu malleus quidam aut vis ingens accedens, vicit timorem illum & sensualitatem, sanguinemque fortiter expulit, ita vt in hac præclarâ victoriâ, ex subitâ violentiâ sanguis è poris omnibus, nimio labore patefactis, abundè cum alio sudore erumpens, deflueret in terram.

Lucæ 22. *Apparet illi Angelus de cælo. Quomodo internus dolor sudorem sanguinis expresserit.*

O! quis doloris huius magnitudinem & acerbitatem capere queat? O! quantis angustijs concutiebatur dulcissimum cor Saluatoris? Quas pœnas, quos cruciatus in hoc timoris & amoris prælo sustinuit? Nam timor quidem infernè, amor autem supernè illud comprimebat. O! quantopere rationalis natura compatiebatur portioni sensitiuæ sic oppressæ? Quàm fideliter, tamquam aduocata, pro illâ obsecrabat, *Pater*, inquiens, *si possibile est, transeat à me calix iste?* Rursumque, tamquam optima conciliatrix, cum spiritu dicebat: *Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* quasi diceret: Iam tu Pater explicuisti mihi quanto pretio debitum humani generis sit redimendum, à quo certè tenera natura mea tota abhorret, pauet & contremiscit: attamen desiderium quod habeo implendi voluntatem tuam, & hominem redimendi, prorsus superat me. Itaque accipio conditionem, & ratum habeo quod exigis. Et ecce roseus hic sanguis meus, quem modò effudi, arrhaboni sit, atque eius generis pecuniâ reliquum omne debitum exoluam. *Fiat voluntas tua.* O! qualis hæc resignatio? quæ sui oblatio? quis hic amor? Planè Dominus Iesus charitate carnem vicit & sanguinem. Quis fructum, vtilitatem & sempiterna bona cogitare sufficiat, quæ nobis ex hoc verbo maximè salutifero nata sunt, puta, *Fiat voluntas tua?* Nam isto verbo Filius Dei nos à Patre æterno mercatus est: ita vt iam inde ab huius prolatione verbi, Pater cælestis antiquas posuerit inimicitias, & nos in filios suos receperit. Venite iam deuoti omnes, & quotquot estis bonæ voluntatis, qui in virtutibus proficere desideratis: venite, inquam, contemplamini hîc speculum virtutum, perfectionis viam: sequimini Dominũ vestrum, iisdem ingredimini vestigijs, quibus vos ille præcessit. Discite, discite hîc propriam abnegare voluntatem, & exequi diuinam: discite sensualitatem vincere, & eam in spiritus redigere seruitutem.

11. *Rationalis cum sensitiuâ compassio.*

Matth. 26.

Resignatio Christi ad ineffabiles cruciatus passionis.

Fructus inde nobis proueniens.

Imitanda nobis hæc resignatio.

12. *Perpensio lassitudinis Christi post agoniam.*

Iam porrò videamus liquescentibus cordibus, quemadmodum amabilis Dominus, vbi diutissimè pro nobis Patrem precatus fuisset, tandem venerandum caput suum leuauit è terrâ, & ab oratione surrexit. O! quàm malè affecta erant omnia illius membra ex tremore & ingenti angustiâ quam ibi per-

perpessus fuit? Facies eius gratissima, ex feruore orationis inflammata erat, & sudore perfusa madebat. Oculi lacrymis intumuerant abundabantque. Hinc ergo venit ad discipulos suos, & eos benignè alloquens, ait: *Dormite iam, & requiescite.* Vide immensam benignitatem Domini. Non durè illos reprehendit, sed patienter eorum tulit pigritiam & infirmitatem. Vide etiam, vt fidus pastor sollicitè curam gerit, & orat pro ouibus suis. Dominus vigilat seruis dormientibus. Solus certat, vt ipsi maneant illæsi. Seipsum lupis exponit agnus innocens, vt oues suæ euadant immunes à morsibus eorum. Reuerà in finem dilexit eos.

Discipuli mansuetè à Christo ob somnolentiã increpãtur. Marc.14.

Ioan.13.

13. Deinde iam excitauit illos dicens: *Sufficit, eamus: en qui me tradet, propè est.* Cogita nũc, ô anima mea, te esse cum Christo in horto, & hæc illum tibi verba dixisse. Itaque surge à somno vitiorum, & à somno torporis ac fallacium oblectamentorum, arreptaque viriliter cruce pœnitentiæ & afflictionum, sequere Christum Dominũ tuum: simulque cum ingenti compassione & intimo amore conspice miserabilem ac deformem figuram Saluatoris tui, cogitans te esse causam passionis eius. Expende diligenter, quanta fuerit interna animæ illius angustia, ex signis externis maximè afflicti corporis. Adora illum, & gratias age. Venite & vos quotquot Deum amatis, simul procidamus coram Domino: & si sanguineas lacrymas fundere non possumus, saltem aquam stillent oculi nostri. Quòd si ita duri sumus, adeoque lacrymarum vena nobis obstructa est, vt nec oculis flere possimus: saltem corde & desiderio ploremus, * sanguineumque illius sudorem offeramus pro lacrymis quas non habemus, quasque præ cordis duritiâ fundere non possumus.

Matth. 26. *Excitatio torporis nostri ad imitationem Christi in passione.*

Vt saltem illi compatiamur, & collacrymemur.

* Homo bonæ volũtatis in defectu meritorum suorum obtendit merita & sanguinẽ Christi.

CAPVT III.

Iesus Iudæ & hostibus suis pergit obuiàm.

1. *Iudæ & militibus occurrit Christus,*
2. *Amore immenso precedentem timorem penitus absorbente.*
3. *Osculum Iudæ suscipit, dulcissimisque verbis eius ingratum cor prouocat ad pœnitentiam.*
4. *Misericordia Christi semper patet volentibus eam apprehendere.*
5. *Vnico verbo hostes suos prosternit, passurus; quid faciet iudicaturus? Ego sum paratissima resignationis verba.*

1. SCIENS deinde Dominus Iesus, proditorem suum Iudam aduenisse, stipatum cateruâ hominum impiorũ sanguinem suum sitientiũ, qui ipsum tamquã latronem comprehendere venerant cum laternis, gladijs, fustibus, & ingenti armorũ strepitu: ceu agnus innocens, pleno cum affectu, & ardenti dilectione benignissimè eis perrexit obuiã.

Iesus obuiã it Iudæ, & militibus. Ioan.18.

2. Attende nunc, ô anima mea, interioribus oculis immensum amorem Saluatoris tui. Vide, quantopere sitiat redimere te. Aspice, vt cor illius velut olla feruens intra ipsum ebullierit. O dulcis Iesu, vnicum solatiũ cordis mei! vbi iam est timor qui te paulò antè inuaserat? vbi graues gemitus? vbi tremor anxius? vbi horror ingens mortis? Cùm adhuc procul abessent hostes, ad mortem vsque tristabaris, & sanguinem sudabas: iam quando in oculis sunt inimici tui, instar leonum rugientes, quò fundant innocentem sanguinem tuum, nihil times, nihil trepidas, sed metus omnis procul abscessit. Venit proditor tuus cum turbâ hominum sanguinariorum, & illis procedis obuiàm. O bone Iesu! ô dulcis amator hominum! quid hoc est? Quis amor cor tuum absorbuit, vt ad mortem ceu ad nuptias properes, hostibus perinde vt amicis obuiàm procedas? O clementissime Deus! quem non hæc tanta charitas incendat? Quis ego sum, vt tu Dominus dominantium, Rex cæli, terræque Imperator, pro me vili terræ vermiculo tam vltrò teipsum ad mortem, & in ipsas crudelium hostium tuorum manus, offerres?

Iam omnem carnis timorem absorpsit amor salutis nostra.

Tanto amore indigni sumus.

3. Ipse ergo fons inexhaustæ pietatis Iesus à Iudâ ingratissimo minimè se auertit, cùm non vereretur ille osculum petere sacri oris eius: sed ipsum dulce & amabile os suum (in quo dolus non fuit) ad spurcissimũ os illius, malitiâ abundans, suauiter applicuit. Quin & verbis eum amicabilibus aggressus est, dicens: *Amice, ad quid venisti?* ac si diceret: Itáne de te meritus sum Iuda? Num peccaui in te, lauans pedes tuos, curuans tibi genua mea, reficiens te Corpore & Sanguine meo? *Amice, ad quid venisti?* Adeóne triginta me argenteis viliorem habes? Cur à me auersus es, qui Apostolatus te titulo honoraui, in delicijs enutriui, & tamquam proprium filium meum sollicitè institui? Quare me dereliquisti fontem aquæ viuæ, & coniunctus es seruis diaboli? Cur declinauit ad auaritiam cor tuum, & me summum ac perenne bonum reliquisti, vilissimo me pretio vendens, qui omnes in me habeo sapientiæ ac scientiæ thesauros absconditos, qui cælum terramque locupleto & impleo? *Amice, ad quid venisti?* Ad teipsum, quæso, intrò conuertere, in teipsum paulisper descende, redi ad cor tuum: vide quò deueneris, aduerte quid feceris. Etiam nunc tibi patet gratia mea; tantùm cum dolore ad me reuertere, & ego suscipiam te.

Non renuit Iesus osculum proditoris. Isa. 53. 1 Pet.2. Matth. 26. *Deuota ponderatio verborum Christi ad Iudam: Amice.* Ierem.2. Psal.118. *Ad quid* Coloss.2. Ierem.23. *Venisti*

4. Quis iam vltrà lacrymas cohibere queat,

Aditus ad misericordiam, omni volenti patet.

tam ineffabilem Christi erga proditorem suum attendens benignitatem? Quis iam desperare ausit de misericordiâ Dei? O Iesu dulcissime! si traditori, si inimico, si nequam & infideli seruo, tam fidelis, amabilis, & ex animo benè affectus fuisti, adeoque eum & reuocare & saluare laborasti; quid ergo charis facies amicis tuis, qui ex toto corde te quærunt, sitiunt, & diligunt? O anima quæcumque es impatiens, sæua, & vindictæ appetens, quæque vnico verbo ad iram & contumeliosa verba, atque ad tui vltionem expetendâ commoueris, attende quæso, vti Christus non dedignatus sit alloqui vilissimum proditorem suum, eumque amicum dicere, & dulciter osculari. Tu verò præteris proximos tuos, eis loqui contemnens, talique dedignatione tuâ ad odium eos inuidiamque prouocas, sicque animas illorum perdis, quos amicabili adspectu & suaui verbo placare & ad charitatem mouere posses.

Increpatio impatientiæ & amaritudinis in proximos.

5. Deinde Christus etiam ceteros inimicos suos amicè admodum affatus est, dicens: *Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum.* Quod cùm dixisset, *abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Hîc exclamans Augustinus, dicit: *Vna vox dicentis, Ego sum, tantam turbam odijs ferocem armisq; terribilem sine telo vllo percussit, repulit, strauit virtute Diuinitatis latentis. (Deus enim latebat in carne.) Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit?* Hæc Augustinus. Post hoc signum, iterùm eis surgendi fecit potestatem, ipsos quasi à morte suscitans, dixitque secundò ad eos: *Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum.* Ac si diceret: Paratus sum implere voluntatem Patris mei, & offerre meipsum hostiam viuam ad honorem & gloriam Patris, pro salute hominum. Paratus sum antiquum illud hostis maligni delere chirographum Sanguine meo, & hominem ab æternâ morte redimere. Certè Pontifex vester vaticinatus est, necesse esse, *vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat.* Ille ergo homo ego sum. Ego ego sum agnus ille innocens, pro salute populi offerendus. Ego sum quem quæritis. Capite me, rapite me, ligate me, ad mortem quoque ipsam ducite me. Ceterùm *sinite hos abire.* Nulla vobis in discipulos meos facta potestas est: in me solum potestis desæuire. O amor ineffabilis! O verè bonus pastor! En vt *in finem dilexit* ouiculas suas, opponens se pro illis luporum dentibus.

Ioan. 18. Solo verbo aduersarios suos Iesus euertit. — *In Ioan. Tract. 112.* — *Quanta ergo potestas iudicaturi?* — *Ego sum, verba paratissimæ resignationis pro salute nostrâ.* — *Ioan. 11.* — *In ipsâ sui comprehensione discipulis consulit.* — *Ioan. 18.* — *Ioan. 13.*

CAPVT IV.

Iesus capitur, ligatur, impiè tractatur, ad Annam ducitur, & à Petro abnegatur.

1. *Lenitas Christi erga milites ipsum capientes.*
2. *Rationabilis & pia ponderatio, quanta Christus in hac comprehensione tormenta pertulerit.*
3. *Attende hîc acerbitatem passionis, amorem patientis, & ingratitudinem tuam.*
4. *Christi à militibus comprehensi graphicè in Psalmis delineata est idea.*
5. *Accensio frigidi cordis nostri ex ardentissimo Christi amore erga nos.*
6. *Fuga discipulorum: quantumque eos puduerit; quomodo Magistro suo condoluerint.*
7. *Iesus sanat auriculam Malchi.*
8. *Ad Annam ducitur vinctus, & inter ducendum saturatur opprobrijs.*
9. *Humilibus responsis ad interrogata Pontificis doctrinam suam constanter defendens, alapam à seruo inflictam mansuetè perfert.*
10. *Tanta mansuetudo nostram arguit impatientiam & iracundiam.*
11. *Petrus ab ancillâ territus Christum abnegat: sed ad se reuersus plorat, & pœnitet.*
12. *Dolor & compassio Christi ex lapsu Petri, discipulorumque suorum.*

TVNC verò ingenti cum ferocitate ceperunt Iesum, &, velut canes in innocentem agnum, cruentos vngues crudelissimè infixerunt. At ipse Iesus lenibus eos verbis blandè compellauit, dicens: *Tamquam ad latronem existis comprehendere me. Quoti die apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.* Sæpè quidem & capere me & occidere desiderastis, sed nondum venerat hora mea. Iam verò adest hora illa & *potestas tenebrarum*: explete iam sitim & ferocitatem vestram in me. 1.

Matth. 26. Mansuetâ obiurgatione milites in capturam irruentes alloquitur. — *Lucæ 22.*

Tunc discipuli omnes, relicto Magistro suo inter manus impias furentium Iudæorum, *fugerunt.* O! quis iam cogitare sufficiat, quantam afflictionem, contemptum & ignominiam feroces illi amabili Domino irrogarunt? Et licet ea quæ hîc passus est Dominus, non ita apertè ex verbis Euangelistarum perspiciantur, subtiliter tamen colligere & elicere ea possumus ex verbis illis Euangelicis, quibus ipse Dominus Iesus de beato Ioanne Baptistâ ait, *Fecerunt in eo quæcumque voluerunt*: ac mox de seipso subiunxit, *Sic & Filius hominis passurus est ab eis.* Et quis æstimare possit, quænam in eum machinati sint, si fecêre quidquid illis placuit? Quid enim (cùm irâ essent feruidi) eos non fecisse putamus? Nulla mens capere valet, quàm inhumaniter benignissimum Dominum tractauerint; vtpote tam diu quæsitum & expectatum ad mortem, 2.

Matth. 26. Vnde colligatur, quanta hic à militibus passus fuerit Dominus. — *Matth. 17.* — *Barbara Iudæorum in ipsum Christum crudelitas.*

cui tot iam minas intulerant. Tyrannico prorsus & crudeli animo agnum innocentem inuaserunt, cuius sanguinem ardentissimè sitierant. Quidquid veneni, acerbitatis, iræ, malitiæ, & ferocitatis ex multo antè tempore in corde congestum fouerant, iam cumulatim in ipsum euomuerunt. Alius quidem capillos, alius barbam vellebat. Hic pectori, ille collo manus iniecit. Iste in amabilem faciem, alius in caput sanctissimum pugnos impingebat: quidam manus benedictas durissimè colligabant. Quis explicet, quot blasphemias, quot contumelias & exprobrationes, quot fœda probrosaque cognomina dulcis Dominus audire coactus sit? Nesciebant planè, vt suæ in ipsum satisfacerent malitiæ, quibus probris & cruciatibus in eum deſæuirent. Quamuis enim, quidquid fallaci & tyrannico corde concipere possent, in ipsum exercerent, nec sic tamen sitis eorum sanguinaria explebatur: plusque multò affectu & desiderio, quàm opere faciebant. Quantò namque virulentus eorum animus plus nequitiæ malitięque euomebat, eò magis ardebat fraudem fallaciamque moliri. Et quia Dominus supinos eos deiecerat in terram, præ nimio furore & ipsum vicissim supinum iactabant in terram: insidentesque diuino pectori illius, sacratissimam faciem & os venerandum dirè contundebant.

3. *Acerbitas passionis Dominicæ.*

Vide hîc obiter, vt singuli pænè passionis Christi articuli, instar mortis, acerbi fuêre. Respice nunc, ô anima mea, oculis cordis Dominum & creatorem tuum, cuius celsitudinem Angeli mirantur, quàm nimiùm abiectus & humiliatus est propter peccata tua. Admirare hoc, contremiscens. Vide, & diligenter rimare, vti altissima illa Maiestas, pro te immensâ vilitate sese deiecerit, & quasi annihilauerit. Maximè verò expende amorem illum ardentissimum, ex quo istud facere voluit; quandoquidem ille solus fuit in causâ cur id fecerit. Attende etiam duritiam & dissolutionem tuam, quòd tam parum timoris habes: simulque erubesce, quòd tam pro nihilo ducis peccare, & tam facilè te ipsam damnationi exponis, quam Christus tam immensis cruciatibus tantoque labore redemit.

Amor nostri Christum tam acerba pati coëgit.

Attende ingratitudinem tuam.

4. *Psalmista Dauid hanc Christi comprehẽsionem pingit ad viuum.*

Deinceps corde afflicto & flentibus oculis contuêre, vt inclementes illi Dominum gloriæ pedibus conculcarunt, quod nimirum per Prophetam queritur, dicens: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* &, *Circumdederunt me canes multi. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Numquam latro aut scelestus quispiam tam crudeliter tractatus est, aut turpiter deformatus, vt Iesus Christus Filius Dei, cui nulla vmquam peccati macula adhæsit.

Psal. 21. Psal. 128. Psal. 21.

5. *Ardeat cor frigidum ex consideratione tanti amoris.*

O dulcis Iesu! amabilis Domine, quò præ nimiâ pressurâ cor meum vertam, ignoro, dum attendo, quàm indigna & acerba pertuleris propter peccata mea. Et quis tam ferreo sit pectore, ac frigido corde; quem hic amor Redemptoris nostri non accendat? Vt nos à potestate satanæ & tartareis flammis liberaret, ac sine pœnâ ad cæleste perduceret regnum, pœnas nobis debitas ipse luit. O Deus misericordissime! quam tibi reddemus vicem pro istâ ineffabili gratiâ & charitate tuâ? Multùm quidem priùs mirati sumus, quòd te ad humanæ naturæ nostræ susceptionem deiicere, & in præsepi collocari voluisti; sed dum consideramus humilitatem passionis tuæ, in quâ tamquam abiectus vermiculus contemni & conculcari non dedignatus es, iam præ admiratione deficimus.

Humilitas passionis maior humilitate incarnationis.

6. Matth. 26. *Capto Christo fuga discipulorum.*

Cùm ergo Saluator noster, vti dictum est, tam crudeliter vinctus esset, & ab impijs illis tam miserandum in modũ abduceretur, discipuli nimio timore perterriti; dilectum Magistrum suum, in fugam versi, reliquerunt. Sed ô! quantus eos dolor inuasit, cùm ad cor reuersi secum pensarunt, quòd tam fidelem Magistrum ac Dominum suũ tam infideliter deseruerant, in maximâ necessitate constitutum? Nam ignita illa & penetrantia verba, quæ Christus in cœnâ & in viâ, illos commonens, dixerat, adhuc ceu viui carbones in eis ardebãt. Quamuis enim ab igne iam se disiunxerant; attamen tamquam qui recentes ab ipso igne venerant, prorsus calebant, & radij lucis adhuc in eorum micabant pectore. Et licet Christus per prouidam sapientiam suam parumper ab eis corporaliter discessisset, interiora nihilominùs vestigia sua, & signa visitationis suæ, quæ sunt lacrymæ compunctionis, & gemitus, in eorum cordibus reliquerat. O! quantis angustijs pressi ibant, fundentes vbertim lacrymas? O! quoties flentibus oculis gemebundi in cælum suspiciebant? Quàm miserabiliter vlulabant, conquerentes dolorem suum, manusque comprimentes, vt orphani & oues errantes absque pastore? Quàm fortiter sua tutudêre pectora, dicentes: O Magister benignissime! ô dulcissime Pater! ô suauissime Domine! qui nos tot dies in delicijs enutristi, & tamquam filios proprios sollicitè custodisti, studiosè rexisti, sapienter instituisti, ac velut cor tuum fidelissimè dilexisti. Quomodo tam turpiter à te recessimus?

Non erant omnino separati ab amore Christi.

Prosopopœia discipulorũ post fugam sibi mutuò dolorem & pudorem exponentium.

mus? quomodo ita fugimus? cur te deseruimus? cur tibi ad mortem vsque, vti dixeramus, non adhæsimus? O: quoties interim oculos retorserūt ad Magistrum suum, quem tam ferociter & cum tanto strepitu ad mortem duci videbant? Quoties secum stabant animi dubij, vtrùm ad ipsum redirent, vel non? Quomodo certabat in eis timor & amor? Sed erat hæc permissio diuina, Deo ordinante, vt ita fieret, quò Scripturæ implerentur.

7\. *Auriculā Malcho restituit Iesus.* Ioan. 17. Ceterùm dulcis Iesus iam in medijs hostium versans manibus, ne tum quidem benignitatem suam auertit ab impijs illis, curatâ pijssimè abscisâ auriculâ vnius ex ministris Iudæorum. Attamen tanta hæc eius bonitas & potentia in perfidos illos declarata, eorum saxea pectora emollire non potuit.

8\. Ioan. 18. *Ad Annā ducitur.* *Repletur despectione.* Hinc iam ipsum crudelissimè ligatum ad Annam duxerunt. O! quis referat, quas iniurias, quantam crudelitatem, quem denique contemptum illi hac intulerint in viâ? quot eum verberibus affecerint? quot in eum blasphemias euomuerint? quoties eum venerandâ barbâ protraxerint? quoties pedibus eum à tergo protruserint, pugnosque impegerint? quantopere demum properauerint, vt eum quantocyùs Principi adducerent Sacerdotum, ac deinde neci traderent! Nemo prorsus tanta cogitare potest, quin plura in illum fecerint: quandoquidem, sicuti scriptum est, *Fecerunt in eo quæcumque voluerunt.* Matth. 17. Attende nunc, ô anima mea, quàm miserabiliter Dominus & Creator tuus ab impijs illis vallatur ac ducitur, haud secùs quàm latro quispiam & morti obnoxius, aut homo sceleratus. Et tamen in omni hac persecutione, erga homines patiens, erga Patrem gratissimus perseuerauit. *Quàm tristem pro te noctem egit Christus.* Cogita, quæso, qualis hæc ei & quàm molesta nox fuerit. Atqui hanc ipsam tam horribilem & tristem noctem propter te sponte aggressus & perpessus est. Ioan. 18. Igitur *adduxerunt eum ad Annam.*

9\. *Christi humilitas coram tumido Iudæorū Pontifice.* Videamus nunc, sed multâ cum compassione, quàm humiliter potens ille Dominus steterit illic vinctus, demissis oculis, virgineo suffusus pudore, amabilisque aspectu, coram inflato illo peccatore Annâ, ab eodem iudicandus, ipse cui potestas omnis & omne iudicium à Patre delegatum est. Matth. 28. Itaque Pontifex Annas fallaciter eum percontatus est *de discipulis suis, & de doctrinâ eius,* Ioan. 18. vt ex verbis ipsius occasionem aliquam eum condemnandi subdolus caperet. Sed Christus Dei sapientia, fraudem intelligens Pontificis, de discipulis quidem eâ vice subticuit, cùm nec posset quidquam magnopere laudandum tunc temporis de ipsis proferre: sed quod ad doctrinam suam attinebat, prudenter & sapienter illi respondit, dicens: *Constanter defendit doctrinā suā.* *Ego palàm locutus sum mundo; ego semper docui in synagogâ, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis; ecce hi sciunt quæ dixerim ego.* Cumque hæc dixisset, *vnus assistens ministrorum,* homo impius & perfrictæ frontis, horribilem *dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici?* *Alapâ percutitur. Patienter eam fert.* Excepit alapam illam benignissimè Agnus mansuetus, nec faciem contraxit in rugas, nec excanduit ad iram, non linguam laxauit ad contumelias, nec manus extendit ad sui capiendam vltionem; sed mansuetè respondens ait: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis?*

O Iesu agne mansuetissime, quis nimiam benignitatem & patientiam tuam absque lacrymis commemorare queat, quòd gratiosam faciem tuam, in quam Angeli desiderant prospicere, tam crudeliter à vilissimo seruo verberari permisisti? 10. *Christi patientia nostram condemnat iracundiā.* 1. Pet. 1. Et tu, anima superba, aspera, & impatiens, quæ vno perturbaris verbulo, habe passionem Christi pro vitæ tuæ speculo: disce ab illo *quia mitis est & humilis corde.* Matth. 11. *O mansuetus Agnus! In toto passionis decursu nunquam in hostes suos commotus.* Contemplare omnem eius passionem, & ne semel quidem motum eum fuisse reperies erga hostes suos, sed potiùs omnem benignitatem verbo, aspectu, & opere eis exhibuisse. Tam enim amicabilis & tam dulcis est Dominus, vt nesciat inimicis aliud quàm amorem & amicitiam impendere. Osculatur proditorem, se capere volentis sanat auriculam abscissam: orat pro se crucifigentibus: imò illorum ipsorum peccata & duritia, grauiori eum cruciatu afficiebant in corde, quàm pœna exterior quam sustinebat in corpore.

11\. Secutus autem erat Dominum Petrus: sed cùm imponeretur ei quòd ex numero esset discipulorum Christi, ter eum negauit, & vnius feminæ verbo deiectus atque superatus est, qui sibiipsi confidens, & animosè supra naturæ fragilitatem de se præsumens, dixerat: Matth. 26. Marc. 14. *Abnegat Christum Petrus ad ancillæ vocem.* *Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* Ioan. 18. Luc 22. Nimirum amor & ardens desiderium, animum illius vltra vires eius extulerat, adeoque erexerat cor illius, vt humanæ obliuisceretur fragilitatis suæ. Ceterùm tentatio totum hoc inuertit: iamque sibi derelictus, discebat, *Nempe sibi derelictus, vt seipsum cognosceret.* quod in feruore illo positus agnoscere non potuit. Certè ipse diuus Petrus quamdiu cum Domino erat, nec mortem, nec hostes, nec arma extimuit (satis enim audenter in hostes

hostes sese iniecit, eos gladio cædens) at vbi Dominus faciem ab eo auertit, vnius feminæ verbo deiectus & superatus est. Nimirum hoc est quod Dauid ait: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Tunc verò Christus misericordiâ motus, oculos gratiæ suæ conuertit ad Petrum: qui ad se reuersus, cogitare cœpit hæc sibi à Christo fuisse prædicta, vtpote quòd ante galli cantum ter eum negaturus esset. Atque ita tactus dolore cordis intrinsecus, foras exiens extra consortium peccatorum, per quos ad casum & culpam pertractus erat, *fleuit amarè.*

Psal. 29.

Ad se reuersus plorat amarè, & pœnitentiam agit. Luc. 22.

12. Videamus nunc quantus mœror piissimum Christi cor inuaserit, cùm videret strenuissimum caput discipulorũ ita miserè victum. O quàm omnia illius viscera compassione & misericordiâ mota fuère, ob infirmitatem & lapsum discipuli sui! Sed citò eum eripuit ex potestate satanæ, erigens illum per præuenientem gratiam suam. O quàm benignè etiam respexit eum oculis gratiæ suæ, permittens radios diuinæ lucis suæ micare in obscurum fundum illius! Vnde factum est, vt Petrus illicò ad se reuersus, in suum se fundum * recipiens, culpam suam agnosceret, & acerbè lugeret, statimque ad primum gratiæ tactum à filijs tenebrarum auersus, ad lucem sese præeuntem conuerteret. Quamuis enim ex diuinâ permissione per infirmitatem ceciderat, attamen resignatus erat Deo, propriamque funditus abnegarat voluntatem, & Domino se totum dediderat, adeoque illum elegerat, & corde complexus erat, vt iuxta desiderium & affectum nihil eum posset ab illo separare. * Et licet posteà deficeret in opere, bonum tamen illius propositum & desiderium erat. Hic igitur beatus Petrus vnico nutu Dei, & semel ab eo respectus, tantâ cum celeritate ab omni turbatione & auersione tam fortiter se conuertit ad Deum, vt is eum reciperet in gratiam, peccata remitteret, & in amore stabiliret. O Iesu benigne, quàm felices sunt illi quos ita respiciunt oculi tui, quos sic micantibus illustras radijs diuinæ lucis tuæ, vt & fundum suum perspicere, & vitia sua agnoscere queant! Quàm citò illi conuertuntur! Quàm celeriter frigida illa & dura corda emolliuntur, accenduntur, amore liquescũt, & fluunt lacrymæ, dicuntque: *Domine, quid me vis facere?* Certè mirum non fuit lugere Petrum amarè: magis autem mirandum est, non crepuisse præ angustiâ & tremore cor illius, cùm Dominus sua eum peccata fecit intueri, cernereque quantum dilecto suo Magistro contemptum & iniu-

Petro negante Domini Iesu compassio ob discipulorum fugã & lapsum.

Respectus oculorum Christi pœnitentiam operabatur Petri.

* Obserua fundũ mysticum etiã in principio conuersionis Petri, & cuiusuis in peccati statu constituti.

* Defecit Petrus in opere externo, non in affectu interno.

Felices quos Christus ad pœnitentiam respicit.

Actor. 9.

riam irrogasset. O qui sic vel semel suum posset fundum inspicere!

CAPVT V.

Iesus ductus ad Caipham condemnatur, conspuitur, cæditur, velatur, & miserabiliter affligitur.

1. *Concilium in domo Caiphæ contra Christum.*
2. *Adducitur eò Christus, & inter ducendum iterum iniurijs maceratur.*
3. *Humilis aspectus Christi comparatus truci aspectui aduersariorum ipsius.*
4. *Falsis testibus non respondet Christus.*
5. *Sed ad diuini nominis adiurationem respondet, profiteturque se Messiam esse: & propterea barbaro furore à Iudæis vexatur, velatur, percutitur.*
6. *Traditur satellitibus, totâ nocte illudendus.*
7. *Quàm verè Christi Domini in pœnis constituti vultum comparauerit leproso Isaias. Compassio affectuosa Christo exhibenda.*
8. *Taxatur hinc nostra superbia, impatientia, & propria voluntas.*

DEHINC Annas Iesum ligatum misit ad Caipham, qui anni illius Pontifex erat summus; apud quem conuenerant Principes Sacerdotum, Scribæ, & seniores Iudæorum, qui omnes vehementer desiderabant Christum neci tradere, & innoxium illius sanguinem fundere: visoque eo haud secùs exultabant, quàm leo captâ prædâ quam deuorare queat. 1.

In domo Caiphæ fit conciliabulum contra Iesum. Ioan. 18. Matth. 26.

Sequere nunc, ô anima mea, sponsum tuum, qui vt te sibi sponsam desponderet, omnem hunc laborem & cruciatum perpessus est. En traditur iam in manus hostium suorum crudelium, & sanguinem eius sitientium Iudæorum, qui non cessabunt donec eum crucis patibulo affigant. Aspice nunc speciosam eius faciem, eamque imprime cordi tuo: nam post paululum nec species illi vltrà erit neque decor. Aduerte, quæso, lugubrem hanc processionem: aduerte quàm inhumaniter sæui illi agnum mansuetissimum duxerunt, & (quod firmiter credere possumus) vt filij diaboli, pleni inuidiâ & ferocitate, ita fecere vt eis suggessit atque persuasit pater eorum satanas. Et quia in Annæ domo paulisper quieuerat, viresque resumpserat, nunc denuò benignissimum Dominum in viâ vexarunt, irriserunt, nec non sæpiùs barbâ venerandâ crinibusque protraxerunt, ceciderunt, pedibus protruserunt, & humi iacentem propulerunt: & quidquid demum contumeliæ, irrisionis, molestiæ, & iniuriæ excogitare poterant, in ipsum abundè congesserunt. Recogitemus nunc in cordibus nostris, quo angore cor- 2.

Eòdem adductus Dominus, opprobrijs laceratur & saturatur.

Isa. 53.

Angustia cordis Christi.

reptum erat cor dulcis Iesu; quàm lassum corpus, quàm malè affecta cuncta illius membra ex omni hoc graui cruciatu, & præproperâ Iudæorum festinatione. Neque enim in omni hac angustiâ & pressurâ vel tantillum ei dabatur spatij, quo respirare semel aut spiritum capere potuisset: at nihilominùs agnus innocens semper patiens fuit, totumque se illorum tradidit ferocitati. Cuius iam à lacrymis cor abstineat, hunc illius amorem, humilitatem, & patientiam attendens? Quis non compassione tangatur, & grauiter ingemiscens, in cælum vsque se reum clamet, dum considerat se causam esse tam immanium dolorum Domini sui? Itaque tali cum crudelitate Dominum Iesum ad Caipham adduxerunt, quo principes & præcipui Iudæorum, vt filij diaboli ex instinctu patris sui, confluxerant. Et quia in satanæ nomine conuenerant effundere innoxium Christi sanguinem, ideò malignus ille in medio eorum erat, intus eos ad omnem crudelitatem malitiamque instigans.

3. *Aspectus Christi humilis, aduersariorũ eius truculentus.*

Attende nunc, ô anima mea, quàm humiliter Rex gloriæ manibus illic ligatis steterit, oculis demissis, miserabili ac deformi ex verberibus facie, castâ verecundiâ, ac sitibundo affectu & desiderio acerbum potandi calicem. Animaduerte etiam, quomodo cruenti illi, toruo nimis aspectu & terribilibus oculis considerauerint & inspexerint eum, aperuerintque super eum os suum sicut leo rapiens & rugiens, & frenduerint super eum dentibus suis, acuentes linguas suas sicut serpentes. (Psal. 21. & 34. & 139.)

4. *Non respondet Dominus falsis testibus.*

Ah! quis sine cordis dolore videret agnum innocentem stare solum inter ferocissimos illos lupos? O quàm irâ feruebant sæua illorum pectora! Quantopere inuidia in illis rationem obcæcabat, intellectui densas offundebat tenebras, iustitiam peruertebat, veritatem extinguebat? Nam cruenta illorum sitis fraudes vndique moliebatur, falsos excitabat testes, vt iustum neci traderent. Neque tamen dulcis Dominus os suum aperuit, non se excusare voluit: sed nec quidquam cunctis illis falsis accusationibus respondit, eò quòd ex amore ingenti hominum salutem & paternum potare calicem ardentissimè sitiebat.

5. Matth. 26. *Respondet tamen ad nominis diuini adiurationem.*

Deinde, iam falsis testibus auditis, nec vllâ tamen mortis causâ in Domino repertâ, turbatus est iniquus ille pontifex, raptusque irâ ex sede suâ, ait ad Dominum: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei.* Audiens Dominus compellari diuinum nomen suum, ob reuerentiam Patris, ex spiritu in ipso lucente, respondit: *Tu dixisti. Verumtamen dico vobis: Amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiã: quid vobis videtur?* Tunc omnes impuri illi vno ore clamabant, dicentes: *Reus est mortis*, simulque vnanimiter in eum ceu leones ferocissimi in agnum irruentes, omnes inuidiæ suæ laxauerunt habenas, totumque in eum furorem & odium suum absque vllâ discretione compassioneque euomuerunt. Et vnus quidem sputa & alapas in faciem, alius pugnos in collum ingerebat: hic crinibus, ille barbâ eum trahebat. Quidam verò, ex ingenitâ malitiâ, ipsam speciosissimam illius faciem crudeliter vnguibus lacerabant. Testatur hoc ipsum per Prophetam, dicens: *Dedi genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* (Isa. 50.) Nimirum fecerunt in eum quidquid voluerunt, nec crudelitate exsatiari poterant. Imò si possibile fuisset, in ardente illâ furiâ ipsum in nihilum redegissent. Sed necdum venerat hora eius. Mos erat Iudæis, vt si quempiam tamquam impium & reum contumeliâ afficere voluissent, in faciem illius, velut Dei iniuriam vindicantes, sputa congererent: idque tam intemperanti crudelitate nonnumquam faciebant, vt plerosque extinguerent & suffocarent. Ideoque sentire nobis licet, cruciatum hunc Domini ipsâ morte non fuisse minorem, eumque in hac graui angustiâ extinguendum fuisse, nisi Diuinitas illius ad maiora perferenda supplicia eum conseruasset. Vt enim Euangelista ait, non spuerunt tantùm, sed etiam exspuerunt, quod est, ipsos putentia phlegmata sua ex imo pectore extraxisse, eiecisseque in faciem & benedictum vereque suauissimum os illius. Nulli vmquam latroni, etiam morti iam adiudicato, tanta est illata contemptio, irrisio, vituperatio, quanta Domino etiam necdum condemnato. Enimuerò tam indignis eum modis tractauerunt, vt pænè nullam hominis haberet speciem. Nam gratiosa illius facies ex plagis intumuerat, sputis obsita, sanguine rubricata, vnguibus lacerata erat, paritérque sanguis & phlegmata commiscebantur: vnde tam miseranda apparebat species eiusdem dulcissimi Saluatoris, vt vel saxeum potuisset pectus ad miserationem compassionemque conuertere. Et quia tanta erat faciei illius gratia, vt solo aspectu peccatores emolliret, sibique attraheret, idcircò eam impij illi obuelauerunt, ne quâ benignitate vel misericordiâ mouerentur, sed omnem suum furorem crudelitatemque in eum pro voto effunderent. Itaque

Profitetur se esse Filiũ Dei, & mundi iudicem.

Proptereà barbaro furore à Iudæis vexatur.

Mos Iudæorum exspuendi in blasphemos.

Quàm intemperanter id in Christum fecerint.

Mar. 14. Matth. 26.

Miseranda species Christi Domini à Iudæis exagitati.

Velatur facies, colaphis cæditur.

que iam tunc absque vllâ misericordiâ crudelissimè eum verberabant, simulque irridiculè dicebant: En prophetam nostrum: *prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Atque ita patientissimo Domino quicquid molestiæ, contumeliæ ac cruciatus diabolico suo poterant corde concipere, irrogabant. (Matth. 26.)

6. Postquam verò omne in illum suæ acerbitatis virus Iudæi euomuerant, prorsusque iam defatigati erant, viribusque defecerant, suis eum ministris tradiderunt, vt id quod reliquum erat noctis, in illius custodiâ & vexatione expenderent; & ipsi membra sua quieti dedere. Ceterùm exhausto, nimiumque lasso & excruciato Domino, nulla quies vel respirandi facultas data est: sed nequissimis traditus est satellitibus, qui totâ illâ nocte inhumaniter eum vexauerunt. Diui Hieronymi quidem sententia est, molestias illas & pœnas, quas Domino illâ nocte intulêre, ante extremi iudicij diem non fore manifestas. Vnde deuoti* quique, qui in Dominicâ se cupiunt passione exercere, aliquid ad honorem occultorum illorum Domini cruciatuum facere deberent, eosdemque Patri cælesti (cui vtique benè noti sunt) pro suis occultis & ignotis offerre peccatis.

Barbaris satellitibus illudendus traditur.

Occulti cruciatus Domini, quos Euangelistæ non descripserunt.

* Praxis offerendi Deo occultas Domini Iesu pœnas pro occultis peccatis nostris.

7. Nunc igitur, ô anima mea, & quotquot Iesum diligitis, eamus cum interno dolore visum, quantis in angustijs & afflictionibus ipse dulcis Iesus tunc erat. Cuius cor à lacrymis sibi temperet, Dominum gloriæ, cæli Regem tam turpiter tractari videns? *Vidimus eum* (inquit Propheta) *& non erat aspectus: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Scindant verba hæc cor tuum, ô anima mea, statuasque modò formam hanc siue imaginem maximè afflictam ob oculos ipsius cordis tui: eamque tam miserandam fuisse intellige, vt Propheta ille illuminatus nullis eam potuerit verbis exprimere, sed leproso eam comparet, cuius nemo non exhorret aspectum. Quandoquidem amabilis Christi vultus adeo ex plagis intumuerat, & sanguine obductus, phlegmatibus repletus, vnguiumque laceratione dissectus erat, vt non esset species ei hominis, neque decor. Penetret passio ista cor tuum, ô anima mea, inflammet te ingens charitas quæ hæc operata est. Et quid, oro, factura fueras, si corâm illic adfuisses, vidissesque tantum contemptum & tantam afflictionem inferri Domino tuo? An non ex ardenti amore in illius irruisses amplexus, deformemque eius faciem tuis abluisses lacrymis, & amanter osculata fuisses? Nónne verbis maximè amicis & consolatorijs, quæ quidem excogitare potuisses,

Isaias rectè Christum in cruciatibus positum leproso comparauit. Isa. 53.

Hic toto affectu Christo Domino compatiatur anima deuota.

eum fuisses affata, dicendo: O dulcis Iesu, amabilis Domine Deus meus! iam ampliùs ferre non potest cor meum, quòd ita te persequuntur, despiciunt, & inhumaniter tractant impij illi. Iam ipsum cor meum præ dolore scindetur, si te diutiùs in his miserijs videro. O Iesu, spes, solatiũ & amor meus, quem diligit anima mea! quis mihi det vt ego pro te patiar? non enim tu peccasti, sed ego. O pulcherrime & speciosissime inter filios hominum! quomodo ita deturpatus atque deformis effectus es? Certè propter peccata mea factus es opprobrium hominum, & abiectio plebis. An non, ô anima mea, his dictis, Dominum tuum brachijs complexans defenderes, hominesque impios reprehenderes, dicens: *Quæso, tantâ crudelitate in Filium Dei, Regemq; gloriæ, debacchari nolite. Me potius rapite, quæ peccaui & morte digna sum: in me sputa congerite, me irridete, me pugnis atterite, in me denique omnem furorem vestrum explete, tantùm vt Iesum Dominum meum missum faciatis.* (Psal. 44. — Psal. 21.)

Erubesce hîc, ô homo superbe, & vile stercus, qui tibi aliquid esse videris, oblitus cinerem, lutum, & ipso quoque nihilo te minus esse. Aspice vt Filius Dei ob peccata tua humiliatus est, vt gloria cæli, tui causâ contempta & nihili ducta est. Aduerte, vindictæ cupide, inflexibilis, crudelis, & impatiens, sed terræ puluis, quomodo Dominus Dominorum omnem hanc grauissimam afflictionem patientissimè tulerit, idque à vilissimis mancipijs; & quidem pro sceleribus tuis. Certe in omni hac molestiâ & vexatione nec semel eum inuenies frontem in rugas contraxisse, vel os aperuisse ad maledicendum. Et tu, miser, verbulum vnum ferre non potes propter Deum, quin mox iracundiam tuam verbis, actibus, signis, gestibus & aspectu testeris. Repentè erumpis in querelas, in murmurationes, in impatientiâ, nolens vel tantillam ferre crucem à Deo humeris tuis impositam, quin & grandem iniuriam tibi fieri causaris ab illo. Optares certè, vt in omnibus permitteret tibi Deus vti voluntate tuâ, omni satisfacere sensualitati & oblectationibus tuis, impleretque omne desiderium cordis tui, adeò vt ne vnum saltem verbulum asperum tibi diceretur, ac nihilominùs per sua merita veniam daret cunctis iniquitatibus tuis, & absque pœnâ te in suam eueheret æternam gloriam, (videlicet eâ dignus es.) Velles, inquam, vt in omnibus submitteret ille se tibi, & propter te iniustus fieret. Sed falleris prorsus, falleris. Non tam vile habet regnum suum, cariùs id ei constitit. *Oportuit pati* 8.

Quantum hinc condemnetur nostra superbia, & impatientia, & vindictæ cupiditas.

Propria etiam voluntas & sensualitas.

Lucæ 24.

Christum, & ita intrare in gloriam suam: si tu pati recusas, foris remaneto. Ipse ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam* quotidie, *& sequatur me*. Sic enim de Sanctis omnibus legimus, plurima eos grauia & aspera perpessos, quò digni fierent esse coheredes Christi in regno Patris illius.

Matth. 16.

CAPVT VI.

Maria mæstissima mater Filio suo afflicto compatitur, eumdemque amore ardens prosequitur.

1. *Fides Mariæ numquam vacillauit, sed vnà cum Filio, & ipsa eum in passione Deo pro mundi salute obtulit.*

2. *Etiam ipsa suo modo pro nobis passa est, propter tenerrimam compassionem in omnibus Filij sui doloribus:*

3. *Præsertim ab eâ horâ, quâ Christus Iudæorum voluntati traditus fuit.*

4. *Pia ponderatio doloris virginei, verborumque qualia tunc ipsam fudisse verisimile est.*

5. *Mæstissima profectio Virginis ad locum, vbi Filius ab impijs passurus fuit.*

6. *Mutuus aspectus Matris & Filij in pœnis constituti, quàm fuerit vtrique dolorificus.*

1. *Fides Mariæ numquam in totâ passione vacillauit, etsi Apostoli titubarent.*

VIDEAMVS nunc quò pijssima Dei Mater abierit, & vtrumne vspiam in publicum proditura sit, vel forsitan cum Apostolis deseruerit Filium suũ. Certè, quamuis in Apostolis fides titubauerit, licet timor oues disperserit à pastore, licet palmites à vite abscissi sint; attamen ramus vnus integer permansit & illæsus, qui est beata Virgo Maria, succo fidei plena. Neque enim possibile erat, vt in hanc dubitationem incideret Mater Christi, essétne Iesus Filius Dei, vtpote quem absque viri contactu, ex sancto se nouerat Spiritu concepisse: nec vllâ ratione poterat eum deserere, cum quo effecta erat vnus spiritus in Deo. Prorsus verisimile est, Spiritum sanctum omnes vires animæ Deiparæ Virginis complexum esse, fortiterque sibi totam illius voluntatem, intellectum, amorem & affectum vendicasse: creatum spiritum illius erigens ad gloriam Patris, eamque legi & Scripturis, quæ erant de Filio eius, reddens subiectam. Vnde sicut Christus non seipsum quæsiuit, sed gratissimam Patris voluntatem, & salutem exequi animarum: ita & Maria vnigenito Filio suo non pepercit, sed & ipsa eum vltrò ad omnem illam obtulit passionem, quam ab eo Deus Pater exigebat tolerandam. Nec attendit doloris gladium quo cor suum scindendum erat, non thesaurum pretiosissimum quo priuanda erat considerauit, sed totam se cum omni facultate suâ in gratissimam resignauit Dei voluntatem, parata omnem ferre pressuram, afflictionem, & grauissimos cruciatus, qui hinc accidere possent.

Vnà cum Filio suo ipsum in passione obtulit pro salute hominum.

2. *Suo etiam modo cum Christo pro nobis passa fuit.*

Nulli sanè ambiguum esse debet, beatissimam hanc Matrem & Dominam nostram tanto erga Deum & cunctos homines amore flagrasse, adeoque salutem sitijsse animarum, quòd & ipsa libentissimè crucis subijsset mortem, si ita visum fuisset omnipotenti Deo. Et quia id fieri non debebat, tantam intrinsecus crucem & dolorem sustinuit, quantam absque cordis diruptione ferre potuit. Nulla vmquam genitrix tanto amore filium suum complexa est, vt Virgo beata vnicum suum: nec vlla vmquam sic doluit ob filij iniurias, vt ipsa. Hinc pectus eius maternum præ doloris acerbitate indicibiliter scindebatur: & ipsa propter nos portabat passionis crucem vnà cum Filio suo, dolorísque gladium sentiebat peracutum. Nemo æstimare sufficit, quas curas, quæ onera, quantam penuriam, afflictionem, molestiam, triginta tribus annis cum eodem Filio suo pertulerit. Enimuerò quidquid persecutionis & afflictionis à Iudæis vnicus eius perpessus est, id omne ipsa semper sustinuit. Nihil enim molestiæ vel doloris (illâ inspiciente) poterat inferri Filio, quin anima ipsius, quæ in Filio per mirabilem quemdam amorem habitabat, simul cruciaretur.

Quia tenerrimè compatiebatur omnibus Filij sui cruciatibus. Luc. 2.

3. *Idque maximè à tempore, quo comprehensus fuit à Iudæis Mariæ filius.*

Et cuius cor cogitare possit, quantam perpessa sit crucem & afflictionem nocte illâ tristissimâ, quâ dilectus Filius eius manibus est traditus hominum impiorum, & à proprijs relictus discipulis? * Satis quidem credibile est, eam (quoniam plena erat Spiritu sancto) vidisse in spiritu omnem dolorem & cruciatum, quem vnicus eius nocte illâ horribili expertus est. Sicut enim ipse pulcherrimo, iuuenili ac florido corpori suo, ob salutem hominum parcere noluit, quin illud morti traderet; ita nec materno cordi pepercit, quò minùs gladio illud doloris permitteret transuerberari. Vnde etiam omnem suam passionem eidem amantissimæ Genitrici suæ prædixit, quò meritorum suorum omnium & afflictionum eam participem faceret, vtque materna vbera eius cunctis referta meritis, semper lac gratiæ in promptu habeant, quod vbertim effundant in singulos quosque, qui ea per deuotas preces comprimere satagunt.

* Hæc de B. Mariâ matre Domini IESV patientis piè credimus & vtiliter meditamur. Si enim Prophetis de Passione Christi multa præostensa, cur id Matri Dei negabitur?

Putatur Christus quæ passurus erat, Matri prædixisse & præmonstrasse.

4. *Deuotè perpendit dolorem Virginis Matris, & verba quæ dolor ei exprimeret.* Luc. 2.

O Maria mœstissima mater! quàm acerba, quàm tristis nox ista tibi fuit! Vt gladius Simeonis sæuijt in corde tuo! O quàm luctuosa verba, quàm miserandos gemitus, quàm

quàm ignita in cælum ſuſpiria edidiſti! Quàm feruido corde cæleſtem Patrem rogaſti pro Filio tuo, eum totum illi offerens & commendans! Et licet necdum corporaliter adeſſes Filio tuo, hoc ipſum tamen quòd eum pati ſciebas, adeò ſcidit cor tuum, ac ſi ipſamet in tuo fuiſſes paſſa corpore: ipſumque cor tuum velut in ardenti fornace intra te torrebatur, liqueſcebat, exardeſcebatq; præ amore feruétiſſimo, & deuaſtante flammâ afflictionis atq; crucis. Quis cogitare queat, quàm ignita verba, quàm feruidas amoris ſcintillas, totâ illâ nocte ardentiſſimum cor tuum emiſerit? Forſitan enim hoc ſimilive modo dicebas: O Ieſu fili mi, fili mi dulciſſime Ieſu! quis te mihi eripuit? Quis matrem à tam charo ſeparauit pignore? Vt quid non video te lumen deſiderabile oculorum meorum? Quis det mihi, Ieſu fili mi, vt ego pro te patiar, pro te moriar? O Ieſu vnicum cordis mei ſolatium! cur non tecum iui ad mortem? cur non confeſtim te ſecuta ſum abeuntem? O dulcis Ieſu, bone fili! vbinam hodie pernoctas? in cuius es manibus? Quidnam modò pateris? O ſi furentes Iudæi ſuam in me crudelitatem euomere vellent, tantùm vt tu illæſus abires! Multò quidem mihi dulcius eſſet mori, quàm in tantis anguſtijs videre te dulciſſimum vnicum meum. Certè afflictio mea multa nimis eſt, cor meum abundat amaritudine, ſpiritus meus deficit præ preſſurâ, dolorque meus humanam vincit afflictionem. Hoc ſimilique modo benedicta Chriſti Mater ſeipſam totâ nocte illâ flendo, gemendo, lamentando exhauſit. Et quomodo ſanguinarij illi, numquam à Chriſti vexatione & inhumanis afflictionibus abſtinuere; ita nec doloris gladius vel breui tempore à materni cordis compunctione ceſſauit.

Qualia cogitare poſſumus Virginis fuiſſe lamenta & exclamationes. Tob. 10. 2. Reg. 29.

5\. *Mœſtè ſequitur Filium ad locum vbi ab impijs patiebatur.*

O Maria fideliſſima parens! quo tunc animo ſecuta es Filium tuum? Nimirum amor ille qui ipſum Filium tuum accenderat, quò vltrò pergeret ad locum vbi calix ei amaritudinis præparatus erat, te quoque mouit, vt eò properares, vbi gladius doloris exacutus erat, qui virgineum pectus tuum ſcinderet, & intima confoderet animæ tuæ. O glorioſa cæli Regina: quàm lamentabiliter per viam illam deducta es ab amicis tuis! Quàm omnes illos lugubri voce tuâ ad lacrymas commouiſti! Quis æſtimare poſſit, quàm hoc iter triſte tibi fuerit? Quò enim propiùs accedebas ad vrbem, eò altius tuis doloribus immergebaris. Nec dubium eſſe poteſt, quin tam diu ieris, donec ad conſpectum veneris Filij tui, ſiue cùm ille duceretur ad Herodem, ſiue cùm inde ad Pilatum reduceretur, ſiue etiam cùm eum Pilatus ad populum produceret, dicens, *Ecce homo.*

6\. *Aſpectus ipſe mutuus Matris & Filij doloris pleniſſimus.*

Sed cuius poſſit animus capere, quis te dolor inuaſerit, cùm eumdem vnicum tuum tam dirè ligatum, tam miſerandum in modum ex verberibus, ſputis, & ſanguine deformem cerneres, vt pænè hominis ſpeciem amiſiſſe videretur? Et quidem omnino veriſimile eſt, amabilem Dominum, dulciſſimam matrem ſuam quàm potuit placidiſſimè reſpexiſſe, quodque verbis nequiuit, amabili feciſſe adſpectu. Tum verè, ô Mater dulciſſima, quàm liquefactum eſt intra te cor tuum? haud ſecùs quàm cera ab ignis ardore. Quàm tu tota pænè in lacrymas reſoluta es! Licet verò apud Euangeliſtas non reperiantur ea quæ hîc ſcripta ſunt; ad excitandam tamen in nobis deuotionem compaſſionemque erga Virginem beatam, ſcripta ſunt. Ceterùm quilibet ea intra ſe penitus profundiuſque poterit & debebit meditari.

CAPVT VII.

Ieſus adducitur ad Pilatum, & falsò accuſatus humiliter tacet.

1\. *Iudæi iterùm in concilio Chriſtum profitentem ſe Filium Dei eſſe, condemnant, & Pilato damnandum præſentant.*

2\. *In viâ euntem crudeliter diuexant.*

3\. *Falsò accuſant. vbi pulchra hypotypoſis Chriſti ante tribunal manſuetiſſimè tacentis.*

4\. *Excitatio ad humilitatem, patientiam, & charitatem: quam execrabilis noſtra impatientia, comparata manſuetudini Domini!*

1\. *Rursù Iudæi Chriſtum ſe Meſſiam fatentem damnant.* Ioan 18. Luc. 22.

HORA primâ omnes illi ſanguinarij Iudæi manè admodum conuenerunt, vt Ieſum neci traderent. Peſtifera namque inuidia quâ pleni erant, nullam eis permittebat requiem, & inſanus furor prorſus eorum deuaſtabat exurebatque pectora: cùm auidiſſimè ſitirent Agnum mitiſſimum perdere, atque eius innocentem effundere ſanguinem. Itaque in ſuum eum adducentes concilium, denuò examinauerunt; ex cuius verbis cùm audiſſent quòd Dei Filium ſe diceret, ita vociferati ſunt: *Quid adhuc egemus teſtibus?* Ipſi nos audiuimus ex ore eius. Tum verò cum turpiter ligatum atque deformem adduxerunt ad Pilatum, vt morti adiudicaretur. Et quidem ignominioſiſſimè eum obtulerunt, vt Pilatus ita illum à Iudæis deſpectum, & à Principibus Sacerdotum condemnatum ac reprobatum videns, ſceleſtum nebulonem eum eſſe crederet: & ſic etiam indictâ illius causâ mortis ſenten-

Matth. 26. *Præſentant eum Pilato.* Luc. 23.

ſententiam ferret, ipſumque Sacerdotum traderet impijſſimæ voluntati.

2. *Crudeliter vexant euntem.* Attende nunc, ô anima mea, cum dolore & compaſſione vehementi; quomodo homines truculenti Dominū Deum tuum vinctum & miſerabiliter deformatum, ad iudicem incircumciſum adduxerunt, ab eo iudicandum. O quis cogitare queat, quæ conuitia, quas afflictiones, quos contemptus dulciſſimo Ieſu in viâ illâ irrogarint! O quanto cum opprobrio Dominum gloriæ ad hominem profanum & Ethnicum adduxere, vt mortis ab eo ſententiam acciperet, ac ſi vnus omnium ſceleratiſſimus latro fuiſſet!

3. *Seditionis & blaſphemiæ calumniam falsò ei imponūt.* Vbi verò iam ad Pilatum ventum eſt, mox inſtar canum, abſque iudicio & ratione vllâ, ſuos vnà edidere latratus, & Dominum Ieſum falsò accuſantes, multa in eum mendacia congeſſerunt, vt Pilatum clamore obtunderent, ferocique verborum ſtrepitu obtinerent, quod veritate & iure probare non poterant: vtque Pilatus, dum omnes idem petere cerneret, omnibus ſe opponere vereretur. *Hypotypoſis Chriſti inter accuſatores & tortores coram Pilato ſilentis.* Hîc nunc, Chriſti fideles omnes, videamus, vt Dominus noſter velut agnus innocens illic ſteterit, paratus noſtræ ſalutis causâ in mortem immolari. Sedebat Pilatus multo faſtu turgidus vt iudex: hinc atque inde latera illius ſtipabant tortores ferociſſimi, Pilati ſententiam expectantes, parati crucifigere & enecare: à tergo ſtabat impia crudelium Iudæorum turba inſtar leonum rugiens, & horridos edens clamores. Inter hæc omnia agnus manſuetiſſimus os ſuum benedictum non aperuit, vtpote paratus mori pro ſalute miſerorum. Immites illi ac impij Iudæi terribilibus in eum oculis toruoque aſpectu intendebant, frendentes dentibus ſuis; *Iob. 16.* at amabilis ac pius Dominus ſtabat humili verecundiâ, depreſſus oculis, vinctus manibus, paratus bibere calicem ſibi à Patre datum. Et Pilatus tantâ humilitate & patientiâ non ad benignitatem, ſed potiùs ad dedignationem motus, Chriſtum aſperè ſatis allocutus eſt, dicens: *Ioan. 19.* *Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?*

4. *Diſcamus hinc humilitatem, patientiā, & charitatē.* Ah! quis non ad humilitatem, ad patientiam, ad amorem accendatur, vbi aduertit, quàm humiliter Dominus dominorum, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, coram vili aſtitit peccatore, condemnandus ab eodem, quantaque cum patientiâ omnem illam iniuriam, probra, confuſionem, contemptum, & ignominiam perpeſſus ſit? Et tamen nos miſeri vix verbulum, Dei amore ferre valemus; ſed ſi quid nobis aduerſi inferatur à proximis, mox erumpimus in querelas & murmurationes, totumque annum iram atque odium noſtro geſtamus in pectore, noſipſos per iræ inſaniam miſerè deuaſtantes: nec attendimus, quòd Dominus maieſtatis quotidie tantam à nobis contumeliam, infidelitatem & iniuriam ſuſtinet, dum ſacra illius mandata toties contemnimus, eius obſiſtimus voluntati, ipſius gratiam negligimus & in vacuum recipimus, atque indies eum denuò crucifigimus, irridemus, vulneribus diris conficimus, ſacrumque illius effundimus cruorem. Neque enim execranda & odibilia veremur peccata admittere, propter quæ Chriſtus ita perpeſſus eſt. *Quàm culpabilis ſit in nobis impatientia intuentibus manſuetudinem Chriſti in totâ paſſione.* Et quidem ipſe benigniſſimus Ieſus ſemper peccatis noſtris ignoſcere, eaque obliuiſci, & nos in gratiam recipere paratus eſt, ſi modò toto corde à peccatis auerſi ad ipſum conuertimur: paratus, inquam, eſt interceſſor & aduocatus noſter eſſe apud Patrem, ac ſeipſum totum cum omni paſſione ſuâ illi offerre pro delictis ac negligentijs noſtris. At nos inflati vix iniuriolam remittere, aut eos, qui nos offenderunt, placidis oculis inſpicere poſſumus. Ah! pudeat nos noſtri, & poſthac Dominum Ieſum diligentiùs imitemur.

CAPVT VIII.

Ieſus mittitur à Pilato ad Herodem, ibique accuſatur, ſpernitur, ac veſte albâ illuditur.

1. *Pilatus mittit Chriſtum ad Herodem. Triſte ſpectaculum, vidiſſe Chriſtum in viâ tam crudeliter à Iudæis afflictum.*

2. *Hinc diſcat anima ſeipſam abnegare, vt Chriſto ſponſo conformetur.*

3. *Herodis ſuperba curioſitas à Chriſto fruſtrata: Iudæorum tumultuoſa accuſationes; ſilentium Chriſti.*

4. *Vbique Chriſtus contumelias pertulit, nullibi conſolationem accepit. Veſte albâ tamquam fatuus induitur.*

5. *Miſeranda proceſſio Chriſti, hinc inde cum tantâ ignominiâ raptati.*

6. *Ieſum, qui hæc patitur, Deum ſimul & hominem conſidera, vt profundiùs humilieris. Contra nimium ornatum veſtium.*

POSTEA quàm Pilatus falſas omnes & iniquas Iudæorum accuſationes audierat, videratque nullam eos mortis cauſam in Ieſum conferre poſſe, vt cognouit illum Galilæum eſſe, miſit eum ligatum ad Herodem, qui tunc Galilææ dominabatur. 1. *Mittitur Dominus à Pilato ad Herodem. Luc. 23.* O quantâ cum ignominiâ & crudelitate impij Iudæi Dominum maieſtatis, cui omnis debetur honor & gloria, per ciuitatem in conſpectu

spectu omniũ deduxerunt! quandoquidem ciuitas illa plena erat populo: vnde & magna haud dubie hominum concursio facta est, Christum videre cupientium. Itaque factus est Dominus maiestatis spectaculum Deo & hominibus. Quidam eum habuere irrisui, & multis iniurijs atque molestijs affecere: alij currentes post ipsum, probra & contumelias in eum congessère. O quantopere cum dulcissimo Iesu festinauerunt, de vno ad aliũ iudicem eum pertrahentes! O quàm omnia illius membra ægra erant, & malè affecta ex lassitudine, & multiplici afflictione, quam nocte illâ sustinuerat! Quàm pedes eius attriti & læsi erant ex plateis lapideis, cùm & inclementes illi immodicè properarent, & Dominus nudis pedibus incederet!

O mæstum spectaculum, vidisse Christum in viâ à Iudæis barbarè vexatum.

2. *Abnegare teipsum, vt Christo conformeris quasi sponsa sponso.*

Disce hîc, ô anima mea, ex sponso tuo abnegare teipsam. Si enim grata illius sponsa, fidelisque imitatrix esse cupis, ita te omni voluntate propriâ & electione oportet esse destitutam, ac si numquam, quid sit Velle, perspectum habuisses: patiarisque te mitti ab vno ad alium, vltrò citroque, ad summum, ad infimum, foras & intrò; sisq; semper sponte obediens & subdita, quantumlibet id tuo sit sensui vel iudicio aut sensualitati aduersum atque contrarium: sicuti & Christus vltrò se ad omnes istos immanes cruciatus tenerrimæ ipsius complexioni vsque adeò molestos tradidit, atque à iudice ad iudicem, à pœnâ in pœnam se trahi libentissimè passus est. Numquam intereà faciem contraxit in rugas, aut aspernationem, nec os querelis vllis aut murmuri patefecit. Non attendit pijssimus Dominus, quæ probra, quas cruces, quas iniurias pateretur: sed factus est humiliter obediens Patri suo vsque ad mortem, patienterque se totum submisit omnibus doloribus, pœnis & cruciamentis quæ illi inferebantur.

Philip. 2.

3. *Elusa est à Christo curiositas Herodis.*

Sic ergo crudeles illi Iesum ad Herodem adduxerunt. Herodes autem, cùm esset curiosus & tumidus, ac multa de miraculis Christi audiuisset, ex multo eum tempore videre desiderabat; sed nullum potuit à Christo habere responsum. Quando enim non nisi vano & curioso animo miraculum aliquod videre cupiebat, planè indignus erat vel verbum vel signum aliquod ab æterna consequi Veritate. Hîc iam iterùm fallaces & impij Iudæi more canum horridos edidere latratus, Christum accusando, ac falsos proferendo testes, quò incomposito multoque clamore Herodem ad Christum iudicandum condemnandumque excitarent. Et inter hæc omnia agnus mansuetissimus humiliter tacuit, patienter expectans acerbum calicem ipsi à Patre præparatum. Videns itaque Herodes, cum neque signũ aliquod neque responsum edere, turbatus *spreuit illum*, & irrisit *eum* omni *exercitu suo*, à quibus Dominus Iesus contumelias & probra multa perpessus est.

Iudæorum clamores, Christi silentium.

Irridetur Dominus ab impio Herode. Lucæ 23.

4. *Contumelia vbique illata Christo, solatium nullibi.*

Attendamus hîc ineffabilem Christi humilitatem & patientiam, vt cruces & contumelias alias ex alijs sustinuerit. Nimirum in locis omnibus, & ab hominibus vniuersis persecutiones, contemptum & iniuriam patitur. Nemo est qui eum releuet, qui aliquid in eum conferat beneficij, qui compatiatur afflicto, qui vel consolatorium loquatur verbum. Omnes vidẽtes eum, spreuerunt eum. Iuuenes & senes, pusilli & magni, serui ac domini, omnes in eum insurrexère, omnes vnanimiter suam in eum virulentiam, malitiam & falsitatem euomuerunt. Cuncti auidè sitiebant illius mortem, illius innoxium ardebant sanguinem fundere. Neque enim absque dolore & nauseâ eum videre poterant. Sic planè Christus Dominus factus est *opprobrium* sæculi, & *abiectio plebis*. Herodes namque non solùm cum indignatione eum à se repulit, & contumelijs affecit, sed etiam veste albâ ceu fatuum induit, quò hoc ipso cunctos simul homines prouocaret ad illudendum Christo. Atque hac tantâ cum ignominiâ & confusione ad Pilatum eum remisit.

Psal. 21.

Induitur veste albâ tamquam fatuus.

5. *Christus Dominus crudeliter hinc inde raptatus.*

Hîc quisque apud se ruminet, quàm miseranda hæc processio Christi fuerit, quando eum ita ab Herode turpiter illusum & despectum vilissimi serui illi velut fatuum irriserunt, & ingenti cum contemptione abiecerunt, alijs pugnis, alijs pedibus eum contundentibus; quibusdam veste trahentibus, nonnullis maledicta & probra à tergo illius euomentibus, præter alia innumera conuitia, iniurias & scommata, quibus in eum ferebantur impuri, quorum in sacris litteris non fit expressa mentio, nec certa habentur testimonia. Sed quia filij erant diaboli, omnem Christo malitiam irrogarunt, quam suggerente patre suo concipere poterant. O! quanta erat hęc missio atque remissio ignominiæ, virum tam honoratũ ita vinctum per plateas publicas quasi furem & latronem deduci? quod fieri solet ijs, quorum tam enormia sunt facinora, vt vix digna illis possint excogitari supplicia.

6. *Deus verus est simul, & homo verus, qui hæc indigna patitur.*

Aduerte ergo, ô anima mea, acerbo cum dolore Iesum sponsum tuum, cęli gaudium, Patris sapientiam, Regem gloriæ tam turpiter confusum & contemptum, vt iam non sit homo, sed abiectus terræ vermiculus: vtque non solùm tamquam sceleratus & reus morti adiudicetur, sed etiam instar deliri in veste stulti irrideatur ab omnibus. O! quis

quis tam ferreo sit pectore, vt ista eum non emolliant? Cuius non deficiat, præ ingenti admiratione, intellectus, vbi profundissimam & abyssalem hanc Dei & Domini nostri humilitatem atque abiectionem contemplatur? En Dominus dominorum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, vt fatuus deridetur. Erubescite peccatores tumidi & superbi, coram Deo & omnibus Sanctis eius fœtentes, qui toti in hoc incumbitis, vt saccum vestrum stercoreum & nidum vermium, nempe corpus vestrum, rebus pretiosis exornetis, quando Dominus maiestatis, vestri causâ, albâ ac contemptibili veste velut stolidus despectus est.

Inde profundius congemisce, & humiliare. Coloss. 2. *Contra nimium ornatum corporis.*

CAPVT IX.

Iesus ab Herode remissus ad Pilatum nudatur, & flagellis crudelissimè laceratur.

1. *Iudæi furore, non iure contra Christum agunt; Pilatus eum conatur dimittere, sed Iudæi Barabbam preferentes, Christum ad crucem deposcunt.*
2. *Traditur ergo Christus tortoribus flagellandus. Admirabilis hic patientia Domini condemnat irresignatam ceruicositatem nostram.*
3. *Christus ab impijs satellitibus nudatur, columnæ alligatur, flagellis caeditur: in totum corpus ipsius saeuiunt tortores.*
4. *Quàm horrendus fuerit hic cruciatus, quanto amore nostri à Christo toleratus! Numerantur vulnera flagellationis.*
5. *Excitatio ad compassionem,*
6. *Ad laudandum & amandum, ipsique nos conformandum.*
7. *Imago mœstissima Christi flagellis dilacerati, amanti animæ obiecta.*

1\. *Furor & rabies Iudæorum contra Dominum.* HINC iam crudelissimi Iudæi Christum ad Pilatum reduxerunt, denuoq; suas in eum accusationes acerrimè intenderunt, quò mortem illi adferrent: rursumque horrendis clamoribus Pilatum obruere moliebantur, quandoquidem nullam rationem, æquitatem, vel causam aduersus Dominum proferre poterant. Itaque vociferando veritatem oppressêre, rationem obnubilarunt, iustitiæ obscuritatem attulêre. Ceterùm Pilatus, cùm aduerteret solâ inuidiâ Iudæos adduci, vt Iesum neci dare appeterent, & Herodem similiter nullam in eo mortis causam inuenisse; nihil intentatum reliquit quo Dominum liberaret. Et quia ratione Iudæi placari non poterant, sciscitatus est ex eis, si eum, pro concesso ipsis priuilegio, ad Paschalis solemnitatis honorem, dimitti vellent. Sed omnium vnâ voce exortus clamor est, Barabbam se velle. O ingens cæcitas, & insatiabilis ferocitas Iudæorum! ô infelix permutatio! Lupum præ agno elegerunt, scelestum & odibilem nebulonem, præ iusto & innocente homine; impium denique & latronem, præ vitæ auctore. Quæsiuit deinde Pilatus, quid de Iesu faceret. Et illi fremitu horrisono clamabant: *Crucifige, crucifige eum.* Pilatus respondit: *Regem vestrum crucifigam? Quid enim mali fecit? Nullam causam inuenio in eo.* Verùm, quò ardens furia vestra, & liuor virulentus temperetur, & sitis cruenta nonnihil restinguatur, etiam sine causâ, contra mentem meam tamen, eum castigabo, corripiamque: vt vel sic compuncti, immeritam & innocentè illius mortem appetere desinatis. Tunc itaque Pilatus Christum suis tradit ministris & tortoribus, vt eum flagellarent.

Luc. 23. Matth. 27. *Pilatus conatur innocentem dimittere.* *Iudæi malunt Barabbam quam Christum sibi liberum donari.* *Iesum postuliant ad crucem.* Luc. 23. Ioan. 19.

2\. Veni nunc, ó anima mea, gemebundo corde, & vide vti sponsus tuus Iesus, cæli gloria, immitissimis traditur manibus vilium seruulorum, quò sæuam in eo expleant malitiam suam. Vide vt sanguinarijs illis facultas detur & potestas, purissimum, nobilissimum, floridum & virgineum corpus illud discerpendi, regiumque diffundendi cruorem. Aspice quàm sponte, quàm benignè, quàm humiliter Dominus dominorũ, abiectis illis sordidisque mancipijs sese tradit ac subijcit, omnem in se malitiam illorum crudelemque tyrannidem expleri sinens, *factus obediens* cælesti Patri *vsque ad mortem.* Nec vmquam aperuit os suum benedictum ad maledicendum conquerendúmve, nec manus pro sui vltione extendit, nec faciem mutauit ad iram seu indignationem; sed benignè totum corpus suum tortoribus exposuit. Attendite hæc, quotquot estis ceruicosi, elati, superbique Religiosi, qui fictam quamdam extrinsecus præfertis speciem obedientium, ac verè religiosorum hominum: intrinsecus autẽ prorsus irresignati, morosi, propriæque voluntati dediti estis; quibus diuturnior pax non est, quàm dum facere vel habere vobis permittitur, quod libenter facitis habereque desideratis. Sed quæso aduertite, quàm vltrò se Christus ad mortem obtulerit, quantoque cum affectu acerbum passionis suæ calicem aggressus sit, licet illum tantopere natura eius horreret. Itaque ex ipso exemplum capite, elatamque ac rigidam ceruicem vestram subter diuinam correctionem, & subter Dei ac Superiorum vestrorum (qui Dei erga vos vicem gerunt) mandata submittite: certi, quòd quidquid contemptus ac rebellionis à vobis Prælati vestri acceperint, id in ipsum Deum optimum maximum redundare.

Flagellãdus Dominus tortoribus datur à Pilato. Philip. 2. *Admiranda Domini patientia.* *Damnat irresignatã ceruicositatem humanã inobedientia, præsertim in Religiosis hominibus.*

3\. Hinc iam lictores ac satellites Præsidis furibundi, Christum rapientes, vestibus illi fero-

Nudatur Iesus ab impijs satellitibus, vt flagris cædatur.

ferociter detractis, ipsum cæli creaturarumque omnium conditorem, qui cælum nubibus operit, & cunctis esse largitur, inuerecunde nimis denudarunt. Itaque stabat illic speciosissimus & elegantissimus mortalium omnium, virgineo affectus pudore, in innocentiâ simplici. O quanta crux erat honestissimo cordi illius, quòd tam turpiter nudatus coram vilibus illis scurris assistere cogebatur! Deinde tam inclementer ad columnam eum ligauerunt, vt (quemadmodum legitur) caro illius funes, quibus vinctus erat, prorsus operiret: tanta erat teneritudo & mollities naturæ illius. Quin & hoc scriptum reperimus, præ crudeli illâ funium constrictione, sanguinem ex digitorum vnguibus erupisse. Id verò eâ de causâ fecerunt, ne ex eorum manibus elaberetur, quandoquidem maleficum & impostorem eum habebant. Post hæc immites illi elegantissimum sacratissimumque Christi corpus tam inhumaniter dilacerarunt, vulneribusque vndique inflictis exararunt, & tam virgis quàm alijs terribilibus flagellis, (quæ inuido corde suo inuenire poterant) discerpserunt, vt totus sibiipsi dissimilis esset, vniuerso corpore eius sanguine perfuso, & cruentis scatente vulneribus. Neque enim cutem duntaxat illius virgis disciderunt, sed etiam sacratissimam carnem eius inhumanis discerpsere cruciatibus, adeoque dilaniarunt, vt omne eius corpus ceu excoriatum videretur, malignis illis vulnus addentibus vulneri, pœnam pœnæ, dolorem dolori. Cumque iam dorsum illius tam crudeliter dilacerassent, vt non nisi sanguinem videre esset & vulnera, eum soluentes, dorso ad columnam (vt quidam affirmant Doctores) religarunt, manibus supra caput simul alligatis. Tum verò sacrum eius ventrem, quo priùs columnam attigerat, necdum admodum læsum, de integro vulneribus crebris affecerunt, conscideruntque, vti priùs dorso fecerant. Et hi forsitan recentes fuere carnifices, qui suam non minùs quàm priores in Dominum euomuere crudelitatem.

Ad columnā inhumaniter alligatur. O tristis hypotyposis pro deuotâ animâ, & Christi sponsâ!

Virgis & flagris inclementer dilaceratur.

Idque per totum corpus tenerrimum & florentissimum.

4\. Cogitemus hic, obsecro, quantum senserit cruciatum Dominus Iesus, cùm vincula, carni eius iam inserta, euellerentur, rursumque inijcerentur extracta, ac denuò inhumaniter ipse sauciaretur, verberibusque conficeretur. * Sanctus Bonauentura ait, plusquàm quinque millia vulnerum hîc Christum excepisse. Nimirum adeò hîc deformis & miserabilis effectus est, vt non solùm ministri verberando, sed homines etiam aspiciendo defatigarentur. Atqui nihilominùs benignissimus Saluator noster stabat illic pleno cum affectu & ardentissimâ charitate omnem hanc afflictionem & pœnam pro nostris peccatis patientissimè sufferens, elegansque ac floridum corpus suum cælesti Patri pro salute nostrâ desiderabundè offerens hostiam viuam. Enimuerò numquam tanta salutis nostræ causâ perpessus est, quin plura pati desideraret in gloriam Patris: vtque nobis incomprehensibilem & ardentissimum cordis sui amorem testatum redderet, & re ipsâ quàm euidentissimè declararet. * Nihil quidem iam sanum & integrum in illius relictum erat corpore: & integer adhuc ac indistractus in eo perseuerabat affectus maiora patiendi. Flagella tortorum totum eius corpus crudeliter lacerarant: & amor nihilominùs cor ipsius in patientiâ seruabat illæsum. Iam ministri pæne flagellando defecerant: & Christus secundùm affectum necdum fatigatus erat. Vbertim sanguis eius pretiosus ex membris omnibus ad peccatores defluebat in terram: & spiritus ipsius per gratitudinem erigebatur ad Patrem in cælum. Sacrum illius corpus ictibus peccatorū subiacebat, purpureoque cruore tingebatur: & preces cordis eius per Angelos ad Patrem in cælestia ferebantur. Dorsum, & caro, ac sanguis ipsius defluebat: sed sursum tendebant gemitus & ignita desideria, quibus omnem hanc afflictionem Patri pro cunctorum offerebat salute mortalium. Et quamuis tam inhumanis vndique correptus esset doloribus, vt, ob naturę complexionisque excellentiâ ac teneritudinem, quilibet ictus cor illius penetraret; adeò nihilominùs voluntas eius & Deo & hominibus subiecta erat, feruensque desiderium Patris exactioni satisfaciendi & redimendi hominem tam immodicum * in eo fuit, vt amore victus conqueri non posset. Neque enim aliud poterat, quàm amare, & ob amorem pati.

Cruciatus hic flagellationis fuit maximè horrendus.

* Bonauentura vulnera Christi 5000. fuisse ait; alij plura numerant.

Quanto amore Christus hunc cruciatum pro nobis pertulerit.

* Obseruabit pius Dominicæ Passionis meditator antithetaista deuotissima tormentorū acerborum carnis ob flagellationem, & dulcium desideriorum cordis ob cupiditatem nos magis amandi, & plura pro nobis patiendi; quæ hic notantur in Christo flagellato.

* O illimitatum amoris Christi desiderium in patiendo pro nobis!

5\. O anima mea, & quotquot Deum amatis, qui pretioso Sanguine Christi Iesu redempti, & à peccatis vestris abluti estis, venite, & interno cum dolore videte quanta fecit Deus animabus nostris. Quòd si ista non compungunt, aut certè non commouent corda nostra, humili querimoniâ coram Deo fateamur nos ferro ac lapidibus duriores esse. Piè ingemiscamus & suspiremus, sed non desperemus. Quæso aspiciamus, vt Rex gloriæ pro nostris hîc sceleribus vulneratus & deformis effectus est. Vide, ô homo, si dolor vllus hisce doloribus eius possit æquiparari. Atqui plura adhuc pati paratus est. En pro peccatis tuis libens etiam mortem excipiet, sanguinemque suum ad extremam vsque guttulam effundet. Sed & ipsum cor suum tui causâ confodi finet, vt illud

Ad sincerā compassionē exhortatio.

illud tibi patefaciat, nimiumque suum declaret amorem.

6. *Ad Dominũ Iesum laudandum, amandum, & per conformitatem imitandum.*

O! quî vmquam immensæ huius charitatis obliuio nos capere potest? Mirum sanè est, corda nostra non prorsus liquefieri præ flagrantissimâ hac dilectione. Et quomodo vmquam ab eius laude atque gratiarum actione cessamus? Quomodo aliquid amare velle possumus præter eum, cuius tanta est erga nos amoris * intemperantia? Aut quî in vllam aliam curam incumbere libet, quàm vt charitati huic qualemcumque amoris vicem reddamus? Cur recusamus vel guttulam vnam myrrhæ acerbioris degustare causâ illius, qui sese totum propter nos in ipsum amarissimum passionis pelagus immergi passus est? Quî vmquam graue nobis esse potest, animo commemorare illius passionem, quam ipse propter nos admodum libenter sustinuit? O Iesu dulcissime! quæ cor tuum vicit pietas, quæ illud charitas absorbuit, vt pro vilissimis peccatoribus tam acerbam tamque ignominiosam volueris subire passionem? * Ad redimendum hominem satis vtique esse poterat (propter excellentiam ac dignitatem tuæ personæ) vel vnam pretiosi Sanguinis guttulam effudisse: sed vt nobis tuum effluentissimum prorsusque immensum amorem (quo nos complecteris) indicares, teipsum totum abiecisti, totum exposuisti, totum tam horrendum in modum pænè in nihilum redigi permisisti, atque pro peccatis nostris secundùm rigorem iustitiæ satisfacere voluisti.

* Magnitudinem & excessum amoris atque mensuram superefluentem vocat hic & alibi intemperantiam.

* Copiosa apud Christum redéptio. Vide D Thomam 3.p. q.1.a.2. & ibidē Scholasticos.

7. *Effigies Christi flagellati semper ob oculos amantis animæ versetur.*

Inde iam Saluatore nostro tam dirè flagellis cæso & cruentato, vt nulla pars in omni illius corpore salua permanserit, essetque corpus eius non nisi vulnus vbertim promanans, ita vt cunctis esset aspectu horribilis; à columnâ absolutũ, nudum & sanguinem fluentem, circumduxerunt ad quærendum vestes illius; quas, dum eum exuerant, præ irâ & malitiâ per atrium sparserant. Consideremus quæso, quàm miserandum in modum amabilis Iesus illic incederet doloribus plenus, præ frigore tremebundus, & sanguinem manans, adeò vt singula quæque vestigia roseo suo signaret cruore. Aspice nunc, ô anima diuino ardens amore, aspice, inquam, intimâ cum compassione, vt afflictus est dilectus tuus. Ipsa quidem peccasti: & Christus atrociter luit pœnas tuas. Ipsa concupiscentijs carnis obsecuta es: & Christus carnem & sanguinem suum pro tuis erratis ac sceleribus tam inhumanis cruciatibus afficienda tradidit.

CAPVT X.

Iesus chlamyde coccineâ vestitur, spinis coronatur, nugatoriè salutatur, conspuitur & cæditur.

1. Induitur Dominus coccineâ veste, & serto spineo coronatur, & arundo pro sceptro datur.

2. Spinæ istæ peccata nostra repræsentant.

3. Fuit hæc corona ex iuncis marinis, mille aculeatas spinas habens. Miseranda species Regis nostri tali serto coronati.

4. Denuò conspuitur, contunditur, ridiculâ geniculatione adoratur, caput arundine percutitur.

5. Hinc colligat fidelis anima, quanta sit grauitas peccatorum, quæ causam præbuerunt his cruciatibus.

PORRO cùm se Dominus post diram illam sui flagellationem, resumptis vestibus, humiliter indueret, consilia inter se egerunt satellites diaboli, dicentes: Seductor ille Regem se professus est, itaque coronemus eum vt Regem. Moxque totâ cohorte in Prætorium coactâ, Iesum illuc adduxerunt, vt coram omnibus illis ludibrio & contemptui haberetur, sicque maiori pateret confusioni. Vbi iam denuò vestes, quas vix benè induerat, multâ cum ferocitate ei abstraxerunt, vestemque purpuream seu coccineam circumdedêre. Deinde coronam è spinis contextam, loco Regij diadematis, sancto illius capiti impresserunt, datâ ei, sceptri vice, arundine in manum: flexisque genibus irridiculè eum adorabant, dicentes: *Aue Rex Iudæorum, & dabant ei alapas.* Ioan. 19.

1. *Vestiu coccineaꝫ spinea corona; & de arũdine sceptrum.* Mat. 15. Matth. 27.

2. *Egredimini & videte filiæ Sion verum Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die lætitiæ cordis eius. Verè* dilexit nos, *& languores nostros ipse tulit*, infirmitatesque nostras ipse portauit. Quæso, cum compassione non vulgari eamus visum, quàm horribiles hîc pro peccatis nostris cruciatus Filius Dei pertulerit. Alta ex imo pectore trahamus suspiria, quòd nos pœnarũ istarum causa sumus. Colliquescat præ dolore cor nostrum, totumque resoluatur in lacrymas, quòd Deum creatorem nostrum execrandis sceleribus nostris tam dirè coronauerimus. Quid enim aliud sunt cunctæ hæ spinæ contextæ, quàm crudelia peccata nostra quæ coaceruauimus? Sed corrigamus nos, & iussis benignissimi Regis nostri posthac obtemperemus.

Cant. 3. *Spinis illis repræsentantur peccata nostra.* Isa. 53.

3. O! quis dicendo consequi possit, quàm impatibili Dominus Iesus dolore correptus fuerit, cùm horribilis illa corona spinea tam inclementer ei imponeretur? Vt enim quidam affirmant, erat ex iuncis marinis, qui sunt

In capite Iesu corona spinea ex iuncis marinis contexta.

ſunt peracuti, & rigidi admodum. Et horum quidem non paruam connexuere copiam, in pilei formam eos redigentes, ita vt aculei magnâ ex parte ad caput adiungerentur. Tumq́ue tantâ cum violentiâ & crudelitate ſacrô Chriſti vertici diram hanc coronam appreſſerunt, vt (quemadmodum D. Bernardus ait) aculei cerebrum attingerent, ipſas quoque venas, neruos, & oſſa capitis penetrantes: adeò vt ſanguis illius, ſacro permixtus cerebro, vbertim per faciem, per collum, & per capillos deflueret. Expendat hic quiſque ſecum, qualis hæc pœna fuerit. Quid ſi cuipiam ingens aliqua ſpina in caput infigeretur, quonã futurus eſſet animo? Et certe (vt Anſelmus auctor eſt) Chriſti venerandum caput vel mille aculeis compunctum eſt. Imprimamus, oro, cordibus noſtris miſerabilem hanc Domini Ieſu figuram ſeu ſpeciem, vt numquam inde recedat. Ah, quàm deformis effectus eſt pulcherrimus omnium creaturarum! En quomodo elegantiſſima Chriſti facies omni decore & ſpecie deſtituta eſt: vtpote ex verberibus & plagis nimijs (quibus de nocte affecta fuerat) tumida, vnguium laceratione diuulſa, ſputis & phlegmatibus commixtim in eâ fluentibus, iamque concretis turpiter defœdata, nec non recentis huius ſanguinis (qui cerebro permixtus erat) profluuio irrigata. Itaque tam miſeranda erat ſpecies Saluatoris, vt iam hominis non præ ſe ferret imaginem. Et quis poſſet etiam bruto animali non compati, ſi id ita affectum videret? Hinc Dominus ad animam in Canticis ait: *Aperi mihi* cor tuum *ſoror mea, columba mea*, ſponſa mea, & tangat illud acerbiſſima paſſio mea: *quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*, id eſt peccatorum: ac ſi diceret, caput meum totum madet ſanguine, idque ob peccata tua.

Spina ipſi cerebro infixæ; de quibus extant Meditationes S. Bonauenturæ, S. Bernardi, & aliorum.

Mille aculeis ſpinarum perforatum caput Chriſti, teſte S. Anſelmo.

Triſtiſſima imago Chriſti ſpinis redimiti.

Cant. 5.

4\. Neque tamen immites illi, omni hac ſanguinis effuſione ſatiati, nec immani hoc cruciatu & ſtupendâ patientiâ Chriſti ad compaſſionem moti ſunt, ſed ferox eorum animus magis ad malitiam inflammatus eſt, ita vt deformem Chriſti vultum tam miſerandum in modum affectum denuò conſpuerent contunderentque: & quidquid contumeliæ, contemptus, moleſtiæ, aſpernationis, vilipenſioniſque diabolico ſuo poterant corde concipere, agno mitiſſimo irrogarent. Iam caput agitabant, iam *fremebant dentibus* in eum præ furoris inſania, vt Propheta ait: quandoquidem neſciebant quid in eum afflictionis & pœnæ, quidve contumeliæ conferrent. Semper enim ſæuum cor eorum magis illum torquere cupiebat, nec cruenta eorum ſitis potuit expleri cruciatibus. Hinc genua flectentes, irridiculè adorabant eum, dicentes, *Aue Rex Iudæorum*. Quia verò Chriſtus omnia hæc mirum in modum patienter ferebat, ita vt ne ſemel quidem faciem ſuam ab eorum verberibus & ſputis auerteret; tanto agitabantur furore, vt exſilientes è terrâ, raptâ è manu eius arundine, horribiles in caput eius ictus darent, quibus ſpinarum aculei altiùs ſancto illius cerebro infigebantur: adeò vt hæc pœna etiam cor illius attingeret, pretioſo ſanguine vbertim per amabilem faciem atque collum eius fluente. Nihilominùs ſedebat illic agnus innocens pleno affectu, omnemq́; hanc prorſus inhumanam afflictionem & pœnam pro noſtris fœtidiſſimis peccatis, ad ęterni Patris gloriam patientiſſimè tolerabat.

Veneranda Regis noſtri facies denuò conſpuitur.

Contunditur.

Thren. 2.

Ridiculè adoratur. Matth. 27.

Arundine caput percutitur.

5\. O vos ſuperbi, vos putidi peccatores, vobiſcum, quæſo, expendite, quanta ſint peccata veſtra, quæ tali caſtigatione, tam ſeuerâ correctione expiari oportebat. Niſi grauiter offenſus fuiſſet æterni Patris animus, numquam Filius Dei tanta pateretur. Itaque in ſuum peccator quiſque cor deſcendat: ibique altis ſuſpirijs & acerbis lacrymis ſe horum immanium Chriſti cruciatuum cauſam eſſe fateatur atque agnoſcat. Et tu, ſancta ac Dei amans anima, vide vt ſponſus tuus purpuream coccineamque veſtem geſtet nuptialem, in euidens argumentum atque ſignum ineffabilis pietatis, & incomprehenſibilis charitatis ſuæ. Vide vt in ipſo deſponſationis ſuæ die, viridem ferat coronam, rubentibus ornatam roſis, id eſt, roſeo ſuo tinctam ſanguine: hoc ipſo ſignificans pium ſe eſſe ac manſuetum Regem, verumque Principem amoris.

Hi cruciatus docent quanta ſit Dei contra peccatores ira & ſeueritas iuſtitia.

Cant. 3.

Corona ſponſi.

CAPVT XI.

Ieſus geſtans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum, exhibetur populo ſpectandus, mortique adiudicatur à Præſide.

1\. *Oſtenditur Dominus ſpinis coronatus, ſub miſerrimo ſchemate populo ſpectandus.*

2\. *Pilatus hoc facto cupiebat compaſſionem Chriſto conciliare apud Iudæos.*

3\. *Sed Iudæi immitiores facti, ipſum ad crucem poſtulabant. Hinc ineſtimabilis Chriſti dolor.*

4\. *Pilatus Chriſtum Dominum morti adiudicat. Iniuſtiſſima ſententia.*

1\. CVM ſatellites diaboli tam inhumaniter Ieſum tractaſſent, omnemque in eum virulentam malitiam ſuam effudiſſent, nec ſic tamen ardens Iudæorũ furor & odium refrixit, nec ſitis eorum cruenta extincta eſt. Neque impij illi contenti erant Dei Filium

Exhibetur ſpectandus populo Ieſus coronam ſpineam portans.

tam turpiter illusisse, atque habuisse contemptui coram omnibus illis qui in Prætoris ædibus erant; insuper & foras eum produxerunt, omni illi spectandum populo: quia ne contaminaretur, non fuerat ausus ingredi Prætorium. Nam cùm Pilatus profanus & ethnicus esset, fas non habebant Iudæi subire tectum illius. Verebantur contaminari, si Ethnici domum ingrederentur: nec tamen metuebant innoxium Christi sanguinem in se recipere. Paschalem edere agnum cupiebant, nec formidabant verum illum Paschalem agnum iniustè neci tradere. Itaque Pilatus Iesum tam dirè excruciatum turbæ ferocienti spectandum exhibuit, dicens: *Ecce adduco vobis eum foras*. Videte quam grauiter in eum animaduersum sit, quàm diris sit verberibus castigatus. Quæso aduertamus nunc, idque ingenti cum compassione, quàm miserabiliter illic Dominus steterit, veste tectus contemptibili ac deridiculâ, spineam coronam sceptrumque arundineum gestans, cruentis vulneribus, membris attritis, horribili ac squalido corpore, & præ frigore tremebundo, sanguinemque distillante. Aspiciamus etiam interno cum dolore amabilem vultum eius, in quem desiderant Angeli prospicere, miserandum in modum immitibus affectum plagis & tumidum, vnguium discerptione lacerum, cerebro ac sanguine pariter mixtis infectum & decoloratum, phlegmatibusque fœdum, ita vt humanam speciem amiserit. O quem ista non moueant! Meritò cordis nostri oculis semper opponeremus istud obiectum, nempe cruentum corpus, deformem vultum, & spinis coronatum caput Domini Iesu.

Ioan 18.19

Ecce homo.

Spectaculũ immensi doloris.

1.Pet. 1.

2. Cùm ergo ita Christum Pilatus populo præsentaret, ait: *Ecce homo*. quasi diceret: Vel nunc cõquiescat sanguinaria sitis vestra: ecce hominem. Vel nunc sufficiat vobis, cessate modò persequi sanguinem innoxium: præter fas namque & æquitatem, contra mentem & conscientiam meam, hominem hunc innocentem tam dirè ipse castigaui, vt furibundam sedarem iracundiam vestram. Sit igitur satisfactum vobis, & præstate vos homini nihil malè merito benignos; enimuerò homo est. Compatiamini carni, sanguini, atque cognato vestro: sæua tyrannis in clementiam, odiumque in charitatem transeat: misereat vos immitium pœnarum eius, quibus eum correptum cernitis; neque enim bestia est, sed homo. Non vllus vmquam latro, vel scelestus quispiam, ita ad nihilum redactus est, suisque pro facinoribus tam indignè tractatus, vt iustus iste, qui totus innocens est. Si despexistis eum quòd se Regem dixerat, iam nunc recipite eum, quem miserrimũ & abiectissimum omniũ videtis.

Ioan. 19. *Populum ad compatiendum Christo inclinare voluit Pilatus*

Ecce homo quid significabat.

3. Cùm igitur Iudæi sæuissimi hæc audirent, viderentque Iesum tam deformem coràm astantem, ferreum eorum pectus neutiquam emollitum est; quin potiùs ad maiorem excanduit liuorem & inuidentiam, adeò vt feroci animo clamarent: *Tolle, tolle* eum, nec aspicere quidem illum possumus. *Crucifige, crucifige eum*, nihil posthac excusationis recipimus: reus est mortis. Videns Pilatus nihil se proficere, sed actum agere, nec quidquam valere quidquid vel diceret vel faceret pro Christo liberando, insaniâ ac furore Iudæorum magis ac magis increscente, manus suas coram impiâ plebe lauit, dicens: *Innocens ego sum à sanguine* innoxio *iusti huius; vos videritis*. At illi incõposito & horribili sonitu vociferabantur: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*. O inaudita inuidentia! ô odium execrandum! Quàm putamus molestum fuit pijssimo Domino, cuius natura bonitas est, cùm inspiceret fraudulentum ac pestiferum fundum plebis suæ, quantâ sæuitiâ, quanto odio flagraret, quàm sitiret sanguinẽ suum, vt seipsos & omnes posteros suos æternæ maledictioni horribilique vltioni diuinæ addicerent, tantùm vt Christũ neci darẽt, & crucifigerent?

Sed inde populus efferatior, cum ad crucis pœnam postulabat.

Matth. 27. *Pilatus amouet à se mortis Christi culpam, Iudæi eam sibi imprecantur.*

Maximus inde Christo dolor adauctus.

4. Hinc iam Pilatus mortis sententiam tulit in Christum, tradens eum manibus Iudæorum, vt eum crucifigerent, & interficerent pro voto suo. Ah! cuius cor non exhorreat, dum attendit, vitæ auctorem morti esse adiudicatum? O iudicium iniquum! ô iniusta crudelisque damnatio! ô iudex peruerse! iamdudum nullam in eo causam inuenisti, & nunc eum morti adiudicas? Iam iam iustum eum affirmabas, & nunc ad crucis mortem condemnas? Paulò antè fatebaris, Iudæos odio & inuidiâ stimulatos eum tibi obtulisse, culpamque omnem ab eo abesse; & modò impijs hostium suorum manibus crudelissimæque illorum voluntati tradis? O! quis sibi temperet à lacrymis, reminiscens amabilem Dominum, agnum innocentẽ, cruentis traditum esse manibus Iudæorum, vt suam in eo explerent voluntatem? Quid facturi sunt iam iudicis obtento consensu, qui tanta attentare ausi sunt non iubente Præside? Quomodo suam in Christum effusuri sunt iracundiam, quam tamdiu suo gestarunt in pectore? Nimirum quidquid malitiæ concipere poterunt, in ipsum exercebunt. Amarissimâ, ignominiosissimâ, maximeque cruciabili ac contemptibili morte, quam quidem excogitare poterunt, ipsum afficient, quandoquidem ipsorum voluntati traditus est.

Marc. 15. *Coactus à Iudæis Pilatus Christum morti adiudicat.*

Iniustissima sententia omniũ, quæ ab vllo vmquam iudice lata fuit.

Sæuitia Iudæorum hostiũ Christi.

CA-

CAPVT XII.

Iesus cruce oneratus extra ciuitatem pertrahitur, humiliterque pergit ad Caluariæ locum.

1. Christus vestimentis suis reinduitus, lignum crucis, quindecim pedes longum, cogitur humeris suis baiulare.

2. Medius inter duos latrones deducitur morte ignominiosissimâ interficiendus, spectante infinitâ populi multitudine.

3. Vulnus in humeris sacris Christi ex ponderosa crucis baiulatione: vehemens onus crucis, sed vehementior amor ipsam pro nobis portantis.

4. Ad eius exemplum, propsius amore crux à nobis patienter ferenda.

5. Dulcis responsio Christi ad deuotas mulieres ipsum deflentes.

6. Christus crucem gestans corruit præ lassitudine: deinceps post ipsum eam gestat Simon Cyrenæus, homo gentilis.

1. Ioan. 19. Matth. 27. *Baiulat crucem suā Dominus.* POSTEAQVAM verò Christus Iesus Saluator noster ad mortem damnatus est, rursus eum ministri intrò rapuerunt, vesteq; purpureâ nudatum, suis denuò vestibus eum induerunt, vt tantò meliùs in habitu proprio agnosceretur: multaque cum festinatione ad mortem eum adduxerunt, verentes ne Pilatus aliunde persuasus, aut ductus pœnitentiâ, sententiam reuocaret. Itaque arreptum graue crucis lignum, longitudine (vt à Patribus annotatum est) * pedum quindecim, sacris lacerisque illius humeris imposuerunt. Cur autem id fecerint, ista ratio est: quòd crux eâ tempestate genus tormenti esset ignominiosissimum, quo rei afficerentur: vnde & præ confusionis ac probri metu nemo illi propinquare volebat. Christo igitur illud imposuerunt in grandem ipsius confusionem, vt suum ferret dedecus, essetque cunctis hominibus contemptui & ludibrio, illiusque memoria penitus ex hominum cordibus deleretur, nec quisquam vltrà auderet eius facere mentionem. At verò benignissimus Dominus, libenti & placido animo graue illud pondus suscepit, gestauitque ingenti cum desiderio ad Patris gloriā, pro salute mortalium. Nec crucem modò, verùm etiam totius mundi in se peccata recepit, & ad Caluariam asportauit, ibique ea cruci affixit, occidit, proprio diluit Sanguine, & morte suâ acerbissimâ expiauit. Hoc est quod Propheta ait: *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam*, id est, post concupiscentias & oblectationes suas, *declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Simul autem & perfectionis quamdam nobis Dominus formam re ipsâ exhibuit, vti antè verbo nos instituerat, seipsum funditus abnegans & resignans, crucemque suam constanti perseuerantiâ ferens. Quisquis eius vis esse discipulus, tu quoque fac similiter, & sequere Dominum tuum.

*Crux longa pedes 15.

Christus vnà cum crucis pondere totius mundi portauit peccata. Isa. 53.

Vnusquisque post eum, crucē suam ferre debet.

Attamen non satis fuit Iudæis hac eum contumeliâ affecisse; quia, ad maius dedecus & ignominiam, medium inter duos latrones eum deduxerunt: multoque amplius quàm ipsos latrones contempserunt, dum suam eum compellerent ferre crucem, quod de latronibus nusquam memoriâ proditum est. Enimuerò non scelera tissimus quisquam turpiori vnquam morte occubuit. Quo enim tempore Christus passus est, celebritas Paschalis agebatur apud Iudæos, & illuc confluxerat ingens populi multitudo, omnesque certatim Christū videre cupiebant. Itaque hic Dominus dominorum, cuius est omnis gloria & honor, spinis incedebat coronatus, diris constrictus funibus, graui crucis pondere prægrauatus, in latronum medio signis damnationis denotatus omnibus, quæ improbi illi excogitare poterant. Ante Dominum vilis præcedebat plebecula ridens & cachinnans, ipsumque anteuertere cupiens, vt videret crucifixum. Hinc inde carnifices & ministri ferocissimi eum stipabāt, innumerisque afflictionibus vexabant, vt simul plebem omnem ad illudendum illi & contumelias inferendas allicerent atque excitarent. A tergo sequebatur turba sæua armatorum, puta domini & Principes Sacerdotum, qui non aliter exultabant, quàm leones captâ prædâ, multasque execrationes & blasphemias in Christum congerebant. Sic, sic Rex gloriæ omnibus contemptui fuit. Pusilli ac magni, nobiles & ignobiles simul, eum probris & iniurijs affecerunt. Quod & Dominus antè per Prophetam prædixerat his verbis: *Aduersum me loquebantur qui sedebant in portâ, & in me psallebant qui bibebant vinum*, irrisui me habentes. *Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Psal. 68. Psal. 21.

2. Lucæ 23. *Inter duos latrones medius deducitur.*

Mors Christi turpissima ob varias circumstātias.

3. *Graue vulnus in Christi humeros inflictum ex crucis affrictu & pondere.* Isa. 53.

Nunc ergo gemebundo corde, intimoque cum dolore visum pergamus, quos hic cruciatus Dominus pertulerit. Tametsi totus (vt Isaias ait) vulneribus plenus erat; attamen à quibusdam annotatum est, grauiter eum læsum, ac singulari affectū vulnere in humero suo. Huic enim ingens crucis trabs, orâ præacutâ, imminens, grande inflixit vulnus: nam ex cunctis vulneribus vnum effecit, qui dolor pijssimum cor illius acerbè penetrabat. Atque, vt quidam deuoti Doctores sentiunt, fuit hæc ex Christi grauissimis pœnis vna, quā ille pertulerit. Vt enim quotidiano discimus vsu, si cui nostrûm vel

tenue hæreat vulnus aut vlcusculum, vix moderatè ferimus quemquam nos propiùs accedere. Quo ergo cruciatu esse affectum censemus Dominum Iesum Christum, cùm ipse graue lignum illud impositum impressúmque cruentis eius humeris, ac maximè diro huic vulneri, tam longo ferre itinere cogeretur? Et quia crux prolixior erat, totam in humeros recipere non potuit. Vnde factum est, vt pars extrema lapidibus, quibus via strata erat, adhærens, grandem & horridum strepitum excitaret, Dominum incredibili dolore afficientem. Nam cùm ex omnibus illis grauissimis pœnis & molestijs, quas totâ nocte & die perpessus erat, debilis & lassus, totúsque exhaustus ac viribus esset destitutus; nimirum incuruus, & ad terram depressus, sub ingenti illâ crucis mole miserandum in modum cum immensâ cordis angustiâ incedebat: singula enim vestigia cor illius acerbissimè mordebant. Ceterùm ardentissimus eius erga nos amor supra vires eum pati vrgebat. Iam cùm immodicè immites illi mortem Christi accelerarent, calcibus & pugnis protrudebant eum, protrahebantque, & sine vllâ miseratione tam inhumanis eum afficiebant verberibus, ac si bestiam præ manibus habuissent. Nihilominùs agnus innocentissimus se totum benignissimè, cunctis illorum ictibus ac feritati quam excogitare poterant, supposuit. Quis iam vltrà lacrymas cohibeat, Christum ita afflictum sibi ob interiores *oculos proponens? Enimuerò corpus illius prorsus expressum erat, & adhuc pati gestiebat. Sub pondere membra succumbebant; & amor feruidus labascentem erigebat, vt pœnam ad finem vsque perferret. Grande crucis onus ad terram eum deprimebat; & ignitum desiderium impellebat vt pergeret. Vehemens namque desideriũ gratissimam Dei Patris voluntatem exequendi, nostrámque absoluendi redemptionem, adeò in eo excreuerat, vt supra naturam & imbecillitatem humanam eum pati cogeret, & per pœnas impelleret.* Nam vel ad extremũ vsque iudicij diem pro salute hominum sic onustus incedere nihil recusasset, si sic fuisset visum Patri, & ad illius cessisset honorem.

Non solùm pondus, sed & ipsa longitudo crucis erat molesta portanti.

Et tamen à Iudæis immanibus festinare cogebatur.

Amor Christi erga nos animabat ad crucis pondus perferendum.

* O excessum amoris in Christo baiulante crucem!

4\. Itaque hîc Christus cunctis spiritualibus hominibus speculũ & formam quamdam, perfectionemque vitæ spiritualis proposuit. Quotquot enim ad sinceram & virtutibus conspicuam vitam aspirant, hi suam cum Christo sponte leuent crucem, fideliterque ac perseueranter eamdem ferant necesse est: atque, si ita placuerit Deo, priuari ac nudari se sinant bonis temporalibus, & quibuslibet adminiculis solatijsque amicorum,* internâ quoque ac spiritali consolatione, & gratiâ sensibili. Adhæc irrideri se patiantur, probra, detractiones, iniuriasque pro dilecto Deo suo hilariter perferant: & dum multis afflictionibus molestijsque hominum, tentationibus dæmonum, ac proprijs culpis siue defectibus suis excruciantur, humilem patientiam conseruent oportet. Et quisquis verus amator esse volet, is neque in morte, neque in afflictione qualicumque, quæ ei posset euenire, recedet à Dilecto suo, nec petet absolui à cruce suâ, sed eam patietur quoad Domino visum fuerit. Non etiam terrenam vllam, sed nec spiritalem inordinatè quæret consolationem, quæ ei spiritualem crucem aut mollire aut minuere possit. Quin potiùs ad dilecti gloriam, ad extremum vsque spiritum illam ferre paratus erit: nec vllam aliam hinc mercedem appetet, nisi vt ad Dei cedat honorem, & illi soli placeat.

Eius exẽplo perseueranter nobis ferẽda crux.

* Cũ inter cruces spirituales, & internas quas in humeros tollere & post Christũ ferre iubemur, vna de præcipuis numeretur ariditas mẽtis, seu tormentum ex priuatione spiritalis cõsolationis ac gratiæ sensibilis; ponitur hîc altissimus resignationis gradus, ad quem soli perfecti enituntur. De quo plura videri possunt apud R. P. Iacobũ Gretserum, de Sanctâ Cruce, toto lib. quinto.

5\. Sed age, iam ad Christum reuertamur. Itaque ipso tam miserabiliter sub ingenti crucis mole incedente, erant pij aliquot, maximeque deuotæ quædam feminæ, quas vehementissima afficiebat compassio ad Saluatorem, & flebant acerbè nimis, quibus Dominus ait: *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros*, quasi diceret: Equidem lacrymis vestris non indigeo, qui contemptibilẽ hanc mortem sponte meâ pro gloriâ Patris & pro vestrâ omnium salute patior. Non est ergo cur me lugeatis, sed vestra potiùs natorumque vestrorum, qui has mihi pœnas ingerunt, errata plangite. Ipsa namque vestra atque aliorum scelera grauiùs me premunt, quàm crux ista quam fero. Et citò quidem dolor meus abibit, illorum autem cruciatus in æuo durabit sempiterno. Si enim ipsi filij vestri *in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si ego, qui peccatum nullum vmquam admisi, sed vireo semper, & virtutibus omnigenis fecundus sum, ex hoc nihilominùs sæculo absque afflictionis igne, passionisque acerbitate emigrare non possum: quem illi ignem, quas flammas, quæve inferni tormenta expectare debebunt, qui aridi atque in bonis actibus steriles, virtutibusque vacui, malitiâ pleni sunt? Hinc nimirum D. Gregorius ait: *Dum mecum ipse passionem ac mortem Domini nostri Iesu Christi perpendo, Iob quoque afflictionem, & martyrium sancti Ioannis Baptistæ considero; prorsus exhorret cor meum ad pœnas impijs & peccatoribus præparatas.* Enimuerò si Deus charissimos quosque amicos suos tam dirè castigauit: quâ in hostes suos seueritate animaduersurus est, qui vt pecora irrationalia

Condolentibus mulieribus, dulciter compatitur Christus.

Lucæ 23.

Si tanta pro nostris peccatis tulit Christus innocens, quanta pro suis ferent peccatores?

S. Gregorius.

lia & absque prudentiâ pro putridæ carnis suæ voluptate viuunt?

6. *Christus fatigatus crucem gestando corruit.* Deinde cùm Christus ita, vt diximus, cruce miserabiliter onustus incederet, iamq; omnino exhaustus viribus defecisset, cùm non posset vlteriùs progredi, præ nimio angore corruit pronus in terram: quo casu multam simul expertus est crudelium illorum militum ministrorumque inclementiam dire eum cædentium, trahentium, impellentium, vt secum quisque facilè perpendere potest. Id enim omne fecerunt ei, quod intus diabolus suggerebat. Videntes autem impij illi quòd eum nec verberando, nec trahendo, nec propellendo, seu calcando vlteriùs promouere possent (iam enim ei nihil remanserat virium) hominem quemdam ad oppidum tendentem comprehenderunt, eumque post Christum ferre crucem compulerunt. *Simon Cyrenaus, homo gentilis, crucem Christi post ipsum portat.* Id verò non ex aliquâ erga Christum compassione fecêre, sed vt tantò celeriùs eum neci darent, & ne fortè sub manibus eorum animam efflaret, priusquam in eum omnem malitiã sæuitiamque suam exercuissent. Et homo iste ethnicus erat: videlicet vt hoc ipso daretur intelligi, indignos esse Iudæos qui Christi crucem baiularent: simulque ea res præferebat hoc mysterium, fidem scilicet & gloriam Crucis ad gentes transituram.

CAPVT XIII.

Maria Filium suum crucem baiulantem mœstissima sequitur.

1. *Beata Maria occurrit Christo crucem suam baiulanti.*
2. *Ineffabilis ibi dolor viscerum maternorum.*
3. *Quem tamen perfert constantissimè, sine vllo impatientiæ gestu, aut voce.*
4. *Crux & afflictio donum Dei excellentissimum.*

1. *Maria Christo occurrit crucem portãti.* DVM igitur hæc aguntur, Maria, tristissima Dei mater, auidè suum quærebat videre filium, vt vel consolatorium ex eo perciperet verbum, vel aliquod ei impenderet solatium, vltimumque vale diceret. Sed quia propè ad eum accedere non dabatur, ob turbam militum qui eum cinxerant, & vndique sequebantur; alio (sicut à plerisque affirmatur) perrexit itinere, vt turbam anteuerteret, atque ita suo veniret dilecto obuiàm. Quamuis enim ex acerbissimo dolore, quem ob filij passionem conceperat, prorsus exhausta & viribus esset destituta; fortis nihilominùs amor, quo erga illum feruebat, & ingens eum vidẽdi desiderium, vires ei addidit, ita vt turbam omnem filium eius ducentium præueniret.

Quis, obsecro, mente concipere possit, quibus fuerit doloris & angustiæ confixa aculeis, cùm vnicum solamen cordis sui ita miserabiliter derelictum, & graui insuper crucis pondere onustum videret? 2. *Maternorũ viscerum dolor prorsus ineffabilis.* cùm aspiceret gratissimum vultum eius (quem toties intimâ cum deuotione amplexa fuerat) tam turpiter deformatum & miserè affectum? cùm contueretur & venerandum caput illius, (quod sæpè multâ cum reuerentiâ ardentissimo suo appresserat cordi) horribili coronâ spineâ crudelissimè compunctum? cùm denique cerneret Deo ac Domino suo tantam irrogari iniuriam & contemptum, ipsumque inter latrones damnatum annumerari? *Lucæ 2.* Quis dubitare possit, gladium doloris pijssimum cor illius acerbissimè transuerberasse, cùm videret dilectissimũ filium suum, quem suo gestauit sub pectore, ita sanguine phlegmatibusque fœdatum, crebris affectum vulneribus, & ab omni despectum abiectumque mundo? Nihil est ambiguum, quin si diuinâ bonitate non fuisset seruata roborataque, cor illius deuotissimum præ dolore & mœrore ruptum fuisset: quandoquidem adeò eius animum vis immensa doloris oppleuerat, vt veluti sub graui staret pressa saxo, nec posset saltem verbum edere.

3. *Constanter tamen sine vllo impatientiæ signo suam cum filio in corde crucẽ portat, & ad illã sese offert.* Neque tamen gestus incompositos, aut insolitam aliquam præ se tulit deformitatem, non vllam exhibuit forinsecus impatientiæ notam, vtpote quæ se funditus Deo resignarat, totamque se absque electione aliquâ vel optione in gratissimam illius refuderat retuleratque voluntatem. Et quia plena erat Spiritu sancto, nouerat ex Prophetis filio suo moriendum esse, eaque de causâ mortale eum sumpsisse corpus, sicque visum esse Patri cælesti: ideoque aliud desiderare non poterat. Vnde quemadmodum Iesus Christus vltrò se Patri obtulit hostiam viuam pro salute mortalium, ita & beatissima dulcissimaque virgo Maria ipsa quoque filium suum obtulit pro humani generis salute: satisque ei gratius fuit suo destitui solatio, quàm hominum impedire redemptionem. Atqui flagrantissimus illius erga filium amor totum se intus cohibere non poterat: *Dolorem tamen inenarrabilem sensit, & lacrymis testata est.* sed vt intus cor exussit, consumpsit, liquefecit, ita foras feruentes expulit lacrymas, viuidum illius colorem obfuscauit, atque innumera eademque altissima extorsit suspiria: ita vt exterior eius miseranda atque tristissima habitudo, interiorem spiritus angustiam declararet. Quia verò Dei intelligebat esse voluntatem, vt vnà cum filio suo pateretur, sponte sese ad hoc obtulit, etiam mori paratissima vnà cum Iesu nato suo pro salute

DOMINICAE PASSIONIS EXPLICATIO.

Sed intra se cohibuit. ac redemptione miserorum. Continuit autem dolorem suum intra secreta pectoris, eò quòd nullam externam hominum consolationem desideraret: potiùs appetens in illo dolore persistere, donec eam ipse Dominus eriperet ac consolaretur. Eâ namque de *Secuta filium, vt cum eo concrucifigeretur interiùs.* causâ Iesum secuta est, vt simul cum eo suam ferret crucem. Idcircò accessit Caluariam, vt cum eo intus spiritaliter crucifigeretur. Ideò iuxta crucem astitit, vt gladius doloris cor eius configeret, ipsaque Martyrum omnium Regina efficeretur.

4. *Crux donũ Dei excellẽtissimum, quo singulares suos amicos donat.* Excellentissimum donum, quo Deus suos solet munerari amicos, crux est & afflictio: atque illud ipsum & Filio suo, & beatæ Virgini, & electis amicis suis omnibus contulit. Vnde quisquis cruci & afflictionibus sese opponit, Dei voluntati ac donis eius resistit, aberratque à Deo, terga illi obiiciens. Communi siquidem amore Deus cunctos homines prosequitur, optaretque omnes ad perfectionem prouehere: quod tamen absque labore & dolore cruceque multiplici fieri non potest: haud secus quàm pretiosa & affabrè elaborata aurea patera, absque igne, malleis, aliisque acutis & accommodis instrumentis fieri non potuit. Sed miseri homines semper fugiunt, nec ferre aut satis facere student suauissimæ Christi operationi: ideoque semper inepti, miseri, & fragiles permanent.

CAPVT XIV.

Iesus in montem Caluariæ perueniens, felle potatur, eiusque plagæ ex dolorosâ vestium detractione renouantur.

1. *Quatuor causæ aggrauantes ignominiam mortis Christi: 1. genus mortis, 2. societas latronum, 3. loci fœditas, 4. temporis solemnitas.*
2. *Christus potatur vino myrrhino, & fellito,*
3. *Vt gulositatem reprimat mundanorum.*
4. *Nudatur ad crucis supplicium, quod facinorosis tantùm fieri solebat.*
5. *Eius nuditas docet nos sectari veram paupertatem spiritus.*
6. *Magnus dolor Christi in detractione vestium adhærentium corpori vulnerato.*
7. *Pia contemplatio Christi Domini vulnerati & denudati,*
8. *Seipsum & sacrificium passionis suæ Patri suo pro nobis offerentis.*
9. *Compassio animæ deuotæ erga sponsum Christum se crucifixioni præparantem.*

1. *Ex quatuor causis aggrauantibus fuit mors Christi despectissima.* Ad hunc igitur modum, vt paulò antè dictum est, Iudæi immites Christum ad Caluariam perduxerunt, locum execrabilem, damnatum, contemptibilem, plenumque fœtoribus extinctorum cadauerum & ossium mortuorum. Itaque colligere licet, mortem Christi omnium longè despectissimam fuisse, idque quatuor ex rationibus. Primò quidem, quòd crucifixio illo æuo turpissimum ac ignominiosissimum mortis genus erat, quod sceleratissimis quibusque potuisset adhiberi. *1. Genus mortis per crucem:* Secundò, quòd inter duos latrones medius crucifixus est Dominus, vt ex illorum operibus condemnaretur, crederetur que esse par scelere, qui consimili pœnæ subdebatur. *2. Societas cum Deo crucifixorũ:* Tertiò, quòd in putidissimo Caluariæ loco nudus occidebatur, quod non nisi insigniter flagitiosis inferri solebat. *3. Locus Caluariæ cadauerosus:* Quartò, quòd in præclarâ Paschę solemnitate occisus est, tamquam cuius vita tam scelesta & execrabilis esset, vt omnino necesse fuerit quamprimùm eum tolli è medio, vtpote qui omnibus maximè esset inuisus & onerosus. *4. Tempus frequentissimi Paschatis.*

2. *Vinũ myrrhatum felle mixtum Domino ministratur.* *Mar. 15. Matth. 27.* Vbi verò ad hunc Caluariæ montem peruentum est, cùm pius Dominus præ nimiâ fatigatione, & graui crucis pondere, anxius admodum & imbecillis esset, potum ei præbuerunt, vti moris erat facere condemnatis, non quidem dulce vinum, sed corruptum & acidum, myrrhâ felleque permistum: quo nimirum homines liuidi ac scelerati, quàm essent in Christum amaro ac virulento corde, manifestè prodiderunt, quando ne vnum quidem membrum in eo impunitum reliquerunt. Sed & Christus Dominus in cunctis membris suis pati voluit, vt nos omnibus membris læsos perfectè sanaret. Et quia Adam per voluptatem vetiti fructus peccauit, Dominus Iesus peccatum illius per felleæ potionis cruciatum expiare voluit. *Gen. 3. Potio amara pro Adæ peccato.*

3. *Eius memoria deberet gulæ vitia reprimere.* Heu! quàm multos hodie inuenire est, qui putridum cadauer suum variis eisdemq; delicatis admodum cibis nimis farciant, ducentes pro nihilo, Deum per gulę vitium offendere. Hi, ex templo Spiritus sancti, tabernas dæmonum efficiunt: pręclaræ essentiæ suæ formam obliti, imaginem diuinæ similitudinis in irrationalis pecudis similitudinem commutarunt. Non verentur animam & corpus perdere, vt sensuum suorum oblectamentis satisfaciant. Isti planè Christo Iesu non semel tantùm acerbam præbent potionem, sed quotidie acerbissimum fel ei bibendum porrigunt. Itaque homini spiritali cibus & potus tali cum moderamine ac discretione capiendus est, vt ei sit auxilio ad seruiendum Deo: atque eâ cum gratitudine, vt vel ex singulis buccellis laus resultet benignissimi Conditoris.

4. *Ioan. 19.* *Tamquam facinorosus quispiam, ita nudatus Dominus ad supplicium crucis.* Dehinc crudelissimè Domino Saluatori suas detraxere vestes, turpiter eum denudantes. Itaque quamuis ipse Dominus Iesus in

in omni vitâ suâ totus pauper fuerit, attamen in cruce perfectum nobis veræ paupertatis speculum & formam voluit exhibere, dum se ita nudari passus est, & nihil habuit reliquum quo sacrum caput suum reclinaret. Nimirum tamquam nihil cum mundo habens commercij, nudus è mundo exiuit. Denique ad maiorem sui ignominiam & dedecus ita nudus etiam in cruce suspensus est, in conspectu acerrimorum hostium & illusorum suorũ. Neque enim aliqui mortis rei nudi in crucem agi solebãt, nisi qui essent insigniter facinorosi, quique in exemplum aliorum horribili erant morte afficiendi.

5. *Illa Christi nuditas, nudam paupertatem nobis commendat.*

Attende nunc, ô anima mea, internâ cum compassione dulcissimum Redemptorem & amatorem tuum. Aspice vt Rex gloriæ, qui cuncta vestit, ac tegit cælum nubibus, arbores folijs, terram herbis ac floribus, ipsemet ad cutem vsque despoliatur vestibus, tamquam denuò numquam vestiendus. Vide Dominum dominorum factum veræ paupertatis speculum. Pudeat posthac murmurare, conqueri, & animo deijci, cùm aliquid tibi subtrahitur, aut in internâ externáve relinqueris paupertate. Disce hîc pauperem, nudum, derelictumq; Iesum sequi. Aduerte, obsecro, vt cæli pulchritudo deformatur, cæli altitudo humiliatur, clarum puritatis speculum detegitur. Nemo vmquam capere sufficiet, quàm graui intus dolore pudicissimum cor illius mordebatur, quod ingentem illam confusionem & verecundiam ferre cogeretur; maximeque quod ita turpiter sub purissimæ Matris aspectu in cruce pendere oportebat.

6. Lucæ 8. *Detractio ipsa vestium adhærentiũ lacera carni, cruciatũ renouabat.*

Obsecro cum ingenti compassione attendamus, quantâ cum inclementiâ crudelissimi illi vestes Domino abstraxerunt, quarum fimbria fluxu sanguinis feminam laborantem curarat. Quis non videat, quàm inhumanus fuerit dolor & cruciatus, vestem vulneribus inhærentem & sanguine concretam, tantâ cum crudelitate detrahere, cunctis haud dubiè vulneribus recrudescentibus? Secum quisque suo in corde doloris huius magnitudinem expendat. Et, vt quorumdam est opinio, spineam coronam à capite auulsam (eò quòd vesti exuendæ impedimento erat) rursum incredibili cum tormento sancto eius capiti impresserunt, vt non sit dolor qui huic possit comparari.

7. *Denuò tristisq; repræsentatio Christi ad supplicium paratum denudati.*

Age nunc, meditare, ô anima mea, in quanto cruciatu fuerit gaudium cæli. Aspice, vt totum corpus eius denuò vulneratum sit, cunctis illis sacris vulneribus renouatis, & purissimo sanguine fluentibus. Contuere, vt benedictum caput eius, Angelicis potestatibus cum tremore conspiciendum, ab immitibus illis afflictum & excruciatum fuerit, dum spinæ denuò impositæ noua inflixere vulnera, ita vt vulnus vulneri iungeretur. Aduerte quæso, vt sanguis ille Regius cerebro permixtus, ex cunctis illis vulneribus per faciem, per capillos, per collum, ad terram vsque vbertim promanauerit, vtque corpus illud deforme (quod tam miserè conscissum ac lacerũ non nisi vulnus fluens erat) iam vento frigorique expositum sit, obrigueritque. Et tamen agnus mansuetissimus non patienter modò, sed etiam cum ingenti desiderio omnem hunc immanem atque horribilem pertulit cruciatum. O quàm stabat illic tremulus præ frigore! O quantum aucta & profundiùs inflicta sunt vulnera eius, dum ex acerbâ illâ vestium auulsione vulnera vulneribus inserta sunt, adeò vt pijssimus & omni amore amplectendus Iesus Christus Dominus noster, non nisi vulnus sanguinem manans effectus sit! O quantam ille afflictionem pertulit in corde suo, videns odium, liuorem, fraudem, sitimque cruentam Iudæorum, videns quantopere festinarent aptare crucem Saluatori suo, vrgere ministros, subministrare clauos, necem accelerare! Ipsis enim magna intus crux erat, quòd Dominus Saluator tam diu ante oculos eorum versaretur.

Sentire etiam hîc licet, quod quidam affirmant, Christum Iesum (qui spiritum suum numquam ab orandi agendique studio relaxabat) dum ministri circa illius mortem præparandam occuparentur, flexis humiliter & deuotè in terram nudis cruentisque genibus suis, corde item, oculis, ac manibus in cælũ ad Deum Patrem erectis, obtulisse eidem, dignissimum sacrificium passionis suæ, ad conciliandum eum humano generi. 8. *Offert Christus flexis genibus Patri sacrificiũ passionis suæ.*

O anima mea, statue modò Dominum Saluatorem tuum ob oculos cordis tui, videasque Iesum sponsum tuum, delicias animi tui, tam miserabiliter sanguine rubricatum, vulneribus confectum, deformem, & corde anxium coràm astare, vt te fœdam sponsam suam sibi despondeat, mundet, sanet, exornet, omnique debito absoluat. 9. *Anima deuota hic cũ sancto affectu compatiatur sponso se ad crucifixionem paranti.* Imaginem hanc maximè miserandam tam altè memoriæ tuæ imprime, vt nullâ vmquam obliuione deleatur. Et quînam ferre poteris, vt dilectum cordis tui tam miserè afflictum aspicias? Nónne integro desiderabis corde, vt te totam faciat in lacrymas resolui, quò corpus dilecti tui vndiq; saucium lacrymis tuis abluere, & ab omni possis deformitate mundare? O te felicem! si medulla omnis ossium tuorum, sanguisque cordis tui in vnguentum distillari possit, quo vulnera cuncta sponsi tui perungerentur: ipsum-

DOMINICAE PASSIONIS EXPLICATIO.

sumque cor tuum igne amoris decoctum in gratissimum posset transire cibum, quo os dilecti tui felle exacerbatum edulcaretur. Et licet hæc reipsà præstare nequeas, pleno tamen affectu præstabis: & satis est dilecto tuo, cor potius quàm opera pensanti. Itaque sic lotum & perunctum sponsum tuum ingenti cum reuerentiâ quietis captandæ gratiâ, * in suauissimum Dei Patris sinum tamquam in amœnissimum lectulum repones: capite illius reuerendissimo spinarum aculeis tam dirè compuncto ad pijssimum Dei Patris pectus (ceu ad mollissimum quod possis inuenire puluinar) ob requiem captandam applicato.

* Ista singularis deuotio reponendi filiū in sinū Patris, ex feruenti pietate & amore ergaChristū orta, planè consentit cum modo loquendi sacræ Scripturæ, vbi Deo Patri membra tribuuntur humana, per locutionem tropicam.

CAPVT XV.

Iesus in cruce extenditur, eiusque manus ac pedes diris clauis crudeliter perforantur, crucique affiguntur.

1. *Pia consideratio, quo affectu Christus suam crucem salutauerit: cui manus pedesque sunt crudeliter conclauati.*

2. *Crux sancta lectulus amoris, quo sponsus animam amantem inuitat: inenarrabilis in eadem Christi Domini cruciatus.*

3. *Compassio beatæ Mariæ virginis, & concrucifixio animæ deuotæ cum Christo sponso suo, cuius amor crucifixus est.*

1. *Quanto affectu Christus crucem salutauerit.*

POST hæc inhumanissimi illi carnifices Iesum crudelissimè rapientes, ad crucem traxerunt: quam agnus innocens ingenti cum amore salutauit, dicens (vt piè meditari possumus) in corde suo: *O crux benedicta, tanto iam ex tempore te amplecti concupiui, triginta tribus annis tui me tenuit desiderium, vt hominum in te salutem operarer. Inserui igitur nunc creatori tuo, & fer sæculi pretiū.* Illi deinde corpus agni innocentissimi vulneratum, immitissimè in crucem rigidam prostrauerunt, manumque alteram crasso quodam & obtuso clauo crebris ictibus cruci cruciabiliter nimis affixerunt. O quàm * impatibilis hic dolor fuit suauissimo Redemptori, cuius tam tenera ac præclara erat complexio, qui totus iam debilis & exhaustus erat ex pœnis illis omnibus, quas antè pertulerat! Quàm intimas cordis eius medullas singuli ictus isti, atque hæc affixio penetrabant! Quàm fuit corde anxius, quàm doloribus immensis vndique correptus, cùm grandis ille & obtusus clauus, vi multâ per venas, neruos, & ossicula (quæ in manibus concurrunt) adigeretur! Secum quisque perpendat quantus hic dolor fuerit, quanta angustia, quanta cordis oppressio. Et quia obtusus admodum & crassus erat clauus, cutem simul attraxit per vulnus. Mox alteram quoque manum ad foramen in cruce effossum itidem perforandam pertraxerunt. Sed quia procul illud foramen aberat, & Christi corpus frigore, sanguinis effusione, pœnisq; anteà perpessis non parum contractum erat, manum ipsam rigido fune extenderunt, alteram interim manum summa vi premendo & calcando retinentes: atque ita sacra Christi brachia horribili cum dolore intenderunt, donec quò volebant manum adduxissent: quam tunc similiter ingenti clauo crebris ictibus confoderunt. Dehinc & sacros eius pedes crudelissime prius extentos, simulque iunctos, immani clauo, cum intolerabili dolore confixerunt.

Manus & pedes Christi clauis configuntur.

* Id est, crudelis & intolerabilis.

Clauus obtusus & crassus.

Manum alteram fune extendunt, alterā premunt calcibus.

2. *Lectulus crucis, in quo odoramit sponsus tuus dulcissimus, ô anima deuota.* Attende nunc, ô anima mea, sponsum tuum, Deum, & creatorem tuum, vt hic amoris conscenderit lectulum: quàm latè suas extenderit vlnas, vt te amplectatur: quàm denique amicabiliter te ad se inuitauerit, vtens verbis illis Cantici canticorum: Veni soror mea, sponsa mea, columba mea: veni, inquam, in foramina petræ, id est, in mellislua Vulnera mea. Veni, quia iam paratus & floridus est lectulus noster, ornatus rubicundis Vulneribus, & pretioso Sanguine meo. Itaque veni prorsus, ô anima mea, & intuere quanta pro te pertulerit Deus tuus: vide cum ingenti compassione, vt sacra eius membra extenta, distracta, dilacerata, & extra suas iuncturas in longum latumq; euulsa atque exturbata sunt: ita vt ne vnum quidem suo adhæreat loco, & cuncta facilè possint dinumerari. Adeò inhumaniter dulcis Iesus instar arcus erat extensus, vt membrum aliud alij succurrere non posset, cunctis pariter incomprehensibili dolore pœnaque correptis. Nos quidem, si paruo quodam simus affecti vulnere, vix moderatè ferimus, vt quispiam illud etiam leniter attrectet: & tamen manuum pedumque Christi vulneribus omne pondus totius sacri corporis eius cruciabiliter imminebat. O quàm miserandum in modum membra, neruique omnes contrahebantur! quàm cuncta illius interiora perturbata, læsa, atque contrita erant! Vicit hæc pœna captum omnem & intellectum humanum, eò quòd intolerabilis esset, tantoque tempore duraret. Hinc venerabilis Beda ait: *Christus pendens in cruce manibus pedibusq; confixus, lentâ morte consumptus & attritus est, diuq; in pœnâ perdurauit, non quòd eum delectaret viuere, sed ne passio sua citò finiretur.*

Cant. 2. & 5.

Cant. 1.

Innarrabiles cruciatus Domini in cruce fixi.

3. *Compassio virginis Mariæ.* O quantis in angoribus posita erat dulcissima Dei mater & virgo Maria! Quàm singuli quique ictus malleorum (quos, dum filius crucifigeretur, audiuit) cor illius pulsarunt!

ſarunt! Quàm totam in ſe portauit crucis imaginem, eidem ipſa viciſſim omnino impreſſa, & in eam quaſi transformata! Nec dubium eſt, quin per ingentem compaſſionem vnà cum filio cruci affixa fuerit, ſitque paſſa intrinſecus, quidquid Chriſtus foris perpeſſus eſt. Stemus & nos cum Matre piiſſimâ iuxta crucem. Bonum eſt nos hîc pauliſper ſubſiſtere: quandoquidem flumina hîc ſcatent gratiæ atque chariſmatum. Nos etiam vnà cum afflicta matre Mariâ (ſi tamen gratiæ filij ſumus) in intimis animarum noſtrarum, dolore & compaſſione vulneremur erga inhumanam * Chriſti paſſionem, cùm ſit ipſe frater, caro & ſanguis noſter, & noſtra vtique ſint peccata ob quæ ſic affligitur. Denique aſcendamus & nos ardenti cum amore & deuotione in lectulum dilecti noſtri, id eſt, in ſanctam crucem, in quâ Amor noſter tam miſerabiliter diſtentus eſt: huc aſcendamus, quando multo cum deſiderio ille nos expectat, ſatiſque latè (nos amplexandi gratiâ) ſua brachia extendit. Nos viciſſim cunctas vires & membra noſtra ad ipſum erigamus, vt cum amore eum amicabiliter amplexemur, atque cum deuotione & reuerentiâ noſtris apprimamus cordibus, dicendo cum ſponsâ in Canticis canticorum: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Sit cor noſtrum illi gratum puluinar, quò ſacrum ſuum caput acclinet.

Anima deuota concrucifigatur cum Chriſto.

* Inhumanis nempe actionibus Iudæorum, crudeliſſimorumque tortorum immani barbarie inflictam Chriſto patienti.

Cant. 1.

CAPVT XVI.

Ieſus cum cruce ſubleuatus, medius inter latrones pendet, blaſphemiis impetitur, orat pro inimicis, latronique pœnitenti paradiſum promittit.

1. *Exaltatio Chriſti cum cruce, & in cruce iam confixi, renouauit eius dolores, vulneraque dilatauit.*
2. *Hæc eleuatio crucis, erat erectio trophæi, quod Chriſtus de hoſtibus noſtris reportauit.*
3. *Antiquæ figuræ ſanctæ Crucis ipſi deuotè accommodantur.*
4. *Specialis meditatio dolorum Chriſti per ſingulas partes corporis, & potentias animæ.*
5. *Prouocatio compunctionis & amoris ob Chriſti paſſionem.*
6. *Chriſtus inter duos latrones medius exhibuit ſpecimen iudicij extremi.*
7. *Titulus crucis ex Spiritus ſancti ſuggeſtione appoſitus: ſingula eius verba explicantur.*
8. *Diſtribuunt inter ſe carnifices veſtimenta Chriſti.*
9. *Plena deſolatio Chriſti in cruce: vnde tamen nobis pleniſſima conſolatio.*
10. *Quomodo anima ſancta ſedere poſſit cum militibus cuſtodiens Chriſtum crucifixum.*
11. *Iudæi nihil poterant improperare Chriſto, præter virtutem, miracula, & Diuinitatem.*
12. *Quænam Chriſtus in cruce pendens improperet populo ingrato.*
13. *Ingratitudo illa dolorem Chriſti maximè aggrauauit.*
14. *Blaſphemia Iudæorum in Deum, quaſi non poſſet Chriſtum liberare: ipſe tamen miſericorditer orat pro eis & omnibus peccatoribus.*
15. *Omnes creaturæ ad collaudandum Chriſtum inuitantur.*
16. *Pia oblatio, quâ Patri offertur Chriſtus, pro erratis noſtris.*
17. *Pœnitentia latronis:*
18. *Fuit mutatio dexteræ Chriſti, ad quam pependit latro pœnitens.*
19. *Fides, charitas, & reſignatio boni latronis.*
20. *Immenſa Chriſti miſericordia erga peccatores pœnitentes: quæ ſæpè tamen præbet ſtultis anſam damnationis.*

ITAQVE vbi iam immitiſſimi carnifices Dominum cruci affixerant, mox eum cum cruce ſubleuarunt, & ipſam crucem ſanctam ferociſſimè in petram exciſam impegerunt, decidereque permiſerunt: ita vt hoc caſu cuncta Chriſti membra atque interiora inhumano quodam dolore concuterentur colliderenturque, vtpote quæ anteà plus ſatis intenſa fuerant. Hîc iam manuum pedumq; ſacra Vulnera inſtar fontium denuò eruperunt, largeque manare cœperunt. Nimirum hæc ſunt quatuor flumina paradiſi, quæ ex loco voluptatis egredientia irrigant omnem terram. *O omnes ſitientes venite ad aquas:* haurite nunc cum *gaudio de fontibus Saluatoris.* Sugite *mel de petrâ, oleumq; de ſaxo duriſſimo. Emite abſque argento, & abſque vllâ commutatione vinum & lac.* Hic eſt lapis angularis, firmus & incommutabilis, quem Iacob Pater cæleſtis erexit in ſignum gratiæ & clementiæ, in titulum pacis, perfuſum miſericordiæ oleo.

1\. *Crux in Caluariæ petram impacta dilatauit Chriſti Vulnera.*

Geneſ. 1. Iſa. 55. Iſa. 12. Deut. 32. Iſa. 55. Gen. 28. 31 & 35.

Eâ verò de causâ Chriſtus ſubleuatus eſt, vt inimicus cum omni virtute ſuâ proſterneretur. Nunc igitur fideles omnes veſtrum contemplamini Saluatorem, Regem ac ducem pro vobis dimicantem, atque à veſtris vos eripientem hoſtibus, & in priſtinam aſſerentem libertatem. Iam victoriæ ſignum crucis trophæum erectum eſt, ſub quo nobis militandum eſt: nam hoc nos ab omnibus tuebitur obſtaculis atque impedimentis. Itaque gaudeamus, exultemus, gloriemur in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: quâ ſolâ ſuum voluit elidere hoſtem. Hanc vſque adeò amauit, vt illius perquirendæ causâ deſcenderit in terras, quandoquidem cæli huiuſmodi ligni genus non proferunt. Factus eſt veluti exul extra regnum, gloriam & gaudia ſua, quò hanc poſſet amplecti. Aſpiciamus igitur (ſicut monet Paulus)

2\. *Crucis trophæum, ſignum victoriæ de inimicis noſtris.*

Gal. 6.

Heb. 12.

lus) *in Auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*, imò & afflictione omni, quæ inde illi accidere potuisset.

3. Mich.4. *Figura veteris Testamenti crucẽ præmonstrantes.* Psal 67. Num.13. Num.20. *Venite*, oro, quotquot Deum amatis, *ascendamus ad montem Domini*, quandoquidem secundus admodum est, & pinguis, delicijs abundans. Hîc iam botrus in vecte suspensus ostenditur. Hîc iam planè est *petra bis virgâ percussa*, quæ non modò aquas viuas, sed & olei riuos dulciter emanat: adeò vt quoquot ad hunc montem accedunt, sanctificentur, dicantque cum animâ amante: Cant.1. *Oleum effusum nomen tuum.* Hîc est vas opobalsamo gratiæ plenum; quod quidem vas non solùm pluribus in locis perforatum est, sed & fundum quoque illius excussum: ita vt cuilibet haurire liceat quantum libet. Cant.2. Isa.4. Leuit.9. Hîc est *flos campi, & lilium conuallium, fructusq; terræ sublimis, atque agnus sine maculâ.* Hic, inquam, planè est elegans lilium conuallis nostræ albedine micans, & totum orbem suo splendore illustrans, virtutísque suæ odore adimplens; ex quo aurei procedunt ramuli, id est, Diuinitas ipsa sub candidis purissimæ humanitatis eius folijs delitescens. Exultet nunc terra nostra tam specioso fructu ornata: cesset à gemitibus vallis nostra lacrymosa. Quæ enim priùs infecta erat serpentinum gustando virus, nunc pretiosi Sanguinis Christi balsamo repurgata est, atque rore cælesti per sancti Spiritus infusionem fecundata: ita vt iam numerosa ediderit lilia, inter quæ anima amans dilectum suum obambulare & pasci dicit. Cant.1.4.6 Quot namque in terris sunt homines mundi cordis, & Deum amantis, tot nostra vallis lilia produxit: atque in his delectabiliter sponsus pascitur, iucundeque satis obambulat. Et ipse quidem singulare illud lilium est, ex cuius semine cetera pullularunt, suamque formam, decorem & fragrantiam mutuata sunt. Huius lilij odore serpentes & corruptio omnis fugatur. *Apes à floribus mellificantes, sunt animæ in Vulneribus Christi deliciantes.* Itaque instar apis sedulæ huc studiose aduolemus, de vulnere ad vulnus transeuntes: nec aliunde nobis pabula carpamus, cùm hæc melle scateant. Quid enim aliud sunt sacra mellitaque verba Christi, quæ in cruce deprompsit, quàm flores melliflui ex caule lilij, id est, ex sanctâ cruce nascentes?

4. *Dolores & cruciatus Christi specialiter per singulas corporis partes expendendi.* Quæso, sensibili quodam compassionis affectu videamus, quali cruciatu Christus hîc fuerit circumdatus, vtpote cui nec vnũ quidem superesset membrum, quod non extra locum suum cum ineffabili dolore auulsum esset. O quantopere dolebant brachia tam dire extenta! Quàm pungebant cor illius tormenta vulnerum, quæ totius corporis pondus tamdiu portauerant! Quantis erat correpta angoribus sancta illius anima, quæ omni confortatione destituta, omnem hanc crucem & pœnam suo in pondere sustinuit! Vt enim resignatio ac patientia Domini Iesu pro peccatis nostris afflicti, euidentiùs nobis reluceret, & salus nostra strenuè, fortiter perfecteque perageretur, ac debitum humani generis largè copioseque exsolueretur: Diuinitas humanitatem patientem, & inferiores animæ vires, consolationis influxu non releuabat, sed hæ solo patientiæ gubernaculo regebantur in acerbissimâ ipsius Christi passione. Itaque si aliqua penes nos amoris scintilla, si qua compassionis viscera resident, non poterimus non compati Creatori & Saluatori nostro, quem hîc ob oculos tam miserè pro nostris sceleribus pendêre videmus. Quis enim vel bruto animanti sic affecto non compatiatur?

Et quidem pius Iesus non solùm intolerabilibus illic pependit in pœnis, vt nos ad lacrymas & compunctionem moueret: verùm etiam cum omnibus amoris argumentis & indicijs, vt nos similiter ad amorem accenderet & prouocaret. Estque sublatus in altum, latè sua extendens brachia, vt nos omnes amplecteretur. Duris rigidisque ad crucem clauis affixus est, vt nos ad pœnitentiam longanimiter præstolaretur. Ex omni corpore suo manauit sanguinem, vt largiter nobis potandam præberet præcipuam sui pretiosi Sanguinis medicinam. Ingentia vastaque suscepit vulnera, vt patulum accessum securumq; latibulum in illis semper haberemus ab omni tentationum impulsu. Demisit caput, quò pacis nobis & amoris præberet osculum. 5. *Sic dolorem & amorem simul abũdanter prouocans.*

Est prætereà Dominus noster Iesus Christus cum sceleratis reputatus, atque inter duos latrones medius, ceu princeps latronũ, suspensus. Fecit hoc impietas Iudaica, vt Christus, qui in seipso innocentissimus erat, crederetur ab omnibus similis illis esse in moribus, cum quibus eadem damnatione plexus erat: vt sic per alienam malitiam infamis fieret, qui ex sese erat iustissimus. Sed nihil refugit humilis Iesus inter illos pendêre, pro quibus mori desiderabat. Et ipse quidem cum sceleratis annumeratus est in terris, vt nos Angelorum cœtibus in cælis insereremur. Fuit inter duos sceleratos medius, non vt nequam, sed tamquam iudex, alterum misericorditer donando vitâ, alterum iustâ mortis æternæ feriendo sententiâ. Et hîc iudicij futuri quamdam exhibuit formam, in quo bonos quidem à dextris, impios verò à sinistris collocabit. 6. Marc.15. Ioan.19. *Imago quædam nouissimi iudicij in latronibus ad dexteram & sinistram Christi crucifixi repræsentatur.* Matth.25.

De-

7\. Dehinc etiam Pilatus more Romanorum causam necis Christi scripto in tabulam redegit, eamque supra crucem triplici idiomate affigi præcepit, his verbis: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Et licet homo ethnicus esset Pilatus, hunc tamen titulum ex sancti Spiritus digessit instinctu, ad ignominiam quidem & dedecus Iudæorum, gloriam verò & triumphum Christi. Occulte siquidem virtus omnipotentis Dei in corde infidelis operabatur, vt aliter scribere non posset, quàm ei diuinitus inspiraretur; & nec mutare quidem posset quod scripserat, licet à Iudæis exigeretur. Non enim audire Pilatum Iudæi volebant, cùm diceret nullam se in Domino causam reperire: vnde nec ipse eis morem gerere voluit, sed ait: *Quod scripsi, scripsi.* Atque hoc ipso vltus est se de Iudæis, ita vt culpa & malitia omnis in eos redundarit. Per hunc quoque titulum discretus est Dominus à latronibus: vt totus aduerteret orbis, quòd non pro aliquo scelere suo, sed ex amore purissimo pretiosam animã suam morti exponeret pro amicis suis. *Hunc autem titulum multi Iudæorum legerunt.* Legamus cum & nos ceu veri Iudæi, id est, confessores Christi, non, vti illi, cum aspernatione, sed deuotâ meditatione, semper eum nostris imprimendo cordibus, & velut scutum gerendo contra tentamenta omnia. Hic namque titulus est triumphalis victoriæ, omnem inimici potentiã virtute crucis Christi contritam designans. Confiteamur ergo Dominum nostrum esse Iesum, id est Saluatorem, verumque orbis redemptorem; humiliter precando, vt curare, omniq́ue vitiorum labe expurgare velit animas nostras. Fateamur & Nazarenum eum esse, id est, floridum; orando, vt in omni nos virtute virere faciat. Confiteamur etiam verum eum esse Regem Iudæorum, id est, confitentium atque credentium, cùm omnis potestas ei data sit in cælo & in terrâ. Si hoc pacto hunc legimus titulum, veri Iudæi erimus, & filij Abrahæ: Christus item erit Rex noster, & Saluator noster, & ipse nos tuebitur, atque in cælum tandem assumet, faciens nos coheredes suos in regno Patris sui.

Spiritus sanctus titulum crucis suggessit verbis paucis, sed multum significantibus. Ioan. 19.

Ideò noluit, nec potuit eum mutare Pilatus. Lucæ 23.

Ioan. 19.

Indicauit titulus crucis innocentiã Domini.

Sæpè nobis memoriâ repetendus.

Tituli verba explicantur.

Math. 28.

8\. Post hæc carnifices, qui Christum in crucem tulerant, vestes eius partiti sunt, singulis singulas tribuentes partes. In tunicam autem, quòd inconsutilis esset, fortem miserunt. Apparet hinc immensa Christi humilitas, quòd cùm Dominus esset gloriæ, vilissimis scurris traditus est, quorum tanta erat inopia, vt vestes eius exigui pretij & simplices, tam sollicitè & exactè distribuerent. Sic sic agnus innocens ipsos sui irrisores & occisores veste suâ contexit.

Math. 27. Mar. 15. Lucæ 23. Ioan. 19. *Vestimenta Christi partiuntur inter se milites sub cruce.*

Aspiciamus, oro, multâ cum deuotione Creatorem & Saluatorem nostrum tam miserabiliter in tantis cruciatibus pendentem, omnibus amicis, rebus & solatio destitutũ, pœnis omnibus & intus & foris obrutum: ablatis ab eo omnibus quæ illius poterant mitigare dolores, & accedentibus ei quæcumque illos exaggerare possent. Attendamus Regem hunc miserandum & desolatum vndique. Coronam quidem gerit & regalem titulum; sed vbi eius satellites? vbi castra? vbi palatia? enimuerò sub diuo pendet. Vbi purpura? vbi auro micantes vestes? vbi demum corpus & sanguis eius? Nimium absumptum & excoctum est corpus omne amoris incendio: sanguinem eius peccatores hauserunt. Quid nobis det, obsecro, qui nec tantillum habet reliquum, vbi caput acclinet, non tectum, non peculium, non hereditatem, non vestes? Iam ablata sunt omnia. At nihilominùs accedamus ad hunc myrrhæ montem, & cum turture gemebundã in palmam crucis conscendamus. Et reuerà satis superque inuenire licebit, si non desit inquirendi sedulitas. Adhuc linguam habet, quâ verbum depromat consolatorium, verbum salutis & institutionis, quo latro ille abunde contentus fuit. Si hoc non sufficit nobis, adhuc paulò altius ascendamus. Enimuerò & cor adhuc habet integrum, illo Patrem suum pro nobis deprecabitur. Habet & conscientiam, deuotione, gratiâ & amore plenam: dabit nobis metum illud, quod dilecto suo præbuit discipulo in eius pectore quiescenti. Sed & hoc si parum nobis satisfacit, en libens suum patietur latus configi, cor scindi & aperiri, porrigetq́ue nobis sanguinem eiusdem cordis sui amore ardentissimi, præbebit potũ suauissimum maximeque delectabilem suæ diuinæ charitatis. Denique & sanctam animam suam dabit gratiâ & meritis plenam, cunctisque ornatam virtutibus. Quid vero vlteriùs ab hoc dulcissimo Deo ac Domino nostro exigere poterimus? En dat quidquid habet, quidquid præstare potest. Itaque & nos sic illi vicissim totos demus.

9\. Ioan. 19. Psal. 21. *Ex omnimoda Christi in cruce desolatione, omnis nostra consolatio. Quomodo omni solatio destituebatur Christus.*

Cant. 4. & 7

Quomodo inde nobis plena consolatio. Lucæ 23.

Ioan. 13.

Sederunt autem, non procul à cruce, ministri Christum custodientes, & rei exitum sustinentes. Et nos quoque expectemus, non, vt illi, ex inuidiâ, mortem Christi; sed cum dolore finem præstolemur salutis nostræ à Christo: nec recedamus à cruce, quandoquidem omnis salus nostra in cruce posita est. Dicit anima quædam amore flagrans: *Sub vmbrâ illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Et quid possit amanti animæ esse suauius, quàm vt post distractiones, labores, perturbatio-

10\. *Sedeat etiã anima deuota inter milites custodiens sponsum crucifixum.*

Cant. 2.

nesque multas in hac lacrymarum valle (velit nolit) ei occurrentes, eamque fatigantes; sub hac salutiferæ crucis vmbrâ respiret, sese reficiat, sensus dispersos colligat, animamque exhaustam delectabili arboris huius fructu confortet?

11. *Non habebant Iudæi quod improperarent Christo, nisi virtutes & miracula.*

Expectabant Iudæi rei exitum, quòd necdum sanguine & crudelitate suum explessent animum. Et quia anguino suo pectore nullum poterant tormenti genus concipere, quo deinceps corpus eius cruciarent, ad extremum, manibus deficientibus, linguis suis Dominum excruciare cœperunt. Itaque ceu furiosi caput sacrilegum agitabant, contra illum sputa egerentes, dicentesque:
Matth. 27. *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud readificas: salua temetipsum. Si filius Dei es, descende de cruce.* Item: *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce. Confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum.* Adeò impietate & malitiâ pleni erant, vt si quid de eo sciuissent mali, haud dubiè obiecturi erant: sed quia in auro purissimo, toties afflictionis & crucis igne probato, nullas poterant inuenire sordes; ipsas eius virtutes, gloriosa miracula, diuinumque nomen ei exprobrarunt. In hoc siquidem totis viribus incumbebant, vt quemadmodum corpus eius attriuerant pæneque in nihilum redegerant; ita & gloriosum eius nomen penitus obliterarent. Sed quantò id fecere studiosiùs, tantò plus Christum exaltarunt. Nam ipsis suis insultatoribus nihil ei improperare potuerunt, nisi quod honestum, sanctum, diuinumque est: puta quòd mortuos ad vitam reuocauit, quòd ægros sanitati restituit, quòd mira operatus est, quòd denique Filius Dei & Rex Israël est. Reuerà si quid insuper in eum conuitiorum aut iniuriæ conferre potuissent, neutiquam sibi temperassent.

12. Mich. 6. *Sed benè quàm habebat Christus, qua ingrato populo suo improperaret!*

Dicere tunc secum poterat pius Dominus in animo suo: Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Cur adeò crudeli es animo in Deum creatorem tuum? Cur adeò durus es, vt calidus Sanguis meus (quem instar aquæ in terram decurrere cernis, quo & saxa scinduntur) ferreum pectus tuum non emollire, non in illud pertingere, non ipsum calefacere possit? Equidem innumeris te affeci beneficijs. Propter te Ægyptum multis plagis attriui, mare rubrum sub tuis siccaui vestigijs, hostes tuos, nullo labore tuo, prostraui: & tu è diuerso me Pilato tradidisti, flagellis cecidisti, & necem meam studiose molitus es. Quadraginta
Deut. 29. annis mannâ te paui in deserto, & tu fel & acetum in potum mihi dedisti. Duxi te per desertum, protexique, & vestimenta tua non sunt attrita: & tu me cruce onustū ad mortem duxisti, spoliatumque vestibus ac nudum in crucem tulisti. Regali te sceptro honoraui; tu verò spinis me coronasti, sceptroque arundineo illusum cecidisti. Quid faciam tibi, vt vel tandem cesset malitia tua? Corpus & Sanguinem meum tradidi tibi, & floridam elegantemque naturam meam abs te pæne conteri permisi. Triginta tres annos pro tui conuersione laboraui, & me audire noluisti: vel nunc, obsecro, emolliat te acerbissima passio, numerosa vulnera, feruentes lacrymæ meæ, quem verba mea conuertere non potuerunt. Calefaciat te feruidus sanguis meus, quem tot miracula mea trahere non potuerunt.

Itaque Christus Dominus blasphemias, ab ipsâ electâ gente suâ illatas, tulit patienter, perfectè volens exequi opera charitatis. Descendere de cruce, seque saluare noluit, vt plurimos saluaret. Vltrò se morti obtulit, vt alios sanaret. In illis demum horribilibus elegit durare pœnis, quò cunctos homines ab æternis eriperet cruciatibus. O quantoperè huic agno mansuetissimo dolebat, quòd peculiaris ille populus eius inde eum blasphemabat; & maledicti atque contumeliæ loco ponebat, vnde ipsum laudare potiùs & amare, eique gratias agere debebat, quòd ipse, qui verus erat Deus, pro salute hominum tam indignâ morte occumbere nihil recusauit! 13.

Maxima nostra ingratitudo, maximus est dolor Christi patientis.

Neque verò in solum Dei Filium impij illi 14.
coniecère blasphemias; sed insuper linguas suas, tamquam prompta diaboli instrumenta, in Patris iniuriam laxarunt, quando dixerunt: *Confidit in Deo, liberet, si vult, eum.* O gens impia! quò te malignus adduxit spiritus, vt Patri misericordiæ suam objicias bonitatem? Itáne iniuria tibi ab illo facta est, quòd paternum suum laxans sinum, diuitias gratiæ suæ effudit? dilectum vnicum Filium suum mittens in terram, qui naturâ humanâ ex genere tuo assumptâ, oues perditas domus Israël requireret & sanaret, eumdem demum pro salute tuâ morti objiciens, soluensque grauissimum debitum tuum pretioso Sanguine illius? Et hisce pro beneficijs, tu in eum blasphemias euomis, tamquam qui non possit opem ferre Filio suo, qui olim defunctos omnes vnico verbo reuocabit ad vitam, quique & cælum & terram verbo condidit? Quàm putamus graui Dominus Iesus afflictione laborarit, cùm tales in Patrem suum blasphemias, conuitia, & iniurias dici audiret! aduertens pariter, quantopere Patrem ad iram commoueren t, quamque horribile eis immineret iudicium.

Iudæi in Deum Patrem blasphemi, tamquam non posset Christum liberare. Matth. 27.

Hac ipsa blasphemia aggrauauit cruciatum Domini Iesu.

Nimirum cuncta eius viscera ad miserationem mota sunt erga furiosam gẽtis suę cęcitatem, clamauitq́; voce lugubri ad Patrem:

Lucæ 23. *I. Verbum Christi in cruce. *Nihilominus orabat pro crucifixoribus.*

* *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* O incomprehensibilis bonitas Christi! Fecit hîc quod antè docuerat, monens vt amemus inimicos, & oremus pro illis qui nos persequuntur. Ergo maledicebant illi, at ipse benedicebat. Et licet tanta esset eorum malitia, vt excusationem non admitteret, nihilominùs quantum potuit excusauit eos apud Patrem, dicens, *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Plerique verò, qui ignorantes ei supplicia intulerant, postmodum conuersi sunt. O admirabilis virtus huius orationis, tantis in angustijs tantoque ex amore fusę! Quando enim alij ob pœnarum vehementiam, etiam charissimos quosque amicos suos facilè obliuioni traderent, nec possent vel pro seipsis orare; tunc Christus pro suis hostibus precatus est. Neque tamen hæc illius precatio pro illis dumtaxat fusa est, qui tunc eum manibus crucifigebant, & linguis blasphemabant, verùm etiam pro omnibus illis qui Dominum Iesum prauis suis actibus denuò crucifigunt, & sceleribus suis blasphemant. Hi tales reuerà cæcitate correpti, nesciunt quid agant. Ignorant enim, quàm dirè iusti iudicis potentiam exasperent, quàm benignum offendant Patrem, quàm fidum deserant protectorem, & cuius perdant amicitiam: non norunt, quàm turpiter elegantes præclarasque & imagine Dei insignitas animas suas deforment, quàm horribiles mereantur cruciatus, & quantam gloriam amittant.

Virtus huius orationis, & pro crucifixoribus,

& pro omnibus peccatoribus.

15. *Creatura omnes ad Dei patientis laudes excitantur.*

Nunc, ô anima mea, & quotquot redempti estis pretioso Sanguine Christi, agedum internâ cum compassione atque deuotione feruenti beatam conscendamus palmam crucis, pulcherrimo onustam vitæ fructu. Tota enim salus, sanitas, vita & gloria nostra, in cruce sita est Domini Saluatoris. Et ne tam immensis inueniamur ingrati beneficijs, glorificemus ipsum benignissimum Redemptorem nostrum. Cælum & terram, & quidquid horum ambitu continetur, excitemus, vocemusque in auxilium, ad laudandum & benedicendũ Deum, dicendo: *Magnificate Dominum mecum,* quia mirabilia fecit in nobis. Laudate & benedicite mecum Dominum, quia misericordia eius magna est super nos. O vos Angelici spiritus mecum, quæso, ad montem Caluariæ ascendite, & aspicite Regem vestrum Salomonem in throno suo, atque *diademate, quo coronauit illum mater sua.* O mortales omnes, & quæque membra Christi, lacrymosis, obsecro, oculis vestrum contemplamini

Psal. 33. Psal. 38. Cant. 3.

Redemptorem, ligno qui pendet ab alto. Videte, si vllus dolor, eius doloribus possit æquiparari. Agnoscite scelerum vestrorum immanitatem, quæ tali oportuit satisfactione expiari. In partes omnes corpus Christi versate, & non nisi vulnera inuenietis atque sanguinem. Clamate igitur ad eum voce lugubri: *O Iesu, nostra redemptio, amor & desiderium, quæ te vicit clementia, vt ferres nostra crimina, crudelem mortem patiens, vt nos à morte tolleres?* morte vtique sempiternâ.

16. *Offertur Christus Patri pro debitis nostris.*

Et tu cælestis atque omnipotens Deus Pater, respice de sublimi sanctuario tuo ad innocentem Filium tuum Ioseph, venditum atque iniustè traditum manibus hominum sanguinariorum, & turpissimo mortis genere affectum. *Vide vtrùm hæc tunica sit filij tui, an non.* Nimirum *fera pessima deuorauit eum:* sanguis peccatorum nostrorum *aspersus est super vestimenta* eius, *& omnia indumenta* honestissimæ famæ atque opinionis illius inde inquinata sunt. Aspice sanctum puerum tuũ cum sceleratis condemnatum, regium filium tuũ spinis coronatum. Contuere insontes manus eius (quibus nihil vmquam mali admissum est) sanguinem stillantes: sacros pedes eius, numquam à iustitiæ semitâ auersos, crudeli confixos clauo: pulcherrimam faciem eius, *in quam desiderant Angeli prospicere,* prorsus deturpatam, omnique specie destitutam: cor denique benedictum, quod nulla vmquam impuræ cogitationis macula attigit, internæ afflictionis prælo compressũ. Vide, Pater amantissime, dulcissimum Filium tuum totum in crucis citharâ extensum, cunctisque membris suis te benedicentem. Iam planè fidelis Dauid citharam corporis sui maximè intendit, suauissimam tibi edens melodiam, & gratissimam, quæ vmquam tibi cantata sit, concinens cantionem, *Pater,* inquiens, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Hic est agnus innocens, qui nos abluit pretioso Sanguine suo, *qui peccatum non fecit,* sed peccata omnia mundi tulit. * Ex huius ergo passionis thesauro mutuò accipio pretium debiti mei: & illius merita omnia numero tibi pro omni debito meo. Quidquid enim ipse fecit, in meâ vtique naturâ & pro me operatus est. O Pater clementissime, suscipe actus cruciatusque dilecti Filij tui, & da veniam erratis nequam serui tui: quandoquidem sanguis insontis Abel fratris nostri clamat ad te de cruce, non vltionem postulans, sed gratiam & misericordiam, dicendo: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Gen. 37. Isa. 63. 1. Pet. 1. 1. Reg. 16. Luc. 23. 1. Pet. 2.

*Praxim vide & vsurpa de Christi meritis in vitâ & morte pro nostris peccatis & debitis Deo Patri offerendis.

Gen. 4. Heb. 12.

17. *Latronis vnius conuersio.*

Ceterùm latro, qui pendebat ad Christi dexteram, vt vidit ingentẽ eius patientiam

& benignitatem, quòd Patrem suum tam amicabiliter deprecaretur pro illis qui tot probra in eum conijciebant, prorsus immutatus est, & cœpit eum dolor vehemens ac pœnitentia scelerum suorum. Et id quidem reipsâ prodidit, castigans verbo sociũ suum blasphemias in Iesum euomentem, atq; dicẽs: *Neq; tu times Deum*, cùm sis morti proximus? qui licet ex obstinatâ malitiâ homines non verearis, & pœnas corporis pro nihilo ducas; attamen metuendus tibi erat Deus, & quidem in extremo pænè vitę articulo, cùm potestatem ille habeat & animam & corpus tuum perdendi in gehennam. Et licet nos paribus plectamur pœnis, longè tamen diuersa est ratio meritorum. Nam *nos quidem iustè*, qui *digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit*.

Lucæ 23. Matth. 10

18. Vnde, obsecro, latroni huic tam cita correctio? Qui dudum erat iniquus & infidelis, nunc peccatorem arguit, innocentem excusat, Deumque confitetur omnipotentem. Nimirum hæc repentina mutatio, est dexteræ Christi, ad quam ille pendebat. Hanc fidei lucem non aliunde vtique accepit, quàm ex lumine illo in crucis candelabro posito. Diu quidem diuinum hoc lumen sub humanitatis modio latuit; sed nunc demum in crucis candelabrum subleuatum est, vt quotquot in Ecclesiæ domo sunt, hinc illuminentur. Sciderunt hunc modium Iudæi compluribus in locis, & cœpit hoc lumen per rimas eius effundi: ita vt domus tenebrosa, quæ propè erat, ex radijs illius illustrata, in hanc proruperit vocem: *Nos quidem digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit*. Et quomodo latro iste immensum æstum ignis iuxta se ardentis declinare potuisset? Planè hic ignis quem Pater miserat in terram, misericordiæ perfusus oleo, probrisque & blasphemijs Iudæorum ceu flatu quodam agitatus, flammas dabat in cælum, quibus latro iste totus accensus, & igneus effectus, ac velut suorum immemor cruciatuum, totus erga Dominum compassione motus est, adeò vt diceret: Equidem pœnas meas haud grauiter fero, vtpote meritus plus satis: at innocentem hunc, & nihil habentem culpæ, ita præter æquum cernere excruciari, id verò ipsis doloribus meis mihi dolet vehementius. Profectò, latronis istius charitas facta est *fortis vt mors*. Ipse enim spreuit pœnas omnes quæ ei inferri possent, non veritus est populum in Iesum furentem, non attendit principes Sacerdotum, nec ministros omnes cum varijs illic tormentorum armorumque generibus astantes pertimuit, sed in conspectu illorum omnium Christum animo imperterrito confessus est verum Dei Filium esse, eumque nihil mali egisse, atque ita iniuriâ ab eis crucifixum.

Mutatio illa latronis est à dextera Christi excelsi, seu in cruce exaltati. Psal. 76. Matth. 5. Lucæ 8. & 11. Lucæ 12. *Latro compatitur innocentis Christi pœnis.* Cant. 8. *Confessio fortissima latronis & constantissima.*

19. • O fides admiranda! ô ingens constantia! ô incomprehensibilis charitas latronis huius! Videlicet benè potus, & quasi ebrius erat musto illo recenti, ex suauissimo botro Christo Iesu in crucis torculari expresso. Ideò citra pudorem coram omni populo confessus est Christum Dei Filium, quem tamen miserijs, penuriâ, liuoribus, & cruciatibus plenum, iamque morti proximum cernebat: quæ omnia sunt signa Deo ac Domino prorsus contraria. Denique cum vniuersis viribus suis, amicabili vultu, deuoto corde, humili resignatoque animo ad Christum se conuertens, feruenter orauit in hunc modum: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum*. Et statim ineffabilis Dei bonitas euidenter declarauit se mortem peccatoris non velle, sed magis velle vt conuertatur & viuat. Præstitit hîc Dominus & reipsâ impleuit, quod olim per Prophetam suum promiserat, dicens: Quacumque horâ ingemuerit peccator pro peccatis suis, iniquitatum eius non recordabor ampliùs. Non quidem multos ei imposuit seueræ pœnitentiæ annos pro peccatorum expiatione; sed tamquam iam nihil in eo præter virtutes spectaret, ita ad eum dixit: * *Hodie mecum eris in paradiso*. Quid hoc verbo dulcius?

Quanta latronis fides, charitas, resignatio in illâ Christi propugnatione & inuocatione. Lucæ 23. Ezech. 33. Lucæ 23 *II Christi verbum.

20. O immensa misericordia Dei, qui malefactorum omnium latronis istius tam misericorditer oblitus est, & tam repentè ignouit pœnitenti, bonumque, quod in eo certè exiguum erat, tam eximiâ ac præclarâ mercede dignatus est! Non enim indiget bonorum nostrorum opulentissimus atque pijssimus Deus; sed cor petit ad se conuersum, humile, ac resignatum, quale in hoc ipso latrone reperit. Neque enim is vel à morte corporis, vel à pœnis purgatorij seruari petijt: sed penitus se in diuinam resignauit voluntatem, nihilque nisi misericordiam & gratiam humiliter postulauit. Vnde & pius Dominus, apertis largissimis gratiæ suę thesauris, beatitudinẽ æternam ei contulit. Et ô damnanda nequam latronis duritia, quem nec socij castigatio, nec tot amoris & clementiæ signa in Christo elucentia, emollire atque conuertere potuerunt! Videbat dari regnum cælorum, nec tamen animum adhibere voluit vt desideraret: itaque nec erit illi. Blasphemias atque maledicta potiùs elegit: & venient ei, & quidem in omne æuũ. Illum autem nouum fructum, quem pijssimus Iesus ex infecundo solo nostro, multo cum sudore, multaque pretiosi Sanguinis sui

Inde patet immensa Christi bonitas erga pœnitentes. *O durum cor latronis impœnitentis.*

sui irrogatione in lignô crucis obtinuit, cælesti Patri suo, ceu pretiosum munus, ingenti cum gaudio obtulit. Interim tamen & doluit plurimum, quòd latro iste multis foret damnationis ansa, qui omnem vitam suam in vitijs transigere statuunt, sperantes nihilominus se cum hoc latrone in ipso mortis articulo veniam consecuturos & gratiam. Quod quidem longè stolidissimum nimisque periculosum est: quamuis & hoc verum sit, neminem vmquam à Deo derelinqui posse, qui se ad eum toto corde conuertit, eique piâ cum fiduciâ innititur.

Pœnitentia boni latronis multis occasio ruina.

CAPVT XVII.

Iesus ex doloribus afflictæ matris augmentum dolorum suorum accipit, & illam stantem iuxta crucem alloquitur.

1. *Compassio matris auxit in Christo materiam doloris:*
2. *Eadem nempe crux & matrem & Filium configebat.*
3. *Dolor, quem euasit Virgo in puerperio, reseruatus illi in Filij passione & cruce.*
4. *Fortitudo & constantia Virginis orta ex firmissimâ fide, compassio autem ex feruentissimo amore.*
5. *Christus pellicanus suo nos sanguine viuificans.*
6. *Dolor Virginis ex eo quod Christo nullum afferre potuit solatium.*
7. *Verbum consolationis, quo Christus in cruce matrem honorat,*
8. *Ipsam simul affligebat, & solabatur. Pulchrè inde deducitur, Mariam esse matrem gratiæ & misericordiæ.*
9. *Omnes fideles in Ioanne facti sunt filij adoptiui Virginis.*

1. Ioan. 19. *Materiam doloris auxit in Christo, mœsta matris suæ dolor & compassio.*

STABAT verò *iuxta crucem Iesu* sanctissima *mater eius* semperque virgo Maria, non ad aliquod pœnarum subleuamen aut temperamentum, sed ad non mediocrem augmentationem. Nam si qua potuisset creatura aliquid adferre solatij Domino in cruce pendenti, nulla ad id tam fuisset idonea, vt beatissima mater eius. Sed quia definitum erat Christo morte acerbissimâ occumbere, & absque vllâ consolatione & releuamine, verâ cum resignatione ipsam suam passionem claudere; nihil ei materna præsentia solatij præstitit, sed potiùs auxit dolores eius, quando & mœstitiam illius suis pariter pœnis iunxit, & vberiorem inde hausit materiam acerbissimi cruciatus.

2. *Eadē crux matris, quæ filij: eadem dolor filij, qui & matris; filius manibus & pedibus, mater corde & animâ cruci affixa.*

Quis iam, ô bone Iesu, meditando consequi possit, quo fueris intus dolore affectus, cùm tu, qui corda omnium nosti, cuncta matris viscera & membra per internam compassionem tecum pariter in cruce extenta & clauis confixa videres, corque eius longè pijssimum, & verè maternum pectus doloris acutissimi gladio transuerberatum, vultum in pallorem versum, & animi angustias declarantem, atque, sine morte, pæne emortuum? Cùm aspiceres feruentes lacrymas, ceu dulcissimos riuulos quosdam per gratissimas genas eius & faciem vbertim cursimq; manantes, quæ vtique testes erant illius erga te doloris pariter & amoris? cùm audires etiam gemitus miserabiles, pondere afflictionum illius expressos, cernerésque eamdem deuotissimam Genitricem tuam prorsus amoris æstu liquefactam, & omnino resolutam in lacrymas, ac penitus deficientem, exhaustamque & absumptam: vtpote passionis tuæ cruciatu eam deuastante? Reuerà tunc, ô bone Iesu, ex afflictione materni pectoris, nouam crucem in te recepisti. Solus namque pondus & grauitatem dolorum eius, hominibus vniuersis incomprehensibilem, compassionis lance trutinasti. Et id quidem maximè exaggerauit cruciatum passionis tuæ, quòd non modò in corpore tuo, sed etiam in materno pectore crucifixus eras: quando & illius crux, tua erat; & tua, vicissim illius.

Et quis, ô pijssima Mater, ô Regina Martyrum, quis immensos animi tui angores, internamque afflictionem tuam aut effari, aut mente concipere queat? Quem enim sine dolore genuisti, spiritus iubilo perfusa (cùm & ad tui recreationem auribus haurires suauissimam Angelorum melodiam Deum laudantium) eum nunc cum ingenti crudelitate & tyrannide in oculis tuis occidi conspexisti. Vt iam dolor ille, quem tunc feliciter euasisti, multipliciter erectus est, cùm beatum & singularem Filium tuum cerneres in tam horrendis pœnis in cruce pendentem coram sæuâ illâ plebe, quæ quidquid conuitiorum, afflictionum, & contemptus mente effingere poterat, in illum conferebat? Cùm videres eum, quem in castissimis visceribus pudicissimi vteri tui absque vllo grauamine gestaras, tam inhumaniter in cruce distentum, clauísque perterebratum? Cùm item aspiceres sacra illius brachia, quibus te toties amicabiliter strinxerat, tam immobiliter extensa roseoque tincta cruore: caput quoque venerandum acutis compunctum spinis, & totum corpus non nisi vulnus fluens; nec tamen interim vulnera illius tergere & inungere dabatur? Conspiciebas eum, quem sæpenumerò quietis captandæ gratiâ in virgineo sinu tuo collocaras, iam non habere vbi sacrum caput inclinaret. O quàm passionis prælo maternum cor tuum tunc compressum fuit!

3. *Euasit Virgo dolorem in puerperio; sed multiplicatus est ei dolor in crucis martyrio.*

Luc. 9.

quantopere afflictionum vnda animam tuam percurrit, imò & demersit penitus! Enimuerò, si deuotus quispiam, absque ineffabili dolore & compassione, Filij tui passionem animo reuoluere non potest; quæ crux, quæ afflictio te inuasit, quæ ipsa eius mater eras, & eamdem passionem oculis coràm intuebaris? Reuerà sincerissimum cor tuum, hac die non semel, sed plus centies scissum est. Neque enim vlla vnquam mater adeò suam dilexit prolem, vt tu Filium tuum. Vnde & quidquid molestiæ sub tuo aspectu illi illatum est, id repentè secuit cor tuum.

4\. *Ioan. 19.* *Magna fortitudo Virginis, Filio patienti cõstanter & sine spasmo adstantis.*

Et quî stare, ô Domina, poteras? Dicit enim Euangelista: *Stabat iuxta crucem Iesu, mater eius.* Vnde tanta tibi fortitudo, vt hodie toties confixa, toties vulnerata, toties doloris gladio vnà cum Filio tuo crucifixa, nihilominus constanti animo & corpore perstares? Forsitan truces illi atque horridi claui, & te pariter ita detinebant in cruce Filij tui, vt collabi non posses. At verò multò fortiùs amor potentissimus, ipsâ quoque morte fortior, te sustinuit vt cadere nequires. Itaque stabas ceu fidei columna immobilis: nec quidquam verita es sæuitiam Iudæorum, equorum fremitus, & strepitum armorum, vtpote vnà cum filio mori paratissima. Neque enim negare poteras, quemadmodum Petrus; non fugere, vt ceteri Apostoli; non dubitare, vt discipuli; non aliquod pati offendiculum, vt plurimi: quandoquidem optimè noueras, & quâ ratione, & quem conceperas genuerasque. Ideoque assistebas iuxta crucem eius, cuius Diuinitatem in spiritu adorabas. Stabas, inquam, iuxta crucem, vt hominis redemptioni per dolorem acerbissimum cooperareris. Et quia * Iesum dilectum filium tuum, verum quoque noueras esse Filium Dei, amor tuus ad Diuinitatem, & erga humanitatem dilectio, velut ingentia duo saxa cor tuum penitus expresserunt, atque letalibus angustijs coarctarunt, dum illum tam horribilibus & indignis modis tractari, tamque crudeliter occidi cerneres. Nimirum hi duo fuêre sæuissimi mucrones, animam tuam omni afflictione & dolore crudeliùs transuerberantes. Enimuerò vt sponsa diuino amore succensa, dolebas acriter ob grauissimos contemptus & iniurias, quas sponso ac Domino Deo tuo irrogari coràm intuebaris: & vt fidissima sincerissimaque parens, dolebas itidem vehementissimè propter horribiles pœnas ac turpissimam mortem, quam eumdem dulcissimum filium tuum obire conspiciebas. Quia verò eiusdem filij passio & afflictio immensa erat (oportebat enim eum, secundùm iustitiæ rigorem, cuncta mundi peccata, quæ innumera atque infinita sunt, vincere, illisque præponderare) ideò & dolor tuus (qui illius cruciatibus respondebat) incomprehensibilis fuit, thesaurusque meritorum tuorum immensus. Hîc videre erat duo altaria, Patri cælesti ob excellentiam sacrificij gratissima, alterum in filio tuo, alterum in te. Et quia in sacrificio sanguinem exteriùs cum filio fundere non poteras, decoxisti atque absumpsisti illum intus feruentissimo amoris atque doloris igne. Obtulisti Deo *cor contritum & spiritum contribulatum*: obtulisti loco sanguinis profusas lacrymas: gemitus tui instar suauissimi fumi è thure accenso suscitati, ferebantur in cælum. Atque hoc pacto sacrificium tuum pro cunctis gratiæ filijs (quorum ipsa mater es) fecisti atque immolasti.

Orta ex purissimo amore, & plenissimâ fide.

* Duplex amor in Virgine, vnus erga Deum, alter erga Filium, comprimebat cor Virginis velut in prælo, & dolores exprimebat.

Duo sacrificia in cruce: alterum corporale, Filij patientis; alterum spirituale, Matris cõpatientis.

Psal. 50.

O anima mea, & quotquot optatis esse gratiæ filij, aspicite, quæso, Christum Patrem vestrum anxijs pœnis correptum: videte vt suâ vos morte ad vitam reuocarit, ac velut fidelissimus pellicanus suo vos sanguine tamquam pullos suos denuò generarit, excitarit, alueritque. Contemplamini & Matrem vestram Mariam grauissimè afflictam, nouos partus dolores vestri causâ experientem, vt vos gratiæ filij efficeremini. Per Patrem vestrum habetis vitam, per Matrem præstatur vobis gratia. Itaque compatimini tantis parentibus vestris, quos tam grauibus pro salute vestrâ doloribus laborare cernitis, si tamen gratiæ filij estis. 5.

Pellicanus solitudinis Christus.

Mater Christi nos peperit doloroso partu ad crucem.

O quoties mœstissima illa mater oculos suos ad contemplandum deforme sui pignoris corpus attollebat, quos tamẽ mox lacrymis affluentes demittere cogebatur! Videbat corpus saucium, sed illud vngere non licebat: venas sanguinem manantes, verùm eas obuoluere non dabatur: membra crudeliter extensa, at illa soluere ac laxare non poterat: sacrum eius caput ad mortem inclinari conspiciebat, membraque omnia iam ipsam suspirare mortem, ceu laxamentum atque leuamen pœnarum suarum, sed releuare sustentareque illa nequibat. Itaque pijssimum cor eius, velut vua prælo crucis acerbè expressum est, adeò vt cum Filio suo potuerit dicere: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* 6.

Inde dolor augetur Virgini, quia solatium Filio afferre non potuit.

Math. 26.

Intereà cernens hæc dulcissimus Filius ipsius, qui hactenus nihil ei dicens sese continuerat, vt scilicet fortissima illius fides, ingensque fidelitas, inuicta patientia, gloriosa passio, & ante omnia * intemperans atque ardentissimus amor patesceret, & ne gloriam crucis eius imminueret: deinceps vltrà se continere non potuit, sed pijssimâ atque conso- 7.

Iesus de cruce Matrem alloquens cum honore solatur.

* Maximus amor nõ immeritò vocatur immodicus & supra om-

nem mensurã excedens, quod hîc vox illa intemperãs indicat. *III. Christi verbum. Ioan. 19.

consolatoriâ eam voce affatus, ait: * *Mulier, ecce filius tuus.* tamquam diceret: Dulcissima, charissima, fidelissima parens, noui dolorem & mœrorem tuum, scio quanta mei amore patiaris, cerno quantis correptum sit angoribus deuotissimũ cor tuum, dum me dilectum filium tuum tantis conspicis in pœnis, dum me charissimo pignore tuo (in quo sita est omnis spes & consolatio tua) ita miserabiliter spoliaris. Sed necesse est consummari passionem meam, prorsus moriendum est mihi: iam tempus est vt vadam ad eum qui me misit. Itaque dilectissimum discipulum meum tibi relinquo, quem mei loco filium habeas, qui te consoletur, te custodiat, tui curam gerat, & vt pius filius tibi matri suæ subditum ac morigerum se præbeat.

8. *Pulchrè explicatur verbũ consolationis Filij ad Matrem.*

O! quantoperè hæc Domini Iesu verba pijssimum cor mœstissimæ matris penetrarunt, cùm audiret quòd penitus destituenda esset, quodque pro Filio Dei, filius hominis; pro Magistro, discipulus; pro Domino, seruus sibi assignaretur? Rursum, quàm ingens amor Domini eam totam liquefecit, quando secum ipsa reputabat, quantam pro se ille curam gereret ac sollicitudinem? Sanè Dominus Iesus plus ex dolore matris per compassionem, quam ex suo ipsius cruciatu affligebatur. Vnde & se totum ad illam consolandam intendit, tamquam sola eum matris afflictio cruciaret. Denique, vt potuit, membra sua omnia (quæ iam mors vicina pænè rigida effecerat) ad illam conuertit: primò quidem inclinando caput, ceu vltimum vale dicens, & discedendi petens copiam: deinde & roseos oculos suos adhuc calidis lacrymis affluentes, amicabiliter ad eam conuertendo: postremò labia mortis pallore obducta aperiendo atque dicendo: *Mulier*, non tantùm mea mater, sed generaliter mulier, ob ingentem fecunditatem tuam, quia matrem multarum gentium constitui te. Itaque *mulier, ecce filius tuus.* Iste Ioannes erit filius tuus, (cuius nomen si vertas, gratiam sonat:) & hoc priuilegium tibi modò à me concessum est, vt sis perennis & æternæ gratiæ Mater, ob merita certè maxima afflictionis tuæ: nec vmquam gratiæ lacte destituentur vbera tua, quo singulos quosque alas & nutrias, qui deuotis ea presserint precibus. Eapropter, fecundissima *mulier, ecce filius tuus.* Neque plores iam velut deserta & absque liberis mater, quin potiùs exulta: nam per hos, quos modò pareris, dolores, proles edes innumeras, erisque mater omnium, qui per gratiam meam in me credituri sunt. Quos omnes ceu proprios filios in sinu maternæ gratiæ tuæ confouebis atque tuebere, dans eis ex castissimis vberibus tuis lac gratiæ. Enimuerò accurrent ad te omnes sitibundi, & dicent: *Monstra te esse matrem.* Itaque *mulier, ecce* non vnus tantùm *filius*, sed filij tui. Hinc iam capiat te obliuio doloris tui, sit hęc consolatio tua, sit laboris temperamentum & alleuiatio.

Maria mulier appellata, & quare. Gen. 17.

Maria mater gratiæ, mater fidelium, quos sub cruce parturijt in dolore.

9. Ioan. 19. *Omnes nos filij sumus matris Mariæ sub cruce ab eâ adoptati.*

Deinde ad discipulum Dominus ait: *Ecce mater tua.* Quod quidem non vni, nec soli Ioanni dictum est, sed cunctis iam conuersis peccatoribus, quibus cumprimis gratia necessaria est, ne velut infantes lacte gratiæ destituti, moriantur. O Maria, tu verissima gratiæ mater & misericordiæ! Cui enim vmquam sinum gratiæ tuæ præclusisti? cui pietatis tuæ subtraxisti vbera? Sileat ille laudes tuas, qui apud tè passus repulsam, & gratiâ defraudatus est. Laudamus virginitatem tuam, humilitatem miramur: sed misericordia miseris sapit dulciùs, misericordiam amplectimur chariùs, recordamur sæpiùs, crebriùs inuocamus. Quotquot igitur gratiæ sumus indigi, stemus simul iuxta crucem cum beatissimâ Mariâ, intusque per compassionem crucifigamur. Certè pijssimus Dominus minimè patietur nos muneris & consolationis expertes à cruce discedere. Et licet grauissimis sit pœnis obrutus, iamque ad Patrem pergat, non relinquet nos orphanos. Ipsam Virginem intemeratam paternâ pietate nobis matrem dabit, dicens, Ecce mater vestra. Quàm suaue, quàm consolatorium est hoc verbum infirmis omnibus, tam fidelem, tam benignam, tam misericordem habere matrem, quæ ex illis quæ passa est didicit compassionem? Ecce, inquit Dominus, mater vestra misericordiæ plena, vt vos suscipiat: plena item gratiæ, vt vos vberibus consolationis suæ pascat, foueat, exsatietque.

CAPVT XVIII.

Sol obscuratur, Iesus clamat se derelictum; suamque queritur sitim, ac felleo potatur aceto: commendatâ item Patri animâ suâ moritur, atque hinc velum templi scinditur.

1. *Obtenebratus est sol in morte Saluatoris.*

2. *Clamat se Iesus derelictum, quantum ad inferiorem portionem: quantumque illa derelictio dolores eius auxerit.*

3. *Pręcipua causa doloris Christi, fuit plenissima comprehensio offensarum, quæ in Deum factæ sunt.*

4. *Afflictio Christi incomprehensibilis mortalibus; aggrauata ex teneritudine complexionis, & per-*

 sens-

seuerantiâ viuidi sensus vsque ad extremum vitæ halitum.

5. *Sitis Christi in cruce, signum virium consumptarum,& mortis propinqua:*

6. *Fuit etiam sitis salutis nostræ.*

7. *Sitiuit ampliùs amorem suum nobis demonstrare.*

8. *Indicauit etiam sitis illa, ad quantam inopiam fuerit Dominus pro nobis redactus. Matris compassio.*

9. *Quidquid pro amore Christi facimus & patimur, quasi sitim illius restinguit.*

10. *Felle & aceto potatur Dominus:*

11. *Sed longè amarior illi fuit porrigentium malitia, quàm ipsum fel & acetum.*

12. *Passione Christi completum fuit, quidquid ad salutem nostram requisitum esse, prædictum fuit.*

13. *Totam humanitatem peruasit dolor.*

14. *Voce magnâ clamat. Ingens dolor separationis animæ à corpore.*

15. *Vox magna morientis, indicat fuisse eum plus quam hominem: excitat torporem nostrum; & proclamat victoriam à Christo iam partam.*

16. *Inclinat Christus caput, tamquam valedicens suis.*

17. *Deuota repræsentatio acerbissimæ mortis Christi.*

18. *Dolor Virginis in morte Vnigeniti.*

19. *Verè in finem dilexit nos Christus.*

20. *Elementa commouebantur in morte Creatoris.*

21. *Compassio erga Christi mortem quotidie excitanda: quem quotidie peccatis nostris crucifigimus.*

1. Matth. 27. *Eclipsis miranda solis in Christi morte.*

PORRO *à sextâ horâ tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam.* Nam sol lumen suum retraxit, ceu lugubrem sumens vestem, compassionemque & dolorem (vt poterat) exhibens erga suum conditorem, tantis tunc angustijs & cruciatibus comprehensum. Itaque splendoris sui amœnitatem subducendo, totum hunc orbem mœrore affecit, seque socium iunxit intemeratæ virgini Mariæ in plangendo filio. Quantus interim putamus, & quidem nouus dolor, Dei Matrem inuasit, cùm insensibilem creaturam tantum mœroris & compassionis argumentum erga dilectum filium suum edere cerneret? Nimirum tunc recentes lacrymæ denuò ceu dulces riuuli largiter manare cœperunt. Est igitur obscuratus sol, tamquam æquanimiter ferre non posset passionem acerbissimam, contemptum, probra & iniuriam, quæ homines impii suo inferebant Creatori.

2. Matth. 27. *Quâ ratione se dicat Iesus derelictum.* *IV. Christi verbum.

Post hæc, *circa nonam horam clamauit* Dominus *Iesus voce magnâ:* **Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Dixit hoc *voce magnâ*, vt nos, somno mentis discusso, admiraremur obstupesceremusque, cernentes tam immensam eius erga nos bonitatem, qui propter nos vilissimos peccatores tam immania pertulit tormenta. Aduertendum verò est, ipsum Dominum Deum nostrum Iesum Christum ab exordio incarnationis suæ secundùm superiores animæ vires plenâ beatitudine gloriosum fuisse: quæ quidem beatitudo redundasset in corpus, illudque reddidisset impassibile, nisi Deus hoc sacrâ dispensatione distulisset. Erat ergo Christus secundùm superiorem animæ portionem, id est, secundùm spiritum, semper in Diuinitatem conuersus, & eam pro obiecto habebat, illâque sine intermissione fruebatur (etiam cùm in cruce diros cruciatus toleraret) sicut modò fruitur in cælis. Atque hinc nonnulli gloriam passionis eius imminuere conantur, dicentes illam non tam acerbam neq; tam atrocibus doloribus subditam fuisse, ob ingens quod ex Diuinitate habuit adminiculum ac fulcimentum. Quod qui sentiunt, nouerint se illius passionem renouare, eumque denuò crucifigere. Vt igitur Christus opinionis huius errorem demonstraret, clamauit voce magnâ, & ait: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Tamquam diceret: Me, quem pœnæ tam atrociter deuastant, cur reliquisti? Secundùm inferiores vires & naturam portionemque sensitiuam, horribiles planè dolores atque intolerabiles angustias sentiebat: erat enim complexionis tenerrimæ. Dicit autem se derelictum à Deo, propterea quòd, se volente, nulla consolatio à superiori portione animæ ipsius redundaret in inferiorem: nam iuxta ipsam inferiorem portionem siue sensualitatem, Christus in suâ acerbissimâ passione derelictus, ac veluti abiectus à Deo fuit; quia Diuinitas eidem portioni inferiori, omnem internæ dulcedinis influentiam tunc subtraxerat, illamque sibiipsi reliquerat. Solet sanè pijssimus Deus Martyribus suis cruciamenta & afflictiones, per diuinæ consolationis infusionem ita temperare, vt hac gratiâ sensibili omnem pænè illorum crucem reddat insensibilem. At verò dilectissimum Filium suum prorsus omnis solatij reliquit expertem, omnique priuauit releuamine ac lumine: adeò, vt in humanâ naturâ suâ tantum perpessus sit, quantum æterna Sapientia pro iustitiæ exactione statuerat atque definierat. Et nostra quidem salus tantò præclariùs perfectiusque reparata est, quantò absque vllo lumine & adminiculo in verâ resignatione ac derelictione peracta atque consummata est. Reuerà Christi passio adeò omni fuit illuminatione destituta, adeoque grauis & crudelis, vt nulla huic cuiuslibet Sancti passio sit ex parte æquiparanda.

Fuit ab instanti conceptionis semper beatus, etiam in passione, secundùm vires superiores animæ.

Nec tamen inde minuebatur atrocitas passionis in parte inferiore. Derelictio, erat subtractio consolationis ab inferioribus viribus:

Qualem Deus sæpè infundens Martyribus, mitigabat eorũ cruciatus.

Præ-

3\. *Plena comprehensio grauitatis offensæ diuinæ, præcipua causa dolorum Christi.*

Præcipua internæ afflictionis Christi ratio erat, quòd ipse apertissimè intelligeret, quis contemptus & quanta iniuria præstantissimæ Diuinitati per humani generis peccata inferatur. Quantò verò hæc Christi cognitio omnium hominum cognitione altior subtiliorque erat, tantò & mœror atque angustia eius grauior cumulatiorque fuit. Dolebat malitiam & ingratitudinem iniquorum: dolebat passionem suam innumeris hominibus nihil prorsus collaturam: dolebat obstinatam peruersitatem improbamque voluntatem Iudæorum, & eorum perditionem mœrebat.

4\. *Omni homini incomprehensibiles sunt cruciatus Christi in cruce: ideò nemo sufficienter copatitur.*

Certè neque internæ neque externæ afflictionis & crucis Christi magnitudinem aliquis præter ipsum Christum satis nouit: vnde factum est, vt nemo satis illi compati potuerit. Et tamen, præterquàm quòd ipse in seipso grauissimè torqueretur, insuper & dolores angoresque cunctorum ei compatientium experiri atque perferre coactus est. Plerique quidem naturâ duri ac ferrei, leuiter ferunt etiam multa aspera; & neque erga suas, neque erga aliorum afflictiones vllo vel dolore, vel compassione tanguntur: Christus verò, cùm esset omnium pijssimus ac misericordissimus, naturâ item & ingenio seu complexione mitissimus ac nobilissimus, sibiipsi maximè compassus est; quandoquidem pœnarum eius acerbitatem & pondus nemo rectiùs quàm ipse metiri ac nosse potuit.

Geminus in eo dolor, passionis & compassionis.

Vnde geminus hic dolor, atque pressura, passionis videlicet & compassionis, velut duo maris fluctus sæuâ tempestate exagitati, & contra se inuicem insurgentes atque certantes, Christum totum adeò & intus & foris concussit, attriuit, torsit, excruciauit, vt omnem vincat intellectum. Quod ita esse, etiam in suæ passionis exordio declarauit, cùm natura sensitiua & natura rationalis, ceu torrentes duo, magno euntes impetu, sese mutuò impeterent, adeoque Dominum affligerent, vt præ nimio angore sanguinem sudaret & vndam.

Vterque maximus, ob viuacitatem sensitiuæ partis in eo vsque ad finem vitæ.

Non minimum etiam attulit pondus ad dolores Christi, quòd ad vltimum vsque spiritum, perfectum atque viuum absque stupore vel extinctione habuit sensum in cunctis membris suis: & id quidem facilè inde liquet, quòd voce magnâ clamans suum tradidit spiritum. Atque ita ad vltimum vsque vitæ punctum in membris itidem omnibus passus est.

Matth. 27.

5\. *Consumptis iam viribus naturæ, sitiebat Christus.*

Hinc iam pijssimus Dominus præ nimiâ pœnarum angustiæque acerbitate, & præ immodicâ sanguinis profusione adeò exhaustus est & exaruit, vt diceret: * *Sitio.* Quod quidem verbum, vt breue, ita mysterijs plenum est. Et primò, potest id iuxta literam accipi. Ita enim naturâ comparatum est, vt quotquot extremum agunt spiritû, sitiant, potumque desiderent. Et fons iste viuus tantam ariditatem expertus est, vt nunc exhaustus atque exsiccatus dicat: *Sicut aqua effusus sum.* &: *Aruit tamquam testa virtus mea.* Neque enim omnem suum dumtaxat fudit sanguinem, & quidquid habuit humoris lacrymando emisit; sed & ipsas ossium medullas, & vniuersum cordis sui sanguinem, nostri causâ, amoris incendio & flammâ prorsus absumpsit. O quàm incomprehensibilis, quàm acris & vehemens hæc sitis Domini fuit!

Ioan. 19.
* V. Christi verbum.
Psal. 21.

6\. *Sitiebat etiam salutē animæ nostræ.*

Potest etiam hoc verbum *Sitio* spiritualiter intelligi; velut Christus generatim omnibus dixerit, *Sitio*, videlicet salutem vestram. Vnde Bernardus ait: *O bone Iesu, tu coronam spineam sustines: tu clauis cruci affixus es, & de tuâ cruce vulneribusq́; tuis taces, ac pro solâ siti clamas dicens: Sitio. Quid ergo sitis? Sitio, inquit, fidem vestram: sitio redemptionem hominis, & gaudium humanæ salutis.* Fuit hæc sitis Christi, vel centuplo acrior ac vehementior siti illius naturali. Et quidem sine cessatione adhuc nobis intus dicit, *Sitio*, Mulier *da mihi bibere*. Tanta enim est & tam ingens illius sitis, vt non à filijs Israël tantùm, sed à Samaritanis potum petat. Singulis quibusque suam queritur sitim. Quid verò sitis Domine? Hic est, inquit, potus & cibus meus, vt homines faciãt voluntatem Patris mei. Patris autem voluntas hæc est, *sanctificatio vestra*, & salus. Itaque sanctas reddite animas vestras, ambulando in præceptis meis, & vosipsos cunctis exornando virtutibus: vt ceu sponsa benè præparata cultaque, digni sitis ad cœnam meam venire in regnum Patris mei, mecumque dormire in conclaui cordis paterni. O quanto cum desiderio omnes eò Christus secum perducere exoptat! O quàm incomprehẽsibilis est hęc Christi sitis! Quantopere triginta tres annos huius gratiâ desudauit! Nimirũ hac de causâ & medullas & sanguinem cordis sui consumpsit. Vel millies potiùs se crucifigi passus fuisset, quàm suâ ex culpâ vllam siuisset perire animam.

Eáque sitis multò fuit acrior quã sitis corporea.
Ioan. 4.
1\. Thess. 4.

7\. *Alia causa sitis, vt suũ nobis amorem manifestaret magis, magis pro nobis patiendo.*

Habuit & aliam sitim, puta ampliùs patiendi, atque euidentiùs suum nobis demonstrandi amorem. ac si diceret homini: Aspice, vt tuæ salutis gratiâ exhaustus & consumptus sum. Vide, quàm horribiles sim perpessus dolores & cruciatus. Sæua hominum crudelitas, totum me pænè redegit in nihilum: ebiberunt omnem sanguinem meum peccatores terræ, & tamen adhuc sitio. Nondum satisfactum est cordis mei desi-

desiderio, amoris mei flamma neutiquam restincta est. Etenim si fieri posset, & Patri gratum foret, vel millies ob salutem omnium vestrûm crucifigi, & ad extremum vsque iudicij diem in hisce miserijs doloribusque hîc pendere optarem: tantùm vt immensum vobis cordis mei amorem testatum reddere, saxeaque pectora vestra emollire, & ad me amandum accendere possem. Quid enim æstuantissima hæc sitis mea loquitur, nisi flagrantissimum amoris mei incendium? Itaque tam sitibundus hîc pendeo iuxta fontem cordium vestrorum, vt animaduertam deuotas animas huc accurrentes, ad hauriendum ex immenso passionis meæ puteo. *Igitur puella, cui ego dixero*, Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum de hydriâ conscientiæ tuæ, aquam scilicet deuotionis, compassionis, lacrymarũ, & amoris mutui; & *illa* si inclinauerit ad me hydriam suam, & *responderit, Bibe*, Domine mi; *quin & camelis*, id est, seruis tuis, qui te quotidie suo in corpore portant, & noctu diuque tuo iugo vincti tenentur, similiter hauriam aquam fraternæ charitatis: *ipsa est* puella, quam præparauit Dominus filio Domini mei, vt sit sponsa Verbi diuini meæ humanitati vniti. Ipsaque velut sponsa digna erit vnà cum sponso suo, quietis æternæ ingredi cubiculum, sui sponsi vocibus inuitata dicentis: Veni benedicta sponsa mea, posside regnum Patris mei: sitiui enim, & dedisti mihi potum.

Anima fidelis hanc sitim Domini restinguit lacrymis mutui amoris. Gen. 24.

Talis est sponsa Christi.

Matth. 25.

8. Postremò hoc verbum ita accipi potest, quòd illud dixerit Dominus dilectissimæ Matri suæ grauissimè afflictæ, & iuxta crucem assistenti. tamquã diceret: O dulcissima mea mater! aspice, ad quantã inopiam & Dei & tuus filius redactus est. Equidem mare, fontes, & humida cuncta creaui: ego nubibus impero, & pluuias fundunt: ego cælestis voluptatis æternæque beatitudinis potum Angelis ac Sanctis omnibus præbeo: & ecce non est quispiam, qui in acerrimâ hac siti meâ refrigeret linguam meam. O! quantoperè verbum istud scidit ac penetrauit deuotissimum maximeque oppressum cor Virginis intemeratæ, dum vnigenitum filium suum, quem virgineis suis fouerat vberibus, in tantâ necessitate suam audiret queri sitim, nec tamen posset ei opitulari! Potuit igitur ei ita respondere: O fili dulcissime, adeò tota mœrore ac impatibili angore correpta sum, vt tibi opem ferre nõ possim. Adeò tecũ per ineffabilem compassionem crucifixa sum, vt me mouere nequeam. Iam viribus cũctis destituta sum, quòd te, vnicum cordis mei solatiũ, ante oculos meos tam iniuste cruciari, tam turpiter sperni, tam crudeliter occidi video: nec licet mori tecũ, nec auxiliũ aliquod impẽdere valeo. Hæc prorsus intus me liquefaciũt, hæc medullas animæ meæ deuastãt. Vides ipse, fili mi amantissime, me totam amoris tui amore liquefactã, ac instar vuæ grauissimo passionis tuæ pondere expressam. Itaque me totã trahe in te, bibe me, absorbe me, in tuum corpus me traijce: vt tota tibi sim refrigerium atque refocillatio in hac grauissimâ siti tuâ.

Ad quantã inopiam pro nobis redactus Iesus ex hac siti cognoscitur.

Exclamatio filij sitientis arefecit cor matris cõpatientis.

Sanè quidquid purè propter Deum vel agimus vel patimur, quamlibet exiguum id sit, Christo instar dulcis cuiusdam potionis gratum atque sapidum est, eiusque sitim refrigerat. Et ipse in cruce positus compassionem omnem, mœstitiam, deuotionem, gemitus & lacrymas in passionis eius meditatione exercendâ, ebibit: & quidquid persecutionum, angustiarum, afflictionũ pro eius laude & amore tolerabitur, omnem pœnitentiæ rigorem, ieiunia, preces, vigilias, cunctas naturæ mortificationes, vniuersa obedientiæ & charitatis opera, & quidquid demum actuum virtuosorum ad nouissimum vsque iudicij diem pro illius honore peragetur, cuncta hæc Dominus Iesus miro quodam modo hausit, atq; cum ingenti siti absorbuit, suisque iunxit & vniuit operibus, nec non feruenti suo Sanguine purgauit, atque in igne diuini amoris sui excoxit: suis quoque meritis & actibus, quidquid in his imperfectum atq; defectui obnoxium erat, perfecit & absoluit: atque ita demum in æterni Patris conspectum obtulit, illique grata ac placita fecit. 9.

Toties sitim Christi restinguimus, quoties pro amore Christi sitientis aliquid facimus aut patimur.

Postquam verò Dominus Iesus hoc de suâ siti protulerat verbum, quidã spongiam felle & aceto impletam eius sacro ori obtulit. Et hæc quidem pijssimus Iesus iuxta Dauidis vaticinium gustare voluit, quò in cunctis suis membris ac sensibus torqueretur; vtque Adæ peccatum, quod per gustus delectationem admissum erat, per hunc acerbum & molestissimum gustum corrigeretur. Hinc verò Iudæorum insatiabilem liuorem, duritiam & amaritudinem aduertere licet, quòd cuncta hæc tormenta, sanguinis profusiones, & immanissimi cruciatus quibus Dominum affecerant, cruentam eorum necdum expleuerint sitim. Iam in ipso eum mortis articulo positum videbant, nec tamen ab illius cruciamentis temperabant. Statutum * quidem fuerat à Salomone, vt damnati aromatico ac dulci potu reficerentur, quò suas obliuioni pœnas traderent: sed isti sceleratissimi vinum hoc biberunt, & Christo acerbissimam confecère potionem, quam virulento suo corde poterant excogitare. Erant namque reuerà acida & fel- 10.

Dominus sitiens, potatur felle & aceto. Matth. 27. Psal. 68.

*Sic accipe vers. à Salomonis Prouerb. 31. vers. 6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.*

& fellea vasa, odij & liuoris plena, nec poterant inde nisi acetum depromere.

11. *Malitia porrigentiũ fuit ipso felle amarior Christo.*

O quantoperè pijssimum affligebat Dominum, cuius natura bonitas est, dum venenatum atque amarulentum adspiceret fundum, inextinguibilem crudelitatis ardorem, & saxeam atq; obstinatam malitiam Iudæorum! quòd hi, quos tot annis in eremo mannâ cæli pauerat, in extremâ suâ necessitate talem nihil vererentur porrigere potionem. Nimirum hæc eorum inuidia & inclementia plus Dominum torsit, quàm ipsa potus amaritudo. Quò enim quispiam plus virtutis habet, eò illi magis dolet, dum malitiam cernit & crudelitatem; quantoque id euidentiùs animaduertit, eò inde grauiùs in corde torquetur. Itaque triplicem crucem siue afflictionem Dominus Iesus perferebat. * Prima erat, externus idemque intolerabilis cruciatus: secunda, mœror ingens, quem ex compassione erga pijssimam Matrem conceperat: tertia, internus ille dolor, quo incomprehensibiliter torquebatur ob malitiam, ingratitudinemque Iudæorum & nostram, quodque præuideret, acerbissimam passionem immensosque labores & cruciamenta sua, in plurimis nullum habitura effectum.

* Triplex afflictio Christi.

12. Ioan. 19. Consummatum est; *id est, umbra figuratiua veteris legis morte Christi euanuerunt: & alia de sexto Verbo meditationes.* * VI. Christi verbum.

Deinde, vbi Christus felleum hunc degustarat potum, dixit: * *Consummatum est*; significans, in passione suâ impletas esse prophetias, figuras, Scripturas, & quidquid ab æternâ Veritate, vt pateretur, definitum atque præfixum erat. O! quot admiranda mysteria victoriasque breue hoc & subtile verbum comprehendit? Nam quidquid æterna Sapientia constituerat, quidquid rigida iustitia pro singulis quibusque exigebat, quidquid charitas amanter poscebat, quidquid ad nostram redemptionem erat necessarium, quidquid abolendis debitis nostris erat conducibile, quidquid ad nostras explendas resarciendasque negligentias conferebat, quidquid accommodum esse poterat ad sublimem demonstrandum amorem, quæcumque pro nostrâ spirituali institutione atque informatione desiderare potuissemus, quidquid demum congruum erat glorioso redemptionis nostræ triumpho celebrando; cuncta hæc isto sunt determinata verbo, *Consummatum est*. Denique hoc verbo Christus omnem laborem, afflictionem & mœstitiam suam pro electis omnibus obtulit, quemadmodum Apostolus testatur, hæc verba de illo dicens: Qui *in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reuerentiâ.*

Heb. 5.

13. *Vniuersalis dolor in totâ Christi carne ac membris omnibus, & quidem simul in omnibus.*

Aduerte hîc, ô anima mea, quàm acerbos cruciatus dulcis Iesus perferat causâ salutis tuæ. Enimuerò quidquid pœnarum paulatim atque particulatim ei ante illatum est, totum simul immenso cum dolore nunc patitur. Priùs gradatim, modò in hoc, modò in illo membro tortus fuit: iam in omnibus simul membris, dolores fert intolerabiles. O quantoperè brachia illa sic extensa dolebant, quæ tam diu in pœnis perdurauerant! Quàm dirè ampla & sæua illa manuum pedumque vulnera, intimas cordis eius medullas secabant! quandoquidem omne totius corporis pondus grauissimum illis imminebat. Quis, oro, tam adamantino erit pectore, quem tales non moueant cruciatus?

14. *Quare voce magnâ clamans emisit spiritum.* Luc. 23. * VII. Christi verbum. *Ingens dolor in separatione animæ à corpore.*

Sciens igitur pijssimus Iesus nihil iam superesse, nisi vt in hoc glorioso certamine vitam finiat & consummet, voce magnâ clamauit, dicens: * *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* O! quotquot Dominum Iesum diligitis, adeste obsecro, & totâ deuotione atque compassione illius decessum attendamus. Videamus quis illic mœror, quæ angustia, quis cruciatus fuerit, cùm anima illa excellentissima discedere, iamiamque separari cogeretur à dignissimo illo & sacratissimo corpore, in quo triginta tribus annis placidè, pacificè, iucundè, sanctèque quieuerat. Quàm ægrè se diuelli ab inuicem patiebantur, inter quæ nulla vmquam lis, nulla discordia, dissidium nullum, nec vlla fuerat suborta simultas? Contemplemur cum omni deuotione, sacrum illud corpus, nostræ salutis organum, quantis fuerit correptum pœnis, cùm omnes illius venæ iam exaruissent, nec quidquam haberent nutrimenti, & nerui omnes contracti essent; cunctaque Domini membra ceu vltimum vale facientia, cum pressurâ ineffabili ad mortem sese accommodarent. Ah! quis sine dolore & compassione gratissimum Christi vultum conspicere queat, totum iam verti in pallorem, oculos deficere, & adhuc lacrymas fundere, sacrum demitti caput, & cuncta denique illius membra nutibus ac signis ardentissimum cordis sui amorem nobis ostendere! Quæso compatiamur illi, quia caro nostra, & sanguis ac frater noster est: nostra etiam peccata sunt, pro quibus tam acerbam & turpem oppetit mortem. O! quot hactenus tepido ac frigido corde crucem Iesu præterijstis, quos neque horribiles eius cruciatus, neque miserabiles lacrymæ, neque feruidus sanguis instar aquæ profusus emollire potuerunt, vel vox ista acris ac valida, terribilisque clamor corda vestra scindat ac penetret. Hæc, inquam,

Contemplatio corporis Christi abeunte vitâ cum animâ.

Fuit vox Christi hæc clamor validissimus, omnia penetrans.

quam, vox, quæ cælos, terram, inferos tremore concussit, quæ saxa scidit, vetusta aperuit monumenta, mortuos excitauit, & vestra lapidea emolliat pectora, antiqua conscientiæ vestræ detegat sepulchra, fœtoribus vitiosorum actuum plena, mortuosque spiritus vestros ad vitam reuocet.

15. *Alia rationes validi clamoris: 1. Fuisse plusquam hominem Christum: 2. Arbitrũ vitæ & mortis: 3. Vt tepidos excitaret, impios terreret: 4. Vt victoriam suam indicaret.*

Quamuis Dominus totus exhaustus, exsanguis, debilisque esset, & supra vires humanas in ipsis acerrimis pœnis mortis tam diu perdurasset: fortiter tamen clamauit expirando, vt diuinam potentiam suam declararet. Cohibuit autem mortem, ne suam in se vim posset exercere donec ipse vellet: ostendens, penes se vitæ & mortis esse imperium. Ob id etiam voce magnâ clamauit, vt impios tremore concuteret, & pigros ac tepidos omnes moueret, & ad deuotionem amoremque accenderet. Clamauit item voce altâ, in signum gloriosæ victoriæ quam fuerat adeptus, antiquo illo eodemque crudelissimo hoste in cruce debellato prostratoque, quem in monte Caluariæ profligans, spolijs omnibus exuit atque denudauit. Hanc præclaram victoriam Christus altâ voce proclamauit; & cum admirabili triumpho à loco certaminis abscedens, collecto vniuersorum meritorum suorum exercitu, ad locum deliciosissimum maximeque delectabilem ac tutum, ipsum Dei Patris cor atque sinum, abijt, in illud & sese & omnes
Luc. 23. suos commendans, dicendo: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* O felicem illum, qui posset modò dissolui cum Christo, mori cum latrone, & audire à Domino verbum illud solatij plenum: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

16. Luc. 23. *Caput inclinare, erat suis valedicere;* Ioan. 19. *& offerre osculũ pacis & reconciliationis.*

Posteaquam verò Dominus Iesus sese in manus Patris offerens, verbum supradictum protulerat, inclinato capite tradidit spiritum. Inclinauit caput tum ad dilectissimam matrem, tum ad homines vniuersos, tamquam vltimum vale dicens, extremamque petens copiam discedendi, & osculum pacis offerens. Sed & in argumentum nostræ cum Patre reconciliationis venerandum caput suum, quod antè ad Patrem sustulerat, sese illi cum lacrymis offerendo, modò ad nos per amorem inclinat.

17. *Comploratio deuota de recessu Christi à nobis per mortem.*

O! quis capere sufficiat, quanto cum dolore & tormento dissolutus sit nexus ille à Spiritu sancto compactus, quo præclara illa anima cum venerando Christi corpore, ceu amans cum amante per amorem colligata erat! Quis satis admirari possit obscuram illam lucidissimorum Christi luminum eclipsim, quæ suo aspectu terram illustrabant, suisque radijs ceu gemina quædam micantia sidera firmamenti, mundum illuminabant; iam verò per atrum mortis medium prorsus obscurata sunt? Certè mirum non erat tenebras vniuersam terræ faciem occupasse, quando Sol iustitiæ ablatus erat à terrâ, suosque compresserat oculos. En bonus pastor pretiosam animam suam posuit pro ouibus suis, ac recessit. Silentium Ioan. 10.
accepit cithara illa delectabilis & suauissima buccina, viua vox Christi: cuius dulcissima melodia exhilarauit Patrem, & Angelos immenso affecit gaudio: cuius mellifluus sonus viuos docuit, excitauit mortuos, curauit ægrotos, refecit esurientes, fugauit dæmones, torpidos reddidit alacres, ac mœstos iucundissimè consolatus est. Priuatum est vitâ diuinum illud triclinium, & arca illa cælestis, gloriosum pectus Domini, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Phil. 1.
absconditi, & omnes virtutum atque charismatum diuitiæ continentur. Præclara illa summi artificis organa, benedictæ manus Saluatoris, quæ solo contactu morbos omnes depulerunt, & quibus data est mundo benedictio, horridis vulneribus confectæ atque emortuæ pallent. Candidissimæ illæ columnæ templi diuini, sacri pedes Domini Iesu, qui numquam à veritatis itinere deuiarunt, sed omnibus supremæ perfectionis viam præcedendo demonstrarunt, cunctisque pro æternâ institutione vestigia geminæ charitatis reliquerunt, apud quos feruentissima illa amatrix beata Maria Magdalena tam vberem adepta est gratiam, sub quibus mare stetit, consolidatumque iter præbuit, iam ligno crucis inhumaniter affixi obriguerunt. Speciem suam amisit, squaloreque obsitum est pretiosum illud Dei ciborium, corpus Christi Iesu sanctissimum, quod de purâ præstantissimæ Virginis matris naturâ per Spiritum sanctum fabricatum, virtutumque omnium decore ornatum fuit.

18. *Planctus Virginis in mortem Vnigeniti.*

At quis tunc mœror, quis dolor inuasit venerandam Dei genitricem Mariam, cùm vnicum solatium & omne delectamentum cordis sui, vidit mortuum in cruce pendere? O! quàm vox illa acris pijssimum cor eius penetrauit, quando dilectissimus idemque vnigenitus filius ipsius acerbè flens, cum clamore valido efflabat spiritum! Quomodo tunc anima illius præ flagrantissimo amoris Christi igne liquefacta est; & vt mollis cera miserandam imaginem sigilli, defuncti videlicet filij sui, in se recepit! Tota planè in extinctam atque crucifixam filij sui imaginem transformata eique assimilata est. Cum eodem pariter vnigenito suo crucifixa, sauciata, occisa, & omni ex parte cruciata est: ita vt iam non in seipsâ,

sed

ſed in Chriſto dilecto ſuô viueret, & illæ viciſſim in eâ. Etenim ſi virtus amoris Chriſti adeò Paulum abſorbuit, vt diceret, *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*; itémque, *Chriſto confixus ſum cruci*; &, *Stigmata Domini Ieſu in corpore meo porto*: quantò magis id beatiſſimæ Virgini eueniſſe credendum eſt, cuius vtique amor mortalium omnium ſic vicit amorem, vt riuulum aliquem vaſtiſſimum mare?

Gal. 2. & 6.

19. Attende hîc, anima fidelis, ineffabilem Dei tui amorem, vt ad finem vſque nos dilexerit. Aſpice gratiſſima Chriſti membra iam emortua, nihilominùs eamdem, quam adhuc viuentia habebant, demonſtrare dilectionem ac beneuolentiam. Extenſa manent brachia, vt nos complectantur: oculi demiſſi, vt nos aſpiciant: ſubmiſſum caput, quò nos oſculetur: patentia atque hiantia vulnera, vt in ea nobis ingredi atque confugere liceat. Sic igitur vita in cruce occubuit, vt nobis de ligno crucis fructum vitæ porrigeret. Sic ſic excellentiſſimum pretium pro nobis fuſum eſt, vt aboleréntur debita noſtra.

Ioan. 13. Vſque in finem dilexit nos Dominus Ieſus, nempe vſq; ad mortem; & in corpore mortuo viuit amor.

20. Hinc porrò *velum templi ſciſſum eſt, terra* tremuit, ſaxa diruta, & *monumenta aperta* ſunt. Facta autem ſunt hæc mira atque portenta, vt creaturæ inſenſibiles Iudæorum incredulitatem & duritiam, paritérque infideles omnes arguerent, ac euidentibus ſignis Chriſtum crucifixum Dominũ ſuum eſſe teſtarentur. Ad terribilem ſui conditoris vocem contremuerunt, ac velut ingemuerunt, tantam exhorreſcentes malitiam, crudelitatem, & facinora hominum impiorum, ac lugubres opificis ſui exequias celebrantes. Scidit verò Chriſtus moriens velum templi, & Sancta ſanctorum detexit; vt re ipsâ declararet, myſteria, figuras & vaticinia impleta atque patefacta eſſe; oſtenderetque, omne illud ſacrificiorũ genus, quod pecorum ſanguine in veteri Teſtamento celebratur, eſſe antiquatũ & abolitum. Chriſtus namque ſummus Sacerdos per proprium Sanguinem introiuit in ſancta iam detecta, atq; ſeipſum extra oppidum in crucis altari pro omni plebe propalàm obtulit, factus commune quoddam & perenne ſacrificium Patri ſuo pro hominibus vniuerſis, ipſum petentibus deſiderantibuſque.

Matth. 27. Omnia elementa in morte Chriſti commota, ipſum Deum teſtabantur.

Heb. 9. & 13.

21. Nunc igitur compatiamur, obſecro, Deo ac Domino creatoríque noſtro, ne ſaxis ipſis & elementis duriores eſſe videamur. Deuotis lacrymis ac pijs gemitibus noſtra tundamus pectora, dicendo: O quid fecimus? quid egimus? *Verè filius Dei erat*, non vulgaris aliquis, quem peccatis noſtris denuò crucifiximus. O anima mea, reſpice modò ſponſi tui faciem, quam Angeli cum ineffabili delectatione contemplantur, prorſus tui causâ & amore deformem, palloréque obſitam. Attende ſacrum Chriſti corpus à ſummo capitis vertice vſque ad imam pedis plantam, non inuenies niſi vulnera & ſanguinem. Sit hæc miſeranda Redemptoris tui ſpecies ob oculos tuos, adeóque tuis fixa inhæreat cogitationibus, vt vanarum omnium rerum penitus obliuiſcaris.

Quotidie crucifigimus Christum peccatis; ideò quotidie ipſi cõpatiamur. Mar. 15. 1. Pet. 1. Iſa. 1.

CAPVT XIX.

Sacrum latus emortui corporis Domini Ieſu aperitur lanceâ, indéque profluit ſanguis & aqua.

1. *Longinus miles ſacroſanctum Chriſti latus aperit lanceâ: Iudæi crurifragium crucifixorum poſtularunt in ignominiam Chriſti.*
2. *Eadem lancea, qua latus mortuum Domini noſtri aperuit, vulnerauit animam Virginis viuentis.*
3. *Vulnus illud porta Sacramentorum.*
4. *Per vulnus lanceæ aditus patet ad cor Chriſti; vt eidem conformemur, poſtulat viciſſim cor noſtrum ipſi aperiri.*
5. *In omni tentatione & afflictione ad cor apertum Chriſti accurrendum eſt, tamquam ad aſylum tutiſſimum.*
6. *Paſſio Chriſti, licet olim completa, ſemper debet eſſe noua deuotis mentibus:*
7. *Exigit enim à nobis Chriſtus perpetuam memoriam vulnerum, & obſeruantiam mandatorum.*
8. *Oratio deuota, quâ paſſio Chriſti pro peccatis offertur.*

POST hæc ob inſtantem Paſchalem ſolemnitatem, quia indecens erat extincta corpora manere in cruce, petierunt Iudæi à Pilato, vt crucifixorum crura frangerentur, ac tollerentur: obtentaq; licentiâ, latronum crura fregerunt. *Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum*, Longinus nomine, *lanceâ latus eius* dextrum *aperuit*, & *continuò exiuit ſanguis & aqua*. Fecerunt hoc crudeles Iudæi ex fallaciâ & nequitiâ ſingulari: nouerant enim, quòd dedecus illatum defuncto, tamquam adhuc viuenti factum habeatur; & hoc ipſo perſuadere volebant omnibus, tantum eſſe ſcelus & facinus Saluatoris, quod in viuo corpore dignè caſtigari nequiuerit, itaq; neceſſe fuerit in corpus extinctum deſæuire. Ad hæc Pontificum captabant gratiam, quibus certa mortis eius indicia referre cupiebant. Ceterùm, quamuis nihil hîc corpus Dominicum doloris perſenſerit, (quippe quod emortuum atque inſenſibile erat) aliâ tamen quadam ratione hinc Dominus afflictus eſt; vti adhuc quotidie patitur & crucifigitur à multis, qui per ſacra eius vulnera & paſ-

1. *Apertio lateris Chriſti mortui; quà de cauſà.*

Ioan. 19.

DOMINICÆ PASSIONIS EXPLICATIO.

Iuramentis & peccatis horrendis pungitur latus Christi.

passionem iurant, grauibusque sceleribus suis maiori eum iniuriâ & conuitijs afficiunt, quàm qui eum corporaliter crucifixerunt. Multò namque grauiùs accipit contemptum irrogatum diuinæ Maiestati suæ (quâ vnum est cum Patre & Spiritu sancto) quàm externos illos cruciatus corpori eius tempore passionis illatos.

2. *Lancea illa vnà penetrauit latus Christi, & cor Virginis.* Bernardus. Lucæ 2.

At quis cogitando consequi possit, quàm dirè lancea hæc deuotissimam piæ Matris animam confixerit & sauciauerit: cuius vtique anima & cor demorabatur in corpore dilecti filij sui, qui totus erat amor ac thesaurus illius. Dicit D. Bernardus: *Reuerà, Mater dulcissima, doloris gladius scidit animam tuam, quando crudelis lancea latus filij confixit. Non enim sua illic, sed tua potiùs anima erat.* * *Itaque præcipua es Martyrum omnium: quandoquidem immensus dolor tuus internus externa Martyrum vicit cruciamenta.* Nullus sanè acerrimos illos capere potest dolores & cruciatus, quos Mater mœstissima sensit, cùm lancea illa venerandum Christi latus horrido conficeret vulnere. Planè hic est *gladius doloris*, de quo Simeon ille iustus fuerat vaticinatus. O beatos illos, qui huius sunt vulneris participes! quorum corda sic configit acutissima amoris Christi lancea, vt deinceps perenni ferueant charitatis ardore.

* Lãcea lateris Christi B.V. Mariã fecit Reginam Martyrum.

3. *Vulnus lateris, porta est Sacramentorum, quæ ex latere profluxerunt in Ecclesiam.*

Porrò signanter Euangelista dicit, latus Christi non vulneratum, sed apertũ lanceâ fuisse: vt intelligeremus, vitæ nobis ostium patefactum. Sacri namque lateris Christi vulnus, porta est Sacramentorum, sine quibus nulli nostrùm patet accessus ad beatam vitam. Vnde etiam addit Euangelista, *Et continuò exiuit sanguis & aqua.* In aliorum hominum corporibus, vbi animam fuderunt, sanguis coalescit: at ex Christi latere, non sine miraculo, ceu ex fonte viuo, reuerà, sanguis & aqua manauit: indicans illum, viuum fontem esse, vnde omniũ nostrùm vita profluxit, de quo legitur apud Zachariam Prophetam: *In die illâ erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Hoc ipsum nobis sanguis & aqua de Christi latere manantia significauerunt: sanguine namque, qui est pretium redemptionis nostræ, abluimur à peccatis; & aquâ, quæ est figura Baptismi nostri, ab vniuersis originalis peccati maculis expurgamur, quemadmodum per Ezechielem Dominus ait: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Zach. 13. Ezech. 36.

4. *Datur per hoc vulnus nobis aditus ad cor Christi, vt illi cõformemur.*

Est etiam apertum Christi latus, vt nobis accessum aditumq; pius Iesus ad cor suum patefaceret. Declarauit hinc suum erga nos incomprehensibilem amorem. Et quid vltrà nobis facere potuit, quàm fecit? Ipsum cor suum tamquam secretissimũ cubiculum nobis reserauit, vt in illud nos ceu electam sponsam suam introducat. Sunt namque *deliciæ eius esse* nobiscum, & in silenti tranquillitate ac tranquillo silentio apud nos quiescere. Dedit, inquam, nobis cor suum dirè vulneratum, vt in eo commoremur, donec penitus expurgati & mundi, suoque cordi conformes, idonei ac digni simus vnà cum ipso in æterni Patris cor diuinum abduci. Dat planè nobis cor suũ, vt sit nostra habitatio: vicissimque repetit nostrum, vt sit suum habitaculũ. Nobis præbet cor suum, ceu lectulum purpurei sanguinis sui rubentibus ornatum rosis: reposcitque cor nostrum, ceu lectulum sibi candidis mundorum operum lilijs decoratum. Quis illi negare ausit, quod tam profusâ liberalitate nobis contulit? Ecce inuitat nos in melliflua vulnera, atque amabile & patulum latus suum, ceu vberem cellam vinariam, delicijs omnibus affluentem, dicens in Canticis: *Veni, columba mea, in foraminibus petræ*, id est, intra in sacra vulnera mea. Cor meum tibi patefactum est: ad illud te inuito, accede confidenter, potum noui musti ipsum roseum sanguinem cordis mei tibi præbebo. *Venite* prorsus *ad me omnes qui laboratis & onerati estis* sarcinâ peccatorum, pœnitentiæ onere, afflictionis cruce: venite ad me quotquot contra vitia vestra certamen iniistis, *& ego vos reficiam,* vos pascam, daboq; vobis vinum rubrum, quo mirè exhilarabuntur corda vestra.

Prou. 8. *Postulat Iesus vulneratus vicissim sibi aperiri cor nostrum.* Cant. 2. Matth. 11.

5. *Cor Christi asylum perfugij in tentationibus, & tribulationibus.*

Accedamus eapropter sitibundo desiderio & affectu ad fontem hunc viuum, quandoquidem aquam vitæ nobis dabit, & quidem gratis, ac sine pretio vel *vllâ commutatione.* Ait enim: *Si quis sitit, veniat*; & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Vide hîc mellitissimum purissimumque fontem in loco voluptatis, in medio paradisi, in sauciato latere Christi scaturientem, quo irrigatur omnis terra. Agedum in quibuslibet vitæ huius tentationibus, miserijs & afflictionibus, ad foramina petræ confugiamus. Cuius, inquis, petræ? Iesu Christi Domini nostri. Hic enim est petra, quæ à Iudaico populo virgâ crucis percussa, dedit aquas largissimas, ita vt non aquam modò, verùm etiam oleum ex hoc saxo durissimo sugere liceat. Hinc propheta Ieremias ait: *Relinquite ciuitates*, id est, populares strepitus ac perturbationes, *& habitate in petrâ, habitatores Moab, & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis*, id est, in patulo latere Christi. Hic est lapis quem Iacob *erexit*

Isa. 55. Ioan. 7. Apoc. 21. Cant. 2. Num. 20. Deut. 32. Ierem. 48. *Habitantium columba.* Gen. 28.

in

DOMINICÆ PASSIONIS EXPLICATIO vulnerum, & custodia mandatorum.

in titulum, fundens oleum desuper, in signum abundantis misericordiæ ac pietatis. Quid nobis hac in petrâ deesse queat? Nimirum à cunctis hostibus nostris tuti hîc sumus: serpens antiquus, & coluber ille tortuosus huc accedere non valet. Tentet mundus, minetur hostis, queratur caro: non est certè quod formidemus, quando super hanc petram fundati sumus. Nusquam sumus tam securi, vt in Vulneribus Saluatoris. *Ego,* ait diuus Bernardus, *fidenter quod ex me deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini: quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus ac pedes, latusq́; lanceâ perforarunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petrâ, oleumq́; de saxo durissimo: id est, gustare, & videre quoniam suauis est Dominus. Per foramina corporis patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Quid ni viscera per vulnera pateant? In quo enim Domine clariùs, quàm in vulneribus tuis eluxisset, quòd tu suauis sis & mitis, & multæ misericordiæ?* Augustinus quoque, *Longinus,* inquit, *aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intraui. Hîc fidenter habito, hîc me iucundè reficio, hîc quiesco suauiter, hic pascor delectabiliter.* Hæc ille. Et tu anima mea, commorare in foraminibus Vulnerum dilecti tui, quemadmodum columba solet in petræ cauernis. Ore ad patulum vulnus lateris eius apposito, cæleſtem suauitatem ex corde ipsius manantem gustato atque olfacito: reuerà enim torrens voluptatis illinc erumpens te abundè satiare poterit.

Vulnera Christi fontes misericordiæ. Psal. 33. Luc. 1. Psal. 85.

6\. Prô dolor! plerosque nimis ingratos inueniri, qui dicere non verentur: Eia, quid necesse est nos occupari his quæ ante plures annos peracta nouimus? Intelligunt autem Dominicam passionem, & sacra Christi Vulnera. Atqui melliflua illa Redemptoris nostri Vulnera, reuerà liber vitæ & mundissimum speculum sunt. Si quis ea cum Apostolo penetrare sciret, inueniret vtique in eis quidquid Diuinitas ipsa exhibere potest. Itaque anima deuota debet dilectum suum in amabilibus Vulneribus ipsius contemplari atque osculari: hæc enim quinque Vulnera beatissima plus pulchritudinis, lætitiæ & claritatis toti cælesti curiæ conferunt, quàm omnia alia quæ in vitâ perenni (exceptâ Diuinitate) habentur. Proinde vel sanguineis lacrymis deflendum est, quòd in toto terrarum orbe ita prorsus excellentissima Christi Vulnera in obliuionem abiêre.

Semper nobis recens esse debet Christi passio & recentia vulnera.

7\. Et quid à nobis exigit Deus, nisi vt mandatis eius nos totos tradamus, vitamque & passionem Christi imitemur, atque in sacris illius commoremur Vulneribus? Beatus profectò ille est, qui passionem & Vulnerá Domini in conclaui cordis sui fideliter ac sanctè ruminare, ipsiq́ue Christo sese in veris virtutibus conformare studet. Qui eiusmodi est, plerumque in intimo æstuantissimorum desideriorum impulsu, quasi cum impatienti desiderio vociferatur: O vnice amor meus! ô totum refugium fatigatorum! ô salutaris medicina languentium! ô dulcis consolatio te suspirantium! ô præstantissima esca te esurientium, & suauissime potus sitientium te! ô vernans conclaue in te quiescentium! ô vnica & summa sufficientia mea! *trahe me post te:* auelle me à meipso atque ab omnibus creaturis, & transfer in te, vt tibi placeam.

Duo à nobis exigit Dominus, memoriam *Ad hæc a pirandū* Cant. 1.

8\. Nonnunquam etiam vitam suam præteritam vitijs & iniquitatibus obnoxiam memoriâ repetens, humiliter precatur in hunc modum. *O Iesu æterna dulcedo, ego peccator putridus, cum quanto possum cordis mei dolore confiteor tibi magnam culpam meam, quòd causa sim acerbissimæ passionis tuæ, & hos tantos cruciatus tuos grauibus meis sceleribus tibi inflixi. Enimuerò multò à me grauiora passus es, quàm ab illis qui te crucifixerunt: quandoquidem iniuria illa & contemptus quæ prauidebas à me inferenda Patri tuo, multò tibi vehementiùs dolebant, quàm sæua illa Vulnera corporis tui. Et non semel tantùm te crucifixi, sed toto vitæ meæ tempore, quo perseueraui in iniquitatibus meis. Attamen neque post tot peccata tantamq́; iniuriam quâ te affeci, de gratiâ & misericordiâ tuâ, vllâ ratione, despero, cùm in te reluceant tot signa clementiæ. Igitur pia illa oratio tua, quam etiam pro his qui te manibus suis crucifixerunt & linguis blasphemauerunt, fudisti, prosit miseræ animæ meæ. Non iam te clauis perterebro, non latus lanceâ configo: sed cor tuum humilibus precibus ignitorumq́; desideriorum & pij amoris iaculis sauciare desidero. Vel vna obsecro guttula ex patente latere tuo stillet in vulneratam atque ægram animam meam, & saluus ero. Tolle à me omne vitiorum peccatorumq́; medium, vt tibi mea iungatur anima, atque in te requiescat, qui es paradisus spiritualium deliciarum, & plena satietas Beatorum. In te namque æternam habemus quietem, ceu in paradiso voluptatis, vnde nihil nos excludit præter medium iniquitatis. Tolle itaque iniquitatem, qui es agnus sine maculâ, auferens peccata mundi; & ero vnitus tibi, atque in te iucundè sanctéq́; conquiescam.*

Pia & affectuosa oratio, qua offertur pro debitis nostris passio Iesu.

CAPVT XX.

Corpus Iesu Christi de cruce depositum Virgo-mater in gremium suum excipit, osculatur, lacrymis rigat: ipsumque tandem, licet non sine dolore, sepeliri permittit.

1. *Deuota exequia, quas Virgo & discipuli Christo persoluunt; excipiente eius corpus Virgine in gremium suum cum Magdalenâ & socijs.*
2. *Percurrit Virgo singula Filij vulnera osculis & lacrymis.*
3. *Difficulter, & inuita auellitur à mortuo filij corpore plorans & gemens Mater:*
4. *Sed tandem cum dolore permittit ipsum sepeliri.*
5. *Venerabile sepulchrum Domini, eiusque cum virginali vtero collatio.*
6. *Sepulchrum spirituale, quod Virgo in corde suo Christo condidit.*
7. *Cor eius fuit hortus paradisi amœnissimus, & incontaminatus.*
8. *Sindonem habuit obedientiæ & integritatis balsamum & vnguentum omnium virtutum.*
9. *Tristis abscessus Virginis à sepulchro Domini, comitantibus viris & mulieribus dolore plenus.*

1. *Deipara cum discipulis exequias Christo persoluit.* VIDEAMVS nunc quàm tristes exequias, quàm lugubres cærimonias Virgo intemerata, ceterique Saluatoris familiares & amici ad defunctum Christi corpus celebrarunt. O quanto desiderio, quantâ deuotione Virgo pijssima Christi filij sui crucem amplexa est, sanguinem illum & aquam ex illius latere manantia reuerenter excipiens! O quoties sua ad eum extendit brachia, cupiens etiam exterioribus membris suis eum excipere & complecti, vti eum iam animo suo insculpserat impresseratque! O quantâ cum deuotione, quamque amanter corpus Christi emortuum iam depositum à cruce, maternis suis brachijs amplexa est, suoque appressit pectori! Tum verò quàm omnia illius viscera noua sunt compassione concussa! *Excipit filium in sinum, & plangit.* Quomodo etiam anima eius ceu cera igni admota, amore liquefacta est, ipsaque tota in lacrymas soluta! O quis capere possit, quanto amore tota proruit in faciem filij ita deformem ac mirè deturpatam, insatiabiliter eam exosculans, & calidis suis lacrymis non lauans modò, verùm etiam vbertim irrigans! *Luc. 7. Comploratio Magdalenæ & aliorū amicorū Christi.* Sed & feruentissima Christi amatrix Maria Magdalena, quàm deuotè ad pedes illius corruit, apud quos tantam olim gratiam consecuta fuerat; denuoque eos lacrymis suis abluit, sacrisque Vulneribus fixit oscula, eamdem defuncto, quam adhuc superstiti illius corpori, humanitatem exhibens & amorem! Quàm denique omnes Christi amicos, qui illic aderant, vehemens occupauit compassio, & ingens accendit ardor amoris, haud secùs quàm feruentissimus ignis propè astantes! O quàm tristes erupêre in lacrymas, per Christi corpus ex illorum oculis vbertim manantes! Quos gemitus, quæ suspiria edidêre in cælum! Quàm tristia funeri illi officia exsoluerunt! Nullum illic audire cantum erat, sed gemitus tantùm & lacrymas, atque lamenta.

O quàm veneranda illa Parens, per singula quæque membra ac vulnera discurrens, eadem scrutata & osculata est, plorans super singula, & lacrymis ea lauans: quin & singula quæque vulnera cordi suo inscribens, doloresque singulorum membrorum expendens ac trutinans secum in corde suo, & ad singula dans gemitus incomprehensibiles; simulque pro voto animi sui, de sanguine ac medullis cordis sui in ardenti suo amore vnguentum conficiens, eodemque cuncta illius vulnera plagasque perungens! O quàm tunc feruentes lacrymæ per dulcissimam illius piæ Matris faciem ceu riuuli amœnissimi decurrerunt, aliæ alias anteuertere, & quasi certatim Christi corpus contingere gestientes! Imò, vt beatus ait Augustinus, quis illic Angelorum temperare potuit à luctu celebrando, cùm Regem & Dominum suum tam fœdâ ac turpi morte consumptum viderent! cùm contra naturam naturæ conditorem, Deum immortalem, in humanâ naturâ mortem oppetijsse conspicerent! Vt luminosa illa Cherubim, ac ardentia Seraphim ad ineffabilem hanc obstupuère charitatem, cùm vitam ex amore occubuisse cernerent, vt mortui redirent ad vitam! Enimuerò sacratissimum Christi corpus inhumaniter conscissum, dilaniatum, extinctum, pijssimamque Virginem-matrem anxiè illud amplectentem, illiusque cruore tinctam, atque adeò miserandum in modum lacrymas vbertim fundentem, vt sibi temperare non posset, beati illi cælestesque spiritus coràm intuebantur. Quid verò D. Ioannes? Quàm putamus mœstissimæ matri suæ se lacrymando ac mœrendo conformauit, sociumque fidelissimum adhibuit! Quàm piè, quàm suauiter eam consolans hortabatur, vt modum poneret parumper tantis lacrymis, tam immenso dolori! O quàm & ipse vehementissimo cum angore ac pressurâ spiritus se ad sacrum Christi pectus prouoluit, in quo dudum tam suauiter requieuerat, piarum lacrymarum vndam refundens in fontem illum, vnde aquam sapientiæ salutaris potarat!

2. Singula Christi vulnera lacrymis suis lauat Deipara, & osculis comprimit.

Angeli pacis amarè flebant.

Ioannis Euāgelistæ compassio.

Dehinc

3. *Non nisi inuita auellitur Mater ab vnigeniti corpore.*

Dehinc Ioseph, Ioannes, & ceteri amici Iesu, beatam Virginem obnixè rogabant, vt corpus Domini permitteret ad sepeliendum componi ac præparari, quandoquidem sol tendebat ad occasum. Tum verò pia mater voce lamentabili respondit: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*, neque tam citò auellatis me à dilecto filio meo. Ne mihi, quæso, tam celeriter auferre velitis, quem meis gestaui visceribus. Sinite me vel mortuo frui, quem viuum habere non potui. Liceat mihi, obsecro, extincto illius corpori amorem impendere ac beneuolentiam, quam in passione minimè exhibere dabatur. Irrigem illud nunc lacrymis meis, cui in acerrimâ illius siti nec aquæ guttulam porrigere sinebar. Exsatiem interim illo animum meum flendo, gemendo, quæ non potui pro voto dulcissimâ eius præsentiâ, dum pateretur, refoueri. Nolite, obsecro, nolite matrem auellere à filio suo, nec mihi tam citò subtrahatis, quem tam diu desideraui; aut certè vnà cum amantissimo nato meo me sepelite.

Iob. 19.

4. *Aegrè tandem permittit corpus filij dolens Mater tradi sepulturæ.*

Itaque non parua eos angustia tenebat. Dies namque ad occasum decliuior, corpus sepulturæ tradere eos vrgebat, & nihilominùs matris mœstissimæ acerbissimos dolores, vt dignum erat, vehementer miserabantur. Neque enim iam nimis afflictam nouis doloribus obruere volebant. Quamobrem dabant amori eius operandi locum; flagrantissimamque sitim suam eam paulisper explere patiebantur. Hinc porrò sanctus Ioannes suauibus eam ac prudentibus deliniuit verbis, rogans vt filium suum sepeliri permitteret: & ipsa vtique non sine dolore consensit. Atqui, ô quàm deuotè, quàm afflictè prosequebatur filij sui lamentabile funus; sacrum illius tenendo caput, oculis fixis in faciem eius, eamdemque innumeris deosculando vicibus, suisque lacrymis irrigando.

5. *Sepulchrũ Christi omni veneratione dignissimum: Confertur cum vtero Virginis.* Cant. 8.

Vnde, quæso, mœstissima parens omnes illas lacrymas, quas hodie fudit, habere potuit? Qui pijssimum cor illius intolerabilem hanc angustiam & pressuram ferre quiuit? Nimirum fecit hoc amor ardentissimus, ipsâ quoque morte fortior. O quali cum dolore ac gemitu tam charum, tam pretiosum reliquit thesaurum! Quàm verò amanter illius est amplexa sepulchrum! tamquam si, non quidem linguâ (neque enim verbum edere potuisset, tantis correpta cordis angoribus) sed mente diceret: O sacrum monumentum! ô felix tumba! ô saxum pretiosum! ô præclarum margaritum! ô admirabile ciborium, quàm insignem thesaurum, quàm immensum complecteris Dominum! ô vas electum! ô felix creatura, quæ digna es tuum excipere conditorem, hospitioque recipere Regem gloriæ! Pone iam natiuum rigorem & asperitatem tuam, ac mitesce, vt teneros dilecti filij mei artus reuerenter complectaris. O arca gloriosa! ô excellens Dei templum, præ creaturis omnibus mihi simillimum! Vt enim ipsa à Deo electa sum, quæ in castis visceribus meis eius filium gestarem; ita & te elegit, vt venerandum Christi corpus excipias, gloriosum scilicet beatissimæ Trinitatis organum, quo Deus tam mirificè operatus est, & inæstimabilem mundi thesaurum, bonumque præcipuum, cælum & terram suâ vincens præstantiâ ac dignitate. Et sicut tu nouum es, nec vllius adhuc corporis contactu fœdatum: ita & ipsa à creaturarum omnium attactu munda sum & immunis. Quemadmodum item ex te clauso Saluator orbis surget rediuiuus, ita ex meo concluso vtero mundi salus processit. Ac demum vti tu saxum es solidum & immobile, ita & ego incommutabilis atque inuicta in fide omnique virtute permansi.

6. *Etiam spirituale sepulchrum Filio in corde suo parauit Maria.*

Habet Dominicum hoc monumentum formam quamdam & effigiem spiritalis illius monumenti, quod Virgo beata amantissimo filio suo in corde suo parat at. Vt enim sepulchrum hoc ferris acutis excisum atque politum est: ita gloriosa Virgo acutissimo doloris gladio in intimis animæ suæ locum accommodum excidi permisit, monumentum vtique tam afflicto & excruciato corpori congruum valdè, cùm diligat Dominus cor contritum & humile, siue angustijs oppressum. Et sicut in hoc sepulchro nondum quisquam positus fuerat, ita Virginis-matris cor deuotissimum, nullus vmquam peregrinus creaturarum amor vel affectus, saltem tenuissimè contaminarat. Ipsa namque porta illa clausa est, nulli vmquam patefacta, per quam solus princeps & Rex Israël processit.

Psal. 50.
Ioan. 19.
Ezech. 44.

7. *B. Virgo, hortus paradisi, sicut monumentũ Christi in horto.* Cant. 4.

Erat prætereà monumentum hoc in horto: quandoquidem Virgo intemerata hortus conclusus est dilecti, discretionis seu prudentiæ sepe cinctus, vtpote quæ tanto fuit lumine ac discretione perfusa, vt nullum vmquam malum, ne sub virtutis quidem tegmine, in eius potuerit hortum obrepere: nec tantillâ hortus eius patebat ex parte, quâ serpens ille liuidus ac impurus oculos vel semel inferre potuisset, qui tamen paradisum, in quo Adam erat, non ingredi modò, sed etiam conspurcare ausus fuerat. Quin & fecundus, adeoque omnigenis virtutum herbis consitus fuit sacræ Virginis hortus, vt nullus in eo vacaret lo-

Gen. 3.

 cus,

cus, vbi quoduis lolium emergere quiuisset. Ad singularem namque almę huius Virginis gloriam, creuit in eâ flos campi, & lilium conuallium, excellens ac aromaticus flos Iesse, in quo requieuit Spiritus sanctus, & rosa Iericho amœnissima: adeoque in signum euidens diuinæ ac singularis benedictionis eius, pullulauit vinea beatissima, cuius palmites ad superna feruntur, cuius odor virus omne & omnes pellit serpentes, cuius vinum cor lætificat & accendit, ac iuxta Prophetam, *virgines germinat*.

Cant. 2. Isa. 11. Eccli. 24. Zach. 9.

8. Habuit etiam sanctissima Mater puram sindonem, id est, simplicis obedientię, innocentiæ, ac integerrimæ virginitatis vestem. Cui nec defuit aloë amarissimi doloris, myrrhaque afflictionis intolerabilis. Habuit denique pretiosissimum balsamum & vnguenta speciesque virtutum omnium. Atque ita demum Christum filium suum obuoluit, perunxit, atque in sacratissimo sui pectoris monumento sepeliuit.

Mar. 15. Ioan. 19. *Sindon integritatis, & balsamũ charitatis in B. V. Mariâ repræsentatur.*

9. Iam verò etiam hoc mente ruminemus, quanto cum mœrore afflicta Mater à monumento discesserit, quàm hæc ei perpetua fuit cogitatio, quem amisisset, & quàm inæstimabile pignus sub lapide condi fuisset. O quàm miserandum in modum à sancto Ioanne, ceterisque amicis suis, à sepulchro abducta fuit! quippe quæ tota pænè exhausta atque absumpta erat. Reuerà quisquis huic ita afflictæ, ita mœrenti, ita grauiter laboranti Virgini & Matri, imò & Dominæ nostræ non compatitur, non est viuens gratiæ filius, sed est abortiuum insensibile ac mortuum: indignus planè est qui lac gratiæ ex maternis eius sugat vberibus. Ceterùm ipsi quoque cum eadem Virgine-matre, vti iam dictum est, Christum Iesum in cordibus nostris sepeliamus, vt nos per ipsum & in ipso ab vniuersis operibus mortuis resurgamus, vnaque cum illo ad paternam vsque gloriam felicissimè conscendamus, eodem Domino Iesu nos adiuuante, qui est benedictus in sæcula, Amen.

Quã mœsto corde discesserit Virgo cum sodalibus à sepulchro.

APPENDIX,

Ostendens, quàm immensus Dei erga nos sit AMOR *(quod quidem ex Christi incarnatione ac passione, Sacramentoque* EVCHARISTIAE *elucescit) & vtinos totos Deo tradere atque resignare debeamus, quælibet aduersa amore illius tolerantes.*

1. *Totam Trinitatem æquali amore nos dilexisse, quo dilexit Christus, nempe infinito.*

2. *Ex Eucharistiæ institutione apparet, Christum, si opus esset, adhuc paratum esse pro nobis crucifigi.*

3. *Exaltauit Deus naturam nostram in Christi incarnatione, plus quàm fuerit olim depressa in Adæ peccato.*

4. *Prosopopœia Patris æterni, quâ homini sua exponit beneficia: & eorum vice postulat perfectionem vitæ spiritualis; cuius ibi compendium ponitur.*

5. *Oratio animæ fidelis, quâ Patri æterno inuitanti respondet, & Christi merita pro se offert.*

6. *Filius Dei alloquitur animam, eique sua enumerans beneficia, postulat rependi sibi amorem, innocentiam, sanctitatem, resignationem.*

7. *Oratio animæ fidelis, Christi allocutionem gratanter excipientis, & seipsam illius misericordiæ committentis.*

TAM ardens & * incontinens est Dei erga nos amor, vt si mors & passio Christi ad saluandum hominem non suffecissent, etiam Pater cælestis & Spiritus sanctus quoque humanam potiùs assumpsissent naturam, ac pro homine mortem subiissent, quàm eum perire siuissent. Licet verò Filius solus naturam nostram assumpserit, mortemque ob hominem perpessus sit amarissimam, amor tamen Patris & Spiritus sancti non minor erga nos fuit: quandoquidem vna est trium personarum essentia, vnus amor, indistincta operatio, vna eademque voluntas. Hinc Christus dicit: *Pater amat vos.* Rursumque: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitũ daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et de Spiritu sancto Apostolus ait: *Ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: id est, inspirat nobis, mouet & excitat nos ad orandum & virtutibus incumbendum: *testimonium* item *reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei*, vt ex interno huius testimonij gaudio clamare in eodem spiritu possimus, *Abba, Pater.* Quid verò in miserandâ hac lacrymarum valle beatius aut iucundius esse queat, quàm vt homo ex testimonio sancti Spiritus in conscientiâ percepto, Deum possit Patrem suum dicere? Si enim filij sumus, ergo & fratres & *coheredes Christi.* Consilium sanè super humani generis redemptione veneranda sacratissimaque Trinitas egit, estque concordi ab eâ de finitione decretum, vt hominem redimeret: & quia in nullam magis quàm in Filij personam competebat naturam humanam assumere, ipse Filius, qui creator erat omnipotens, tum sponte suâ, tum voluntate Patris, tum suasu Spiritus sancti, lætus hominem induit, factusque est creatura, cooperante ad hoc ipsum & Patre & Spiritu sancto. Christus nàmque per Patris cooperationem de Spiritu sancto conceptus est. Vide quàm pro te sollicita fuerit Trinitas adoranda. Contuere,

1. *Tota Trinitas nos infinito amore diligit: tota mysterium incarnationis & passionis operata est.*

* Qui nẽpe tam excessiuus est, vt nullo sese limite contineat; quasi dicat, infinitus.

Ioan. 16. Ioan. 3. Rom. 8.

Consilium Trinitatis decreuit redemptionem nostram.

tuere, quàm te ab omni æternitate dilexerit Deus. Attendite, quæso, hæc frigidi & obdurati filij Adam. Cogitate, quàm caro vos ipse Deus pretio compararit. Dignissimum quidem, quod cor illius concipere, & præcipuum, quod diuina eius potentia exhibere potuit, dedit: nempe Vnigenitum suum, cui non pepercit, sed eum pro peccatis hominum in ignominiosissimam mortem crucis tradidit.

2\. *Phil. 2.* *Institutio Eucharistiæ docet, Christum adhuc paratũ pro nobis mori si opus esset.*

Porrò ipse Christus, sicut olim Patri *factus est obediens vsque ad mortem*, sic hodieque & ad nouissimum vsque diem, non solùm Deo Patri, sed & cunctis hominibus, qui paternam voluntatem fidis cordibus amorisque desiderijs diligunt, eidemque adhærent, morem * gerit. Et quia necesse non est denuò eum mortem subire (quando sacra illius mors ad peccata omnia quæ iam facta sunt, & quæ adhuc fient, se extendit) dulcis Dominus sacrum Corpus, præclaram animam, pretiosumque Sanguinem suum, vnà cum meritis omnibus vitæ & passionis suæ, quotidie in altaris venerabili Sacramento in nostrarum remissionem culparum, memoriamq; passionis & mortis suæ, offerre non desinit: nimirum hoc ipso nobis insinuans, si ita necesse foret, paratum sese esse adhuc quotidie venerandum corpus suum nostræ salutis causâ neci tradere, sanguinemque fundere. Quo enim amore tunc Christus nos prosequebatur, eodem etiamnum prosequitur, in æuumque omne prosequetur. Cuius iam, obsecro, vel saxeum pectus non hinc compungatur? cuius spiritus ex hoc amore non exultet? cuius cor præ huius feruentissimæ charitatis ardore non totum liquescat? cuius non deficiat præ ingenti admiratione intellectus? vbi immensam Dei erga nos bonitatem & dilectionem contemplatur, vbi oculus cordis attendit, & conscientiæ trutinâ examinat ingentia Dei beneficia, quæ is contulit in nos miseros, & indies confert; quæ certè tanta sunt, vt vix possint esse maiora. En grata Christi brachia ad nos suscipiendum semper extenta sunt. Vulnera item eius numquam non patent, parata profluere in omnes qui id appetunt. Vexilla misericordiæ eius perpetuò explicata sunt, vt sub illis protegamur deliteamusque, cùm semper ipse nos suscipere paratus sit. Imò, quod plus est, tanto nostri tenetur desiderio, vt per diuinos tractus diuinasque inspirationes, & internas reprehensiones suas plus nos roget, quàm rogetur à nobis: quandoquidem & multò paratior est nobis dare, quàm nos petere. Enimuerò fons viuus est, perpetuò scaturiens, nec vmquam fluere desinens, nisi cùm vasa desunt. Et ipse vno amoris nexu homini vniri, deliciosumque habitaculum ac desiderabile templum suum intra nos extruere vehementer appetit. Adeò, inquam, homini per amorem vniri desiderat, ac si suæ prorsus potentiæ & maiestatis oblitus, per omnia similis hominibus effectus esset. At quomodo nos magis in sublime attollere, seseque ampliùs deiicere potuisset, quàm iam fecit? Quomodo suam nobis propiùs coniungere poterat Diuinitatem, quàm coniunxit, quando eamdem celsissimam atque immortalem nostræ mortali copulauit humanitati per naturæ nostræ assumptionem? Quin & quotidie illam ipsam Deitatem suam, & quidquid est, nobis præbet in cibũ.

* Sicut Dominus Iesus fuit obediẽs Deo Patri & Mariæ, & Iosephi ita passim loquuntur Scripturæ de Deo obediente hominibus iustis. Isa. 58. *Clamabis, & dicet, Ecce adsum.* Psal. 144. *Voluntatem timentium se faciet.* Iosue 10. *Obediente Domino voci hominis.* Sed hæc Christi obedientia nũc maximè hic cõsideratur, quòd ad vocem Sacerdotis in sacrificio Missæ sese statim sistit præsentẽ, & immolatur.

Vbique & semper obnia nobis est Christi dilectio & misericordia ex meritis passionis.

Plus rogat, vt nos illi vniamur, quàm à nobis rogatur.

4\. Reg. 4.

3\. *Magis exaltauit Deus naturam nostram in Filio, quã tam depressit diabolus in Adami peccato.*

Sed & Deus Pater naturam nostram humanam quàm fieri potuit sublimissimè in Christo exaltauit, vltra creata omnia ad suam vsque dexteram eam attollendo. Vt verò Deus maiori nos honore & gloriâ afficere, aut abundantiorem charitatem nobis exhibere potuisset! Nimirum multò vberiorem salutem & gloriam per Christum Dominum ac Saluatorem nostrum adepti sumus, quàm per Adam primum parentem nostrum perdideramus. Quid vltrà à dulcissimo Domino desiderare possumus? Certè cuilibet homini toto corde ei per dilectionem adhærenti tam intimè affectus est, ac si cæli terræque, & omnium quæ illis continentur oblitus, totus in illum amore deperiret. At nos duri & frigidi, nec omnibus his mouemur, neque ad illius inflammamur amorem. Adeò corda nostra sensuali delectatione infecta, & vanitatibus, oblectamentis voluptatibusque sæculi dedita sunt. Plorant cælum & terra, in id loci incidisse homines, vt creaturas diligant relicto Creatore, qui est summum & incommutabile bonum: malintque serui esse dæmonum quàm filij Dei. Ah, ah! pudeat nos peruersitatis, ignauiæ, & ingratitudinis nostræ. Diligamus, quæso, Dominum Deum nostrum, qui nos tam immenso amore cõplexus est.

Frigus & tepor ingratissimus peccatoris.

4\. *Expostulatio Dei Patris, exponentis homini infinita beneficia.*

Putemus Patrem cælestem nos alloqui, diceréq; animæ humanæ: En amplissimum mei in te amoris testimonium fert Vnigenitus meus, quem equidem totum pro te tradidi. Non corpus, non animam, non sanguinem illius tui causâ dare dubitaui. Imò si quid pretiosius, si quid melius paterno potuissem corde concipere, & id quoque tibi donassem. Altissimam Diuinitatem meam in humanitate Filij mei tibi dedi; cùm sit mecum & in me vnus idemque verus ac inseparabilis Deus. Dedi insuper tibi sanctum Spiritum meum, vt is te mundaret, confortaret, illustraret, veritatem omnem & iusti-

tiam edoceret, suo inflammaret amore, solaretur item te, & cunctis charismatibus virtutibusque donaret. Ita enim complacuerat mihi in te, & inueneras gratiam in oculis meis, simulque cor meum apposueram ad te, eligens te in dilectam sponsam meam: nam decretum est mihi habere in te delicias & oblectationes meas, vtpote in quo constitui templum cubiculumque meum, & elegi habitationem meam.

Totum se dedit tibi Deus, totū te sibi postulat.

Ceterùm sicut ego meipsum totum minimeque diuisum dedi tibi, ô homo, ita volo vt & tu mihi te totum atque indiuisum reddas. Purissimo te amore complexus sum, absque vllius vel muneris vel compensationis tuæ intuitu:

Da ergo te totum Deo, idq; nullius mercedis intuitu;

æquum proinde est, vt & tu vicissim me pure propter meipsum, absque mercedis contemplatione, diligas; vt sim ego merces, spes & scopus tuus, amesque me, eò quòd ipse te dilexerim, & vt à me diligi merearis. Iam si, his auditis, mecum amoris iura inire vis, dignusque fieri qui à me ameris:

Cum summá resignatione;

voluntarium viuumque instrumentum sis oportet, teque à me agi patiaris, offerens atque resignans te totum mihi absque electione vel repudiatione huius aut illius, sinensque me tecum agere & in tempore & in æternitate quidquid mihi placuerit. Prorsus ita necesse est, vt mihi in te operandi præstes facultatem; abnegans penitus teipsum, petensque à me medullitus, vt perficiatur in te, quod ab æterno ipse constitui ac præordinaui.

Et fiduciali adhæsione, ac gratitudine;

Tum integrâ quoque erga bonitatem meam fiduciâ mihi adhærebis, & cum ingenti gratitudine recipies de manu meâ quęcumque tibi euenire permisero, tam aduersa quàm prospera, & tentationes, & afflictiones, & derelictionem, & angustias: omnino confidens in bonitate meâ, credensque mittere me ista tibi ceu optima maximeque salutaria. Et curabis sedulò, ne operationi meæ per obstinationem inordinatamque proprietatem vel dissolutionem tuam resistas.

Vt crucem feras, quādiu ipse volueris;

In qualibet afflictione, angustiâ, & derelictione quæ tibi accidet, tantisper desiderabis permanere ac perseuerare, quoad mihi visum fuerit inde te absoluere eripereque. Prorsus feres crucem illam ad finem vsque mei causâ. Nam ad hunc modum tentationibus & molestijs excutiaris atque agiteris oportet, donec palea prauæ cupiditatis, inordinatæ proprietatis, vitiosæque propensionis à te separetur.

Sic enim melius teipsum cognosces.

Necesse, inquam, est, vt elatus rigidusque animus tuus istis ceu molâ quadam conteratur, donec in oculis tuis instar pulueris aut cineris nihili fias: ita vt non agnoscas modò, sed & sentias te & miserrimum & vilissimum esse mortalium omniū quos mundus habet; adeoque ab omni propriâ voluntate & electione exuaris,

Et ab omni proprietate exutus Dei voluntati induas.

vt quidquid Deus tecum & cum creaturis omnibus fecerit, secus fieri non velis, etiamsi creaturæ omnes cunctaque elementa tuo subiacerent imperio. Verùm antequam huc pertingatur, hoc opus, hic labor est: multasque cruces ac labores, imò & spiritales mortes subire oportebit. Prodent se vndique vitia in te latentia, teque ingenti dolore & angustiâ afficient: sed si constanter in certamine perseueraueris, si humiliter petieris vt tui miserear per dilectum Filium meum, tandem me auxiliante vinces feliciter.

Per Filiū omnia petenda.

Quando enim in nomine Vnigeniti mei aliquid piè petitur, mihi summe placet huiusmodi petitio: quemadmodum necessariò apparet aureū, quod per vitrum aurei coloris conspicitur. Hę planè duæ sunt alæ, fidæ admodum, quæ te compendiò celeriterque ad spiritalem & perfectam vitam subuehere poterunt: videlicet Abnegatio tui, & Patiens aduersorum tolerantia.

Vitæ spiritualis compendium, abnegatio sui, & patientia in crucibus.

Quisquis enim se mihi simpliciter resignare nouit, illi nec afflictio, nec infirmitas, nec aduersitas vlla accidere potest, quin ei cedat ad virtutis incrementum. Itaque si quis omnia æquo ferat animo, diligenterque suum obseruet fundum, audiet paternam vocem meam intus loquentem sibi: Nosce teipsum, scito quàm vilis sis, agnosce nimiam immortificationem tuam, multipliciaque vitia tua in fundo tuo latentia. Aduerte nihil te esse, nihil habere, nihil posse ex teipso, & me in te operari sine. Adhæreto mihi per amorem, serua mihi fidem: & quidquid tu viribus tuis non potueris, ipse pro te faciam.

Hîc iam homo dulcissimâ hac Patris cælestis voce inuitatus, cum sanctâ spe & fiduciâ accedet ad eum, dicetq; humiliter: Cōfiteor tibi, clementissime Pater, omnia peccata mea, quibus te offendi. 5.

Deuotæ animæ oratio efficacissima, respondet Deo inuitanti. Confessio peccati, & petitio veniæ.

Heu: infelix ego, non veritus sum execranda illa perpetrare scelera, quę dilectus Filius tuus tantis cruciatibus diluit atque expiauit. Ingratus tibi fui pro omni dilectione, benignitate & fidelitate mihi à te exhibitâ. Sed nunc, misericordissime Pater, oro te, ne memineris iniuriarum quas à me accepisti. Conuerte oculos diuinę pietatis tuæ ad me, & in gratiam me recipe. Iam enim propono, te adiuuante, corrigere vitam meā.

Propositum emendationis.

[a] O Domine, miser ego sum & infirmus, nihil valens, conceptus in peccatis, natus in miserijs, nutritus in vitijs. Noli indignari aduersus folium quod vento rapitur: noli obliuisci inopiæ & fragilitatis meæ, nec subtrahas à me auxiliū gratiæ tuę. [b] Miserere mei Deus meus, miserere mei per dilectum Filium tuum Dominū meum Iesum Christum. Emunda me, sana me, confirma me,

Psal. 50. Iob 13. a Humilis agnitio propria fragilitatis. b Postulatio gratia.

pugna

Resignatio ad omnia quæ Deo placuerit permittere, vel immittere.

pugna pro me, operare in me; vtere me pro tuo beneplacito. En me totum tibi resigno, me totum pleno affectu sicut possum in hostiam viuam tibi offero: paratus deinceps viuere iuxta gratissimã voluntatem tuam, ac pati quidquid tua bonitas mihi euenire permiserit. Non peto, Domine, vt mala, quæ cõmisi, inulta maneant. Prorsus vlciscere in me iniurias quas intuli tibi: quandoquidem humiliter me submitto flagellis misericordiæ tuę. Scio & verè scio, quòd non poterunt tot mihi aduersa & cruciamenta accidere, quin plura maioraq; merita sint iniquitates meæ. Itaque non nisi gratiã tuam altã cordis voce postulo: &, vt iustitiam misericordia temperet rogo. Quid verò retribuam tibi, ô benignissime Pater, pro omnibus bonis quæ in me contulisti? Equidē neque in cælo neq; in terrã aliquid inuenio, quod vel dignius vel tibi gratius sit, quã ipse Vnigenitus tuus. Eum igitur quantã possum humilitate & gratitudine tibi offero, in vnione illius amoris quo tu mihi eum dedisti, & ex paterno corde in hunc mundũ misisti, vt humanam assumeret naturam, mortemq; subiret amarissimam. Offero merita incarnationis, conuersationis, passionis & mortis eius. Offero ignominiosam afflictionem, voluntariã obedientiam, ineffabilem humilitatem, incomprehensibilem patientiam & ardentissimam charitatem illius. Offero immitissima vincula, verbera, impulsus, conculcationes, contemptus, cõspuitiones, opprobria, irrisiones, blasphemias, & quidquid perpessus est. Hęc omnia tibi offero tamquam dignum sacrificium, ad supremam gloriam tuam, pro omnibus peccatis & negligentijs meis. Suscipe, quæso, gratissima vnigeniti Filij tui merita, pro detestandis iniquitatibus meis. Quidquid enim ego deliqui, totum ille sua passione diluit atque expiauit: & defectus meos omnes ipse farciuit atque suppleuit. Multò plus tibi soluit, quàm sit meum debitũ. O si malitiam meam & illius bonitatem, mea vitia & eius merita simul librare velles! nimirum hæc ipsius merita peccatis meis præponderarẽt. Et quod tam flagitiosum scelus esse possit, cui ingẽtes cruciatus vnigeniti tui non impetrent veniã? quæ tam fœda macula, quã calidus sanguis illius non diluat? Vincit planè passio & mors eius, peccata omnia: immensæ meritorum illius diuitiæ, cuncta vitia, cunctasque negligentias superant. Tibi itaque, vt cœpi, offero innocentissimam mortem dilectissimi Filij tui, & quidquid in assumptã humanitate operatus est, vnà cum omnibus meritis Sanctorum omnium, & cum cunctis virtutum actibus, qui ad extremum vsque iudicij diem pro gloriã nominis

Psal. 115. Oblatio meritorũ Christi pro defectibus nostris, quæ est praxis pia & vtilis, & familiariter apud Deum vsurpanda.

Merita Christi præponderant demeritis nostris.

tui fient, itemque cum laude & gratitudine vniuersã, quæ in infinita sæculorum sæcula tibi exhibebitur. Ista omnia tibi offero pro delictis meis, & pro peccatis viuorum atque mortuorum, pro quibus ego orare adstrictus sum, & tu rogari vis: vt inde in æternum lauderis, & gratiarum actiones ab omnibus tibi reddantur, Amen.

Putemus & filium Dei Iesum Christum 6.
vnicuique nostrûm dicere: Vide, ô homo, quid fecerim tibi. Ab omni æternitate agnoui te in diuinã essentiã meã: quandoquidem ab æterno in me fuisti secundùm ideam. Insuper & creaturã te feci, tam eximio te amore complectens, tamque excellenti donans gratiã, vt te secundùm animã ad imaginem & similitudinem meam crearim. Et vt scires quàm generosam atque elegantem ipsam animam tuam fecerim, nihil dubitaui illius causã accipere naturam tuam. Factus sum caro tua & sanguis tuus: vt tuos supplerem defectus omnes, pro tuis satisfacerem delictis, te redimerem, vitamq; tibi obtinerem & mererer æternam. Ego, inquam, qui ex diuino Patris mei cælestis vtero, ante omnia sæcula miro quodam ac ineffabili modo genitus sum, eidẽm Patri meo in potentiã & gloriã semper æqualis permanẽs, mortalem tuam non sum dedignatus naturã assumere. Triginta tres & eo amplius annos, factus seruus tuus, in multã paupertate, humilitate, labore & afflictione operatus sum salutem tuam. Cùm sicut ouis perdita aberrares, diu te quæsiui, & inuentũ meis humeris ad Patrem reduxi. Factus sum tamquam exul à regno meo, vt tu heres fieres. A Patre quoq; meo derelictus, & castigatione crudeli correctus sum, permisique iram eius in me deuolui: vt tu apud eum gratiã inuenires, amicusque & filius Dei efficereris. Deniq; omne debitum tuum in me recepi, & qui iudex tuus eram, teque sententia æternæ damnationis iure ferire poteram, memet sub specie rei in mortem ignominiosissimã vltrò tradidi pro peccatis tuis. Caput meũ spineæ coronæ supposui, manus ac pedes clauis obieci, totum corpus meum verberibus patienter submisi, sanguinem meũ ad extremã vsque guttulam effudi, animam pro te dedi, vt te mihi amore coniungerem atque vnirem: & tamen tu te mihi subducis, & diuideris à me. Insuper Matrem meã dulcissimam, tuam quoque matrem esse volui, cor meum tibi patefeci, & eius cruorem potandũ tibi præbui ex amore purissimo. Sacratissimũ Corpus meum in cibũ, & pretiosum Sanguinem meum in potũ tibi reliqui. *Factus sum opprobrium hominũ, & abiectio plebis.* Velut botrus in passionis torculari expressus sum: *aruit tam-*

Quomodo Filius Dei enumeret animæ peccatrici sua beneficia: Promissionis, Creationis, Incarnationis, Euangelizationis, Passionis, Patrocinij Virginis matris, Eucharistiæ. Vrget magis passionis beneficia.

Lucæ 15. Matth. 18. Psal. 21. Ierem. 30. Psal. 21.

tamquam testa virtus mea, & decocta est amoris igni. Totus exhaustus & absumptus sum salutis tuæ gratiâ. Vide, vti in cruce pédeo contemptus, extentus, sauciatus, omni solatio destitutus, brachijs ad te expansis, lateréque aperto, vt te in gratissimum cordis mei cubiculum introducam, ibique æterno complectar amore. Quid vis vt vltrà faciam tibi? Quomodo maiorem dilectioné, fidem, beneuolentiam & benignitatem tibi exhibere possum? Sit penes te iugis horum memoria. Repende vicem amoris. Imaginem sacræ humanitatis meæ ita cordi tuo imprime, vt quælibet extraneæ imagines inutilesque cogitationes illinc abscedere cogantur. Planta floridam arborem Crucis meæ in intimis tuis: stude mihi placere, imitando vitá & virtutes meas. Vitato, quantum in te est, omnia quæ mihi displicere cognoscis, vt sút superbia, vana gloria, odiú, ingluuies, & alia huiusmodi peccata ac vitia. Renuntia sponte naturæ oblectamentis: hoc est, abdica omnia in quibus natura delectatur, illis dumtaxat exceptis, quæ ipsi naturæ sustentandæ rationabiliter necessaria sunt, quæque adiumento tibi esse possunt ad seruiendú Deo, & ad perueniendum ad Deum. Breuiter, amputa & refrena quidquid in conuersatione tuâ, in amore, intentione, verbis, operibus, vestimentis, commoditatibus, & quibuslibet rebus illicitum, impurum aut vanum est: propriamque voluntatem tuam diligentissimè mortifica, vt ego in te viuere atque operari possim. Pro acerbissimâ passione meâ hanc vicem mihi redde, vt quamlibet tam externam quàm internam molestiam, quæ me permittente tibi occurrerit, humiliter patienterque feras; siue ea sit persecutio & vexatio, siue contemptus ab hominibus illatus, siue charorum amissio, aut iactura rerum temporalium, aut inimici tentatio, aut internus animi angor ob defectú profectus tui, vel quodlibet grauamé etiam culpâ tuâ exortum. Has & consimiles afflictionum cruces omnes tibi à me credas impositas, mihique gratias agens illas sustinebis, ac teipsum resignabis. Quando alij te vilipendent, ex animo fateberis centuplò viliorem te esse, plusq; contemptus meruisse, quàm cuncti homines tibi inferre queant, imò indignum esse, qui à tam præstantibus creaturis despiciaris. Cùm prorsus desolatus & anxius corde fueris ob peccata exactæ vitæ, ob nimias negligentias tuas vitiaq; multiplicia, & quòd tam nihil progressus sis in virtutibus: tum non statim ad confitendum * properabis eo animo, vt ab huiusmodi molestiâ releueris, neque solatia inordinatè perquires, quæ afflictionem illam à te depellant (hoc enim esset crucem abijcere, & sequi consilium diaboli, dicentis: *Descende de cruce*) sed fortiter mecum in cruce fixus hærebis perseuerabisque. Quidam huiusmodi anxietates & conscientiæ remorsus crebrâ confessione depellere conantur: sed si vel millies confiteantur, parum eis hac in parte contulerit. Tu igitur etiam horrenda indicia mea, quæ per illos angores in te declarari videntur, patienter feres, cum humili in beneplacitum meum resignatione. Itidem facies, quandocumque te derelictum & spiritali consolatione destitutum senties. Præstolaberis me resignato & tranquillo animo, atque hanc pressuram tuam & iram meam cum benignâ mansuetudine ad finem vsque perferes, donec ego ipse veniens, te de cruce deponam. *Ita mihi in illâ paupertate & sterilitate multò gratior eris, quàm si magnâ deuotione sensibili afflueres, & intus florerent omnia. In huiusmodi pressurâ ac miseriâ, non tam facilè teipsum quærere vel tibi vanè placere potes, sicut in consolationis affluentiâ. Nam in sensibili dulcedine natura plerumque se admiscet: & dum homo eâ immodicè delectatur, maculam contrahit. Itaque sæpenumerò deuotionis dulcedinem tibi subtraham, & insuper acerbis immundisq; cogitationibus & horrendis imaginibus, tartareisque phantasmatibus te fatigari permittam: quod ipsum æquo animo ferre debebis. Paratus eris etiam toto vitæ tuæ tempore in tentationibus, pœnis, angoribus & pressuris perdurare, si ita mihi visum fuerit, petesque vt in te & de te fiat gratissima voluntas mea, in tempore atque æternitate. Neque est quòd mireris, cur ego quosdam tam amicabiliter ac dulciter, quosdam verò non nisi per varias afflictiones traham. Mihi enim simillimos efficio eos, qui multiplici molestiâ & cruce pressi, patientiam seruant, ex immensâ prorsus dilectione dono electis meis afflictiones: semper tamen humanæ naturæ fragilitatem attendo, cui ex amore & iustitiâ, nihil supra vires mihi benè perspectas imponere possum. Oportet plane coronam fortiter imprimi, quæ corá Patre meo perenniter virere atque florere debet. Quò quis in hac vitâ grauiores dolores & pœnas pro amore atque honore meo pertulerit, eò iucundiùs ac pleniùs in beatâ æternitate suauissimú mel Diuinitatis meæ gustabit. Permitto etiam nonnullos semper veluti infirmos languere, qui tamen sanitatem reuerà consecuti sunt. Hi cunctis diebus vitæ suæ timent, anguntur, affliguntur que: cùm aliud sibi persuasum non habeant, nisi quòd sint languidi: & tamen ad eum virtutis gradum conscenderunt, vt mortem ipsam fidenter sub-

Postulat pro omnibus repen diamorem.

Mandatorũ custodiam, virtutumq; Christi imitationẽ, ac perfectionis studiũ,

Resignationẽ & conformitatem in afflictionibus,

Humilitatem, Perseuerãtiã in crucibus ferendis, nõ quærẽdo solatia vana aut aliena, aut inordinata, sed submittendo se integrè beneplacito Dei,

* Culpatur anxietas scrupulosorũ, qui afflictę cõscientiæ solatiũ vnicum esse sibi persuadẽt ad euadendũ molestias desolationum, si nullâ de causâ, semper recurrant ad cõfessiones iterãdas, & confessariũ fatigẽt audiẽdis scrupulorũ molestijs toties frustrà iteratis, cùm nullũ nouũ peccatũ aut necessariò confitendũ adsit. Quod est valdè inordinatũ illius molestiæ releuamentum, vt omnes Casuũ Doctores docent, verbo *Scrupuli*.

* Notent hoc qui in spirituali desolatione sese à Deo derelictos putant, & videant pericula deuotionis sensibilis, & commoda sterilitatis internæ.

Conformitatem cum Christo crucifixo in crucibus ac desolationibus,

Spem gloriæ ob cruces.

Perfecti cum etiam timoribus anguntur, & tentationibus, iacẽtque velut infirmi, qui tamen sani sunt & in gratiâ Dei.

subirent, potiùs quàm in me scientes peccarét. Ex magnâ fidelitate & dilectione, quam erga illos habeo, quamdiu viuunt, huiusmodi ignorantiam, timorem, & pressuram in eis relinquo. Satis enim noui eam ipsorum fragilitatē esse, vt si se conualuisse pro comperto haberent, statim ad seipsos cum vanâ sui complacentiâ reflecterentur. Iam in hac afflictione & miseriâ positi, humiliter sese resignant, ob idq; mihi charissimi sunt. Tales plerumque in * ipsâ horâ, quâ ex hac luce migraturi sunt, ab illâ ignorantiâ, longisque tenebris per meipsum eripere ac blandè nimis consolari soleo, vt aliquo modo prælibatâ beatitudine, quâ in me perpetuò fruituri sunt, bonâ cum securitate animam fundant: si verò hoc eis ante obitum non præsto, certè vbi iam defuncti sunt, vel si ad Purgatorium deduci debent, vbi ab omnibus culpis ad purum sunt repurgati, eos inenarrabili gaudio exultantes recipio in gloriosum æternumque regnum meum. Tu igitur te totum meæ prouidentiæ semper committe, te totū mihi resigna. Porrò licet sis fragilis admodum, sæpiusque labaris, numquam tamen desperes; sed pietati meæ firmiter & amanter innitere. Omnia vitia & peccata tua depone in cruenta Vulnera mea, atque in abyssum misericordiæ meæ proijce, meq; roga, vt pretioso Sanguine meo illa diluā. Quando post lapsum humiliter & confidenter me inuocas, tam repentè mundaris, quàm repentè purgatus est leprosus ille, cui dicenti, ***Domine, si vis, potes me mundare***, respondi, ***Volo, mundare***. Qui negaret me & posse, & velle etiam singulis momētis ignoscere ei, qui verè pœnitens est, is magno honore me spoliare niteretur. Ita verò mihi facile est mille talenta remittere, sicut vnum. Planè quotiescumq; peccator à vitijs culpisq; se integrè auertens, mihi perpetuò seruire, & me diligere, mihiq; soli viuere, statuit: adeò me illi benignū exhibeo, ac si numquam me offendisset. Omnia enim peccata illi remitto, etiam si tot essent, quot omnes simul homines commiserunt: si tamen ex animo doleat purè ad gloriam Dei, & ob id potissimùm displiceant illi suæ iniquitates, quòd mihi eas displicere intelligit.] Hæc pro tui excitatione, institutione, & consolatione dicta sint.

*** Quos Deus in vitâ desolationibus exercuit, illos morte veniente consolatur. Hoc notent, & humiliter ad extremum Dei consolationem exspectent, qui in desolatione cū resignatione vitam tristem peragunt.**

Prouidentiæ diuinæ totum te permitte.

Pœnitenti quàm obuia sit Dei misericordia.

Matth. 8.

Matth. 18.

7\. Hîc igitur homo etiam ad Dominum Iesum sese plenâ cum fiduciâ conuertet, ipsumque quàm poterit humillimè precabitur in hunc modum: *O Fili Dei viui, Rex gloriæ Iesu Christe, miserere mei vilissimi peccatoris. Ego enim etiā vitâ ipsâ indignus sum, qui tibi hactenus tam ingratus fui, & non timui pro momentaneâ delectatione explendâ ea committere, quæ tu expiare Sanguine tuo, ac luere morte tuâ deberes. Et ad quem, ô dulcissime Iesu, ad quem ego innumeris onustus atque conclusus peccatis refugere possum, nisi ad te misericordiâ plenum? Itaque, omnia mala mea, omnem ingratitudinem, inobedientiam & immortificationem meam, in abyssum diuinæ clementiæ tuæ, cruentaq; Vulnera tua proijcio. Ita, quæso, hæc pretioso Sanguine tuo diluere, & meritis acerbissimæ passionis tuæ expiare digneris, vt nulla eorum apud te memoria perseueret. O amabilis Iesu, & vnicum solatium meum! en accedo ad te pleno desiderio te feruenter diligendi, & cuncta quæ me à tuo possint amore abstrahere euitandi. O! quantum me amasti & amas! Vt me redimeres, naturam meā sumpsisti, & factus es frater meus: vt ego exhilararer, tristatus es: vt ego sanarer, vulneratus es: vt ego mundarer, purissimum Sanguinem tuum fudisti: vt ego viuerem, mori non recusasti. Et quomodo, Deus meus, tam corde cæcus esse potui, vt auersus à te (à quo mihi salus omnis & bona cuncta procedunt) ad terrena caducaq; me conuerterem, ex quibus non nisi perditio & omnis miseria ad me redit? Mirum valdè est, quòd mihi iam aliud cogitare libeat, quàm immensa quæ mihi præstitisti beneficia: aut in aliquâ aliâ re solatium & animi recreationem quærere, quàm in sacratissimâ vitâ ac passione tuâ, dulcissimisq; & verè mellifluis Vulneribus tuis. O pijssime Iesu! adiuua & conforta me fragile figmentum tuum. Tu es omnis spes mea. Quantum me perturbant & deijciunt peccata mea, tantùm me exhilarat & erigit immēsa bonitas sanctissimaq; passio tua. Quidquid enim ego deliqui, morte tuâ acerbissimâ abolitum est. Quidquid mihi deest, merita sacratissimæ passionis tuæ abundè adimplent. Et licet magna atque innumera sint peccata mea, parua tamē sunt tuæ immensæ collata misericordiæ. Vnde & cōfido de infinitâ pietate tuâ, quòd me numquam perire sines, quem ad imaginem & similitudinem tuam creasti, tantoq; labore ac tam caro redemisti pretio.*

** Ah bone Iesu! vulnera, obsecro, cor meum iaculo amoris tui, vt tam ardenter te diligam, quàm ardenter ipse à me vis amari. Exure & liquefacito me totum, vt totus in me deficiam, totusq; per amorem in te transformer, ac tecum vnus spiritus efficiar: verumtamen non mea sed tua voluntas fiat. Ecce resigno & relinquo me totum tuo beneplacito. Fiat Domine, fiat in me & de me gratissima voluntas tua nunc & in perpetuum, Amen.*

Interna pœnitentis animæ ad Iesum oratio superiori inuitationi respondens.

Peccata in Christi Vulnera proijcit.

Agnoscit beneficia Christi,

& suam ingratitudinem castigat.

Fiduciam concipit auxilij diuini ex misericordiâ.

* Aspirationes deuotæ.

LVDO-

LVDOVICI BLOSII MARGARITI SPIRITVALIS PARS QVARTA,

SIVE FARRAGO VTILISSIMARVM INSTITVTIONVM EX SCRIPTIS POTISSIMVM D. IOANNIS RVSBROCHII DECERPTARVM.

Qui quidem Rusbrochius homo planè diuinus, & singulari modo à Deo illuminatus doctusque fuit.

§. I.

De Fide catholicâ, & confessione peccatorum.

Plurimæ Institutiones hîc descriptæ apud Thaulerũ etiam reperiuntur.

1. *Fides Catholica primum Dei donum: hæreticis verò nihil prodest vita moralis, nisi, proprio iudicio relicto, se Ecclesiæ subijciant.*

2. *Examen fidele conscientiæ: deinde confessio auricularis; tum satisfactionis desiderium, & patientia in afflictionibus.*

3. *In hac vitâ exercendum est contra nosmetipsos iudicium, ne damnemur in alterâ vitâ.*

4. *Bona voluntas donum est gratiæ diuinæ; eius signum est obedientia & confessio peccatorum.*

5. *Qualis debeat esse confessio: notanda scrupulosis doctrina de vi & fructu bonæ voluntatis.*

6. *Spes veniæ nutrienda est consideratione misericordiæ diuinæ.*

1. *Primum donum Dei est fides.*

* Perseuerantibus in hæresi vel infidelitate nil prosunt, ad meritum vitæ æternæ, opera vitæ moraliter bona; *quia sine fi-*

PRIMVM donum quod Deus electis suis confert, vera, Christiana & Catholica Fides est: quâ credimus quæ credenda sunt, & Deo benè fidimus, eumque amamus. Per huiusmodi fidem anima coniungitur Deo, despondeturque illi ceu sponsa suo sponso. Qui* errorem aliquem contra duodecim Symboli Apostolici articulos, siue contra septem Sacramenta Ecclesiæ sequuntur, aut qui in aliquo à sanctâ Ecclesiâ Catholicâ dissident, eique contrariam tenent opinionem, siue id publicè agant, siue occultè, si sic pertinaciter perseuerare statuunt, atque ita moriuntur; etiam si cunctis moralibus prædita sint virtutibus, omniaque misericordiæ ac condolentiæ exerceant opera, tantaque intellectus perspicacitate polleant, quantam simul mortales omnes qui vmquam fuerint, habuêre: damnantur tamen, & merguntur in flammas tartareas. Hæretici, inquam, & schismatici post mortem igne torrentur æterno.† Si qui autem ex his conuerti velint, vt propriæ voluntati renuntient oportet, suamque scientiam & intellectum scientiæ atque institutioni sanctæ Ecclesiæ submittant substernantque, & omnem vitam suam foris atque intus sine fastu & elatione ad Dei honorem exigant: intus quidem absque simulatione credant, quod sancta credit Ecclesia Catholica; foris autem modis omnibus singuli iuxta suum statum & Ecclesiæ decreta colant & exerceant ea, quæ ipsa sancta Ecclesia colit exercetque. Ita nimirum & gratiam Dei modò, & posteà beatitudinem æternam poterunt adipisci.

de impossibile est placere Deo, ad Hebræos cap. 11. & Scholastici apud D. Thomam 1. 2. quæst. 109. art. 2. 3. 4. 5. 6. docent ex Augustino, infideliũ opera moralia extra fidem aut gratiã, etsi bona sint, non tamen esse vtilia ad salutem, nisi valdè remotè, & quodammodò dispositiuè.

† *Quid faciendum infideli volenti sese ad fidem conuertere.*

Sine verâ fide nemo placere Deo, nec saluus 2. Heb. 11.

Expiatio à peccatis.

saluus esse potest, quidquid alioqui bonorū agat operum. Hanc igitur firmissimè retineamus: & humiles facti, ingrediamur Prętorium conscientiæ nostræ, ibiq; consideremus, agnoscamus, corrigamus, odio prosequamur quidquid in nobis vitij residet. Peccata nostra & culpas coram Domino Iesu Pontifice & iudice nostro, cælestique Patre eius, & coram Sacerdote confessore nostro Dei vices ac locū obtinente, accusemus atque confiteamur. Et si quidem nos peccasse pœnitet, iam bono simus animo, & in Dei benignitate ac misericordiâ speremus, eique credamus atque confidamus. Et pœnitentiam agendo, liberè nos submittamus nedum sub iustitiam Dei, sed etiam sub peccatores omnes, odio nos ac mendacijs insectantes, contemnentes, persequentes vel cædentes, denique & sub creaturas omnes nos diuexantes: ita vt aduersa & incommoda omnia nobis ab eis illata, taciti perferamus ob honorem Dei, & in remissionem peccatorum nostrorum: nec quemquā hominem habeamus odio aut despectui, quidquid etiam nobis mali irrogetur, sed causâ Dei cuncta æquanimiter toleremus: id enim magnum diuini amoris præstat profectum.

Examē conscientiæ. *Confessio auricularis.* *Dolor de peccato.* *Satisfactio per humilitatem, resignationē, patientiam, & alias virtutes.*

3. Explora, attende, & iudica modò temetipsum, ne posteà à Domino iudiceris atque condemneris. Reuoca ad memoriā quemadmodum vixeris, vti te neglexeris in verbis, actibus, desiderijs, cogitationibus, tui immortificatione, simulatione vel hypocrisi, affectusque impuritate, & in illis omnibus quæ iniquè vel inordinatè admittuntur, quæque à charitate dissentiunt, & gratissimæ Dei voluntati repugnant: quorum quidem tantus in te est numerus & tam multiplex varietas, vt nulli præterquam Deo soli perfectè cognita sint. Displicebis igitur tibiipsi ob illa, & cum Publicano coram Patre tuo cælesti eiusque æternâ misericordiâ pectus tundens, dices: *Deus propitius esto mihi peccatori. Peccaui Domine, peccaui: miserere mihi misero. Ablue faciem animæ meæ à vitijs & peccatis omnibus, illamq; exorna gratiâ tuâ. Præsta mihi bonam voluntatem, & animum strenuum, quò sine intermissione in tuo seruitio laudéque tuâ renouer.* Et ista quidem si obtinere velis, contemne, abijce, humilia & obiurga teipsum; Deum autem misericordiæ & pietatis suæ commonefacias: neque ab his desistas, donec ipse tibi intus respondeat, & veram loquatur pacem, verumque gaudium in corde tuo.

1. Cor. 11. Si te hic veraciter iudicaueris, in futuro iudicio non damnaberis.

Modus interni examinis & iudicij faciendi de seipso in conscientiâ peccatis onustâ. Lucæ 18.

4. Bonitas voluntatis ex Spiritu sancto nascitur & gratia Dei, ac bona infusaq; charitas, quâ homo Deum ac sanctas virtutes colit atque exercet. Ipsa bona voluntas viuidum ac voluntarium est instrumentū, quo Deus quidquid vult operatur. Planè, bona voluntas cum humilitate coniuncta, radix omnium virtutum est. *Pax* igitur *hominibus bonæ voluntatis*. Quotquot hac bonâ voluntate præditi sunt, ij Deo & sanctæ Ecclesiæ obtemperant, aptiq; sunt & habiles ad gratiam Dei, & ad sapientiam ex Deo manantem, suscipiendam. Si ergo Dei sapientiam intra te recipere vis, à cunctis grauibus peccatis ab infantiâ perpetratis quoad poteris te expurges, idque coram sapienti & discreto Confessore, qui habeat iuxta Ecclesiæ constitutionē te absoluendi potestatem. Quòd si id semel egisti, satis est, & sufficit æternæ Dei veritati: sicque pacem habes coram Deo & in mundâ conscientiâ tuâ.

Bona volūtas est ex gratiâ Dei. *Signum eius humilitas & obedientia. Lucæ 2.* *Et vera confessio peccatorum.*

Si bonâ es præditus [a] voluntate, cupisque Deo ac cunctis virtutibus viuere, iam planè Spiritum sanctum habes in te, & internâ gaudes pace, nec facilè potes in mortiferum labi peccatum. Absque venialibus autem culpis viuere non poteris. Ipsas [b] culpas & errata tua Deo ac Sacerdoti sincere, nudè, apertè, paucisque verbis ac humili corde explica, dolensque confitere, & de illis teipsum accusa ac reprehende. Multa verba conscientiam perplexam reddunt, inordinatumque pariunt timorem, vt quò quis ampliùs confitetur, eò plus confiteri velit. Neque potest quispiam sese per seipsum vel omni conatu suo efficere pacatum atque tranquillum. Itaque ostendas & aperias teipsum æternæ veritati, speresque & confidas immensæ pietati ac misericordiæ Dei, permittasque & resignes te bonitati illius; atque in hoc ipso pacem serua tuam. 5.

Fructus bonæ voluntatis.

Si bonæ voluntatis sumus, si ex animo verè nos peccasse pœnitet, & humili contritoque corde nosipsos coram Deo & Sacerdote accusamus, meritò firmam fiduciam & spem concipere debemus impetrandi sine dubio veniam à Deo. Et quînam vmquam, obsecro, desperare possumus, si immensam velimus attendere benignitatem Dei, dicentis per Prophetam suum, Etiam si mater obliuiscatur infantis vteri sui, *ego tamen non obliuiscar tui*? Sanè nullus ambigere debet, cuncta peccata eius, qui cum verâ diuinâque contritione & sanctâ spe amanter ad Deum sese conuertit atque erigit, citiùs in immensæ bonitatis eius abysso absorberi & con- 6.

Fiducia de veniâ nascitur ex infinitâ Dei bonitate. *Isa. 49.* *Deus sine morâ remittit peccata verè pœnitentibus ad ictum oculi.*

[a] Hæc accipe de bonâ voluntate post factum Confessionis Sacramentalis ritè peractæ, iuxta normam mōnitionis datæ num. 4. hoc §. 1. aut mox hoc num. 5. dandæ.

[b] Conditiones Confessionis obseruentur, & solatium atque remedium accipiant qui sunt, in materiâ Confessionis, scrupulosâ conscientiâ.

sumi, quàm possit oculus aperiri vel claudi. Nam & * si mundus vniuersus igneus quidam globus esset, & in eius medio pauxillum lini poneretur, non tam celeriter id conflagraret, quàm paratus est Deus remittere peccata vere pœnitentibus, quantumuis etiam multa & grauia sint. Sui autem displicentia, & seria numquam peccandi voluntas, veraque erga Deum confidentia & amor, vera pœnitentia est. Istiusmodi igitur erga Deum confidentia & amor, thesaurus est longè præclarissimus: quem qui habet, facile impetrat à Deo quidquid desiderat, * cùm Deum in eo latere sauciet, in quo se tueri non potest. Qui diffidentiâ & inordinato damnationis metu laborant, prudenter oculos internos cohibeant à nimiâ consideratione iusti iudicij Dei. Credant Scripturis sanctis, quæ abundant cælesti consolatione; & quòd Christus pro cunctis peccatoribus, nemine excepto, mortuus est.

* O! Dei propitiudo incomparabilis ad citò condonandum peccata verè pœnitenti.

Describitur pœnitentia vera.

* Deū vulnerari per amorem, docét verba sponsi Canticorum c. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea.*

Remedia diffidentiæ.

1. Pet. 3.

§. II.

In quo consistat perfectio tam sæcularium, quàm Religiosorum.

1. *Sæcularium perfectio in quo sita sit;*
2. *Item Monachorum & Monialium.*
3. *Infirmiores Monachi ne sint pusillanimes.*
4. *Bonæ voluntatis efficacia.*
5. *Imagines impuræ quomodo disjiciendæ.*
6. *Mentis euagatio inter orandum citò compescenda.*
7. *Qui tentationibus grauibus viriliter resistunt, gratiores sunt Deo, quàm qui nullis vexantur.*
8. *Triplex ordo seruientium Deo.*
9. *Simpliciores quid agere debeãt, vt placeant Deo.*
10. *Bona voluntas, argumentum prædestinationis.*

1\. *Sæcularium ordo, & eorū perfectio in officiis vocationis suæ propriis consistit.*

* Adspice speculum & ideam vitæ sæcularis secundùm Dei voluntatem instituendæ.

QVOTQVOT * inueniuntur sæculares viri vel feminæ, in eiuscemodi statu viuentes, qui à Deo & sanctâ Ecclesiâ non discordet, si verâ Orthodoxâque fide præditi, & tam bonæ voluntatis sint, quòd ex Dei gratiâ perseuerent in bono, & à grauibus sese contineant vitijs, ita vt siue in matrimonio, siue extra matrimonium, siue in officijs mechanicis, siue in seruitijs degant, siue emant, siue vendant, seu quauis aliâ licitâ ratione victum sibi parent, vt sese suosque sustentent, nusquam quemquam sponte ac scientes fallere, non mentiri cuiquam, non aliena tollere aut detinere, sed in omnibus veritatem & iustitiã colere ac sectari velint, & intentionem vitamque suam secundùm Dei præcepta ac sanctæ Ecclesiæ decreta & institutiones dirigere atque transigere proponant, neminem odio habere, nulli inuidere, auersari neminem, sed præbere se faciles, benignos, & misericordes singulis quibusque suâ indigentibus operâ statuant, libenterque Missæ sacrificium & conciones auscultent, reuerentiam & amorem Deo atque hominibus exhibeant, peccata sua Sacerdoti humiliter confiteantur, & in omnibus rebus bonis obtemperent: huius, inquam, generis quotquot in mundo viuunt homines, Deo placent: & licet multipliciter occupati sint rebus externis, nihilominus de Dei confisi misericordiâ, venerandum Eucharistiæ Sacramentum, in solemnitatibus, si desiderant, accipere possunt. Nam quamuis sæpiùs in quotidianas cadant culpas, attamen pro viribus sunt bonæ voluntatis & iusti * in omnibus.

* Nec ob vllas veniales culpas excidunt à verâ iustitiâ & gratiâ & charitate, aut indigni sũt, vel ad damnationē sumunt sacrã Eucharistiæ communionem, vt videre licet in Concilio Trid. sess. 6. cap. 11. & can. 23. & sess. 13. c. 7. & can. 11.

2\. *Declaratur Monachorũ ac Monialiũ institutum.*

* Idea veri Religiosi.

Custodia regularũ, cuiq; Religioso Ordini peculiarium.

Boni & Deo * placentes Monachi & Moniales sunt bonæ voluntatis, & absque fictione honorem Dei propriamque salutem spectant, studentque suum seruare Ordinem & canonem monasticum, ac instituta & consuetudines sanctas quas audierunt, scriptasque inuenerunt à Patribus præcedentibus: verbi gratiâ, vt se habere debeant in choro, in capitulo, in claustro, in refectorio, in dormitorio, in valetudinario seu domo infirmorum; item silendo, loquendo, ieiunando, & edendo. Sicque & sani & infirmi semper secundùm statuta seu Regulam suam, & naturæ vires (sicut recta dictat ratio ac vera discretio) sese gerunt. Cauent sedulò ne vmquam murmurent. Proprium sensum ac iudicium citò abijciunt, & ex humili obedientiâ omni propriæ renuntiant voluntati. Non secundùm carnem, sed secundùm spiritum viuere statuunt. Dum incolumes sunt, semper boni quidpiam exercent: dum autem aduersâ laborant valetudine, mansuetudinem ac patientiam retinent. Et quãdo sese negligunt & excedunt, vel agendo vel omittendo plus minúsve, aut quouis alio modo, tum quidquid conscientia peccatum esse testatur & accusat, id humiliter queruntur, & cum dolore vel contritione cordis Sacerdoti suo confitentur, ac pro illius arbitrio agunt pœnitentiam. Tales Deo satis confidere debent, sicque super Dei misericordiâ ac benignitate sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum accipere, quoties ex Ordine datur, aut ex bonâ consuetudine illud percipere solent. Plerique istorum sentiunt quidem in se vitia & inordinatas naturæ propensiones; affectumque erga corporis voluptates: sed dum talia in seipsis animaduertunt, mox deserunt & contemnunt, quidquid Deo & spiritui ipsorum aduersum est, propudiatâque sensualitate, cum fide & humili oratione intrò ad Deum

Pax, quies, submissio, & spiritualis vita.

Frequentia Sacramentorum.

Repressio sensualitatis, & tentationum.

præ-

Humilis agnitio sui. præsentem confugiunt. Sanè dum isthæc concertatio & pugna in eis perseuerat, sæpè natura corporea spiritum cum amore & appetentiâ in Dei cultu famulatuque sequi detrectat: vnde & ipsi nullo affectuoso desiderio flagrantes, humili corde dicunt Deo: *Domine, immundus sum, & omni consolatione omnibusq; bonis, quæ homines boni in te experiuntur, indignus. Quapropter lugendum mihi est, & firmâ fide ambulandum in conspectu tuo. Itaque licet pauper & desolatus sim, te tamen neutiquam derelinquam.* Hi Christi milites, tametsi infirmi sunt, & corporis tentationibus vexantur, atque etiam consolationem dulcedinemque diuinam minimè percipiunt, attamen in spiritu pleni sunt fide, deuotione, & amore diuino, Corporisque Dominici Sacramentum cum ingenti fructu sumunt. *Solatium Religiosis bona voluntatis.*

3. *Animātur infirmiores Monachi contra pusillanimitatem.* Infirmiores quidam, dum vitæ Christi & Sanctorum eius asperitatem laboremque attendunt, seque talia non posse, nec ad huiusmodi intus moueri, trahi, aut impelli sentiunt, redduntur pusillanimes, & à Deo se nimium remotos arbitrantur: sed in hoc non satis prudēter faciunt. Neque enim homo bonæ voluntatis vel ob defectus quosdam minores, vel ob naturæ imbecillitatē, vel quia forinsecus asperiorem viuendi modum seruare nequit, vel ob inæqualitatem, quam in seruitio Dei & virtutū sentit exercitio, remotiorem se à Deo æstimare debet. Nam quamdiu hæc voluntas in ipso perseuerat, vt neque pro vitâ, neque pro morte, neque pro vllâ aliâ re, quidquam aduersus præcepta Dei facere consentiat, Deus illi proximus est. Itaque talis colat & amet in alijs quod se minimè sentit habere vel posse. Gratias agat Deo pro gratiâ alijs præstitâ, seque coram Domino humiliet. Charitas quippe reddet eum participem omnium bonorum illorum, quæ in alijs diligit. Ita per sanctam gratulationem fauendo, minimeque inuidendo, bona aliena faciet sua. Licet verò omnes non eumdem modum seruare, nec eadem viâ forinsecus ingredi possint; intus tamen omnes incedere debent eadem omnino viâ, nempe viâ amoris. *Bona voluntas in quo consistat.* *Congratulandum alienis bonis cum humilitate & charitate.*

4. *Bona voluntatis fructus admirandi.* Quamdiu bonâ se quispiam voluntate sentit præditum, ex nullâ re turbari immodicè, nec plus æquo dolere, nec à Deo se remotiorem arbitrari debet. Omnis namque virtus & bona omnia ex voluntate dependent. Proinde si humilitatem, si charitatem, si quaslibet alias virtutes habere appetis, & id totâ voluntate vis, facisque quod in te est, haud dubie habes eas. Itaque tantum quisque sanctus est, quantum voluntas eius ad Deum magna est.

5. *Imaginationes impuræ, quâ viâ & ratione depellendæ.* Si contingat immundas imagines vel ex aspectu, vel ex auditu, vel per cogitationes, vel per dæmonum suggestionem, dormienti aut vigilanti tibi incidere, ita vt ad libidinem & turpes naturæ propensiones ac voluptatem mouearis; mox Crucis signum imprimas cordi tuo, & ores Deum vt tui misereatur, vel etiam Angelicam Salutationem dicas, ac Sanctorum preces opemque implores. Ob oculos tibi propone, si consenseris, priuatum te iri gloriâ Dei, & pœnas inferni semper esse luiturum, à Deo & cunctis amicis atque electis eius ęternò separatum. Quod sanè meritò horrere debes; sicque certare viriliter, & spem atque fiduciam tuam in Domini Saluatoris morte, gratiâ & auxilio collocare: certus quòd is te non deseret, sed absque dubio victor euades, semperque gratiæ ac virtutum maiora accipies incrementa.

Si sub precibus & exercitijs tuis, extraneæ quædam cogitationes vel imagines tibi incidant, qualescumque illæ sint, perinde est: vbi id aduertis, & es redditus tibi, ne turberis inde, sumus enim instabiles: sed celeriter cum amore ad Deum te conuertas. Quamuis enim hostis tartareus suas tibi ostentet merces, nisi eas cum amore & voluntatis consensu tibi comparaueris ac emeris, non manebunt tibi. 6. *Mētis inter orandum distractio & euagatio quomodo statim corrigenda.*

Duplex est bonorum hominum genus. Quidam enim ita habent, vt vix aut tenuiter à vitijs impugnentur. Alij verò dum sese occasiones offerunt, tentantur forinsecus, & ad peccata commouentur in inferioribus viribus; verbi gratiâ, vel ad vanam gloriam, vel gulam, vel luxuriam, vel alias quaslibet culpas: intus autem in viribus supremis peccata huiusmodi auersantur penitus. Et licet fortassis ex ipsâ naturâ in superbiam, vel iram, aut alia vitia procliues sint; nullâ tamen ratione volunt illis præbere consensum. Hi longè ampliùs à Deo laudantur probanturque, & virtutes multò excellentiùs nobiliusque possident, quàm illi alij. Virtutum namque perfectio, strenuâ ac legitimâ decertatione comparatur. Vnde & necessaria nobis tentatio est: *Non* enim *coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Planè, si quis rectè valeret in animâ, etiam si optio ei daretur, † nequaquam tamen vitiosis propensionibus, tentationibusque velle deberet absolui. 7. *Duplex bonorum hominū genus; quidam in pace, quidam in bello seruiunt Deo.* *Gratior est Deo qui certat animosius contra tentationes, quàm qui non tētatur.* 2.Tim.2.

Omnis Deo seruiens familia, tribus partibus siue ordinibus distinguitur. * Prima pars, homines sunt bonæ voluntatis, ac virtutibus dantes operam, vitijsque semper 8. *Tres ordines ac gradus seruorum Dei.* * *Via purgatiua.*

† Laudabilius: si adsit diffidentia sui, & fiducia in Deum, & amorosum desiderium potiùs ad Dei honorem contra tentationes pugnandi, quàm sine illis in ignauo otio viuendi.

morientes, & ea superantes. * Altera pars, homines sunt interni, locupletes, viuidi, virtutum omnium perfectionem & celsitudinem prosequentes. * Tertia pars, homines sunt subleuati ac illuminati, semper in amore morientes, & velut exinanientes siue annihilantes sese in vnione cum Deo.

* Via illuminatiua.
* Via vnitiua.

9. *Simplex & rudis quid agat, vt Deo placeat.* Si sit simplex ac rudis quispiam & ignarus, qui tamen optet vitam agere Dei gratissimæ voluntati consentaneam, is humili corde concupiscat & petat à Deo infundi sibi sapientiæ spiritum, quo iuxta illius potissimùm beneplacitum suam transigat vitam. Et si quidem poterit scientiam atque sapientiam absque vanâ sui existimatione ac animi elatione circumferre, dabitur illi re-uerà à Deo; sin minùs id poterit, maneat in simplicitate suâ, & pro suo captu seruiat innocenter Deo suo: id enim magis erit in rem ipsius.

10. *Diuinæ prædestinationis clarum argumentum est bona voluntas.* Si liberè & citra fictionem vel simulationem Domino Deo tuo perenniter seruire, illumque laudare & amare planè proponis; si secundùm gratissimam eius voluntatem viuere, eumque ex amore eligere statuis: hoc ipsum argumento tibi sit, te ab eodem prædestinatum, vocatum, electum & dilectum esse ex omni æternitate. Quod vt illi confidere ausis, Corpus & Sanguinem suum in cibum & potum, cum gustu quodam omnem naturam tuam penetrante, tibi dedit ac dereliquit: & hoc gustu vsque in vitam æternam pascêris ac reficiêris. Vult enim ipse intra te commorari, ac vita tua esse: tu proinde illi viuere debes, non tibiipsi. Galat. 2.

§. III.

De suiipsius mortificatione, & Regulâ sanctæ conuersationis cum proximo.

1. *Frenum sensibus iniiciendum.*
2. *Sobrietas in cibo & potu, & alijs.*
3. *Gula vitium sedulò domandum.*
4. *Congressus ac mutua colloquia magnâ discretione regantur.*
5. *Immortificatio conijcit in damnationis periculũ.*
6. *Extrauersio spontanea alienum facit ab illuminationibus & inspirationibus diuinis.*
7. *Seipsum quærere in oblectationibus & commodis naturæ, perniciosissimum est.*
8. *Placere alijs non affectes, ne displiceas Deo.*
9. *Hypocrisis fugienda, solida pietas affectanda.*
10. *Obedientia numquam detrectanda.*
11. *Cum omnibus exerce pacem sine contentione.*
12. *Priuatis affectibus omnino moriendum.*

1. *Sensus frenandi.* Si sensibus deditus es, & naturæ tuæ propensiones atque oblectamenta sectaris, nullum in veris virtutibus profectũ facere, nec Deo viuere poteris. Vt igitur Deo placeas, refrena & custodi ipsos quinque sensus tuos ac linguam tuam diligenter: non eis aliter vtens, quàm recta ratio permittit.

Caueas in percipiendo cibo, potu, & quibuslibet rebus corpori necessarijs, ne secundùm carnis desideria, ac naturæ appetitus & oblectamenta viuas. Si enim vel in teipso vel in aliquâ creaturâ delectationem ac voluptatem expetas & aucupêris, iam viuere Deo & vitijs emori non potes. Vitandus sedulò tibi est excessus, & immoderatus cibi potusque vsus. Quòd si aliquid plus sumpseris, ora Deum vt det veniam immoderationi tuæ. 2. *In omni re sobrietas & moderatio.*

Ex gulâ, diuersa ac multiplicia vitiorum monstra emergunt. Moriaris obsecro illicitis voluptatibus, moriaris mundo, & viuas Deo. Non te tui corporis cura & sollicitudo occupet, sed eius victum necessarium accipe, ita vt à Deo datur ac prouidetur: neque ibi delectationem vel lautitias quæras, sed etiam rudiori cibo contentus esto, si natura tua id patitur. Sis discretus ac prudens, naturæque tuæ attende habitudinem siue complexionem, & quibus habeat opus, quibusque carere possit. * Si enim corpori vltra necessaria plus nimio indulseris, hosti tuo vires addes: si autem minùs quàm debeas illi tribueris, mancipium tuum, quo te Deo seruire oportebat, destrues. 3. *Mortificatio gulæ.*

* Mediocritatẽ in abstinentiâ colito: vt nec corpus, velut hostẽ, armes per ingluuiem, nec, velut seruũ, eneruet per esuriem. Hæc est necessaria, in gulâ domãdâ, discretio.

Quando cum aliquo tibi colloquendum est, siue ille sęcularis sit, siue Religiosus, sis in verbis ac moribus prudens, circumspectus, atque honestè compositus, ne quis ex te offendiculum capiat: malisque vacare silentio & auscultare, quàm loqui. Nisi diligenter custodias linguam tuam, citò puritas cordis in te lædetur inficieturque. In verbis, in factis, in agendo & omittendo, sis iustus, verax, sincerus, ac minimè fictus, sancteque ambules in conspectu Dei tui. Si quando loquendo, * respondendo, audiendo vel videndo senseris, atque agnoueris te rem quampiam cum delectatione, affectu, vel amore inordinato, intrò recipere, quæ cordi tuo imagines imprimat, mediumque aliquod inter te & Deum efficiat; erubesce inde, & celeriter simplicique intuitu ad Deum præsentem intrò reuertere. Quamdiu intantum tui potens manseris, vt quoties placet, intrò te possis recipere; nihil turbari, sed pace bonâ gaudere debes. Quòd si inordinatâ voluptate, aut appetitione & amore te capi permiseris, eris impotens tui, & liberam ad Deum introuersionem amittes. 4. *Discretio adferẽda ad congressus ac mutuum colloquium.*

* In cõuersatione cũ proximo serua semper libertatẽ internã cordis, & munditiam conscientiæ, & laudatam illã in vitã spirituali introuersionem.

Quando alicuius natura ex affectu & cum delectatione propensa est foras, ad dicendum vel audiendum quæ sensibus plausibilia, commoda iucundaque sunt, si is in- 5. *Ex sui immortificatione & extrauersione, quanta malorum seges oriatur.*

ternæ exercitationis atque ad Deum introuersionis artem nouit, & tamen neglecto hoc Dei dono, naturæ affectibus indulget, eisque satisfacit: tum deficit planè, & in charitate ceterisq; virtutibus omnibus frigescit: atque ita excidit ex gratiâ Dei, nisi humiliter veniam petat, & maturè resipiscat, seque corrigat. Abiectus verò à Deo, multò deinde peior efficitur, quàm quispiã qui numquam Deum persenserit. Sin verò aduersus naturæ appetitiones & oblectamenta bellum gesserit, haud dubiè palmam feret, diuinaque gratia & amor, atque affectus, siue appetitio erga Deum, indies magis ac magis in eo increscent & augmentabuntur.

6. *Ne temerè te extrauertas, ob damna & pericula extrauersionis.*

Si libenter & cum affectu foras te effundis, si delectat te fabulari, rumusculosque mundanos percipere, non poteris illustrari intus, sed indies magis ac magis obtenebraberis, atque rudior & crassior efficieris: & licet boni quidpiam diuinitus senseris aut perceperis in gratiâ ac virtutibus, hoc ipsum amittes, cordeque multiplex, vagus atque instabilis redderis, & sub precibus tuis gustu, strenuitate, diligentiâ ac deuotione destitueris, formisque ac simulacris, & cogitationibus peregrinis, alijsque id genus culpis & vitijs abundabis.

7. *In oblectationibus sensuum seipsum quærere, & carnem fouere, noxium est.*

Qui naturæ oblectationes & commoda sectantur in videndo, audiendo, loquendo, conuersando pro sensuum desiderijs, quærendo item placere inuicem, prouocando mutuum amorem per munerum largitiones, per verba & opera, per gestus & nuntios: sectando etiam curiositatem, vanitatem & lautitias contra rationem, & absque iustâ necessitate in cibo, potu, vestitu, in habitus variâ, peregrinâ & lasciuâ specie, gratoque colore, & aliarum rerum multiplicitate, quibus putre carnis suæ cadauer paulò pòst vermium escam futurum, ornare gestiunt, quò diabolo & mundo placere queant: hi quamdiu in huiusmodi vitijs perseuerare volunt, longissimè adhuc à rectâ salutis suæ viâ aberrant.

8. *Displicet Deo, qui places hominibus modo non bono.*

Si propensum te senseris ad placendum hominibus, siue ob naturalem, quam Deus tibi dedit, pulchritudinem ac elegantiam manuum, oculorum, faciei, vel quorumlibet membrorum corporis, siue etiam ob scientiam aliquam, siue item in conuersatione, in loquendo, in gestibus ac moribus alios ad tui amorem illicientibus, quidquid eiusmodi in te deprehenderis, contemne, & odio prosequere. Nam si jn his propensioni tuæ sciens ac prudens cum consensu morem geras, fundus tuus impurus est & impudicus, tuque grauibus peccatis es implicitus. Planè, si placere etiam alicui religioso homini appetis, idque vel spiritali quadam sanctitatis specie, vel verbis subtilibus, vel benè confitendi arte & modo, vel humilibus institutis ac moribus, vel habitu neglecto atque contempto, aut quibuslibet alijs spiritualibus modis: si, inquam, in his tibiipsi places, & alijs voluntariè placere cupis amplius quàm Deo, iam falsus ac deceptus es: hoc enim spiritalis superbiæ fundum est, vnde grauia peccata emergunt.

9. *Subdola & ficta hypocrisis prorsus cauẽda.*

Omnem caue simulationem & hypocrisim: nihil omnino fictè agas, quò videaris ab alijs, aut sanctus credaris; sed sis verbis & actibus verax coram æternâ Veritate cælestis Patris Filio, nullum neque cognoscente, neque admittente in regnum suum, nisi simplicem & ab omni fuco vel fictione alienum. Etiamsi viuas in sæculo & opulentus sis, modum tamen ac medioctitatem in vestibus & alijs ad corpus pertinentibus pro tuo statu amplectere, vt nec nimiùm placeant hominibus, nec plus satis abiecta & contempta sint. Esto vbique benè moratus. *Medio tutissimus ibis.* Societatem omnem quæ te à Deo abstrahere, & ad vitia ac vanitates illicere queat, itidemque peccandi occasiones fuge & deuita. *Occasiones vitandæ.* Contemne mundum, & quidquid oblectamentorum is tibi præbere possit. Ama ac time Dominum Deum tuum. Sis prudens ac strenuus in cunctis operibus tuis, Deique honorem in illis purè quæras. Sis paratus & alacris ad bona quæque. Sis internus, diligens & deuotus in exercitijs erga Deum tuum. *Solida & interna pietas amplexanda.* Quamdiu virtutum actibus pro Dei honore das operam, & à peccatis abstines, tamdiu places Deo, atque in bonâ conscientiâ tamquam in amœnâ paradiso pacatus lætusque commorari potes.

10. *Integra obedientia humiliter etiam à contemplatiuis atque illuminatis custodienda.*

Si tibi in Monasterio degenti, & etiam singularem contemplandi gratiam habenti, demandentur officia, quibus Conuentui seruire cogaris, in his quæ vtilia sunt, & sine peccato fieri possunt, non temerè aut pertinaciter reluctẽris, sed in Deo sperans humiliter amanterque obedi. Et licet, dum te intrò recipere aut orare vis, impedimenta atque imagines ex rebus tibi commissis sentias; non tamen ob hoc desistere, nec tua officia resignare, neque teipsum exonerare debes, sed obedire vsque ad mortem Deo ac Prælato tuo: idque in omnibus rebus bonis ac honestis, & Cõmunitati vtilibus, quamdiu in tui erga Deum * introuersione timorem ac reuerentiam retinueris, & in tui extrouersione teipsum contempseris ac nihili pependeris, atq; ex verâ humilitate paruisceris, quidquid vel agere vel pati potes. Iam enim vitæ Domini Saluatoris, Scripturisque diuinis ac Patribus sanctis similior es quàm antè,

* Introuersio & obedientia in externis curandis non pugnant.

antè, habesque radicem veræ contemplationis & actionis, in cunctis virtutibus.

Oportet cũ omnibus pacem habere, & omnes in Deo amare.

II. Inter eos, cum quibus viuis, esto pacificus, & sustine patienter aliena onera atque defectus, neque alios curiosè obserues. Non sis propriæ deditus voluntati; sed cum alijs in omnibus rebus bonis concordiam secteris. Nemini exprobres, aut verbum nimis asperum vel mordax dicas, nec toruo seu amaro sis animo. Neminem spernas, neminem contristes aut premas, aut confundas, aut contumeliâ afficias, aut temerè iudices, nec cuiquam detrahas aut obloquaris. Quin potiùs omnes (nullo prorsus excepto) purè in Deo & propter Deum ama, inuideas nemini, neminem decipias, nec rancorem vllum retineas. Dilige hominem etiam peccatorem, sed eius peccata odio prosequere. Si inimicos odisti, perditus es, quia extra charitatem viuis. Quidquid à quouis patiaris, feras æquanimiter, & neque foris neque intus, nec verbis nec factis, nec voluntate te vlciscaris: & viuet in te spiritus Domini Iesu & omnium Sanctorum eius, qui etiam hostes suos ad mortem vsque complexi sunt. Igitur ei qui te læsit, iucundum & amicabilem vultum exhibe. Sis mitis & benignus, neq; pro vllâ re facilè contendas aut decertes, sed potiùs vinci ac superari te patiaris: magisque velis virtutem seruare incolumem, quàm retinere superbiam, contentionem, ac propriam voluntatem. Inter pios consodales positus, non singularis sed communis sis, & moderatè hilaris. Præbe te fidum, fauorabilem & paratum, prodesseque coneris singulis quibusque tuam desiderantibus operam, illaque indigentibus. Habe semper piam compassionem, & miserationem erga omnium ærumnas & necessitates, tam spiritales quàm corporales.

Nihil vlcisci.

Non contendere.

Nec singularitates quærere aut sectari; sed omnibus benè velle & benefacere.

Omni priuato & singulari amori aut affectui erga quemcũque renuntia.

12. Esto communis singulis quibusque, non autem speciatim cuipiam te deuincias: ita enim fiet, vt nullo immoderato mœrore conturberis si moriatur amicus, aut, te contempto vel posthabito, alium eligat. Vt igitur spiritus libertatem & veram inter te & Deum amoris exercitationem seruare, ac tui potens manere possis, dede te totum Deo, nec alicui te obstringas qui te ab illo possit retrahere: aut cui ipse cum amore & delectatione adhæreas, vel qui tibi adhæreat. Nullius, inquam, singularem expetas amicitiam, sed Deo contentus esto. Amore & intentione Deum prosequere supra omnia quæ ab eo condita sunt. Ama eum purè propter eum ad æternum ipsius honorem, non autem præmij causâ, neque ob commodum, aut gustum, aut consolationem: vera enim *charitas non quærit quæ sua sunt.* 1. Cor. 13.

Esto solius Dei proprius, & Iesu Christi pro te passi.

Immensæ Dei bonitati ac pietati confide: nec scire aut præscrutari velis, quid de te Deus acturus sit: sed te totum illi resigna. Neque cuiquam nisi ipsi soli vel viuere vel placere appetas aut coneris. Teipsum verò & mortales omnes hac intentione ama, vt quibuscumque potes modis eos ad Deum adducas. Elige Christum in gloriosum animæ tuæ sponsum: eumque excruciatum & vulneribus confectum cordi tuo imprime.

§. IV.

Humilitatis laus & exercitatio.

1. *Actus humilitatis semper exercendi.*
2. *Maximè enim præparant animam influentijs diuinis.*
3. *Eius ergo amore, officia infima libenter amplectere.*
4. *Consistit autem humilitas in verâ agnitione suæ indignitatis, & reuerentiâ diuinæ maiestatis.*
5. *Innocens patientia humilitatis est propria.*
6. *Descriptio humilitatis ex actibus illius sumpta.*
7. *Prompta obedientia humilitatis filia optima.*
8. *Humilitas omnium vitiorum victrix gloriosa.*
9. *Verè humilis erga seipsum est rigidus, erga alios benignus.*
10. *Gaudet rebus aduersis, indignum sese indicat prosperis.*

Humilitas & eius varij actus: Nemini se præfert.

Sis, quæso, paruulus & humilis, atque in imum submissus coram sublimi potentiâ & maiestate Patris æterni. Numquam alicui te præferas, sed omnes te meliores arbitrare. Opera vel exercitia tua nequaquam æstimes digniora aliorum operibus atque exercitijs; sed despice ac nihilipende teipsum & omnes actus tuos. Puta alios plus efficere innocenti cogitatione, quàm ipse efficias cunctis exercitijs tuis. In eisdem verò tuis exercitijs & in omnibus quæ ex amore siue agis siue omittis, non dulcedinem, non mercedem, nec quidquam nisi solum Deum petas vel exigas. Si consolationem diuinitus percepisti, non inde vanè glorieris, nec tibi placeas: sed humili & grato animo gratiam Dei recipiens, iudica te indignum omnibus Dei donis. Nec in illis quiescas, aut propriam voluptatem quæras, non illa tibi vsurpes vel attribuas, sed ea integrè in Deum refunde: neque enim aliquid ex teipso habes, nisi vitia & peccata. Si Dominus auferret à te gratiam suam, esses nimirum omnium hominum pessimus atque sceleratissimus. † Sanè ex Dei bonitate quæ te à ruinâ præseruat, & ex I.

Omnibus se postponit.

Non quærit se.

Non gloriatur de donis Dei.

Gratiã Dei agnoscit in omnibus.

† Plus Deo debet, & maiorem humilitatem præstare debet præseruatus & conseruatus in innocentiâ, quàm post lapsum in gratiam reuersus ex pœnitentiâ.

vir-

virtutibus quas tibi confert, præclariorem humiliandi te causam inuenis (si solerter attendere velis) quàm inueniat is, qui lapsus veniam atque indulgentiam à Deo obtinuit. Nam & intemerata Dei genitrix virgo Maria, cùm ab omni peccato sit præseruata, maiorem humilitatis rationem habet, quàm beata Maria Magdalena, quæ diuinâ bonitate à peccatis fuit liberata. Maius enim beneficium est aliquem à vulneribus seruare illæsum, quàm eum post inflicta vulnera curare.

2. *Humilitas animã Deo præparat & diuinis splẽdoribus per cõparationem vallis & solis.*

Sole summum cæli verticem obtinente, si qua vallis profunda sit, ipsa à sole eximie illustratur & ferax redditur. Eadem ratione, dum vir bonus in imo suæ residet paruitatis, agnoscitque se nec esse, nec habere, nec posse quidquam suis viribus, nec etiam perseuerare, nec progredi in virtutibus, sæpiusque in ijsdem ipsis virtutibus ac bonis operibus sese deficere & multa negligere sentit: intelligens hinc paupertatem & necessitatem seu indigentiam suam, vallem se efficit humilitatis. Et quia humilis est, & suam inopiam agnoscit, atque hanc diuinæ bonitati & misericordiæ piâ cum querimoniâ explicat ostenditque, interim & diuinam celsitudinem & suam attendens paruitatem, nimirum vallis profunda est. Christus verò Sol iustitiæ in supremo cæli vertice, hoc est, ad Patris sui dexteram constitutus, in huiusmodi humilis cordis fundum suos mittit radios atque splendorem, quibus illud fertile admodum reddit. Neque enim potest Dominus Iesus non moueri misericordiâ, quoties cum humilitate pias ipsi offerimus querimonias ac preces.

3. *Officia infima & contemptibilia libenter suscipit, exemplo Christi.*

Infima & abiectissima seruitia vel officia libenter exequaris, amore Iesu Christi, qui se humiliauit, & formam serui induit propter te, tibique triginta tribus annis inseruiuit. Si Imperatoris filius & totius orbis dominus esses, atque derelictâ regni gloriâ ad pauperis famuli conditionem te abijceres, seruiens Christo in membris suis; tunc meritò gauderes, tamquam cui ingens bonum & grandis honor obtigisset.

4. *Humilitatis est, suum nihil agnoscere, & Dei maiestatẽ venerari.*

Homo verè humilis propriam indignitatem ac vilitatem, suumque nihilum (id est, quòd nihil sit) funditus agnoscit: vt videlicet peccatis suis indignum se fecerit omni gratiâ & beneficijs Dei, dignum verò atque obnoxium cunctis illis pœnis, pressuris & afflictionibus, quæ possent illi à Deo & creaturis omnibus infligi. Quidquid charismatum & bonorum, quidquid gratiæ diuinitus adeptus est, se nullâ ex parte meruisse confitetur. Itaque & seipsum & omnia Deo omnipotenti ad illius offert honorem, vtpote quæ purè ex eius benignissimâ misericordiâ promanarunt. Nec ex aliquo Dei dono vel gratiâ effertur animo, siue sit scientia, siue sapientia, fortitudo, pulchritudo, diuitię, aut quiduis aliud: sed se omnibus Dei donis credit indignum, eaque non nisi ex merâ Dei bonitate sibi collata existimat. Ad hæc omni loco, quem vel sedendo, vel stando, vel iacendo occupat, etiam indignum se fatetur. Nihil enim omnino sibi tribuit, nisi quod ex seipso habet, nempe peccata, & multiplices culpas atque defectus suos. Et licet multùm se abijciat ac humiliet, nihil tamen aut parum sibi fecisse videtur. Siue ergo comedat, siue bibat, siue quiduis aliud agat, locum vilissimum in domo, nouissimumque in mensâ, & minimam cibi & potus portionem capit atque amplectitur. Breuiter in omnibus quæ ipsi necessaria sunt, abiectissimam portionem sibi optat cedere: quodque vel alijs mansit reliquum, vel ab alijs fastiditur, ipse lætus suscipit, nec ei nimis parum videtur: imò verò illo ipso se indignum iudicat, & nec meruisse, nec mereri illud à Deo se posse, sentit ex animo. In omnibus absque querimoniâ, murmure & impatientiâ viuit. Nouit enim de manibus Dei suscipere omnia, sicque de nullâ creaturâ queritur, quantumuis indignè aut iniuriosè ab alijs tractetur. Etiamsi alij eum perturbarent, expellerent, cæderent, confoderent, & ipsâ demum morte afficerent, numquam crederet se affectum iniuriâ, nec quidquam inde, vel de qualibet aliâ re cuiquam imputaret, atque ita etiam mortem ipsam benignè exciperet. Cuncta namque (vt dictũ est) de manibus Domini accipit, certus sibi & optima & vtilissima esse, quæcumque illo permittente ipsi euenerint. Nihil enim cuiquam præstat Deus, nisi quod ei sit optimum: quod ita certum est, sicut certum est Deum viuere.

Humilis omnia sua Deo accepta refert.

Præclara indoles humilitatis, & minuta ac obseruãda praxes verè humilium.

5. *Patientia virtus humiliũ peculiaris.*

Submissa humilitas, est supra omnem perpessionem innocens patientia, & vltra omnem afflictionem pax spiritus, & omnium aduersorum mitis ac mansueta tolerantia. Ipsa nimirum Sanctorum omnium simplicitas est, & cunctorum bonorum hominum constantia atque stabilitas, virtutumque omnium primum initium.

6. *Humilitatis definitio ex varijs actibus ac desiderijs humilium.*

Humilitas vera, est interna quædam & profunda cordis atque animi coram celsissimâ Dei maiestate inclinatio ac demissio. Verè humilis semper sese deijcit & aspernatur, semper submissionis abiectionisque amore tenetur. Et quia se per sui cognitionem ex animo contemnit, vult etiam haud dubiè ab alijs contemni ac vilipendi: nam

 nisi

nisi id velit, necdum reuerà se despicit, necdum verè humilis est, vt qui necdum abiectionem & contemptum sui amet. Itaque verus humilis, cùm per sui cognitionem sese nullo habeat in pretio, sed potiùs floccipendat: etiam dignus sibi ac benè meritus videtur, quem & mortales omnes despiciant. Sicut enim superbus maximè lætatur, quando præcipuus ei habetur honor: ita qui ex fundo humilis est, ibi potissimùm gaudet, vbi maximè deprimitur & contemptui habetur: in hoc enim spiritalis gustus & amor præcipuè abundat.

7. *Obedientia & resignatio, filiæ humilitatis.*

Verè humilis, Deo, & cunctis apud quos viuit, libenter obedit, quatenus in hoc pacem, virtutemque & suæ proprietatis mortificationem consistere aduertit. Mox vbi aliquid ei iniungitur, promptus atque paratus est omnibus: & quod agit, non ad placendum hominibus, sed pro solâ Dei gloriâ facit. Quidquid ei præcipitur, totum de manu Domini suscipit reuerenter: vnde & si fortassis ex se melius aliquod opus inchoasset, citra tamen difficultatem ipsum intermittit, dum ei aliud imperatur. Plus enim ei obedientia in opere paruo, quàm propria voluntas in magno, sapit. Nihil itaque, quamlibet magnum, cum inordinatâ proprietate agit aut possidet, cùm semper illud (Deo & hominibus aliud exigentibus) hilariter dimittere sit paratus. Et profectò vel minimum aliquod opus ex obedientiâ & resignatâ voluntate factum, qualecumque illud fuerit, multò melius Deoque acceptius est, alio quamlibet magno opere sine obedientiâ secundùm propriam voluntatem peracto. Gratior enim Deo obedientia est, quàm victimæ. Dum ergo humilis homo Iesu Christi fidelissimi amatoris sui obedientiam perpendit, attendens vt ille Rex regum, & Dominus dominantium, ad mortem vsque crucis obediens ac resignatus fuerit, alacriter inclinat se non tantùm sub Deo & Superioribus suis, verùm etiam sub cunctis hominibus, qui quantò inferiores sunt, tantò sub eis subiectio ampliùs sapit. Talis nimirùm propriam voluntatem, propriumque iudicium & sensum in omnibus (quando in hoc virtutem intelligit sitam esse) mortificat & abijcit.

Humilis obedientiæ meritum.

1. Reg. 15. *Discat homo humilē obedientiā ex cruce Iesu Christi.* Philip. 2.

8. *De omnibus vitijs tentationibusq; triūphat humilitas.*

Sola humilitas apta est cuncta hostium certamina dissipare, & omnia in suos vsus inflectere. Si enim humilis quispiam aduersâ laboret valetudine, agit gratias Deo, & de eius manibus id accipit. Si sit incolumis, etiam gratias agit Deo, & tantò studiosiùs diuinum exequitur cultum ac famulatum. Si contemnatur, itidem Deo gratias agit, cogitans id eum permittere, ne se extollat; multoque maiori se contemptu dignum esse, quàm ab aliquibus possit affici. Si honor ei habeatur, dolet, & indignum se sentit, tantoque ampliùs se contemnit: vel putat ob suam infirmitatem id Deum permittere, ne plus æquo diffidat.

9. *Humilis sibi seuerus, alijs benignus & indulgens.*

Verè humilis erga seipsum astutus & callidus est; vt ea bona quæ habet, tegat & extenuet, ac culpas suas, etiam leues, magnipendat & prodat, quantum in ipso est: erga proximos verò benignus & pius est, vt eorum etiam exiguas virtutes magnipendat, & maiores culpas extenuet; puta vel intentione, vel infirmitate eos excusando, aut asserendo quòd Deus permiserit salutis eorum causâ, quodque ipsæ culpæ magno eis adiumento quandoque erunt ad seipsos humiliandos, & ad studiosiùs feruentiusque Deo seruiendum: vel etiam persuadendo sibi multò grauiùs se fuisse casurum, si tam acriter esset impugnatus: gratiasque agendo Deo, quòd se à tam infestâ tentatione seruauerit.

10. *Lætatur in tribulationibus; indignum se iudicat cōsolatione.*

Verus * humilis semper agnoscit se miserum peccatorem esse, seque nihil habere, nihil posse, & nihil velle boni, absque auxilio & gratiâ Dei. Vnde & intus cum Publicano clamat: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Non vult humilis videri, sed vilis: in rebus prosperis ingemiscit, lætatur in aduersis: rerum affluentiâ affligitur, plorat in delicijs: cruciatur sublimitate, gaudet penuriâ: laudes contemnit temporarias, omni honore se indignum arbitratur: fugit simulationem, amat veritatem: rerum transitoriarum obliuiscitur, æterna concupiscit. Non solet iactare sese, aut de se præsumere. Gratiam & vires quas habet, non sibi adscribit, sed fatetur humiliter dona cuncta ex Dei benignitate proficisci. Semper latare & nesciri appetit, modò id posset absque proximorum detrimento fieri, ne vel tenui iactantiæ aut superbiæ labe aspergatur. Refrenat sensus suos. Continens est ac circumspectus in verbis. Omnes homines sincerâ & communi quadam dilectione complectitur. Denique, cùm fundamentum veræ humilitatis habeat, cuncta ad vitam rectè sanctèque instituendam necessaria, facilè cum gratiâ Dei inuenit ac seruat.

Lucæ 8.

* Verus & pius humilitatis sectator discat hic varios actus ex corde humili procedentes.

§. V.

De consolationibus & desolationibus internis.

1. *Interna derelictio de manu Dei gratanter est acceptanda.*

2. *In statu desolationis nullum aliud solatium, quærendum, quàm conformitas cum beneplacito Dei.*

3. Dul-

3. *Dulcedo datur inchoantibus, subtrahitur proficientibus.*

4. *Vera siquidem deuotio non est in illâ dulcedine, sed in sanctâ resignatione.*

5. *Quantum possit propriæ voluntatis abnegatio in ariditate internâ.*

6. *Petenda potiùs est conformitas cum voluntate Dei, quàm interna dulcedo.*

7. *Resignatio propriæ voluntatis gratissimum Deo sacrificium est.*

8. *Sola reddit hominem diuini amoris securum.*

1. *Ariditas spiritualis pro Dei amore toleranda cum resignatione animi.* SI quando sentias naturæ torporem, mœstitiam, & graue pondus, teque gustu, appetitione, & impulsu erga res spirituales destitutum, itemque miserum, inopem, desolatum, atque sine vllâ consolatione relictum esse à Deo, & quodam erga quæuis tam externa quàm interna exercitia tædio laborare: nihil hinc animo consterneris, sed Domini manibus te permittens ac resignans, illius ores fieri voluntatem, & quod ad eius sit honorem. Crede mihi, hæc atra ac tristis nubes propediem dissipabitur, & lux splendorque radiantis solis (qui est Dominus noster Iesus Christus) maiori cum gratiâ & consolatione te perfundet atque illustrabit quàm vmquam anteà, atque hoc ipso senties te diligi à Deo, teque illi placere.

2. *Non quærantur tunc humana solatia, sed conformitas dumtaxat cum Christo crucifixo, & Dei voluntate.* [a] Quando nobis Deus præsentiæ suæ consolationem subtrahit, adeoque se à nobis elongat, ac si inter ipsum & nos densissimus murus interpositus sit; quando item nos in angustijs, afflictionibus ac miserijs nostris veluti relinquit (sicut Christus à Patre suo relictus fuit) &, perinde quasi nos confugientes ad se neque videre neque audire vellet, solos certare finit: tum in ipsâ nostrâ desolatione immobiles permanere, & in nullâ mortali creaturâ vel negotio solatium quærere debemus, nisi illo dumtaxat verbo, quod & Christus ipse dixit, *Fiat voluntas tua.* Hoc verbum & iucundissimum & Deo gratissimum est. Beatus qui illud ex animo tunc dicere potest.

Psal. 21. Marc. 15. Matth. 26.

3. *Consolatio datur inchoantibus, vt animosè pergant.* Sæpè Deus saporem ac dulcedinem spiritualem pro suâ pietate largiri solet, vt hominem ad altiora prouocet, & in vitæ contineat integritate. Dum verò is, cui illa conferre solebat, in verâ dilectione proficit, illam dulcedinis instillationem subtrahit.

4. *Vera deuotio in quo consistat.* Verissima deuotio sita est in verissimâ resignatione, abnegatione, nihilipensione, & annihilatione suiipsius. Hanc habet, quisquis diuinâ fretus ope, Deo semper inhæret per amorem, idque perinde in penuriâ, vt in abundantiâ; in mœrore, vt in gaudio. Itaque qui in quibuscumque euentibus integrâ cum pace Deo vnitus permanet, is quid sit vera & interna vita, veraque deuotio, perspectum habet.

5. *In desolationibus abnegatio propriæ voluntatis quantum possit.* Si quis magnopere cuperet diuinam intra se consolationem, Deique præsentiam instar aliorum piorum hominum sentire, Deus autem hoc illi negaret, & ille hac in parte se totum pro Dei gloriâ, diuino beneplacito resignaret: multò veriùs ei hoc ipsum præstaretur, quàm si sensibiliter idem percepisset. In propriæ siquidem voluntatis abnegatione centuplo plus gratiæ ac præmij est, quàm in ipsâ sensibili consolatione, in quâ proprietas retinetur.

6. *Conformitas cum Deo omni dulcedini internæ præponitur.* [b] Qui veræ perfectionis amans est, non à Deo solatium internum, non hoc aut illud præcipuè postulare, sed eius gratissimam voluntatem votis omnibus expetere debet. Licet enim illa alia peti possint in gratiâ, immoderatiùs tamen ea appetere, imperfectio est. Planè super omnia Deus à nobis exigit, vt nostram voluntatem illi penitus offerentes, permittamus ipsum facere quidquid volet. Et per hoc verâ pace in omnibus gaudemus.

7. *Sacrificium resignatæ voluntatis.* Multò acceptius Deo est, vt cum Apostolo ex animo dicamus: *Domine, quid me vis facere?* quàm si mira quædam ex voluntate propriâ pro illius amore nos libenter facere velle dicamus: super omnia namque quæ vel dicere vel facere possemus, hoc à nobis maximè exposcit Deus, vt intus in corde dicamus: Domine, fiat gratissima voluntas tua. Inter omnes preces quas Christus in hoc mundo fudit, illa summa & excellentissima fuit, quam imminente passione fecit, dicens: *Pater, non mea, sed tua voluntas fiat.* Per illam voluntatis ipsius, secundùm humanitatem, resignationem, nos omnes (si tamen velimus) salui facti sumus. Iucundum quidem est, dum pro gratiâ & virtutibus oramus, obtinere à Deo quod petimus: multò tamen delectabilius atque vtilius est, potissimo Dei beneplacito se resignare.

Act. 9. Matth. 26.

8. *In verâ resignatione est plena securitas.* Non est aliquid quod hominem securum aut verè iustum reddere queat, donec propriæ renuntiet voluntati: quod quamdiu non facit, nihil profectò apud Deum (quod quidem ad perfectionem attinet) profecisse se nouerit, tametsi hoc aut illud etiam cum gratiâ eligere possit, modò Deus omnibus anteponatur. Vbi autem ad hoc peruenerit, vt seipsum ex toto resignans & offerens Deo, omnia propter ipsum intus ac foris pati aut subire paratus sit; tunc reuerà cum ipso benè agitur, & non antè.

[a] Hæc & affinia ex alijs iuuabit Lectorem legisse apud R.P. Ieremiam Drexelium Heliotropij lib. 5. cap. 12. § 3.

[b] Ab hoc loco vsque ad §. VI. num. 3. hæc Blosiana documenta resignationis voluntatis nostræ in diuinam adfert & exornat R.P. Ieremias Drexelius Heliotropij lib. 5. c. 12. § 2.

§. VI.

§. VI.

Excellentia resignationis & conformitatis voluntatis nostræ cum diuinâ.

1. *Perfectio vitæ in hoc consistit; vt velimus id omne & solum quod vult Deus.*
2. *Vnde minima opera resignati magis placent Deo, quàm maxima à voluntate propriâ profecta.*
3. *Summa legis Euangelicæ, seipsum deserere, & Christum sequi.*
4. *Pati pro Deo, dulcissimum est.*
5. *Iustitiam Dei non aliter ac eius misericordiam diligere, perfectorum est virtus. De quâ re videnda est meditatio S. Bernardi Serm. 52. inter paruos Sermones.*

Perfectio spiritualis vitæ in hoc sita est, vt vnum & idem cum Deo velis.

1. BONA voluntas, virtutum omnium fundum siue fundamentum est. Vnius autem esse cum Deo voluntatis, id virtutes omnes excellit, & in hoc perfectio est. Quisquis enim ita bonâ præditus est voluntate, vt sese abneget, ac propriæ renuntiet voluntati, seque liberrimè resignet ac dedat voluntati Dei; eius bona voluntas est perfecta, idemque absque formidine & anxiâ sui curâ vitam transigit, caducaq; ac labentia cuncta proculcauit, & de vitâ æternâ obtinendâ quamdam se sentit habere certitudinem. Eiusdem in omnibus cum Deo voluntatis est, & pacem habet cum Deo & in Deo imperturbabilē. Hic ex Deo natus & verus Christi discipulus est: quia mitis est & humilis corde. Moderatè, suauiter ac tranquillè ferre nouit & verba aspera, & truces gestus, sæua opera, & quidquid demum iniuriæ, siue in ipsum siue in amicos eius conferri possit. Sedatè inquam & æquanimiter tolerat omnia quæ ipsi vndecumque, siue à Deo, siue à creaturis quibuscumque accidere queant. Eum perturbare nihil potest, neque iactura terrenarum rerum, vel amicorum & cognatorum, neque corporis aduersa valetudo, neque ignominia, neque mors, neque vita, neque Purgatoriū, neq; dæmon, neq; infernus. Quia enim ex vero amore diuinæ se permisit atque resignauit volūtati, & nullius mortiferi peccati conscientiâ mordetur, facile illi toleratu est, quidquid de eo fieri mandat Deus in [a] tempore atque æternitate. Itaque cùm aliquid patitur, & in omni rerum euentu, ita cogitat ac dicit: *Domine, sicut ipse ab æternitate, antequam ego essem, voluisti, ita fiat, & non vt ego volo. Non meum commodum, non meam oblectationem quærere debeo, sed tuum honorem & tuam laudem. Gratior mihi est tua sancta voluntas, quàm optandi libertas. En igitur meipsum dedo, resigno, & permitto tibi Deus meus, non in tempore modo, sed etiam in æuum sempiternum.*

Ioan. 1.
Matth. 11.

2. Plurimi sunt qui hunc aut illum viuendi modum, hæc aut illa bona appetant: sed plerumque totum quod agunt, ex propriâ voluntate procedit. Qui autē integrâ resignatione omnem voluntatem suam in Deum transfudit, atque in ipso firmauit, is omnia quæ illi Deus in tempore vel æternitate euenire voluerit, libens suscipit, suamq́ voluntatem diuino beneplacito in omnibus conformat. [b] Itaque nihil equidem dicere dubitem, vel vnicam Salutationem Angelicam, cum suiipsius abnegatione, ad perpetuā gloriam Dei prolatam, meliorem vtilioremque esse etiam multis Psalterijs ex propriâ voluntate seu cum proprietate perlectis.

Opus minimum resignati animi præstat maximo ex propriâ voluntate perfecto.

3. Dominus noster Iesus Christus id doctrinâ & consilijs suis in nobis efficere voluit, vt neque prospera, neque aduersa, nos inordinatè afficiant aut permoueant, sed ab his absoluti & expediti vitam internā, puram atq; sedatā agamus. Sicut enim cuncta Dei mandata eò spectant, vt vitiis omnibus vale faciamus, eaq; superemus, & ex verâ obedientiâ ob honorē Dei nos totos ad exequendas colendasq; virtutes liberè offeramus: ita omniū consiliorum Dei summa hęc est, vt nosipsos deseramus ac vincamus, totosque Deo dedamus, & Christum sequamur, internę sanctęque tranquillitati & quieti operam dando.

Euangelicæ legis compendium, abnegare seipsum, & Christum sequi.

4. Non potest fieri, vt aliquis pro Dei gloriâ quidquam sustineat, quin in eo ipso quod patitur, saporem quemdam Diuinitatis percipiat. Et licet nihil fortassis illi sentire, id est, sensibiliter gustare contingat (Deo se ad tempus occultante;) hoc ipso tamē non potest non benè illi quod patitur sapere, quòd se illud ad æternam Dei gloriam ferre velle cognoscit. Sed obsecro, cur hæc dicuntur, nisi vt hi qui in afflictione siue mentis obnubilatione positi sunt, illis vti conentur?

Dulce est animæ amanti pro Deo pati.

5. Si quis eò pertingere posset, vt Dei erga se iustitiam perinde vt misericordiam exosculare tur ac diligeret, is reuerà peccatorū suorum omnium atque etiam pœnarum illis debitarum tam facilè plenam obtineret veniam, [c] quàm facilè vna aquæ guttula in ardenti fornace consumitur. Nec in hoc grandis situs est labor, sed potiùs gaudiū ingens: multò enim iucundius est diuinæ se permittere vel resignare iustitiæ, quā misericordiæ, eò quòd maior in illo sita sit mortificatio.

Iustitia Dei perinde vt misericordia diligenda.

[a] Resignatio & conformitas voluntatis nostræ cum diuinâ non tantùm est habenda pro rebus temporaneis in hac vitâ, sed etiam pro æternis in alterâ, saluâ semper Dei gratiâ in statu charitatis.

[b] Sic ferè Isaias cap. 1. sacrificium vocat abominationem; & cap. 58. dicit Deus, ieiunia Iudæorum sibi displicere, quia, *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Est enim voluntas nostra, bonorum operum lepra, teste B. Bernardo, quem vide Ser. 3. de Resurrect. & 71. in Cantica.

[c] Nempe ob excellentem actum perfectissimæ charitatis, è quâ tam heroica resignatio oritur, & interdum sufficiēs esse potest ad tollendū reatum pœnæ; vt passim docent Theologi: Estque talis actus in viro perfecto consolatione plenissimus.

§. VII.

tio, in vita spirituali vtilissima.

§. VII.

De introuersione, & simplici intentione & Dei præsentia.

1. *Quomodo acquiratur stabilitas mentis.*
2. *Introuersio ad Deum seruanda in omni opere; & tunc extrouersio ad opera pia non nocet.*
3. *Simplex intentio quantum exornet omnia opera nostra.*
4. *Meditatio continua vita Christi.*
5. *Sacerdotum bonorum excellentia.*
6. *Te itaque omnia Deo donans, plura ab eo accipies.*
7. *Christus vbique circumferendus.*
8. *Cælestis vita perfectorum, qui seipsos abnegant in omnibus.*

1. *Mentis stabilitas quibus modis acquiratur.*

QVI ad solitudinem, vnitatem, stabilitatē tranquillitatemq́; cordis & mentis peruenire vult, cumprimis danda ei opera est, ne superfluis inordinatisq́ue curis se implicet, néve aliorum mores aut viuendi rationem curiosè exploret, nec facta aliorum iudicet, etiam si quidpiam vitij in alijs sibi deprehendere videatur, sed potiùs excusare & in melius interpretari conetur, relinquens omnia Deo iudicanda. Maximè verò & super omnia caueat, ne alios per dedignationem aspernetur.

2. *Introuersio per puram intentionē seruatur.*

Qui nouit habitationem suam & refugium facere in Deo ac Domino nostro Iesu Christo, huic cogitationes incidentes aut peregrinæ imagines officere non possunt. Sanè, qui per charitatis officia & opera foras ad proximos ita se recipit, vt tamen per simplicem intentionem seruet sui introuersionem & vnitatem in Deo, longè excellentior, & Domino Iesu vicinior similiorq́ue est, quàm ille, qui soli contemplationi & introuersioni vacat absque sui extrouersione per charitatis actiones, si tamen sui iuris sit, & proximus indigeat eius operâ.

3. *Intentio simplex quid, & quanti meriti.*

* Inter septem emolumēta rectæ, puræ & simplicis intentionis, ex varijs Auctoribus collecta hoc adfert quartum ex Blosio R. P. Ieremias Drexelius lib. 2. Amussis cap. 6. quæstiunculâ 9.

* Simplex intentio ea est, quæ nihil spectat nisi Deū, & omnia in ordine ad Deum. Ipsa virtutum omnium finis, initium, decus & ornamentum est. Ipsa fictionem, hypocrisim & duplicitatem omnem pellit: vires animæ dispersas in vnitate spiritus colligit & adunat, ipsumque spiritum Deo adiungit. Ipsa naturam pessum premit atque proculcat, virtutesq́ue omnes incolumes conseruat; & pacem, spem atque confidentiam in Deum tam hic quàm in die iudicij præstat. Quamobrem danda tibi opera est, vt in cunctis actionibus tuis illam retineas & colas.

4. *Vita Christi meditanda.*

Recipe te intra te, & Christi dignissimam vitam, acerbissimos cruciatus, ignominiosissimamq́ue mortem meditare, atq; quantum maximè potes cordi tuo imprime. Non solùm attendas quid egerit ac perpessus sit, sed etiam quis & quantus sit ipse, & quòd omnia propter te tam exiguum ex immensâ fidelitate atque charitate fecerit ac tolerarit. Contemplare, quæso, cum affectu, Vulnera quæ Dominus Iesus pro te ex amore suscepit: atque hîc pascêris & reficieris. Christus enim & cibus & potus, & vita, & victoria, & corona tua est: suo te mercatus est Sanguine, & dissoluit debitum tuum morte suâ, lateq́ue expandit brachia sua, in quę tu confugere debes, & ipse à cunctis hostibus te muniet ac tuebitur. In patulo latere eius, vnde omnes gratiarum promanant riui, commorare: vt in amantissimo corde illius viuas, in quo est sancti Spiritus & æternæ charitatis plenitudo. Obsecro, libenter te exerce in passione Saluatoris, & ipse omnem te edocebit veritatem.

5. *Sacerdotes boni describuntur, & laudantur.*

Boni Sacerdotes, sancta sunt vasa cælestibus repleta donis. Hi Dominum Iesum suis impressum atque insculptum cordibus gerunt: eius passionem, mortem, fidelitatem & amorem in suâ memoriâ exercent. Medij intercedunt inter Deum ac miseros peccatores. Sunt benigni, humani, & mites erga omnes opis ipsorum indigos: sunt item casti ac mundi in animâ & corpore: sobrij quoque sunt ac moderati in omnibus vitæ sustentandæ necessarijs. Iesum excruciatum & ex amore mortuum, cælesti eius Patri pro cunctis viuis & defunctis offerunt. Intimâ cum deuotione precătur & poscunt omnipotentem Deum pro omni sanctæ Ecclesiæ vtilitate ac necessitate. Nulli placere speciatim appetunt, alicuius rei temporariæ aut solatij obtinendi causâ: sed in commune honorem Dei & mortalium omnium salutem desiderant.

6. *Redde Deo te tua omnia, & te totū trade Vulneribus Christi.*

Da Christo dilecto tuo totum id quod es, quod habes, & quod potes; atque hoc facito corde libero ac liberali: sic enim ille vicissim tibi dabit quidquid est, habet & potest: quâ die nulla vmquam tibi illuxit lætior. Nam patefaciet tibi gloriosum atque amantissimum cor suum, patefaciet intima animæ suæ penetralia plena glorię, gratiæ, gaudij, ac fidelitatis. Patulum lateris eius vulnus porta tibi erit & introitus in vitalem (qui ipse est) paradisum: vbi fructum gustabis vitæ æternæ. Nam Christus Iesus vitalis noster paradisus est: quandoquidem in ipso & ex ipso sempiternæ salutis fons emanat, atque ex eius Vulneribus balsamum fluit, morborū omnium medicina: cuius tam fortis odor est, vt omnes tartareos repellat serpentes, excitet mortuos in peccatis, & gratiâ vitam-

vitamque præstet sempiternam. Ceterùm in intimis Domini Iesu medullis manát flumina, omni (qui quidé excogitari possit) sapore ac suauitate dulciora: in quæ si tibi datū erit ingredi, eaque gustare ac sentire, nullo negotio mundum, teipsum, & omnia vinces.

7. *Vbiq; Christus inspiciēdus amoris oculo, ac si semper nobis adesset.*

Sicut dum quis acriter sitit, licet sub ipsâ siti alia agat & cogitet, potus tamen imago ab eius memoriâ non recedit quamdiu sitis permanet: ita qui magno Dei & Domini nostri Iesu Christi desiderio tenetur, facilè præsentiæ eius imaginem in omnibus intra se circumfert. Nam & qui aliquid in tantum amat, vt nihil eum aliud afficiat, nullâ occupatione impeditur, quò minùs eiusce rei tam charæ speciem & similitudinem præsentem retinere possit. Vbi enim amor, ibi oculus & cogitatio. Frequenter occurrat animo necesse est, quod quis diligit, quodq; potissimùm colere & exercere solet, & quod in eius pectore viuit.

8. *Abnegatio vitam cælestem facit.*

Qui seipsos ex amore abnegant & vitijs moriuntur, qui Deo ac virtutibus viuunt, qui mundum contemnunt eiq; valefaciunt, qui omni amori terreno nuntiū remittunt, & Deum ac Dominum suū in illius regnum cum amore subsequuntur, hi vitam agunt cælestem, & plerique taliū crebrò in Deum excedunt ac rapiuntur. Christus enim in eis excellentissimo modo viuit Deus & homo; * sicque fit vt imaginibus prædití, & etiam imaginum expertes sint: prædití siquidem siue depicti sunt imaginibus vitæ ac passionis Domini Iesu, virtutumque omnium; in spiritu autem suo à rerum omnium simulacris prorsus liberi & nudi sunt, atque ob hoc ipsum in diuinam sunt transformati claritatem. Sicque & egredi & ingredi possunt, & vitalia semper inuenire pascua. † Egrediuntur quidem humanitatis Christi imaginibus depicti, ad bonos mores, ad exercitia sancta, ad colendas virtutes omnes: ingrediuntur verò cum eiusdem Domini Iesu spiritu, absque imaginibus, in Diuinitatem; atque inibi æternam reperiunt & possident veritatem, opes infinitas ac inexhaustas, gustumque & consolationem longè maiorem quàm vel comprehendere vel capere sufficiant. Nam hic gustus tam ingens ac immensus est, vt illis qui eum percipiunt, cælum, terra, & quæcumque in eis sunt, præ illius magnitudine colliquescere, & in nihilum redigi posse videantur. Ita nimirum isti quadam futuræ beatitudinis prælibatione donantur à Deo.

*Qui seipsos abnegāt, sunt velut tabulæ rasæ ac nudatæ terrenis imaginibus, ad excipiēdam imaginem vitæ & mortis Iesu Christi. Ioan. 10.

† Mysticæ Theologiæ studiosus extrouersus ad opera pietatis, vel introuersus ad excessum & raptū mentis, seu imaginibus vtatur, seu non vtatur, seu occupetur in imitatione humanitatis Christi, seu in intimâ aut etiā exstaticâ contemplatione Diuinitatis absorbeatur, semper vitalibus pascuis ex Dei præsentiâ fruitur, cum inenarrabili consolatione.

§. VIII.

De Beatitudine & Gloriâ cælesti, miseriâque infernali.

1. Visio Dei est in beatitudine premium essentiale, premium accidentale multiplex.
2. Ætas ac dotes corporum resurgentium.
3. Status mundi huius elementaris renouandi post resurrectionem.
4. Omnium sensuum iucunditas in beatitudine cælesti.
5. Miserrima damnatorum conditio.

BEATITVDO nostra in eo sita est, vt post hoc exilium in gloriosum Dei regnum translati & assumpti, Deum clarè cognoscamus, amemus, ac æternâ fruitione possideamus. Etenim Deus præmium essentiale est: quod vbi nacti erimus, tum omnia summo ac excellentissimo modo perfecta & consummata erunt. Tunc namque gloriosissimam Trinitatem vnum Deum æternùm videbimus, & intimâ cum appetentiâ ac delectatione amabimus, & sine vllâ defatigatione laudabimus. Ipsum Dominum Deum nostrum possidebimus, & vicissim ab illo possidebimur in vnitate. Colliquescemus ac defluemus in inexhaustam Diuinitatis abyssum. Deo perfruemur, & illi vniti, cum ipso in beatitudine quiescemus: quæ quidem inenarrabilis fruitio, & quies in superessentiali Diuinitatis substantiâ, altissimum beatitudinis fundum est. Singuli autem Sancti suum speciale præmium habebunt pro dignitate & sanctitate suâ. Nam tametsi gloria Dei communis erit omnibus, singuli tamen pro suâ mensurâ haurient. * Præmium verò accidentale tam erit multiplex, quot erunt Beati. Vnusquisque enim de aliorum beatitudine perinde[1] vt de propriâ gaudebit & gratulabitur. Vnusquilibet omnes cæli ciues plenè[2] cognoscet: & cum Domino Iesu, cum dulcissimâ eius genitrice Mariâ Virgine, cum beatis spiritibus Angelicis, ac Sanctis omnibus perenniter, familiariter, iucundissimeque viuet. Erit[3] in beatâ illa vitâ perfecta charitas, & humillima suauissimaque concordia. Erit[4] & omnimoda sapientia: siquidem cognitum perspectumque habebimus quidquid volemus. Erit[5] etiam omnimoda potestas: quandoquidem Reges ac Reginæ erimus, & filij Dei; & quidquid libuerit faciemus. Erit[6] prætereà omnigena opulentia, eaque longè vltrà quàm capere possimus nos inundabit. [7] Adhæc, erit pulchritudo sempiterna & immarcescibilis, itemque[8] æterna & imperturbabilis pax. Denique erit ibidem om-

1. *In beatitudine Dei visio, vnicum præmium est essentiale; at accidentalia multa sunt.*

*Duodecim hic numerantur præmia beatitudinis accidentalia.
I. Societas gratulabunda;
II. Iucundissima notitia;
III. Mutua charitas;
IV. Sapientia;
V. Potestas;
VI. Opulentia;
VII. Pulchritudo;
VIII. Pax;

ix. Voluptas; x Immortalitas; xi. Absentia omnis molestiæ; xii. Præsentia omnis lætitiæ.

omnium affluentia diuitiarum, omnigenarū [9] influxus deliciarum, omnis boni accessus, atque [10] florida iuuentus, omnis expers mortalitatis. Nihil ibi [11] erit quod quemquam malè habere aut molestiâ afficere queat; abundabit autem [12] quidquid posset adferre lætitiam. Planè istud gaudium, ista lætitia & abundantissima beatitudo, tam ingens, tam multiplex, tam inexhausta erit, vt nec enumerari, nec mensurâ comprehendi, nec cogitari, nec scribi, nec verbis exprimi, nec vlla demum ratione ostendi satis queat. Maior est enim & cumulatior, quā vel spe, vel desiderio, vel cunctis simul viribus nostris capere possimus: enimuerò Deus ipse incomprehensibilis & immensus, nostrum vult esse præmium, nostrumque gaudium.

2. *Dotes variæ & actus corporis gloriosi.* Ephes. 4. *Aetas. Statura. Integritas.*

Sciendum autem est, quòd in nouissimo die omnes resurgemus in ætate, quâ fuit Dominus noster Iesus Christus cùm propter nos moreretur. Senex centum annorum, & infans noctis vnius, eiusdem staturæ erunt. Et licet boni quidam hîc sint claudi, vel cæci, aut deformes, sed tunc cum membris omnibus sani, integri, candidi, formosi, absque aliquâ maculâ resurgent, sicut & corpus Domini nostri Iesu Christi. *Claritas.* Itaque corpora Beatorum gloriosa erunt, & septuplo sole clariora, animarum gloriâ sese per illa diffundente: *Impassibilitas.* erunt etiam adeò impassibilia, quòd omnis inferorum ignis, & quotquot vmquam fuère enses, nec minimo ea vulnere aut nocumento poterunt afficere: *Agilitas.* tantâ item agilitate ac leuitate prædita erunt, quòd vbicumque anima esse debebit aut volet, mox ipsa in momento suum secum corpus eò adducet: *Subtilitas.* & tam erunt subtilia, vt etiam murum æneum centum milliaria latum & crassum minori negotio sint penetratura, quàm solis splendor vitrum penetrat.

3. *Mundi corporei renouatio post diem iudicij nouissimum, in cælo & terrá.*

Vt verò mundus iste gloriosorum corporum quamdam obtineat similitudinem, vtque homines beati secundùm sensus externos eius pulchritudinem contemplentur, cæli post extremum iudicium maiorem assequentur claritatem quàm modò habeant. Sol Orientem, & luna Occidentem, vbi conditi fuerunt, occupabunt. Aër plus habebit luminis, quàm iam habeat: siquidem sol & luna & stellæ erunt septuplo lucidiores quàm nunc sint. Non erunt deinceps vllæ nubes, neque grandines, neque pluuiæ, nec venti, neq; fulgura, neque tonitrua: nox itidem esse desinet, succedente perpetuâ die & luce, siue claritate. Aqua purior magisque perspicua erit, quàm nunc sit. Terra etiam tamquam crystallus perspicua, & vt palmus plana erit. Atque ita cælum & terra transi- *Lucæ 21.* bunt quidem, sed non penitus interibunt, quin potiùs multò excellentiùs renouabuntur ad perennem lætitiam nostram.

4. *Obiecta sensuum beatificatorum in gloriá.*

Igitur cæli, * terræ, & elementorum omnium pulchritudinem elegantiamque conspiciemus. Ipsis etiam corporalibus oculis nostris Dominum Iesum, eiusque beatissimam genitricem semper virginem Mariam vnaque Sanctos omnes contemplabimur. Internis autem oculis contuebimur diuinæ sapientiæ speculum, in quo quidquid vmquam factum est quod nos exhilarare queat, relucebit.

** Quæ erit, & vnde, voluptas in Beatorum oculis ac visu.*

* Et sicut externis oculis gloriosam Christi faciem videbimus, ita etiam externis auribus gratissimam atque dulcissimam illius vocem audiemus. Inde verò cor, omnesque sensus nostri gloriâ eius complebuntur, ita quòd præ gaudio & amore nos in eum, ipseque in nos colliquescet. Audiemus item corporis auribus melodiam suauissimosque cantus Sanctorum. Internis verò auribus verbum Patris auscultabimus, & in eo scientiam ac veritatem omnem percipiemus.

** Quæ in auditu.*

* Præclarissimus quoque sancti Spiritus odor nos pertransibit, omni balsamo & quibuscumque aromatibus longè suauior: isque nos extra nosipsos in ęternā Dei trahet ac rapiet charitatem.

** Quæ in olfactu.*

* Abundè etiam & perfectè gustabimus sempiternam Dei bonitatem omni melle dulciorem: eius perpetuâ tenebimur fame ac siti, eaque nos iugiter pascet & cibabit, atque per corpus & animam perferetur ac penetrabit, sicque fiet, vt perennem sitim ac esuriem etiam perpetuus gustus & cibatio comitetur, semperque renouetur, quæ est vita æterna.

** Quæ in gustu.*

5. *Damnatorū miseria, & horrenda & æterna.*

Ceterùm malis & damnatis omnia euenient felicitati ac gloriç iustorum contraria. Ipsi enim in ignem æternum, in tenebras exteriores, in puteum abyssi mittentur demergenturque, & sempiternis inferorum tormentis cruciabuntur. Recipient quidem in nouissimo die corpora sua; sed ea erunt tetra, deformia, fœtida, & plumbo grauiora. Post iudicium, tartarus illos omnes, & quidquid in mundo fœtoris ac spurcitiei est, in se recipiet: claudeturque supernè & obstruetur instar ollæ, vnde posteà nullus vmquam neque dæmon neque homo egredietur. Ibi *Ioel. 2.* erit perpetua miseria, dolor, inuidentia, *Ezech. 24.* odium, ira, desperatio. Ibi *fletus, & stridor dentium,* *Luc. 13.* atque vlulatus (qui est cantus infernalis) nullum vmquam finem habebit. Ibi impij in animâ & corpore semper torquebuntur, semper coquentur & assabuntur, semperque videbunt, audient, & sentient quidquid horrori atque abominationi esse poterit. * Igitur sicut boni, qui hîc se correxe-

** Vita bonis, mors malis ęterna est: elige dū licet.*

rexerint, & virtutibus operam dederint, Deumque coluerint & amauerint, æternâ beatitudine gaudebunt; ita mali, qui in peccatis ac vitijs perseuerauerint, æternum supplicium patientur. Iam nunc vnusquisque eligat, vtrâ cum societate viuere ac mori, perpetuoque permanere velit.

§. IX.

Epistola Ludouici Blosij plena suauissimis institutionibus.

1. *Mentionem facit Opusculorum superiorum.*
2. *Instruit amicum de multiplicitate cogitationum fugiendâ, & Diuinitate curiosiùs non indagandâ.*
3. *Quies, solitudo, silentium internũ in otio sancto.*
4. *De verâ ac falsâ quiete & otio spiritus.*
5. *Ne in hac re simus pusillanimes; conatus rationabilis adhibendus; sed in eo non confidendum. Nihil nisi Christi humanitatem & Diuinitatem cogitare, est verum animæ silentium & quies.*
6. *Sublimia scripta contemplatorum non prosunt omnibus: ad optima quidem conandum est, sed moderatè.*
7. *Bonæ voluntatis plenitudo supplet defectus quos inuiti toleramus. Custodia cordis & sensuum. Omnia de manu Dei accipienda.*

1. *Meminit aliquot Opusculorum suorum: Institutionis spiritualis,*

CHARISSIME in Christo frater, miror *Institutionem* illam *spiritualem*, quam ante sesquiannum ex scriptis Ioannis Thauleri & aliorum Patrum decerpseram, tibi tantum placere: neque enim desunt boni viri, quibus pleraque in eadem Institutione videntur nimiùm ardua, nimisque seuerè ac rigidè scripta. Ego hisce diebus collegi *Epitomen vitæ Christi* ex quatuor Euangelistis, cui adieci *Explicationem passionis Dominicæ* ex Thaulero, itemque *Farraginem sanctarum institutionum*, ex Ioanne Rusbrochio: quæ omnia quò communiora sunt, eò etiam pluribus vtilitatem allatura confido. Codicillus, quem nuper ad te misi, hoc est *Consolatio pusillanimium*, infirmos & imperfectos quosque bonâ voluntate præditos recreare poterit. Decreueram quidem nihil ampliùs post spiritualem illam Institutionem scribere aut edere; sed Dominus Deus aliter disposuit.

Epitomes vitæ Christi cum Explicat. passionis, & Farraginis sanctarum Institutionum,

Consolationis pusillanimium.

2. *Congratulatur amici profectui in spiritu.*

Gaudeo plurimùm, & gratias ago Deo, quòd per veram tui abnegationem, vitiorumque mortificationẽ, & alia deuota exercitia, strenuè vitam spiritualem prosequeris. Perge, obsecro, & magis magisque sponso animæ tuæ Iesu Christo placere contende: cuius nobilitas, potestas, dignitas, opulentia, pulchritudo, suauitas, charitas, pietas & misericordia prorsus immensa est. Dicis te nonnumquam laborare, si multa cogites dum Deo vacare vis. Consulo igitur vt relinquas multa, & vnum iuxta gratiam tibi concessam crebrò cogites; sic enim parum laborabis. Consulo, vt oculũ intellectus tui prudenter demittas atque deprimas, & factus piè ignorans, instar pueri paruuli simpliciter coram Domino Deo tuo tui amantissimo consistas. Non velis perscrutari atque animo reuoluere, quid sit Deus, sed sufficiat tibi, quòd scis & credis illum esse summam incomprehensibilemque bonitatem, atque in se habere totius beatitudinis exuberantem plenitudinem. Itaque curiosâ ac superfluâ intellectus operatione repressâ, simplicitatem amplectere; & humiliter, purè amanterque in Deo tibi ignoto quiesce.

Multiplicitas cogitationum fugienda.

Curiosa diuinorũ perscrutatio deponenda.

Si ad eam mentis nuditatem munere Dei peruenisses, vt posses nihil cogitare & nihil considerare; iam etiam nihil laborares, sed internâ solitudine, internoque silentio gaudens, sanctè otiosus esses. Hinc quidam venerabilium Patrum ita animam suam alloquitur: *O anima mea, dilige tranquillum illud & internum silentium, quod Deo gratissimum est: summè enim illi placet, vt sis nuda, simplex, pura, & nihil cogites, nihilq; consideres.* Hæc ille. Quando homo manifestè & certò cognoscit, sentitque Deum in hoc beato silentio opus suum nobilissimum velle peragere, debet, relictâ propriâ actione, in tranquillâ pace atque quiete cum Deo permanere, absque scrupulo, perturbatione, vel etiam reprehensione conscientiæ: ne præclarum illud opus Dei, quod sine hominis cooperatione fit, impediat. 3.

Internum silentiũ est, quando cogitatione quiescente voluntas amori Dei insistit.

Caue tamen, ne ista perperàm intelligendo, vanum otium & falsam quietem per nudum * indepictumque intellectum, absque Dei amore, secteris. Quod qui faciunt, periculosissimè errant, dum neque virtutibus operam dare, neque Deum laudare, neque passionẽ Dominicam recolere, neque gratias agere, neque orare, neque amare, neque desiderare volunt: sed miserè seducti, perfectionem in hoc constituunt, vt sese cum otiosâ & ab imaginibus denudatâ sensualitate intra seipsos recipere possint, relictis quibuslibet pijs operibus & exercitijs, neglectâque ad Deum amorosâ adhæsione. Tales non in Deo sed in seipsis delectantur, & impura diaboli mancipia sunt. Ceterùm veri Dei amici, legitimique contemplatores, nudam & ab imaginibus expeditam mentem possidentes, dum interno silentio atque otio se tradunt, non sine sincero ad Deũ affectu vel desiderio id faciunt, Deiq; honorem potiùs quàm propriam delectationem quærunt: neque propter huiusmodi otium alia bona opera & exercitia deserunt. Hi Deum & desiderio quærunt, & fruitiuo amore 4.

Falsa tamẽ quies, & vanum otium, omnino euitentur.

* Accipe, Lector, ab ipso Blosio hic traditã sententiã veram & firmã de intellectu indepicto atque imaginibus denudato, deque otio mystico ad euitandos errores in viâ mysticâ obuios, si quis absque discretione per illam ambulare præsumat.

Veri otij mystici descriptio accuratè obseruanda.

amore inueniunt. Vnde & ipsorum supernaturalis quies, quam in Deo possident, tantum naturalem illâ quietem excellit, quantum Deus ipse creaturis sublimior est. Isti igitur supra seipsos subleuati raptique, nudâ charitate in diuino lumine Deo coniunguntur: vbi iam spiritus eorum præ amore deficit, & quasi redigitur in nihilum, sicq; ipsi feliciter Deo vniuntur, vnus spiritus cum eo effecti, atque in eum excellentissimè transformati.

Illa summa quies contemplationis, non est nimis anxiè appetenda.

5. Tu verò, dilecte frater, licet vitæ perfectionem votis omnibus desiderare, atque ad eam viuâ strenuitate conniti debeas, non eris tamen pusillanimis, si singularem illam mentis nuditatem, & sublimem contemplationis transformationisque gratiam, tempore huius exilij minimè assecutus fueris. * Persèuera in rationabili conatu, & laudabilibus exercitijs tuis: ita tamen, vt in illis haudquaquam confidas, sed in solo diuinæ gratiæ auxilio, sine quo ne vnam quidem sanctam cogitationem habere potes. Nullatenus etiam retineas ipsa exercitia tua cum vitiosâ proprietate, sed semper paratus sis illa intermittere & relinquere, vbi Deum id velle, vel obedientiam charitatémve, seu aliam iustam causam hoc exposcere sentis. Resigna te funditus Deo, voluntate atque ordinatione eius contentus. Hoc si feceris, ille proculdubiò semper largietur, quod & sibi placitum & tibi vtile erit. Sæpenumerò † magnum Dei donum est, non multa dona à Deo accipere. Depinge mentem tuam amabilibus imaginibus vitæ & passionis Domini nostri Iesu Christi: deuitando tamen nimis pressam & acrem imaginationem, ne caput tuum lædatur. Interdum etiam ipsis imaginibus humanitatis piè relictis attende placidè, simpliciter & amorosè iucundam atque amabilem præsentiam Diuinitatis, si potes. Ita enim alia quæque parum aut nihil considerans, nonnullâ mentis nuditatem, cogitationisque simplicitatem in te senties. Hac ratione silendo, fundúmque animæ tuæ obseruando, eris lætus coram Deo, interioribus tuis mirè serenatis atque sedatis: eris simplex & expeditus, quasi nihil attenderes, nihilque cogitares. Reuerà, huiusmodi sancta quies, vires exercitijs actionibusque defatigatas conuenienter reparabit, naturamque non parum releuabit. Sed vide, vt in hoc honorem Dei quæras, non propriam voluptatem.

* Obserua conditiones bonas conantiū pertingere ad sublimem quietis contemplatiuæ gradum.

Christi Domini humanitas atque diuinitas sit frequentissimum meditationis tuæ argumentū; sed modus adhibeatur imaginationi.

† Quando Deus ex amore mero, & ob maius nostrum bonum negat dona, quæ vel irresignatè petimus, vel non satis humiliter ad vtilitatem spiritualem impensuri sumus. Et hoc benè notent, qui vel pusillanimiter vel impatienter ferunt, nulla vel pauca, quæ malè petunt, dona accipere.

Non soli contemplatione sublimi præditi, Deo placent; verū & humiles in actionibus externis occupati.

Deo sanè charissimi sunt, qui munere ipsius ab omnibus intus absoluti, liberè ad supersubstantialem diuinæ caliginis radium euolant, & in fruitione quieteque dulcissimæ contemplationis castè deliciantur: sed non illi soli Deo placent, nam & humiles ac resignatos quosque plurimùm diligit Dominus. Christus inquam, in Ecclesiâ suâ, in corpore suo mystico, non oculos tantummodò, sed & manus amat, ac cetera membra, quæ charitate sibi inuicem coniuncta sunt, & Spiritu sancto viuificantur.

Non cuiuis contingit contemplationis apicem attingere.

Crede mihi, Institutio illa spiritualis à me edita (cuius suprà memini) non omnibus per omnia conuenit. In his quæ de morum reformatione, de sui mortificatione, abnegatione & resignatione, deque veris virtutibus ibi scripta sunt, quilibet tutò se exercere potest: * sed illa quæ de infatigabili studio continuæ introuersionis, & de mysticâ Theologiâ, vitâque superessentiali dicuntur, multis sunt nimis ardua. Et profectò qui talia in Thaulero, vel in Rusbrochio, vel in Harphio, aut in aliquo alio Scriptore legit, nisi ea sanè intelligat, & prudenti discretione præditus sit, facilè, vnde iuuari deberet, impedietur retardabiturque. * Sicut dixi, non omnes ad hoc idonei sunt, vt se in illis pleniùs exerceant. Quàm, quæso, absurdum foret, si is, cui Rex demandauit officiū standi ante mensam suam & seruiendi, iniussus sese impudenter mensæ Regiæ ingereret, ac resideret? Atqui non minùs improbè facit, qui se totum otio contemplationis tradere vult, cùm tamen ad illud singulariter à Deo non vocetur. In regno cælesti omnes Beati mensæ summi Regis assident, omnes per amorem Deo perfectè vniti sunt, omnes suauiter in Deo requiescunt, & torrente diuinæ voluptatis assiduè potantur: at hîc non omnibus electis illud conceditur, sed nec expedit quidem vt omnibus concedatur. Quapropter * illi qui indiscretâ vehementiâ seipsos importunè perurgent & impellunt ad ea, quæ mensuram gratiæ ipsis datæ excedunt, vt plurimum & quò tendunt non perueniunt, & insuper naturam suam prægrauant ac destruunt. Hominis pij conatus tam in internis quàm externis exercitijs semper moderatus esse debet, vt Deus quietem in eo inuenire possit. Etiam nimia commotio compunctionis sensibilis solerter vitanda est, si impedimentum præstat & mentis sinceritati officit. Verumtamen non despondeat animum, qui per indiscretionem sese iam debilitauit, ineptioremque reddidit: sed deinceps sit cautior, & molestiâ siue grauamen, quod ex huiusmodi calamitate sentit, pa-

6.

* Audi sententiā Blosij de suis ipsius mysticæ doctrinæ scriptis institutionibus, quantâ cum discretione legēda sint.

* Magnus vitæ ascetícæ Magister R. P. Iacob. Aluarez de Paz Tom. 3. l. 5. parte 2. c. 13. cùm ex alijs Auctoribus docuisset, neminem debere indiscretè ad perfectam contemplationem conari, istam Blosij doctrinam adfert & explicat.

* Ad optima conandum, sed moderatè.

tienter perferat propter Deum, illudque offerat Deo in laudem æternam.

7. *Instabilitas cordis nostri in pietatis exercitijs bona voluntatis conatu cõpensatur.*

O serue Dei, cur teipsum miserabiliter excrucias, & anxio atque inquieto es animo, quòd Deo per fixam cogitationem incessanter intendere, incessanterque illum orare non possis? Si semper bonâ voluntate plenus es, Deoque placere verè desideras: si omne peccatum (quantum in te est) fugis, & omne tempus fructuosè transigis: si denique honorem, laudem & gloriam Dei in omnibus purè spectas & quæris: semper Deum laudas & oras. Ista bonæ voluntatis plenitudo, ista sancta charitas abundè diffunditur in cordibus paruulorum (id est, humilium atque resignatorum) per Spiritum sanctum qui datur eis. Beati qui hoc tantum donum acceperunt: Deo enim gratissimi sunt, non solùm quando studiosè Deo intendunt aut preces fundunt; sed etiam quando in viuidâ illâ plenitudine atque energiâ, externa aliqua exercitia vel opera ad gloriam Dei peragunt, varijsque negotijs occupantur.

Quâ ratione bona voluntas in medio negotiorum à Deo non separatur.

Nam præclaro simplicis intentionis, & bonæ voluntatis, veræque charitatis fune religati sunt ad Deum, qui fundum animæ eorum possidet: & ipsas externas actiones atque opera sine vitiosâ cordis inquietudine, sollicitudine vel implicatione exequuntur. Quamlibet multæ imagines illis occurrant, non facilè sinunt eas mentibus suis per inordinatum affectum imprimi. Non possunt non crebrò reminisci Dei qui in ipsis manet, & quem in omnibus ac super omnia intentione atque amore prosequuntur. Nihilominùs quando eis vacat, sedulo horis congruis insistunt orationi, introuertuntque se ad Deum simpliciter, absque nimiâ extensione aut applicatione intellectus.

Custodia cordis & sensuum ad bonam voluntatem necessaria.

Visum, auditum, cæterosque sensus, & linguam suam, diligentissime custodiunt, ne ad vana vel illicita declinent. Innocentiæ puritatique cordis conseruandæ iugiter inuigilant: scientes Deum vbique sibi præsentem esse. Mox vbi culpam aliquam se contraxisse animaduertunt, eam pretioso Christi Sanguine diluunt & expiant.

Itemq́; Dei voluntatē tam in aduersis, quā in prosperis amare.

Omnem tam internam quàm externam tribulationem, pœnam & afflictionem quæ eis accidere potest, de manu Domini suscipiunt, atque illam pro Dei amore æquanimiter tolerant. Gratissimam Dei voluntatem vnice amant, & ei sese in omnibus subdere atque conformare student.

Humilitas etiam & benignitas erga omnes, bona voluntatis hominibus opportuna.

De se suisque viribus humiliter desperantes, in Domino plenè confidunt. Intra omnem creaturam se deprimunt. Proximos quosque benigno & misericordi oculo respiciunt, eorumque dicta & facta libenter in melius interpretantur. Etiam illis à quibus contemnuntur, & persecutiones molestiasque sustinent, sincerum charitatis affectum impendunt. Omnium salutem ex animo desiderant. De aliorum malis dolent, & de bonis gaudent, Deoque gratias agunt, sicut de proprijs. Breuiter, eorum conuersatio vere Christiana ac sancta est: quia non secundùm carnem, sed secundùm spiritum viuunt, & ea quæ sursum sunt sapiunt quæruntque. Sanè isti mites & humiles corde ac resignatæ voluntatis homines, isti serui Christi fide pleni, alacres, strenui, & diuinæ charitatis spiritu perfusi, ad multa bona opera patranda admodum idonei sunt, ac plerique eorum paulatim transformantur. Deus nobis inter electos suos vel nouissimum locum concedere dignetur, Amen.

§. X.

Notatu digna vitæ spiritualis documenta.

1. *Seruo Dei nihil tribulatione vtilius.*
2. *Opera nostra cordi Iesu emendanda offeramus.*
3. *Peccatorum expiationi diligenter incumbendum fide non hæsitante.*
4. *Cordis ariditas Deo offerenda. Modus in exercitijs. Distractiones inuitis obrepentes, orationis meritum non diminuunt.*
5. *Firma in Deum confidentia reuerenter & humiliter nutrienda.*

1. *Tribulatione nihil vtilius in vitâ spirituali.*

PERFECTVS Dei amicus paratus esse debet etiam ad extremum vsque iudicij diem in doloribus ac pressuris viuere, si ita Deus vellet. Neque enim aliquid vtilius homini accidere potest quàm tribulatio, siue sit externa, siue interna. Et nullum * certius signum diuinæ electionis habetur, quàm si quis tribulationem humiliter patienterque propter Dei amorem sustineat. Illa enim est pretiosus & præclarus annulus, quo Deus animam sibi desponsat. Pati pro Deo, res tantæ dignitatis est, vt homo iure se reputare debeat indignum eo honore. Etiam exigua molestia propter Deum æquanimiter tolerata, incomparabiliter præstantior est, quàm sint multa & grandia bonorum operum exercitia.

* Quantū quidem humana fert coniectura ex indicijs probabilibus à Spiritu sancto suggeri solitis, vt est Roman. 8, 16.

Christo hominē conformat.

Quoduis grauamen imaginem aliquam excellentissimæ passionis Domini nostri Iesu Christi refert, & in eo homo promereri potest perfectam eiusdem passionis Dominicæ participationem.

Dona confert,

Per tribulationem dona Dei obtingunt homini: vel si ea ante tribulationem obueniant, per tribulationem conseruantur. Quidquid modo patimur, hoc Deus ab æterno præuidit, sciuitque nos illud ita & non aliter esse passu-

A Deo ab æterno prouidetur in bonum seruorum suorum. passuros. Numquam ipse fineret minimam aduersitatem intus forisve exurgere, & nec minimum quidem ventum flare aduersus electos suos, nisi sciret hoc eis expedire ad salutem. Frigore, æstu, fame, siti, infirmitate, & quibuslibet alijs afflictionibus, non solùm purgat, sed etiam mirificè exornat animas nostras: sicut peritus aliquis pictor imaginem perornare solet lineis atque coloribus superinductis: & sicut aliqua nobilis puella, nuptura illustri Principi, decoratur auro & gemmis, honestaturque cultu vario. *Exornat animam, tamquam sponsam deliciosam Christi.* Dicit quidem Deus his, quos sublimiter elegit, sibique singulariter segregauit, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*: *Zach. 2.* verumtamen potius quam tales non purgarentur atque exornarentur per tribulationes, ipse permitteret, vt & dæmones, & homines, & elementa, siue qualibet creaturæ illos premerent atq; grauarent. Igitur omnis *Delet pœnas inferni & purgatorij.* afflictio & amaritudo patienter loco inferni atque purgatorij toleranda est. Anima enim vere pura & resignata, * mox vt è corpore egreditur, ad regni cælestis palatium euolat.

** Si crucem tulit verâ resignatione ex perfectâ charitate.*

2\. *Opera nostra ex sese imperfecta & vilia offerantur Iesu passo.* Sectator vitæ spiritualis, opera & exercitia sua diuino cordi Iesu Christi emendanda perficiendaque commendet, & illa ipsi Domino Iesu, aut Deo Patri offerat in laudem æternam ad salutem totius Ecclesiæ, in vnione sanctissimorum operum & exercitiorum eiusdem Christi Iesu, vel in vnione illius amoris, quo Christus pro nobis incarnari, nostramque salutem perficere voluit. Si enim hoc piè fecerit, ipsa opera & exercitia eius, quæ ex se vilia & imperfecta sunt, nobilissima Deoque acceptissima erunt. *Sic enim dignitatem ineffabilem accipient.* Nam ex operibus & exercitijs Christi, quibus coniungentur atque vnientur, ineffabilem dignitatem accipient: quemadmodum gutta aquæ missa in vinum, vinoque vnita, excellentem vini colorem saporemque recipit. Itidem omnia quæ ipsum grauant & af- *Idem suo modo de tribulationibus fiat.* fligunt (siue parua siue magna, siue externa siue interna sint) offerat Deo in laudem æternam, ad salutem omnium hominum, in vnione passionis & dolorum Christi: vt ex eisdem passionibus doloribusque Domini Iesu, quibus vnientur, diuinam claritatem assumant.

3\. *Peccatorũ expiatio & satisfactio, per merita Christi, magnâ & firmâ fiduciâ curentur.* Etiam spiritualis Asceta, in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro peccatis negligentijsque suis, offerat Deo Patri prædilectum Filium ipsius, offerat merita sacræ humanitatis eius. Roget ipsum Dominum Iesum humiliter, vt suas imperfectiones supplere dignetùr: & ille indubiè supplebit quod ei deest. Credat hoc, & fiet ita. Necesse enim est, vt obtineamus à Deo vtilia quæque, si humili & certâ fiduciâ speramus nos ea obtenturos. Is qui Christum rogat vt pro se satisfaciat, pro se suppleat, seque meritis suis exornet, si dubius nimiumque meticulosus permanet, similis est ei qui vilibus sordidisque vestimentis exutus, & repentè indutus Regijs, non nouit decenter atque compositè pro exigentiâ ipsorum vestimentorum Regalium incedere: sed pro morum rusticitate, cui assuetus est, ineptè & inciuiliter graditur.

4\. *Cordis sterilitas non turbet seruum Dei in bonâ voluntate.* Dum verus Dei seruus exercitijs spiritualibus insistit, & legendo, meditando, contemplando, vel orando mentem suam amorosè Deo coniungere conatur, si frigidus aridusque permanet, nihil hinc turbetur, neque ob id putet se perdere operam, quam huiusmodi studijs impendit: nam bona voluntas, qua Deo coniungi desiderat, & pius eius conatus suscipitur à Deo, perinde ac si prorsus corde liquefieret præ amore & internâ consolatione. Imò verò velle Deum feruenter amare, atque ad hoc rationabiliter conari, plerumque Deo acceptius ac homini vtilius est, quàm amoris gustum sentire. Caueat verò seruus Dei, ne nimietate *Sit modus in exercitijs vitæ spiritualis.* exercitiorum naturam suam prægrauet ac destruat: quod contingere solet his, qui nullâ virium suarum ratione habitâ, mox imitari volunt quæcumque ab alijs facta esse legunt vel audiunt. Igitur ipsa exercitia sua cum discretione moderatè semper colat, Deoque & rebus diuinis libero atque hilari corde vacet, absque sui grauamine aut anxietate. Si inter orandum nequit esse satis *Distractio inter orandum, si non est voluntaria, non est damnosa.* attentus, non propterea nimium deijciatur animo: nam etiam ea precatio, quæ cum distractione cordis peragitur, fructuosa est, si modò is qui orat, inuitus eiusmodi distractionem patitur, & placidè facit quod in se est. Igitur verus Dei cultor, inordinatâ animi anxietate reiectâ, resignet se Deo, & ei confidat. Deus enim pro suâ ineffabili bonitate, omnia opera nostra, æternâ remuneratione digna reputat, si pij sumus, & voluntatem nostram ab eo non auertimus, frequenterque dolemus & ingemiscimus pro multiplicibus delictis atque defectibus nostris. Haudquaquam etiam existimet, se minimè *Patienter expectãdũ, si in oratione statim non exaudiamur.* exaudiri à Deo, si orationis suæ effectum non statim sentiat aut videat: sed longanimis fideque plenus perseueret in sanctis petitionibus, Deo penitus committens, quando & quomodo velit postulata tribuere. Sanè Deus quamlibet precatiunculam in Ecclesiâ Catholicâ rite fusam, & quodlibet suspirium piè ad se emissum, eximiâ mercede remunerat: sed sæpe in longum tempus

Minimum etiam opus fidelium à Deo remuneratur ex immenso in nos amore.

differt præstare quod postulamus, quia sic expedit nobis. Et dum petimus ea quæ salutaria non sunt, non illa quidem, sed alia quæ nobis vtilia sunt, donat. Benignissimus enim Pater est, & nos, quibus bonam voluntatem concessit, dulcissimè atque ardentissimè amat. Reuerà, si cum amore, quo Deus nos diligit, conferatur amor quem omnes vmquam parentes habuerunt, habent & habebunt erga filios suos; erit velut aquæ guttula cum immenso mari comparata. Hunc Dei erga nos infinitum amorem perfectè cognoscemus atque sentiemus, vbi in cælum recepti, & ad claram Diuinitatis contemplationem admissi fuerimus. Tunc etiam manifestè videbimus, quàm vtiliter Deus nobis hîc aliquos defectus inhærere, & varias tentationes molestas esse permittat.

5. *Firma in Deum confidentia.*

Homo resignatæ voluntatis, qui in quibuslibet defectibus, culpis, tentationibus, angustijs, doloribus, damnis, persecutionibus, miserijs, necessitatibus, & periculis suis, nouit humiliter, amanter, firmiterque fidere Deo, & in bonitate pietateque eius integrè sperare, secureque se & omnia sua paternæ prouidentiæ illius committere, credens indubitanter Deum verè & scire, & posse, & velle se adiuuare, cunctaque sibi ad salutem conuertere: is planè cor Dei vulnerat, & ipsum Dominum cogit sibi adesse. Fieri omnino non potest, vt talis à Deo deseratur, quantumcumque etiam Deus ipsi videatur irasci. Reuerà præclarum Dei donum est hæc firma fides, & certa spes, securaque & amorosa in Deum confidentia. Qui adhuc multùm pusillanimis est, potest, si non integro corde, saltem pio ore dicere Deo: *Domine, fiat voluntas tua: ego me totum tibi resigno: etiamsi occideris me, tamen in te sperabo: & si in profundum inferni demersus fuero, inde me liberabis.* Qui humilem illam & amorosam, securamque erga Deum confidentiam habet, licet densis tribulationum tenebris vndique circumfundatur, manet tamen in vero lumine. Quod indicans Isaias Propheta, dicit: *Qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* Ille igitur manet in lumine, & filius lucis est: vnde etiam aliquando perueniet ad patriam claritatis æternæ. Ibi apertè, & facie ad faciem videbit Deum. Deus autem est lux splendidissima, amœnissima & deliciosissima: Deus est fons totius pulchritudinis, opulentiæ & suauitatis: atque in eo excellentissimè, plenissimè, superessentialiterque sunt omnia quæ hîc cordi humano grata, iucunda, amabilia vel delectabilia esse possunt. Hinc beatus Augustinus ait: *Visuri sumus quamdam visionem, præcellentem omnes pulchritudines huius mundi: visuri sumus Deum omnia pulchra superantem, quia ex ipso sunt omnia pulchra,* &c.

Numquam deseritur à Deo. — Iob. 13. — *Constituit hominem in vero lumine.* — Isa. 50.

ADSPIRATIONES DE MISERICORDIA DEI.

Ex Psalmo CII.

Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multùm misericors.

Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.

Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundùm altitudinem cæli à terrâ, corroborauit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est quoniam puluis sumus.

Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.

LVDO-

LVDOVICI BLOSII MARGARITI SPIRITVALIS PARS QVINTA, SIVE ARTICVLI VITAE CHRISTI

AMPLAM MEDITANDI MATERIAM PAVCIS VERBIS SVBMINISTRANTES.

Ante meditationem potes orare in hunc modum.

Oratio meditationi præmittenda. ADORO te, ô gloriosa, fulgida & semper tranquilla Trinitas, vnus Deus. Gratias ago pro vniuersis beneficijs tuis, mihi indignissimo præstitis: omnia illa in te refundo & tibi offero in laudem æternam. O bone Iesu! dulcis Iesu! amabilis Iesu! O Domine mi, fili Dei viui, Deus æterne! qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto factus homo, redemisti me, miserere mei. Emunda me ab omni peccato. Concede, vt purè ad gloriam nominis tui recolam ea quæ pro salute meâ facere (vel pati) dignatus es. Doce me hoc ita perficere, sicut tibi placitum est. Da vt studiosè te sequar, & tibi medullitus compatiar, atque præ tui amore penitus liquescam: *verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Amen. *Lucæ 22.*

Articulus I.

1. *Incarnatio & conceptio Domini.* Dulcis Iesus, Filius Dei viui, Deus altissimus, creator cæli & terræ, propter nimiam charitatem quâ me dilexit, voluit de Spiritu sancto concipi & incarnari in castissimo beatæ Mariæ virginis vtero: in quo etiam nouem mensibus habitauit. Deus meus semetipsum exinaniuit, & formam serui accipiens, factus est frater meus: vt me ad cæleste regnum suum reduceret. O pietas ineffabilis, & beneficium inæstimabile! Quid retribuam Domino meo?

Articulus II.

Dulcis Iesus, Rex gloriæ causâ salutis meæ natus est tener infantulus in abiecto stabulo, sæuiente hiemis asperitate. Inuolutus est vilibus pannis. Reclinatus est in præsepio iumentorum. Iacuit super fœnum & stipulas. Lactatus est vberibus pauperculæ matris. Tantam paupertatem subijt pro me Filius Dei. Eia amabilis pusio, lux gentium, Saluator desiderabilis, miserere mei: benedic mihi obsecro, & saluum me fac. 2. *Natiuitas & cuna in stabulo.*

Articulus III.

Dulcis Iesus octauo à natiuitate suâ die circumcisus est; Virgine matre illi intimè condolente. Circumcisus est, & Sanguinem fudit pro me vilissimo: vocarique voluit Iesus (id est, Saluator) ad consolationem meam. Posteà Gentibus stellâ duce reuelatus est, quando Magi ad ipsum pauperem puerulum adorandum, venerunt in Bethlehem. Præsentatus est in templo, atque hostiâ pauperum redemptus. Fugit in Ægyptum, ibique paupertatis incommoda cum Mariâ & Ioseph sustinuit. In sacrâ infantiâ, pueritiâ atque adolescentiâ suâ, plu- 3. *Circũcisio.* *Nomen Iesus.* *Epiphania.* *Fuga in Aegyptum.*

plurimas necessitates & tribulationes perpessus est pro salute meâ.

Articulus IV.

4. Dulcis Iesus, cùm esset ferè triginta annorum, *Baptismus.* humiliter suscepit Baptismum à seruo suo Ioanne. *Ieiunium.* Ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, habitans cum feris in deserto. Conditor orbis, Rex Angelorum, Deus omnipotens, non dedignatus *Tentatio.* est tentari à diabolo propter me.

Articulus V.

5. Dulcis Iesus pro salute meâ itineribus, *Prædicatio. Miracula.* vigilijs, laboribusque fatigatus est. Prædicauit, miracula edidit, beneficia impendit. Famem, sitim, frigus & æstum pertulit. Innumeras ærumnas innumerasque *Persecutiones.* persecutiones triginta tribus annis mitissimo corde tolerauit, ac tandem venit Ierosolymam, vt moreretur pro me.

Articulus VI.

6. Dulcis Iesus, Rex regum & Dominus summæ maiestatis, præcinxit se linteo, misitque *Lotio pedum discipulorũ.* aquam in peluim: ac positis genibus, humiliter lauit pedes discipulorum suorum, eosq; linteo extersit. O! quale exemplum mihi dedit Dominus Deus meus!

Articulus VII.

7. Dulcis Iesus ex immenso amore, quo nos *Eucharistiæ institutio.* tenerrimè diligit, venerabile Sacramentum Eucharistiæ instituit, seipsum in illo stupendâ liberalitate, suauissimâque charitate nobis donans atque relinquens.

Articulus VIII.

8. Dulcis Iesus in hortum oliueti perueniens, *Agonia.* cœpit pauere ac mœstus esse, adeò vt diceret: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Flexit humiliter genua super *Oratio.* terram, & procidens in faciem suam, orauit Patrem tertiò. Ipse propter me summè afflictus, plenissimè se Patri resignauit, dicens: *Pater, non mea, sed tua voluntas fiat.* Præ vehementiâ angustiarum quibus mitis- *Sudor sanguinis.* simum cor eius premebatur, sudauit toto corpore sudorem sanguineum, ita vt guttæ decurrerent in terram.

Articulus IX.

9. Dulcis Iesus, summo desiderio me redimendi *Obuiatio hostium.* & pro me patiendi ardens, processit obuiàm inimicis suis, benignissimeque eos *Osculum Iudæ.* allocutus est. Non recusauit à Iudâ proditore osculum accipere, atque ab impijs hominibus ignominiosè tamquam latro com- *Captiuitas.* prehendi ligarique, vt ego à vinculis peccatorum meorum absoluerer.

Articulus X.

10. Dulcis Iesus vinctus vt malefactor, addu- *Domus Annæ & Caiphæ.* ctus est cum opprobrio ad domum Annæ, indeque ad domum Caiphæ Pontificis. Benignus & suauis Dominus trahebatur, propellebatur, tundebatur & blasphemabatur à satellitibus diaboli; sed omnia illa grauia atque indigna amore mei patientissimè tolerabat.

Articulus XI.

11. *Alapa à seruo ussi* Dulcis Iesus, Dominus dominantium, diram & atrocem alapam sibi à seruo Pontificis iniquissimè datam, modestissimè pro salute meâ pertulit. Et quomodo ego posthac non vicissim pro illius amore patienter feram iniurias mihi irrogatas?

Articulus XII.

12. *Accusatio in concilio Caiphæ. Colaphi. Velatio.* Dulcis Iesus in domo Caiphæ falsò accusatus est, iniustè condemnatus est, fœdè cõsputus est. Inclementer verberatus est, horribilesque colaphos & alapas accepit. Ludibriosè velatus est, cædentibus eum impijs, & subsannando dicentibus: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Ah! Regia illa & amabilis eius facies putentibus sputis pro *Sputa.* me fœdata est: ipse agnus mitissimus intereà conquestus non est, sed patientiam docens, obmutuit, & non aperuit os suũ. Conuitia, *Conuitia.* contumelias, opprobria, & quaslibet iniurias in silentio tolerauit propter me. O quàm malè & indignè nocte illâ tractatus fuit!

Articulus XIII.

13. *Ducitur ad Pilatum.* Dulcis Iesus, Sanctus sanctorum, & Rex Angelorum, consputus ac vinctus manè ductus est ad Pilatum, & coram eo vultu benigno oculisque demissis stetit. Cumque falsò à Iudæis accusaretur, humiliter tacuit, nihil respondens.

Articulus XIV.

14. *Herodes illudit Christo.* Dulcis Iesus, ligatus vt latro, missus est à Pilato ad Herodem: qui Herodes videns eum ad vanas suas interrogationes, & ad falsas Iudæorum accusationes sapienter silentem, spreuit illum, ac veste albâ ridi- *Veste albâ indutum ad Pilatum remittit.* culâque tamquam fatuum induit, atque ita ad Pilatum remisit. Et ego posthac paratus pro eius amore esse debeo contemni atque opprobrijs affici. Amabilis Dominus pro voluntate inimicorum suorum progrediebatur & regrediebatur sine contradictione, permittens vt in se facerent quidquid volebant. O quàm humilis obedientia & patientia Regis æterni!

Articulus XV.

15. *Flagellatio ad columnam.* Dulcis Iesus in Prætorio nudatur, & ad columnam inclementer ligatur, flagrisque crudelissimè dilaceratur pro me. Virginea delicataq; caro eius tota liuoribus ac plagis deformatur, & ex eâ riuuli pretiosi sanguinis vndique in terram decurrunt. O quàm acerbi dolores, & quàm miserandum spectaculum! Verè ille vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus.

Arti-

Articulus XVI.

16. *Chlamys coccinea. Corona de spinis. Sceptrum arundineū.*

Dulcis Iesus chlamyde coccineâ ad maius opprobrium vestitur. Corona spinea venerando capiti eius imprimitur: sicque capite grauiter sauciato, purissimus sanguis in amabilem faciem collumque illius vbertim defluit. Ponitur arundo in manu eius, & ipse nugatoriè salutatur adoraturque. Percutitur arundine, conspuitur, & diras alapas accipit propter me.

Articulus XVII.

17. *Ecce homo. Postulatur ad crucem*

Dulcis Iesus foras à Pilato producitur, & furentibus Iudęis spectandus exhibetur, coronam spineam purpureumque vestimentum gestans. At illi magnis vocibus petunt vt crucifigatur. Caput spinis obsitum, facies cruore tincta & consputa, corpus flagris conscissum, humilis ac placidus aspectus Domini Iesu non emolliunt eos ad miserationem. Vtinam moueant me ad intimam compassionem & ardentem dilectionem!

Articulus XVIII.

18. *Morti adiudicatur. Crucem baiulat. Ad Caluariæ locum.*

Dulcis Iesus morti à Pilato adiudicatur, & voluntati Iudæorum traditur. Mox ergo eum illi rapiunt, & indutum vestimentis suis, trabeque crucis oneratum, extra ciuitatem pertrahunt. Suauis Dominus laceris humeris crucem baiulans propellitur, cæditur, acceleratur. Amabilis Redemptor factus opprobrium hominum, & abiectio plebis, humiliter graditur, pergitque ad Caluariæ locum. O quantum eum grauat & affligit pondus crucis, magis verò pondus peccatorum meorum! Sed ipse causâ salutis meæ omnem laborem & dolorem, omnemque confusionem libenter tolerat.

Articulus XIX.

19. *Vinum myrrhatum cum felle.*

Dulcis Iesus, in montem Caluariæ fessus & anhelus perueniens, oblatum sibi vinum myrrhatum cum felle mistum gustare non recusat: vt hac potus amaritudine expiet culpas, quas ego incontinenter edendo ac bibendo contraxi. O qualis refectio Domini mei! Iam ergo vitiosis gulæ illecebris & delectationibus, omnique ingluuiei sponte propter illum renuntiare debeo.

Articulus XX.

20. *Nudatur Iesus. Extenditur in cruce. Perforantur manus & pedes. Dissoluitur. Flumina sanguinis.*

Dulcis Iesus in loco Caluariæ dedecorosè nudatur, & ex vestimentorum detractione, plagæ eius renouantur. Ipse mitis & innocens agnus Dei inclementer à sæuis hominibus in cruce extenditur. Delicatæ manus & incontaminati pedes eius diris clauis malleo impulsis crudeliter perforantur. Compages sanctissimorum membrorum illius miserabiliter soluuntur. Purpureus sanguis è Vulneribus sacris, velut è fontibus largiter profluit. O quam durum habet lectum sponsus animæ meæ, extensus in cruce, crucique affixus pro me! O quantum odisse & detestari debeo peccata mea, propter quæ Filius Dei tam immania perfert tormenta! Ego amore eius qui amore mei sic afflictus fuit, impuris voluptatibus prorsus renuntio, & illi omnibus diebus vitæ meæ in sanctitate seruire propono.

Articulus XXI.

21. *Pendet inter latrones. Orat pro blasphemantibus se. Latroni dat paradisum. Ioanni Matrem commendat.*

Dulcis Iesus, pendens nudus in ignominioso stipite crucis, pendens medius inter duos latrones transfixis manibus ac pedibus, pretiosissimum cruorem fundit, amarissimosque dolores sustinet pro me. Subsannatur, blasphemijsque impetitur: sed orat pro blasphemantibus, orat pro crucifixoribus suis, dicens, *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Latroni pœnitenti paradisum benignè promittit. Virgineæ matri iuxta crucem astanti, & afflictæ ac doloris gladio penetratæ, intimè compatitur, ipsamque discipulo Ioanni commendat, & eidem Ioanni ac nobis omnibus illam donat in matrem.

Articulus XXII.

22. *Sitit. Aceto potatur. Moritur.*

Dulcis Iesus, cùm immensos cruciatus tribus horis in cruce pro me tolerasset, ac sacrosancto Sanguine suo fuso vehementissimè sitiret, aceto potatus est. Quo gustato, ipse viuificator omnium caput venerandum inclinans, emisit spiritum.

Articulus XXIII.

23. *Vulnus lateris. Exit aqua & sanguis.*

Dulcis Iesus, pastor bonus, posuit animam suam pro ouibus suis. Et dextrum latus emortui corporis eius, lanceâ fuit apertum, vnde nobis profluxit sanguis & aqua. Amorosum cor illius vulneratum est pro me. Vtinam hoc cor suauissimum, hoc amœnum beatitudinis gazophylacium, sit mihi in morte salus ac solatium, & post mortem æternum domicilium!

Articulus XXIV.

24. *Deponitur in sinum Matris. Sepelitur.*

Dulcis Iesus mortuus est pro me. Eius corpus immaculatum de cruce depositum, beatissima mater ipsius in gremium suum excepit, osculata est, lacrymis rigauit. Quod deinde Ioseph & Nicodemus inuoluerunt in sindone mundâ, atque condiderunt in sepulchro.

Articulus XXV.

25. *Surgit à morte. Apparet Matri, Magdalenæ, Discipulis.*

Dulcis Iesus, victor è clauso sigillatoque sepulchro tertiâ die prodiens, nobili triumpho resurrexit à mortuis: & claritate serenissimi vultus sui redditâ, primò charissimam matrem suam virginem Mariam, deinde Mariam Magdalenam ac ceteros amicos suos nouo perfudit gaudio.

Articulus XXVI.

25. *Ascensio in cælum.*

Dulcis Iesus, quadragesimo post resurrectionem suam die, coram discipulis ineffabili

VITAE CHRISTI. *Sessio ad dexteram Patris.*

bili lætitiâ perfusis, gloriosè ascendit in cælum; vbi sedet ad dexteram Patris, benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Post meditationem poteris hæc aut similia precari.

Oratio meditationi subiungenda.

O Fili Dei viui, fili virginis Mariæ, melliflue Rex gloriæ! O viuificans gemma diuinæ nobilitatis, immarcescibilis flos dignitatis humanæ, superlucide sol iustitiæ! O paradise deliciarũ, dulcedo cordis mei, vita animæ meæ Iesu Christe, tu sic dilexisti me. Tu ex immensâ charitate istud (vel) ista fecisti, ista humillimè, patientissimè & benignissimè pertulisti pro me. Quid retribuam tibi? Adoro te, laudo te, glorifico te, benedico & gratias ago tibi sicut possum. Miserere mei Domine, miserere mei pauperrimi figmenti tui. Propter bonitatem tuam, propter istam pietatem tuam dele omnia peccata mea. Mortifica in me & aufer à me quidquid tibi displicet. Da vt conformis tibi sim, & sanctas virtutes tuas totâ diligentiâ imiter pro modulo meo. Effice me verè humilem, & resignatum, & continentem: effice me hominem secundùm cor tuum. Commendo tibi miseros peccatores. Adesto omnibus viuis, & fidelibus defunctis, Amen.

Vel si magis libeat post singulos Articulos adÿcere aut ruminare hæc verba, poteris id facere.

LAVS perennis & gratiarum actio Iesu Christo Dei Filio, Redemptori meo charissimo. Verè illius erga me pietas, fidelitas & charitas penitus immensa est. O vtinam ipse me perfectè emundaret, sanaret atque illuminaret! Vtinam sui amore me prorsus inflammaret, sibique per omnia placentem redderet! Fiat semper in me & de me gratissima voluntas eius, Amen.

Aut etiam Iesum ita salutabis.

AVE dulcis Iesu, sponse floride, Fili Dei viui. Tu es lux mea, Deus meus, & perenne bonum meum: tibi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

LV-

LVDOVICI BLOSII MARGARITI SPIRITVALIS PARS SEXTA, SIVE DIVINI AMORIS IGNIARIOLVM, CVM EXERCITIOLIS VARIIS PIARVM PRECATIONVM.

§. I.

Dulcis consideratio magnitudinis Dei, & propriæ paruitatis, itemque fidelitatis Dei, & propriæ infidelitatis.

1. *Dei magnitudo, & nostra paruitas.*
2. *Dei fidelitas & beneficentia collata cum nostrâ ingratitudine.*
3. *Propositum emendationis futuræ, ex hac collatione elicitum.*

1. *Consideratio maiestatis diuinae.*

DEVS meus, Rex est sæculorum, & Dominus summę maiestatis, summæque opulentiæ, nobilitatis & excellentiæ: altissimus, incomprehensibilis, omnipotens & æternus est. Cælum & terram, & cetera omnia de nihilo creauit; creataque conseruat, regit, ac moderatur sine labore. Lucem habitat inaccessibilem, & tamen vbique præsens ac totus est, visibilemque hunc mundum inuisibiliter implet. Omnia clarissimè videt, & ipsas quoque cordium cogitationes, intentiones atque affectiones omnes considerat. Omnia perfectissimè cognoscit, præterita, præsentia & futura. Magnitudinis eius, sapientiæ eius, dignitatis & gloriæ eius nullus est finis. *Psal. 144.* Ipse est summè sanctus, summè pulcher, summè suauis, summè bonus, clemens, pius & misericors. Ipse est benedictus, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula. *Dan. 3.* Ego verò vilissimus vermis sum: peccator sum immundus, & indignus quem terra sustineat. *& nostra paruitatis.* Puluis sum & cinis, pauper & inops, infirmus & miser. Nihil possum, nihil habeo, nihil sum ex me. O! quis ille, & quis ego?

2. *Quanta D. erga nos fidelitas.*

Deus meus mihi semper fidelis fuit: ab æterno me purissimè dilexit. Gratuitâ pietate suâ fecit me creaturam rationalem, insigniens animam meam nobilissimâ elegantissimâque imagine suâ. *Benef. in gratia generalia: prædestinationis, incarnationis, passionis.* Voluit me nasci in Ecclesiâ suâ sanctâ, & rectam Christianamque fidem mihi dedit. O stupenda, ô amorosa & amorosè recolenda eius miseratio! Excelsus ille Deus indicibili charitatis dulcore penetratus ac victus, naturam meam suscepit, & homo factus est.

Deus

Deus meus factus est frater meus, ne ego exsors supernæ hereditatis remanerem, & in æternum perirem. Triginta tribus annis laborans in terrâ, salutem meam studiosissimè peregit. Mei causâ pretiosum Sanguinem suum ad extremam vsque guttulam fudit. Iniurias, contemptum, opprobria, diros cruciatus, & ignominiosam mortem crucis patienter libenterque pro me pertulit. Tam specialiter pro me omnia illa fecit atque passus est, ac si solus ego redimi debuissem. Sic igitur, sic amabilis Dominus meus me redemit: sic felicitatem & beatitudinem æternam, quam perdideram, mihi recuperauit. O! quomodo amauit me? Cùm ab eo auersus essem, diu longanimiterque peccantem sustinuit: multis intereà modis me ad se reuocans. Et tandem mihi per gratiam eius conuerso, clementer remisit peccata mea, quæ innumera grauissimaque erant. Sed & quotidie me sæpiùs cadentem misericorditer erigit, atque ad se reuertentem, culpamque agnoscentem benignissimè recipit, emundat ac sanat. Docet, dirigit, adiuuatque me incessanter, & sicut pupillam oculi sui custodit. Ipsam dulcissimam genitricem suam virginem Mariam, mihi in matrem, aduocatam, & consolatricem, auxiliatricemque donauit. Insuper nobilissimo Principi Angelo suo custodiam mei demandauit. Ita mei curam gerit, quasi solus essem in toto orbe terrarum. Æstuantissimo salutis meæ desiderio tenetur, & tam aduersa quàm prospera omnia mihi in bonum conuertere cupit ac nititur. Nihil obliuiscitur eorum quæ piè ad honorem eius (ipso adiuuante) ago, loquor, audio, lego, meditor, oro, desidero, & ne minimam quidem cogitationem bonam ex bonâ voluntate prodeuntem perire sinit: sed omnia illa mihi fidelissimè asseruat apud se, licet ea nimis imperfectè & indignè à me fiant. Animam meam gratiâ visitationeque suâ, & excellentissimo altaris Sacramento mirè pascit, consolatur ac recreat: corpusculum etiam rebus necessarijs fouet. Innumera prorsus beneficia mihi præstitit, & adhuc singulis præstat momentis, ineffabilemque beneuolentiam ostendit. Denique, lucidissimum, amœnissimum & gloriosissimum regnum suum mihi promisit, in quo vult me sui fruitione perenniter gaudere. Non vult beatus esse sine me, si ego ei seruire, atque in eius amore perseuerare volo. Ah! nulla vmquam mater tam tenerè dilexit vnicum filium suum, quàm tenerè ille me diligit. Amor eius erga me dulcissimus, ardentissimus, immensus, & planè * intemperans est.

Beneficia specialia gratiæ in vnumquemque collata. Exspectatio. Conuersio. Manutentio. Illustratio. Patrocinium Virginis & Angeli custodia. Prospera & aduersa, à bono Deo. Retributio operum. Crebra visitatio interna: & Sacramenta & auxilia corporalia. Promissa in cælo gloria.

* Siue supra modum & mensuram magnus.

Sed ego, heu! mala pro bonis peruersè reddens, infidelis & ingratus ei semper fui, & adhuc sum: nam & gratiam eius multis modis in me impedio, ac dona destruo. O quanta est illius erga me fidelitas! & quanta mea erga eum infidelitas!

Nostra pro his omnibus ingratitudo.

Verè dignum & iustum est, vt ego posthac Deo meo humillimè me submittam, & ingentem reuerentiam ac venerationem illi exhibeam, eumque ex toto corde meo diligam, & me funditus semper contemnam atque resignem: iustum est, vt coram illo, qui mihi vbique præsens est, & coram sanctis Angelis eius, pudicè, innocenter ac purè viuam. Hanc gratiam ipse mihi conferre dignetur, ad æternam laudem nominis sui, Amen. 3.

Propositum amorosum ex hac cōparatione ad emendationem vitæ.

§. II.

Ioannes Rusbrochius laudat exercitium præcedens.

1. *Superioris exercitij excellentia.*
2. *Exercitium crebrum actuum amoris præstat omnium aliarum virtutum exercitijs.*

AMOROSA consideratio magnitudinis Dei, & fidelitatis eius erga nos, nostræ item paruitatis, & erga Deum infidelitatis, tam est iucunda atque vtilis, vt vehementer admirer nos vmquam posse eius obliuisci. Sanè nullum aliud est exercitium (quod ipse nouerim) fructuosius ad pertingendum ad veram humilitatem & resignationem. Si verò per hoc exercitium numquam fortè, durante hac vitâ, eò peruenerimus, vt vitijs funditus moriamur, ac nosipsos perfectè contemnamus; nec sic tamen illud debemus deserere: idem enim ipsum maximam vtilitatem semper nobis afferet. Certè nos per illud & per gratiam Dei proficiemus in verâ charitate, atque ita aptiores propensioresq; ad nostri despectionem & resignationem reddemur. Charitas enim humilitatis mater est. Quare, qui perfectè humilis esse concupiscit, discat perfectè amare Deum. 1.

Exercitij paulò antè traditi laus & vtilitas.

Quantum in nobis augescit amor erga Deum seu vera charitas, tantum in nobis crescit nostri vilipensio, ac sancta illa animi depressio, quâ nos coram diuinâ Maiestate deijcimus aspernamurque. Si * eximius feruor diuinæ charitatis interiora nostra occuparet, facilè nobis persuaderemus, neminem vmquam nos posse satis contemnere & affligere, etiam si pati possemus omnia, quæ creaturæ omnes vmquam pertulerunt. 2.

Exercitiū diuini amoris, aliarū virtutum exercitijs longè præstat.

* Actuum charitatis creber vsus, cōmendatur ob vberes fructus.

Cha-

Charitas meritò virtutum Regina appellatur. Præclarum quidem est, exercere virtutes propter Deum; sed amorem erga Deum exercere, præclarius est. Amor enim compendiosissima via est ad Deum: atque eam ob rem illi vt plurimùm deuoti & affectuosi redduntur, qui amorem magis exercent, quàm virtutes alias aut virtutum actiones. Porrò omnes veniales culpæ eorum, qui resignati atque cum Deo in amore colligati sunt, facilè remittuntur abolenturq́. Quidquid, inquam, tales in hac miseriæ valle delinquunt, id totum amor & introuersio consumit atque exurit: virtutes namque & bona facta eorum sunt innumera.

§. III.

Iucunda consideratio bonorum & gaudiorum cælestis Paradisi.

Suaues adspirationes animæ ad patriam cælestis beatitudinis anhelantis per Exclamationes nouem.

Prima Exclamatio animæ in paradisi gaudijs recogitandis. PARADISVS, patria mea cælestis est, patria dulcis & amabilis, vera & sola patria. Ibi est omne bonum. Ibi gloriosa, fulgida & semper tranquilla Trinitas seipsam Beatis omnibus clarè manifestat. Itaque melior ibi est dies vna super millia dierum huius sæculi. *Psal. 83.*

Secunda, Paradisus, terra est promissionis, & regio immortalitatis, regio claritatis immensæ. Ibi est fons vitæ, & lumen æternum. Ibi Deus ipse, qui est lux increata & summè serena atque delectabilis, Sanctos suos amicabiliter illustrat. Ibi omnium affectum & amorem dulcissimè in se trahit, omnes seipso beatificè implet ac satiat, & est omnia in omnibus.

Tertia, Paradisus ager est perennium deliciarum. Ibi ver amœnissimum, & æstas gratissima perpetuò manet. Ibi inæstimabile cinnamomum & balsamum suauissimè fragrat. Ibi immarcescibiles rosæ, lilia & omnigeni flores, in omne æuum perdurant. Ibi excellentissimè sunt, quæcumque cordi humano placere possunt. Planè minutissimum granum illius agri in infinitum superat quidquid in hoc mundo pulchrum, dulce, iucundum & amabile esse videtur.

Quarta. Paradisus, gloriosum est regnum cælorum. Ibi est ingens illud præmium, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. *1. Cor. 2.* Ibi verum plenumq́ue gaudium sine fine continuum est. Ibi vox exultationis & dulce Alleluia semper resonat. Ibi canticorum organorumq́; inenarrabilis melodia iugiter auditur, & sempiterna solemnitas agitur. Ibi Beati omnes sine defatigatione Deum laudant in sæcula sæculorum. Ibi diuitiæ & delectationes omnigenæ abundant.

Quinta, In paradiso pax est imperturbabilis, omnem sensum exuperans: & requies beata, omnem intellectum excedens. Ibi Sancti omnes torrente diuinæ voluptatis assiduè potantur, & præ deliciarum affluentiâ dulcissimè in Deum colliquescunt: nam clarâ perennique contemplatione melliflui vultus Dei donati sunt. *Psal. 35.*

Sexta, In cælesti Ierusalem omnes ciues Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnum summè appetibilem Deum, ardentissimè diligunt, & eius suauissimis amplexibus pro voto semper fruuntur. Deo perfectè vniti, atque in eum feliciter absorpti sunt, & increatam eius bonitatem dulcedinemq́ue plenissimè gustant. Deúm intra se possident, & ab eo amorosissimè possidentur.

Septima, In supernâ Dei ciuitate, dulce nimis est familiariter viuere & conuersari cum Domino Iesu, & cum sanctissimâ eius genitrice virgine Mariâ. Dulce est, æternam societatem habere cum amabilibus splendidisq́ue spiritibus Angelicis. Dulcis valdè est humilitas, concordia, & charitas mutua omnium Beatorum. O quàm gratiosa, quàm læta, quàm numerosa est cælestis illa familia Dei!

Octaua, In lucidissimo templo, & admirabili domo Domini, beatitudo Sanctorum abundantissima est. Eorum claritas, pulchritudo, honestas, lætitia, potestas, opulentia, & gloria, prorsus est ineffabilis atque incomprehensibilis. Omnes ibi floridâ iuuentute gaudent: omnes sunt filij Dei, & præcellentes immortalesq́ue Reges ac Reginæ.

Nona. Benignissimus Iesus, pro immensâ pietate & misericordiâ suâ, dignetur me miserum admittere ad cælestem illam hereditatem, quam ipse pretioso Sanguine suo, vitalique morte suâ mihi comparauit: dignetur me perducere ad seipsum, qui est summum & incómutabile bonum meum. Amen.

§. IV.

Beatus Augustinus suspirat ad cæli gaudia.

Tract. in Psal. 149.

Quantâ fiduciâ exspectare debeamus possessionem æternæ beatitudinis, pro quâ nobis emendâ Christus Sanguinem dedit.

Suspiria ad vitam beatitudinis æternæ, pro quâ nobis donandâ Christus mortuus est. EIA suspiremus, & de suspirio gemamus: exæstuet anima nostra beatæ illius visionis & sanctæ pacis desiderio. Quid

Quid verò sumus, vt tantum bonum accipiamus? Mortales, proiecti, abiecti, terrà & cinis. Sed numquid pro minimo habet Deus hominem, propter quem incarnari & mori voluit vnicum Filium suum? Attendamus ad iudicium dilectionis. Tenemus mortem Christi, tenemus Sanguinem Christi. Erigat ergo se humana fragilitas; non desperet, non se collidat, non se auertat. Non dicat: Non ibi ero. Qui promisit, Deus est: & venit vt promitteret, apparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam. Promisit nobis, quòd ibi futuri sumus vnde venit, & ait: Pater, volo vt vbi sum ego, & ipsi sint mecum. Tanta præcessit dilectio, & tam benigna promissio. Quid tibi promisit Deus, ô homo mortalis? Quia victurus es cum eo in æternum. Non credis? Crede, crede. Plus est quod iam fecit, quàm quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Vt viuas cum illo. Incredibilius est quòd mortuus sit æternus, quàm quòd in æternum viuat mortalis. Iam quod incredibilius est tenemus. Speremus ergo, amemus, desideremus, vt cùm venerit quod credimus & non videmus, sine fine gaudeamus.

§. V.

Verba admodum amorosa, quæ commendata memoriæ, & deuotè ruminata, animam Deo suauiter coniungunt.

Adspirationes ad Iesu Christi amorem.

DVLCIS & amabilis Iesus mihi præsens est: ego illi reuerenter & amanter intendere debeo.

O vtinam ipse me pretioso Sanguine suo ablueret, perfecteque emundaret ac sanaret, & splendore gratiæ suæ illustraret!

O si vulneraret cor meum intimè, & hoc prorsus emolliret, atque inebriaret mellifluâ charitate!

O vtinam totus arderem, totus concremarer, & liquefierem igne amoris eius!

Peto, opto, desidero, vt Rex ille cælestis, qui dignatur sponsus esse animæ meæ, dignetur etiam me sibi placentem reddere. Amen.

Alia.

Exclamationes rhythmicæ ad Iesum.

IESVS dulcedo cordium,
Fons veri, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Iesus sole lucidior,
Et balsamo suauior,
Omni dulcore dulcior,
Et cunctis amabilior.
Iesus decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.
Bonum mihi diligere
Iesum, nil vltrà quærere,
Mihi prorsus deficere,
Vt illi queam viuere.
Amor Iesu me afficit,
Eius odor me reficit:
In hunc mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.
O beatum incendium!
O ardens desiderium!
O dulce refrigerium
Amare Dei Filium!
Hic amor ardet dulciter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Et delectat feliciter.
Quàm grata, quàm vernantia,
Quàm mellita, quàm fulgida
Sunt Christi Iesu Vulnera:
Hunc decet laus per sæcula. Amen.

Alia.

Salutationes ad Christi veneranda quinque Vulnera.

HVmiliter, & quâ possum deuotione, osculor roseum Vulnus dextri * pedis Iesu: atque hîc peto plenam veniam peccatorum meorum, vt Domino placeam. ** Vulnus sacrũ pedis dextri;*

Humiliter, & quâ possum deuotione, osculor roseum Vulnus sinistri pedis * Iesu: atque hîc peto veram perfectamque innocentiam, vt Domino placeam. ** Sinistri;*

Humiliter, & quâ possum deuotione, osculor floridum Vulnus dextræ * manus Iesu: atque hîc peto ornatum sanctarum virtutum, vt Domino placeam. ** Manus dextræ;*

Humiliter, & quâ possum deuotione, osculor floridum Vulnus sinistræ * manus Iesu: atque hîc peto internam illuminationem, vt Domino placeam. ** sinistræ;*

. Humiliter, & quâ possum deuotione, osculor amorosum Vulnus sacri * lateris Iesu. O splendida paradisi porta! ô conclaue miræ fragrantiæ! ô fons totius suauitatis! Saluto, veneror, & rursum osculor hoc Vulnus mellifluum, atque hîc peto inextinguibilem diuinæ charitatis ardorem, vt Domino placeam. ** Sacri lateris.*

Precatio.

Vtinam dulcis Iesus dignissima Vulnera sua cordi meo inscribat! Vtinam per illa me totum purificet, suique amore prorsus accendat & inebriet! Vtinam mihi concedat, vt in eisdem beatis Vulneribus sanctè commorer, & ab insidijs inimici semper securus sim! Amen.

Alia.

Alia.

Laudes amorosæ spōsæ animarū dulcissimi Iesu.

IESVS est pius, clemens & benignus Dominus Deus meus.

Iesus spes mea, refugium meum, & salus mea est.

Iesus totus est pulcher & floridus, totus amabilis & desiderabilis.

Iesus mihi charissimus, & dilectus meus vnicus, verusque consolator est.

Iesus amor meus, gaudium meum, deliciæ atque diuitiæ meæ.

Iesus lux mea fulgentissima, lux valdè venusta, & valdè delectabilis.

Iesus serena tranquillaque meridies, mansio iucunda ac secura, & pax mea suauis.

Iesus mellifluus Rex gloriæ, dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ.

Iesus superlucidus Sol iustitiæ, paradisus amœnissima, summum & perenne bonum meum. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Alia.

Glorificatio Deitatis.

DEVS est clarissima, iucundissima, & deliciosissima abyssus.

Ipse est summè pulcher, summè suauis, summè amabilis.

Charitas eius, dulcedo eius, pietas & benignitas eius immensa est atque incomprehensibilis.

Ipsi laus, honor & gloria in sempiterna sæcula. Amen.

Alia.

Laudatio dulcissimæ virginis Mariæ.

MARIA virgo gratiosa, mater Dei, Regina cæli, Domina mundi gloriosa, seruos suos mirificè exhilarat. Ipsa est præfulgida lætitiæ aurora: ipsa est hortus amœnissimè vernans, plenus cæli delicijs.

Maria omnium est speciosissima, omnium purissima, atque dignissima. Tota pulchra est & suauis, tota serena & amabilis.

Maria sole clarior est, filios gratiæ amanter illustrat. Gratâ fragrantiâ superat myrrham, thus, balsamum; superat violas, lilia, rosas.

Maria verè mitis & pia, verè clemens & benigna mater mea est. In omni necessitate mihi charum est refugium, præsens adiutrix, & dulcissima consolatrix. Ipsi honor in sæcula. Amen.

Exercitium amoris excellentissimum vtilissimumq́ est, sine quo nemo ad veram sui mortificationem atque resignationem facilè pertingit.

§. VI.

EXERCITIOLA QVÆDAM PIARVM PRECATIONVM.

Ad varios pro rebus varijs.

AD IESVM.

Oratio pro innocentiâ obtinendâ.

O PIE, ô clemens, ô benigne Redemptor! O spes mea, refugium meum, & salus mea! O consolator meus, fortitudo mea, Deus meus! Iesu bone, miserere, miserere, miserere mei pauperis & egeni. Adiuua me infirmum & inualidum. Propitius esto mihi vilissimo peccatori. Ego ingratus & immundus, constituo me infra omnes homines & omnem creaturam: indignus enim sum quem terra sustineat. Eia Christe Iesu laua me in Sanguine tuo pretioso. Dele omnia peccata mea. Emunda, sana, & sanctifica me perfectè. Responde, satisfac & supple pro me plenissimè. Restitue mihi sanctam innocentiam quam in Baptismo contulisti. Doce, illumina, & dirige me in omnibus, vt semper faciam voluntatem tuam. Mi Iesu, ego attendere cupio rosea Vulnera tua. Gratias ago pro eis: saluto & veneror illa. Saluete, saluete, fulgentes plagæ Regis æterni. Salue mellifluum cor amatoris mei pro me vulneratum: esto mihi nunc & in horâ mortis meæ munimentum atque solatium. Amen.

Pro resignatione & charitate.

O Domine, mortifica in me omne vitium, omnemque inordinatam proprietatem. Effice me verè humilem, & resignatū, & continentem: effice me hominem secundùm cor tuum. Ecce, relinquo me totum tuo beneplacito. Fiat in me & de me gratissima voluntas tua nunc & in æternum. Offero me ad sustinendum pro tui amore, & pro peccatis meis, quidquid volueris. Conforta me gratiâ tuâ: quia ex me nihil possum, nihil sum. Omnes homines sincerâ charitate complecti desidero, & complector. Benedic & benefac his qui me vmquam afflixerunt vel grauarunt. O dilecte mi, quid volo præter te? Tu mihi sufficis, & ego renuntio omnibus extra te. Vulnera, quæso, vulnera cor meum tui amore. Da vt purissimè atque ardentissimè diligam te. Obsecro accende me, concrema me, liquefac me totum. Commendo tibi finem vitæ meæ: commendo miseros peccatores. Adesto omnibus viuis, & fidelibus defunctis. Amen.

AD MARIAM.

Salutatio ad B. Virginem. O Maria virgo gratiosa, virgo suauis & decora! O clemens, ô pia, ô dulcis mater: miserere mei pauperis tui. Tu es spes mea, refugium meum, & consolatrix mea. Ego te saluto, te veneror, te inuoco. Aue sidus pulchrè rutilans, rosa valdè venusta, candidum lilium Trinitatis. Tu benedicta peperisti Filium Dei, & eum virgineis vberibus tuis lactasti: tua dignitas prorsus ineffabilis est. Eia Domina, impetra mihi plenam veniam & sanctam gratiam. *Orat pro virtutibus.* Dirige, adiuua, & protege me in omnibus. Ostende quà & quomodo pergere debeo. Doce me humilitatem, patientiam & charitatem veram: vt sim homo secundùm cor Dei. Commendo tibi finem vitæ meæ: commendo miseros peccatores. Ora pro omnibus viuis, & pro fidelibus defunctis. Amen.

AD SANCTOS.

Salutatio ad Sanctos pro cuiusq; deuotione nominãdos. Ave chare Dei Apostole N. Aue sancte Angele Dei, Princeps nobilis, custos meus fidelis. Auete amabiles sponsæ Christi N. N. N. Auete Sancti Sanctæque Dei omnes, & beati spiritus Angelici. Gratias ago Domino qui vos elegit, & in suis benedictionibus præuenit, atque glorificauit. Eia impetrate mihi hanc gratiam, vt sim homo secundùm cor Dei. Commendo vobis finem vitæ meæ, commendo miseros peccatores. Orate pro omnibus viuis, & pro fidelibus defunctis. Amen.

IN FESTO CVIVSLIBET SANCTI.

Oratio in festis Sanctorum. Ave vernans flos cæli, & gloriose ciuis paradisi beate N. Gratias ago Domino pro omnibus bonis quæ in te contulit. Glorifico illum, & tibi in augmentum gaudij & gloriæ offero totius boni, totiusque beatitudinis gazophylacium, cor Iesu Christi mellifluum. Eia obtine mihi, vt Domino placeam. Commendo tibi finem vitæ meæ, commendo miseros peccatores. Ora pro omnibus viuis, & pro fidelibus defunctis. Amen.

Circa susceptionem & in susceptione sacra EVCHARISTIÆ, *adspira ad Deum, & dic mente,*

Oratio ante Eucharistiæ communionem. Avfer à me, pie Iesu, quidquid tibi displicet. Præpara tibi gratam & amœnam habitationem in me. Exorna me inopem tuis meritis ac virtutibus. Effice me hominem secundùm cor tuum. Amen.

O bone Iesu, dilecte mi, charissime mi! O amor meus vnice, dulcedo cordis mei, vita animæ meæ! O Iesu mellifiue! miserere mei: vni me tibi intimè ad gloriam nominis tui. Amen.

Quando in peccatum vel defectum notabilem incidisti, aut etiam vesperi post examinationem conscientiæ, seu quouis alio tempore, potes DOMINO IESV *dicere:*

Ehev Domine Iesu! peccaui, peccaui, & malum coram te feci. Miserere mei, obsecro, miserere mei, quia pius es & clemens: tibi proprium est misereri semper, & parcere humiliantibus se. *Amatoria & precatoria suspiria pro defectuũ emendatione.* Culpam agnosco, & veniam peto. Ablue me purissimo Sanguine tuo. Dele omnes maculas quas contraxi. Ego omnia peccata mea omnesque defectus meos depono in cruenta Vulnera tua, & proijcio in abyssum misericordiæ tuæ, sperans & confidens in immensâ bonitate tuâ. Responde & satisfac pro me plenissimè. Propono, te adiuuante, corrigere me. Renuntio propriæ voluntati & quæstioni: renuntio omni iniquitati atque inordinationi. Conforta & salua me Domine Deus meus. Amen.

Oblatio meritorum CHRISTI IESV *& B.* MARIÆ *pro peccatis.*

Vita & mortis Christi oblatio pro peccatis. O Pater cælestis, ego in plenam emendationem, expiationem, atque satisfactionem pro omnibus delictis ac negligentijs meis, & pro peccatis totius mundi, offero tibi prædilectum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum. Offero sanctissimam conuersationem, passionem & mortem illius. Offero labores, ærumnas, & cruciatus eius, ac pretiosum Sanguinem ipsius. *& Beatæ Mariæ & omnium Sanctorum.* Offero merita beatissimæ virginis Mariæ, & omnium Sanctorum tuorum. Miserere mei Domine, miserere mei per ipsum Vnigenitum tuum. Commendo tibi miseros peccatores. Adesto omnibus viuis, & fidelibus defunctis. Amen.

BRE-

BREVE ROSARIVM.

Instructio ad legendum Rosariolum. *Dictâ semel Oratione Dominicâ, addes decies Salutationem Angelicam: & pro conclusione adiunges has duas Precatiunculas.*

Conclusiuncula I. MISERERE mei, pie Iesu: miserere mei, suauis Maria. Auferte à me quidquid oculis vestris displiçet. Commendo me vobis nunc & in horâ mortis meæ. Ecce Domine mi, ego resigno me totum in tuum beneplacitum. Fiat in me & de me gratissima voluntas tua. Effice me hominem secundùm cor tuum. Amen.

II. O bone Iesu, dulcis Iesu, propter amaram passionem mortemque tuam, da viuis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Amen.

Monitiuncula de Rosariolo. *Poteris hoc spirituale sertum, elegantibus Angelicisque floribus compactum, beatæ virgini Mariæ sæpiùs in signum purissimi amoris offerre: admodum enim illi & Filio eius gratum est, si deuotâ mente legatur.*

§. VII.

SEX PSALMI

MIRÆ SVAVITATIS ET VIRTVTIS.

Est collectaneum ex varijs Dauidicis Psalmis.

Scopus & vsus horum Psalmorum ex Dauide collectorū. VT fidelis & Deo dedita anima in promptu haberet breue aliquod exercitium Psalmodiæ sacræ; complures versus, qui cor pium ad laudem amoremque Dei dulciùs allicere videbantur, decerpti fuerunt hinc inde ex Psalterio Dauidico, atque in hos sex Psalmos digesti. Iam quisquis eos sincerâ, humili attentâque mente legerit aut ruminauerit, spiritualem lucem consolationemque, & copiosum fructum in illis inueniet. Nam Psalmodia carmen cæleste est, cor purificans & exhilarans, atque in animam adducens quidquid necessarium est ad placendum Deo.

PSALMVS I.

Psal. 50. MISERERE mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Asperges me hyssopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proijcias me à facie tuâ, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui totâ die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam leuaui. 85.

Quoniam tu Domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

Intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus. 5.

Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordiâ tuâ: Domine non confundar, quoniam inuocaui te. 30.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit. 6.

Cantabo Domino in vitâ meâ: psallam Deo meo quamdiu sum. 103.

Iucundum sit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMVS II.

BEnedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Psal. 102.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordiâ & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. 17.

Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum.

Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.

Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.

91. Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime.

144. Exaltabo te Deus meus Rex: & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.

Suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius.

145. Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion in generationem & generationem.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMVS III.

Psal.103. Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer.

Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.

85. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

58. Factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ.

117. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

72. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tuâ deduxisti me, & cum gloriâ suscepisti me.

Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?

Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

41. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

26. Tibi dixit cor meum, Exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

72. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

Exultent & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. 39.

Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus. 71.

Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum, & replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMVS IV.

Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Psal. 46.

Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.

Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo. 33.

Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro. 94.

Præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes deos.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. 9.

Lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo Altissime. 85.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus. 144.

Regnum tuum, regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem.

Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo. 65.

Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam. 70.

Exultabunt labia mea cùm cantauero tibi, & anima mea quam redemisti.

Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto eius in sæculum, & in sæculum sæculi. 144.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMVS V.

Psal. 145. LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vitâ meâ, psallam Deo meo quamdiu fuero.

29. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me à descendentibus in lacum.

99. Iubilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitiâ.

Introite in conspectu eius, in exultatione.

Laudate nomen eius, quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius, & vsque in generationem & generationem veritas eius.

33. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur.

26. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

117. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

9. Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.

26. Credo videre bona Domini, in terrâ viuentium.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMVS VI.

Psal. 121. LÆtatus sum in his quæ dicta sunt mihi, In domum Domini ibimus.

83. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

41. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

26. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ:

Vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & 25.
locum habitationis gloriæ tuæ.

Beati, qui habitant in domo tuâ Domi- 83.
ne, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: 35.
& torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.

Quàm magna multitudo dulcedinis 30.
tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!

Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: 15.
delectationes in dexterâ tuâ vsque in finem.

Satiabor cùm apparuerit gloria tua. 16.

Melior est dies vna in atrijs tuis super 83.
millia.

Repleti sumus manè misericordiâ tuâ, & 89.
exultauimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris.

Laudate Dominum omnes gentes: lau- 116.
date eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

In fine cuiuslibet Psalmi possunt addi hæc verba.

DA Domine viuis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Amen. *Conclusiuncula pro Psalmis.*

SVSPIRIA AMOROSA EX EXERCITIIS BEATÆ THRVTHÆ SIVE GERTRVDIS VIRGINIS.

O IESV mi chare! quando corpus meum, te perimente, reuertetur in puluerem, & anima mea refluet in te suam originem? *Amorosæ adspirationes quibus sese in amorem Dei accendebat sancta Christi sponsa Gertrudis.*

Quando in te, ô pax mea dulcissima, obdormiam, & requiescam, vt apertè contempler tuam ineffabilem gloriam?

Quando plenè aspirabit mihi melliflux Diuinitatis tuæ fragrantia, & exorietur tuæ manifestæ visionis dies sempiterna?

O quàm bonum eſt, dilecte mi, te clarè videre, te habere, & in æternum poſſidere!

Eia, tu mihi concede, vt miſeram hanc vitam in tuâ gratiâ atque amicitiâ feliciter finiam.

In horâ exitus mei benedic animæ meæ, & mortem meam inuolue vitali morti tuę, quæ eſt chariſſimum fœdus, firmiſſimumque pactum reconciliationis meæ.

Tunc mitte ad me fidelem adiutricem Mariam Virginem, matrem tuam amabilem, & Stellam maris inclytam; vt conſpectâ hac præclarâ rutilantique aurorâ, cognoſcam te Solem iuſtitiæ mihi iam propinquum eſſe.

Dic tunc animæ meæ: Salus tua ego ſum; ego creator, redemptor & amator tuus, per anguſtias mortis quæſiui & acquiſiui te; ſemper mecum eris, noli timere.


Eia, tunc recipe me in beatam domum æternæ pacis & claritatis tuæ.

Ibi, ô ſalus mea vnica, viſu melliſluæ præſentiæ tuæ conſolare me.

Ibi guſtu charæ acquiſitionis, quâ me redemiſti, recrea me.

Ibi in ſpiramento ſuauiſlui ſpiritus tui attrahe & imbibe me.

Ibi per oſculum perfectæ vnionis in perpetuam tui fruitionem immerge me: vt viuam de te, & exultem in te, tibique hoſtiam laudis reddam ſine fine. Amen.



VENE-

VENERABILIS PATRIS

D. LVDOVICI BLOSII

CONCLAVE

ANIMÆ FIDELIS

PARTIBVS IV. DISTINCTVM.

I. Speculum ſpirituale.
II. Monile ſpirituale.
III. Corona ſpiritualis.
IV. Scriniolum ſpirituale.

LVDOVICI BLOSII CONCLAVIS ANIMÆ FIDELIS

PARS PRIMA, SIVE SPECVLVM SPIRITVALE.

PRÆFATIO.

MAGNA, *sed piâ importunitate cuiusdam amici victus, hunc libellum confeci. Is enim non cessabat efflagitare à me spirituale aliquod Speculum, in quo breuiter adnotarem ea quæ ad vitam sanctè instituendam præcipuè conducunt, & diligenter insererem illa quæ peccatori vel imperfecto, sed bonæ voluntatis homini, consolationem veramque erga Deum spem & fiduciam præstare solent: ita vt ipsum Speculum posset vsui esse cuilibet Christiano. Ego itaque desiderans amici iustissimæ petitioni aliquâ ex parte satisfacere, congessi hic aliquantulùm multa, sicut memoriæ occurrerunt. Et quod feci, ad Dei honorem feci: humiliter submittens ea quæ collegi & scripsi, iudicio sanctæ matris Ecclesiæ.* 1. Occasio conscribendi Speculi.

Ceterùm illi qui, abiecto Dei timore, in peccatis & iniquitatibus suis sponte permanent, nullo modo putare debent ad se pertinere consolationes in hoc libello positas, cùm neque bonâ voluntate præditi, neque veri Christiani sint. Corrigant se, & tunc ad eos pertinebunt ea, quæ de immensâ pietate ac misericordiâ Dei dicuntur scribunturque. Quòd si vitam suam peruersam corrigere noluerint, omnino seueritatem diuinæ iustitiæ sentient, & æterna tormenta in inferno patientur. 2. Scribitur hominibus bonæ voluntatis.

SPE-

SPECVLI SPIRITVALIS CAPVT I.

Vnde debeat incipere, qui Deo cupit ex animo seruire.

§. I. *Fundamentum vitæ spiritualis est* COGNITIO DEI ET SVI.

1. *De Deo igitur reuerenter sentiendum, vt timeatur, honoretur, ametur:*

2. *Et propter ipsius beneplacitum ab omni peccato abstineatur.*

3. *De teipso, agnosce cur sis in hoc mundo collocatus: nempe vt hîc Deo fideliter seruias, & posteà ipso fruaris perpetuò in cælis.*

§. II. *Dei cognitio habenda est secundùm* FIDEM VERAM *& illibatam.*

1. *Itaque perseuerandum in fide Orthodoxâ sub obedientiâ Ecclesiæ Catholicæ, eiusque in terrâ supremi capitis, Pontificis Romani.*

2. *Extra huius Ecclesiæ communionem nullus poterit saluari, quantumuis alioquin iustè viuere, & piè mori videatur.*

3. *Millies igitur moriendum potiùs, quàm ab hac Ecclesiæ fide verbo vel signo in vllâ re discedendum.*

4. *Nihil prorsus consortij cum diabolo, magis aut sortilegis habendum.*

§. III. *A teipso exige primò & præ omnibus* INNOCENTIAM VITÆ.

1. *Etenim illi studendum sedulò, quia nihil inquinatum intrabit in cælum.*

2. *Ad eam necessaria est conscientiæ mundatio per contritionem, & confessionem Sacramentalem:*

3. *Quæ pura & integra debet esse de omnibus peccatis mortalibus;*

4. *Non sit autem scrupulosa, vel anxia;*

5. *Nec opus est in eâ omnia venialia detegere.*

6. *Eâ semel peractâ, completaque satisfactione, de reliquo serenanda est conscientia.*

§. IV. *Accedat etiam* SPES HVMILIS *& magnanima.*

1. *Pia enim in Deum fiducia ipsius bonitatem glorificat:*

2. *Sicut econtrà, nimia diffidentia inhonorat.*

3. *Non tamen hinc ad otiosam præsumptionem prolabendum est:*

4. *Nam inter desperationem & præsumptionem media incedit humilis fiducia, ad quam nos dulciter animat sacra Scriptura.*

§. I. COGNITIO DEI ET SVI.

1. *De Deo sentiendum in bonitate cum timore, honore, amore:*

AMICE charissime, moneo, hortor, & rogo te, vt timeas, honores, atque diligas Dominum Deum tuum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum in substantiâ, trinum in personis. Ipse enim est omnipotens, immensus, æternus, celsissimus, incommutabilis, incomprehensibilis, summè iustus, summè sanctus, summè sapiens, summè bonus, summè suauis. Ipse fecit è nihilo cælum & terram, & omnia quæ cælo terraque continentur. Ipse omnes mortalium omnium non solùm actiones, sed etiam cogitationes atque affectiones videt, perfectéque perspectas habet: cognoscit omnia præterita, præsentia, & futura. Hominum amantissimus est, & in hac vitâ vnicuique benefacere non cessat. Vnde meritò illi timor, honor, & amor exhibendus est.

2. *Eiusque gratiâ à peccatis abstinendum.*

Caue sedulò, ne peccando iniuriam ei irroges. Etiam si consentiendo alicui peccato, posses teipsum & plurimos alios à morte eripere, nullo tamen modo deberes peccato consentire: neque enim licet facere mala, vt veniant bona; (Rom. 3.) & nimis absurdum foret, pro vtilitate creaturarum (quæ comparatæ Deo, quasi nihil sunt) scienter ac deliberatâ voluntate offendere Creatorẽ, qui est bonum infinitũ. Sanctus Dei timor hominẽ incessanter cõmonefacit, vt à peccatis abstineat, ac *sobriè, iustè, & piè viuat in hoc sæculo.* Tit. 2.

3. *Cogitet homo se & finem suum, ob quem à Deo conditus est.*

Cogita seriò, te ad hoc à Deo creatum esse, animamque ratione præditam & immortalem accepisse, vt hîc Deo obedias, eumque ames; & ei obediendo, benequé viuendo, tandem illum in cælo clarè videas, atque ipso fruaris in æternum. Si enim diligenter à malo declinaueris, & bonum feceris; si Deum fideliter colens, in pietate vitam hanc finieris; feliciter peruenies ad cælestem beatitudinem per passionem & merita Iesu Christi.

§. II. VERA FIDES.

1. *Sub Ecclesia Catholica obedientiâ.*

Retine firmiter Orthodoxam fidem, credens sine aliquâ hæsitatione omnia quæ canonicæ & sanctæ Scripturæ ab Ecclesiâ receptæ complectuntur, & quæ Spiritus sanctus credenda nobis reuelat pronuntiatque per Ecclesiam. Ipsi Catholicæ Ecclesiæ humiliter obtempera, etiam si nonnullos pastores in eâ non rectè viuere conspicias. Nam Dominus Iesus in Euangelio loquens de pastoribus malè quidem viuentibus, sed bona docentibus atque præcipientibus, ait: *Quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.* Matth. 23. Qui contemnit Ecclesiam, quæ est corpus Christi mysticum, contemnit & caput Ecclesiæ, videlicet Christum: quemadmodum ipse verbis suis apertissimè ostendit, dicens: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Lucæ 10. Huic vniuersali & Apostolicæ Ecclesiæ, quam S. Paulus columnam firmamentumque veritatis appellat, 1. Tim. 3. summus Pontifex beati Petri successor præest in terris ex ordinatione Domini. Ioan. 21.

Extra

2. *Gen. 7. Extra quã nemo saluari potest:* Extra hanc Ecclesiam, quæ vnica est, extra hanc arcam Noë, nullus omnino saluatur. Licet verò in eâ sint non solùm boni, sed & plurimi mali, qui graues abusus grauiaque peccata impudenter committût: (ipsa enim est area continens hîc non tantùm solida grana, verùm etiam steriles leuesque paleas cum granis,) manet tamẽ veritas in illâ. Nam *Lucæ 24.* Spiritus sanctus fideles ibi docet, illuminat ac regit: eidemq; Ecclesiæ donat veram diuinarum Scripturarum intelligentiam. Itaque certissimum est, eos omnes, qui opinionem aliquam Romanæ Catholicæq; Ecclesiæ contrariam tenent, & defendunt, atque ita sese ab illius vnitate separant; si pertinaces in hæresi aut schismate vitam finierint, æterna supplicia in inferno luituros, quamlibet iuste alioqui hîc viuere videantur. *Etsi benè moraliter alioquin viuat.* Planè, hæretici atque schismatici, etiamsi modesti, benigni, sobrij & casti admodum appareant, etiamsi largissimas eleëmosynas pauperibus tribuant, etiamsi assidue Deum orent, & in precibus suis compuncti multas lacrymas fundant; etiamsi vitam maximè rigidam ducant, & mira opera patrent; etiamsi corpora sua morti promptè intrepideque obijciant: quia tamen superbi sunt, & Scripturas sacras falsis expositionibus peruertunt, vnitatemque Ecclesię scindunt, veram charitatem habere non possunt. Deus eos abominatur, & à regno suo tamquam grauissimos hostes repellit: nec vmquam ipsi salutem consequentur, nisi humiles obedientesque facti, subijciant se matri Ecclesię, ac prauas opiniones suas deponant. Persiste igitur (vt dictum est) in rectâ, Christianâ & verâ fide; credens absque simulatione quod Catholica credit Ecclesia, & exercens quod illa pie exercet.

3. *In hac ergo Ecclesia fide perseuerandum & moriendum.* Si in eam veneris necessitatem, vt vel ipsam Orthodoxam fidem negare, vel tormenta subire, mortemque oppetere cogaris: tu potiùs millies (si fieri posset) morere, quàm vt aliquod impiæ abnegationis verbum aut signum edas. Nam si fidem siue *Mar. 8.* Christum negaueris, negabit & Christus te coram Patre suo; nisi pœnitentiam agens *Lucæ 22.* resipueris, sicut resipuit sanctus Petrus, qui post trinam negationẽ fleuit amarè. Quòd si pro rectâ fide & veritate humiliter mortem pertuleris, beatus eris. Tales Dominus Iesus in Euangelio securos facit, dum dicit: *Math. 10.* *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Itemque: *Luc. 21.* *Capillus de capite vestro non peribit: in patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.* Et rursum, *Math. 10.* *Qui perdiderit*, inquit, *animam suam propter me, inueniet eam.*

4. Superstitiosas obseruationes, omnemque vsum magicæ vel diuinatoriæ artis exsecrare. *Superstitiones & omnia sortilegia ac maleficia fugienda.* Numquam remedium aut consilium aliquod à sortilegis maleficisque petas: sed semper refuge ad Dominum Deum tuum, & spem tuam in eo colloca, eique innitere. Audi ipsum in Deuteronomio dicentem populo suo: *Deut. 18.* *Non inueniatur in te qui ariolos sciscitetur, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec diuinos: omnia enim hæc abominatur Dominus. Gentes, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.* Hæc ibi. Profectò qui à talibus remedium vel consilium petit, is ad diabolum, Deo derelicto, se confert.

§. III INNOCENTIA VITÆ.

1. *1. Cor. 6. Postulat omnimodam puritatem, cùm nihil impurum in cælum admittatur.* Vita diligenter omnem iniquitatem, audiens attentâ mente Paulum Apostolum, qui seriò admodum & cum magno verborum pondere ait: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Et iterùm, *Manifesta sunt*, *Gal. 5.* inquit, *opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ, prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Hucusque verba Pauli. Omnino damnabuntur qui talia agunt, nisi per veram *Math. 3. & 25.* pœnitentiam atque emendationem Deo reconcilientur. In tremendo iudicio, quando permundabitur area Dominica, & paleæ à tritico separabuntur, Christus eis dicet iratus, *Ite maledicti in ignem æternum.* Tu horum verborum memor sis.

2. *Conscientiæ autem puritas est per pœnitentiam verè procuranda.* Iam vt puritatem conscientiæ adipiscaris, intusque illumineris, reuoca ad memoriam quemadmodum offenderis Deum, teque neglexeris, in verbis, actibus, desiderijs, cogitationibus, tui immortificatione, affectusque impuritate, & in illis omnibus quæ inique vel inordinatè admittuntur, quæque à sanctâ charitate dissentiunt, & gratissimæ Dei voluntati repugnant. * Explora teipsum, & discute quantum meminisse potes: ac tibiipsi displicens, vociferare in corde tuo cum Publicano, & dicito: *Deus propitius esto mihi peccatori. Peccaui Domine, peccaui: miserere mei. Tantus est numerus & tam multiplex varietas culparum mearum, vt tibi soli Deo meo perfectè cognitæ sint. Ignosce misero mihi. Ablue faciem animæ meæ à cunctis sordibus, & exorna eam gratiâ tuâ, donans mihi bonam voluntatem.* Ad hunc modum

*Obseruãdi sunt hic, ad vtilem praxim, varij actus veræ & peccatorum delectiuæ contritionis. Lucæ 18.

dum

dum attende & iudica teipsum: ad hunc modum ingemisce coram Patre tuo cælesti, cui proprium est misereri semper & parcere. Doleas purè ad gloriam Dei:& iniquitates tuæ ideò potissimùm tibi displiceant, quòd eas Deo displicere, honorique & beneplacito eius contrarias esse intelligis. Magis pondera iniuriam quam Deo intulisti, quàm pœnas quas commeruisti.

3. *Vide humilem & perfectam Confessionē sacramentalem.* Deinde humiliter, integrè, sincerè, nudè, apertè, paucisque verbis confitere ipsa peccata tua etiam coram idoneo Sacerdote, vices ac locum Dei obtinente, qui auctoritatem habeat te absoluendi. Si libet confiteri cunctas graues culpas atque offensas quas te ab infantiâ admisisse meministi; * vbi semel hoc egeris, satis est, & æternæ Dei veritati sufficit: licet nonnulli pij inueniantur, qui plus quàm semel id faciant. Omnino expedit, vt quia quotidie offendis ac maculas contrahis, crebrò etiam teipsum coram Sacerdote expurges.

* Sententia de Confessionum iteratione.

4. *Scrupuli post Confessionem reijciendi.* Sed reijce superfluos atque inanes scrupulos: hi enim illuminationem internam prohibent, & conscientiam, quam fide, spe & charitate ornatam esse oportet, formidine, anxietate, priuatoque amore deuenustant. Si post confessionem vt oportet peractam, remorsus adhuc remanent, patienter cum humili resignatione ferendi sunt; & propter illos confessio huiusmodi leuiter iteranda non est.

5. *Veniales culpæ nō omnes necessariò confitendæ.* Itaque non eris nimis anxius, neque perturbaberis, si fortè non omnes veniales culpas in confessione expressisti: † nam tales generaliter exposuisse satis est, cùm mortalia dumtaxat peccata, & ea de quibus dubium est vtrùm mortalia sint, expresse ac distinctè ex præcepto atque necessitate confiteri corā Sacerdote obligemur. At, coram Deo ipsas veniales culpas seriò confiteri debemus, quæ multis modis delentur: puta contritione, Dominicæ Orationis prolatione, grauamine aliquo propter Deum perlato, Aquæ benedictæ aspersione, genuflexione, gemitu, tunsione pectoris, &c. * si talia piè & religiosè fiant. Vtile tamen animæ & Deo gratum est, vt homo accuratè etiam leuiores offensas coram Sacerdote confiteatur atque exprimat: sed (sicut diximus) inanes scrupuli reijciendi sunt.

* Ita clarè docet D. Thomas 3. p. q. 87. art. 3. ex S. Augustino lib. de Medicinâ pœnitentiæ c. 2.

6. *Peractâ Confessione, serenanda est conscientia.* Sanè cùm te peccasse iam pœniteat, & doleas quòd vmquam Deum offenderis, proponasque deinceps illi seruire, & eum amare, atque delicta tua rite confessus sis: bono

† Hanc communem & veram de venialibus peccatis, quòd sint sufficiens sed non necessaria materia Sacramenti Confessionis, doctrinam cum Doctoribus Theologiæ ac Casuum Conscientiæ, tenet & approbat Synodus Tridentina sess. 14. cap. 5.

animo esse, pacemque cordis habere debes. Fac igitur & exple diligenter id quod tibi à Sacerdote fuit iniunctum: ac confessionis virtuti diuinæque promissioni fidem adhibe. Crede Domino, qui Sacerdotibus confessiones legitimè recipientibus, dicit: *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Matth. 18.

§. IV. SPES MAGNANIMA.

Spera in Dei benignitate ac misericordiâ. 1. Iam enim, quia te ipsum cōgruâ contritione, confessione, & satisfactione expurgasti, Deo reconciliatus es, etiā si tu solus omnes omnium hominū iniquitates & transgressiones perpetrasses. Ipse iam te recepit in gratiam, & peccata præterita quæ condonauit, posthac tibi nec imputare, nec improperare vult. Ita ea texit, ita deleuit, (si vera, sancta ac diuina fuit pœnitentia tua,) quasi numquam admissa fuissent. Sed oportet te deinceps in bonâ piâque vitâ persistere, & quando ex infirmitate laberis, mox resurgere. Deus tuus liberalissimus Rex est, omnia debita tua, quantumcumque magna sint, libentissimè remittit: omnipotens medicus est, omnem morbum, quantumlibet grauem & inauditum, dicto citiùs in animâ tuâ curat. Exemplo tibi sunt Dauid Rex, Maria Magdalena, latro in cruce, & alij innumeri. Ita enim facile Deo est plurimis mortalibus culpis veniam dare, sicut vni. Et gratum illi valdè est, vt sic de eo sentias, vtque dicas humiliter: *Domine Iesu, ego confido de immensâ bonitate tuâ, quòd me numquam perire sines, quem creasti ad imaginē & similitudinem tuam, ingentiq́ labore redemisti.* Licet multa nimis sint peccata tua, collata tamen infinitæ Dei misericordiæ, quid sunt?

Humilis fiducia peccatoris pœnitentis vtilis est peccatori, & grata est Deo.

2. Reg. 12. Lucæ 7. Lucæ 23.

2. Nonnulli nimis modicæ fidei homines propter mala quę commiserunt, vel propter diras tentationes quibus satanas eos diuerberat, de spe salutis suæ decidunt: putantes, conscientias suas ita obligatas & irretitas esse, vt Deus eis subuenire aut nolit, aut nequeat. Implacabili metu miserè agitantur: & omnia quæ faciunt, Deo displicere, seque iam perditos ac damnatos esse credunt. Error iste grandis ac permolestus est, cui qui consentit, Deum maximè inhonorat. Vult & potest Deus cuilibet homini verè contrito ignoscere, eumque ab omni salutis impedimento (qualecumque etiam illud sit) eripere ac liberare. Nisi peccatori conuerso veniam dare vellet, non eius conuersionem tam patienter expectasset, nec ei contritionem bonamque voluntatem dedisset, sed eum peccantem æternâ damnatione puniuisset, iuxta iniquitatum commissarum exigentiam. Permittit quidem nonnumquam, vt

Antidotum aduersus diffidētiam & peccatori perniciosam & Deo ingratam.

vt fideles serui atque electi amici sui desperatione vel alijs horrendis planeque infernalibus tentationibus pulsentur, ac longo diuexentur tempore: sed hoc ex ingenti erga eos amore facit, protegens interim illos ac sustentans ne deficiant.

3. *Aliud aduersus præsumptionem & vanam fiduciam remedium.* Multi tamen malè attendentes magnitudinem misericordiæ Dei, perdunt animas suas, dum non corrigunt iniquam vitam suam, sed dicunt, si non linguâ, saltem factis: Quare non faceremus quod volumus? nam quandocumque conuertemur ad Deum, ignoscet nobis Deus, & remittet omnia peccata nostra. Sed heu! tales & longam vitam & veram pœnitentiam sibi promittentes, sæpè iusto Dei iudicio neutram obtinent, & in peccatis suis moriuntur.

4. *Ezech. 18. Scriptura ad piam fiduciam dulciter nos inuitat.* Quinam autem fieri potest, vt is qui sese corrigere paratus est, desperet de benignissimâ Dei pietate? Deus enim per Prophetam suum dicit: *Cùm auerterit se impius ab impietate suâ, quam operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiam, ipse animam suam viuificabit. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitiâ suâ, quam operatus est, viuet. Numquid voluntatis meæ est mors impij, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Rursum ait: (*Isa. 49.*) *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Etsi illa oblata fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.* Et iterum ita loquitur: (*Ierem. 32.*) *Numquid mihi difficile erit omne verbum?* Itemque ait: (*Isa. 44.*) *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Ac rursum, (*Ibid. 1.*) *Lauamini*, inquit, *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite benefacere. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* His & compluribus alijs similibus sententijs Deus, qui neminem perire cupit, te in Scripturis sanctis consolatur, vt clementissimæ bonitati ipsius confidas. Confide igitur, ô homo bonæ voluntatis, confide in misericordiâ Dei tui, etiamsi mox post correctiorem vitam inchoatam ex hoc mundo emigrare debeas. (*Math. 20.*) Sicut enim Euangelium testatur, illi quoque denarium beatitudinis æternæ accipiunt, qui vnicâ tantùm horâ laborauerunt in vineâ, id est, qui iustè & piè modico admodum tempore vixerunt: & beati pronuntiantur à Dominó etiam hi, qui in tertiâ vi- (*Lucæ 12.*) giliâ, hoc est in senectute, parati inueniuntur. Si verò non statim posteà quàm ad Deum conuersus & reuersus es, euocatis ex hac vitâ, constanter perseuera in sancto proposito, & timore Domini.

CAPVT II.

Virtutes quædam, quibus se perpetuò exercere debeat homo Christianus.

§. I. PATIENTIA.

1. *Deus initia conuersionis delicijs tranquillæ pacis condire solet, sed afflictionibus probat proficientes & prouectos.*
2. *Patienter itaque & lætanter crux à Deo imposita toleranda est.*
3. *De manu enim eius nihil prouenire potest, nisi in vtilitatem nostram.*

§. II. RESIGNATIO.

1. *Humilia te, & omnino nihil te esse ex animo agnoscas.*
2. *Proprij sensus obstinationem, & omnem pertinacem contentionem fuge.*
3. *Teipsum, omniaque iudicia ac desideria tua plenè in Dei voluntatem resigna.*

§. III. OBEDIENTIA.

1. *Eius meritum immensum.*
2. *Inobedientiæ secretæ exemplum.*
3. *Reprehensiones tibi illatas suauiter perfer.*

§. IV. FVGA VANÆ GLORIÆ.

1. *Non cupias hominibus placere, sed soli Deo.*
2. *Vilibus propter Christum contentus esto.*
3. *Initijs tentationis vanæ gloriæ statim acriter repugna.*
4. *Humilitas virtus cælitum, philautia propria diabolorum.*

§. I. PATIENTIA.

ET vt omni reliquo vitæ tuæ tempore pœnitentiam Deo gratissimam agas, tolera miti ac mansueto corde aduersa & incommoda omnia quæ tibi eius permissu eueniunt, atque à creaturis inferuntur. Solet Dominus hominem ad se conuersum in initio quidem multis consolationibus exhilarare, offerens ei pænè assiduè lac spirituale & candidum panem gratiæ: sed posteà, subtractâ hac suauissimâ escâ, cibum solidum ac panem atrum illi porrigit, iamque eum per viam admodum inamœnam, difficilem & tenebrosam ducit, exercetque illum tribulationibus diuturnis atque angustijs ineffabilibus; adeò vt huiusmodi homo videatur sibi prorsus à Domino derelictus abiectusque, & quodammodò satanæ traditus. Interim etiam grauissimè affligitur à vitijs in se exurgentibus, atque ab hominibus se persequentibus. 1. *Initia conuersionis delicijs, progressum subinde amaritudinibus condire solet Deus.*

2. *Ergo patienter & promptè crux imposita perferatur.* Si tibi istud acciderit, vide vt strenuè ac sapienter te geras, firmiter confidens in Deo tuo, qui ex vero amore ita te flagellat siue flagellari sinit. Non excutias ab humeris tuis crucem quam ille imponit: nam ea tibi omnino salutaris est, & longè vtilior, quàm magna spiritualis dulcedinis abundantia. Cùm Dominus tuus sit peritissimus medicus, vrit, secat, amarasq; potiones tibi offert,

vt te sanet. Hoc sciens, sustine patiẽter quidquid te grauat: perfer omnem afflictionem ob honorem amoremque Dei, in remissionem peccatorum tuorum.

3. *De manu Dei omnia accipiãtur, à quo nil nobis nisi bonum confertur.*

Numquam murmures aduersus Deũ, neque opera iudiciave eius reprehendas, licet enim hæc occulta & incognita atque etiam incomprehensibilia tibi sint, semper tamen iusta ordinatissimaque sunt. Non putes quidquam fortuitò & absque Dei prouidentiâ accidere in mundo: sed in omnibus sapienter attende diuinam dispositionem, sine quâ nec vnum quidem folium de arbore decidit. Deus qui creauit omnia, gubernat etiam & regit omnia, à supremo spiritu Angelico vsque ad infimum terræ vermiculum. Hoc si indubitanter credideris, faciliùs poteris æquo imperturbatoque esse animo inter varios casus vitæ præsentis.

§. II. RESIGNATIO.

1. *Sis humilis ex animo.*

Sis, oro, bonæ resignatæque voluntatis, & verè humilis. Numquam te aliquid esse existimes: sed mane iugiter in oculis tuis & in intellectu tuo paruulus ac nihil. Non magni facias bona quæ agis, sciens ea plena esse defectibus: aliorũ verò bona opera magnipende, & illa tuis bonis operibus præfer. Nõ tibi vanè placeas de aliquo Dei dono: qui enim consentit vanæ suipsius cõplacentiæ, faciem animæ suæ fœdissimâ deturpat maculâ.

2. *Proprium sensum fugias, & verbis ne contendas.*

Duritiam & obstinationem proprij sensus sedulò fuge: nam ea gratiâ Dei protectumq; spiritualem maximè impedit. Deuita itidem indecentes verborum contentiones: malens victus videri, quàm virtutem sanctę humilitatis amittere. Etiam si pro fidei & veritatis defensione cogaris quidpiã constãtiùs asserere: non tamen superbè te geras, nec sis turbulentior aut concitatior quàm oportet.

3. *Teipsum plenè resigna diuino beneplacito.*

In rebus dubiis voluntatem Dei ab aliquo Deum timente submissâ mente require, & Deus te diriget atque proteget. Disce promptè deserere iudicium tuum, voluntatem tuam & desideria tua, propter Deum. Cùm difficile sit certò semper scire, quænam desideria sint à Deo, homo etiam in illis quæ se rectè desiderare putat, resignatus esse debet ac Deo dicere: ***Domine, fiat non quod ego volo, sed quod tu vis, & quod honori tuo magis congruit.***

§. III OBEDIENTIA.

1. *Quanti sit meriti obedientia.*

Paratus sis semper ad obediendum: quia minimum opus ex verâ obedientiâ factum magis Deo placet, quàm grande opus ex propriâ voluntate peractum.† Melius enim est ex simplici obedientiâ quisquilias colligere, quàm ex propriâ voluntate sublimi rerum cælestium contemplationi operã dare: & plus diuini fauoris obtinet, qui ex purâ obedientiâ sobriè continenterque ad laudem Dei manducat, quàm qui rigidissimam abstinentiã ex propriâ voluntate amplectitur. Adeò scilicet gratum Deo sacrificium est, propriæ voluntatis, proprij sensus, & propriæ quæsitionis abnegatio. Obedientia humilitatis prima filia, reddit hominem aptum ad quamlibet gratiam suscipiendam, atque ad cælum via tutissima est.

2. *Inobedientiæ exemplum formidandũ.*

Qui obedire non vult in his in quibus obedire debet, & audax, ferox, atque contumax est in Præpositos suos, is inimicissimus Deo est. Quædam eximiæ sanctitatis Virgo, videns in spiritu animã cuiusdam Monachi pœnis purgatorijs grauiter torqueri, qui tamen satis probè vixisse putabatur, interrogauit Deum, quam ob causam illa anima non esset in cælo. Cui Dominus in hunc modum respondit: *Iste Monachus voluntati Abbatis & Præpositi sui in omnibus bonis humiliter consentire atque obtemperare noluit: displicuit enim ei quidquid Abbas faceret, existimans se sapientiorem illo esse, & meliùs qualibet posse agere.*

3. *Quid agendum in reprehensionibus.*

Quando reprehenderis, suscipe benigno tranquilloque animo reprehensionem, & culpam tuam libenter agnosce. Si necesse est vt te excuses, breuiter, modestè, & humiliter hoc facito.

§. IV. VANÆ GLORIÆ FVGA.

1. *Non hominibus, sed Deo placendum.*

Non appetas esse admirationi, haberique in honore apud homines. Et licet aliqua bona agas coram hominibus, non tamen ideò illa agas vt videaris, & glorificeris, vel sanctus credaris ab hominibus, sed vt homines Deum glorificent, beneque ædificentur ad laudem Dei. Mox vbi appetitionem vanæ gloriæ in te exoriri aduertis, corrige illam: & omni impuritate reiectâ neglectâque, quære & specta Deum eiusque honorem. Optatius tibi sit contemni quàm laudari, & subesse quàm præesse.

2. *Gaude vilioribus exercitijs amore Christi.*

Non grauatè exequaris etiam infima & abiecta seruitia amore cælestis Regis Iesu Christi, qui se vltra omnem modum humiliauit propter te. Submitte te infra omnes homines: & in quietâ valle humilitatis tamquam in tutissimo loco commorare. Puta te esse veluti vilem quemdam & reiectaneum panniculum, quem quilibet liberè conculcare & premere possit.

3. *Orienti vanæ gloriæ statim repugnandũ.*

Si in verbis, gestibus, moribus & actibus tuis propensum te sentis ad placendũ alicui homini mortali, ita vt Deum siue Dei honorem purè non quæras: hoc statim in te damna

† Ascenicos de obedientiæ meritorum magnitudine Magistros citat S.P. Ignatius Soc. IESV parens ac fundator, in aureâ suâ de obedientiæ dotibus ac meritis Epistolâ. De quo videndus est R.P. Petrus Ribadeneira libro Vitæ S.P. Ignatij 5. c.4. & qui Theologicè disputant Scholastici Doctores apud D. Thomam 2.2.q.104.art.2.& 3.& 3. parte q.47.art.2.

damna & execrare ceu ſuperbiæ fundum impuriſſimum, ac prauam intentionem depone. Quidquid vanitatis, iactantiæ & elationis in te viuere deprehendis, inſtanter mortifica.

4. *Humilitas Angelorũ, ſuperbia diabolorum propria.*

Memineris Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & beatos ſpiritus Angelicos, omneſque cæli ciues eſſe humiles, ac ſuperbiam deteſtari: cacodæmones contrà ſuperbos eſſe, & humilitatem odio proſequi. Tu te illis adiunge, ab iſtis ſepara. Perſuaſiſſimum habe, fieri non poſſe vt Deo viuas, niſi humilis & reſignatus eſſe, ac vitijs inordinatiſque naturæ tuæ propenſionibus emori coneris. * Tantum in te creſcet verus amor Dei, quantum minuetur pernicioſus amor tui, quo teipſum impurè quæris, & ad teipſum reflecteris.

* Φιλαυτία eſt inimica amoris Dei.

CAPVT III.

Quomodo ſe ſpiritualis homo gerere erga proximum, & quæ officia præſtare ei debeat.

§. I. AFFECTVS INTERIOR.

1. *Omnes ex animo renerà dilige:*
2. *Quia omnes ſunt excellentes imagines Dei.*
3. *Etiam illi, qui corpore deformi ſunt ac deſpicabili: nam animæ ſanctæ pulchritudo ineffabilis eſt.*
4. *Quare vir bonus, licet deformis, pulchrior eſt peccatore formoſiſſimo.*

§. II. GESTVS ET FACIES EXTERIOR.

1. *Ne ſis erga alios vultu tetrico vel amarulento.*
2. *Ideoque virtutem manſuetudinis à Deo inſtanter poſtula.*

§. III. BENEFICENTIA.

1. *Omnibus quidem benefaciendum, maximè verò inimicis,*
2. *Aerumnoſis, indigentibus, & afflictis perſonis.*
3. *Etiam animabus in Purgatorio diligenter ſubueniendum.*

§. IV. BENEVOLENTIA.

1. *Benè optandum omnibus.*
2. *Citò reconciliare proximo offenſo: & offenſas inter alios exortas ſtudioſè compone.*
3. *Neminem ſperne: nec de vllius emendatione deſpera.*

§. V. COMPASSIO.

1. *Peccantibus compatiendum propter diaboli aſtum, noſtramque fragilitatem.*
2. *Nam ad te etiam pertinet cura de ſalute proximi tui:*
3. *Quare debes ei in loco & tempore correptionem fraternam ex zelo Dei, & ſine felle iracundiæ,*
4. *Semper te tuoſque defectus reſpiciens.*

§. VI. IVDICIVM DE ALIIS.

1. *Non facilè malum de proximo ſuſpiceris.*
2. *Neque ſollicitè cures ea quæ ad te nihil attinent.*
3. *Noli querulus eſſe, nec haberi.*

§. I. AFFECTVS INTERNVS.

1. *Omnes dilige.* Ioan. 15.

CHRISTVS Dominus ait in Euangelio: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Et rurſum: *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Ibid. 13. Tu igitur omnes homines, etiam inimicos & aduerſantes, ſincerà charitate dilige, tamquam fratres vel ſorores, eumdem Patrem cæleſtem, eumdem Creatorem & Redemptorem tecum habentes.

2. *Tamquam imagines Dei.*

Expende apud te, quàm illi præſtantes ſint creaturæ, vtpote nobiliſſimâ Dei imagine ſecundùm animam inſignitæ, & æternæ beatitudinis capaces: atque hæc conſideratio te incitet, vt eos amore & honore proſequaris. Deus enim ſolos Angelicos ſpiritus & homines ad imaginem ſimilitudinemque ſuam fecit, dans eis rationem & intellectum: quâ quidem admirandâ dignitate, ipſi cæteras creaturas omnes longe antecellunt.

3. *Corpus deforme animam ſæpè habet pulcherrimã; ideò à dilectione non excludatur.*

* Quando vides hominem deformem vel morbidum, non ob hanc deformitatem eum minùs diligas, nec in conſideratione corruptibilis mortaliſque carnis ſiſtas, ſed ad conſiderandam immortalis animæ pulchritudinem te transferas. Tanta enim eſt elegantia & formoſitas animæ rationalis, quam peccatorum ſordes non deturpant, vt ſi tu eam clariùs cernere poſſes, vix ſcires præ admiratione & gaudio vbinam eſſes.

* Hæc citata videbis apud Iudocũ Lonchiũ de Curâ corporis cap. 2.

4. *Deformis & bonus, nequam formoſo eſt longè amabilior.*

Vera pulchritudo eſt ſpiritualis, & mentis oculo conſpicitur. Homo facie teter, ſed iuſtus, omnino præferri debet homini qui carne quidem formoſus, ſed vitâ & conuerſatione iniquus eſt: reuerà enim ille iſto pulchrior eſt. Ceterùm corpus hominis iuſti quod modò deforme vel etiam aſpectu horrendum eſt, reſurget aliquando pulcherrimum atque glorioſum. Ergo dilige quemlibet hominem verâ charitate, ſicut præcipit Deus.

§. II. GESTVS.

1. *Ne ſis erga alios toruus, nec vultuoſus.*

Non præ te feras coram alijs vultum nimis ſeuerum, nec toruo aut amaro ſis animo: ſed transformatus in affectum bonitatis, præbe te ſingulis quibuſque dulcem corde, beneuolum, fauorabilem ac paratum. Quòd ſi irâ & indignatione citò permoueris exaſperariſque, aut ſentis te amarulentum aduerſus aliquem, non conſentias huiuſmodi vitio, ſed reprime, mitiga & extingue illud quantum potes, dolens quòd cor tuum adhuc ſit tam acerbum.

2. *Pete à Deo manſuetudinem.*

Humilia teipſum, & Dei auxilium implora. Vbi is abundanter infuderit in te charitatis dulcorem, non iam ita amarulentus eris. Plerumque permittit Deus, vt etiam electi amici ſui proniores ſint ad iram, quò ſeipſos penitiùs cognoſcant, atque in humilitate meliùs contineant.

§. III. BENEFICENTIA.

1. *Omnibus promptè benefaciendũ, maximè inimicis.*

Adsis promptâ voluntate his qui tuâ operâ indigent. Atque illis potissimùm qui te oderunt vel diuexant, cor, faciem & verba amicabilia exhibeto: ipsisque (dum res exigit) benefacito, & pro eis preces ad Deum fideliter fundito: quemadmodum ipse Christus monet, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Matth. 5.

2. *Egenis, in quanis ærumnâ.*

Erga quoslibet tentatos, afflictos & necessitate aliquâ pressos, gere viscera misericordiæ plena. Ærumnas egenorum hilariter eleëmosynis releua pro modulo facultatum tuarum. Crede te dare Christo quod das pauperi.

3. *Animabus in Purgatorio;*

Mitte etiam fidelibus animabus quæ in pœnis Purgatorij adhuc detinentur, spirituales eleëmosynas, orans deuotâ mente pro illis. Quidquid pro earum absolutione & refrigerio piè feceris, Christus, qui illas ardenter diligit, id ita accipiet, quasi tu ad ipsum in carcere positum venisses, eumque inde liberare sategisses. Nam illæ ad corpus Christi mysticum pertinent, & Christus in Euangelio asserit sibi præstari quod membris suis præstatur. Vnde & ait: *In carcere eram, & venistis ad me.* Matth. 25.

§. IV. BENEVOLENTIA.

1. *Omnibus benè optãdũ & precandum.*

Omnium salutem magnopere desidera, nec tibi leuis iactura videatur, si pereat vnica anima rationalis: quæ (cùm sit imagine Dei insignita) excellentior est & pluris fieri debet, quàm totus hic mundus visibilis. Nos omnes sumus membra vnius corporis, cuius caput est Christus. Non igitur optes nec velis alicui malum, neque cuiquam inuideas: sed de bono alterius gaude. Nemini scienter iniuriam inferas. Neminem imprudenter conturbes aut contristes. Nemini quidquam facilè exprobres. Cum omnibus pacem (quantum in te est) habeto. Ephes. 4. 5. Coloss. 1. 2. Cor. 13.

2. *Citò pacabilis & placabilis esto.*

Si fortè inter te & alterum exortum fuerit dissidium vel rixa aliqua grauior, mox de reconciliatione sollicitus esto, & fac quod tui officij est, tamquam humilis & verus seruus Christi. Quin & alios inter se dissidentes ad tranquillitatem & concordiam reuocare stude, piâ oratione ad Deum fusâ, aut etiam alio modo congruenti.

3. *De nullo malè ominandum.*

Neminem cum dedignatione asperneris aut contemnas: id enim sanctæ humilitati & charitati valdè contrarium est. De nullius adhuc viuentis salute penitus desperes: quia qui modò peruersus est, potest mox Dei gratiâ bonus effici. Pons diuinæ misericordiæ nondum est deiectus, sed adhuc securum præstat transitum his qui resipiscunt.

§. V. COMPASSIO.

1. *Compatiẽdum peccãtibus cum extenuatione culparum.*

Sicut afflictis, ita & peccantibus piam compassionem atque commiserationem exhibeto. Ingemisce propter ignorantiam & cæcitatem humanam. Veniat tibi in mentem, quanta sit & diaboli tentantis malignitas atque infestatio, & hominis tentati infirmitas atque corruptio. Extenua culpas aliorum, eosque excusa quantum conuenienter potes: sed de his quæ ipse malè agis, accusa grauiter teipsum.

2. *Cura salutẽ proximi.*

Nullo modo arbitreris, proximi tui salutem nihil ad te pertinere: tu enim (etiam si non præsis) eam libenter & sedulò promouere debes. Offer igitur preces Deo pro peccatoribus, & cunctis prodesse coneris: ita enim eximiam gratiam apud Deum promereberis.

3. *Quomodo correptio fraterna adhibenda;*

Ex zelo etiam iustitiæ diuinique honoris exerce correptionem fraternam, vti congruum fuerit. Peccatis aliorum numquam consentias, neque cuiquam aduleris. Si irasceris vt peccantem corrigas aut castiges, irascere sine felle, sine odio. Sic persequere peccatum in homine, vt tamen propter peccatum quod homo commisit, non oderis hominem quem Deus fecit. Odio habe culpam, non naturam. Si enim odisti hominem, perditus es, quia extra charitatem viuis: & non poteris salutem consequi: nisi deposito odio sanctam dilectionem resumas. Nam, vt Ioannes Apostolus ait: *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Ioan. 3. Omnino talis manet in morte: quia charitas vita animæ est, & Deus charitas est. Sicut vis Deum in te esse benignum & clementem, ita tu quoque in alios sis benignus ac clemens.

4. *Sic tamen vt teipsum tuosque defectus respicias.*

Si diligenter consideraueris, quàm ipse vitijs defectibusque tam animi quàm corporis aliquando abundaueris, vel adhuc abundes, & quàm longè absis à puritate, sanctitate, ac fidelitate quam Deo tuo debes; nimirum onera & imperfectionem aliorum æquanimiter supportabis, vti discretio & æquitas admittet. Confitere te in causâ esse, propter vitiosam vel negligentem vitam tuam, quòd alij parum in spiritu proficiunt, & crebrò Deum offendunt.

§. VI. CENSVRA ALIORVM.

1. *Temerè de alio ne iudices, aut suspiceris malum.*

Facta & dicta aliorum in bonam partem (quantum fieri potest) interpretare. Non leuiter de alijs malè cogites. Quando incidunt in cor tuum sinistræ & absurdæ suspiciones de aliquo, mox etiam excidant: tu eas præteruolare sine. Et quamuis aliquando fortè timeas ne diabolus hominem seducat, néve malum in homine lateat: non tamen certò credas latere malum, si id omnino tibi certum non est. Ad hunc modum

dum

dum abstine à temerarijs iudicijs; nec sis ineptè curiosus vt aliorum defectus obserues, sed tuos defectus attende, ac teipsum iudica.

2. *Ea ne cures, quæ ad te nihil attinent.* Non improbè te ingeras his quæ tibi commissa non sunt: quin potiùs talia in statu & ordine suo dimitte. Sint bona, bona: mala verò facilè non iudices, sed iudicanda Deo relinquas, qui corda hominum clarissimè videt, & perfectè cognoscit quidquid malè fit. Is qui vult se negotijs quibuslibet immiscere, omniaque loquaciter reprehendere & dijudicare, procul abest à verâ sui cognitione, veràque pectoris pace ac puritate, & necdum initia vitæ spiritualis attigit.

3. *Abstineas à querimonijs apud homines.* Consuesce viuere absque multis querimonijs. Si libet sæpiùs conqueri, conquerere Deo, vel beatæ Mariæ Virgini, aut alijs Sanctis; exponens illis humiliter ac placidè ea quæ te premunt & grauant.

CAPVT IV.

Amoris, Delectationis, Vestis, Refectionis, Linguæ, Sensuum, Gestuum, Cogitationum ordinatio & custodia.

§. I. Amor inordinatvs creatvrarvm.

1. *Non inhæreas rebus creatis, quia fluxa sunt & fragiles.*
2. *Vtendum ergo eis dumtaxat ad honestum solatium, non abutendum ad peruersam voluptatem.*
3. *Præsertim amputandus amor inordinatus personarum etiam sanctarum, quia periculosus valdè.*
4. *Ideò omnem amorem tuum à creaturis ad solum Christum transferto.*

§. II. Carnales delectationes contemnendæ.

1. *Etiam ijs, quibus licitè vti possis, parcissimè tamen vti expedit.*
2. *Intra cancellos nimirum naturalis officij atque honestatis.*

§. III. Apparatvs moderatvs vestivm et svpellectilis.

Quære mediocritatem in rebus externis.

§. IV. Corporalis refectionis modvs.

1. *Voracitas, lautitia, murmuratio de cibis appositis, dedecent hominem spirituali vitæ addictum.*
2. *Pia meditatio aut sacra lectio inter comedendum assumenda.*
3. *Quod excessu peccaueris, emenda per humilem à Deo veniæ postulationem.*
4. *In corpore propter Deum refocillando concessa laudataque mediocritas.*

§. V. Disciplina lingvæ.

1. *Sermo sit grauis, sine ineptiâ aut lasciuiâ,*
2. *Sine aliorum offensâ aut censurâ;*
3. *Verax etiam, & ab omni falsi specie alienus.*
4. *Sermo lasciuus & detractorius, aut asperè corripiendus, aut dextrè amputandus, aut cum signo displicentiæ audiendus.*

§. VI. Sensvvm cvstodia.

Vtere sensibus tuis ex rectâ ratione.

§. VII. Mores ac gestvs.

Placidi sint & maturi gestus ac mores.

§. VIII. Cogitationvm norma.

1. *Puritas earum magno studio curanda.*
2. *Vilitas, breuitas, deformitas libidinosæ voluptatis.*
3. *Remedia contra cogitationes carnales.*

§. I. Amor creatvrarvm.

1. *Non est Christiani erga præsentia affici, & creaturas præ Creatore amare.* FREQVENTER memoriâ repete Christianum te esse, non tam propter præsentem quàm propter futuram vitam: & terrenis caducisque rebus despectis, transfer cor tuum ad cælestia atque æterna. Tam nobiliter condita est anima tua, vt eam totus iste mundus satiare nequeat. Res transitoriæ, bona infima numquam te satiabunt: sed solus Deus, qui est summum & perenne bonum, satiabit te. Quod quidem plenè tunc tibi continget, quando in cælum receptus, videbis Deum sicuti est. Hic in terrâ non nisi miserum exilium est, & hiems aspera: in cælo vera patria est, & æstas amænissima. Vita ista, quamlibet longa sit, æternitati comparata, quàm breuis est! Vix momentum temporis dici debet. Quàm citò transcurrunt, auolant & decidunt ea quæ in hoc mundo sunt! Si inhæseris fluxis, deflues cum eis. Inhære Deo, qui stabiliter manet, & numquam defluit. Quid, obsecro, tibi prodesset, si modò diuitijs, honoribus, delicijs voluptatibusque mundanis afflueres, & posteà mittereris in ignem æternum? Pensa, ò amice, pensa diligenter istud apud teipsum.

2. *Ideoq; creaturis vtendum, non abutendum seu inordinatâ adhæsione fruendum.* Vtere hic, ad honorem Dei, creaturis: sed caue ne illis per vitiosum affectum agglutineris. Serua te intus liberum ac purum, quantum potes. Quidquid decoris, elegantiæ, dulcedinis, suauisque fragrantiæ, ac suauium sonorum, vel perfectionis percipis in rebus creatis, refer id totum ad Creatorem, patriamque cælestem: nam à Deo omnis pulchritudo, suauitas & perfectio creaturarum profluxit. Tu quidem potes aliquod solatium secundùm Deum ex ipsis rebus creatis capere; sed eis inhærere non debes, neque in eis teipsum seu propriam delectationem peruersè quærere.

3. *Amor inordinatus etiam erga sanctas personas amputandus ob periculum.* Igitur non adhærescas cum inordinato amore alicui homini, etiam si pius admodum & sanctus sit: nec cupias vt aliquis ita tibi adhæreat, verùm Deo tuo contentus esto, & in eo delectare. Dici non potest, quantum noceat, & quanta pericula pariat inordinatus erga aliquem affectus & amor,

maximè dum quis per huiusmodi affectum, incautamque familiaritatem alteri non eiusdem sexûs personæ sese alligat. Ama te & omnes homines in Deo & propter Deum: at Deum ama propter seipsum.

4. *Solum Iesum dilige.* Dilige, quæso, Iesum Christum dulcem Creatorem & Redemptorem tuum, veras diuitias tuas, & verum atq; iucundissimum bonum tuum. Si non vales eum ardenter diligere, dilige vt potes, & quemadmodum ipse gratiam donare dignatur. Desidera vt possis illum perfectè pro gratâ voluntate ipsius amare. Quòd si non sentis in te desiderium, saltem desidera habere desiderium. Dicito eidem amabili Domino tuo: *Bone Iesu, ego te toto corde diligere debeo & cupio: tu pro me supplere digneris quidquid ardentis desiderij & amoris mihi deest.* Potes itidem dicere: *Domine, ego humilis, resignatus, patiens, benignus, mitis, modestus, continens, sobrius, alacer, deuotus esse debeo & opto: tu pro tuâ bonitate supplere digneris quidquid mihi deest in his virtutibus ac bonis.* Quoties enim Christum Iesum eo modo piè & ex animo rogaueris (etiamsi millies in die hoc feceris) toties ipse proculdubiò seipsum offeret Patri suo pro te, & defectum tuum perfectè supplebit cordis sui amore, suaque humilitate, resignatione, patientiâ, benignitate, &c.

§. II. MORTIFICATIO VOLVPTATVM.

1. *Carnis oblectamentis moriendũ, & parcissimè ijs vtendum.* Tamquam peregrinus & aduena in hoc mundo, vilipende impura oblectamenta, ea scilicet, quorum Deus causa non est, & quæ ad Deum obtinendum non promouent, quæque naturæ sustentandæ necessaria non sunt. Si voluptates carnis adhuc magni pendis, & eis nimium deditus es, nondum satis intelligis te hîc aduenam & peregrinum esse.

2. *Licitæ voluptates, etiam in matrimonio, quâ ratione admittendæ.* Fortè mihi dices, Vxorem habeo, & quid faciam? Ad hoc ego: Vtere coniuge tuâ castè, nec turpiter quidquam agas, neque transgrediaris licentiam in lege Dei concessam: & si cura est propagandi liberos, *effrenata tamen libidinis luxuries vitetur. Memineris te non pecus esse, sed hominem ratione præditum. Felix est vir verè spiritualis, qui interdum experiri meretur, quantum delectatio cælestis & diuina terrenam carnalemque delectationem superet atque excedat. Felix, qui carnis gloriam & sæculi pompam atque claritatem fidelibus oculis aspiciens, agnoscit eam nihil esse: Et reuerà illa similis est flosculo qui mox decidit ac marcescit.

*Monitum Angeli Raphaëlis Tob. 6. hic inculcatur.

§. III. APPARATVS MEDIOCRIS.

Modus in externis rebus tenendus. Vanitatem, lasciuiam, superfluitatemque illicitam in vestimentis & supellectili ne exquiras: sed modum ac mediocritatem pro tuo statu amplectere.

§. IV. CORPORALIS REFECTIO.

Sis in sumendo cibo & potu moderatus, 1. *Corporalis refectionis temperantia sine lautitijs & excessu.*
atque ab inhonestâ voracitate, sensualisque voluptatis aucupatione alienus. Si fortè administrantur escæ simpliciores ac rudiores, non ob id patientiam & pacem cordis tui murmurando amittas: sed ea quæ à Deo dantur & prouidentur, sume cum gratiarũ actione. Etiamsi exquisitiores epulæ administratæ fuerint, curam tamen carnis in desiderijs ne feceris, Rom. 13. nec inhæreas terrenæ delectationi, quam sentis. Pudeat verò te quærere lautitias præter rationem & iustam necessitatem, cùm Dominus tuus Iesus Christus felle & aceto pro te potatus fuerit. Psal. 68. Ioan. 19. Iudica te indignum qui vel panem atrum percipias.

Quando ingluuies & inordinatus appetitus te acriùs sollicitat, cogita quàm citò transeat, & quàm perniciosa sit blandiens voluptas. 2. *Piæ cogitationes & sacra lectio gulam coërceant.* Certè si tu illam effrenatè secutus fueris, atque expleueris, eâ transactâ omnino dolere debebis: si verò prauam cupiditatem propter Deum refrenaueris, teque mundum seruaueris, gaudebis vtiq; in conscientiâ tuâ. * Vt autem animi deuotionem inter edendum in te alas, potes (si non impediris) buccellas, quas sumis, intingere mente in pretioso Sanguine Christi, & è roseis Vulneribus eius potum haurire. Potes etiam, dum manducas, ruminare hæc verba: *Virtus diuini amoris tui, dilecte mi Iesu, me tibi incorporet & intimè vniat.* dum verò bibis, ista: *Dulcedo diuinæ charitatis tuæ, amantissime Iesu, influat in intima meã, & penetret totam substantiam meam, ad æternam laudem tuam.* In locis tamen in quibus sub refectione recitatur sacra lectio, debes his quæ leguntur conuenienter intendere, si ea intelligis.

* Hanc piã praxim citat, & exornat R. P. Iulius Nigronius De Lectione super mensam cap. 4. §. Quid agendum lectione deficiente.

Quòd si fortè metas sobrietatis aliquantulum prætergressus fueris (id quod facilè etiam homini pio plerumque accidit) humiliter precare benignissimum Deum, vt immoderationi tuæ ignoscat; atque ita repurgatus, bono sis animo. 3. *Excessũ humiliatione corrige.* Qui repudiatâ sobrietate, cibo potúve nimio, porcorum more, se ingurgitat, nullum in se Spiritui sancto & gratiæ Dei locum relinquit.

Planè conuenit vt manducando, bibendo, quiescendo, dormiendo, valetudinemque curando, purissimè concedas corpusculo tuo huiusmodi solatia. 4. *Purè corpus refocillandum est & discretè.* † Quædam sanctissima Virgo, vbi tale quidpiam contulerat suo corpori, ita gaudebat, quasi illud exhi-

† Praxis & exemplum obseruetur de puritate intentionis in omnibus obsequijs quæ præstamus corpori nostro in curandâ valetudine; vnde anima in meritis crescat ex subleuandis carnis necessitatibus.

buis-

Matth. 25. buisset Christo, qui dixit: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* putabat enim se vnam ex minimis eius esse. Refice ergo & refocilla ipsum corpusculum tuum cum discretione, ad æternam Dei gloriam, in vnione illius amoris, quo dulcis Iesus, pro te factus homo, manducare, bibere, quiescere, & somnum capere dignatus est in terris: eiq; offer, in vnione eiusdem amoris, ipsa corporalia solatia quæ admittis. Dum enim in hunc modum illa sanctè percipimus, & ea amori charitatique Christi inserta siue vnita per orationem aut desiderium Deo offerimus, redduntur ei admodum placita, nobisque plurimùm fructuosa.

§. V. DISCIPLINA LINGVÆ.

1. *Sermo sit ædificatorius.* Sis in loquendo circumspectus, honestus, continens & inculpatus. Dilige silentium rationabile. Ea quæ prorsus vana vel nimis nugatoria sunt, & quæ risum dissolutum excitant, ne proferas. Christus enim in Euangelio dicit: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* (Matth. 12.)

2. *Sine asperitate aut obtrectatione.* Deuita item nimiam verborum asperitatem ac mordacitatem, & perhorresce obtrectationis atque maledicentiæ vitium. Si necessitas vel euidens vtilitas exposcat vt de defectibus alterius loquaris, vide ne quid aliter aut aliâ intentione in medium adferas, quàm oportet. Caue tunc, ne animi amaritudine & maleuolentiâ impellaris ad loquendum.

3. *Sincerus & verax, sine fuco & dolo malo.* Etiam non affirmes pro certis ea quæ tibi incerta sunt. Fuge studiosissimè omne mendacium, omnemque hypocrisim, duplicitatem, & iniquam simulationem ac dolum. Deus enim in regnum suum non admittit quempiam, nisi sit simplex, & ab omni fuco alienus.

4. *Quomodo amputandus sermo malus.* Si contingat te audire aliquem obtrectatoria & mala aut inhonesta verba proferentem, amputa * conuenienter sermonem noxium, vel etiam modestè & discretè corripe eum qui talia loquitur. Quòd si non potes commodè hoc facere, ostende nihilominùs vultus deiectione, aut gemitu, aut discessu, aut aliquo alio conuenienti signo, tibi displicere ea quæ Deo displicent: & claude saltem interiores aures tuas, ne sermoni maligno consentias.

* Vide & vsurpa praxes istas valdè appositas ad euitandum peccatum in detractionibus & obscœnitatibus audiendis.

§. VI. SENSVVM CVSTODIA.

Quinque sensus diligenter custodiendi. Magna omnino diligentiâ custodire debes linguam tuam, & quinque sensus corporis tui, videlicet visum, auditum, odoratum, gustum & tactum. Vide ergo ne eis aliter vtaris quàm recta ratio permittit. Si enim loquacitatem amas, & sensibus deditus es, eorumque oblectamenta sine refrenatione sequeris; non poteris vllum in veris virtutibus profectum facere, & gratiâ Dei destitueris; nam ea per sensus veluti per rimas quasdam effluet.

§. VII. MORES ET GESTVS.

Moribus & gestibus neminem scandalizes. Sis in moribus & gestibus tuis placidus ac maturus. Si inter eos, cum quibus conuersaris, exhibueris te tempore & loco ad honorem Dei moderatè hilarem, rectè facies. Obserua sedulò, ne quem dicto aut facto culpabiliter scandalizes.

§. VIII. COGITATIONVM NORMA.

1. *Puritas cogitationis & munditia cordis, cum remedijs malarum cogitationum.* Sis in cogitationibus & affectibus innocens ac purus. Quando prauam aliquam cogitationem, aut fœdam imaginem, vel ineptam lætitiam in cor tuum illapsam esse, & impurum affectum suboriri sentis: † erubesce, & celeriter simpliciterque inde te auerte, reflectens mentis oculum ad Deum aut ad alia minimè noxia, vel etiam signum sanctæ salutiferæque Crucis tibi imprimens.

2. *Libidinis vilitas & breuitas & fœditas.* Aduersus turpes propensiones, libidinososque stimulos carnis, non parum prodest cogitare, quanta sit vilitas ac breuitas carnalis voluptatis, quantaque ipsius carnis corruptio. Quid enim est caro, quantumlibet etiam pulchra & elegans appareat, quid est nisi stercus, & putredo, & ingens fœtor? Si detrahatur pellis illa tenuissima quæ magnam pulchritudinem præ se fert, iam ipsa caro tota deformis erit. Certè moriendum est, & post mortem caro erit cadauer vilissimùm.

3. *Pia cogitationes medentur carnalibus suggestionibus.* Mirè etiam valet Salutatio Angelica piè lecta, & Sanctorum inuocatio, metus item & horror amittendi gratiam Dei, diligens quoque consideratio, quidnam sit perpetuò separari à Deo & cunctis amicis eius, atque cum diabolo æternis supplicijs in inferno affici. Faciliùs autem & feliciùs ipsum malignum spiritum praua suggerentem vincere solemus, si eius immissiones tamquam muscas volitantes contemnamus, quàm si multis rationibus ad illas respondere velimus.

† Breuia ista & vtilia remedia contra malas cogitationes passim ab Adscetcis viæ spiritualis ductoribus ac Doctoribus traduntur & commendantur.

CAPVT V.

Discretionis consilia & praxes.

§. I. SINGVLARITAS VITANDA.

Ab omnibus, maximè ab ijs qui cœnobialem vitam profitentur, vitetur singularitas.

§. II. FERVOR ETIAM AVSTERITATIS.

Feruor, ne corpus inde obruatur, in austeritatibus temperetur.

§. III. SCOPVS ACTIONVM DEVS.

1. *Eius beneplacitum sectemur, nostro prorsus abnegato.*

2. *Recta enim solius Dei intentio nobilitat etiam minima opera.*

§. IV. AVXILIA GRATIÆ.

1. *Gratiæ diuinæ auxilium vbique inuocandum.*
2. *Et tractus internus Spiritus sancti reuerenter obseruandus.*
3. *Sic tamen, vt in rebus arduis semper vtaris consilio peritorum.*

§. V. CHRISTI MERITA.

Christi meritis vniendi semper omnes actus nostri.

§. I. SINGVLARITAS VITANDA.

Singularitas vitiosa, maximè in Cœnobijs, eliminanda.

Sis in cunctis operibus & exercitijs tuis discretus, prudens, consideratus, & strenuus: atque ad hoc adnitere, vt in illis tranquillitatem libertatemq; cordis conserues. Cole Deum, & seruito ei, non negligenter aut perfunctoriè, sed deuotè ac studiosè. Singularitatem vitiosam diligenter fuge. His qui in monasterijs degunt, & secundùm communem approbatamque Regulam viuere debent, hoc singularitatis vitium præcipuè vitandum est. Sunt qui sibi mirè placent, si quidpiam fecerint quod ceteri non faciunt. Magis exultant si semel ieiunauerint socijs manducantibus, quàm si decies cum alijs ieiunarent. Sed isti seipsos miserè fallũt.

§. II. ET AVSTERITAS.

1. *Nimia austeritas cauenda, & discretionis freno moderanda.*

Licet plerosque Sanctos homines vitam admodum rigidam duxisse legas vel audias, & magnus fortè feruor in initio conuersionis tuæ ad inusitatam austeritatem amplexandam te impellat: non tamen inconsideratè sequaris huiusmodi feruorem, sed sapientum vtere consilio. Quod enim sancti & perfecti fecerunt, id certo euidentique monitu ac tractu Spiritus sancti fecerunt. Vitia mortificanda sunt, non corpusculum opprimendum, nec natura destruenda. Ea crux & afflictio quam Deus homini imponit, multò securiùs portatur, quàm illa quam homo ex propriâ voluntate assumit.

§. III. SCOPVS VITÆ DEVS ESTO.

1. *Voluntas diuina nostræ semper præferenda cum perfectâ sui abnegatione.*

Quidquid facis vel omittis, fac & omitte propter Dei gloriam & honorem: ita vt in omnibus Deũ per simplicem intentionem purè spectes, & ad eum præclaro fune bonæ voluntatis religatus sis, nusquam scienter & voluntariè quærens teipsum. Mox vbi deprehendis in te aliquam propriam atque inordinatam quæsitionem, repudia illam, & teipsum abnega: nam propria quæsitio, & propria voluntas, corrumpit cariosaque efficit bona opera. Profectò vera sui abnegatio suauiter admodum resonat in auribus Dei, atque maiestatem eius mirificè oblectat. Si vel vnicam Salutationem Angelicam cum tuiipsius abnegatione ad perpetuam Dei laudem protuleris, ea & Deo gratior & tibi vtilior erit, quàm si totum Psalteriũ sæpiùs ex propriâ voluntate siue cum proprietate legeres.

2. *Intentio recta nobilitat opus minimum.*

Nulla actio tam modica est, quæ si ad Deum purè referatur, non multum prosit animæ. Vnde qui etiam flosculum vnum propter Deum in altari reponit, vel imaginem alicuius Sancti sincerâ deuotâque intentione exornat, grandem omnino mercedem recipiet. Sed & qui caput tantummodò inclinat aut flectit genu ad honorẽ Dei, non perdet mercedem suam. Opta & pete à Deo, vt ex singulis verbis tuis, ex singulis passibus pedum tuorum, ex singulis motibus corporis tui, & ex singulis buccellis quas edendo sumis, resultet eximia laus Conditoris: opta & pete, vt singulæ respirationes tuæ die ac nocte Deum honorent atque glorificent, eique amorem exhibeant: reuerà enim fiet quod rectè & sanctè optaueris atque petieris.

§. IV. GRATIÆ AVXILIA.

1. *Vbique inuocandum Dei auxiliũ.*

Quando vis quidpiam aggredi, erige cor tuum ad Dominum, & pete consilium ab eo, illumque inuoca: sciens te neque agere, neque dicere quidquam nosse quod ei sit acceptum, nisi ipse gratiâ suâ te adiuuet.

2. *Internus motus obseruandus.*

Obserua diligenter quid Deus in corde tuo loquatur, & vtrùm ipse rectaque ratio permittat vt hoc vel illud facias. Si incertus es vtrùm propensio tua sit à Deo, attende an voluntatem Dei sequi velles, si eam perspectam haberes. Si enim inuenis te ita prorsus affectum esse, vt ipsam Dei voluntatem sequi velles, & humiliter oras Deum vt te illuminet ac doceat: iam id ad quod crebriùs intus traheris, confidas esse à Deo, modò à sacris Literis & Ecclesiæ dogmatibus non discordet.

3. *Sic tamẽ vt in rebus arduis peritorum consilio vtaris.*

Conuenit nihilominùs, vt libenter Dei voluntatem ab aliquo homine Deũ timente & illuminato petas, idque maximè in rebus arduis, propter dolos satanæ sese nonnumquam transfigurantis in Angelũ lucis. *2. Cor. 11.*

§. V. MERITA CHRISTI.

Christi actibus actus nostri copulandi.

Si† bona opera & exercitia tua copulaueris vnierisq; actibus & exercitijs Christi, atque ita obtuleris illa Deo in laudem æternam; erit sanè ista oblatio ipsi Domino longè gratissima, & opera tua claritatem dignitatemque ineffabilem recipient ex actibus Christi quibus vnientur. Plumbum tuum (vt ita dicam) mutabitur in aurum optimum, & aqua tua in vinũ excellentissimum. IESVS & MARIA sint semper charum refugium tuum, & chara spes tua: tu eis per deuotam orationem commenda omnes necessitates tuas atque negotia.

† *Ista pia & vtilis praxis refertur ex Blosio apud R.P. Ieremiam Drexelium in Amussi seu Rectâ intentione lib. 1. cap. 8. §. 7.*

CA-

CAPVT VI.

Regulæ consolatoriæ pro tentatis.

§. I. *Standum diligenter in* CVSTODIA CORDIS.

§. II. DOLOR IN DESIDERIO: *quando scilicet ratio vehementer cupit dolere de peccatis cum ipsorum displicentiâ intellectuali, est verus dolor.*

§. III. LAPSVS EX INFIRMITATE.

1. *Longè differt lapsus ex infirmitate,*
2. *Et lapsus ex merâ negligentiâ.*

§. IV. IMPVGNARI A VITIIS ET TENTATIONIBVS.

1. *Non facit hominem minùs gratum Deo, sed ab illis expugnari.*
2. *Neque motus vitiorum aut tentationum commaculant animam; sed, si benè reijciantur, purgant, & coronant.*
3. *Quin nec fœda insomnia coinquinant, modò causam non dederis; nec in eis delecteris iam expergefactus.*
4. *Ita motus iræ, indignationis, similesque, benè repressi, & rationi reverà & practicè displicentes, non fœdant, sed purificant animam.*

§. V. PERSISTENDVM IN SANCTO PROPOSITO.

1. *Tametsi ob fragilitatem creberrimè labaris.*
2. *Cupientibus enim benè viuere loquuntur in Scripturâ promissiones misericordiæ & indulgentiæ: peccata autem paruipendentibus loquuntur comminationes formidabilis iustitiæ Dei.*
3. *Deus etiam in seipso non est terribilis: sed in effectibus iustitia erga suæ contemptores pietatis.*

§. VI. CONFIDENDVM *auxilijs gratiæ Dei, non innitendum proprijs viribus.*

§. VII. ORATIONIS

1. *Cum fide firmâ minimeque hæsitante oblatæ, magna est efficacia.*
2. *Semper ei conceditur, vt quod petebatur, aut aliquid vtilius & opportunius.*
3. *Orandum est autem intellectualiter potiùs quàm per corporeas imagines.*

§ I. CVSTODIA CORDIS.

Standum vsque & vsque super cordis custodiâ.

DECLINA prudenter peccandi occasiones, & eam societatem quæ te à Deo auertere potest: iugiterq; sollicitus esto pro puritate cordis seruandâ. Numquam inordinatæ securitati te tradas, cùm hæc vita sit plena laqueis, tentationibus & periculis: sed semper cum rationabili & sancto metu tuâ salutem operare. Verissima enim sunt verba Sapientis dicentis: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua.* (Eccli. 27.) Quando tamen ex fragilitate humanâ laberis & peccas, quando item propter vitia te impugnantia videris tibi deficere magis quàm proficere, nullo modo ob id despondeas animū: sed ingemiscens coram Domino Iesu, ora eum vt purissimo Sanguine suo omnem peccati maculam in te deleat, teque gratiâ suâ in bono confirmet.

§. II. DOLORIS DESIDERIVM.

Dolor in desiderio est dolor verus.

Neque propterea angaris, quòd fortè non sentias dolorem vel contritionem. Si enim omnino velles & cuperes te non offendisse Deum, aut etiam † doles te non dolere: hunc quoque dolorem suscipit ac respicit Deus, qui pensat nō tam quid sentias, quàm quid velis. Dic sæpiùs hæc aut similia verba: *O Domine Iesu, vtinam numquam te offendissem! vtinam posthac viuerem iuxta gratissimam voluntatem tuam, tibiq; placerem!* Eximia contritio illa est, cui amor, spes & humilis fiducia in Deum coniuncta est. Multò * certè efficaciùs & citiùs leuiores offensæ delentur, si homo culpam suam humiliter agnoscens, repentè amanterque ad Deum se conuertat, quàm si defectus suos cum grandi pusillanimitate apud se diu pertractet atque consideret.

*Notē: hoc scrupulosi, qui sese torquent ob venialia.

§. III. PECCATVM EX INFIRMITATE.

1. *Aliud est, labi in peccatum ex infirmitate.*

* Porrò aliud est, labi in venialia peccata ex infirmitate & occasione tantùm; atque aliud, illa committere ex merâ grauique negligentiâ. Qui enim ex infirmitate & subreptione offendit, licet nullius creaturæ inordinato amore captus detineatur, semperque se paratum animo inueniat ad relinquendum omnia, quæ certò scit Deum ab ipso velle relinqui; facilè tamen, dum sese offert occasio, excedit, aut elatione animi, aut impatientiâ, aut torpore, aut ignauiâ, aut verborum leuitate ac nimietate, aut affectione sensuali atque carnali, estque vel potus & cibi intemperantior, vel plus satis hilaris, vel immodicè sollicitus atque occupatus: sed mox vt ad se redijt, dolet quòd studiosiùs se non custodierit, ac penitus auersatur etiam minimam peccati maculam, ob idque veniam citò consequitur. Fundus eius corruptus non est, & ei peccata ac vitia minùs adhærent, minusque gratiam Dei in eo impediunt.

* Hæc attingit & transfert R. P. Alfonsus Rodericius in suū Perfectionis Exercitium parte 1. tract. 1. c. 12. & parte 2. tract. 8. cap. 13.

2. *Aliud est, labi ex merâ negligentiâ.*

Qui verò volens ac sciens creaturarum affectibus & amore captiuus detinetur, atque in illis delectationem & voluptatem inordinatè quærit; is nimirum ex merâ & graui negligentiâ offendit. Nam etiam dum, occasionibus malorum sublatis, liber apud semetipsum esse potest, plurimùm concupiscit ipsas occasiones: & culpas ita à se admissas, quas odisse deberet, paruipendit ac negligit. Liquet planè, fundum huiusmodi hominis impurum esse. Veruntamen ipse quoque veniam obtineret, si post lapsum,

† Quo pacto sufficit peccatori ad pœnitentiæ Sacramentum accedenti dolor, quòd non doleat aut non satis doleat, solidè disputat Doctor Martinus Nauarrus, citans S. Thomam & S. Bonauenturam, Manualis Confessariorū c. . §. 11.

lapsum, veram contritionem & propositum sese corrigendi conciperet.

§ IV. PVGNA TENTATIONVM.

1. *Impugnari à vitijs, non est idē quod expugnari; sed meritū in repugnādo consistit.*

Aliud etiam est, impugnari à vitijs; & aliud, expugnari. Quamdiu non consentis, quamdiu tibi displicent ipsa vitia, & eis ratione ac voluntate repugnas; non elongaris à Deo, quantumlibet illa infesta sint & molesta. Quidam serui Dei, naturâ intus ac foris placidi sunt, & non nisi tenuiter impugnantur à vitijs. Alij, dum occasiones sese offerunt, acriùs quidem tentantur (cùm sint ex ipsâ naturâ procliues ad superbiam, vel vanam gloriam, vel iram, vel gulam, vel luxuriam, vel alias culpas) nullo tamen modo volunt ipsis vitijs præstare consensum. Nam quando illa in se sentiunt, mox deserunt & contemnunt quidquid Deo spirituique ipsorum aduersatur: & sensualitate repudiatâ, cum fide humiliq; oratione intrò ad Deum confugiunt. Hi sæpè magis laudantur à Deo, & virtutes excellentiùs possident, quàm illi alij: virtutum namque perfectio concertatione legitimâ comparatur. Et quidem fieri potest, vt aliquis eorum, qui strenuè aduersus vitia decertant, detineatur post mortem aliquamdiu in Purgatorio: sed vbi is plenè purgatus fuerit[a], longè altiorem gradum in cælo obtinebit, quàm obtineat alius qui non ita strenuus fuit, licet sine aliquâ Purgatorij pœnâ ad cælum peruenerit. Ergo non te frangat tentationum magnitudo.

2. *Vitiorum motus ac impura imagines hominem non maculant; quamdiu displicent & pro viribus repelluntur.*

Etiamsi in inferioribus & sensitiuis animæ viribus, quas cum brutis animalibus communes habemus, sentires grauissimos vitiorum motus, sed eis non consentires: etiamsi immundissimæ imagines, vel inauditæ aduersus Deum ac Sanctos eius blasphemiæ sese cordi tuo contra volũtatem tuam assiduè ingererent: non contaminarent, sed repurgarent animam tuam, eique admirandas coronas in cælo pararent. Plerique admodum pij homines tentationibus huiusmodi ita diuexantur, vt nec vnam quidem Orationem Dominicam vel Salutationem Angelicam absque diabolicis susurriis explere possint. Isti incredibilibus angustijs pressi, se quidem multorum criminum reos esse putant, sed coram Deo præclari [a] Martyres sunt. Propter illas immissiones, pressuras & afflictiones, nec oratio intermittenda est (etiamsi innumeris distractionibus obnoxia sit) nec vllum omnino bonum opus negligendum. Qui vel semel vanæ sui complacentiæ consentit, [b] deformior in oculis Dei redditur, quàm si multis annis incidentias etiam pessimas citra consensum sentiret. Sæuiant vt possunt maligni spiritus, titillet ac stimulet caro: anima, quæ deliberatâ voluntate se ad prauitatem non conuertit, gratiam Dei non amittit. Ratio sæpè per importunas incidentias prauasque cogitationes & delectationem ita præuenitur, vt homo pius illis aliquamdiu præter voluntatem & deliberationem intendat: qui tamen mox vt perfectè aduertit se talia cogitare, auertit se inde, & delectationi, quâ præuentus est, non consentit.

Si tu inter dormiendum (quando ratio ligata est) obscœnum aliquod somnium passus fueris, non hinc nimiùm contristari aut metuere debes, modò euigilans, & plenè factus compos rationis, respuas animo quod vitiosum est. Peccatum omnino ex voluntate dependet: ita vt si voluntarium non fuerit, etiam peccatum non sit. 3.

Vt neque fœda somnia, quibus causam non dederis.

Itaque rursum pro tuâ consolatione dico: Si propter iniuriam tibi illatam, vel propter maledicta in te tuosque congesta, siue ob quamlibet aliam causam, sentires te irâ vehementer commoueri, aut erga aliquem malè affici, alicuive inuidere, & interim multùm tibiipsi displiceres, ac vitium quod in te viuit, reprimeres quantum posses, ipsumque per humilem confessionem atque orationem expellere ac mortificare conareris: nullum salutis tuæ detrimẽtum inde acciperes. Esset [c] quidem tempestas in infimâ regione animæ tuæ; sed in supremâ regione, ratio tranquilla voluntasque incorrupta & inuicta maneret. Nihil prorsus te ab amicitiâ Dei alienabit, nisi peccato consentias. Ceterùm [d] neque diabolus neque creatura alia cogere te potest vt consentias, cùm habeas voluntatem liberam, quam Deus semper paratus est gratiâ suâ roborare, ne per consensum succumbas. Si tamen consensisti peccato, potes mox (opitulante Deo) per veram contritionem ac pœnitentiam redire in gratiam cum ipso Domino. 4.

Nec motus iracundiæ aut similes pro peccato computantur, nisi voluntas consentiat.

[a] Illam sententiam commemorat R.P. Alfonsus Rodericius Exercitij perfectionis parte 1. tract. 8. cap. 16.

[b] Quod est peccatum saltem veniale, ob consensum: at in quibusuis tentationibus, quamdiu voluntatis consensus abest, nullum est peccatum; imò sæpè in illis, dum strenuè cum Dei gratiâ pugnatur, magni meriti occasio est.

[c] Nota similitudinem de motibus concupiscentiæ, & consensu rationis.

[d] Voluntas libera cogi non potest.

§. V. PERSEVERANTIA.

Persiste igitur in sancto proposito, etiamsi millies in die labaris. Spera firmiter in Domino, qui semper veniam benignissimè dat homini bonæ voluntatis, culpam suam humiliter agnoscenti. Certè fieri nullo modo potest, vt quispiam humilis repellatur ab eo, & pereat. O! si lumine gratiæ intus illustratus, aliquatenus cognosceres & sentires, 1.

Etiamsi crebrò labaris ex fragilitate, tamen in sancto proposito persiste.

quàm

quàm clemens, pius, suauis & bonus sit Iesus; haud dubiè amorosam grandemque fiduciam erga illum conciperes, & summè exultares. Quæ quidem iucunda fiducia, non ad benè viuendum segnem & negligentem, sed valdè promptum diligentemque te redderet. Ipse benignus Iesus frequenter hominem dulciter visitat, & consolatur gratiâ suâ, quem tamen scit paulò pòst casurum, & peccatum aliquod commissurum. O quàm libenter ille te recipit, dum post lapsum erectus, humiliter amanterque ad eum redis! Tunc magno gaudio gaudent etiam spiritus Angelici, ac ceteri cęlorum ciues: nam & ipsi admodum benigni sunt ac misericordes, teq; sincerissimâ charitate complectuntur.

2. *Consolatio cælestis contra metum dānationis.*

Ei qui inordinato damnationis metu laborat, & tamen benè viuere conatur pro viribus, expedit prudenter cohibere oculos internos à nimiâ consideratione iusti iudicij Dei: oportet eum indubitanter credere Scripturis sanctis quæ cælesti consolatione abundant. Et cuius animum non releuent suauissima verba Prophetæ dicentis: (Psal. 144.) *Miserator & misericors Dominus, patiens, & multùm misericors.* (Psal. 102.) *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras: quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se?* Metuat & pertimescat seueritatem iudicij Dei, is qui, Deo neglecto, mandatisque eius spretis, permanet in iniquitatibus suis, seque corrigere non vult. Hunc planè beatus Paulus alloquitur, dum terribilibus verbis intonat & ait:

Minæ Dei loquuntur perseuerantibus in malo. Rom. 2.

An diuitias bonitatis Dei & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impænitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.

Non ab eo recedentibus.

Sed idem Paulus eos qui à peccatis recedunt, & secundùm spiritum viuere conantur, eximiè consolatur, dicens: (Rom. 8.) *Nihil damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant.* Bonæ voluntatis homo nullo modo existimare debet Deum esse crudelem, cuius natura bonitas est, & cuius ipse benignitatem atque clementiam quotidie euidenter experitur.

3. *Deus terribilis, quo sensu in Sacris litteris accipiēdus.*

Nam quòd ille in Scripturis sanctis plerumque dicitur terribilis, & ira ac furor ei attribuitur; hoc ideò fit, vt spirituales eius operationes & effectus iustitiæ illius significentur. Deus enim incommutabilis, nulli perturbationi obnoxius est: sed semper tranquillus in se manet, semper idem & vno modo est. Hinc in libro Sapientiæ scriptum est: (Sap. 12.) *Tu dominator virtutis cum tranquillitate iudicas.*

§. VI. FIDVCIA IN DEVM.

In Dei gratiâ fidendum, non in suo conatu.

Resiste constanter tentationi desperationis & diffidentiæ. Fac quod in te est, vt magis ac magis proficias: non tamen confidas in tuo labore & conatu, sed in auxilio Domini Dei tui: nam qui in seipsis confidunt, deficiunt; cùm homo nihil boni ex se facere possit.

§. VII. ORATIO.

1. *Orandus est Deus cum fiduciâ, sine hæsitatione.*

Pete sedulò à Deo, vt mortificet in te, & auferat à te quidquid ipsi displicet: pete, vt efficiat te hominem secundùm cor suum. Si enim fidem habueris, & perseueraueris in humili petitione atque oratione, impetrabis sine dubio id quod saluti tuæ conducit, iuxta promissum Christi qui dixit, *Petite, & accipietis.* (Ioan. 16.) Itemque: *Quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* (Matth. 21.) Necesse omnino est, vt si non statim, certè congruo tempore obtineas orando ea quę vtilia sunt, & quæ certâ rectâque fiducia sperare potes te obtenturum. Si duo simul preces Domino funderent, quorum alter rem eiusmodi peteret quæ pænè videretur impossibilis, confideret tamen se à Deo exauditum iri; alter verò pro re minimâ postularet, sed non plenam fiduciam haberet erga Dominum: ille qui rogaret pro re maximâ ac difficili, multò citius ob meritum fiduciæ suæ exaudiretur, quàm alter qui rem modicam modicâ fiduciâ postularet.

2. *Semper obtinebit quod petis, aut quod melius & ad salutem vtilius.*

Si fortè piè petis ea quæ tibi vtilia non sunt, dabit Deus quæ sunt vtilia. Amantissimus Pater est: dum postulas aureum spiritualem, si denegat quod postulas, facit hoc propterea, quòd tu paruulus nescires huiusmodi nummo benè vti: quoties tamen vnum petis aureum, toties ille tibi centum reponit in cælis. Fieri non potest, vt etiam minima precatiuncula ritè fusa, aut minimus gemitus, minimúmve suspirium ad Deum piè emissum grandi fructu careat.

3. *Intellectu & spiritu potius, quàm corporis imaginibus orandus est Deus.* Ioan. 4.

Recita frequenter præcellentissimam illam atque suauissimam precationem, quam Dominus noster Iesus Christus sacro ore suo pronuntiauit, ac nos edocuit. Et orando Deum, non imagineris eum esse corporeum ac visibilem; sed credens illum esse spiritum, adora & precare in spiritu & veritate. Concipe eum mente vt supersubstantialem substantiam: contemplare eum vt summam bonitatem summamque charitatem, & intellectualem lucem summè amabilem. Filium tamen Dei, qui pro te factus est homo, attende atque intuere vt Deum & hominem.

CAPVT VII.

Imperfectorum bonæ voluntatis consolatio.

§. I. IMPERFECTIO IN OMNIBVS ALIQVA.

1. *Nam etiam in magnis seruis suis nanos manere permittit Deus:*

2. *Ne alioquin in vanam sui complacentiam delabantur.*

§. II. BONA VOLVNTAS.

1. *Numquam eam abijcit Deus, ne quidem in imperfectis.*

2. *Et quid ea sit.*

3. *Quantum ab eâ pendeat operum nostrorum præstantia.*

§. III. MORTIFICATIO.

1. *Interna mortificatio necessaria est, & ab omnibus Sanctis exercitata: exterior non item; quamuis valdè vtilis sit.*

2. *Et piâ gratulatione aliorum austeritas potest fieri nostra.*

3. *Humilitas imperfectos inter filios paruulos Dei collocabit.*

§. IV. VNIO OPERVM CVM CHRISTI MERITIS.

1. *Bona voluntas in seipsâ paupercula, in Christo ditissima.*

2. *Ora igitur, vt suâ abundantiâ Christus suppleat penuriam meritorum tuorum.*

3. *Neque enim negabit Deus quod in Filij sui nomine petitur.*

4. *Optimum igitur, opera tua cum Christi operibus & passionibus coniungere.*

§. I. PERFECTIO BONÆ VOLVNTATIS.

1. *Imperfectio aliqua semper à Deo permittitur etiam in dilectis & electis.*

SI non potes esse perfectus sicut optas, humilia teipsum, & resignatus esto. Gratulare ex animo his qui perfecti sunt, Deumque glorifica, & ei gratias age pro illorum perfectione. Solet verò Dominus permittere, vt in plerisque electis suis sibi charissimis semper aliquid vitij atque imperfectionis resideat, quò sibiipsis vilescant, & humiles permaneat. Reuerà quidam † sanitatem animæ consecuti sunt, atque ad eum virtutis gradum conscenderunt, vt mortem ipsam fidenter subirent potiùs, quàm in Deum scientes ac volentes peccarent: & tamen ipsi ignorantes se sanos esse, semper timent atque anguntur, nec aliud sibi persuasum habent, nisi quòd debiles sint & infirmi.

2. *Ne superbiant, & vt se in Dei voluntate resignent.*

Benignissimus sapientissimusque Conditor ex magnâ fidelitate & dilectione, quam erga eos habet, huiusmodi ignorantiam, metum & pressuram in eis, quamdiu viuunt, relinquit. Satis enim ei perspectum est, illos adeò fragiles esse, vt si se conualuisse pro comperto haberent, statim ad seipsos cum vanâ sui complacentiâ reflecterentur. Bonum illis est eam perferre miseriam, in quâ sese Deo humiliter resignant. Illos * tamen sub mortem ab huiusmodi ignorantiâ & longis tenebris pius Dominus eripere consueuit: donans illis firmam erga se fiduciam, in quâ etiam feliciter ex hac luce emigrant.

* Pusillanimes bonæ voluntatis in vitâ solet Deus in morte solatijs donare.

† Quia nempe status gratiæ, & animæ sanitas, excludit quidem peccatum mortale, sed non omnes morbos & næuos veniales. Et sic sani dicuntur, quia carent culpâ mortali; & simul infirmi, quia non carent culpâ veniali.

§. II. BONÆ VOLVNTATIS VIRTVS.

1. *Deus non abijciet bonam voluntatem.*

Nullo pacto diffidere debes, propterea quòd imperfectus sis: Deus enim abijcere non potest hominem bonæ voluntatis. Ipse penitus nouit infirmitatem tuam, & te blandè consolatur in Euangelio, vbi sancti Angeli narrantur Christo nato cecinisse verba ista optatissima, *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. Non dixerunt, Pax hominibus magnæ vel perfectæ sanctitatis, (quamquam si hoc dixissent, id quod maximè verum est, dixissent;) sed vt etiam infirmi ac pusilli, qui bonæ voluntatis sunt, consolationem acciperent, læti dixerunt, *Pax hominibus bonæ voluntatis.*

2. *In quo consistat bona voluntas.*

Si facis rationabiliter * quod in te est, & Deo placere verè desideras; Deus haud dubiè conatum, laborem, desiderium & bonam voluntatem tuam eximiè aliquando coronabit, etiam si pijs operibus, exercitijs, atque orationibus tuis magna inæqualitas adiuncta, & multi defectus permisti sint. Quamdiu enim non auertis voluntatem tuam à Deo, & sæpiùs doles atque ingemiscis propter imperfectionem ac multiplices offensas tuas, Deus pro ineffabili bonitate suâ reputat opera tua digna æternâ remuneratione. Quamdiu, inquam, bonam voluntatem retines, & humilitati ceterisque veris virtutibus das operam, atque à peccatis sedulò abstines; places Deo, & in bonâ conscientiâ tuâ, tamquam in amœnâ paradiso, iucundè commorari potes.

* Cum auxilijs gratiæ faciês quod in se est, coronabitur à Deo ob bonam volûtatem in eo quod facere non potest.

3. *Ab eâ pendet perfectio & valor operis.*

Certè bona omnia ex voluntate dependent: & quando humilitatem, charitatem, vel quaslibet alias virtutes habere appetis, & id totâ voluntate vis, facisque quod potes; proculdubiò habes eas coram Deo. Itidem dum boni quidpiam facere ex animo desideras, sed non vales; Deus bonam voluntatem tuam pro opere suscipit. Et tam magnum est desiderium tuum apud Deum, quàm magnum cupis, atque integrâ voluntate vis illud esse. Itaque vtiliter admodum potes ita orare: *O vtinam, Domine, vtinam*

pro

pro honore nominis tui, haberem tantum amorem & affectum ad te, quantum vmquam aliqua creatura habuit! Pie Iesu, peto & opto vehementer, vt plenâ voluntate & perfecto desiderio omni tempore erigar in te, sicut tibi placitum est: peto & opto toto corde, vt in omni virtute & sanctitate tibi perfectè placeam pro gratâ voluntate tuâ.

§. III. MORTIFICATIO.

1\. *Austeritas exterior bona est, sed non necessaria, interior autē omnino exercenda.*

Non debes etiam pusillanimis effici, nec putare te remotum esse à Deo, propterea quòd fortè nequis magnam vitæ austeritatem præstare, vel quòd ad eam sectandam minimè sentis te intus trahi atque impelli. Neque enim in illâ consistit vera perfectio, veraque sanctitas; sed consistit in propriæ voluntatis ac vitiorum mortificatione, consistit in verâ humilitate atque charitate. Non legimus beatam virginem Mariam Dei genitricem tam rigidam duxisse vitam, quàm rigidam duxit sancta vidua Iudith: & tamen longè perfectior fuit quàm ipsa Iudith. Non omnes electi eâdem viâ extrinsecus gradiuntur: at intrinsecus omnes omnino eamdem viam tenere debent, nempe viam humilitatis veræque charitatis siue sancti amoris. Nam & aliam viuendi rationem beatus Ioannes Baptista secutus est, atque aliam sanctus Ioannes Euangelista: & tamen quia vterque verè humilis erat, ac Deum proximumque verè diligebat, vterque Deo maximè placuit.

2\. *Per piam gratulationem nostra fiunt aliena merita magnarum mortificationum.*

Lætare, & lauda Deum, cuius gratiâ plerique adiuti, rigidam ducunt aut duxerunt vitam: ita enim per piam gratulationem sinceramque dilectionem merita eorum efficies quodammodò tua, & præmium atque gloriam recipies à Deo pro bonis quæ in alijs purè amas. Porrò, pro vitæ austeritate quæ tibi deest, potes offerre Deo Patri ieiunia, vigilias, tribulationes, & acerbissimam passionem Christi. Quòd si rationem viuendi aliquantò asperiorem (Deo adiuuante) sectatus fueris, facito id simpliciter ad gloriam Dei: & non nimiùm innitaris neque confidas huiusmodi austeritati vel meritis tuis, verùm spem omnem potissimùm colloca in passione Christi, & in satisfactione, expiatione ac meritis eius.

3\. *Imperfecti per humilitatem in paruulos Dei filios adoptantur.*

Non est quòd multùm metuant imperfecti, modò semper ad meliora contendant (sanctum tamen Dei timorem numquam deponere debent) non est, inquam, quòd inordinatè metuant. Christus enim in corpore suo mystico non diligit solùm oculos, id est perfectos: sed diligit etiam manus & pedes, diligit infima membra sua, diligit minuta vascula misericordiæ, quæ Sanguine suo & morte suâ pretiosâ mercatus est. Grandes filij Dei expeditè gradiuntur & currunt: parui verò ægriùs ac tardiùs incedunt. Beatus eris, si vel ex numero paruulorum filiorum fueris: nam & ipsi omnes regni cælestis erunt heredes. Qui creauit magnos, ipse idem creauit paruos: & Christus non minùs datus est in Saluatorem paruis, quàm magnis. Fudit Sanguinem suum pro omnibus, omnes morte suâ redimere voluit: nec vllus tanti beneficij expers est, nisi qui se illo culpâ suâ infeliciter priuat.

§. IV. VNIO OPERVM CVM CHRISTO.

1\. *In nobis egeni, in Christo sumus abundantes.*

a Crede mihi, is qui verè humilis est & bonę voluntatis, habet in Christo, pro deuoto ac sincero cordis sui desiderio, quidquid boni sibi deest in seipso: habet in illo omnem sanctitatem atque perfectionem. Profectò enim ad hoc venit Christus in mundum, ad hoc incarnatus & passus est, vt peccatores sese humiliantes saluos faceret (eos ad æternam beatitudinem subleuando) ac pro eis satisfaceret, eorumque defectus suppleret sarciretque, & eos meritis suis locupletaret. Tamquam fidissimus parens thesaurizauit filijs suis, quos ab æternitate dilexit.

2\. *Orandus igitur, vt defectum nostrum suppleat per sua merita.*

Ora igitur eum, vt ipse integrè pro te respondeat, satisfaciat atque suppleat: ora, vt meritis ac virtutibus suis egenam animam tuam exornet. Atque hoc petendo, spera certò & crede, illum pro immensâ bonitate suâ facturum quod humiliter postulas. Nam si dubius nimiumque meticulosus permanes; similis es ei, qui vilibus sordidisque vestimentis exutus, & repentè indutus Regijs, non nouit decenter atque compositè pro exigentiâ ipsorum vestimentorum Regalium incedere; sed pro morum rusticitate, cui assuetus est, ineptè & inciuiliter graditur. Offer Deo Patri in plenam expiationem peccatorū tuorum, & in suppletionem meritorum quæ tibi desunt, ipsum vnigenitum Filium eius Iesum Christum: offer omnia quæ ille pro te fecit ac pertulit: offer incarnationem, vitam, labores, passionem, cruciatus, Sanguinem & mortem eiusdem Redemptoris tui. Cuius quidem oblationis dignitas & præstantia homini prorsus incomprehensibilis est. Nulla scelera tam grauia & enormia esse possunt, quæ non meritis Christi & pretioso Cruore eius in homine b bonæ voluntatis deleantur.

a Pia praxis Blosiana, offerendi Deo Patri merita Filij, pro hominibus meticulosis, ad supplendum opera nostra defectuosa, crebrò occurrit, & videri potest de eâ re iterum Consolatio pusillanimium cap. XXX. § II.

b Quando ex sese confert ad actus pœnitentiæ quidquid in sese habet & potest. Nempe cum auxilio gratiæ Dei.

3. *Nihil negatur oranti per Christum.* Math. 7. & 21. Marci 11. Ioan. 14.

Potes etiam dicere Deo Patri: *Pater clementissime, rogo te per dilectum Filium tuum Iesum Christum, vt mei miserearis, & hoc vel illud mihi dones ad æternam laudem nominis tui.* Nam quandocumque aliquid piè & sanctè petitur in nomine Filij, siue per Filium, Deus Pater gratissimam habet eam petitionem, cùm nihil illi charius sit ipso Filio suo.

4. *Cordi & meritis Christi nostra commendemus.*

Commenda bona opera & exercitia tua sacratissimo atque mellifluo cordi eiusdem Iesu Christi emendanda perficiendaque: maximè enim id expetit cor illud amantissimum, & semper paratum est imperfecta tua excellentissimo modo perficere. Gaude & exulta, quia quantumuis * pauper sis in teipso, admodum diues es in Redemptore tuo, qui meritorum suorum participem te esse voluit, qui pro te homo factus est, pro te ieiunauit, laborauit, cruciatus pertulit, Sanguinem fudit, & animam posuit. Ingentẽ prorsus thesaurum in illo repositum habes, si tamen verè humilis & bonæ voluntatis es.

* Pauper in se, diues est in Christo, quia particeps est thesauri meritorum Christi.

CAPVT VIII.

Schola humilitatis & patientiæ.

§. I. PRÆCONIVM HVMILITATIS.

Pulchra descriptio encomiastica humilitatis.

§. II. ACTVS EIVS PRÆCIPVI.

1. *Cognoscere & agnoscere, se nihil esse aut posse sine Dei gratiâ, nisi peccare.*

2. *Agnoscere, omnia bona sua, Dei esse dona; illum propterea in eis, non se, laudandum.*

3. *Sentire se dignum esse, quem omnia affligant, & contemnant: idque si eueniat, non solùm ideo non turbari, sed potiùs lætari.*

4. *Imputare afflictiones suas peccatis suis: & inde timorem simul ac spem concipere, tamquam à paternâ Domini Dei castigatione.*

5. *Diligere ipsos etiam hostes suos, exemplo Christi.*

6. *Tolerare longanimiter omnem mærorem vndecumque proueniat, & quantumcumque duret, pro Dei amore.*

§. III. PATIENTIÆ VIRTVS.

1. *Tribulatio patienter pro Deo tolerata, certum signum diuinæ electionis.*

2. *Quapropter Deus, quasi delectatus patientiâ suorum, facit cum tribulatione prouentum.*

3. *De manu ergo illius omnia suscipienda, vt ille laudetur, timeatur, ametur: non verò de manu creatura, quibus tantùm Deus vt instrumentis vtitur.*

4. *Etiam cùm tu ipse tibi causa es malorum, licet dolere debeas de offensâ, afflictionem tamen ipsam velut de manu Dei lætanter suscipe.*

§. I. LAVS HVMILITATIS.

Vera encomia humilitatis ad consolationem humilium.

O QVANTIS præconijs digna est sancta humilitas! Moneo iterum atque iterum, vt hanc virtutem præcipuè sectẽris: nam & Christus hanc potissimùm nos discere à se voluit. Ait enim: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Hanc semper & exemplo & verbo docuit. Vnde rursum ita loquitur: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Hanc amantissimè respexit in Virgine matre suâ, sicut ipsa testatur dicens: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Per hanc maximè Sancti omnes fuerunt & sunt homines secundùm cor Dei. Breuiter, in hac virtute consistit tota Christianæ sapientiæ disciplina. Si tu non desideras nec conaris esse humilis, frustrà tibi persuades quòd possideas charitatem, & quòd amœnam habitationem in te inueniat Spiritus sanctus, qui non requiescit nisi super humilem. * Humilitati charitas semper coniuncta est, & charitati humilitas: neque fieri potest, vt quis charitatem habeat, si humilis non sit. Nam (vt beatus Paulus ait) *charitas non inflatur, non est ambitiosa, non irritatur, sed est patiens & benigna.* Sine humilitate & charitate opera atque exercitia tua, quantumuis magna esse videantur, inania erunt ac putria. Vera autem humilitas intus in corde quærenda est. Si desit interna humilitas, externa nihil est, hypocrisis est.

Math. 11. Math. 18. Lucæ 1.

* Humilitatis & charitatis fida est coniunctio. 1. Cor. 13.

§. II. HVMILITATIS PROPRII ACTVS.

1. *Agnosce te nil habere à te nisi peccata.*

Itaque habe cor humile ac submissum. Agnosce tuum nihilum, tuam infirmitatem & impotentiam: agnosce tuam erga Deum ingratitudinem, tuam malitiam ac vilitatem. Enimuerò ex te ipso nihil es; & sine adiutorio gratiæ Dei nihil boni velle, nihil boni agere, & nec vnam quidem piam cogitationem concipere * potes. Ex teipso ad malum semper propensus es: & nisi Deus te seruaret, non est aliquod tam horrendum scelus, quod non admitteres. Quare nulli, quantumuis flagitioso homini, teipsum præferre debes. Si non admisisti grauia peccata, tu certè ob bonitatem Dei, quæ te in illâ ruere non permisit, & tibi virtutem benè viuendi præstitit, præclariorem habes causam te humiliandi, quàm habeat is qui post perpetrationem multorum criminum veniam obtinuit, & in gratiam receptus est à Domino.

* D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. quærens, vtrùm homo possit velle & facere bonũ absq; gratiâ; respondet ex S. Augustino lib. de Correptione & gratiâ ca. 2. quòd sine gratiâ nullũ prorsus siue cogitando, siue volendo, & amãdo, siue agendo, faciũt homines bonũ.

2. *Attribue Deo non tibimet quidquid in te habes boni.*

Cùm nihil in te sit propriè tuum, nisi peccatum, tu quidquid boni habes & agis, attribue Dei misericordiæ ac benignitati; non tuam, sed Dei laudem & gloriam quærens. Ne pilum quidẽ ex donis Dei tibi assumas: nam etiam si tu solus omnia mortalium omnium bona opera fecisses, tam nudus inde manere deberes (quod ad tui reputationem, & ipsorum operum immodicam æstimationem attinet) ac si nihil vmquam boni fecisses. Quid si quidpiam ex donis Dei

Dei tibi adſcripſeris vſurpaueriſque, & propter aliquam gratiam internam vel externam appetieris ab hominibus magnipendi; latet vtique in te grandis ſuperbia. Odio tibi ſit hæc peſtis pernicioſiſſima: quam tametſi fortè ſentis, non tamen illi conſentias. Dic Deo: *Domine, ego malim mori, quàm conſenſum præbere: renuntio omni impuritati.* Non ſolum nó adſcribas tibi aliquid boni, verùm etiam malorum omnium quæ in mundo fiunt, culpam in te retorqueas. Confitere te nullo modo eſſe dignum beneficijs ac donis quæ à Deo accipis, & illi gratus eſto: confitere te non eſſe dignũ quem terra ſuſtineat.

3. *Tolerã libẽter internam & externam crucem peccatis tuis debitã.*

Certè cùm tu peccatis tuis Dominum ſummæ maieſtatis ac ſanctitatis grauiter offenderis, iuſtum eſſet vt & Deus ipſe, & creaturæ omnes, horrendis modis te affligerent. Proinde non mireris, neque perturberis animo, quando ſentis te intus aridum, ſterilem, obnubilatum, inſtabilem, deſolatum, & velut à Deo derelictum: quando item graues & diuturnæ cruces, anguſtiæ vel tentationes te premunt, & quando alij te vilipendunt, perſequuntur aut etiam cædunt, contumelijſq; ac maledictis afficiunt. Putas fortè tunc Deum tibi iraſci: ſed hęc ira paterna eſt, & ex amore proficiſcitur. Non tibi diſpliceat tam amabilis Pater, dum te aduerſis exercet, aut exerceri ſinit. Miteſce, tolera, reſignatus eſto, & gratias age.

4. *Accipe cruces velut ſtipendium peccatorum, & arrham diuini amoris.*

Habe quidem moderatũ timorem, ſciens Deum plurimas culpas in te videre, vbi tu fortè vnicam aut nullam aduertis: time, inquam, & imputa peccatis tuis ea quæ ſuſtines, ac fatere quòd adhuc grauiora meritus ſis: nullo tamen modo arbitreris te propter huiuſmodi caſtigationem non eſſe charum Deo. Imò verò vel hinc maximè confide te
Heb. 12. charum illi eſſe: *flagellat* enim Deus *omnem filium, quem recipit.* Decanta in corde tuo
Mich. 7. hæc verba Prophetæ: Ego *ad Dominum aſpiciam, expectabo Deum ſaluatorem meum. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet. Educet me in lucem, videbo iuſtitiam eius.* Roga Dominum Ieſum, vt ipſe pro peccatis tuis ſatisfaciat: tu verò ea quæ pateris, pro amore eius perfer & tolera.

5. *Dilige hoſtes, Chriſti exemplo, quamuis te affligant.*

Porrò illis qui te infeſtant ac lædunt, omnem offenſam ex corde remittas, teque benignum eis exhibeas, reddens bona pro malis, æquanimiterque ac ſedatâ mente ferens eorum & verba aſpera, & truces geſtus, & ſęua opera, & quidquid illi demum acerbitatis ſiue in te ſiue in amicos tuos contulerint. Ne verò hæc tibi videantur factu nimis difficilia, propone ante mentis tuæ oculos ea quæ pro te pertulit, & exemplum quod tibi
1. Pet. 2. dedit Dominus tuus Ieſus Chriſtus: qui cùm pateretur, non murmurabat, non exaſperabatur animo, non vindictam expetebat, ſed
benigniſſimè orabat pro ſuis inimicis. Nónne ingens bonum putabis tibi obtigiſſe, ſi Regi tuo conſimilis in aliquo eſſe potueris? Lucæ 23.

Nonnumquam in homine bono, qui Deum purè quærit, oboritur grauiſſima quædam anguſtia & afflictio, vel ex indiſpoſitione complexioneque naturali, vel ex cæli influentiâ atque aëris inæqualitate, vel ex maligni ſpiritus operatione, aliâve ex cauſâ, Deo id permittente: tumque ipſe pius homo, putans ſe non placere Deo, ſolet pacem pectoris amittere, & mœrorem perturbationemque animi incurrere. Si te corripuerit talis angor, non eum velis violenter excutere, neque multas rationes perquiras, quibus te inde eripere poſſis: ſed ſuſcipe ipſam preſſuræ moleſtiam humiliter de manu Domini, tamquam rem tibi maximè ſalutarem, & eam tranquillo reſignatoque animo ſuſtine, etiam ſi illa perduret pluribus annis, aut toto vitæ tuæ tempore: ita enim Deus & Angeli commorabuntur apud te, tuâ humilitate & patientiâ delectati.

6. *Admitte, ô verè humilis, preſſurã quamuis de manu Dei cum gratiarum actione.*

§. III. PATIENTIÆ VIRTVS.

Tribulationes in hac vitâ præclariſſima Dei dona ſunt: & non eſt vllum certius ſignum diuinæ † electionis, quàm vt quis aduerſa humiliter ac reſignato animo propter Deum toleret. Frigore, æſtu, infirmitate, & quibuſlibet alijs grauaminibus externis atque internis Deus purgat, ſanctificat, mirificeque exornat animas electorum ſuorum. Et quos videt minùs aptos eſſe vt torques aureas ferant, ornat eos ſaltem ſertis ac floſculis, id eſt, leuioribus tribulationibus. Numquam permitteret vel minimum venti flatum electis ſuis eſſe moleſtum, niſi ſciret hoc ipſis expedire ad ſalutem. Homini vtilius eſt, etiam modicum grauamen patienter pro Dei honore vel amore perferre, quàm grandia opera patrare. Humilis patientia, & ſui reſignatio in aduerſis, dulciſſimè reſonat in auribus Dei, & eum homini afflicto prorſus adeſſe facit. Hinc Propheta dicit: *Propè eſt Dominus his qui* Pſal. 33.
tribulato ſunt corde.

1. *Tribulatio cum patientiâ tolerata, eſt inter euidentia ſigna dilectionis & electionis Dei.*

Quidquid nunc pateris, Deus ab æterno præuidit hoc te eo paſſurum modo, quo pateris: præuidit diem & horam quâ illud pati deberes. Ceterùm non eſt quòd expaueſcas:

2. *Ex æternâ præuiſione in electis ſuis cruces viribus noſtris attemperat, & facit cum tentatione prouentum.*

† De hoc prædeſtinationis ſigno S. Bernardus Hom. 37 in Cantica, alludens ad gradationem D. Pauli Rom 5. glorìantis in ſpe gloriæ filiorum Dei, quando ait, *Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd* TRIBVLATIO *patientiam operatur,* PATIENTIA *autem probationem,* PROBATIO *verò ſpem,* SPES *autem non confundit; quia* CHARITAS *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis;* ſic loquitur: *Ideo illa non confundit, quia iſta infundit certitudinem, per quam ipſe Spiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quòd filij Dei ſumus.*

ſcas:

ſcas: nam pius Dominus nihil tibi imponet quod prorſus excedat vires tuas, ſibi optimè perſpectas. Diligētiſſimè interijciet manum ſuam inter te & ignem tribulationis, ne nimiùm graueris: quemadmodum facere ſolet mater indulgentiſſima, dum paruulum filium ſuum iuxta ignem materialem denudat. * Ipſas tribulationes ac pœnas tuas omnes tam paruas quàm magnas, paſſioni ſiue cruciatibus Christi coniunctas vnitaſque, deuotâ mente offer Deo in laudem æternam: ſic enim erunt inæſtimabilis meriti, & ſummè Deo placebunt.

** Deo per Christum pœnas tuas offer.*

3. *De manu Dei omnia ſuſcipienda; quia manus Dei tantùm vtitur creaturis velut inſtrumētis.*

Diſce, quæſo, ea quæ tibi in animâ, corpore & quibuſlibet rebus eueniunt, non aliunde ſuſcipere quàm de manu Dei: nam quæcumque eueniunt, ex ſapienti eius ordinatione eueniunt, nec aliqua tribulatio ſine Dei permiſſu te corripere poteſt. Etiamſi vniuerſi dæmones ſimul in te irruere vellent, non poſſent tibi vel appropinquare, * niſi Deus permitteret: vnde non illos, ſed Deum timere debes. Sicut dicebam, diſce omnia de manu optimi Domini ſuſcipere tamquam optima; etiamſi fortè talis accidat calamitas & afflictio, quæ ſaluti tuæ contraria eſſe videatur. Neque enim fieri poteſt, vt non & optimum & vtiliſſimum tibi ſit, quod purè de manu Domini accipis, cùm Deus homini bonæ voluntatis nihil præſtet niſi optimum, ac ſaluti ipſius conuenientiſſimum: quod ita certum eſt, ſicut certum eſt Deum viuere. Si ille poteſtatem ſatanæ daret, † te omni reliquo vitæ tuæ tempore diris terrificiſque modis vexandi corporaliter, tu fortè æſtimares id intolerabilem eſſe infelicitatem, nimiſque horrendum Dei in te iudicium: & tamen hoc non ſolùm non obeſſet ſaluti tuæ, ſed etiam prodeſſet plurimùm, ſi de manu Dei illud ſuſciperes, & humiliter pro Dei honore atque amore tolerares.

*Hoc clarè apparet in hiſtoriâ Iob cap. 1.

4. *Etiam quæ tu tibi acceſſiuiſti tuâ culpâ, de manu Dei te velut inſtrumento vtentis accipe, dolens de culpâ tuâ, gaudens de Dei bonitate, qui ex malo tuo bonū ſuum elicit.*

Nec illas quidem afflictiones & cruces, quæ culpâ tuâ eueniunt, vel quarum cauſa tu es, aliunde ſuſcipias quàm de manu benigniſſimi Dei. Semper tamen tibi diſpliceat malum quod feciſti: neque vllo modo culpam conferas in Deum, qui peccati auctor numquam eſt; nec in diabolum, qui te cogere non potuit vt peccares; ſed tibi ſoli illam imputa, qui peccato conſenſiſti. Quandocumque moleſtum aut acerbum quidpiam à creaturis tibi infertur, mox conuerte cordis oculos ad Creatorem Patremque tuum cæleſtem, qui hoc ex amore pro tuâ vtilitate permittit. Illum attende potiùs quàm creaturas quæ tribulationē inferunt: hæ enim tamquam inſtrumenta & ſecures atque aſciæ ſunt, quibus ſummus ille Artifex vtitur ſicut vult, & ſicut electis ſuis vtile eſſe nouit. Si quoties homines de te vel de tuis malè loquuntur, aut iniuriam aliquam tibi irrogant, perturbaris, ac patientiam abijcis; tranquillitas animi tui non in Deo, ſed in hominibus locata eſt, dependetque ab hominibus. Quod ſi ita eſſet, miſer vtique & nimis infelix eſſes.

† Ad hanc rem conſiderationes lectu dignas ex aureo eloquentiæ flumine effundit S. Ioannes Chryſoſtomus lib. de Prouidentiâ Dei ad Stagirium Monachum, quem ſolaturin mœrore, quia à diabolo obſidebatur.

CAPVT IX.

Reſignationis doctrina & varia exercitia.

1. *Reſignatio perfecta vera tranquillitatis fons eſt & origo; ac mirificè Deo grata eſt.*
2. *Inde in tribulationibus & preſſuris maximè ſecura eſt, & guſtum quemdam habet Diuinitatis.*
3. *Eius eſt, tractum & motum Dei manifeſtum & certò agnitum libenter ſequi: in alijs permittere ſe diuinæ prouidentiæ.*
4. *Perfectio verò illius eſt, Dei iuſtitiam erga ſe diligere, æquè atque eiuſdem miſericordiam.*
5. *Deus enim vult nobis omne bonum: tantummodò petit animum reſignatum.*
6. *Securitas igitur mentis reſignatæ maxima eſt, vtpote fundata in immenſâ Dei erga ſuos beneuolentiâ, imò erga peccatores,*
7. *Etiamſi omnem, aut penè omnem vitam malè triuerint: dummodò tandem pœnitentiam verè agant.*
8. *In eo etiam, qui nondum eſt perfectè reſignatus, vellet autem eſſe, hoc ipſum deſiderium acceptat & approbat Deus.*
9. *Homini igitur reſignato omnis inordinata triſtitia prorſus eſt repellenda.*

RESIGNA te Deo funditus, voluntatem tuam laudabili voluntati ſanctæque ordinationi eius in omnibus humiliter ſubijciens atque conformans: ita enim demum, & non aliter, veram ac ſtabilem cordis pacem obtinebis, ita palàm erit te verum Dei amorem habere. Ergo, ſiue Deus proſperitatem ſiue aduerſitatem dederit, ſiue te in lumine ſiue in tenebris eſſe voluerit, contentus eſto: ferens omnia inæqualia pro viribus æqualiter animoque ſedato, & Deum laudans, atque ei gratias agens. Quando vidēris tibi magnâ obſcuritate ariditateque contabeſcere, & grauibus anguſtijs premeris, ſi tunc conformis diuinæ voluntati, miſeriam & afflictionem illam cum benignâ tranquillitate propter Deum toleras, multò gratior Deo es, quàm ſi diuino lumine multùm irradiareris, & intus florerent omnia. 1. *Reſignatio perfecta Deo gratiſſima & maximè placet.*

In preſſurâ & afflictione homo non ita facilè ſeipſum quærere poteſt, ſicut in ſenſibilis dulcedinis conſolationiſque affluentiâ: in hac enim plerumque natura ſe admiſcet, & ani- 2. *In tribulationibus exſultat, & ſecurè verſatur.*

& anima, si incautior fuerit, per immodicam delectationem citò maculam contrahit. Sanè fieri non potest, vt aliquis resignato corde quidpiam sustineat pro gloriâ Dei, quin saporem quemdam Diuinitatis percipiat. Licet enim illi nihil fortassis sentire, id est, sensibiliter gustare contingat (Deo se ad tempus occultante) hoc ipso tamen ei quod patitur benè sapit, quòd se illud ad æternam Dei gloriam velle ferre cognoscit.

3. *Verè resignata anima se totam Dei beneplacito permittit, in vtramque partè, seu desolationis seu consolationis.*

Si voluntas Dei tibi dulcis est quando ipse te sanum esse & viuere vult, amara verò est quando te vult infirmum esse vel mori: nondum plenè resignatus es, nondum habes cor satis rectum. Si vis vt ipsum cor tuum iam non sit curuum, subiunge illud in omnibus voluntati diuinæ, quæ semper recta est. Sine Deum agere tecum quod volet, & vt volet, in vitâ & morte, in tempore [a] atque æternitate. Faciat Deus (te permittente) de animâ & corpore tuo, de amicis & rebus tuis, deque cunctis negotijs quod ipsi placitum est. Vnicè opta, vt semper voluntas eius fiat: & eadem diuina voluntas sit summa consolatio tua. Dic Deo: *Domine, sicut ipse ab æternitate voluisti, ita fiat, & non vt ego volo: fiat in me & de me atque hominibus ac negotijs omnibus gratissima voluntas tua, nunc & in æuum sempiternum.* Nihil melius postulare, nullam præstantiorem orationem fundere potes coram Deo, quàm vt petas fieri voluntatem eius.

4. *Æquè amat Deus erga se iustitiam, ac misericordiam.*

Etiamsi non ita pridem incepisses melius viuere, & iam tibi moriendum esset, nihilominùs sis resignatus: nec scire aut perscrutari velis, vtrùm te Deus post mortem missurus sit ad Purgatorium, [b] an mox recepturus in cælum. Sic tibi placeat dulcedo misericordiæ eius, vt tamen non displiceat pulchritudo iustitiæ illius. Vox hominis benè resignati hæc est: *Domine Deus meus, si in tui vergeret laudem, vt post obitum meum annis quinquaginta flammis purgatorÿs cruciarer, illicò me sub pedes tuos abÿcerem, & in tui honorem pœnas illas animo paratissimo exciperem.* Sancti Patres affirmant, cum [c] qui Dei erga se iustitiam perinde vt misericordiam ad æternam eiusdem Domini gloriam exosculatur ac diligit, tam facilè peccatorum suorum omnium & pœnarum illis debitarum plenam veniam obtinere, quàm facilè vna aquæ guttula in ardenti fornace consumitur.

5. *Homini bonæ voluntatis & benè resignato vult Deus omne bonum.*

Vult tibi bonæ voluntatis homini benefacere Deus: vult te æternâ beatitudine secum perfrui. Vult hoc, quia summè bonus & misericors est. Neque enim indiget bonis tuis opulentissimus Conditor, sed petit cor ad se conuersum, humile, resignatum, ac sanctâ erga se fiduciâ firmatum, quale scilicet inuênit in latrone illo, cui pendens in cruce dixit, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Si huiusmodi cor habueris, nullo modo poteris separari à Deo. Ipse enim tibi & viuenti & morienti, affectu plus quàm paterno aderit, teque proteget ac consolabitur. Faciet planè quod per Prophetam suum pollicitus est, dicens: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrum.* Lucæ 23. Isa. 66.

6. *Magna securitas resignati, in Dei erga suos beneuolentiâ fundatur.*

Ergo tam viuens quàm moriens securè teipsum & omnia prouidentiæ Dei committe, omnemque sollicitudinem tuam in eum proijce: semper tamen faciens rationabiliter quod tuum est. Innitere benignitati bonitatique eius firmissimè, & in eo plenissimè confide, quidquid etiam accidat. Reuerà enim maiorem ille tui curam gerit, quàm ipse gerere possis. Te salutemque tuam maximè diligit Dominus, qui gratuitâ pietate suâ ad imaginem similitudinemque suam te fecit, & ex purissimo atque ardentissimo tui amore incarnari, pati ac mori voluit. Tâto tenetur desiderio eorum omnium qui ipsum sanctè colunt & sincerè amant, quasi tota beatitudo atque essentia eius ex illis penderet. * Si cum charitate, quâ te diligit Deus, conferatur amor, quem omnes vnquam parentes habuerunt, habent, & habebunt erga filios suos; erit velut aquæ stilla exigua cum vastissimo mari comparata.

* O immensa charitas Dei erga nos!

7. *Etiam eos, qui serò ad ipsum conuertuntur, tenerrimè Deus complectitur.*

Neque dubitare quidquam debes de illius erga te summâ dilectione, propterea quòd fortè vitam tuam omnem, aut pænè omnem malè vel nequiter transegeris. Quamuis enim innumera prorsusque nefanda sint scelera quibus eum offendisti, iam tamen quia illa purè confessus es, & verè ab eis auersus atque ad Deum conuersus, teipsum non fictè humilias, Deoque placere ex animo desideras ac studes; omnino ipsi Domino totique aulæ cælesti charus es. Deus, qui tibi dedit veram contritionem, dedit sine dubio & veniam: nec attendit qualis aliquando [d] fueris, sed qualis mo-

[a] Semper tamen curando vt perseueremus in gratiâ Dei: nam non potest homo sese resignare ad gratiæ Dei amissionem vel diminutionem, vel ad minimi ac leuissimi peccati commissionem vel admissionem.

[b] Imò animæ non planè plenèque purgatæ in hac vitâ, hilariter post mortem subeunt, & exequuntur cum magnâ resignatione voluntatem Dei de pœnis Purgatorij ignis tolerandis ad satisfaciendum iustitiæ diuinæ: & hanc resignationem illis solatio esse, docet R. P. Franciscus Suarez in 3. p. D. Thomæ Tomo 4. disputatione 45. sectione 3. §. *Dices.*

[c] Cùm enim hoc fieri non possit, nisi per actum perfectum excellentissimæ charitatis, apparet eum sufficere posse ad plenam culpæ & pœnæ deletionem, iuxta doctrinam D. Thomæ Supplemento 3. p. q. 5. art. 2.

[d] In statu peccati.

dò sis aut esse † cupias. Magnus sanè Dei honor est, quòd ipse tam misericorditer & benignè peccatorem indignissimum ad se redeuntem recipere dignatur. Nam & cæli ciues ob id prorumpunt in diuinæ laudis melos suauissimum, videntes summam illam Maiestatem tantâ pietate demittere se ad animam peccatricem. Crede sine aliquâ hæsitatione, Deum immenso amore te complecti: crede item, eum qui sic te amat, & velle & posse cuncta bene disponere pro salute animæ tuæ. Nihil ille magis abs te expetit, quàm humilem tui in omnibus resignationem, & propriæ voluntatis abnegationem, plenamque erga se confidentiam.

8. *Qui non habet perfectam resignationem, desideret eam habere.* Matt. 26.

Quòd si non potes te tam libero & integro corde resignare vt velles, si propter aduersitatem vel mortem imminentem sentis te pauidum aut pusillanimem, ne turberis inde: nam Deus attendit & approbat voluntatem ac desiderium tuum. Et vt infirmitatem tuam Christus consolaretur, ipse quoque passione & morte suâ imminente voluit pauore ac mœrore corripi. Itaque omnem formidinem tuam in abyssum misericordiæ ac bonitatis eius deponito: & ei, si non promptissimo corde, saltem pio ore dicito: *Domine, offero, resigno & permitto me tibi, fiat voluntas tua.* Plerumque contingit, vt homo irresignatæ voluntatis animosiùs atque fidentiùs excipiat aduersa, & fortiùs illa extrinsecus perferat, quàm is qui resignatæ voluntatis est.

9. *Repellatur à resignato tristitia inordinata.* Iob. 13. Isa. 50.

Repelle diligenter ab animo tuo inordinatam tristitiam, & (sicut suprà dictum est) firmiter innitere benignitati Dei, dicens cum beato Iob: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* Nam ad hoc Isaias quoque Propheta te hortatur, dum dicit: *Qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* Fieri non potest, vt Dominus hominem rectæ fidei & bonæ voluntatis sperantem in se deserat. Vnde ait: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum.* Psal. 90.

† In statu gratiæ: & hoc sensu citat D. Thomas 1. par. quæst. 86. artic. 1. verba Ezechielis cap. 8. vbi Deus ad solatium verè pœnitentis dicit: *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor ampliùs.* ac si dicat: Non videbo in pœnitentiâ peccatoris, peccatum quod fuit, sed pœnitentiam quæ est.

CAPVT X.

Exercitium introuersionis, cum septem illius obiectis.

§. I. *Primum obiectum introuersionis*, PRÆSENTIA DEI.

1. *Assuescat animus exteriora relinquere, & se ad Deum intra se recolligere.*
2. *Omnia enim in Deo, & Deus in omnibus.*
3. *Sed peculiari modo in creaturis intellectualibus, quo non est in alijs.*

§. II. *Secundum obiectum*, TRINITAS BENEDICTA.

1. *Quomodo Trinitatis mysterium sit cogitandum.*
2. *Admiranda imago Trinitatis in animâ rationali.*
3. *Mysterium hoc non nisi cum summâ reuerentiâ & cautelâ ruminandum & explicandum.*
4. *Manuductio quædam ad ipsius conceptum explicandum per exempla creata: quæ tamen ipsi mysterio valdè inadæquata sunt.*
5. *Trinitas diuina incomprehensibilis & immutabilis.*

§. III. *Tertium obiectum*, ATTRIBVTA *seu* PERFECTIONES DEI.

1. *Quomodo cogitanda sint per introuersionem;*
2. *Moderatè & sine nimiâ peruestigatione, aut labore intellectus quasi violento.*

§. IV. *Quartum obiectum*, ORATIO CONTINVA.

§. V. *Quintum obiectum*, LECTIO SACRA.

§. VI. *Sextum obiectum*, EXERCITIORVM VARIATIO.

1. *Lacryma vera quomodo haberi possint.*
2. *Praxis exercitiorum sine anxietate, sine propriâ adhæsione, sine notabili singularitate.*

§. VII. *Septimum obiectum*, CHRISTI HVMANITAS.

1. *Cum affectu & desiderio, & conatu imitationis cogitanda est.*
2. *Præsertim memoranda crebriùs Passio ipsius.*
3. *Christiformis voluntas humilis & resignata potiùs à Deo postulanda, quàm sublimis gradus contemplationis.*
4. *Humanitas Christi gradus securus, & ianua est tutissima ad contemplationem Diuinitatis.*
5. *Ratio piè concipiendi mysterium incarnationis & passionis Dominicæ.*
6. *Christus in cruce acutissimos dolores pertulit, & simul tamen Deitate suâ perfruebatur.*
7. *Corpus Christi in ipso conceptionis instanti perfectè simul formatum fuit & animatum.*

§. I. *Obiectum primum introuersionis*, PRÆSENTIA DEI.

REVOCA & conuerte frequenter mentem tuam ad ipsum Dominum Deum tuum, ambulaque reuerenter coram eo, qui maiestatis suæ præsentiâ & virtutis magnitudine vbique est. Ipse enim per Prophetam dicit: *Cælum & terram ego impleo.* Vbique præsens est: sed nullo loco continetur, nullo loco concluditur. Vbique totus atque indiuisus est: nullius tamen rei immunditiâ contaminatur. Sensibiles rerum sordes, non secundùm rationem, sed secundùm sensum dumtaxat sordes dicuntur. Deo autem nihil immundum est præter peccatum, quo ipse etiam inquinari non potest, sicut solaris claritas illustrans cloacas minimè inficitur.

1. *Mens introuersa considerat Deum vbique præsentem, & se se ad eum conuertit.* Ierem. 23.

Si

2\. *Deus vbi erat ante conditum mundum. Erat in se, & in eo erant omnes ideæ creaturarum; & nunc est in omnibus intimè præsens.*

Si quæris, Vbinam erat Deus antequam mundum conderet? respondeo, quòd erat apud seipsum, erat in seipso, & nunc, mundo condito, in seipso est. Deus ergo qui vbique est, omnes creaturas penetrat, eisq; per simplicem & occultam essentiã suam propinquior est quàm ipsæ sint sibi. Esse rerum omnium est, quia ab eo cuncta creata dependent, ac sine eo omnia nihil sunt, & mox in nihilum redigerentur, nisi ab illo conseruarentur. Res omnes sunt in Deo tamquam in virtute ipsas continente ac regente. Vnde Paulus in Actis Apostolorum dicit, nos in Deo viuere, moueri & esse. (Act. 7.) Res etiam sunt in Deo secundùm ideam: nam ideæ, seu intelligibiles formæ rerum omnium, fuerunt ab æterno in mente scientiâque Dei, & in eâ stabiles atque incommutabiles manent ac vita sunt: & ipse Deus, vel essentia diuina, est vna idea atque vnum exemplar rerum omnium, intellectualiter omnia repræsentans. Hinc Ioãnes Euangelista, cùm dixisset omnia per æternum Dei Verbũ facta esse, & sine ipso nihil esse factum, subiecit: *Quod factum est, in ipso vita erat.* (Ioan. 1.)

3\. *Peculiari ratione & modo præsẽs est Deus animæ rationali, & imprimus iustis ac pijs: item Beatis & dãnatis.*

Sicut dicebamus, Deus est in rebus omnibus. Creaturis autẽ rationalibus imagine suâ insignitis nobiliter admodũ inest, licet à sensu impiorũ longissimè absit. Quilibet enim peruersus elongatur à Deo dissimilitudine, sicut pius quisque similitudine ei propinquat. Igitur bonis hominibus Deus adest etiam per salutarem gratiæ suæ exhibitionem: ciuibus cęli adest per claram glorię suæ manifestationem: damnatis adest per congruam iustitiæ suæ executionem. Felix illa anima, quæ Deum sincerè diligens, in hoc exilio præsentiam eius libero, claro, sereno, & simplici mentis intuitu (gratiâ eius adiuuante) contemplari nouit!

§. II. *Obiectum secundum,* SACROSANCTA TRINITAS.

1\. *Modus fidẽ piè ruminandi in mysterio sanctissimæ Trinitatis.*

Quando mentem tuam subit adorandæ Trinitatis memoria, non fabrices tibi, more Ethnicorum, tres deos: sed crede, Patrem & Filium & Spiritũm sanctum esse vnum Deum, qui est intermina plenitudo essentiæ, vitæ, potentiæ, sanctitatis, sapientiæ, bonitatis, suauitatis, venustatis, opulentiæ, nobilitatis, beatitudinis, gloriæ, & omnimodæ perfectionis. Crede, * inquam, tres increatas personas esse vnam Deitatem, vnam substantiam siue essentiam, creaturas omnes infinitè transcendentem, immensam, non aliunde dependentem, nullius indigam, per se subsistentem, sibique sufficientem, summè fulgidam, summè pulchram, summè iucundam, summè tranquillam, summè amabilem, summè perfectam, superessentialem atque simplicissimam, quæ neque corruptibilibus oculis videri, neque intellectu comprehendi potest. Venerare vnitatem substantiæ in personarum trinitate, & Trinitatem personarum in vnitate substantiæ. Vna & indiuidua essentia, tres personæ; * & tres personæ sunt vna atq; indiuidua essẽtia. Omnino Pater & Filius & Spiritus sanctus (quod ad substantiam attinet) vnum sunt, cùm tamen in personis magna sit distinctio. Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti; sed non est alia essentia Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti: nam Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est substantia, vna natura, vna Diuinitas, vna maiestas. * Sicut confitemur, Patrem ingenitum, esse perfectum & incommutabilem Deum, siue integram veramque Diuinitatem esse in Patre: ita confiteri debemus, Filium à Patre genitum, esse perfectum atque incommutabilem Deum; & Spiritum sanctum à Patre Filioque procedentem (qui est amor Patris & Filij) esse perfectũ incommutabilemque Deum. * Attamen Pater & Filius & Spiritus sanctus non sunt tres Dij, sed vnus perfectus & incommutabilis Deus, vnus Dominus, vnus æternus, vnus omnipotens, vnum principium omnium rerum conditarum. Quidquid vna persona secundùm substantiam est, hoc ipsum est & quæuis alia. Planè quidquid est in vnâ personâ, id ipsum totum etiam in qualibet aliâ est: neque vna aliquid minus habet quàm tres simul, nec tres simul aliquid plus habent quàm vna sola. * Pater à seipso est, suiipsius æterna essentia est, & à nullo quidquam accipit: Filius non est à seipso, est enim à Patre solo, & à Patre habet quidquid habet: Spiritus sanctus etiam non à seipso, sed à Patre & Filio est, habetque à Patre & Filio quidquid habet. Pater communicat se totum Filio: nam dat ei totum esse suum diuinum seu totius Diuinitatis suæ plenitudinem, & vnà cum Filio dat eamdem Diuinitatis plenitudinem Spiritui sancto. * Nihil tamen est in gloriosâ Trinitate prius vel posterius, nihil maius aut minus: sed ipsæ tres diuinę personæ, quibus vna eademque est substantia, sunt coæternæ & summè æquales, summeque similes, atque in se inuicem manent. * In Patre totus Filius est, & totus Spiritus sanctus: in Filio totus Pater est & totus Spiritus sanctus: in Spiritu sancto totus Pater est & totus Filius. * Licet verò attribuatur Patri potentia, & Filio sapientia, & Spiritui sancto bonitas; ipsarum tamen trium personarum vna eademque est potentia, sapientia, ac bonitas. Persona Filij assumpsit naturam humanam, non autem persona Patris,

Marginalia: *Vnitas naturæ diuinæ & perfectiones simpliciter simplices.* — * Trinitas personarum. — * Proprietates singularum in trinitate personarum. — * Aequalitas omniũ. — * Modus processionũ diuinarum. — * Coæternitas. — * Coëxistẽtia. — * Attributa triũ personarũ & operationes. Hæc autẽ omnia inueniet Lector tum in Symbolo Athanasij, tũ in Scholasticis Doctoribus apud D.Tho. 1. p. per quęstiones omnes quæ de Deo vno & quæ de Deo trino agunt.

Patris, neque persona Spiritus sancti: incarnationem tamen Filij tota Trinitas operata est. Nam sicut trium personarum vna est essentia, ita etiam vna est operatio, vna & eadem voluntas.

2. *Trinitatis imago in homine.*

In animâ hominis pulchrè relucet sanctæ Trinitatis imago. Habet enim anima rationalis (sicut habent & spiritus Angelici) tres naturales vires admodum excellentes, nempe, memoriam, intellectum, & voluntatem: quas Deus illi indidit, vt ipsa Deum memoriâ recolere, intellectu cognoscere, voluntate eligere & diligere, atque eo frui possit. Quemadmodum autem Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt vnus Deus, siue vna diuina substantia; ita tres illæ superiores spiritualesque animæ vires, sunt vna mens, siue vna animæ essentia. Tres æternæ & inseparabiles personæ Diuinitatis inseparabiliter operantur: & prædictæ tres potentiæ animæ etiam inseparabiles operantur inseparabiliter. Neque enim memoria aliquid recolit aut recogitat sine intellectu & voluntate: nec intellectus aliquid cognoscit sine memoriâ & voluntate: nec voluntas aliquid eligit vel diligit sine memoriâ & intellectu. Istæ tres * potentiæ animæ sunt spirituales sensus: nam visus attribuitur vi intellectiuæ, auditus vi memoratiuæ, odoratus, gustus, & tactus vi affectiuæ siue amatiuæ, hoc est, voluntati. Sicut autem spiritus præstantior est corpore, ita illi sensus perfectiores & digniores sunt sensibus corporis. Porrò ea anima quę supra vires suas naturales subleuata, meretur in simplici essentiâ suâ occultissimoque fundo inuenire Deum, eique sine medio vniri, † videt, audit, odoratur, gustat & tangit quod nullis verbis enarrari potest.

* Sensus seu potentiæ animæ tametsi præstantiores sensibus corporis, tamē per sensus corporeos aptè repræsentantur.

3. *Trinitatis mysterium cū summâ reuerentiâ cogitādum.*

Non nisi sobriè loquaris de mysterio altissimæ Trinitatis: quia tam impossibile est vt quis illud explicet, quàm impossibile est vt homo in terrâ stans, cælum digito contingat. Quis enim dicat, vel etiam intelligat, vti Pater perennem essentiam suam clarissimè perspiciens, seque perfectè cognoscens, Verbum suum proferat, seu Filium generet sibi consubstantialem, coæternum, & coæqualem? Nam illa sui cognitio, Filij sui in æternitate generatio est. Quis item capiat, vti Spiritus sanctus procedat atque emanet à Patre & Filio, quibus etiam consubstantialis, coæternus, & coæqualis est? Ista omnem intellectum humanum excedunt.

4. *Exempla Trinitatem adubrantia, valdè obscurâ & remotâ similitudine tantum mysterium aliquo modo repræsentāt.*

Verumtamen vt etiam sensibili similitudine confirmetur in te fides, quâ credere debes Filium esse æternum, & Spiritum sanctum ęternum, sicut Pater (à quo procedunt originemque accipiunt) æternus est: attende vti splendor & calor ab igne quidem vel flammâ procedunt, qui tamen igne posteriores tempore non sunt. Nam eo ipso momento quo ignis est, etiam splendorem & calorem emittit, nec vmquam ignis sine splendore caloreque esse potuit, adeò vt si ignis esset æternus, splendor quoque eius esset æternus, & calor ęternus. Itidem tam splendor quàm calor procedens à sole, coæuus est soli.

5. *In Trinitate processiones personarum sunt incomprehensibiles.*

Incomprehensibilis illa generatio atque processio in sanctissimâ Trinitate, sicut initium numquam habuit, ita nec finem vmquam habitura est: si enim habuisset initium, vel si aliquando desineret, aliqua mutatio circa Diuinitatem facta esset aut fieret, quod nullo modo fieri potest: nam natura & substantia diuina est incommutabilis. Cùm quælibet diuina persona sit perfectionis infinitæ, & quælibet aliam limpidissimè intueatur, plenissimeque comprehendat; diligunt vtique se inuicem ipsæ tres personæ amore iucundissimo, ardentissimo, prorsusque infinito. Sed præstat de tanto mysterio aliquid intus experiri, quàm ore multa dicere. Tu in his quæ ratione & intellectu comprehendere nequis, fidem integram retinens, simpliciterque credens quod Catholica credit Ecclesia, humilitati atque amori da operam.

§. III. *Obiectum tertium,* ATTRIBVTA DEI.

1. *Perfectiones Dei optimè considerantur per adspirationes ad Iesum.*

Attende totâ animi deuotione Domini Dei tui bonitatem, dulcedinem, pulchritudinem, pietatem, misericordiam, charitatem, fidelitatem, atque eius generis alias ipsius amabiles perfectiones, quæ profectò prorsus immensæ & incomprehensibiles sunt. Si ad Iesum per amorosa atque iaculatoria verba adspirare libet, potes mente vel etiam ore hæc aut similia dicere: *O bone Iesu, vtinam mundus & innocens coram te essem! Vtinā verâ humilitate perfectâque mei resignatione tibi placerem! O dilecte mi, charissime mi! O dulcedo cordis mei, vita animæ meæ! O purum gaudium meum, & castæ deliciæ meæ! O Domine Deus meus! quid volo præter te? Tu mihi sufficis: tu es vnicum atque iucundissimum bonum meum. Ego te vlnis animæ meæ suauiter amplecti desidero. Eia accende & concrema me igne amoris tui. Da vt diligam te.*

† In intimâ animæ cum Deo vnione ac mysticâ fruitione esse operationes delectationis internas, functionibus externis quinque sensuum corporeorum respondentes, doctè, piè, subtiliter docuit S. Augustinus lib. 10. Confessionum cap. 6. vbi sic rogat Deum: *Quid amo, cùm te amo?* Et mox sibi respondet: *Amo quamdam lucem, & quamdam vocem, & quemdam odorem, & quemdam cibum, & quemdam amplexum, cùm amo Deum meum. Lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; vbi fulget animæ, quod non capit locus; & vbi sonat, quod non rapit tempus; & vbi olet, quod non spargit flatus; & vbi sapit, quod non minuit edacitas; & vbi hæret, quod non diuellit satietas. Hoc est quod amo, cùm Deum meum amo.*

te toto corde, totâ animâ, & totâ virtute, pro gratâ voluntate tuâ, &c.

2 *Moderatio in aspirationibus & introuersionibus circa perfectiones & attributa Dei.* Non sis tamen in his nimius, nec vehementior quàm oportet, sed discretionis moderationem diligenter seruato, ne caput tuum lædas, & naturam prægraues ac destruas. Quando autem contingit te dolorem aliquem ex spiritualibus exercitijs contrahere ac sentire, offer illum Deo in laudem æternam, & patiens esto. Qui nullâ virium suarum ratione habitâ, conatu prorsus violento [a] atque importuno sese incessanter introuertere, mentemque suam in Deum eleuare nititur: is non permittit, vt Deus in ipso requiem habeat. Verumtamen malæ cogitationes salutaribus cogitationibus pellendæ, & cordis oculi ad Dominum vbique præsentem amanter, placidè, & simpliciter reflectendi sunt. Certè, sicut is qui acriter sitit, non facilè obliuiscitur sitis suæ: ita is qui Deum impensè amat, vt crebrò illius recordetur necesse est, si mens eius alijs cogitationibus impedita non fuerit. Vbi [b] enim amor & cura, ibi oculus atque cogitatio. Quilibet prudenter considerare debet mensuram gratiæ quam à Deo accepit, quia Spiritus sanctus dona sua variè distribuit.

[a] Violenta contentio, & importunus conatus non probatur in praxi introuertionis.

[b] Vbi amor, ibi oculus; & suauiter quisque cogitat quod amat.

§. IV. *Obiectum quartum,*

ORATIO.

Lucæ 18. *Orandum quotidie.* *1. Thess. 5.* Per verba illa Euangelij, *Oportet semper orare, & non deficere*; atque per ista sancti Pauli, *Sine intermissione orate*, non iubemur absque cessatione aliquâ continuare orationis exercitium (neque enim hoc fragilitas humana præstare potest) sed monemur non ita deserere orationem, quin quotidie illi diligenter instemus certis horis. Et profectò, homo bonæ voluntatis, qui semper benè agit, & cuncta opera sua refert ad honorem Dei, semper orat.

§. V. *Obiectum quintum,*

SACRA LECTIO.

Fructus & vsus & modus sacra lectionis. Dum sacræ lectioni conuenienter intendis, aut aliquid aliud ad laudem Dei ritè facis, sæpè non minorem, imò fortè maiorem fructum refers, quàm si orares. Neque enim orationes tantùm, sed & quæque salutaria verba ad gloriam Dei lecta vel audita, & quælibet piæ actiones atque cogitationes, animam mirificè exornant. Vere mens boni hominis ex spirituali doctrinâ multa præclaraque commoda recipit: nam & conseruatur munda, & ignorantiam deponit, & tranquilla redditur, & illuminatur, & nutritur, & excitatur, & roboratur, & eximium decorem accipit. Igitur lege vel audi libenter verbum Dei sanamque institutionem, à quocumque etiam homine proferatur, & quantumcumque simpliciter annuntietur aut scribatur: sed corruptam pestiferamque hæreticorum doctrinam exsecrare. Etiamsi quis exactè non intelligat, neque memoriâ retinere possit pia, quæ ad laudem Dei legit vel audit; nihilominùs talia plurimùm animæ prosunt. Certè interim, dum bona sic leguntur vel audiuntur, tempus homini minimè perit: sed dum leguntur etiam plurima & optima, si pura rectave intentio legenti deest, perit vtique ei tempus.

§. VI. *Obiectum sextum,*

EXERCITIORVM VICISSITVDO.

Non nimis diu vni alicui exercitio insistendum est, ne fastidium generet, & animum segniorem reddat: sed conuenienter varianda sunt exercitia. Si tibi in orationibus vel meditationibus atque exercitijs sanctis desunt lacrymæ externæ, non id te perturbet: nam homini Deo placere cupienti non desunt internæ lacrymæ: & licet oculi eius non plorent, plorat tamen cor. Pro lacrymis quas non habes, offer Deo Patri lacrymas Christi. Sanè grandis commotio compunctionis sensibilis solerter à nonnullis plerumque vitanda est, ne bonæ corporis habitudini & mentis serenitati officiat. 1. *Lacrymarũ verarum & vtilium fons.*

Deo, diuinisque ac spiritualibus rebus intende, hilari, libero & simplici corde, absque inordinatâ anxietate & nimiâ intellectus extensione aut applicatione. Quære item in pijs exercitijs tuis Dei honorem potiùs, quàm proprium commodum, seu propriam delectationem. Abdica penitus vitiosam proprietatem: & semper paratus sis ipsa priuata exercitia tua intermittere atque relinquere, vbi Deum id velle, vel iustam aliquam causam hoc exposcere cognoueris. 2. *Obseruanda praxis exercitiorũ, vt fiant cum libertate & hilaritate, & sine amore proprio.* Nonnullos inuenire est, qui certas quasdam precationes ex se susceperunt quotidie legendas: quas si propter negotia & necessitates emergentes, vel propter sanctam obedientiam relinquere cogantur, omnino impacati sunt & inquieti: sed proprietas ista vitanda est. *Vitanda est proprietas affectata.* Patres etiam dicunt, hominem inter orandum non debere ostendere gestus singulares, nimiumque notabiles, coram alijs, pectus fortiter & crebrò tundendo, suspiria alta emittendo, manus in sublime attollendo, &c. *Singularitates gestus externi, vitiosæ.* Aliqui plerumque feruentiùs orant sedendo, quàm genua flectendo; alij stando vel inambulando preces suas meliùs fundunt: tu amplectere quod tibi magis conuenire sentis, ita tamen vt in omnibus discretionem serues, & caueas ne aliquem scandalizes. *Habitus & situs corporis in oratione.* Tam vocalis

lis quàm mentalis oratio ritè peracta, Deo valdè placet.

§. VII. *Obiectum septimum*, CHRISTVS.

1. *Iesu vita & mors recogitanda, cum affectu reuerentiæ & imitationis virtutum eius variarum.*

Memor sis, oro, eorum quæ dulcis Iesus (qui est Deus, & Dominus, & Pater, & frater tuus) pro te fecit, eique deuoto corde gratias age. Ipse factus est homo propter te. Ipse semper & vbique tui recordabatur, teque ante mentis suæ oculos habebat, faciens & tolerans libentissimè omnia pro tuâ salute. Inspice & imitare pro modulo tuo eius humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, benignitatem, modestiam, continentiam, sobrietatem, ac ceteras virtutes sanctas, quæ in eo perfectissimè relucent. Vita Christi liber admodum præclarus est, doctis & indoctis, perfectis atque imperfectis (qui Deo placere cupiunt) communis. Qui benè terit hunc librum, efficitur eximiè sapiens, facileque adipiscitur peccatorum veniam, prauorum affectuum mortificationem, mentis illuminationem, conscientiæ pacem & tranquillitatem, firmamque erga Deum in sincerâ dilectione fiduciam. Etiam si codices omnes, qui toto orbe habentur, intercidissent; vita & passio Christi abundè Christianis omnibus sufficeret ad virtutem omnem & veritatem perdiscendam.† Singula quæ fecit ac pertulit Iesus, ita considera & recipe, quasi pro te solo illa fecisset atque pertulisset. Neque enim ea tibi minùs prosunt, quàm si tu solus per Christum redimendus fuisses. Sed & si solus redimi debuisses, ille pro te vno promptissimè & incarnari, & pati, & mori voluisset; adeò salutem tuam sitit, & tam ardenter te diligit.

† Hanc piam valdè meritorum vitæ & mortis Christi Domini appropriationem, ac si pro vno solo omnia agere ac pati vellet aut voluisset, præclarè & solidè fundant sancti Patres super Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, vt videre est in Commentario doctissimo Michaëlis Gislerij.

2. *Passionis Dominicæ frequens sit recogitatio.*

Venerandam eius passionem, tamquam pretiosam margaritam in scrinio pectoris tui reconditam habe, & eam grato animo reuolue. Ecce, Dominus tuus ex summâ charitate voluit nimis indigna & acerba perpeti, vt satisfaceret pro peccatis tuis, teque redimeret. Depinge mentem tuam suauissimis imaginibus passionis eius, & floridam Dominicæ crucis arborem planta in medio cordis tui. Ipsum Dominum Iesum excruciatum, vulneribusque confectum, elige in charissimum sponsum animæ tuæ, eumque amanter contemplare & amplectere. Nam ex eius roseis vernantibusque plagis melliflui gratiarum riui promanant. Qui os animæ suæ patulo lateri eius conuenienter admouere, ibique commorari, & ad intima cordis illius pertingere nouit, is vtique vinum vitæ æternæ degustat, & perspectum habet quàm amœna paradisus sit Iesus. Neque scribi, neque cogitatione comprehendi potest, quantum fructum homo bonæ voluntatis & humilis referat ex piâ meditatione passionis Dominicæ. Iste quamlibet modico affectu aliquid de vitâ & passione Christi legat aut ruminet, non potest non maximam inde vtilitatem capere: quemadmodum is qui digitos in farinam mittit, non potest non habere eos farinâ conspersos. Sed qui ipsam Domini passionem etiam cum largâ lacrymarum effusione recolit, & tamen veram humilitatem, patientiam, resignationem atque charitatem negligit, certè paruum aut nullum fructum ex suâ meditatione reportat.

3. *Postula magis resignatum animum, quàm sublimem contemplationis modum ac gradum.*

Non contristeris, si Deus in hac vitâ te minimè prouehit ad sublimem contemplationis gradum: sed roga eum instanter, vt det tibi bonam, humilem, resignatamque voluntatem, & eam in te ad finem vsque continuet: pete ab eo, vt iuxta gratissimum beneplacitum ipsius semper viuere possis. Et quia cares pennis quibus ad alta euoles, mane tamquam paruus pullus sub alis diuinæ amantissimæque gallinæ, id est, sub alis æternæ Sapientiæ pro te incarnatæ. Abde te, & conquiesce in sacratissimâ Christi humanitate. Hæc enim in procelloso mari præsentis sæculi, erit tibi tamquam nauis tutissima, quâ ad salutis portum perducêris, etiamsi Diuinitatem plenius hic non cognoscas, vbi nimirum *corpus aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Sap. 9. Haberes autem ipsius Diuinitatis eminentiorem notitiam, si celsissimus Deus crebris fulgoribus mentem tuam irradiaret, teque in diuinam transformaret claritatem.

4. *Humanitas Christi ostium per quod adimus Deitatem.*

Verumtamen (sicut alibi suprà monuimus) intuere Christum internis oculis, non vt hominem tantùm, sed vt verum Deum & verum hominem: intuere eum vt præcellentem gemmam diuinæ nobilitatis & elegantem florem dignitatis humanæ. Licet enim lucidissimos Diuinitatis radios perfectiùs conspicere nequeas: potes nihilominùs credere ipsam fulgidam Diuinitatem in humanitate & corpore Christi ceu in venerabili templo habitare. Si hoc credideris, & humanitatem Christi ita considerraueris, non elongaberis ab eius Diuinitate, sed eam satis conuenienter vtiliterque retinebis.

5. *Fides Incarnationis quo pacto cõcipienda.*

Quando ipse Vnigenitus Dei pro salute mundi in vtero beatæ Mariæ virginis de Spiritu

ritu sancto conceptus est, assumpsit quod non erat, & mansit quod erat. Assumpsit enim corpus & animam rationalem, assumpsit, inquam, totum hominem, & mansit Deus. Natura diuina & natura humana (quæ multùm sunt diuersæ) mirabiliter fuerunt vnitæ. Non est mutata Diuinitas in carnem (natura enim diuina incommutabilis est) sed humanitas assumpta est in Deû. Mansit vtraque natura integra & salua cum suis proprietatibus. Tunc ergo æternum Verbum, anima rationalis, & caro humana conuenerunt in vnam personam: ita vt illa tria sint vna persona, vnus Christus. Propter quam admirandam vnionem, sanctissima Christi anima ab exordio creationis suæ semper contemplabatur limpidissimè gloriosam Trinitatem.

6. *In Christo patiente simul summus dolor, & summum gaudium, iuxta partem nempe superiorem & inferiorem.*

Vnde & cùm pateretur, atque in cruce penderet Christus, fruebatur secundùm superiores animę vires Diuinitate, sicut modò fruitur in cælo: sed secundùm carnem, viresque animæ inferiores ac sensitiuas, dirissimis cruciatibus affligebatur. Et vt sua passio esset acerbior, non permisit tunc redundare consolationem à superiore animæ parte in inferiorem sensitiuamque partem. Hinc in cruce attendens se ita afflictum & consolationis influxu destitutum, ex parte humanitatis clamabat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Iste Filius Dei viui, Verbum & Sapientia Patris, vera atque increata lux, secundùm Diuinitatem vbique præsens est, æqualis Patri & Spiritui sancto est: sed secundùm humanitatem minor est Patre & Spiritu sancto, atque etiam seipso: neque enim creatura creatori æqualis esse potest. Et quidem humanitas Domini Iesu ipsissima ianua est qua Diuinitatem illius intratur.

Psal. 21. Matth. 27.

7. *Corpus Christi statim in instanti conceptionis perfectè formatum & animatum fuit.*

Forte cupis expressiùs audire, quando Trinitas Deus creauerit corpus & animam Christi: ausculta igitur. Mox vt beata Virgo Maria per humilem sui resignationem, assensum præbuit, dicens Angelo incarnationem Filij Dei sibi annuntianti, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum:* Spiritus sanctus in illam descendit, & in momento ipse cum Patre & Filio formauit, ex purissimo eiusdem sacræ Virginis sanguine, corpusculum humanum, membris omnibus absolutum atque perfectum: creauit eodem momento animam rationalem, quam eo ipso temporis puncto vniuit illi corpusculo. Aliorum infantium corpora non repentè, sed paulatim formantur in membra; quę vbi iam in vtero materno perfecta sunt, Deus animam in momento creat, creandoque infundit corpori. Sicut diximus, humanitas Christi via & ianua est, quâ ad Diuinitatem pertingitur: nec aliquis ad sublimioris contemplationis quietem diuinamque vnionem tutò adspirat, nisi virtutes Christi sanctissimas diligenter imitari, & amabilem humanitatis †eius imaginem animæ suæ per deuotam meditationem imprimere conetur.

Lucæ 1.

† Audiant hoc Mystici, qui omnes imagines à contemplatione mysticâ excludunt. De quâ re, & de nonnullis Theologiæ mysticæ locutionibus mysteriosis ad normam Theologiæ Scholasticæ reuocatis & explicatis, quales crebrò in Blosianâ doctrinâ occurrunt, & videre licet cap. XI. proximè sequenti, magnopere suadendum est, vt pius & solidæ veritatis amans Lector adire velit R. P. Maximilianum Sandæum, toto quidem libro Theologiæ mysticæ, sed maximè in quinque Exercitationibus de Contemplatione, vt vocat, purâ.

CAPVT XI.

Semper anhelandum ad mysticam vnionem cum Deo.

§. I. VNIO MYSTICA CVM DEO.

1. *Quomodo fiat in animâ deuotâ.*

2. *Quomodo in hac vnione anima seipsam & omnia creata perdat, & Deum sine imaginibus contempletur.*

3. *Pauci ad eam pertingunt, & ij debent cautissimè ambulare, & vigilanter sese exercere in omni bono opere contra fraudes diaboli.*

§. II. *Est enim* VNIO *quædam* FALSA, *quam aliqui vt vnionem cum Deo amplexantur.*

1. *Nimirum otiosa quies animi, in ijs qui negligunt & despiciunt exercitia virtutum, quo ipso conuincuntur, non esse veri contemplatores; sed miserè decepti & seducti.*

2. *Quare ij soli debent ad veram vnionem adspirare, quos Deus eò vocat, vel ratione status contemplatiui, vel per prudentes directores.*

§. III. REVELATIONES *seu* VISIONES,

1. *Non sunt optandæ nec petendæ.*

2. *Quomodo veræ visiones discernantur à falsis & diabolicis illusionibus.*

3. *Humiles animæ per falsas illusiones non facilè seducuntur.*

§. I. VNIO MYSTICA CVM DEO.

MAGNA res, magna prorsus res est, tempore huius exilij Deo per mysticam nudamque vnionem in diuino lumine copulari. Fit autem hoc, quando munda, humilis, & resignata anima ardenti charitate succensa, supra seipsam Dei gratiâ euehitur, & ad ingentem diuinæ lucis claritatem, menti affulgentem, amittit omnem considerationem atque distinctionem rerum, deponitque imagines etiam excellentissimas, ac tota amore liquefacta, & velut ad nihilum redacta, defluit in Deum. Tunc enim sine medio coniungitur Deo, & efficitur vnus spiritus cum eo, atque in illum transformatur transmutaturque, sicut ferrum in igne positum transmutatur in ignem,

1. *Vnio mystica quomodo celebretur in animâ deuotâ.*

Ccc non

non desinens esse ferrum. Fit vnum cum Deo, non tamen ita vt sit eiusdem substantiæ & naturæ cum Deo. Quiescit hìc anima, cessatque à propriâ actione: & optabilem Dei operationem dulciter sustinens, pace gaudioque ineffabili abundat. Tantum gustum hìc percipit, vt ei cælum, terra, & quæcumque in illis sunt, præ consolationis magnitudine colliquescere, atque in nihilum redigi posse videantur. Ipsa quippe supra naturalium virium suarum operationem subleuata, peruenit ad silentem & tranquillam essentiam suam; vbi vnitas simplicitasque est, & vbi Deus habitat: iamque æternâ Veritate repertâ, inexhaustas opes possidet. Felix planè illa anima, quæ supra omnia creata, supraque propriam actionem euecta, in vi memoratiuâ nudatur omnibus imaginibus, & meram puritatem sentit: in vi intellectiuâ percipit præfulgidas illuminationes Solis iustitiæ, & diuinam veritatem cognoscit: in vi autem amatiuâ sentit æstum quemdam quieti amoris, siue contactum Spiritus sancti, tamquam fontem viuum riuulis æternæ suauitatis manantem, atque ita ad excellentem cum Deo vnionem introducitur [a].

2. *In hac vnione seipsam perdit anima, Deo soli inhærens & intenta, & excedens in Deum per contemplationem mysticam nudam & sine imaginibus.*

Igitur anima vastissimam Diuinitatis solitudinem ingressa, feliciter se perdit: & lucidissimæ caliginis claritate illustrata, præ cognitione fit quasi sine cognitione, atque in sapienti quadam ignorantiâ constituitur. Quæ licet nesciat quid sit Deus, cui nudâ charitate vnita est, licet non videat Deum sicuti est in gloriâ suâ; experimento tamen discit, illum infinitè transcendere omnia sensibilia, & quidquid de Deo scribi, dici, vel humano intellectu apprehendi potest. Sentit longè aliud esse, sine imaginibus in Deum excedere, quàm in nobilibus aut diuinis imaginibus atque similitudinibus Deum intueri. Denique per intimum amoris complexum contactumq; meliùs Deum cognoscit, quàm exteriores oculi visibilem solem cognoscant. Huiusmodi anima optimè scit quid sit vera contemplatio: nam aspectus eius in regionem ineffabilis lucis directus, ibique defixus, feliciter cernit quàm angusta & exigua, ac pænè nihil sit omnis creatura, comparata celsissimo atque intermino Deo [b].

3. *Non omnes Dei serui mysticam illam vnionem attingunt. Et dantur bona consilia ijs qui eam attingunt.*

Sed non omnes serui Dei in hoc sæculo ita rapiuntur supra seipsos, non omnes ita pertingunt ad occultum, simplicem, nudumque & Deiformem animæ fundum, non omnes admittuntur ad mysticam illam præcelsamque cum Deo vnionem, ad quam nullus proprio conatu aut labore peruenire potest, nisi speciali gratiâ Dei adiuuetur. Qui autem illuc admittuntur, debent, præclarâ illâ Dei operatione in ipsis cessante, mox resumere propriam actionem, & sanctas imagines, bonaque opera atque exercitia: debent humiles manere, & in proficiendi desiderio persistere, sicque se gerere quasi nunc primùm meliùs viuere cœpissent. Neque enim durante hac vitâ tam altè vel profundè in Deum ingrediuntur, quin quolibet momento sublimiùs profundiusque in illum ingredi queant: & aliquid in eis semper residebit, quod nondum satis mortificatum sit. Esto, non ampliùs moueantur isti mortalium creaturarum aspectu; adhuc tamen necesse est vt vigilent, & seipsos ad mortem vsque diligenter obseruent. Certè Rex Dauid vir secundùm cor Dei, qui in adolescentiâ pascens ouium greges, gratiam eximiæ contemplationis acceperat, hic ipse post propheticas mirasque illuminationes (ei enim incerta & occulta sapientiæ suæ Psal. 50.
Deus manifestauerat) post crebras diuinæ dulcedinis degustationes, post mysticas transformationes, & amorosos ardentesque in Deum excessus, iam senex in grauissima scelera prolapsus est, nempe in adulterium & homicidium.

§. II. FALSÆ VNIONIS PERICVLVM.

1. *Falsa vnio & quies, periculosa & otiosa.*

Nonnulli perfectionem stolidè in hoc constituunt, vt ipsi quieti ac liberi intellectum suum ab imaginibus expedire, seseq; cum otiosâ & nudâ sensualitate intra seipsos recipere possint: negligentes interim Dei amorem, & quælibet pia opera atque exercitia. Qui quidem falsæ quietis sectatores, cùm seipsos impurissimè quærant, & in seipsis potiùs quàm in Deo delectentur: misera diaboli mancipia sunt. Legitimi verò contemplatores supernaturalisque quietis cultores, ita mentis nuditatē & sanctum otium sectantur, vt tamen bona opera at-

Veri cōtemplatores, opera bona non deserūt, sed ex otio suo & quiete libenter ad negotia obedientiæ aut charitatis egrediūtur.

a R.P.F. Thomas à IESV in viâ & vitâ mysticâ dux & magister à Deo ductus & doctus, libro 4 diuinæ seu à Deo infusæ Orationis capp. 8. & 9. texens catenam ab Apostolis per antiquos Patres, omnium Doctorum qui de vnione mysticâ, fruitiuâ, & supernaturali scripse unt, ad extremum citat & laudat D. Ludouicum Blosium, & ea documenta recenset, quæ hoc loco traduntur, & quæ in Institutione spirituali c. 12. & alibi sanctorum Patrum dictis consonantia.

b Hìc etiam atque etiam monendus & obsecrandus est mysticæ huius vnionis candidatus, vt pro sanâ intelligentiâ, & tutâ praxi Institutionum istarum Blosianarum, velit consulere R. P. Maximilianum Sandæum, Theologiæ mysticæ seu Contemplationis diuinæ Religiosorum à calumnijs vindicatæ, commentatione 6. quæ agit de Vnione mysticâ per Exercitationes triginta, quibus ad momenta Theologica expendit, citatis sententijs S. Augustini, S. Bernardi, & aliorum sanctorum Patrum, item D. Thomæ, R. P. Francisci Suaresij, & aliorum Theologiæ Doctorū, quidquid hìc & alibi tradit Blosius de vnione nudâ & sine medio, de transformatione in Deū; de cessatione operationis potentiarum animæ, de sensibus & sensatione internâ mysticâ, de silentio & quiete essentiæ, de nuditate ab imaginibus ac imaginationibus, de solitudine, de caligine, de alijs atque alijs ad eamdem mysticam scientiam spectantibus; quæ subtilissimè & solidissimè alijs etiam toto illo libro commentationibus enucleantur.

que

que exercitia non deſerant. Nam & virtutibus dant operam pro viribus, & Deum laudant, & paſſionem Dominicam recolunt, & gratias agunt, & frequenter orant ſi eis vacat, & Deo per ſinceram charitatem adhærent: honorem item Dei potiùs quàm propriam delectationem ſpectant & quærunt. Deus in eis nobiliſſimum opus ſuum peragit: quia ipſi diuino amore pleni, per internum ſilentium ſeſe nudos & ſimplices exhibent, nihil cogitando, nihilque conſiderando. Hoc modo ab omnibus imaginibus gratiâ Dei expediti, rapiuntur & euolant ad diuinæ caliginis radium, ac Deo ſine medio vniuntur. Plerique pij homines licet eò non pertingant tempore huius exilij, nonnullam tamen cogitationis ſimplicitatem in ſe ſentiunt, dum excluſis ab animo tumultibus, iucundam Domini præſentiam humiliter, placidè & amanter in ſilentio attendunt, alia quæque parum aut nihil conſiderantes.

2. *Non eſt cuiuſuis vacare vnioni, ſed eorũ qui vocantur,*

Porrò, † quemadmodum foret abſurdum, ſi is, cui Rex demandaſſet officium ſtandi ante menſam ſuam & ſeruiendi, iniuſſus menſæ Regis impudenter accumberet: ita improbe facit, qui ſe totum dare vult otio contemplationis, cùm tamen ad illud euidenter non vocetur à Deo. Tu ergo & Deo magis ac magis placere deſiderabis atque conaberis, & nihilominùs ſemper contentus eris eâ gratiâ quam tibi largiri dignatur Dominus. Si ipſe ſingulare quidpiam in te operari voluerit, non eum impedias; ſed voluntatem eius decenter ſequere, continens iugiter teipſum in ſanctâ humilitate, tuique nihilipenſione.

† Laudat hanc doctrinam Reu. P. Antonius Molina Carthuſianus lib. de Oratione, tractatu 2. cap. 6. §. 4. & inter orationis præcepta recitat R. P. Alfonſus Rodericius parte 1. tract. 5. cap. 5.

§. III. REVELATIONES.

1. *Non ſunt appetendæ reuelationes per quas mali ſæpè à diabolo illudũtur, Deo ob cauſas permittente. 2. Cor. 11.*

Viſiones & reuelationes (quæ interdum etiam malis conceduntur) inordinatè non deſideres. Illi qui eas vanè appetunt, & eis inconſideratè fidem adhibent atque confidunt, facilè decipiuntur à ſatanâ, qui ſe transfigurat in Angelum lucis, & plerumque vera falſis permiſcet, vt fallat. Ipſe nonnumquam vera, nonnumquam falſa; ſed Spiritus ſanctus numquam niſi vera reuelat, prædicit & annuntiat.

2. *Angelicæ & diabolicæ viſionis diſcrimen triplex: 1. Pax,*

Bono ſpiritu animam viſitante, ſolet ipſa in initio timore corripi, ſed mox gaudium & conſolationem recipit, alacritatemque &[1] pacem internam ac famem virtutum retinet. Diabolo verò ſe exhibente, timor incuſſus permanet vel etiam augetur in animâ; & quamuis, dum dæmon ſeſe in Angelum lucis transfigurat, anima in principio exhilaretur; poſteà tamen confunditur, tenebriſque repletur, & impacata redditur. Si videndo viſionem aliquam dubitas, donec certior fias, Deum non offendis, etiamſi viſio ſancta & diuina ſit. Perpendere diligenter & ſolerter oportet, vtrùm ipſæ viſiones ac reuelationes omni ſimulatione fictioneque & abſurditate[2] careant, vtrùm item concordent cum fide Catholicâ, & ſacris litteris. Orthodoxorumque Patrum ſcriptis. Si enim cum illis non concordant, ſtatim reijciendæ ſunt. Illuſio diabolica hominem facere ſolet ſuperbum, irreſignatum, atque in proprio ſenſu obſtinatum: ſed reuelatio diuina hominem reddit humilem,[3] reſignatum, & flexibilem. Sunt quidam Deo dediti, qui etiam vigilantes & ſani abducuntur operatione Dei à ſenſibus corporis, vt eis ſopitis, perfectè intendant diuinis viſionibus & reuelationibus †.

2. Veritas, & cũ verâ fide conſenſus.

3. Reſignatio cum humilitate & obedientiâ.

3. *Humiles non facilè ſeducuntur per diabolicas illuſiones & apparitiones.*

Sanè malignus ſpiritus illos minimè ſeducit, qui in reuelationibus eximiâ diuinæ charitatis dulcedine, puroque intellectualis ac ſupernaturalis luminis influxu perfunduntur. Et Dominus omnes humilitate non fictâ præditos, ſeque piè quærentes & inuocantes, benignè conſeruat ac protegit, ne diabolicis laqueis irretiti pereant. Nam qui ſuperbiunt, & qui duplicitatem fictionemque aliquam in ſe occultant, ſeipſos miſerè ſeducunt, atque in naſſam diaboli ſpontè conijciunt. Cùm Deus fidiſſimus ſit Pater, humilibus filijs petentibus panem, ouum, aut piſcem, non dat pro pane lapidem, neque pro ouo ſcorpionem, neque pro piſce ſerpentem: ſed dat illis ſpiritum bonum, dat quod ſaluti eorum conducit. Fieri nullâ ratione poteſt, vt ipſe humiliter ad ſe confugientes ſibique verè confidentes derelinquat. Itaque qui humiles ſunt, tendiculas ſatanæ ſemper effugiunt. Et profectò nullum eſt veræ ſanctitatis certius ſignum atque argumentum, quàm vera humilitas, & perfecta ſui reſignatio. *Lucæ 11.*

† Has & longè plures notas certas & claras ad ſecernendum veras viſiones & reuelationes à falſis, adfert Reu. P. Martinus Delrio per ſex Sectiones in Diſquiſitionibus Magicis lib. 4. cap. 1. quæſt. 3. quâ diſquirit, quo pacto diuina reuelatio diſcernenda ſit à diabolicâ reuelatione, quam rem exornat allatis plurimis exemplis, & confirmat citatis plurimis è vetere & nouâ memoriâ Auctoribus. Cui lubet, cum fructu leget.

CAPVT XII.

Eucharistiæ veneratio. Cultus Deiparæ & Sanctorum cælitum.

§. I. EVCHARISTIA.

1. *Quâ præparatione suscipi debeat.*
2. *Fides de reali Christi præsentiâ, & mysterio incarnationis.*
3. *Multiplex & ineffabilis fructus deuotæ communionis.*
4. *Quotidie saltem spiritualiter percipienda Eucharistia, & Hostia cum Sacerdote sub Sacro offerenda.*

§. II. DEIPARÆ *Virginis cultus debet esse spirituali animæ commendatissimus.*

§. III. SANCTORVM *etiam veneratio & inuocatio.*

§. IV. IMAGINIBVS *eorumdem cultus religiosus licitè & piè, & cum fructu exhibetur.*

§. I. SACRA EVCHARISTIA.

1. *Eucharistica sumptio, & ad eamdem præparatio per meditationẽ passionis Dominicæ. 1. Cor. 11. Lucæ 22.*

QVANDO admittendus es ad cæleste illud conuiuium, in quo Christus sumitur, piâ mente recole beneficia Dei; maximeque passionem Dominicam, in quâ inenarrabilis charitas Christi erga nos præcipuè relucet. Ipse enim de hac mensâ loquens ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo, si tibi vacat, recogita vel meditare quid pro te fecerit ac pertulerit Dominus Iesus: simulque eum roga, vt habitationem sibi gratam & amœnam in te præparet. Pete, vt deletis omnibus peccatis tuis, inopem animam tuam meritis ac virtutibus suis exornet.

2. *Cum reuerentiâ & fide realis præsentiæ Christi per transsubstantiationem.*

Suscipe cum humili reuerentiâ sacram Eucharistiam, firmâ fide credens, te sub specie panis exigui accipere verum & immortale corpus Christi. Nam virtute diuinâ per verba consecrationis (quæ Sacerdos pronuntiat) operante, panis vinique substantia supernaturaliter conuertitur & transmutatur in Corpus & Sanguinem Christi. Etiamsi multis hominum millibus detur ipsa Eucharistia, quilibet eorum Corpus Dominicum totumque Christum accipit: si item vnica Hostia consecrata diuidatur in plures partes, sub vnoquoque fragmento totus Christus est. Et nihilominùs in cælo ad dexteram Patris manet Corpus Domini integrum, manet totus Christus. Hoc grande mysterium, hæc incomprehensibilis transsubstantiatio fit (vt dictum est) operatione Dei, cui nihil impossibile est. Reuerà Christus in Eucharistiâ præbet seipsum totum tibi: hoc est, præbet sublimem Diuinitatem suam, perfectum Corpus suum cum Sanguine, & sanctam animam suam.

3. *Vis huius Sacramenti dignè sumpti in varijs donis & gratijs.*

Si dignè vel congruè percipis venerabile & adorandum hoc Sacramentum, multùm confirmaris stabilirisque in bono, & aduersus peccata remedium singulare accipis: Deo item viciniùs iungeris, intimiusque copularis & vniris: denique efficeris excellenter particeps omnium meritorum Christi, omniumque virtutum quas ille in vitâ & passione suâ exercuit, ditarisque gratiâ ineffabili. Nulla prorsus lingua exprimere, nullum cor comprehendere potest, quàm ingentia bona homini proueniant ex piâ perceptione huius Sacramenti. Glorifica Dominum tuum, qui largissimâ bonitate suâ tam magnum thesaurum Ecclesiæ suæ in misero hoc exilio reliquit & donauit.

4. *Cum Sacerdote spiritualiter sacrificandũ, & communicandũ: quæ praxis solida est, & quotidiana esse potest.*

Dum non sumis Christum sacramentaliter, non negligas eum sumere spiritualiter; præparans te & optans vt ille in animam tuam adueniat. Nullus omnino prohibere potest quin quotidie spiritualiter Eucharistiam accipias, si velis. Quoties interes diuinissimo Missæ Sacrificio, Hostiam in eo per Sacerdotem consecratã offer deuotâ mente Deo Patri, in plenam expiationem & satisfactionem pro peccatis tuis: offer eam illi in odorem suauitatis & laudem æternam, pro tuâ omniumque salute.

§. II. S. MARIÆ CVLTVS.

Amoris, honoris & inuocationis Mariæ virginis vtilitates.

Dulcissimam Christi genitricem virginem Mariam purè ama, seduloque venerare & inuoca: † quæ non solùm perfectorum sed etiam imperfectorum benignissima consolatrix atque aduocata est. Hæc enim nullum à se repellit: sed omnibus se præbet exorabilem. Peccatores ad se piè & humiliter confugientes blandè suscipit, fouet, protegit, & filio suo maternâ fiduciâ reconciliat. Citius cælum cum terrâ perierit, quàm ipsa aliquem seriò se implorantem suâ ope destituat. Gratias age Domino, qui illam tibi dedit in matrem & adiutricem.

† Hæc elogia dulcissima simul ac verissima de patrocinio misericordissimæ matris & virginis Mariæ, passim commemorant sancti Patres, quos magno numero profert, & inter illos hæc Blosij aurea verba recitat R. P. Petrus Morales in c. 1. Matthæi lib. 3. tract. 1. §. 15 & §. 49. & lib. 3. tract. 9 §. 13.

§. III SANCTORVM INVOCATIO.

Sancti à nobis piè inuocati multa à Deo nobis impetrant. Contra quẽ vsum Ecclesiæ frustrà oblatrant Nouatores. 1. Tim. 3.

Venerare etiam alios Sanctos cæli ciues, tamquam inclytos Principes, præclarosque Reges ac Reginas. Neque audias huius temporis infelices hæreticos, qui stolidissimâ temeritate asserunt, Sanctos in cælo non cognoscere preces nostras, nec posse nobis auxiliari, ob idque non esse inuocandos. Nam Catholica & Apostolica Ecclesia (quę est *columna & firmamentum veritatis*) aliter omnino sentit. Certè Sanctorum beatitudo in regno cælesti non admittit ignoran-

tiam

tiam & impotentiam, quâ hæretici eos laborare dicunt: ibi enim omnia summè perfecta sunt. Sancti in cælo clarè contemplantur Deum, prorsus vident eum sicuti est: nam nisi illum ita cernerent atque cognoscerent, beati non essent. Christus enim

Ioan.17. in Euangelio dicit ad Patrem: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Igitur Sancti videndo Deum facie ad faciem, Deo excellentissimè vniuntur. Et quia vnum sunt cum eo qui omnia scit & potest, ipsi quoque in illo sciunt & possunt omnia quæ ad eorum spectant gloriam: planè sciunt & possunt quidquid volunt. Vnde non solùm † voces orationum nostrarum, verùm etiam sancta desideria nostra, & cogitationes quibus eos alloquimur & honoramus, cognoscunt, ac magnâ fidelitate succurrunt cunctis sese deuotè inuocantibus. Cùm intimi amici & charissimi filij Dei sint, iamque cum eo gloriosè regnent, mirum in modum Deo placet, vt ab omnibus Christianis in magnâ veneratione habeantur.

§. IV. IMAGINES SANCTORVM.

Aduersus Iconoclastas pro Imaginibus disputatio.

Venerare ergo eos (sicut dictum est) & illorum imaginibus honorem sanctè exhibeto. Nimis desipiunt hæretici æui nostri, qui imagines Sanctorum reijciunt, propterea quòd Deus in Scripturâ suâ dicat: *Non habebis deos alienos coram me.* &: *Non facies sculptile vt adores illud.* Vel nolunt vel nesciunt hæretici distinguere inter simulacra deorum, & imagines Sanctorum. Sanè Christiani, Catholicæ Ecclesiæ filij, non adorant more Ethnicorum sculptilia tamquam deos (quod vtique Deus fieri prohibet) sed Sanctos in imaginibus suis piè venerantur. Id enim Ecclesia sponsa Christi, quam Spiritus sanctus edocet atque gubernat, hactenus fideliter obseruat, quod etiam ex traditione Apostolorum accepit.

Deut.5. Leuit.26.

† Sancti non modò preces, sed & desideria nostra cognoscunt, Deo videlicet, quando placet, illis reuelante occultas cordis nostri cogitationes; de quo disputant Theologi apud D. Thomam 1 part. quæst. 57. art. 4. & inprimis Reu. P. Franciscus Suarez lib. 2. de Angelis cap. 21.

CAPVT XIII.

Contra ariditatem & desolationem antidotus.

1. *Tempus semper impendendum diuinis laudibus:*

2. *Etiamsi ariditas affligat: vera enim deuotio in sui abnegatione, & amore diuini beneplaciti consistit, non in dulcedine sensibili: quæ, si priora duo non adsunt, semper esse debet suspecta.*

3. *Quamuis etiam tam abundanter & vtiliter prabeat Deus Tyronibus spiritualibus, vt ad fortiora animentur.*

4. *Assumenda igitur est indifferentia animi ad ariditatem desolationis, aut pinguedinem consolationis, pro Dei beneplacito, quantum & quamdiu ipse voluerit, amplexandam.*

5. *Non enim in consolatione, sed in ipso Dei beneplacito conquiescere debet anima: omnemque recurnam naturæ propriæ quæsitionem strenue corrigere.*

1. *Tempus ariditatis vtiliter expendendū.*

OMNE tempus traducito ad laudem & gloriam Dei. Dum es incolumis, semper boni quidpiam exerce: dum verò ægrotas, serua mansuetudinem ac patientiam. Nec putes ea quæ piè facis, Deo grata tibique vtilia tunc minimè esse, quando palato cordis tui parùm sapiunt, & quando in illis te sentis minùs alacrem, aut etiam gelu interno constrictum, tenebrisque circumfusum.

2. *Deuotio vera, in abnegatione sui, non in abundantiâ consolatoria dulcedinis sita.*

Vera enim deuotio in verâ suiipsius submissione, resignatione, abnegatione ac nihilipensione sita est, potiùs quàm in sensibili sapore & dulcedine. Certè multis ad salutem vtilius est ariditatem amaritudinemque cordis sentire, quàm affectuosa desideria & suauitatem. Ille Deo valdè placet, qui fide & amore diuino plenus, in ipsâ sterilitate paupertateque suâ internâ humiliter dicere nouit: *Domine, licet ego immundus sim, & omni consolatione (quam plerique boni homines experiuntur) indignus, te tamen non derelinquam, sed desolatus libenter ero iuxta tuum beneplacitum & permissionem.* Nimis infidelis Deo est, qui quando Deus eum consolatur, Deo seruire vult; sed quando spirituali consolatione destituitur, mox à Deo recedit, & impura illicitaque solatia perquirit. Si te desiderante diuinam consolationem, Deus eam tibi negaret, & tu id pro gloriâ eius resignato ferres animo: haud dubiè veriùs illam haberes, & centuplò plus præmij apud Deum tibi cumulares, quàm si sensibiliter consolationem percepisses.* Suauitas illa non est indubitatum sanctitatis signum, sed Deus eam largiendo manifestat bonitatem suam: nam & his qui pessimè viuunt, illam interdum concedit. Nisi quis perceptâ suauitate sentiat animi alacritatem, & famem virtutum, maximeque sanctæ humilitatis & obedientiæ atque charitatis diuinæ affectum in se remanere, potest habere multùm suspectam huiusmodi suauitatem.

** Obserua discrimen inter veram & falsam consolationem.*

3. *Deuotionis sensibilis abundātia sæpè datur Tyronibus velut lac infantibus, vt roborentur ad exercendas virtutes.*

Dominus quosdam recèns ad se conuersos tam abundanti gratiâ in inferioribus animæ viribus plerumque commouet, vt ipsi quasi ebrij cogantur opulentiam internarum deliciarum, quas sentiunt, verbis & gestibus insolitis manifestare, vel etiam in stupo-

stuporem quemdam & somnum siue excessum mentis venire. Ita nimirum nouelli serui & amici Dei per diuinum amplexum sensibili vnione Deo copulantur, osculaque præsuauia ab eo accipiunt. Bona quidem est ista sensibilis vnio quæ in hominis naturâ cum medio fit, modò illi quibus huiusmodi gratia datur, magis ac magis in verâ humilitate, patientiâ & sui resignatione conentur proficere: sed mystica * verissimaque vnio, quam nonnulli perfecti, supra vires suas naturales euecti, & abysso diuini amoris absorpti, in supremâ nobilissimâque sui portione (hoc est, in mente, siue spiritu, intimoque & nudo animæ fundo) sine vllo medio experiuntur, incomparabiliter præstantior est.

*Vnio mystica est superior omnibus spiritualibus consolationibus, quando Deus sine medio semet offert fruendum.

4. *Indifferentia ad consolationem vel desolationē; cùm in Deo magis quàm in Dei donis quiescendum sit.*

Tu verò paratus sis ariditatem & angustias cordis, tenebrasque internas omni tempore vitæ tuæ sustinere, si Deo ita visum fuerit. Verumtamen si idem benignus Dominus tibi nimis indigno nonnumquam consolationem dulcedinemque spiritualem præstiterit, non eam reijcias: sed humili gratâque mente illam recipito, & iugiter retine sanctum Dei timorem. Caue sedulò, ne propter huiusmodi consolationem vanè glorieris, ac tibi placeas: caue ne nimiùm illi innitaris vel confidas, néve illâ abutaris ad propriam voluptatem: neque enim in donis Dei, sed in ipso Deo quiescere debemus.

5. *Amor proprius & propria quæsitio in Dei donis est corrigenda.*

Natura vbique seipsam quærere solet, idque plerumque admodum occultè, & sub prætextu rectæ rationis atque eximij boni: sed vitiosa propensio eius solerter obseruanda, & diligenter corrigenda mortificandaq; est. Nam propria atque impura quæsitio coniuncta diuinæ consolationi, tamquam fœtidum stercus est pretiosissimo balsamo permistum. Dona Dei integrè in Deum refundenda sunt: ita vt homo tam intactum ab eis se seruare nitatur, quasi illa non accepisset. Quantò igitur benigniùs te visitat & consolatur Deus, tantò sis humilior, atque in tui nihilipensione stabilior: & non deficias animo subtractâ consolatione, sed insistas pijs operibus atque exercitijs in penuriâ internâ ac mœrore, perinde vt in abundantiâ & gaudio. Pro ipsâ cordis tui sterilitate & ariditate, offer Patri cælesti feruida desideria ardentissimumque amorem cordis Iesu Christi: offer sanctam deuotionem & charitatem beatæ Mariæ virginis atque omnium electorum Dei.

CAPVT XIV.

Consideratio nouissimorum.

§. I. MORTIS.

1. *Resignati hominis mors secura semper, & felix.*

2. *Ideoque mortis recordatio non est ei horrori, sed in desiderio & delectatione.*

3. *Quin & omni fideli debet tolerabilis videri, si non optabilis.*

§. II. PATRIÆ CÆLESTIS.

1. *Beatitudo quoad animam, vbi est absentia omnis mali, visio Dei, & Christi, societas B. Virginis, Angelorum, Sanctorumque omnium, & præsentia omnis boni.*

2. *Quoad corpus, vbi est ipsius glorificatio, etas semper florida, dotes pretiosæ, calorum elementorumque renouatio.*

§. III. MISERIÆ INFERNI.

1. *Malorum infelicitas in animâ, corpore, loco carcerali, pœnis maximis & æternis.*

2. *Hæc vnusquisque sibi vtiliter accommodare studeat.*

§. I. MORTIS CONSIDERATIO.

PERMANE Deo coniunctus cum integrâ pace in quibuscumque rerum euentibus. Nam hac ratione & vitam Deo placentem hîc ages, & tandem sanctâ morte hinc emigrabis. Morieris in gratiâ atque amicitiâ Dei: & mors tua introitus erit ad veram vitam, iuxta promissum Domini Iesu dicentis: *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.* Animæ tuæ è corporis ergastulo egredienti, idem Christus hæc aut similia verba blandissimè insusurrabit: *Salus tua ego sum. Ego Creator, Redemptor & amator tuus, per angustias mortis quæsiui atque acquisiui te: semper mecum eris, noli timere.* Ad hunc modum te bonæ & resignatæ voluntatis hominem tunc consolabitur Dominus Deus tuus.

1. *Mors resignati hominis securissima.* Ioan. 11.

Non ergo inordinatam tristitiam tibi adferat mortis memoria, sed te exhilaret potiùs, quemadmodum exhilarabat sanctam quamdam * Virginem, quæ dicebat Deo: *O Domine, quando tandem corpus meum (te permittente) reuertetur in puluerem, & anima mea refluet in te suam originem?* Huic profectò mors in desiderio erat, vita in patientiâ. Non etiam sollicitè & anxiè cogites, quonam mortis genere hinc sis exiturus: sed te totum dispositioni & voluntati Dei securè committe.

2. *Resignatus non horret mortem, sed optat magno desiderio.*

* Sanctam Gertrudem.

Quòd si mors tibi fortè optabilis non est, sit saltem tolerabilis. Dic Domino: *Fiat voluntas tua.* Rex tuus Iesus moriendo, viam tibi strauit, commodamque reddidit: sequere humiliter quà ille præcessit. Etiamsi formides ac metuas, persiste tamen in sanctâ

3. *Qui mortē non optat, saltem eam patienter toleret.*

ctâ spe & fiduciâ erga bonum Dominum tuum, qui non vt seuerus iudex, sed vt misericors pater tecum agere vult, qui & ipse (vti suprà diximus) pauere ac tristis esse voluit antequam moreretur, vt te pauentem atque contristatum consolaretur. Tristitiam tuam tristitiæ eius vnitam, offer illi in laudem æternam: & mortem tuam commenda ei in vnione mortis ipsius. Innumera bona tibi Deum timenti & amanti mors adferet. Certè vbi hac vitâ defunctus fueris, nullo ampliùs peccato inquinaberis, numquam ampliùs Deum offendes, nullum ampliùs impedimentum tibi corpus istud corruptibile præstabit.

Mat.14.

§. II. CONSIDERATIO PARADISI.

1. *Patria cælestis beatitudo in dotibus animæ. Absentia omnis mali.* Peruenies autem post purgationem (si tamen adhuc purgari debueris) ad patriam cælestem, patriam claritatis æternæ, patriam semper florentem atque amœnissimam: vbi nulla est infirmitas, nulla corruptio, nullus metus, nulla sollicitudo, nullus mœror, nulla indigentia, nulla afflictio, nulla molestia aut miseria. Ibi felicissimè perfrueris summo illo & incommutabili bono, *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis* mortalis *ascendit*. Clarissimè enim videbis gloriosam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum summè amabilem Deum. Eris in Deo, & Deus erit in te modo excellentissimo. Tu Deo ita vnitus, bonitatis eius dulcedinem perfectè gustabis, & torrente diuinæ voluptatis prorsus inebriaberis. Plenissimè tunc cognosces atque senties, quàm immensô amore ille te ab omni æternitate dilexerit. Inenarrabili incomprehensibilique gaudio plenus, intueberis corporalem dilecti tui Iesu Christi faciem, quæ vtique tota gratiosa, fulgens & melliflua est: nam eius pulchritudo & elegantia longè excedit quidquid in hac vitâ optari & desiderari potest. Cernes etiam, cum ingenti lætitiâ, benignissimam, speciosissimam, suauissimamque Christi matrem virginem Mariam, & omnes beatos spiritus, omnesque Sanctos: atque cum eis iucundissimè habitans, Deum amabis & laudabis sine fine, sine labore, sine impedimento. O beata patria, & verè sola patria! Quicumque ibi sunt, planè Reges ac Reginæ filijque Dei sunt. Ibi omnes immarcescibili pulchritudine florent, & pace gaudent imperturbabili. Omnes ibi serenissimâ luce Diuinitatis iugiter illustrantur, & plenam veritatis notitiam obtinent. Quilibet ibi singulos cæli ciues distinctè perfectissimeque cognoscit: & omnigenâ opulentiâ, omnigenisque delicijs ac gaudijs abundat. Metuere non debes ne ibi desit quidquam eorum quæ hîc tibi placent. Nam quidquid decoris, elegantiæ, suauitatis, gratiæ, perfectionis & excellentiæ, hîc in omnibus creaturis inueniri aut sentiri potest, id ibi exuberantissimè & superessentialiter est. Breuiter, omnis boni influxus ibi est.

Apoc.21. Præsentia Dei. 1.Cor.2. Visio Dei, Psal.35. & Christi, Beataq́; Virginis & beatorum Angelorum atque hominum. Præsentia omnis boni.

2. Et quidem electi qui illuc pertingunt, ipsam beatitudinis æternæ gloriam, ante resurrectionem in animâ cumulatissimè recipiunt: post iudicium verò etiam in corpore illam recepturi sunt. Omnes resurgemus in eâ ætate in quâ erat Dominus Iesus, quando propter nos mortuus est. Senex centum annorum & infans vnius noctis eiusdem staturæ erunt. Et licet boni quidem modò sint claudi, vel cæci aut deformes: tunc tamen sani, integri, candidi & formosi absque aliquâ maculâ resurgent. Corpora electorum tunc emittent ex se suauissimum odorem, & erunt septuplo sole clariora, animarum gloriâ sese per illa diffundente. Erunt etiam impassibilia, ita vt nullo nocumento iam possint affici. Erunt & tantâ agilitate prædita, vt vbicumque anima volet esse, eò corpus suum in momento adducat. Erunt item tam subtilia, vt solida & crassa quæque minori negotio penetrent, quàm splendor solis vitrum penetrat. Tunc cæli quoque & elementa immutata miroque decore ornata perenniter effulgebunt: & sublatâ omni corruptione, sublatis nubibus, ventis, imbribus, æstu, tonitruis, gelu, noctibus ac tenebris, succedet perpetua tranquillitas, temperies, lux, & solis claritas septuplò maior quàm modò sit. Aër plus habebit luminis quàm iam habeat. Aqua purior erit quàm nunc est. Terra tamquam crystallus perspicua, & vt palma, plana erit. Et quidem sensibilis mundi machina ad hunc modum renouata iucundissimum & æternum spectaculum Sanctis omnibus exhibebit. O quàm vernans & grata erit æstas illa perennis! Tunc nimirum Sancti, qui in huius exilij hieme, tamquam arbores omni ornatu nudatæ, apparuerant humiles, aridique putabantur, decore ac gloriâ vestientur inenarrabili, & sicut palmæ florebunt per omnia sæcula.

Beatitudo corporis post iudiciū. Aetas florida. Optima forma & sanitas. Dotes corporis. Odor. Claritas. Impassibilitas. Agilitas. Subtilitas. Calorum & elementorū renouatio.

§. III. MISERIA INFERNI.

1. *Malorum in inferno infelicitas in animâ,* Ceterùm malis atque impijs, qui in peccatis suis moriuntur, omnia euenient felicitati & gloriæ iustorum contraria. Eorum enim animæ ante iudicium in ignem æternum & horrendas tenebras missæ, intolerabilibus tormentis cruciantur. Resument quidem in nouissimo die corpora sua; sed *in corpore,* ea erunt tetra, deformia, fœtida, & plumbo grauiora. Post iudicium verò tartarus *in tartaro*

ipsos omnes, & quidquid in mundo fœtoris atque spurcitiei est, in se recipiet: vndè posteà nullus vmquam neque dæmon neque homo egredietur. Ibi erit fletus, & stridor dentium, atque vlulatus sempiternus. Ibi miseria, dolor, inuidia, odium, ira & desperatio, nullum vmquam finem habebit. Ibi denique damnati in supplicijs incomprehensibilibus semper videbunt, audient & sentient quidquid horrori atque abominationi est.

suppliciorũ varietate & æternitate.

2. *Hæc tibi ipsi accommodare stude.*

Tu iam, amice dilecte, perpendens apud te & bonorum felicitatem, & malorum qui in scelenbus suis vitam finiunt, infelicitatem: perhorresce istam, atque ad illam quo potes desiderio & amore suspira. Modò quidem Deum patriamque cælestem fidei tantùm oculo cernere potes: sed crede quod apertè non vides, vt cùm apparuerit quod credideris, iam clarâ visione donatus, perfectè gaudeas. Inspice crebrò hoc spirituale Speculum, * quod ego iam annos quinquaginta natus mihi & tibi scripsi. Contemplare teipsum in eo diligenter, ut defectus tuos facilè agnoscas, agnitosque pro viribus corrigas. Expedit sane, vt is qui in spiritu proficere cupit, certa aliqua præcepta ac monita descripta habeat, iuxta quæ omnem vitam suam studiosè instituat & ordinet. Quamquam multis ad hoc abundè sufficiet attenta consideratio vitæ Iesu Christi, qui est lucidissimum speculum omnium Christianorum. Ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

* Quo ætatis suæ anno Auctor hũc libellum cõposuerit, & velut speculum omnibus Ascetis spectandum exposuerit.

Symbolum Apostolorum.

CREDO * in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ. Et in Iesum Christum, filium eius vnicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Mariâ virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: descendit ad inferos: tertiâ die resurrexit à mortuis: Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam, Amen.

* Vide quâ reuerentiâ D. Blosius fidei rudimenta prosequatur, vt ea sublimibus documentis suis, tamquam sigillum apponat.

Oratio Dominica.

PATER * noster, qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo, Amen.

* Vtilis oratio, pro bono Speculi vsu, ad Deũ;

Salutatio Angelica.

AVE * Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus Christus, Amen.

* ad B. Virginem.

Paruum Sertum spirituale.

DICTA * semel Oratione Dominicâ, addes decies Salutationem Angelicam: & pro conclusione adiunges duas sequentes precationes.

* Item Sertum spirituale.

Miserere mei, pie Iesu. Consolare me, Maria mater Dei, & virgo humillima. Auferte à me quidquid oculis vestris displicet. Commendo me vobis nunc & in horâ mortis meæ. Ecce, Domine mi, ego resigno me totum in tuum beneplacitum. Fiat semper in me & de me gratissima voluntas tua. Effice me hominem secundùm cor tuum, Amen.

Bone Iesu, benigne Iesu, propter amaram passionem & mortem tuam, da viuis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis requiem, lucemq; sempiternam, Amen.

Potest etiam Sertum spirituale legi hoc modo.

FINITA * Oratione Dominicâ, addatur ista Salutatio ad sanctam Trinitatem.

* Aliud Sertum.

Aue dulcis, altissima, laudabilis & semper tranquilla Trinitas. Aue Pater, aue Fili, aue sancte Spiritus, vnus Deus. Aue lux iucunda, beatitudo perennis, bonum incommutabile. Tu es Dominus summæ maiestatis, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: tibi gloria in sæcula sæculorum, Amen. O Trinitas Deus meus, emunda me miserum peccatorem. Exorna animam meam sanctâ gratiâ tuâ. Præsta vt te timeam & amem iugiter, Amen.

Deinde dicatur & ista Salutatio ad Iesum:

Aue dulcis Iesu, Fili Dei viui, fili Virginis purissimæ. Aue præcellens gemma diuinæ nobilitatis, & elegans flos dignitatis humanæ. Aue Iesu chare, Iesu mellifiue, Rex cælorum. Laus tibi Christe, qui incarnatus, passus, & mortuus es pro me: laus venerandæ genitrici tuæ virgini Mariæ, Amen. O Domine mi, propitius esto mihi misero peccatori. Redde me tibi placentem. Da vt diligam te toto corde, totâ animâ, tota virtute, Amen.

Exinde adiungatur etiam ista Salutatio ad Ma-

Mariam: *Aue dulcis Maria, virgo Deipara, Regina cæli inclyta. Aue candidum lilium fulgida Trinitatis, & vernans rosa amœnitatis cælicæ. Aue Maria, gratiâ plenâ, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus Christus, Amen. O Domina mea, ora pro me misero peccatore. Impetra mihi cor secundùm cor Dei. Impetra purum amorem erga Filium tuum, & erga te, Amen.*

His expletis, adijciantur pro conclusione duæ aliæ precationes, videlicet, *Miserere mei pie Iesu*, &c. *Bone Iesu, benigne Iesu*, &c. *

* Vt est paulò antè in paruo Serto spirituali.

Hac quoque ratione ipsum Sertum spirituale potest expleri:

* Aliæ piæ praxes Serti spiritualis iuxta modos præcedenti articulo assignatos.

Si vis referre prædictum Sertum præcipuè ad sanctam Trinitatem, tum * inter Orationem Dominicam & duas postremas precationes leges ter, aut quoties libuerit, Salutationem ad Trinitatem.

Similiter si vis Sertum referre præcipuè ad Iesum, post Orationem Dominicam recitabis ter, vel quoties libuerit, Salutationem ad Iesum, atque in fine addes duas postremas precationes.

Itidem si vis referre Sertum præcipuè ad Virginem Deiparam, tum inter Orationem Dominicam & duas postremas precationes leges ter, aut quoties libuerit, Salutationem ad Mariam.

Profectò, quisquis prædictas oratiunculas piâ sincerâque deuotione legerit, magnam gratiam à Deo & Virgine-matre impetrabit. Quòd si eas ediscere voluerit, commodiùs suauiusque illas fortè Deo offeret, quàm si ipsas memoriâ non complecteretur. Possunt verò legi eædem orationes etiam ad honorem Sanctorum in cælo regnantium, beatorumque Angelorum, & ad salutem tam viuorum quàm defunctorum fidelium.

Monitiuncula pro praxi horum Sertorum.

LV-

LVDOVICI BLOSII CONCLAVIS ANIMÆ FIDELIS

PARS SECVNDA,

SIVE

MONILE SPIRITVALE,

DIVINIS REVELATIONIBVS TAMQVAM PRÆCLARIS QVIBVSDAM GEMMIS EXORNATVM.

PRÆFATIO.

Signum superbi & animalis, diuinas reuelationes contemnere.

PRAEMONENDVS *Lector est, ne peruersum quorumdam hominum iudicium sequatur, qui reuelationes ac visiones diuinas ceu vanissima somnia contemnendo, se parum spirituales & humiles esse ostendunt. Neque enim paruipendendæ sunt reuelationes diuinitus exhibitæ, quibus Ecclesia Dei mirificè illuminatur. Certum est,* Prophetas sanctos (in quos Spiritus Dei ad instar dulcissimi torrentis illapsus est) per reuelationem didicisse veritatem sine errore. Et beatus Paulus commendans Galatis Euangelium quod prædicabat, asserit se accepisse illud,* non ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi. *Denique sacræ Scripturæ diuinis reuelationibus sunt plenæ: & Dominus semper potuit semperque poterit operari quod vult in mundis animabus electorum suorum. Itaque pius Lector sanctas reuelationes*† *hîc annotatas humili gratoque animo suscipiat: ita enim consolationem & fructum ingentem ex eis reportabit.*

**Vide R. P. Antonij Ferdinandij in Preludijs Commentariorum super visiones veteris Testamenti.*

Galat. 1.

Cùr enim nunc non detur, cùm Deus eodē amore nūc vt olim sanctas animas prosequatur?

† Pios & doctos Auctores, qui post R. D. Blosium ad adstruendam fidem, ac stabiliendam sanctarum & verarum sanctæ Catholicæ Ecclesiæ reuelationum aut visionum etiam hoc Monili relatarum copiosè disputauerunt, pius Lector in fine libelli reperiet.

CAPVT

CAPVT I.

De immensâ Dei misericordiâ, & benignitate Matris Dei erga peccatores varijs reuelationibus commonstratâ.

1. *Exemplum memorabile diuinæ benignitatis erga peccatores, ex reuelatione factâ sancto Carpo Episcopo.*
2. *Si expediret saluti cuiusuis animæ, Christus pro eâ iterùm ascenderet crucem.*
3. *Passionem eamdem subiret toties, quot sunt in inferno animæ, si opus esset.*
4. *Memoriale suauissimum, quòd Christus semper assistat Patri pro nobis interpellans:*
5. *Eodemque amoris affectu nunc expectans conuersionem nostram, quo fuerat olim pro eadem crucifixus.*
6. *Vnicus gemitus verè pœnitentis sufficit Deo vt veniam indulgeat.*
7. *Velox pœnitentia velociter obtinet remissionem peccatorum.*
8. *Non auersemur temerè peccatores: qui enim hodie videtur pessimus, poterit cras esse optimus:*
9. *Etenim Dei misericordia semper est pœnitentibus obuia.*
10. *Admirabilis est Dei erga electos gratia, quos ex eius libro ne grauissima quidem peccata expungunt, modò non sint finalia, & ante mortem per pœnitentiam deleantur.*
11. *Cùm nullum opus pium relinquat Deus indonatum, piè potest credi, ijs plerumque Deum in agone mortis inspirare pœnitentiam, qui aliquid boni pro ipsius amore in vitâ egerint.*
12. *Pietas Dei relucet in gloriâ, etiam Sanctorum minimo collatâ.*
13. *Desperatio Deum maximè inhonorat; qui iubet nos de eo sentire in bonitate, hoc est, quod sit indulgentissimus.*
14. *Contritio non sufficit sine confessione, vbi haberi potest copia Confessarij; vbi non potest, debet esse confessio in voto.*
15. *Mira Dei indulgentia erga maximum peccatorem, pro quo S. Birgitta orauit.*
16. *Prærogatiua beatissimæ Virginis intercedentis pro peccatoribus bonæ voluntatis, vt semper exaudiatur:*
17. *Nempe, quia est mater misericordiæ, ideò miserorum est refugium,*
18. *Omnesque ipsam piè inuocantes suscipit.*
19. *Contra desperationem obijcienda est memoria Sanguinis Christi, quo nos abluit à peccatis.*
20. *Qui passionem Christi deuotè per fidem & pœnitentiam offert Deo, veniam obtinebit peccatorum.*
21. *Ita ex his omnibus disce Dei misericordiam, vt agnoscas tamen formidabilem eius iustitiam erga negligentes.*

1. *Immensa Dei erga peccatores clementia cognoscitur ex reuelatione factâ S. Carpo.*

DIVINISSIMVS Dionysius Areopagita in Epistolâ, quam scripsit ad Demophilum, demonstrãs quanta sit Dei benignitas & clementia erga peccatores, & quantùm salutem eorum bonus Dominus desideret, pulchrè admodum commemorat quamdam visionem sancto Carpo Episcopo (cui multa diuinitus reuelabantur) ostensam, & sibi ab eodem Carpo enarratam. [a] Cùm enim infidelis quispiam hominem Christianum ab Ecclesiæ fide abduxisset, ipse Carpus, qui vtrique compati, & pro vtroque benignissimè orare debuerat, inordinatam indignationis amaritudinem aduersus vtrumque concepit. Vnde precabatur Deum, vt amborum vitam repentè exstingueret; ægrè ferens quòd homines impij, qui vias Domini rectas peruertebant, adhuc viuerent. Et ecce sursum aspiciens, vidit cælum apertum, ac Iesum in throno sedentem, innumeris Angelis illi adstantibus. Vbi verò ad inferiora deflexisset oculos, cõspexit profundissimam voraginem, in quâ multitudo serpentum maxima erat. Ad huius voraginis os, duo illi viri quibus mala imprecatus fuerat, stabant velut in lubrico nutantes, trementes, omninoque miserabiles. Et cùm grauiter ferret, quòd non protinus absorberentur, aspectu ad superna reuocato, vidit clementissimum Iesum misericordiâ motum, de cælesti sede consurgere, atque ad illos descendere, & manum benignam porrigere, simulque Angelos eis opem ferre. Tunc Dominus Iesus conuersus ad Carpum, dixit: *Paratus sum, Carpe, iterùm pro saluandis hominibus pati: & istud mihi gratum [b] est, modò non alij homines peccent. Tu autem inspice an tibi vtile sit, illam cum serpentibus mansionem præferre Dei ac bonorum clementiumq́; Angelorum consortio.* Addit deinde beatus Dionysius ista verba: *Hæc sunt quæ ego audiui, & vera esse credo.*

2. *Christus pro animabus iterùm pati paratus, si expediret:* Lib. 3. Insinuat. c. 41.

Sanctissima Deoque charissima virgo Gertrudis, siue Trutha, aliquando diuinitus edocta fuit, quòd homo attendens imaginem Crucifixi in corde suo, æstimare debeat ipsum Iesum Christum sibi blandâ voce dicere: *En vides, quomodo causâ tui amoris pependerim in cruce nudus, despectus, totoq́; corpore vulneratus, ac per singula membra distentus. Et adhuc tanto charitatis dulcore cor meum erga te afficitur, vt si saluti tuæ expediret, aliterq́; æternam felicitatem consequi non posses, vellem pro te [c] solo tolerare omnia, quæ toleraui pro toto mundo.*

[a] Reuelatio memorabilis facta à Christo Iesv apud sanctum Dionysium Epistolâ ad Demophilum, primo loco hic posita, ob antiquitatem & auctoritatem discipuli & filij sancti Pauli fidem conciliare potest sequentibus toto Monili sanctarum feminarum reuelationibus & visionibus.

[b] Crucem amauit Christus Dominus, non peccata crucifigentium, iuxta vulgatum versiculum:
Actio displicuit, passio grata fuit.

[c] Ista est amorosa meditatio S. Pauli Galat. 2. *Tradidit semetipsum pro me.*

Chri-

3. *Et toties pati, quot sunt in inferno animæ.* Lib.7. Reuel. c.19.

Christus, audiente in spiritu sanctâ Birgittâ, ait: *Ego sum charitas summa: nam omnia quæ ab æterno feci, ex charitate feci; & quæcumque facio, atque in futurum faciam, similiter ex meâ charitate procedunt, procedentq́. Dilectio mea erga hominem modò æquè grandis atque incomprehensibilis est, sicut erat tempore paßionis meæ, quando per mortem meam ex nimiâ charitate liberaui omnes electos. Et si fieri posset vt toties morerer quot sunt animæ in inferno, ego promptißimâ volũtate & perfectißimâ charitate corpus meum traderem, eamdemq́ paßionem & mortem pro qualibet animâ sustinerem, quam sustinui pro omnibus.* Hæc Christus. Ecce quàm tenere atque ardenter diligit Deus animam rationalem, & quàm vehementer desiderat quemlibet hominem peruenire ad cælestem beatitudinem. Sed ipse Dominus creauit hominem nobiliter ad imaginem ac similitudinem suam, dans ei rationem, & arbitrij voluntatisque libertatem: vt si vellet Deo obedire & seruire, reciperet in cælo præmium æternum; si verò nollet, reciperet in inferno supplicium numquam finiendum. * Et hæc est iustitia. Qui autem peccando Deum contempsit eique non obediuit, si ex charitate per veram pœnitentiam reuertatur ad Deum, quantumcumque multa atque grauia sint peccata eius, recipietur à Domino, & non peribit, modò perseueret in bono. Et hæc est misericordia.

* Quòd Deus non liberat dānatos ab inferno, iustitia est: quòd liberat peccatores pœnitentes à peccato, misericordia est: in vtroque tamen iustitia & misericordia miscentur, vt & in omnibus Dei operibus, Psalmo 24, 10.

4. *Christus semper interpellat Patrem pro nobis.* Lib.3. Insin. c.40.

Cùm aliquando sancta virgo Gertrudis recogitaret apud se, quidnam inter illa quæ à Domino didicerat, posset vtiliùs manifestari hominibus; Dominus sese cogitationibus eius ingerens respondit: *Vtilißimum foret homines scire & in memoriâ semper habere, quòd ego Virginis filius pro salute eorum [a] adsto ante Deum Patrem: & quandocumque ipsi ex humanâ fragilitate delinquunt corde suo, offero pro eis Deo Patri cor meum immaculatum in emendatione: quando verò offendunt opere, exhibeo manus meas perforatas: & ita in quibuscumque delinquunt, statim innocentiâ meâ placo Patrem, vt illi pœnitentes facilem semper obtineant veniam peccatorum.*

5. *Eodẽ affectu expectat cõuersionem peccatorũ, quo tulit crucem pro eo.* Lib.4 Spir. gratiæ c.24.

Orãte beatâ virgine Mechtilde pro quodã homine, aduersus quem ipsa indignabatur, propterea quòd ille adhuc quasi incorrigibilis manebat, Dominus eidẽ virgini ait: *Eia condole mihi, electa mea, & ora pro miseris peccatoribus, quos tam caro emi pretio, & tam longanimiter expecto, cupiens vehemẽter vt ad me conuertantur. Ecce sicut hostiam in arâ crucis me aliquãdo obtuli, sic adhuc eodẽ amoris affectu aßisto Deo Patri pro peccatoribus: quia mihi maximè optabile est, vt peccator per verâ pœnitentiam ad me cõuertatur & viuat.*

6. *Sufficit Deo vnus gemitus verè pœnitentis ad veniã impetrandam.* Lib.3. Spir. gr. c.43.

Rursum de quadam aliâ piâ personâ Dominus eidem sanctæ virgini Mechtildi dixit: *Quando ex humanâ infirmitate culpam aliquam admisit, si mox per pœnitentiam redierit ad me, confidens in meâ misericordiâ, paratus sum, ad [b] vnicum eius gemitum, omnem culpam ei remittere.*

7. *Velox pœnitẽtia obtinet velocem indulgentiam.* Lib.3. Insin. c.30.

Virgo Gertrudis aliquando intellexit à Domino, quòd si quis, velociter de omnibus commissis & omissis suis pœnitendo, incliuet se integro corde ad obediendum præceptis Dei; tam veraciter coram Deo sanctificatur, sicut leprosus ille mundatus fuit, cui dicenti, *Domine, si vis, potes me mundare*, Dominus respondit, *Volo, mundare.* Lucæ 5.

8. *Non sunt temerè contemnendi peccatores in hac vitâ, cùm nullus sit desperata salute & conuersio.* Lib.3. Reu. c.26.

Christus dixit ad sanctam Birgittam: *Esto stabilis & humilis. Non te in cogitatu extollas, quando aliorum pericula tibi ostendo, nec eorum nomina prodas, nisi tibi præceptum fuerit. Neque enim ad eorum confusionem hoc facio, sed vt conuertantur, & iustitiam misericordiamq́ diuinam cognoscant. Non etiam illos fugere debes tamquam iam iudicatos & damnatos: quia si is, qui modò iniquißimus est, inuocauerit me cum contritione, & voluntate se emendandi, paratus sum ei mox ignoscere. Et quem heri dixi peßimum, hodie dico charißimum, propter veram contritionem: quæ si perfecta ac stabilis fuerit, [c] dimitto non solùm peccatum, sed & pœnam peccato debitam.*

9. *Pœnitentiā agenti obuia est Dei misericordia.* Lib.4. Spir. gr. c.26.

Dominus beatæ Mechtildi ait: *Nullus est adeò magnus peccator, quin si verè pœnituerit, mox illi omnia peccata sua plenè dimittam, & cor meum tantâ clementiâ atque dulcedine super ipsum reclinem, ac si numquam peccasset.* O ineffabilem Dei pietatem! Ergo si quis (vt quidam Sanctorum scribit) negaret Deum paratum esse ad remittendum verè pœnitentibus peccata, etiam tot vicibus quot momenta sunt temporis, vtique Deum [d] magno honore spoliare moliretur.

10. *Peccata electorum non sunt in mortem æternã, cum ob charitatem quâ Deus elegit eos ab æterno, tum ob finalem eorũ perseuerantiam, per quã præuidit Deus ipsos in statu gratiæ morituros: ex D.Tho. 1 p. q.23. art.2. & seqq.* Eod. lib.4. cap.11.

Rursum ipsi virgini Mechtildi dixit Dominus: *Quamuis stellæ, id est, electorum meorum animæ, nube peccatorum, & caligine ignorantiæ nonnumquam valdè obtenebrentur: in firmamento tamen suo, hoc est, in diuinâ luce meâ, obscurari non poßunt. Licet (dico) electi mei magnis plerumque inuoluantur peccatis, semper tamen illos eâ charitate respicio, quâ eos elegi, & ipsos in illâ claritate attendo, ad quam peruenturi sunt. Bonum igitur est homini, vt sæpè recogitet, quàm*

a Teste D. Paulo Rom. 8. *Christus IESVS qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* & Heb 7. *saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis.*

b Ex verâ pœnitentiæ contritione elicitum.

c D Thomas 3. p. in Supplemẽto q. 5. art. 2. quærit, vtrùm contritio possit totaliter tollere reatum pœnæ: & respondet affirmatiuè, adducto latronis in cruce contriti exemplo.

d Magna Dei gloria est, misericordia erga peccatores verè conuersos.

gra-

gratuitâ pietate ipsum elegerim, & quàm benè de ipso cogitauerim, quamq́ amanter eum respexerim, etiam cùm in peccatis iaceret: item quàm benignè mala eius in bonũ ei commutauerim. O altitudo inscrutabilis sapientiæ & misericordiæ Dei, qui tam miris & multis modis reuocare, sibique attrahere conatur cor peccatoris, nullum ei desperationis locum relinquens!

11. *Si quid boni facit peccator in statu peccati cum Dei aliquâ gratiâ, hoc prodest ad conuersionẽ saltem dispositiuè aut ex cõgruo, in horâ mortis.* Lib.3.Insin. c.30. * Attriti & non contriti.

Cùm sancta virgo Gertrudis audisset in concione, neminem posse salutem consequi, nisi saltem tantillum veræ charitatis habeat, †vt ex amore Dei pœniteat, abstineatque à peccato: ipsa apud se cogitabat, plurimos migrare ex hac vitâ, qui videntur pœnitere * magis timore gehennæ quàm Dei amore. Huic itaque talia in corde suo reuoluenti Dominus sic respondit: *Quando video illos agonizantes, qui mei vmquam dulciter recordati fuerunt, vel aliquid meritorij operis peregerunt, in ipso mortis confinio exhibeo eis me tam pium, amabilem & benignum, vt ipsi ex intimis cordis medullis doleant quòd vmquam me offenderint: ac per talem pœnitentiam apti redduntur ad salutem consequendam, & perire non possunt.*

12. *Dei pietas immensa, in Sanctorum infimo relucens.* Lib.1.Spir. grat.c.59.

Cogitante aliquando beatâ Mechtilde, quàm immensa esset pietas Dei, Dominus ait ad illam: *Veni, & contemplare minimum omnium Beatorũ qui in cælo sunt: nam in illo poteris cognoscere pietatem meam.* Cùm ergo Mechtildis attentè cõsideraret, cupiens scire quisnã is esset de quo Dominus loquebatur: ecce occurrit ei vir honestate & dignitate Regiâ, ætateq; floridâ conspicuus, pulcher & fulgens facie, nimisq; amabilis. Cui ipsa dixit: *Quis es tu? & quomodo ad tantum gaudium tantamq́ gloriã peruenisti?* Respondit ille: *Ego in terris raptor eram & malefactor: sed quia mala magis ex quadã ignorantiâ & consuetudine à parentibus acceptâ, quàm ex nequitiâ perpetraui, in fine per pœnitentiam sum misericordiam consecutus. Centum autem annis fui in locis pœnarum, multaq́ pertuli tormenta vt purgarer: & nunc, solâ gratuitâ Dei pietate huc in requiem perductus sum.* Ad hunc modum virgo Mechtildis cognouit pietatem Dei in eo qui vltimus erat omnium Beatorum. Nam si clementissimus Dominus tantum præstitit ei qui tam prauè vixerat, quid daturus est his qui iustè & sanctè viuunt?

13. *Desperatio peccatoris pessimè de Deo bono sentit, & cũ quadã ignominiâ afficit, cuius misericordia gaudet & gloriatur de indulgentiâ erga pœnitentes.*

Deus loquens sanctæ virgini Catharinæ Senensi, ait: *Peccatores qui in mortis extremitate desperant de misericordiâ meâ, multò grauiùs me offendunt, & magis mihi displicent hoc vno peccato, quàm omnibus alijs iniquitatibus quas vmquam commiserunt. Qui enim desperat, contemnit apertè ipsam misericordiam meam, & peruersè existimat iniquitatem suam maiorem esse, quàm sit eadem * misericordia & bonitas mea. Vnde detentus huiusmodi peccato, non dolet de offensâ in me admissâ, sed dolet de irremediabili damno suo. Qui si in veritate doleret quòd me offendisset atque contempsisset, & in misericordiâ meâ fideliter speraret, ipse eam certissimè inueniret: quoniam in infinitum maior est ipsa misericordia mea, quàm sint omnia peccata, quæ vmquam fuerunt commissa, vel quæ committi possunt ab aliquâ creaturâ.*

* Hæc est desperatio Cain, Genes.4. & aliorum.

14. *Cõfessio auricularis adhibenda, præter contritionem.* Lib.7.Reuel.c.27.

Non autem sufficit dolere de peccatis, sed oportet etiam illa confiteri Sacramentaliter coram Sacerdote, nisi vera necessitas huiusmodi confessionem excludat. Hinc Dominus Iesus dixit ad beatam Birgittam: *Nullus est tam magnus peccator, cui ego negem misericordiam, si eam humili & perfecto corde petierit. * Itaque peccatores, qui mihi reconciliari, & gratiam amicitiamq́ meam obtinere volunt, inprimis 1 ex toto corde doleant quòd me Creatorem ac Redemptorem suum offenderint: 2 deinde expurgent se corã Sacerdote purâ humiliq́ confessione, 3 & vitam corrigant, ac satisfactionẽ 4 explicant iuxta consilium & discretionem Sacerdotis. Si enim hoc fecerint, ego eis appropinquabo, & diabolus ab ipsis elongabitur. 5 Posteà conueniens erit, vt & Corpus meum cum deuotione veràq́ charitate accipiant, 6 habentes voluntatem numquam ampliùs admittendi priora peccata, & proponentes perseuerare in bono vsque ad finem. Ego talibus occurram sicut occurrit mater errantibus filijs, & libentissimè eos recipiam. Ero in eis, & ipsi erunt in me, viuentq́ & gaudebunt mecum in æternum.*

* Actiones bonæ pœnitentiæ. 1. *Dolor de offensâ.* 2. *Cõfessio.* 3. *Emendatio.* 4 *Satisfactio.* 5. *Communio.* 6. *Propositũ perseuerandi in bono.*

15. *Dei indulgentia erga peccatores viuos & pœnitentiâ factâ mortuos per merita Sanctorum viuorum & in cælo regnantium.* Lib.6.Reu. c.97.

Cùm ipsa sancta Birgitta ex compassione oraret pro quodam præpotente & illustri Domino secundùm sæculum, qui grauiter ægrotabat, & tamen peccata sua more fidelium confiteri Sacerdoti nolebat, Christus eidem Birgittæ apparens, ait: *Dic Confessori tuo vt istum infirmum visitet, & confessionem eius audiat.* Missus igitur Sacerdos à sanctâ Birgittâ, venit ad ægrotantem: sed is respondit se frequenter confessionem fecisse, nec iam necesse esse vt confiteatur. Sequenti die iussu Christi Sacerdos à Birgittâ iterùm mittitur ad illum, à quo etiam idem quod priùs responsum accepit. Tertio autem die reuersus ad infirmum, exposuit ei impedimenta salutis suæ, quæ Dominus beatæ Birgittæ reuelauerat. Tunc ille resolutus in fletum, dixit Sacerdoti: *Et quomodo veniam ego con-*

† Hoc dicitur de actu contritionis extra Sacramentum pœnitentiæ, non de actu attritionis cum Sacramento, per quod, vt Theologi censent, ex attrito fit contritus, nempe non formaliter, sed per effectum, qui est condonatio peccati.

consequi possem, qui tot sceleribus sum irretitus? Cui Confessor, *Etiamsi*, inquit, *multò plura & grauiora perpetrasses, saluaberis tamen per veram contritionem atque confessionem: hoc fidenter tibi promitto.* Et ille: *Ego de salute animæ meæ desperabam, quia me dominio diaboli omnino subdideram tradideramq́ue, qui etiam mihi frequenter locutus est. Sum modò sexaginta annorum, & numquam feci Sacramentalem confessionem, neque sumpsi Corpus Christi: iam verò tales lacrymas me habere sentio, quales anteà non habui.* Igitur die illo ipse quater confessus est Sacerdoti, & in crastino etiam post confessionem accepit sacram Eucharistiam, ac sexto die defunctus est. De quo Dominus posteà ait ad sanctam Birgittam: *Ille non descendit in infernum, sed venit ad Purgatorium, propter contritionem atque confessionem suam. Bonitate meâ, quâ vsque ad vltimum punctum expecto hominis conuersionem, & meritis Matris meæ (cuius dolori viuens ille adhuc in* carne compati solebat) salutem inuenit, & saluus erit.*

* Cõpassio, quam viuẽs quis habuit erga dolores B.V. Mariç, multũ iuuat post mortẽ ad salutem obtinendam in gaudijs cæli.

16\. Deus Pater virgini Catharinæ dixit: *Maria, vnigeniti Filij mei gloriosæ genitrici, † à bonitate meâ concessum est propter incarnati Verbi reuerentiam, vt quicumque etiam peccator ad eam cum deuotâ veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à dæmone infernali. Hæc enim est à me electa, parata, & posita tamquam esca dulcissima ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum.*

B. Mariæ prærogatiua, ad intercedendum pro peccatoribus. Tract. 4. c. 139.

17\. Ipsa benedicta Dei mater virgo Maria dixit beatæ Birgittæ: *Quantumcumque homo peccet, si toto corde cum verâ emendatione & charitate ad me confugerit, statim parata sum recipere venientem. Nec attendo quantum quis peccauerit, sed quali intentione ac voluntate redit ad me. Nam peccator, quamlibet vilis sit ac sordidus, non dedignor eius plagas tangere, vngere, & sanare: quia vocor & verè sum mater misericordiæ.*

Est enim misericordiæ mater, peccatorumq́ue refugium. Lib. 1. Reu. c. 23.

18\. Beata Gertrudis aliquando vidit accurrere sub chlamydem dulcissimæ genitricis Dei Mariç veluti bestiolas quasdam diuersi generis, per quas significabantur peccatores, specialem deuotionem ad illam habentes. Has omnes Mater misericordiç benignè recipiens, & quasi sub pallio suo protegens, delicatâ manu suâ singulas contrectabat deliniebatque, & ipsis amicabiliter blandiebatur, quemadmodum quis blandiri solet catulo suo. Ac per hoc manifestè insinuabat, quàm misericorditer suscipiat omnes inuocantes se, & quàm maternâ pietate defendat sperantes in se, etiam eos qui peccatis adhuc implicitisunt, donec illos Filio suo reconciliet verè pœnitentes.

Suscipit misericorditer omnes peccatores piè matrem pijssimam inuocantes. Lib. 4. Insin. c. 49.

† Hanc reuelationem & alias affines videre licet apud Petrum Antonium Spinelli in Throno Dei c. 16. circa §. 14. probando eas ex auctoritate SS. Patrum.

Diabolus aliquando volens decipere, & ad nimiam pusillanimitatem, siue ad desperationem adducere sanctam virginem Catharinam, nitebatur ei persuadere, quòd vita ipsius falsa, inutilis & peruersa esset. Illa igitur à Dei bonitate (quç verè petenti numquam se negat) edocta, humiliter eleuauit mentem suam ad misericordiam diuinam, dicens: *Ego apertè Creatori meo confiteor, me quotidie in tenebris fuisse, maleq́ue vixisse: verumtamen fiducialiter latitabo in Plagis Domini mei Iesu Christi: & omnium iniquitatum mearum maculas pretioso Sanguine eius abluam, atque cum sancto desiderio iugiter gaudebo in ipso Creatore & Redemptore meo.* Post quæ verba mox diabolus in fugam conuersus est. 19.

Vulnera & mors Christi cõtra desperationem obijcienda. Tract. 1. c. 66.

Christus sanctæ Gertrudi ait: *Quilibet poterit respirare in spem veniæ (quamlibet etiam graui pondere peccatorum se senserit depressum) offerendo Deo Patri meam innocentissimam passionem & mortem. Credat igitur peccator, se per hoc obtinere saluberrimum fructum indulgentiæ: quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, sicut deuota memoria meæ passionis, cum fide rectâ, & verâ pœnitentiâ.* 20.

Passio Christi deuotè oblata veniã obtinet peccatorum in verè pœnitentibus. Lib. 4. Insin. c. 25.

Ceterùm non solùm misericordia, sed & iustitia Dei prudenter consideranda est, de quâ iustitiâ Christus frequenter beatæ Birgittæ valdè terribilia locutus est. Hæc aliquando audiuit (Deo sic volente) dæmones testimonium perhibentes veritati, dicentesque Domino: *Si creatura illa, quam maximè diligis, videlicet Virgo quæ te genuit, & numquam offendit, peccasset mortaliter, ac sine diuinâ contritione mortua esset, ipsa cælum numquam obtinuisset, sed nobiscum in inferno cruciaretur; adeò tu iustitiam diligis.* Igitur peccator quisque non dicat apud se: Sequar modò volũtates & voluptates meas liberè, fruar delicijs & iucunditatibus huius mundi, posteà corrigam me in fine vitæ meæ; magna enim & immensa est misericordia Dei, quandocumque me pœnituerit peccatorum meorum, recipiet me pius Dominus, & saluus ero: interim faciam quod libet. Non hæc dicat peccator, non sic agat, non seipsum in periculum coniiciat: sed sine procrastinatione vitam suam malam corrigere studeat, & peccata sua coram Sacerdote (si potest) confiteatur, idque purè & integrè. Quamuis enim Deus promittat peccatori verè pœnitenti misericordiam, non tamen promittit in peccatis perseueranti veram pœnitentiam, nec longam vitam. Certum verò est, quia si peccator, qui cri- 21.

O peccator, cogitanda iustitia Dei, simul cum eius misericordiâ: & nullo modo est procrastinanda conuersio, ob spem misericordiæ, dum adest timor iustitiæ. Lib. 4 Reuel. c. 7.

criminibus sceleribusque suis iniuriam Deo intulit, veram contritionem & pœnitentiam, antequam anima eius separaretur à corpore, non habuerit, exigente diuinâ iustitiâ in æternum peribit. O quàm multi persuasionibus diabolicis seducti, permanent ac moriuntur in suis iniquitatibus! Vnde & in Reuelationibus beatæ Birgittæ, animæ aliquando dicuntur descendere ad infernum, sicut nix descendit in terram.

CAPVT II.

De discretione & intentione simplici, quam spiritualis debet in omnibus actionibus amplecti.

1. *Moderatio vsurpanda in omnibus exercitijs pietatis & mortificationis.*
2. *Omnia corporis membra discretè mortificanda, sicut per ea omnia peccauimus.*
3. *Continentia & abstinentia, quantumuis modica, pro Deo suscepta, immensum præmium recipit.*
4. *Intentio recta beneplaciti diuini in omnibus actibus excellentissimus est dilectionis gradus.*
5. *Velle habere feruens desiderium Deo placendi, apud Deum pro ipso desiderio reputatur.*
6. *Deuota meditatio passionis Dominicæ frequentiùs est assumenda.*
7. *Stigmata Christi impressa manibus ac pedibus D. Elisabetha de Spalbeeck.*
8. *Exemplo aptissimo probatur, non solùm interna opera, verum etiam externa Deo placere.*

1. *Discretio ac moderatio seruanda in exercitiis pietatis, ad euitandas diaboli fraudes in immodico mortificationis ardore.* Lib. 4. Reu. c. 1.

INCLYTA virgo & martyr Agnes apparens sanctæ Birgittæ, dixit: *Filia, sis stabilis, & non retrocedas, nec etiã plus debito procedas. Neque enim debes te vltra vires affligere, nec alios supra naturam tuam in bonis operibus imitari: quia Deus ab æterno disposuit operibus humilitatis & charitatis aperire cælum peccatoribus, & vult vt seruetur in omnibus discretio, ac mensura. Inuidus verò diabolus plerumque homini imperfecto suadet, vt supra vires ieiunet, & assumat exercitia importabilia, aut nimis se ad sublimia extendat. Hoc facit hostis callidus, vt dum homo continuat malè incepta propter ruborem, citiùs deficiat propter propriam infirmitatem. Idcircò metire teipsam secundùm fortitudinem aut debilitatem tuam: quia alij sunt naturâ fortiores, alij infirmiores, alij gratiâ Dei feruentiores, atque alij bonâ consuetudine alacriores. Rege te, & ordina vitam tuam iuxta consilium timentium Deum, nec velis videri quod non es, nec illud inquietè appetas quod supra vires tuas est. Sunt nonnulli, qui omnino meritis suis credunt se obtenturos cælum: & sunt qui operibus suis putant se posse dignè satisfacere pro peccatis quæ commiserunt. Sed horum* error damnabilis est: quia si homo etiam centies traderet corpus suum ad mortem, non posset respondere Deo vnum pro mille.* Hæc beata Agnes.

* Si excludant Dei gratiam, & in solis suis meritis atque operibus confidant.

2. *Per omnia membra peccauimus, ideò in omnibus membris mortificationem portemus.* Lib. 1. Re. c. 2. & lib. 4. c. 26.

Aliquoties Christus dixit ipsi Birgittæ; quòd satisfactio sit facienda omnibus membris, sicut peccata membris omnibus fuerunt admissa. Homo igitur cum omni diligentiâ & humilitate corrigat se, ac Deo (qui pro modicâ emendatione hic ritè ex bonâ voluntate peractâ, grauia supplicia in alio sæculo remittit) vtcumque satisfacere non negligat, cohibendo, propter amorem Dei, oculos à malo atque inutili aspectu; aures, à noxio & inepto auditu; os, à malis & otiosis verbis; cor, à perniciosis & insulsis cogitationibus, prauisq; desiderijs, ac totum corpus, ab his quæ animam contaminant. Abstineat non solùm ab illicitis, sed etiam à quibusdam licitis prudenter. Mortificet in se studiosè propriam voluntatem & vitia; patienter ferat quæque aduersa, & bonis operibus sanctisq; exercitijs ac virtutibus deditus sit. Verumtamen in satisfactione & * meritis Iesu Christi potiùs quàm in proprijs operibus ac meritis semper confidat: nam vnica guttula pretiosi Sanguinis Domini Iesu dignior est, quàm omnia merita humana.

* Meritis Iesu, non nostris nitendum.

3. *Continentia & abstinentia modica merces plurima.* In Reuel. extrau. c. 65.

Christus beatæ Birgittæ ait:† *Abstinentia & continentia, quantumuis modica, pro honore & amore meo discretè suscepta atque peracta, meretur à me magnum præmium.* Et profectò, qui prudenter propter Deum continet se, ne id, quod necessarium vel vtile non est, aspiciat, audiat, odoretur, gustet, loquatur, tangat; quique propriæ voluntati ac sensualiti etiam in rebus minimis cum discretione reluctatur, rem Deo magis gratam facit, quàm si multos mortuos ad vitam reuocaret. Hinc Patres dicunt istud quod sequitur: *Si duo homines in eodem itinere constituti, elegantem flosculum inuenirent, quorum alter cuperet quidem illum decerpere, sed melius deliberans dimitteret eum propter Deum; alter verò nihil præmeditatus carperet florem: iste quidem simpliciter decerpendo non peccaret; at ille propter Deum dimittendo ipsum florem, tantum præ decerpente obtineret meritum, quanta est distantia cæli à terrâ. Verumtamen si is, qui decerpit florem, purè ad laudem Dei eum decerperet, etiam ipse maximum meritum acquireret.* Itidem & qui conuenienter propter Deum à cibo abstinet, Deo valdè placet: & qui conuenienter ad honorem Dei manducat, etiam placet Deo.

† Hanc mortificationem in minimis & licitis laudat, & ex Bonauenturâ etiam confirmat R.P. Alfonsus Rodericus Exercitij perfectionis parte 2. tract. 1. c. 13. qui etiam sequentem Reuelationem B. Gertrudis commendat parte 1. tract. 7. cap. 2. & cum eo R.P. Antonius Balinghem lib 3. de Oratione iaculatoriâ cap. 18.

4 *Intentio recta, excellens est amoris gradus; etiā in rebus minimis.* Lib. 4. Insin. c. 45.

Beata Gertrudis audiuit à Domino, quòd tunc eximiam illi dilectionem exhiberet, quando ad laudem eius cogitabat, aspiciebat, audiebat, loquebatur, vel faciebat aliqua vtilia. Intellexit etiam, quòd quoties quis deuotâ intentione inspicit imaginem Christi crucifixi, toties respicitur amanter à Dei benignissimâ misericordiâ: & hinc anima ipsius, tamquam lucidum speculum, suscipit in se ex diuino amore imaginem admodum iucundam, vnde etiam tota curia cælestis mirificè lætatur. Et hoc erit illi in gloriam æternam. Intellexit item, Deo gratum remunerationeque dignum esse, si quis pro honore atque amore Dei etiā calamum è terrâ leuauerit, aut passum vnum fecerit.

5. *Velle habere pium desiderium, pro ipso desiderio reputatur.* Lib. 3. Insin. c. 30.

Cùm eadem virgo Gertrudis aliquando conquereretur, quòd tantum desiderium ad Deum habere non posset, quantum habere debebat, diuinitus edocta est, optimè Deo sufficere, si homo verè velit & optet habere magnum desiderium, quando modicum vel nullū desiderium in se sentit: quia quàm magnum vellet habere, [a] tam magnum habet coram Deo. Et Deus in corde continente huiusmodi desiderium (scilicet voluntatem habendi desiderium) libentiùs habitat, quàm homo posset habitare in vernantibus amœnissimisque floribus.

6. *Deuota & crebra meditatio Dominicæ passionis mirè vtilis.*

Frequentissimè Dominus reuelauit charissimis sponsis suis Gertrudi, Birgittæ, Mechtildi, Catharinæ, quàm sit & sibi acceptum, & homini fructuosum, recolere passionem Christi piâ, humili & sincerâ attentione vel deuotione: quod & ipsæ diligentissimè semper fecerunt. [b] Nam eamdem Domini Iesu passionem (quæ licet amarissima acerbissimaque fuerit, tota tamen charitatis dulcedine plena est) adeò profundè visceribus animarum suarum infixerant, & tam ardenti suauique affectu ruminare solebant, vt illa esset eis mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.

7. *S. Elisabetha Spalbeeck impressa stigmata.*

Itidem sanctissima virgo Elisabeth de Spalbeeck ingenti deuotione quotidie passionem Dominicam recolere consueuerat. [c] Vnde & Christus stigmata quinque Vulnerum suorum manibus ac pedibus & lateri eius verissimè impressit: adeò vt ex ipsis, tamquam è recentibus plagis, copiosus sanguis plerumque efflueret, idque potissimùm Ferijs sextis. Quæ quidem virgo purissima septies quotidie ita rapiebatur in Deum, vt nullus sensus, nullus motus, nullus flatus in eâ appareret. Totum enim corpusculum illius prorsus obrigescebat, nec vlla pars eiusdem sacri corporis tunc moueri poterat, quin totum corpus moueretur. Nos prædictas virgines imitati, insculpamus, cordibus nostris passionem Domini Iesu, & pro eâ gratias sedulò agamus.

8. *Eleganti exemplo probatur Deo placere opera etiā externa, quæ ab imperfectis præstantur.*

Beatam Gertrudem Dominus hac similitudine aliquando instruxit: *Quemadmodū*, inquit, *prapotens aliquis Imperator non solùm gaudet habere in palatio suo delicatas ornatasq́; puellas, sed etiam constituit & ordinat Principes, Duces & milites, aliosq́; ministros diuersis operibus aptos, qui semper parati sint ad negotia eius peragenda: ita & ego non solùm delector in interioribus delicijs eorum qui diuinæ contemplationis quietem (me trahente) sequuntur, verùm etiam allicior ad manendum cum filijs hominum, dum ipsi qualibet exercitia vtilium negotiorum mei honoris & amoris causâ suscipiunt.* Igitur frequens & purâ oratio plurimùm quidem ornat animam eius, cui vacat crebrò orare, & qui gratiam orandi habet: (quid enim dignius, quàm assiduè loqui cum Rege cælesti?) attamen etiam opera externa, propter Deum ritè peracta, magnum decorem conferunt animæ fideli.

a Si nempe adsit vera & absoluta voluntas, vt explicat ad praxim pro indeuotè ac distractè orantibus in Officijs diuinis R. P. Iacobus Aluarez de Paz tom. 3. lib. 1. parte 2. cap. 16. §. Secundò.

b R. P. Cornelius à Lapide super Zachariæ cap. 12. §. 10. *Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum*, præter has quatuor passioni Iesv Christi deuotissimè addictas, quas ex hoc loco Blosij producit, addit alias non tantùm mulieres, vt duas Claras, nempe Assisiatem & de Montefalco, Lydvvinam, Coletam, Hedvvigem, Elisabetham; sed & viros varios, singulari pietate & gustu ac fructu amarissimam Domini Iesv passionem, Vulnera & mortem plangere solitos. De eadem Passionis meditatione, & de eodem Blosij loco, vide eumdem R. P. Cornelium 1. Pet. 2. v. 24. *Cuius liuore sanati estis.*

c Vide R. P. Iulium Nigroniū in Regulam quintam communem Soc. Iesv §. 18. Huius virginis admirabilem Vitam inueniet pius Lector in mss. Herkenrode & Rubeæ-vallis, auctore Philippo de Clara-valle, teste oculato, in Monasterio Herkenrodensi, vbi beata Elisabetha inter sanctimoniales Bernardinas vixit. Quoties sacram Communionē sumebat, toties infallibiliter extra se ad Deum rapiebatur. Sæpè etiam multa millia animarum à vinculis pœnarum & igne Purgatorio liberauit, vt asserit fide dignissimus, secretorū conscius. Ad hæc nouo, & in illam vsque diem inaudito exemplo, singulis diebus ad Horas septenas Canonicas, recolendis Dominicæ Passionis mysterijs ab Ecclesiâ assignatas, valdè singulari, & ad spectantium ædificationem ac compunctionem apposito modo, septies à sensibus abrepta in ecstatim, quasi per internam & externam compassionem, totam Domini nostri Passionem, per septem stationes, varijs tum pijs, tum modestis, tum affectuosis gestibus, statibus, raptationibus, diuerberationibus, ligationibus, in suo corpore repræsentabat. Hoc nouum piæ compassionis schema erga Christi Iesv passionem, in virgine humili & imbecillo corpore supra vires humanas Deus mundo exhibere voluit, non minus ad augendam Christi patientis gloriam, quàm ad suscitandam piarum animarum deuotionem. Dionysius Carthusianus lib. 3. de Contemplat. art. 19. Compatriotam suam vocat, & laudat: item parte alterâ Concionum de Sanctis art. 24. de Passione Domini, affirmat, ob insignem illam recolendæ passionis Domini per septenas repræsentationes pietatem, meruisse à Deo septenos illos raptus quotidianos, & Stigmata quinque Christi Vulnerum in corpore suo impressa. Eadem de hac virgine narrat Franciscus Biuarius de feminis illustribus Ordinis Cisterciensis; & Vita eius citatur, ac vltra modum valdè admirabilis vocatur, in Catalogo librorum Canonicorum Regularium prope Arnhemium, apud Martinenses Louanij. Lectu quoque dignissima sunt, quæ de hac Elisabethâ, quam Hemmenrodensem vocat, notauit R. D. Historiæ Cisterciensis illustrator clarissimus, Chrysostomus Henriquez in Menologio

gio Cistertiensi, Nouēbris die XIX. vbi præterhic citatos nominat Ioannem Gillemannum parte I. Noualis Sanctorum Brabantiæ, & Aubertum Miræum in Chronico Cistertiensi ad annum M.C.LXXXII. & deinde refert hæc Blosij verba Monilis spiritualis cap. 2. Multa quoque affert memoratu digna sedulus pietatis antiquæ Belgicæ indagator R. D. Arnoldus de Raisse, in Auctario Natalium Sanctorum Belgij Ioannis Molani, ad diem Nouembris XIX. § 1. qui & ad diem Martij XVI. §. 3. & in Hierogazophylacio Belgico, in Herkenrodâ, texens catalogos Sanctorum, qui illustres nominantur ob portata Christi Stigmata impressa in corpore suo, affirmat, factâ etiam Blosij scriptorum mentione, cum hac Elisabethâ alios atque alias quinque stigmata Vulnerum Christi, tametsi aliâ à S. Francisco formâ ac figurâ, carni suæ impressa gestauisse. Pro quâ re pridem quoque calculum suum dedit R. P. Henricus Sedulius in recensito & docto Commentario ad Vitam Patris sui sancti Francisci, Historiæ suæ Seraphicæ insertam, cap. XIII. num. 10. Obijt Elisabetha circa annum Domini M.CC.LXVI quam tamen R. D. Chrysostomus putat pertigisse vltra annum M.CCC.

CAPVT III.

Documenta orationis & officij diuini.

1. Bona voluntas est oratio continua, quæ tamen sæpè debet eleuari ad actualem orationem.

2. Omni proprietati in voluntarijs exercitijs renuntiandum, vt Dei vocationi pareamus.

3. Orationis verba cum actuali attentione recitanda.

4. Ariditas mentis, inuoluntariaque distractiones non minuunt, sed augent orationis meritum.

5. Cordis instabilitas non potest in hac vitâ omnino tolli: sed debet discretè curari.

6. Orantes grauiùs impugnat diabolus: propterea tunc animosiùs orationi insistendum, vt ille confusus recedat.

7. Aliorum orationibus se commendare, pium est, & Deus adspicit etiam orandi desiderium.

8. Breuis & ardens oratio valdè efficax apud Deum.

9. Affectus, discretio, & pia fiducia supplent ea, quæ legitimè impediti complere non possumus.

10. Horæ Canonicæ orationibus Christi, quas pro nobis in terrâ fudit, sunt uniendæ.

11. Oratio post Preces horarias qualiter offerenda.

12. Quod deest orationibus nostris, cor dulce Iesu supplet, quando fecimus per Dei gratiam quod potuimus.

13. Opera etiam minima per Christum Deo oblata, fiunt magna & nobilia.

1. *In homine bono bona voluntas est oratio continua.* Tract. 2. c. 66. post initium, & sub finem.

DOMINVS dixit ad virginem Catharinam: *Sanctum desiderium animæ, videlicet bona voluntas, continua oratio est, quia virtutem habet orationis. Et quidquid homo in Dei proximiq; charitate facit, potest vocari oratio, cùm charitatis affectus pro oratione reputetur. Bona tamen voluntas, piusq; affectus, certis temporibus & horis eleuari debet in me per actualem deuotionem. Scito, filia, quòd anima perseuerans in humili fideliq; oratione, adipiscitur omnem virtutem. Vnde nullo modo orationis studium negligendum aut omittendum est propter aliqua aduersantia, siue ea procedant ab illusione satanæ, siue à fragilitate propriâ, siue à cogitationibus immundis, siue ab inordinatis stimulis & carnali motu corporis.* [a] *Frequenter enim diabolus orationis tempore animam varijs imaginibus & phantasmatibus magis infestare conatur, quàm extra tempus orationis. Et tunc callidè suggerit oranti, quòd talis oratio nihil ipsi prosit, cùm alia cogitare non debeat, quàm illa quæ orat. Malignus hostis hoc persuadere nititur, vt is qui orat, tædium confusionemq; mentis incurrat, atque ita omittat exercitium orationis, quæ est armatura fortissima aduersus omnes inimicos. O! quantum animæ vtilis & mihi grata est ea oratio,* [b] *quæ in vilitatis propriæ & bonitatis meæ cognitione peragitur cum charitate!*

Rursum ad eamdem Catharinam ait Dominus: *Aliquando homo statuit legere certum aliquem numerum Psalmorum, vel aliarum orationum, quas ex obedientiâ aut debito legere obligatus non est: cuius mentem si intereà benignè visitauero, ipse visitationis meæ gratiam deserit, vt orationum numerum, quem in corde suo concepit, explere possit. Sed non debet ita facere, neque credere diabolo ipsum fallere volenti. Igitur mox vbi sentit se à me specialiter visitari, sequatur gratiam meam, & eam non impediat per orationes quas persoluere proposuerat. Posteà verò poterit (si ei vacat) illas perlegere. Quòd si commodè eas explere non potest, nullo modo inde angatur, nec mentis confusionem in se admittat. Qui orando hoc solum spectat, vt multa verba proferat, modicum fructum obtinet.* 2. *Proprietati renuntiandum: Deiq; vocatio promptè sequenda.* Ibid. post medium.

Virgo Gertrudis aliquando in spiritu intellexit, verba orationũ cum animi diligentiâ seu sanctâ deuotione fusarum, esse veluti splendidissimas gemmas, vel vernantissimos flores: at verba orationum negligentiùs & ex consuetudine sine intentâ deuotione expletarum, esse tamquam gemmas floresque obscuriores. Et cùm eadem virgo Gertrudis quemdam versiculum ducentis vigintiquinque vicibus Iesum salutando legisset, cognouit, quamlibet Salutationem præsentari Domino in similitudine instrumenti musici benè sonantis: sed illæ Salutationes, quas cum deuotâ intentione legerat, suauissimos 3. *Vocalis orationis verba cum attentione recitanda.* Lib. 4. Insin. c. 2.

[a] Aduersus hanc perniciosam pro interturbandis orantibus in viâ spirituali diabolicam praxim fortiter agit R. P. Iulius Nigronius in Regulam Societatis IESV 1. de Matutinâ oratione, & post citatum Basilium Sermone de Abdicatione rerum, Dorotheum Sermone 2. Climachum Gradu 8. Nilum de Oratione cap. 47. Athanasium in Vitâ Antonij, Gregorium Papam lib. 2. Dial. cap. 4. Theodoretum Historiæ Religiosæ cap. 41. & alios, adfert hæc ipsa ex hoc Blosij loco.

[b] Hæ sunt iaculatoriæ orationes, vsurpatæ à sanctis Augustino, Francisco, Bernardo, Ignatio, & alijs. *O Deus! Nouerim te, nouerim me. Quis tu? quis ego? Deus est omnia, ego nihil.* O *Deus, bonitas! ò homo, peccatum!* & aliæ eiusdem generis.

reddebant concentus; aliæ verò, quas legerat minùs accuratè, submissiores iniucundioresque edebant sonos.

4\. *Distractio mentis, & ariditas contra voluntatē orantis, non minuunt bonū orationis.* Caueat is qui orat, ne voluntariè ac datâ operâ per grauem negligentiam inter orandum mente distrahatur: caueat item, ne orationem propterea deserat, quòd in eâ nullam forte consolationem sentit. Sanè, sicut mentis distractio, quæ præter voluntatem orantis accidit, fructum & vtilitatem orationis non tollit, ita nec cordis ariditas, dum bona voluntas adest. Hinc Dominus ad ipsam Gertrudem virginem aliquando dixit: *Lib. 3. Insin. c. 18.* *Vellem electis meis persuasum esse, quòd eorum bona exercitia & opera mihi omnino placeant, quando ipsi seruiunt expensis suis. Illi* † *autem* *Suis impensis Deo seruire.* *expensis suis mihi seruitium præstant, qui licet saporem deuotionis minimè sentiant, fideliter tamen (vt possunt) orationes & alia pia exercitia sua peragunt, confidentes de pietate meâ, quòd ego illa libenter & gratè suscipiam. Plerique sunt, quibus si sapor & consolatio interna concederetur, non eis prodesset ad salutem, & meritum ipsorum valdè minueretur.*

5\. *Cordis instabilitas quomodo ferenda, S. Augustinus docet.* Homo nonnumquam tantâ mentis instabilitate laborat, vt si per orationem vel meditationem cor suum ad Deum eleuare, illudque in piâ aliquâ cogitatione figere velit, mox inde pellatur. Id quod & beatus *In Psal. 85.* Augustinus ostendit, dicens: *Plerumque orationes impediuntur vanis cogitationibus, ita vt vix stet cor ad Deum suum: & vult se tenere vt stet, sed quodam modo fugit à se, nec inuenit cancellos quibus se includat, aut obices quibus retineat auolationes suas, & vagos quosdam motus suos. Vix occurrit stabilis oratio inter multas orationes. Et tolerat Deus corda precantium, & diuersas res cogitantiū; omitto dicere, & noxias aliquando, & peruersas, & inimicas Deo. Porrò, quia magna est eius misericordia, dicamus ei: Iucunda animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Et quomodo eam leuaui? Quomodo potui, quomodo tu vires dedisti.* Hæc Augustinus. Igitur qui bonæ voluntatis est, non perturbetur inordinatè propter instabilitatem cogitationum suarum; sed placidè faciat quod in se est, dum orat, & humiliter patienterque perseueret: ita enim Deo plurimùm acceptus erit. Hinc beatam Gertrudem edocuit Dominus, quòd cùm quispiam orando, meditando vel contemplando, sanctè dirigit mentem & cogitationes suas in Deum, tunc ante thronum gloriæ præsentat Deo quasi speculum * miri splendoris, in quo Dominus, bonorum omnium immissor, imaginem suam iucundissimè speculatur. Et quando homo propter impedimenta cordisque instabilitatem, maiori difficultate hoc facit, quantò grauiùs & patientiùs laborat, tantò speculum illud in conspectu venerandæ Trinitatis omniumque Sanctorum venustius atque ornatius apparet. Sed cauenda est nimia vehementia, ne caput lædatur, & spiritus impediatur.

** Anima orantis est speculum in quo Deus se contemplatur.*

Cùm sancta Birgitta orans tentationibus fatigaretur, dixit ei Deipara virgo Maria: 6. *Quam ob causā orātes diabolus grauiùs impugnat: & quomodo ei repugnandum.* † *Diabolus explorator inuidus quærit impedire bonos dum orant. Tu verò filia quacumque tentatione pulsèris inter orandum, persiste in desiderio vel bonâ voluntate, & conatu sancto, sicut commodè potes: quia desiderium & conatus tuus pius reputabitur pro effectu orationis. Etiam si prauas ac sordidas cogitationes, quæ cordi tuo incidunt, eijcere non potueris; tamen pro illo conatu coronam in cælo recipies: ita tibi proderit illa molestia, modò non consentias tentationi, & tibi displiceat quod indecens est.* *Lib. 6. Reuel. c. 94.*

Virgo Gertrudis à Domino instructa est, quòd quando quis se alterius orationibus commendat, confidens se per eius merita posse diuinam gratiam obtinere, pius Dominus indubitanter secundùm desiderium & fidem ipsius benefacit ei, etiam si ille cui se commendauit, neglexerit deuotè orare pro ipso. 7. *Alienis orationibus sese commendare, pium est & vtile, licet oratio non sequatur.* *Lib. 3. Insin. c. 73.*

Quidam simplex admodum, & vix sciens plenè legere Orationem Dominicam, petiit consilium salutis à sanctâ Birgittâ. Igitur orante eâdem Birgittâ pro eo, Christus dixit: *Magis mihi placet simplicitas huius hominis, quàm superborum prudentia. Itaque monebis eum, vt opus suum, laudabilemq; consuetudinem continuet: & ego illi mercedem reddam. Eius bona voluntas mihi valdè grata est. Ipse à Spiritu meo didicit veram sapientiam, videlicet, dilectionem Dei, per quam seruat legem, omniaq; diuina mandata. Dico tibi, filia, Quicumque fide & voluntate perfectâ legit hæc verba, Iesu miserere mei, magis mihi acceptus est, quàm is qui mille versus sine attentione pronuntiat.* Itidem Dominus ait ad beatam Gertrudem: *Quamuis animabus purgandis multùm prosit, quidquid pro earum remedio fit, legendo Officium seu Vigilias defunctorum, aliasq; orationes; magis tamen eas iuuat, & maiorem relaxationem eis quandoque obtinet oratio paucissimis verbis ex ardenti affectu fusa.* Sed propter hæc verba Do- 8. *Simplicis anima breuis & ardens oratio efficax apud Deum; non tamen ideò longiores orationes omittendæ.* *Lib. 6. Reu. c. 11.*

† De actionibus & orationibus hominis aridi & desolati, quanti meriti & momenti sint coram Deo, ex hoc loco Blosij & alijs argumentis docet R. P. Alfonsus Rodericius Exercitij perfectionis parte 1. tract. 5. cap. 18. & eadem verba Domini ad Gertrudem citat pro exemplo intentionis rectissimæ R. P. Ieremias Drexelius in Amussi lib. 1 cap. 2. §. 1.

† Hæc quæ consentiunt cum §. 1. huius capitis 3. citat etiam, & ad solatium distractionis in oratione exornat Reu. P. Rodericius vbi suprà cap. 23.

mini,

mini, nullus prolixas preces, quas legere obligatus est, omittere debet, nisi ex iustâ necessitate illas omittere cogatur. Oportet enim eas orationes, quæ ex debito & obedientiâ legendæ sunt, ac benè legi possunt, semper alijs orationum exercitijs præferre.

9. *Quomodo supplenda quæ legitimè impediti complere non valuimus.* Lucæ 1. Ipsa sancta Gertrudis aliquando ægrotans & lecto decumbens, cùm Horas suas legere non posset, neque etiam, iuxta desiderium suum ad honorem beatissimæ virginis Mariæ valeret dicere ex integro Salutationem Angelicam, conata est tamen sæpiùs iterare saltem hæc verba: *Aue Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.* Hinc virgo Deipara ei apparuit, induta pallio aureis floribus mirè exornato, quibus designabantur Salutationes ab istâ cum labore lectæ: & in his excellentissimè relucebat pius affectus, quo ipsam gloriosam Virginem salutare desiderauerat. Relucebat etiam sancta discretio, quâ illa tantùm verba legerat, cùm sentiret se alia legere non posse. Relucebat item integra fiducia, quâ confidebat, Matrem Domini benignè suscipere hoc ipsum exiguum seruitium suum.

10. *Ante lectionē Horarū oratio pia & vtilis, ad implorandum merita orationis Christi.* Lib.3.Spir. gratiæ c.30. Beatæ Mechtildi reuelatum fuit, † quòd is qui legere habet Horas canonicas, vtiliter admodum faceret, si pensum Horarum suarum vniret orationibus Christi. Itaque quilibet inchoaturus Horas quas legere obligatur, potest corde, vel etiam ore, hoc aut simili modo orare: *Domine Iesu, ego humiliter pro tui honore obedire, & tibi fideliter seruire, teq; purè laudare desidero, in vnione illius perfectissimæ attentionis, quâ tu Patrem orasti & laudasti in terris: adiuua me gratiâ tuâ, quia sine te nihil possum.* Hac ratione exercitium eius mirè nobilitabitur, Deoque Patri plurimum placebit: nam reputabitur quasi vnum exercitium cum Christi exercitio, sicut modica aqua missa in vinum & vino vnita, iam vinum reputatur.

11. *Post Horarias preces oratio.* Ibid.c.31. Cùm eadem virgo Mechtildis oraret pro quodam, qui conquestus apud ipsam fuerat, quòd Horas canonicas frequenter, ex humanâ infirmitate cogitando alia, legeret; tale à Domino responsum accepit: *Ille, pro quo oras, dicat semper post Horas hæc verba humiliter: Deus propitius esto mihi peccatori.* Lucæ 18. *Si enim in Publicano eadem verba tantum valuerunt, vt ipse à peccatis propter illa absolueretur & iustificaretur, cur non etiam cuilibet alteri veniam impetrent? Nam misericordia & clementia mea non minùs nunc parata est ignoscere, quàm tunc erat.* Felix verò est, qui & ex bonâ voluntate humiliter obediendo, & sacra verba integrè pronuntiando, pensum Horarum suarum studiosè explet: is enim etsi cordis distractionem patitur, non tamen voluntariè distrahitur.

† Hanc praxim laudat ex hac reuelatione R.P. Iacobus Aluarez de Paz tom.3.lib.1.parte 2.cap.8. §. *Iam.*

Virgo Gertrudis diuinum Officium cum ceteris Monasterij sui Virginibus aliquando peragens, singula verba attentè pronuntiare studebat: sed cùm, ex infirmitate humanâ, sæpiùs mente distraheretur, mœsta dixit intra se: *Et quis fructus prouenire poterit ex hoc studio, cui tanta instabilitas coniuncta est?* Dominus igitur volens eam consolari, præsentauit ei dignissimum illud totius boni totiusque beatitudinis gazophylacium, nempe cor suum, & dixit: *Ecce cor meum dulcissimum oculis mentis tuæ prætendo, cui omnia, quæ per te minùs perficere potes, fiducialiter pro te perficienda commendabis: ita enim omnia coram oculis meis apparebunt valdè perfecta. Certè ipsum cor meum diuinum, humanam fragilitatem instabilitatemq; cognoscens, semper cum desiderio expectat, vt tu si non verbis, saltem cogitatione committas ei pro te supplendum, emendandum ac perficiendum, quidquid minùs per te perficere vales.* Igitur quilibet post Horas expletas (quæ quidem non mente tantùm legi, sed etiam ore pronuntiari debent) potest hoc aut consimili modo orare: † *Bone Iesu, propitius esto mihi peccatori. Ego tepidum & distractum seruitium meum commendo mellifluo cordi tuo emendandum ac perficiendum, tibiq; ipsum offero ad salutem omnium, in vnione illius perfectissimæ attentionis, quâ tu Patrem orasti & laudasti in terris. Responde, quæso, satisfac & supple pro me plenissimè, Amen.* 12. *Orationis & operum nostrorum defectus cor Iesu supplet.* Lib.3.Insin.c.25.

13. *Minima & abiecta opera nostra Christi vnione nobilitantur, & ad magnā mercedem attolluntur.* Cùm ipsa virgo Gertrudis, sentiens in quodam opere magnam difficultatem, diceret Deo Patri: *Domine, hoc opus offero tibi in laudem æternam, per vnicum Filium tuum, in virtute Spiritus sancti:* intellexit, quòd quidquid piè offertur Patri per Filium, quidquid item humiliter petitur per Filium, illud mirificè supra humanam æstimationem nobilitatur, & redditur Deo Patri acceptum: quemadmodum viride vel aureum apparet, quidquid per vitrum aut gemmam viridis aureive coloris conspicitur.

† Hoc ipsum, & alia pro istâ piâ praxi post Horas precarias, adfert idem R. P. Aluarez ibidem cap. 16. §. *Hac.* Estque hîc obseruanda praxis oratiunculæ post Officium diuinum.

CAPVT IV.

Defectuum quotidianorum censura, & remedia, cum solatio in tentationibus.

1. *Pugna contra defectus quotidianos relicta nobis est ob maius lucrum pietatis.*
2. *Defectus præsidentium permittuntur, vt tam seipsos, quàm sibi subditos ad maiorem perducant profectum.*
3. *Humilis retractatio quotidianorum defectuum, insignis est dispositio ad gratiæ augmentum.*
4. *Eam frequentanti defectus ipsi non minuunt perfectionis integritatem.*
5. *Amor feruens & plena resignatio citò absorbent maculas ex defectibus quotidianis contractas.*
6. *Impatientia & ira reprimenda est, ex consideratione mansuetudinis & passionis Christi.*
7. *Retractatio quotidianorum defectuum cum mœrore & amore facta, Deo est gratissima.*
8. *Iudicium Dei timendum reuerà est, sed moderatè tamen.*
9. *Cogitationes prauæ cautè repressæ, purgant & mundant animam.*
10. *Grauissimus conflictus impurarum imaginum, vincitur optimè piâ resignatione, & sanctâ occupatione.*
11. *Etiam sanctissimi famuli Dei grauibus tentationibus in hac vitâ impugnantur, vt copiosiùs præmientur in cælis.*

1. *Defectuum quotidianorũ pugna Deum honorificat, & ad multa vtilis est.* Lib. 3. Insin. c. 58.

EADEM virgo Gertrudis, propter minutiorem quemdam defectum sese multùm arguens ac reprehendens, desiderauit & petijt à Domino, vt illum penitus in ipsâ emendaret, atque ab ipsâ auferret. [a] Cui benignus Dominus blandè respondit: *Et quare velles, vt & ego magno honore priuarer, & tu ingenti præmio careres? Nam grande nimis præmium lucraris, quotiescumque illum vel similem defectum recognoscens, proponis de cetero eum vitare: & quandocumque quis studet pro amore meo defectus suos deuincere, tantum mihi honoris ac fidelitatis exhibet, quantum miles exhiberet Domino suo, si strenuè seipsum in bello inimicis opponeret, eosq; viriliter expugnaret atque prosterneret.*

2. *Defectus præsidentiũ augent meritum subditorum; & defectus subditorum meritum præsidentium.* Lib. 3. Insin. c. 83.

Orante eâdem virgine pro defectu cuiusdam personæ quæ Congregationi præerat, Dominus illi apparens, [b] dixit: *Ego ex abundantiâ pietatis, dulcedinis, & dilectionis meæ diuinæ, quâ Congregationem hanc elegi, permitto inhærere aliquos defectus etiam illis qui præsunt: vt inde meritum Congregationis augeatur. Nam multò maior virtus est, subijci ei cuius defectus cognoscitur, quàm alteri, cuius opera per omnia probata videntur. Ego sino Superiores habere aliquos defectus, & ex diuersitate curarum quandoque maculari, vt magis humilientur. Subditarum meritum crescit tam ex defectibus quàm ex profectibus earum quæ præsunt: & similiter meritum illarum quæ benè præsunt, crescit tam ex profectibus quàm ex defectibus subditarum.* In quibus verbis Domini, Gertrudis intellexit supereffluentem diuinæ sapientiæ pietatem, quæ tam subtiliter salutem electorum disponit: permittens in eis esse defectus, vt ipsos ad maiores ducat profectus. Videbatur itaque sibi, quòd etiamsi bonitas Dei numquam in aliâ re magis claruisset quàm in istâ, omnis tamen creatura Deum satis laudare non posset.

3. *Agnitio quotidiana defectuum, dispositio est ad gratiam.* Lib. 4. Insin. c. 1.

Instante festo Natiuitatis Domini Iesu, ipsa Gertrudis propter infirmitatem lecto decumbens, inciderat ex fragilitate humanâ in impatientiam. Cùm igitur cum mœrore reuolueret in corde suo illum suum defectum, reputans se omnibus Dei donis nimis indignam, propterea quòd ex paruâ quadam negligentiâ sibi seruientium prolapsa ad tantam impatientiam fuerat: diuinitus edocta est, quòd omnes cogitationes, quibus homo cum mœrore suum retractat defectum, post dignè peractam pœnitentiam (de quâ Deus in Scripturâ dicit, In quacumque horâ conuersus fuerit peccator & ingemuerit, omnium peccatorum eius non recordabor ampliùs) nihil aliud sunt, quàm quædam dispositio & præparatio ad gratiam Dei recipiendam.

4. *Quotidiani defectus nõ sunt cum immoderato dolore retractãdi, ne tenebras inutiles offundant.*

Rursum hæc virgo Gertrudis aliquando ex inordinatâ quadam tristitiâ simul & impatientiâ tantas incurrerat tenebras, vt magnâ ex parte iucunditatem diuinæ præsentiæ videretur amisisse: quæ tamen tenebræ posteà per interuentionem beatæ Mariæ virginis fuerunt temperatæ atque mitigatæ. Cum ergo benigniùs à Domino visitata, recoleret illam suam impatientiam ac ceteros defectus suos, ipsa sibi valdè displicens, cum magnâ spiritus deiectione dixit ad Dominum: *Obsecro Domine, impone finem malis meis, nam ego illis nullum finem impono. Libera me, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Iob. 17. Cuius desolationi Dominus compatiens, sciscitatus est ab eâ, vtrùm delectationem aliquam in mundo potiùs eligeret quàm se, & aliquid sibi præponere vellet. Ad quod illa: *Absit, absit, vt ego tibi vero, summo, stabili, & æterno bono aliquid præferam.* Et Dominus: *Cùm nihil mihi*

[a] Hæc citat, & alia in eamdem rem addit Reu. Pater Alfonsus Rodericus Exercitij perfectionis parte 2. tractatu 4. capite 7.

[b] Illud sanctæ Gertrudis exemplum inter alia obedientiæ cæcæ exempla refert idem parte tertiâ tractatu quinto capite octauo.

* Nullus defectus peccati venialis, quantumuis magnus aut frequens, spoliare potest animam gratiâ Dei & charitate. 1. Pet. 4.

mihi præponas, & voluntatem tuam voluntati meæ semper subijcere cupias, constat te in charitate * & gratiâ esse: cur ergo propter peccata tua tam desperanter loqueris? Nam Scripturâ teste, charitas operit multitudinem peccatorum.

5. *Amorosa resignatio citò delet quotidianos defectus.*

Cùm eadem virgo Gertrudis iterùm incidisset in impatientiam, & tamen Deus benignissimè eam visitaret, tandem dixit ad Dominum: *O dulcissime Deus, quomodo potuisti mihi nunc tam indignæ atque imperatæ, tam consolatoria gratiæ tuæ dona impertiri?* Respondit Dominus: *Amor coëgit me.* Et illa: *Vbinam sunt maculæ illæ à me contractæ per impatientiam, quam incurri, & aliquantulùm verbis ostendi?* Ad quod Dominus: *Ignis Diuinitatis meæ consumpsit eas.* Tunc illa: *O clementissime Deus, cùm toties gratia tua præueniat vilitatem meam, vellem scire, vtrùm prædicta impatientia & similes defectus post mortem in animâ meâ purgari debebunt.* Cui cùm Dominus benignè dissimulando non responderet, ipsa subiunxit: *Verè Domine, si decor iustitiæ tuæ exigeret, sponte & libens descēderem * etiam in infernum, vt eò digniorem emendationem tibi pro culpis meis exhiberem: si verò naturali bonitati & misericordiæ tuæ magis congruit, vt maculæ meæ amore tuo prorsus consumantur atque ad nihilum redigantur, liberrimè exposcam, vt idem amor tuus ipsas animæ meæ maculas plenè expurget.* Dominus igitur solitâ pietate suâ petitioni & desiderio eius promptissimè satisfecit.

* Nimirum saluâ semper Dei amicitiâ: qui gradus resignationis eminentissimus sæpè ia n occurrit, & Deo placet. Est autē amorosa ista resignatio remedium efficax ad euadendum reatum omnem, tam culpæ quàm pœnæ.

6. *Ira reprimenda est per Christi mansuetudinem, & tolerantiam iniuriarum.* Lib. 8. Reuel. cap. 6.

Christus leniter reprehendens sanctam Birgittam propter impatientiam & iram, quâ perturbata fuerat, ait: *Ego creator & sponsus tuus pro te sustinui verbera: tu verò ita impatiens fuisti, vt non potueris portare verba. Ego stans ante iudicem, cùm accusarer, tacui, & non aperui os meum: sed tu acerbiùs respondendo & exprobrando, vocem tuam nimis exaltasti. Tu debueras omnia patienter tolerare propter me, qui clauis affixus fui pro te: debueras per patientiam tuam eum, qui errauit, ad meliora prouocare. Sis ergo post hac cautior: & vbi ab aliquo ad iram prouocata fueris, * non facilè loquaris, donec ira ab animo tuo semota fuerit. Transactâ autem animi commotione, & causâ ipsius commotionis diligenter pensatâ, poteris loqui cum mansuetudine. Quòd si loquendo nihil proficeres, & tacendo non peccares: meliùs tunc faceres, & maius meritum acquireres, si fileres.*

* Remediū opportunū iræ, dum feruet, obseruandum & applicandum, taciturnitas est.

7. *Summè placet Deo defectuum etiam minimorum dolor & emendatio ex amore Dei.*

Intellexit virgo Gertrudis, cor diuinum inæstimabili dulcedine affici, quoties aliquis cum mœrore recolit, se per euagationem mentis, vel per verborum operúmve inutilium dissolutionem, decidisse à Domino Deo suo, qui ipsum singulis horis ac momentis tam benignè beneficijs præuenit & subsequitur. Intellexit, quòd quando homo corde compunctio apud se dicit hæc aut similia verba, *Heu me miserum! quomodo tempus istud consumpsi? * quàm parum Deo amatori meo intendi!* & cum desiderio proponit de cetero vitare huiusmodi negligentias atque offensas, efficitur reuerà tabernaculum Dei, in quo, tamquam in domo propriâ, habitare dignatur Dominus summæ maiestatis. Sicque per sanctissimam Filij Dei conuersationem supplentur negligentiæ, & sancta vita renouatur in homine fideli: atque inde fit gaudium in cælo, eò quòd infinita Dei bonitas dignatur in animâ verè pœnitente suas habere delicias.

8. *Indicia iusti Dei timēda, sed cum moderatione sanctæ fiduciæ.* Lib. 5. Reu. c. 19.

Dominus Iesus ait ad Birgittam: * *Cur turbaris & sollicita es, filia?* Respondit illa: *Quia diuersis, & inutilibus malisq; affligor cogitationibus, quas remouere nequeo, & terror iudicij tui me angit.* Tunc Dominus, *Hæc,* inquit, *vera est iustitia, vt sicut priùs delectaris in vanitatibus mundi contra voluntatem meam, ita modò tibi molestæ sint variæ peruersæq; cogitationes contra tuam voluntatem. Verumtamen time iudicium meum moderatè & cum discretione: firmiter semper confidens in me Deo tuo. Certissimè enim scire debes, malas cogitationes, quibus mens reluctatur, & quas detestatur, esse purgationem animæ atque coronam. Si tu illas prohibere non potes, fer patienter, ac voluntate eis renitere. Et quamuis ipsis non consentias, time nihilominùs ne inde superbias, & cadas: nam quicumque stat, solius Dei virtute stat.*

* Pro consolatione ariditatis in spiritualibus exercitijs, hunc inter alia locum adfert R.P. Alfonsus Rodericius Exercitij perfectionis p. 1. tract. 8. cap. 29.

9. *Cogitationes prauæ repugnando superatæ, mundant mentem, & virtutes custodiunt.* Lib. 3. Reu. c. 27.

Rursum dixit Dominus ad eamdem Birgittam: *Vt homo intelligat infirmitatē quam habet à seipso, & fortitudinem quam habet à me; necesse est vt quandoque permittatur pulsari prauis cogitationibus: quibus si non consentit, illæ efficiuntur ei purgatio animæ, & custodia virtutum. Et licet valdè amaræ sint ad ferendum, sanant tamen animam, & ducunt eam ad æternam vitam, quæ non potest haberi sine amaritudinibus. Diligenter verò laborare debet anima, ne eis consentiat, aut in eis delectetur.* Nonnulli in initio conuersionis suæ, alij in vitæ medio, atque alij in senectute grauiùs tentari permittuntur. Hinc Mater Dei eidem Birgittæ ait: *Tu miraris, * cur in senectute tentationes tibi accrescant, & eas modò sentias, quas nec in iuuentute, nec in coniugio experta es. Hoc ideò fit, vt cognoscas te nihil esse, & nihil posse, sine Filio meo. Nisi enim ille te seruasset, non est aliquod peccatum tam graue, quod non commisisses.*

Lib. 9. c. 94. * Etiam in vltimâ senectute graues tentationes oppugnant pios, vt discant humilitatem, & gratiæ Dei necessitatē.

10. Sancta virgo Catharina, Dei permissione pluribus diebus acerrimè diuexata fuit carnali-

Impurarum imaginum conflictus grauissimus est; sed victoria per pia exercitia & humilem resignationē obtinetur.

Ex cap. 11. primæ Partis Vitę eius.

nalibus tentationibus. Nam maligni spiritus eam non solùm per obscœnarum cogitationum immissiones, & somniorum illusiones, sed etiam per manifestas apparitiones sese oculis & auribus eius ingerebant. Effingebant imagines virorum & mulierum in conspectu eius se mutuò turpissimè amplexantium, illamque gestibus, verbis, & actibus valdè inhonestis prouocantium ad libidinem atque luxuriam. Ad hunc modum castissima virgo cogebatur videre atque audire id quod maximè horrebat: & licet oculos clauderet, nihilominùs perdurabant spurcissimæ & abominandæ illæ imagines. Inter hæc etiam spiritualibus consolationibus destituta erat, & solitum deuotionis feruorem minimè sentiebat. Attamen propter huiusmodi molestiam non omisit sua pia exercitia; sed diligentissimè instabat orationi sicut poterat, ac seipsam ita alloquebatur: *Tu vilißima peccatrix nullis consolationibus digna es. Quid enim? nónne tibi fuerit satis, si non damneris, etiamsi toto vitæ tuæ tempore has cruces & tenebras ferre deberes? Certè non ideò elegisti seruire Deo, vt hîc consolationes ab eo accipias, sed vt in cælis illo fruaris in æternum. Surge igitur, & consueta exercitia tua prosequere, Dominoq; tuo fidelis permane.* Posteà cùm vnus dæmon proteruiter illi diceret, *Non desistemus, sed ad mortem vsque tibi molesti erimus, nisi nobis consentias*; respondit illa, *Ego afflictionem elegi pro refrigerio: nec difficile, imò iucundum mihi erit, & has & alias pœnas pro honore Domini mei Iesu Christi sustinere, quamdiu ei placuerit.* Ad quæ verba, tota cohors malignorum spirituum confusa discessit, & lux ingens locum in quo sancta Virgo erat, illustrauit, Dominusque ei apparens dixit: *Quando cor tuū sordidis cogitationibus abundabat, ego intus in medio eius latebam, & efficiebam ne illis consentires aut delectareris. Permittebam te tentari quantum saluti tuæ expediebat, vt me adiuuante vinceres.*

11. *Sancti quoq; ipsi in terrā impugnantur, vt copiosiùs in cælo remunerentur.*

Virgo Gertrudis in spiritu aliquando clarissimè cognouit, quomodo Deus nonnumquam permittat hominem pluribus vitijs grauissimè impugnari, vt is posteà de triumpho feliciùs exultet, & maiorem gloriam in cælo obtineat. Cognouit plerosque esse eximios castitatis & puritatis sectatores (quales fuerunt Apostoli Christi) qui suspecta quidem omnia fugiunt, sed ea quæ suspecta minimè sunt, rationabiliter admittunt. Et hi si intereà tentatione aliquâ pulsentur, viriliter certando (adiuuante gratiâ Dei) ipsam tentationem deuincunt: si verò interdum ex humanâ fragilitate aliquantulum succumbunt, student hoc dignis pœnitentiæ fructibus delere. Huiusmodi præliatores beatus Augustinus ita exhortatur: *Attendite Sancti quicumque pugnatis. Præliantibus loquor: intelligunt qui pugnant, non me intelligit, qui non pugnat. Vult homo castus, vt nulla omnino surgat in membris suis concupiscentia aduersaria castitati. Pacem vult, sed nondum habet. Quando enim ad illud ventum fuerit, vt nulla omnino exurgat concupiscentia aduersaria, nullus erit hostis cum quo luctemur: nec expectatur ibi victoria, quia de hoste iam victo triumphatur. Modò autem quando caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, contentio est. Non quod volumus facimus. Quare? Quia volumus vt nullæ sint concupiscētiæ, sed non possumus. Velimus nolimus, habemus illas: velimus nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt, premuntur, nondum extinguuntur. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæcumque vultis, faciatis. Quid enim vultis ô Sācti, ô boni præliatores, ô fortes milites Christi, quid vultis? Vt non sint omnino concupiscentiæ malæ. Sed non potestis. Exercete bellum, sperate triumphum. Facite quod potestis, quod ait ipse Apostolus alio loco, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius. Non ait, Non sit peccatum; sed, Non regnet. Quamdiu viuis, peccatum* necesse est esse in membris tuis: saltem illi regnum auferatur, non fiat quod iubet.* Hæc Augustinus.

Aug. To. 10 Serm. 43. de Verbis Domini.

Gal. 5.

Rom. 7.

Rom. 6.

*id est, peccati fomitem, aut cōcupiscentiā.

CAPVT V.

De confessione frequenti, & desiderio confitendi.

1. *Hebdomadariæ confessionis vtilitas.*
2. *Etiam venialiū confessio à spiritualibus personis frequentanda, ob vtilitatem illam, quod semper in singulis confessionibus noua Sacramentalis gratia datur.*
3. *Firma voluntas confitendi, reputatur pro facto, quando aliud non potes.*
4. *Peccata in confessione oblita, præmisso tamen diligenti examine, cum alijs confessis remittuntur.*
5. *Licet timoratis & anxiæ conscientiæ hominibus etiam non præmisā confessione communicare, vbi obedientia id ordinat, & non adest Confessarius.*

CHRISTVS audiente sanctâ Birgittâ, ait: *Ei, qui spiritum & gratiam meam adipisci ac retinere desiderat, vtile est, crebrò peccata & negligentias suas coram Sacerdote confiteri, vt expurgetur.* Et cùm ipsa Birgitta videret animam mariti sui domini Vlphonis in Purgatorio, dixit: *O felix anima! quid præcipuè tibi profuit ad salutem?* Ille respondit: *Confessio mea, quam Ferijs sextis (dum Sacerdotis copiam habebā) facere solitus*

1. *Confessionis crebræ vtilitas, per exemplum hebdomadatim confitentis Vlphonis mariti S. Birgittæ viduæ.*

In Extrau. c. 56.

tus sum, cum firmo me emendandi proposito.

2. *Venialium cõfessio non negligenda.*

Quædam monastici Ordinis virgo, quæ piè admodum vixerat, veniens ad mortis horam, purgari ante exitum debuit ab hac culpâ, quòd quandoque gratiam sacramentalis confessionis neglexerat. Nonnũquam enim, cùm aliæ sociæ virgines ad confessionem coram Sacerdote faciendam sese præpararent, illa nullum in conscientiâ suâ grauioris culpę sentiens remorsum, minimè satagebat per verba Sacerdotis absolui, saltem à puluere venialium culparum, sine quibus humana vita non ducitur: sed simulabat se interdum dormire, quando Sacerdos confessiones recepturus aderat.

3. *Bona voluntas pro facto reputatur, etiã in materiâ confessionis, Deo supplente defectum inuoluntarium Sacramenti, per alias gratias non Sacramentales.*

Degente beatâ Birgittâ Romæ, venit illuc quidam, qui sacramentaliter confiteri peccata sua cupiebat, sed Confessorem habere non poterat, propterea quòd nullus Sacerdotum linguam eius intelligeret. Pro quo cùm ipsa sancta Birgitta Dominum consuleret, respondit Dominus: *Ille plorat, quòd non inueniat auditorem confessionis suæ; sed dices ei, vt bono sit animo. Voluntas sufficit, vbi homo bonum opus præstare non potest, quod præstare desiderat. Quid enim salutem latroni in cruce attulit? nonne bona voluntas? Quid item efficit infernum, nisi voluntas mala, & affectus inordinatus? Itaque pauper iste permaneat stabilis, & non retrocedat. Qui postquam in patriam suam redierit, quærat & audiat à sapientibus ac iustis ea quæ animæ ipsius salutaria sunt, eisq́; voluntatem suam submittat, sequendo eorum consilium potiùs, quàm propriam inclinationem aut proprium iudicium. Et si mortuus fuerit in viâ, fiet ei* Lucæ 2. *quod ego pendens in cruce dixi latroni, Eris mecum in Paradiso.* Profectò, bona voluntas magnus & dulcis est thesaurus. Qui hanc habet, is desiderat & conatur obedire ac placere Deo, † & facere ea quæ illi accepta sunt. Hæc sanctarum virtutum omnium fundum & radix est. Ipsa è Spiritu sancto nascitur, & est eximia Dei gratia atque infusa charitas. Beatus, qui illam à Domino accepit, & eam diligenter in se conseruare studet.

4. *Peccata grauia in confessione oblita, remittuntur per eam indirectè, & cum obligatione pòst eadem confitendi, quãdo occurrent, vt Theologi passim sentiunt.* Lib. 4. Insin. c. 34.

Conquerebatur aliquando virgo Gertrudis beato Ioanni Euangelistæ, dicens se metuere ne aliquod impedimentum ex hoc incurreret, quod quandoque nonnulla (licet modica) omittebat ex obliuione confiteri coram Sacerdote, eò quòd copiam Sacerdotis interdum non haberet, & tamen illa propter debilitatem memoriæ retinere nequiret. Quam sanctus Ioannes blandè consolatus est his verbis: *Noli timere filia:* * *quia quandocumque voluntate integrâ te præparas ad confitendum omnia peccata tua, & requirens Sacerdotem non eum habere potes, ea quæ ex obliuione omittis confiteri, effulgebunt coram pio Domino in animâ tuâ tamquam gemma pretiosa, vnde mirum in modum gratiosa conspectibus omnium ciuium cælestium apparebis.*

*Hæc de venialibus peccatis accipe, & vbi est vehemẽs & amorosa ob Dei offensam etiã in minimis detestatio.

5. *Obedientiâ monente, & Confessario absente, placet Deo Communio deuota animæ non præmissâ confessione.*

Cùm eadem virgo Gertrudis aliquando oraret pro quibusdam alijs virginibus Monasterij sui, quæ licet propter Confessoris absentiam non fecerant Sacramentalem confessionem, ad ipsius tamen monita sacram Eucharistiam humiliter acceperant: videbatur Dominus induere eas veste quadam candidissimâ, nempe suâ innocentiâ. Quæ vestis vndique ornata erat gemmis præstantissimis, tam formam quàm fragrantiam violarum habentibus: & his notabatur humilitas illa, qua monitis eius simpliciter consentientes, & de bonitate Dei confidentes, communicauerant. Deinde dabatur eis etiam vestis rosea, floribus aureis intexta, figurans nimirum passionem Dominicam in amore perfectam, per quam passionem quilibet homo obtinet meritum dignæ præparationis. Illis verò Sororibus, quæ non monitis Gertrudis, sed per se (gratiâ Dei sibi cooperante) de bonitate Dei piè confidebant, & licet Sacerdoti peccata sua confessæ non essent, tamen communicabant, dabatur tantummodò vestis rosea aureis floribus respersa. Porrò illæ quæ cum humilitate & mœrore omittebant Communionem, videbantur stare coram mensâ cælesti, atque in abundantiâ deliciarum eius plurimùm delectari.

CAPVT VI.

De frequentandâ sanctâ Eucharistiâ.

1. *Frequens Communio non debet prohiberi, vbi non adest conscientia peccati mortalis:*
2. *Idque verum est, siue Ecclesiastici & Religiosi sint, siue sæculares aut laici.*
3. *Pœna negligentium frequentem Communionem.*
4. *Delectatio deuota Communionis longissimè superat voluptates corporeas.*
5. *Eucharistia suauissimum est memoriale diuini amoris.*
6. *Præparatio ad Communionem per ignita amoris desideria.*
7. *Item per vnionem cum præparationibus omnium Sanctorum.*
8. *Placet Deo, si quis obedientiâ dirigente ex discretione*

† Tridentina Synodus sess. 14. c. 4. de Contritione docet, in hoc casu hominis sic contriti debere adesse votum & voluntatem præstandi omnia ad Sacramentum Pœnitentiæ requisita, quorum vnum est oris confessio, additq́ue, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam. Vnde satis liquet, bonæ voluntati confitendi, dum non licet, debere adesse confitendi factum, dum licet.

cretione abstinet à frequenti Communione: sed magis placet, qui ex charitate eam sæpiùs vsurpat.

9. *Omnes Sancti honorant & adiuuant dignè ac humiliter communicantes.*

1. *Eucharistia frequentanda, cùm non adest conscientia peccati mortalis.* Prou. 8.

ORANTE rursum sanctâ Gertrude pro quadam Virgine Congregationis suæ, quæ zelo iustitiæ mota, alias pias Sorores verbis suis reddebat pusillanimes, atque à frequentiori sacræ Eucharistiæ perceptione deterrebat, respondit Dominus: *Cùm deliciæ meæ sint esse cum filijs hominum, & ego hoc Sacramentum ex summâ charitate in meam commemorationem fidelibus suscipiendum reliquerim, atque etiam per illud cum eis vsque ad consummationem sæculi remanere velim: quicumque aliquos, à mortali peccato immunes, verbis vel suasionibus ab eius perceptione retrahit, is quodammodò impedit & interrumpit delicias meas, quas cum illis habere possem. Similis enim est seueriori pædagogo, qui à filio Regis ignobiles ac pauperes coætaneos eius (quorum consortio ipse Regis filius multum delectatur) duriùs repellit: indicans magis cōgruere adolescentulo, vt Regali fruatur honore, quàm vt pilâ cum illis ludat in plateâ. Verumtamen si quis proponeret huiusmodi seueritatem de cetero deponere ac vitare, ego non solùm illi ignoscerem, verùm etiam tam gratum hoc haberem, quàm haberet gratum filius Regis, si pædagogus serenum blandumque vultum præseferens, reduceret ad ipsum dilectos coætaneos eius ad ludendum cum eo.*

2. *Bona voluntatis homines frequentent Communionem, cuiuscùmque status vel ordinis sint, in Ecclesiâ Dei.*

Eadem virgo Gertrudis intellexit à Domino, quòd illi non irreuerenter nec indignè sumunt sacram Eucharistiam, qui eam piè sumunt ex desiderio honoris, laudis atque gloriæ Dei: quæ sanè gloria diuina in hoc præcipuè elucescit, quòd summa illa Maiestas tam indignis hominibus se communicare non dedignatur. Igitur pij quique Sacerdotes, & etiam Monachi ac Moniales bonæ voluntatis, qui absque fictione Deum propriamque salutem quærunt, & suum Ordinem sanctaque Congregationis suæ Statuta seruare student, ac humiles spiritualesque esse conantur, & tempus vtiliter traducunt, & quando sese negligunt, vel in aliquo delinquunt, Sacerdoti suo purè confitentur quidquid conscientia testatur esse peccatum: hi Deo satis confidere debent, sicque super eius misericordiâ & benignitate Sacramentum Eucharistiæ accipere, quoties ex Ordine datur, vel ex bonâ consuetudine illud recipere solent. Similiter quotquot viri vel feminę sæculares viuunt in aliquo statu, qui à Deo & Ecclesiâ non discordet, siue sint in matrimonio siue extra matrimonium, siue vendant siue emant, seu quauis aliâ licitâ ratione victum sibi parent, si bonâ voluntate præditi ex Dei gratiâ perseuerant in bono, & à grauibus culpis sese continent, vitamque suam secundùm Dei præcepta ac sanctæ Ecclesiæ decreta dirigere volunt, peccataque sua humili corde Sacerdoti confitentur: hi omnes de Dei misericordiâ confisi, venerandum Eucharistiæ Sacramentum, in solemnitatibus, vel diebus à spirituali Patre ipsorum statutis, accipere possunt. Licet enim rebus externis multipliciter occupati sint, & in leuiores culpas sæpiùs cadant, pro viribus tamen sunt iusti in omnibus, ob idque Deo placent. Inueniuntur autem nonnumquam etiam inter eos qui habitum sæcularem gestant, aliqui tam puri & feruentes vel sancti, vt quotidie sacram Communionem percipere possint.

Anima cuiusdam defuncti cuidam Dei amico in flammâ ardoris immensi apparens, dixit se eâ solâ de causâ tam diris cruciatibus torqueri, quòd circa Dominici Corporis perceptionem fuisset negligentior: addiditque, si vel semel venerabile Sacramentum deuotè pro ipso accipere dignaretur, se mox liberandam.* Quod cùm ille Dei amicus fecisset, sequenti die anima eidem sole fulgentior atque micantior apparuit, vnicâ illâ dignissimi Sacramenti huius perceptione ab intolerabilibus pœnis liberata, atque ad cælum & æternam beatitudinem euecta. 3. *Communionem neglig̃etis pœna in purgatorio.* *Eucharistiã sumens pro animâ in purgatorio, eam liberat. estque is vsus & doctrina Ecclesiæ Catholicæ.

Christus Iesus ait ad sanctam Gertrudem: *Quando me tibi communico in Sacramento altaris, blandior tibi per amplexus & oscula: atque hæc delectatio incomparabiliter maior est, quàm sint omnes delectationes, quas vmquam aliqui potuerunt experiri in amplexibus & osculis humanis. Nam delectatio amplexuum & osculorum humanorum vilis est, atque cum tempore transit: suauitas verò vnionis illius, quâ mihi vniris in Sacramento altaris, nobilissima atque purissima est, nec vmquam deficit aut tepescit; sed quantò sæpiùs renouatur, tantò efficaciùs viget in æternum.* 4. *Purissima delectatio Cōmunionis deuotæ super omnes delicias creatas.* Lib. 6. Insin. cap. 30.

Dominus dixit ad sanctam Catharinam: *Meritò cor hominis amore scindi dissoluique deberet, considerando inter beneficia à me exhibita, eximium beneficium sacræ ac venerabilis Eucharistiæ. Hæc autem oculo intellectus & fidei adspicienda est, non oculo corporis tantùm: nam fidei oculus attendit sub exiguâ panis specie verum Deum & verum hominem. O quanta excellentia & dignitas est, percipere in gratiâ hoc admirabile atque ineffabile Sacramentum! Est enim panis vitæ, & cibus Angelorum. Qui illud congruè suscipit, manet in me, & ego in eo. Incomprehensibilis* 5. *Eucharistia pignus & memoriale diuini amoris.* Tract. 2. cap. 111. & 112. Ioan. 6.

cha-

charitas mea vobis prouidit hunc cibum salutiferum, vt in vitâ istâ, in quâ viatores & peregrini estis, refrigerium solatiumq́ inde habeatis, & apud vos perseueret memoria passionis pretiosiq́ Sanguinis vnigeniti Filij mei.

6. *Preparatio ante Communionem per desiderium amoris.* Lib. 3. Spir. grat. c. 22.

Christus sanctæ Mechtildi ait: *Quando sacram Communionem perceptura es, desidera & opta, ad laudem nominis mei, habere omne desiderium, omnemq́ amorem quo vmquam cor aliquod erga me flagrauit, & ita ad me accede. Nam ego amorem illum in te attendam atque suscipiam, non sicut est in te, sed sicut velles eum in te esse.*

7. *Per vnionẽ preparationum B. Mariæ, & omnium Sanctorum.* Lib. 3. Insin. c. 34.

Corpus Christi aliquando sumptura beata Gertrudis, cùm se nimis imparatam doleret, rogauit beatam virginem Mariam, & omnes Sanctos, vt Domino pro se offerrent omnem dignitatem, quâ quilibet ipsorum vmquam paratus fuerat ad gratiam Dei recipiendam. Vnde Dominus ait ad eam: *Iam verè omnibus cæli ciuibus appares in eo ornatu, quem tibi petisti.* Vtile igitur est, vt quilibet percepturus sacram Communionem, etiam desideret & petat animam suam exornari meritis ac virtutibus Iesu Christi Sanctorumque eius.

8. *Placet Deo, qui ex mandato vel ex consilio abstinet à Cõmunione.* Lib. 4. Insin. c. 13.

Cum eadem Gertrudis admodum debilis desideraret diuinam percipere Eucharistiam (ad quam etiam accipiendam diligenter se præparauerat) consilio tamen Matris spiritualis, propter bonum discretionis, illam non accepit. Et cùm hoc Domino offerret in laudem æternam, Dominus se acclinans, suscepit eam in sinum paternæ benignitatis suæ, eique dulciter blandiens, dixit: *Quia deliberasti me omittere purè propter me, ego in gremio meo confouebo te.* Tunc intellexit Gertrudis, hominem non displicere, sed placere Deo, quando ex discretione vel obedientiâ, non autem ex negligentiâ, intermittit sacram Communionem. Igitur laudabile quidem est interdum ex humilitate ac sancto timore seu reuerentiâ abstinere à sacramentali perceptione Eucharistiæ: sed multò melius est, ex charitate, & diuinæ laudis bonique communis desiderio, siue ex speciali deuotione, frequenter ipsam sacram Eucharistiam accipere. Sanè cùm præcellentissimum hoc Sacramentum sit fons totius gratiæ, & medicina animæ, non leuiter quis ab eius perceptione se elongare debet, propterea quòd spiritualem saporem & consolationem fortè non sentit, aut quòd grauibus importunisque tentationibus affligitur. Nam qui piè & humiliter communicat, prodest plurimùm, non solum sibi ipsi, sed etiam alijs viuis & mortuis. Qui verò odio in proximum vel quouis alio graui crimine detentus, sacram Eucharistiam percipere non metuit, æternam damnationem sibi acquirit. Omnino talis perditus est, nisi per pœnitentiam Deo reconcilietur. 1. Cor. 11.

Sed est tamen melius eam ex charitate accipere, quàm ex humilitate omittere, vt est apud D. Thom. 3. p. q. 80. art. 11. ad 1.

9. *Bona voluntas habet adiutores omnes Sanctos in spirituali seu desideratâ Communione.* Lib. 3. Spir. grat. c. 34. Psal. 11.

Ancilla Christi Mechtildis aliquando lecto decumbebat, alijs Monasterij sui virginibus sacram Eucharistiam percipientibus. Cùm ergo ipsa in paupertate spiritus altiùs ad Dominum suspirans, ingemisceret, vidit eumdem Dominum mox de throno suo surgere dicendo, *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam.* Surgente verò illo, omnes Sancti pariter surrexerunt, offerentes Deo in spiritualem consolationem infirmæ, & laudem Dei æternam, obsequium quod in terris Deo præstiterant, & ea quæ pro illo passi fuerant. Vnde Mechtildis intellexit, quòd quoties anima in paupertate spiritus ad Deum suspirat vel ingemiscit, desiderans eius gratiam, statim omnes Sancti gratiam illi animæ impetrant, ac veniam (si ipsa anima pro peccatis dolens ingemiscit) obtinent. Et ait Dominus: *Quando post me ingemiscis, tu me tibi intrahis. Ecce* quantumcumque res aliqua sit vilis & abiecta, vt est festuca, homo eam solâ voluntate non acquirit: me verò quilibet voluntate, aut gemitu vnico habere potest.*

* Nota, & fruere.

CAPVT VII.

De participatione meritorum Christi, & de merito obedientiæ.

1. Quàm facilè bonam voluntatem acceptet Christus, & augeat ob illam merita nostra.

2. Quâ industriâ induere possimus merita Christi, eaque nobis appropriare.

3. Obedientia non à solis Religiosis, sed à sæcularibus etiam exercenda erga maiores, & se inuicem.

4. Etiam altissimæ contemplationi præferenda obedientia:

5. Est enim gratissimum Deo sacrificium; illa præsertim, cui nihil propriæ voluntatis miscetur.

6. Opus bonum sponte factum, simplex habet præmium: factum vero ex obedientiâ, duplicem mercedem reportat.

1. *Bona voluntatis vis ad merendum multa apud Deum.* Lib. 4. Spir. grat. c. 11.

EIDEM Mechtildi virgini oranti pro quadam personâ quę dolebat se multas lacrymas quasi sine fructu fudisse, respondit Dominus: *Roget me illa, vt propter bonitatem meam omnes lacrymas, quas effudit, sic accipiam, quasi eas ex amore mei, vel deuotione aut contritione fudisset. Si enim hoc piè fecerit, quantum ipsa mihi crediderit, & de bonitate meâ sperauerit,* tantum proculdubio obtinebit.*

*Optando quidquid operari potest, & mihi offerendo quidquid non potest.

O mira & stupenda diuinæ pietatis dignatio, quæ tantis consolationibus miseros releuat! Quod autem de lacrymis dictum est, posset fieri etiam de præteritâ tristitiâ, & qua-

qualibet tribulatione, angustiâ vel pœnâ, quam quis inaniter se pertulisse putat.

2. *In Deo omnia habemus, & modus vtilis obseruandus hic occurrit, quomodo Christi virtutes nostras efficiamus.* Lib. 2. c. 18. & lib. 3 c. 18 & l. 4. c. 14.

Cùm eadem Mechtildis, ab aliâ quadam personâ rogata, oraret Dominum, vt ipse dignaretur illi dare cor purum, humile, desiderabundũ, & spirituale, tale responsum accepit: *Omnia quæ vult & quibus indiget, inueniet in me. Igitur quod ipsi deest in puritate, humilitate, desiderio vel amore, suppleat aut suppleri petat de bonis quæ sunt in me, ac totam conuersationem meam diuinam sibi vsurpet.* Cui illa, *Si*, inquit, *dulcißime Deus, tam gratum tibi est, vt homo bona tua sibi vsurpet: dic, obsecro, quomodo hoc facere debeat.* Et Dominus: *Offerat Patri meo cælesti vel mihi meam puritatem & innocentiam pro suâ impuritate, meam humilitatem pro suâ superbiâ, meam pietatem & charitatem pro suâ duritiâ ac tepiditate, meam denique sanctißimam perfectißimamq́ conuersationem pro suâ negligenti & imperfectâ vitâ. Desideria item sua, cogitationes, verba, orationes, lacrymas, dolores, angustias, & opera, offerat in vnione desideriorum, cogitationum, verborum, orationum, lacrymarum, dolorum, angustiarum atque operum meorum: ita enim omnia Deo summè placebunt. Quælibet quidem sancta oratio cælos penetrat: sed illa quæ meis orationibus vnitur, longè excellentior atque dignior est. Studeat etiam virtutes meas pro modulo suo imitari, & mores atque actus suos iuxta mores & actus conuersationis meæ dirigere.*

3. *Obedientia Christi omnibus Christianis imitanda.*

Christus sæpiùs reuelare dignatus est, quòd quilibet Christianus imitari debeat humilem suam obedientiam, quâ ipse obediuit Patri suo cælesti, & hominibus, non solùm bonis, verùm etiam impijs. Neque enim hæc virtus præclarissima à solis Monachis vel Monialibus, sed prorsus ab omnibus eximiè coli & seruari potest.

Officia obedientia.

Obedientia hominem subdit Ecclesiæ, eiusque Sacramentis, Pastoribus, Superioribus, dogmatibus, præceptis, institutionibus, consuetudinibusque vniuersis. Hæc hominem promptum flexibilemque reddit in consilijs dandis, in auxilijs obsequijsque tam corporalibus quàm spiritualibus impendendis, secundùm discretionem, & iuxta cuiusque necessitatem. Verus obediens, proprium iudicium & sensum citò deserit, ac velle nolleque suum prorsus abnegat: vnde & infernum metuere non debet. * Nam sola propria & mala voluntas (quæ omnium peccatorum fundum est) infernum constituit: tolle illam, & infernus non erit. Verus ergo obediens propriæ voluntati renuntiat, & in exequendo ea quæ præcipiuntur, moras non nectit: sed mox vbi ei aliquid iniungitur, paratus est, imò verò præceptum plerumque non expectat. Subjicit se non tantùm Deo & Superioribus, verùm etiam omnibus hominibus; & quantò homines sunt inferiores, tantò ei subiectio ampliùs sapit, tantò ipse libentiùs obedit: maiorem enim hîc sui mortificationem inuenit, quàm dum sub maioribus se inclinat. Nullus adeò aridus & diuinâ gratiâ destitutus est, quin si promptè propter Deum obedire velit, virere & florere, copiosumque fructum producere possit. Planè obedientia, quâ homo bonæ voluntatis se submittit, & non vult ex seipso viuere, sed cuncta opera & negotia sua (maximè ea quæ ardua sunt) peragit ex salubri sanctoque consilio alicuius spiritualis atque illuminati Confessoris, via ad cælum tutissima est, per quam facillimè retia diaboli euaduntur. In huiusmodi sui resignatione omnia hominis opera abundant gratiâ: sed ea opera quæ bonus homo ex proprio facit iudicio, difficile est discernere, vtrùm ex naturâ an ex gratiâ fiant. Qui verò non habet aliquem hominem idoneum cui in omnibus obediat, & ex cuius consilio opera sua peragat, paratam nihilominùs retineat voluntatem obediendi, si talem haberet.

* S. Bernardi nota vox est, *Tolle propriam voluntatẽ, & infernus non erit.*

Obedientia tutißima ad cælum semita.

4. *Obedientiã contemplationi preferendam, docet exemplo.*

Si quis Dei munere ad tam altum sanctitatis gradum peruenisset, vt Deum reipsâ semper visibiliter præsentem secumque habitantem haberet, is si ad aliquod opus obedientiæ euocaretur, humiliter Deo dicere deberet: *Eia suauißime Deus, permitte me, obsecro, hanc obedientiam tui amore perficere.* Nam huiusmodi propriæ voluntatis abnegatio, in illo homine multò gratior iucundiorque Deo esset, quàm si ille idem tunc cum omnibus beatis spiritibus cælum penetraret: id quod sequenti exemplo comprobatur. * Cùm enim dulcis Iesus sanctæ cuidam virgini in Monasterio degenti, atque in cellulâ suâ oranti, apparuisset in formâ puerուli, & illa ad commune aliquod opus ex obedientiâ faciendum accerseretur, statim reliquit puerulum Iesum, & quod facere iussa erat, animo voluntario hilarique vultu peregit. Deinde celeriter ad cellam reuersa, vidit dilectum Dominum suum quem paruulum paulò antè reliquerat, iam in ætate perfectâ tamquam elegantissimum iuuenem viginti & quatuor annorũ adstantem. A quo cùm virgo percontaretur, quomodo in tantillo tempore tam grandis factus esset, respondit ille: *Profunda velocis & impigræ obedientiæ tua humilitas, me tam breui tempore tam magnum effecit. Quapropter, filia charißima, si mihi semper placere & adhærere vis, semper etiam mei amore promptè obe-*

* Promptæ & impigræ obedientiæ hoc exemplum, & affine ex Dialogis S. Catharinę Senensis cap. 165. & alia illustria profert R. P. Alfonsus Rodericius p. 3. Exercitij perfectionis Tract. 5. c. 3

obedias. Atque his dictis, Dominus disparuit. Sapiens ergo est, qui & meditationes, & orationes, & quælibet alia sancta exercitia atque opera mox postponit, vt obediat propter Deum.

5. *Sacrificium obedientiæ resignatæ; ab exemplo Iesu Christi, qui Patri obediuit vsque ad mortem crucis.* Lib. 6. Reuel. c. 20. 21 Philip. 2.

Christus dixit audiente sanctâ Birgittâ: *Omnes veræ virtutes ex charitate, sicut rami ex arbore, procedunt: inter quas virtutes obedientia primatum tenet. Vnde & mihi amicissimus est, qui se ex humilitate subijcit, voluntatemq́ suam in manibus aliorum reponit; ita vt eam sequi nolit. Nam & ego, qui sum omnium perfectissimus, atque ipsa perfectio, obediui Patri vsque ad mortem: vt exemplo meo ostenderem, quàm placitum sit Deo, propriam voluntatem abnegare. Sed plerique non attendentes virtutem obedientiæ, nec habentes zelum discretum,* * *sequuntur conceptus animi sui, & ex proprio sensu, non autem ex Spiritus sancti instinctu, tam immoderatè carnem suam ad tempus affligunt, vt posteà longo tempore sint & sibiipsis inutiles, & Deo parum accepti, & alijs multùm onerosi. Sapientum consilia audienda sunt: non enim carnis sed peccati mortem volo. Ei, qui relictis proprijs conceptibus animam suam submittit, corona duplicabitur, & spiritualis deuotio augebitur. Nam obedientia, cui nihil propriæ vitiosæq́ voluntatis admistum est, magis mihi placet, quàm magnum sacrificium.*

* Reprehēditur zelus indiscretus in macerādo corpore ex proprio sensu sine obedientiæ consensu.

1. Reg. 15.

6. *Satius est & tutius sobriè ex obedientiâ comedere, quàm sponte ieiunare, & eo præmium duplicatur.* Lib. 6. Reuel. c. 65. & lib. 4. c. 26.

Audiuit eadem Birgitta Dominum Iesum etiam istud dicentem: *Qui magis cuperet ieiunare, quàm comedere; & tamen propter obedientiam comedit, habebit mercedem quam consequitur is qui rectè ieiunat. Similem quoque mercedem accipiet is, qui infirmus est & manducat, mallet tamen ad honorem meum ieiunare.* Beata item virgo Maria dixit ad ipsam Birgittam: *Sint duo homines, quorum alter sub obedientiâ, alter in libertate suâ viuat: si is qui liber est piè ieiunat, simplicem habebit mercedem: si verò ille qui viuit sub obedientiâ non ieiunat, sed continenter comedit etiam carnes secundùm institutionem Regulæ suæ, magis tamen cuperet ieiunare nisi obedientia obsisteret, consequetur duplicem mercedem, vnam videlicet propter obedientiam, alteram propter desiderij voluntatisq́ propriæ abnegationem. Tu, filia, refoue necessarijs corpus tuum moderatè. Non facias curam carnis in desiderijs, sed abstine ab illicitâ voluptate. Ieiunare, orare, visitare loca sancta, sunt quidem bona opera in se; sed nisi discrete, humiliter & cum charitate fiant, non merentur vitam æternam.*

Rom. 13.

CAPVT VIII.

De refectione corporis.

1. *Refectio corporis ex quocumque cibo, modò non sit vetitus, & moderatè sumatur, Deo placet.*
2. *Pauci sunt, qui non aliquando peccent in mensurâ refectionis.*
3. *Oratio deuotè præmittenda ante cibum, somnum, & alias corporis procurationes.*
4. *Balnei vsus etiam spiritualibus licitus ex consilio directoris pij & prudentis:*
5. *Sicut & honesta recreatio, & modica de die, certo tempore, assumpta.*

IPSA sancta Birgitta aliquando vehementissimè tentata fuit gulâ siue gastrimargiâ. Cui oranti apparuerunt in spiritu dæmon & Angelus bonus: ille quidem in figurâ teterrimi Æthiopis, iste in specie pulcherrimi iuuenis. Et cùm dæmon insultando Birgittæ, quam sollicitabat, diceret Angelo, quòd ipsa etiam lautioribus cibis vteretur, vitamque parum rigidam duceret, & tamen gloriata esset de abstinentiâ; Angelus respondit: *Christus Dominus non multùm attendit qualia quis sumat, modò vetita non sint, & purâ intentione, seu ex verâ charitate cum moderatione & absque inordinato desiderio quæque sumantur. Purpura & byssus, corpusq́ delicatum non prohibent à cælo, si illa cum humilitate & charitate habentur. Consuetudo bonæ educationis quandoque retinenda est cum gratiarum actione, ne caro grauiùs infirmetur.* 1. *Refectio qualis esse debeat vt Deo placere possit.* In Extrau. c. 57.

Beatus Augustinus Deo loquens ait: *Ego in tentationibus positus, certo quotidie aduersus concupiscentiam manducandi & bibendi. Et quis est, Domine, qui non aliquando rapiatur extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum: ego autem non sum, quia peccator homo sum. Sed & ego, ô Pater cælestis, magnifico nomen tuum: & interpellat te pro peccatis meis Vnigenitus tuus, qui vicit sæculum, numerans me inter infima membra corporis sui.* 2. *Facilè exceditur mensura in cibo & potu.* Lib. 10. Cōfess. c. 31

Virgo Gertrudis intellexit diuinitus, quòd & Domino gratissimum & homini vtilissimum sit, si ipse homo ante cibum, potum, somnum, & alia corporis solatia, dicat corde vel ore hæc aut similia verba: *Domine, da vt cibum, siue aliud quodcumque corporis solatium, purè suscipiam ad gloriam nominis tui, in vnione illius amoris quo tu factus homo, tale solatium in terris suscepisti ad laudem Dei Patris, & salutem totius generis humani.* Rursum eadem sponsa Christi Gertrudis, cùm manducando piè ruminasset hęc verba, *Virtus diuini amoris tui, amantissime Iesu, incorporet me totam tibi:* & bibendo ista, *Effectum* 3. *Oratio ante cibum, somnum, & alia corporis curandi officia.* Lib. 4. Insin. c. 33.

diuinæ charitatis tuæ, dulcissime Iesu, qui in intimis tuis vehementer præualuit, transfunde & conserua in me, ita vt ille penetret totam substantiam meam, & iugiter distillet per omnes meatus, vires ac sensus corporis & animæ meæ, ad laudem tuam æternam: cùm, inquam, hac deuotione sub refectione vsa fuisset, audiuit Dominum dicentem sibi: *Quoties quis inter manducandum & bibendum talia ruminauerit, toties ego fatebor me cum illo comedisse & bibisse, refectionemq; valdè gratam ab eo accepisse.*

4. *Balnei vsus.* In Extrau. cap. 60. Cùm sancta Birgitta balneis ex consilio & voluntate spiritualis Magistri sui vsa fuisset, Christus dixit ad eam: *Non obest animæ mundæ lotio carnis, modò fiat cum discretione, & sine delectationis quæsitione. Vnde magis mihi placuisti obediendo spirituali Patri tuo contra voluntatem tuam, quàm si ipsam voluntatem tuam secuta fuisses.* † *Multi electorum meorum medicinis carnalibus vsi non sunt, & illi fuerunt mihi accepti. Alij verò iuxta locorum, temporum atque infirmitatum exigentiam, adhibuerunt sibi medicamenta, & isti non mihi displicuerunt, quia hoc fecerunt ad honorem meum, vt mihi meliùs seruirent.*

5. *Consolatio externa licita, per certas diei horas.* Lib. 4. Reu. c. 11. Maria virgo, audiente in spiritu beatâ Birgittâ, dixit: *Amici Dei possunt quandoque, seu certo diei tempore, consolationem externam recipere, verba ædificatoria proferendo, & honestè moderateq; se recreando ad honorem & laudem Dei. Si enim pugnus semper tenetur clausus, contrahuntur nerui, & manus debilitatur: arcus quoque si nimiùm extenditur, citiùs frangitur. Idcircò moderata lætitia propter infirmitatem carnis placet Deo.* Extrau. c. 61. Christus item, præscribens ipsi Birgittæ ac familiæ eius quasi regularem quemdam viuendi modum, concedit vt post horas silentio, orationi, atque alijs spiritualibus exercitijs deputatas, liberiùs inter se colloquantur de honestis Deoque minimè contrarijs rebus.

† Disputatio de Medicis, medicinis, & deliciosis remedijs aut sumptuosis, vt est balnei vsus, & similia in cibo, potu, veste, lecto, delicata vel pretiosa, an conueniant & adhibenda sint in morbis Religiosorum, & an pugnent cum amore paupertatis ac mortificationis carnis, ex hac Christi reuelatione videtur esse problematica. De eâ fusè, doctè ac religiosè disserit R. P. Iulius Nigronius in Regulam XVII. communem Societatis IESV, quæ agit de Medicis & medicinis, maximè § 10. vbi citat hæc verba Blosiana, & §. 23. 24. 25. 26. vbi de balneis Religiosorum agitur. Videri etiam potest Iudocus Lorichius de Curâ corporis cap. 15. de Medicis cibis, & cap. 16. de Balneis; vbi profert hæc verba Christi Domini ad S. Birgittam.

CAPVT IX.

De modo & ordinatione somni.

1. *Ante somnum, præmittendum examen conscientiæ: petitio veniæ: propositum emendationis: commendatio corporis & animæ.*
2. *Eadem in matutinâ surrectione, suo modo, obseruare oportebit.*
3. *Etiam somnus noster sit ad gloriam Dei.*
4. *Vigiliis lassatus, quomodo id Deo offerre possit.*
5. *Insomnia consolatoria aut terrifica sæpè immittit Deus ad meritum suorum.*

NECESSARIVM somnum corpusculo tribuendum esse, Christus eidem sanctæ Birgittæ atque alijs sæpenumerò reuelauit. Quilibet verò antequam se det nocturnæ quieti, ac somnum capiat, debet diligenter examinare conscientiam suam, & considerare in quibus per diem se neglexerit, aut Deum offenderit: debet veniam culparum à Deo petere, & proponere meliùs viuere, Domino adiuuante: debet animam & corpus suum commendare Deo, vel etiam beatæ Mariæ virgini, ac sancto Angelo custodi suo, atque ita signo Crucis edito, sese in lectulo honestè collocare. 1. *Examen conscientiæ à dormituro faciendum, quomodo.*

Similiter post somnum surgendo, debet se signo Crucis munire, Deoque commendare: debet desiderare ac petere, vt quidquid illo die facturus, dicturus & cogitaturus est, cedat ad æternam Dei laudem & gloriam. 2. *Quid à surgente faciendum.*

Dominus dixit ad virginem Mechtildem: *Quando quis somnum capere vult, meditetur aliquid de me, aut mecum loquatur.* † *Ita enim, licet corpore dormiat, mente tamen vigilabit ad me: & si in somnis aliquid minùs honestum passus fuerit, atque euigilans senserit hoc sibi displicere, molestumq; esse, signum est quòd à me nullatenus sit separatus. Etiam dormiturus quisque desideret, vt singulas respirationes quas nocte illâ faciet, tamquam eximiam mei laudem suscipiam: & ego, qui sanctis votis piæ amantisq; animæ deesse non possum, in veritate desiderium eius adimplebo.* 3. *Somnus ad Dei laudem purâ intentione capiendus.* Lib. 3. Spir. grat. c. 33.

Cùm virgo Gertrudis noctem quamdam pænè duxisset insomnem, ipsa inde plurimùm debilitata, viribusque destituta, obtulit huiusmodi defectum virium suarum Domino in laudem æternam, ad salutem omnium. Cui dixit Dominus: *Quando quis ex vigiliâ lassatus ac viribus destitutus rogat me, vt ego ipsi ad laudem meam & ad virium* 4. *Ex vigiliâ lassatus Deo sese offerat.* Lib. 3. Insin. c. 52.

† De merito, vel oratione per somnum non interruptâ, videri potest ex hoc loco Blosij disputans Reu. P. Ieremias Drexelius lib. 2. Amussis cap. 6. quæstiunculâ 5.

repara-

reparationem aliquam somni requiem concedam, si tunc eum non exaudiero, & ipse patientiam amplectendo, defectum suum humiliter supportauerit; hoc benignitas mea gratissimum habet. Et in infinitum acceptius mihi est, dum quis in infirmitate suâ post consumptas per vigiliam vires, defectum illum humiliter sustinendo mihi offert, quàm dum aliquis corpore sanus, qui benè vigilare potest, totâ nocte in oratione peruigilat.

5. *Insomnia sæpè à Deo immittuntur.* Lib. 3. Insin. c. 32.

Eadem virgo Gertrudis nocte quadam somnum capiens, suauiùs à Domino visitabatur, ita vt ex consortio & præsentiâ Dei videretur sibi delicatioribus epulis esse refecta. Vnde euigilans, gratias egit Domino, & dixit: *Quid, Domine Deus, ego vilissima peccatrix merui præ alijs, qui sæpiùs somnijs in tantum grauantur, vt etiam per clamores ceteris quandoque terrorem incutiant?* Respondit Dominus: *Dum illi, quos paterna prouidentia mea disponit per grauamina sanctificare, corpori suo studiosiùs quàm oportet solatia vigilantes procurant, sicq; occasionibus meritorum se priuant: ego eis ex diuinâ pietate meâ per somnia grauamen ingero, vt saltem hac ratione aliquid mereantur.* Et illa: *Num, Domine, poterit eis proficere ad meritum, quod præter intentionem & quasi contra voluntatem patiuntur?* Tunc Dominus: *Benignitas mea hoc perficit. Illi enim, etsi non auro vel gemmis, saltem cupro componuntur atque ornantur.*

CAPVT X.

De profectu tribulationum.

1. *Afflictiones habent Deum peculiari modo comitem.*
2. *Meritum crescit ex omni tribulatione propter Deum toleratâ.*
3. *Etiam quando eam euitare cupientes non potuimus, si tunc tamen patienter feramus ob amorem Dei. Nota hic, quòd qui solatium quodcumque licitum desiderat, vt Deo meliùs seruiat, Deum ipsum desiderat.*
4. *Signum diuinæ desponsationis est, humilis toleratio afflictionis.*
5. *Gratia diuina alios consolationibus, alios desolationibus perficit, pro captu singulorum.*
6. *Amicorum iactura oblata Deo cum resignatione, ipsius amicitiam conciliat.*
7. *Dolores nostri priùs Deo offerendi, vt ille quasi prægustet eos, dulcesque reddat.*
8. *Omnis correptio, à quacumque proueniat causâ, tamquam de manu Dei acceptanda est.*
9. *Periculosum est tribulationes, quas feras, eligere velle, & non permittere Dei arbitrio.*
10. *Patientiæ exercendæ methodus.*
11. *Idem.*
12. *Idem.*
13. *Resignatio sui in afflictionibus.*
14. *Aliquando Deus vtiliter subtrahit suis seruis gratiam consolationis.*
15. *Pœnæ omnes huius vitæ in voluntate inordinatâ sunt: nam resignata nullam pœnam sentit.*

RVRSVM sancta Gertrudis diuinitus intellexit, quòd quandoque Dominus (cuius *deliciæ* sunt *esse cum filiis hominum*) nihil inueniens in homine, propter quod placitâ dignatione ipsum adesse deceat, tribulationes vel molestias tam corporales quàm spirituales homini immittit, vt inde habeat opportunitatem manendi cum illo: quia Scriptura veritatis dicit; *Iuxtà est Dominus his qui tribulato sunt corde.* Et rursum ipse Dominus ait: *Cum ipso sum in tribulatione.* 1. *Afflictionũ vtilitas, ex Dei in illis præsentiâ.* Prou. 8. Psal. 33. Psal. 90.

Quædam persona labori manuum intenta, ex improuiso grauiter læsa fuerat, & magno dolore cruciabatur. Cui virgo Gertrudis compassa, orabat Dominum, ne ipse membrum iusto labore læsum periclitari permitteret. Itaque Dominus ei benignè respondit: *Nequaquam periclitabitur membrum illud: sed pro dolore quem sustinet, præmium incomparabile recipiet. Omnia etiam membra alia quæ mota sunt vt obsequium læso membro exhiberent, eiusq; dolorem alleuiarent ac sanarent; similiter ex hoc præmium æternum obtinebunt.* Tunc illa, *Et quomodo,* inquit, *tantum promereri possunt membra sibi inuicem ita seruientia, cùm hoc non ideò faciant, vt membrum læsum patientiùs pro tuo amore dolorem ferat, sed vt ipse dolor minuatur vel cesset?* Ad quod Dominus inæstimabilis consolationis responsum dedit, dicens: *Quando homo, post adhibitum dolori suo remedium, patienter pro amore meo tolerat id, quod lenire nequit studio suo, præmium & meritum prorsus incomparabile lucratur: cùm ego talem hominis passionem verissimè sanctificauerim in illo verbo, quo in extremæ necessitatis meæ articulo Patrem oraui dicens: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Et illa: *Nonne tibi acceptius est, Domine Deus meus, vt homo æquanimiter toleret quidquid sibi euenerit, quàm vt tunc patiens sit, quando nullo modo euadere potest?* Respondit Dominus: *Hoc in secreto Diuinitatis meæ latet, & omnem humanum intellectum excedit. Quantum autem humano iudicio discerni potest, illa duo sunt veluti duo colores tantæ venustatis & elegantiæ, vt vix homines possint indicare quis eorum alteri præferendus sit.* 2. *Ex omni tribulatione pro Deo patienter & resignatè tolerata crescit meritum.* Lib. 3. Insin. c. 70. Matth. 26.

Dixit iterùm eidem Gertrudi Dominus: *Pietas amoris mei, quo humanam salutem diligo, compellit me, vt quæcumque bona rectè desiderant electi mei, semper reputem eos me desiderasse. Vnde illi qui aggrauantur infir-* 3. *Etiã solatia possunt Dei causâ desiderari, & cruces euitari; & tunc, si maneat tribulatio, & patienter fertur, non perditur meritum.* Lib. 3. Insin. c. 31.

mitate corporis, aut desolatione mentis, aliisq́; similibus aduersis, si sanitatem vel liberationem piè desiderent, ego vt eos iuxta ardentissimum cordis mei amorem valeam copiosiùs remunerare, reputo ipsos desiderasse me: modò non ideò sanitatem desiderent, vt malum perficere possint.

4. *Tribulatio pro Deo tolerata, signum electionis.* Ibid.c.2.

Ipsa eadem sancta Gertrudis diuinitus intellexit, quòd quemadmodum annulus est signum desponsationis, ita aduersitas tam corporalis quàm spiritualis humiliter propter Deum tolerata, est verissimum signum diuinæ electionis, & quasi desponsatio animæ cum Deo: in tantum, vt grauatus quisque confidenter dicere possit hæc verba: *Annulo suo subarrhauit me Dominus meus Iesus Christus.* Quòd si inter ipsa aduersa potest dono Dei etiam laudare Deum, & ei ex animo gratias agere, iam tamquam sponsa amabilis coronam obtinet à Domino: quia gratitudo animi in aduersis, est ornatissima atque pretiosissima corona animæ.

5. *Aliis prosunt consolationes & suauitates; aliis desolationes & amaritudines.* Lib. 4. Insin.c.60.

Audiuit aliquando hæc Gertrudis Dominum Iesum sibi blandè dicentem: *Ecce exhibeo tibi abundantiam dulcedinis diuini cordis mei, vt inde haurias & liberaliter dones quibuscumque & quantumcumque volueris.* Igitur ipsa orans speciali affectu pro quadam personâ, mensuram bonam de corde Domini haustam cordi illius infudit, quæ statim in amaritudinem conuersa est. Et cùm super hoc Gertrudis multùm miraretur, Dominus dixit ad eam: *Quando ego alicui do gratiam, hæc in illo operatur sicut saluti eius magis congruit. Quibusdam enim vtilius est, diuersis grauaminibus in præsenti vitâ exerceri, quàm magnam dulcedinem & consolationem percipere. Ideoq́; ipsis gratia mea conuertitur in amaritudinem tribulationum & afflictionum, quibus magis ac magis promouetur illorum salus, & exornantur animæ eorum secundùm optimum beneplacitum cordis mei. Quod quamuis eos in hoc exilio lateat: tantò tamen dulciùs id experientur in vitâ æternâ, quantò hic fideliùs laborauerint, aduersitates & molestias quasque pro honore vel amore nominis mei patienter perferendo.*

6. *Offeratur Deo amicorũ amissio.* Lib.3.Insin.c.36.

Dominus ad eamdem virginem Gertrudem ait: *Quando homo timet amittere, vel amisit aliquem amicum dilectum, si grauamen, quod inde sentit, offert mihi cum integrâ voluntate, ita vt etiam si posset amicum illum retinere, sponte tamen ad laudem meam vellet eo carere, vt voluntas mea potiùs quàm sua perficeretur: nimirum mihi acceptissimus est. Et post illam horam, quâ cor suum ad huiusmodi voluntatem deflexerit, benignitas mea conseruabit oblationem ipsius in eâ nobilitate ac perfectione, sicut fuit in corde eius quando illam fecit: & singulæ cogitationes cor illius posteà ex humanâ fragilitate grauantes, (vt si sic cogitet, Posses modò illam & illam consolationem vel illud adiutorium ab amico tuo habere, si adesset) cooperantur ipsi in salutem æternam, locumq́; diuinæ consolationi in animâ eius præparant.*

Cùm in Monasterio eiusdem Gertrudis 7.
defuncta esset quædam deuota & amabilis virgo, cuius mors non paruum dolorem Congregationi attulerat, loquens Dominus ad ipsam sanctam Gertrudem, de eâ dixit: *Quando aliqua vestrûm suauitatem morum defunctæ recolens, cuperet eam adhuc habere præsentem, si tunc illam voluntati meæ offert, adhibet naribus meis lilium suauissimi odoris; & hoc ego illi secundùm pietatem meam cum centuplicato fructu rependam.*

Magni meriti est, offerre Deo dolores ex morte amicorum.

Beatæ Mechtildi ait Dominus: *Qui aliquod grauamen, vel dolorem etiam permodicum, tali intentione perfert, vt proponat pro amore & laude nominis mei libenter maiorem dolorem sustinere, si id mihi placeret: is quantumcumque aridum & peccatorum rubigine obductum cor habeat, in ipsâ horâ reuirescit, & gratiæ meæ capax efficitur. Si homo afflictus mox in initio grauamen suum mihi offerret, ego inde bibens redderem illud dulce, ac mirè nobilitarem. Sed dum ipse ex eo prior bibit, inficit illud; & quantò plus bibit, tantò magis amaricatur, ita vt iam me inde bibere non deceat, nisi pœnitentiâ vel confessione purgetur. Itaque dum quis iniuriâ aliquâ afficitur, non impatienter conqueratur hominibus, multa inde loquendo: sed statim mihi præsentet suum grauamen, vt ego dulcedinem consolationis meæ illi infundam, eumq́; ad patientiam animem. Si tamen hoc in initio facere neglexerit, non propterea diffidat, sed illud pœnitentiâ purgatum, humili spiritu & contrito corde mihi offerre studeat.* 8.

Dolores nostros Deo propinemus, vt prior gustet, & post de manu eius omnia accipiamus. Lib.4. Spir. gratiæ c.13. & 26.

Quidam Patrum dicit: *Si iniustè argueris, humilia te, & patientiam serua: si verò iustè corriperis, multò magis tunc humilis ac patiens esto, & paratam voluntatem te corrigendi habens, tranquillus permane.* Cur, quæso, turbaris, quando iste vel ille multa, quæ nec cogitasti quidem, tibi obiicit, & male de te loquitur? Recordare Domini tui Iesu Christi, qui maledicta sine causâ in se congesta, patientissimè benignissimeque tulit. Vide ne pax cordis tui dependeat ex linguâ vel arbitrio hominum. Certè Deus volens hominem electum purgare & exornare, plerumque permittit, vt etiam illi qui boni creduntur, & de quorum fidelitate electus homo maximè confidebat, sibi sint valdè contra- 9.

Correptio quamuis aut etiam calumnia velut à Deo immissa aut permissa, cum resignatione, humilitate ac patientia admittatur.

contrarij in his quæ rectè facit. Quidquid accidat, quidquid molestiæ tibi interatur, refuge semper ad Dominum Deum tuum, & in eo te absconde, atque omnia de paternâ manu eius suscipe. O quàm iucundam vitam ageres, si cor tuum in Deo solidatum firmatumque esset!

10\. *Tribulationes ita sunt cum patientiâ ferendæ, vt tamen non facilè à Deo extorqueamus vnâ crucem pro aliâ.*

Cùm virgo Gertrudis commiseratione mota, oraret pro quadam personâ quam audierat impatienter conquerentem, quòd Deus grauamina sibi immitteret saluti suæ minùs conuenientia; respondit ei Dominus: *Dices illi pro quâ oras, vt quia sine aliquâ saltem tribulatione vel molestiâ regnum cæleste obtineri non potest, eligat atque indicet quænam grauamina sibi vtilia esse putat: & cum hæc ipsi euenerint, seruet patientiam.* In quibus verbis Domini Gertrudis intellexit, periculosissimum genus impatientiæ esse, quando homo peruersè ac superbè eligere vult quę ferat: dicens, saluti suæ minùs congruere, seque non posse sustinere ea grauamina, quæ sibi à Deo immittuntur. Oportet enim vt quilibet semper confidat, illud conuenientissimum & vtilissimū esse, quod sibi Deus imponit, aut euenire permittit: & quando hoc non omnino patienter sustinet, inde seipsum humiliare debet.

11\. *Nota vtilē methodum, patientiæ; quia est illustris & benè obseruanda in tribus illis modis.*

Quædam vitæ sanctissimæ virgo, cuidam percontanti, quomodo ipsa ad perfectionem pertigisset, dixit: [1] [a] *Omnem aduersitatem æquanimiter de manu Domini suscepi.* [2] *Et quisquis me aliquâ iniuriâ molestiâve affecit, huic ego speciale beneficium rependere curaui; quod minimè fecissem, nisi ab eo læsa*

1\. *fuissem.* [3] *Nulli, nisi Deo, grauamina mea que-*

2\. *sta sum: vnde & è vestigio consolationem*

3\. *corroborationemq́; ab eo accepi.*

12\. *Alia patientiæ methodus.*

Altera etiam eximiæ sanctitatis virgo, interrogata, quibus exercitijs ad perfectionem peruenerat, humiliter respondit: *Numquam ita doloribus & pressuris obruta fui, quin maiores pro Dei amore perferre expeterem, indignam me illis ipsis tam præclaris Dei donis iudicans.*

13\. *Resignatio sui in afflictione, quādo Deus ob causas subtrahit consolationis gratiā.*

Alia quoque virgo, ineffabili pressurâ Dei permissione correpta, cruciatus infernales sibi sentire videbatur. Et cùm ita diu fuisset afflicta, tandem toto corde ad Deum conuersa, dixit: [b] *Dulcissime Deus, memor, quæso, esto, benignèq́; considera, me pauperem creaturam tuam esse, te verò Dominum & Creatorem esse meum. Ecce, ego me in æquissimum iudicium tuum offero, & gratissimæ voluntati tuæ integrè resigno, parataq́; sum sustinere hunc infernalem cruciatum quamdiu tibi placuerit: vtere me sicut vis in* * *tempore atque æternitate.* Hac resignatione factâ, mox Dominus virginem illam sibi vniuit, & in amabilem Diuinitatis suæ abyssum feliciter immersit.

* Modò tibi per gratiam adhæream, & ab eâ non diuellar.

14\. *Consolatio sæpè vtiliter subtrahitur.*

Deus cuidam amico suo mira per internam illuminationem reuelabat: sed is orabat Dominum, vt si ei placeret, auferret ab ipso huiusmodi gratiam. † Itaque Dominus, subtractâ illâ gratiâ, per quinquennium dereliquit eum absque consolatione in magnis tentationibus, angustijs atque calamitatibus. Et cùm aliquando vehementer fleret, duoque Angeli eum consolari vellent, dixit se nullam consolationem petere, sed abundè sibi sufficere, si gratissima Dei voluntas in se perficeretur, & ipse coram Deo purus intrinsecus esse, eique placere posset.

15\. *Pœnæ omnes in voluntate inordinatâ consistunt, & nemo læditur nisi à semetipso, seu à prauâ suâ voluntate.* Tract. 1. cap. 45. & Tract. 2. c. 131.

Dixit Dominus ad sanctam Catharinam: *Volo te nosse, quòd omnes pœnæ, quibus homines in mundo affliguntur, in voluntate consistunt: quia si voluntas esset ordinata, & concors cum voluntate meâ, careret quodammodò pœnâ. Quamuis enim is, qui hac sanctâ ordinataq́; voluntate præditus est, sentiat laborem ac dolorem, quidquid tamen amore mei sponte patitur, quasi sine pœnâ portat. Libentissimè enim illud sustinet, considerans & sciens, meam esse voluntatem atque permissionem, vt patiatur. Mens eius in quouis dolore corporali libera est, cùm voluntas ipsius in omnibus sit conformis & vnita voluntati meæ. Omnino ex voluntate procedit & dependet afflictio siue pœna: quia homo affligitur vel habendo quod habere nollet, vel non habendo quod vellet habere. Igitur ablatâ voluntate propriâ, spiritus hominis tranquillus est & pace gaudet.*

a Conformitatem istam voluntatis nostræ cum diuinâ, & rectæ puræque intentionis vtilem ac suauem praxim in sustinendâ quacumque aduersitate, & hoc exemplo & sequenti ex Blosio & alijs aliunde adductis, egregiè, more suo, illustrat R.P. Alfonsus Rodericius parte 1. tract. 8. cap. 8. Vide etiam eumdem de præcedenti reuelatione factâ S. Gertrudi, ibidem cap. 14.

b Hanc orationem in Aeternitatis prodromo cap. 2 recitat R.P. Ieremias Drexelius, vbi aliæ eiusmodi orationes piæ pro conformitate & resignatione voluntatis nostræ in diuinam reperiuntur. Vide de hoc & præcedenti exemplo eiusdem Heliotropium lib. 4. cap. 1. §. 3.

† Pro illâ illustrissimâ resignatione in desolatione Orationis, hoc & alia citat R.P. Alfonsus Rodericius Exercitij perfectionis parte 1. tract. 8 cap 29. Vide etiam R.P. Ieremiam Drexelium Heliotropij lib. 4. cap. 1. §. 1. Vide eumdem ibidem cap. 5. §. 3. de sequenti exemplo S. Catharinæ, quod est in resignatione voluntatis nostræ in diuinam valdè excellens.

CAPVT XI.

De fiduciâ in diuinam prouidentiam, & perfectâ resignatione.

1\. *Prouidentia Dei omnia in bonum salutis nostræ dispensat.*

2\. *Ideò totos nos Deo permittere debemus, & illius dumtaxat beneplacitum in omnibus eligere.*

3\. *Clauis propriæ voluntatis Deo resignanda.*

 4. Pro-

4. Propria voluntas diuinæ voluntati submittẽda.
5. Plena fiducia in Deum cum humilitate & innocentiâ coniungi debet.
6. Multùm Deo placet, qui in ipsius benignitate plurimùm confidit.

1. *Omnia in salutem nostram dispensat diuina prouidentia.* Tract. 2. c. 138.

EADEM virgo Catharina aliquando in ecstasi posita, videbat & perspicuè cognoscebat, quòd Dominus Deus, qui est summa bonitas, ex ineffabili charitate hominem creauit, quodque in eadem charitate & amoris flagrantiâ omnia homini præstat, sibi euenire permittit, videlicet consolationes & tribulationes; donans has & illas, vt hominis saluti prouideat, non alio respectu. Vnde multùm cæci atque insipientes sunt, qui opera vel iudicia Dei reprehendunt, & scandalizati perturbatique propter illa quæ eueniunt, murmurant aduersus Deum. Beati verò sunt, qui sanctam Dei prouidentiam intelligentes, atque credentes, omnia de paternâ manu Domini humiliter tamquam optima recipiunt, & pro illis gratias agunt, firmiterque in Deo semper sperant & confidunt.

2. *Resignationis bonum.* Lib. 3. Insin. c. 33.

Sancta Gertrudis audiuit à Domino, piam quamque & fidelem animam debere propriam voluntatem suam Deo funditus resignare, plenè se committendo beneplacito illius, & indubitanter confidendo de benignissimâ pietate eius, quòd ipse in omnibus suam operari velit salutem. ª Hinc cùm ei aliquando appareret Iesus sponsus amabilis, ferens in dexterâ suâ sanitatem, & in sinistrâ infirmitatem, monensque vt eligeret quam vellet, ipsa ab vtrisque manibus Domini se auertens, dixit: *Domine, ego toto corde desidero, vt non meam voluntatem respicias, sed tuum beneplacitum in omnibus perficias.* Prorsus qui Deo placere desiderat, tam securâ confidentiâ se totum & omnia sua diuinæ dispositioni committere debet, vt etiam amet nescire quid circa ipsum Dominus agere velit, quò puriùs diuinæ voluntatis beneplacitũ in se sciat esse perfectum.

3. *Offerẽda est Deo, velut omniũ Domino, clauis seu potestas cordis & propria voluntatis.* Lib. 4. Insin. c. 23. & 31.

Dixit ad eamdem virginem Gertrudem Dominus: *Qui vult vt ad ipsum liberè veniam, debet mihi clauem propriæ voluntatis resignare. Quòd si ex humanâ fragilitate contigerit eum resumere clauem mihi consignatam, perficiendo in aliquo voluntatem propriam; hoc statim per pœnitentiam diluat, suamq; voluntatem iteratò mihi resignet; & suscipiet eum dextera misericordiæ meæ, deducetq; cum inæstimabili honore ad regnum claritatis æternæ.*

4. *Propria hominis voluntas Deo subijcienda.* S. Aug. sup. citatus.

Beatus Augustinus ait: *Potest homo aliquid proprium velle, Deo aliud volente. Conceditur hoc humanæ fragilitati, conceditur humanæ infirmitati. Difficile est, vt non tibi contingat aliquid proprium velle. Sed cogita Deum supra te esse, te infra illum; illum Creatorem, te creaturam; illum Dominum, te seruum: & te corrigens, voluntatemq; tuam voluntati eius subijciens, dic cum Christo: Non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater.* Matth. 26.
Ita enim non distortus, sed rectus corde eris. Vnde sancta Gertrudis diuinitus inspirata, legit aliquando * trecentis sexaginta quinque vicibus hæc verba Euangelica: *Non mea, sed tua voluntas fiat, amantissime Iesu.* quod etiam sensit Domino plurimùm placere.

* Tot sunt dies in anno. Lucæ 22.

5. *Plena in Deum fiducia.* Lib. 3. Insin. c. 7.

Legimus de eadem virgine Gertrude, ᵇ quòd neque pericula, neque tribulationes, neque damna rerum, neque impedimenta alia, sed nec delicta quidem vel defectus proprij, constantem securamque confidentiam, quam ad benignissimam Dei misericordiam retinebat, vmquam in illâ obscurare potuerint. Certissimè enim confidebat, tam aduersa quàm prospera omnia, sibi in bonum diuinâ prouidentiâ conuerti. Et huic virgini Dominus aliquando dixit: *Secura illa confidentia, quam quis erga me habet, credens me reuerà posse, scire & velle sibi in omnibus fideliter adesse, transuulnerat cor meum, tantamq; vim facit pietati meæ, vt nullatenus possim huiusmodi homini abesse vel deesse.*

6. *In Dei benignitate humiliter confidendũ.* Lib. 3. Spir. grat. c. 4.

Ad sanctam Mechtildem ait Dominus: *Mihi valdè gratum est, vt homines in bonitate meâ confidant, & de me præsumant. Nam quisquis in me humiliter confisus fuerit, ac mihi benè crediderit, ego & in hac vitâ illi adero, & post mortem supra omne meritum ei benefaciam. Quantum quis mihi credere, & de bonitate meâ piè præsumere potest, tantum & in infinitum ampliùs obtinebit: quia impossibile est hominem non percipere, quod sanctè credidit & sperauit. Ideoq; vtile homini est, vt magna sperando à me, mihi benè credat.* Ipsi verò Mechtildi quærenti à Domino, quidnam potissimùm credere deberet

ª Multa & pulchra pro hac & sequenti reuelatione, quæ est nobilissima indifferentia voluntatis in Deum ad omnia resignatæ, inueniet pius Lector apud R. P. Ieremiã Drexelium Heliotropij lib. 1. cap. 1. qui addit, S. Gertrudem trecenties sexagies quinquies Orationem iaculatoriam quotidie pro istâ indifferentiâ recitare solitam: quod in praxim Rosarioli resignationis propriæ voluntatis à pijs viris iam redactum est. Ex hac eadem reuelatione hortatur infirmos ad indifferentiam R. P. Alfonsus Rodericius Exercitij perfectionis parte 1. tract. 8. cap. 7. & 18. Vide eumdem ibidem cap. 14. & R. P. Cornelium à Lapide super Threnos Ieremiæ c. 3. v. 39. *Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis?*

ᵇ De quatuor istis reuelationibus S. Gertrudi à Deo factis, & variâ praxi omnimodæ indifferentiæ ad diuinam voluntatem, cum fructu consulet pius Lector denuò R. P. Ieremiam Drexelium, præter antè dicta in Amussi lib. 2. c. 8. §. 2. & Heliotropio lib. 4. cap. 1. & R. P. Alfonsum Rodericium Exercitij parte 1. tract. 8. c. 12. Adeundus etiam R. P. Antonius Sucquetius Viæ vitæ lib. 3. cap. 21. facie 761. & R. P. Cornelius à Lapide super 1. Pet. 5. v. 7. *Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum, quia ipsi est cura de vobis.*

de

de ineffabili ipsius bonitate; respondit Dominus: † *Certò fide crede, quòd ego te post mortem suscipiam, sicut pater filium suum charissimum, quodq; nullus vmquam pater tam fideliter cum vnico nato suo hereditatem suam diuisit, sicut ego omnia bona mea & meipsum tibi communicabo. Quicumque hoc de bonitate meâ firmiter & cum humili charitate crediderit, beatus erit.*

† Hanc filialem fiduciam erga paternam Dei de nobis curam ac prouidentiam, citat & variè exornat R.P. Alfonsus Rodericius Exercitij perfectionis parte 1. tract. 8. cap. 10. & R.P. Cornelius à Lapide in Ieremiâ loco paulò ante citato.

CAPVT XII.

De felici morte.

1. *Morituris seruis suis adest Dominus, quasi sollicitus ne perdat, quod ipsi charum est.*
2. *Idem ostenditur.*
3. *Mirabilem fiduciam præstat Deus sanctis mentibus contra mortis timorem.*
4. *Indifferentia piorum siue ad vitam, siue ad mortem, prout Dei gloria magis expedit, acceptanda.*
5. *Mors piorum somnus est, impiorum verò introitus dumtaxat ad veram mortem.*
6. *Contra mortis metum armet se pia conscientia dulcibus Christi promissis, Sanctorumque exemplis.*
7. *Moriturus muniat se 1. Sacramentis: 2. Precibus Sanctorum: 3. Meritis Christi: 4. Perfectâ resignatione in beneplacitum Dei.*
8. *Vtilius est, magisque suadendum morienti vt exerceat actus charitatis quàm retractationis peccatorum.*
9. *Verba piæ fiduciæ morientium auribus ingerenda.*
10. *Sancta Maria & omnes Sancti cultoribus suis morituris auxiliaturi assistunt.*

1. *Iustis, qui benè vixerunt, morituris adest Dominus. Lib. 1. Spir. grat. c. 44. Nota.*

ORABAT aliquando eadẽ virgo Mechtildis pro quadam piâ personâ, dicens: *Amantissime Deus, rogo te, vt in extremis eius purges eam, donecq; ei securitatem & fiduciam perueniendi ad te.* Ad quod Dominus: *Quis prudens merces suas, & bona iam ad portum perducta, sponte in mare abiiceret? Ego igitur vbi animam eius, quam inter varias tempestates sæculi custodiui, ad portum vitæq; terminum deduxero, & de eâ secundùm beneplacitum meum disposuero, etiam cum gloriâ illam assumam.*

2. *Similis consolatio. Lib. 4. Spir. grat. c. 14.*

Rursum orans Mechtildis Deum, vt & alteri cuidam feminæ pietati deditæ in extremis vitæ adesse, certitudinemque secum manendi dare dignaretur, tale accepit responsum à Domino: *Qui sapiens est, aurum cum labore acquisitum, sibiq; valdè charum, non proijcit. Et ego illam, pro quâ tu oras, humanitate meâ sanctificatam, atque spiritu meo in Baptismate viuificatam, in æternum non derelinquam.*

Hæc ipsa virgo Mechtildis, colloquens cum Domino, ait: *Quid est, dulcissime Deus, quòd, dum ego me morituram cogito, paruam aut nullam inde lætitiam concipio, cùm tamen plurimi magno cum gaudio & desiderio horam illam præstolentur?* Respondit Dominus: *Hoc fit dispensatione meâ: quia si tu mori desiderares, in tantum cor meum diuinum desiderio tuo alliceres attraheresq;, vt tibi, quod cuperes, negare non possem.* Et illa: *Quid item est, quòd ego, licet miserabilis, dum me morituram recordor, non expauesco, cùm tamen quandoque valdè perfecti mori timeant?* Cui Dominus: *Quare timeres tu, quæ cor meum in pignus æterni fœderis, & in domum refugij sempiternamq; habitationem accepisti?* 3. *Fiducia puram mentis in morte, est singulare Dei donum. Lib. 1. Spir. grat. c. 35.*

Beata Gertrudis ex firmâ confidentiâ, quam erga Dei bonitatem habebat, sæpenumerò mori desiderabat; & rursum diuinæ voluntati ita erat vnita, vt æquè parata esset adhuc viuere sicut mori, iuxta Dei beneplacitum. Ipsa itaque aliquando iter faciens, cùm conscenso monte quodam ad decliuiora loca decidisset, exhilarata in spiritu dixit ad Dominum: *O bone Iesu, quàm benè mecum ageretur, si casus iste mihi dedisset occasionem celerius ad te perueniendi!* Et his qui aderant percontantibus, an non formidaret mori, non munita Sacramentis, respondit: *Ego* * *quidem toto corde opto salutiferis Sacramentis muniri antequam moriar: verumtamen ipsis confidenter præfero Domini Dei mei prouidentiam, ac voluntatem: & siue subitâ, siue prolixâ morte ille me hinc exire voluerit, voluntas eius mihi grata erit. Nam qualicumque obitu ex hac luce migrauero, spero Dei misericordiam numquam mihi defuturam, sine quâ salutem consequi nequeo.* Hinc eadem Gertrudis ante mortem suam allocuta est Dominum verbis huiusmodi: *Quamuis, Domine mi, præ omnibus delicijs mihi optabile & iucundum sit, vt è carcere carnis educta, tibi adiungar: si tamen velles me hîc manere, eligerem vsque ad diem iudicij in extremâ miseriâ ad laudem nominis tui degere.* Quam voluntatis resignationem Dominus declarauit sibi gratissimam esse. 4. *Pia & resignata indifferentia ad vitã aut mortem, per æquilibrium voluntatis in vtramque partem. Lib. 1. Insin. cap. 71.*

* Ex vsu & præscripto Ecclesiæ, morituri Sacramentis muniuntur, quãdo fieri potest; at quando id fieri non potest, tunc defectũ Sacramentorum supplere debet, vt potest, plena in Dei voluntatem resignatio.

Christus dixit ad Birgittam de quadam infirmâ: *Noli timere filia, non morietur ista, cuius opera mihi placent.* Cumque illa esset defuncta, iterùm ait Filius Dei: *Ecce, charissima, verum est quòd dixi: neque enim ista mortua est, sed viuit, quia gloria eius magna est. In his qui iusti sunt, separatio animæ à corpore non est nisi somnus, quia ipsi euigilant in æternâ vitâ. Illa verò dicenda mors est, quando anima à corpore separata, viuit in æternâ morte atque damnatione.* Qui amat prosperitatem mundi, & non agit gratias 5. *Mors pijs somnus est; at impijs initium est & ianua omnium in æternitate dolorum.*

Deo,

Deo, & dissolutè viuens moritur in voluntate peccandi; is malè moritur, etiamsi tranquillam mortem habeat. Qui verò diligit Deum toto corde, etiamsi multis modis affligatur, & longâ infirmitate grauetur, & horrendâ, cruciabili atque despectâ morte è corpore exeat; is viuit & moritur feliciter: quia tribulatio & mors aspera in electis minuit vel dissoluit pœnam peccato debitam, & auget coronam. Malè mori non potest, qui benè viuit.

6. *Contra mortis metum cogitanda promissa Christi.* Lucæ 2.

Omnino mors iustis est portus quietis, vt ait beatus Ambrosius. Hunc portum aspiciebat sanctus Simeon, quando tenens puerulum Iesum, & desiderans iam liberari atque educi è carcere corporis, dicebat: *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace.* Sed aliquis fortè ad horam mortis adductus, dicit se non esse iustum, nec posse aut debere sperare quod iusti sperant. Qui hoc dicit, credat in Christum qui iustificat impium, & humilis bonæque voluntatis sit: ita enim per fidem ac veram dilectionē coniunctus Deo, iustus gratiâ Dei erit. Quòd si pius homo, ob ipsam mortem imminentem, sentit se ex infirmitate contristari ac trepidare; huiusmodi tristitiam & formidinem proijciat in Deum, eique se resignet, ac certam spem erga eum concipiat. Vt autem faciliùs mitiget metum mortis, reuocet ad memoriam verba Vnigeniti Filij Dei (qui est æterna Veritas) dicentis in Euangelio, *Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* (Ioan. 11.) Ruminet item hæc verba Pauli Apostoli: *Siue viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur: siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus.* (Rom. 14.) Penset etiam quàm voluntarij ad moriendum fuerint antiqui iusti cùm nondum ianua regni cælestis esset aperta.

Et resignatio Sanctorū ad mortem, etiam ante portā cœli, per Christi passionem, reseratam. Deut. 32.

Vnde legimus in fine Deuteronomij, quòd cùm populus Israëliticus iam vicinus esset terræ promissionis, Dominus dixerit ad Moysen qui populum illum ducebat: *Ascende in montem Nebo, & vide terram quam ego tradam filijs Israël. Videbis terrā, & non ingredieris in eam, sed iungêris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus est populis suis: quia præuaricati estis contra me in medio filiorum Israel, ad Aquas contradictionis.* Vbi mox diuina Scriptura subiungit hæc verba: *Ascendit ergo Moyses super montem Nebo, mortuusque est ibi, iubente Domino.* (Deut. 34.) Ecce quàm resignato animo iuxta beneplacitum Dei mortem excepit Moyses amicus Altissimi. Non transiuit quidem ad terram illam visibilem: sed in inuisibilem & meliorem receptus est, videlicet in * secretum sinum pacis & limbum, in quo iustorum animæ in magnâ tranquillitate requiescebant. Si antiqui tam parati fuerunt mori, nos certè modò quando per Christum aditus patriæ cælestis reseratus est, non inuoluntariè debemus mortem sustinere.

*Limbus patrum, seu sinus Abrahæ erat receptaculum sanctorum morientium in vetere Testamento; Lucæ 16.

7. *Moriturus quid agat.*

Moriturus quisque retineat firmiter Catholicam fidem, & sanctè suscipiat Sacramenta Ecclesiæ, si ea obtinere potest: ac meritis Iesu Christi magis quàm suis innitatur. In precibus & pietate beatæ Mariæ virginis aliorumque Sanctorum satis confidat. Crucifixi Iesu imaginem sibi ante oculos statuat, & ineffabilem illam charitatem, quâ Dominus noster pati morique voluit, memoriâ repetat, atque ita se totum in patentia & cruenta illius Vulnera demittat ac reclinet, obsecrans eum, vt in eisdem sacris Vulneribus omnia sua peccata delere dignetur. Offerat seipsum Domino ad perferendum pro eius gratissimâ voluntate, ex vero amore, omnem languoris acerbitatem, atque ipsam mortem, & quidquid Dominus ei in tempore [a] & æternitate immittere voluerit. (Psal. 115.) Si ita egerit, si seipsum ex integro diuinę voluntati resignauerit, humiliter, amorosè & plenè confidens in immensâ Dei misericordiâ ac bonitate, fieri non poterit vt malâ morte moriatur. Mors eius erit pretiosa in conspectu Domini, (Psal. 115.) etiamsi ipse solus omnia totius mundi peccata commisisset. Quilibet talis morte præsente meritò gaudere debet, quòd pulcherrima anima ipsius (quæ est purus, rationalis ac Deiformis spiritus) absoluetur ab hoc misero grauique carcere, vt deinceps sine impedimento fruatur suâ beatitudine. Nullum omnino vtilius exercitium homo in extremis habere potest, quàm vt liberè sese voluntati Dei permittat, atque ex purâ dilectione ad eum conuersus, benignitati illius firmiter confidat.

8. *Quæritur, vtrùm peccata condonata particulariter in morte recogitanda, an potiùs actus amoris & resignationis amorosæ exercendi.*

[b] Quidam Dei amicus interrogatus, quidnam morti proximus facere vellet, si multo tēpore in grauibus peccatis vixisset, respondit: *Si quadraginta annis semper in peccatis vixissem, & tempore resolutionis meæ instante, peccata mea purè confessus essem, atque cum perfecto amore ex fundo cordis mei saltem spatio vnius Salutationis Angelicæ meip-*

a Hæc est resignatio perfectorum, offerentium sese Deo ad omnia, quæ, saluo gratiæ statu, etiam in alterâ vitâ ab ijs subiri volet.

b Hominem moriturum per varias praxes similes hisce Blosianis docet & solatur R.P. Ieremias Drexelius toto suo Aeternitatis Prodromo, & hunc 8. ac 9. §. cum egregio Blosij elogio profert cap. 1. §. 45. De tempore autem quo contritio in vitâ & morte & post mortem durare debet, disputant Scholastici apud D. Thomam 3. parte Supplemento q. 4. a. 1. 2. 3. vbi monet D. Thomas, ob actus pœnitentiæ non esse omittenda officia aliarum virtutum magis necessaria.

sum

sum in Deum ita recipere possem, vt reuerà totus ad ipsum conuersus, & ab omni peccato auersus inuenirer: tunc nimirum sicut purus atque innocens [a] *ex hac luce migrarem. Si verò non nisi vnum peccatum admisissem, & contritus, dolens, mærensq; post confessionem ritè factam hinc exirem: tunc vtique* [b] *sicut pœnitens morerer.*

9. *Verba morientium auribus ingerenda, ad excitandam spem.* Dominus quibusdam amicis suis reuelare dignatus est, quòd verba illa quæ mox subjiciemus, morientium auribus ingesta, & coram eis recitata, vel ab eis piè prolata cogitatáve, miræ virtutis sint: adeò vt nullus fidei Catholicæ cultor perire possit, si in extremis constitutus, vero integroque corde ea verba humiliter [c] pronuntiare, aut apud se reuoluere potuerit. Sunt autem ista: *Domine Deus, ego sum miser ille, quem tu pro paternâ bonitate tuâ creasti, & per ignominiosissimâ mortem Vnigeniti tui de potestate inimici redemisti: tu solus imperium & dominium in me habes, meq; saluare potes secundùm immensam misericordiam tuam, in quâ spero & confido.*

10. *Sancti cultoribus suis morientibus adsunt. Lib. 1. Spir. grat. c. 48.* Deipara virgo Maria ait ad virginem Mechtildem: *Ego omnibus, qui mihi piè & sanctè deseruiunt, volo in morte fidelissimè tamquam mater pijssima adesse, eosq; consolari ac protegere.* Similiter & alij Sancti indubitanter parati sunt in horâ mortis succurrere his, qui eos speciali deuotione venerantur & inuocant.

a Liber ab omni reatu, etiam pœnæ, si actus amorosæ conuersionis in Deum charitate sufficienti, ad delendam pœnam, informatus sit.

b Ob dolorem non tam sufficienti charitate informatum.

c Supponitur moriens verba ista ad Deum proferre ex fundo cordis verè contriti.

CAPVT XIII.

De pœnis Purgatorij.

1. *B. Virgo Maria aduocata est animarum Purgatorij. Lib. 4. Reuel. c. 138.* AVDIVIT † sancta Birgitta ipsam beatam Dei genitricem virginem Mariam dicentem: *Ego sum mater Dei, & mater omnium qui sunt in Purgatorio: quia omnes pœnæ quæ debentur purgandis pro peccatis ipsorum, per preces meas, qualibet horâ, aliquo modo mitigantur. Mater sum omniũ iustorum, & etiam omnium peccatorum emendare se volentium, quos defendere, & ab omni periculo salutis eripere non cesso.*

2. *Sancti Angeli fideles animas in Purgatorio solantur, & hoc horribili visione ostenditur. Lib. 8. Reuel. c. 48.* Sancti quoque Angeli (vt beata Mechtildis ait) animabus in Purgatorio detentis lumen cognitionis, subsidiumque & solamen præstant. Vnde sancta Birgitta vidit animam cuiusdam Regis, qui malè quidem vixerat, sed in vltimo vitæ articulo gratiâ Dei præuentus, ita apud se cogitauerat: *Væ mihi, quia nimis audacter semper offendi Creatorem meum! Vtinam mihi concederetur saltem vna horula, in quâ possem integrè conuerti ad Dominum, & ei gratias agere pro beneficijs ipsius! Magis me angunt peccata quæ contra Deum commisi, quàm dolor quem in carne meâ sentio. Etiamsi numquam ad cælum peruenturus essem, vellem tamen benignissimo Creatori & Redemptori meo seruire.* Hinc Christus iudex ait ad diabolum & ad Angelum animæ custodem: *Tu diabole turbabis hanc animam, sed tu Angele meus consolaberis eam, donec ad claritatem gloriæ perducatur.* Ipsi quoque animæ dixit: *Tibi permittitur vt ad Angelum sanctum respicias, & consolationem ab eo recipias, sisq; particeps Sanguinis mei, & orationum Matris meæ, atque Ecclesiæ sanctæ.* Itaque diabolus dicebat animæ quam cruciaturus erat: Quia venisti in manus meas, cibis bonisque malè acquisitis plena, ego te nunc euacuabo prælo meo. Tumque collocans caput Regis inter genua sua prælo similia, stringebat illud fortissimè, donec tota medulla cerebri in modum folij fieret tenuis. Deinde iterùm ait ad animam: Quia locus, vbi virtutes esse debuerant, vacuus in te est, illum ego implebo; atque ita inserens quasi fistulam follis in os Regis, insufflauit validè, adeò vt venæ & nerui Regis fœtido horribilique vento repleti, miserabiliter rumperentur. Rursum diabolus dixit animæ: Quia in subditos tuos (qui quasi filij tui esse debuerant) fuisti immisericors, & eos pupugisti, brachia mea

† Quæ hîc miranda adducuntur cap. 13. de Purgatorio, passim reperiet pius Lector in sanctis Patribus nominatim & verbatim citatis apud Scriptores controuersiarum modernarum, Bellarminum, Hosium, Coxium, Feuardentium, & alios; imò & apud ipsummet R.D. Blosium, partim in Colyrio, partim in Faculâ, partim alibi.

ser-

ſerpentibus ſimilia conſtringent laniabuntque te acerbiſſimè. Cùm autem ipſe diabolus iterans prædictas pœnas vellet eas aggrauare, vidit Birgitta Angelum Dei extendentem manum, & prohibentem, ne eas ſicut priùs aggrauaret. Ad hunc modum in qualibet pœnarum repetitione Angelus pœnas mitigabat. Anima verò poſt quamlibet pœnam eleuabat oculos ad Angelum, nihil dicens, ſed geſtu ſuo indicans ſe conſolationem ab eo accipere, ac citiùs fore liberandam.

3. *Anima in Purgatorio ſuſtentatur à bonâ voluntate quam in vitâ habuit.*

Apparuerunt beatæ Gertrudi aliquæ animæ purgandæ in ſpecie teterrimorum bufonum horribiliter in ſeipſis ardentium. Apparuit eidem & anima cuiuſdam militis ante annos quatuordecim defuncti, in figurâ immanis beſtiæ ſuper [a] os inferni conſtitutæ, & vni ſtipiti innitentis; quæ pœnas infernales in ſe recipiens, diriſſimè torquebatur. Intellexit Gertrudis, ſtipitem quo anima (ne in infernum rueret) ſuſtentabatur, deſignare bonam voluntatem, quam interdum (licet raiò) miles iſte adhuc viuens habuerat.

4. *Purgatorij tormenta atrociora ſunt, quàm quicquid homo in hac vitâ pati poteſt.*

Monachus quidam admodum pius, cùm in mentis exceſſu poſitus, vidiſſet tormenta Purgatorij, reuerſus ad ſe dixit: *Nulla hominis lingua exprimere, nulla æſtimatio concipere poteſt varietatem, multiplicitatem & grauitatem ſuppliciorum, quibus (me aſpiciente) purgandi ſubdebantur. Teſtis mihi eſt Deus, quia ſi quis me & cunctos charos meos affeciſſet omnibus iniurijs ac pœnis quæ poſſunt homini in hac vitâ irrogari, vel etiam occidiſſet, & viderem eum deputari tormentis à me conſpectis; ego millies (ſi fieri poſſet) mortem pro eius ereptione ſubire paratus eſſē,* [b] *adeò pœnæ illæ, quas in Purgatorio vidi, excedunt menſuram & modum cuiuſuis doloris, anguſtiæ, amaritudinis ac miſeriæ huius vitæ. Verumtamen qui ibi tam dirè cruciantur, paulatim ad tolerabiliora tormenta tranſeunt.* Hæc ille.

5. *Sacrificia & ſuffragia pro defunctis, ad leuandas pœnas Purgatorij.*

Vidit ſancta Gertrudis animam cuiuſdam viri monaſtici Ordinis, ſibi benè noti, quaſi ſedentem ad menſam quamdam mœrenti animo, & vultu deiecto, vtpote nondum purgatam, nec dignam quæ iucundâ contemplatione Dei frueretur: in quâ quidem menſâ præſentabantur omnia quæ pro eadem animâ fiebant in celebratione Miſſarum, in cantu Eccleſiaſtico, in orationibus, & alijs pijs operibus; atque ex his anima mirificè confortabatur. Dominus etiam propriâ benignitate & interceſſorum ſupplicatione permotus, aliqua ſemper addebat, quorum virtute anima illa plurimùm roborata releuataque lætabatur. Similiter & beata virgo Maria videbatur aliqua apponere, vt maiorem conſolationem reciperet anima, quæ, cùm adhuc eſſet in corpore, illam præcipuâ deuotione coluerat. Itidem quilibet Sanctorum, quibus anima aliquid ſpecialis venerationis exhibuerat in terris, nonnulla ſuper menſam adijciebat, prout ipſa anima corpori coniuncta, maiori vel minori deuotione ac labore promeruerat. Ex quibus omnibus eadem anima de horâ in horam magis magiſque ſerenata, cœpit etiam magis ac magis leuare oculos ad gratiſſimum lumen Diuinitatis: quod irreuerberato intuitu inſpexiſſe, eſt reuerà omnium grauaminum triſtem memoriam depoſuiſſe, & omnium bonorum omniumque gaudiorum abundantiam inueniſſe.

6. *Purgatorium amoris, ſeu deſiderij, in quo eſt pœna damni, ſed non pœna ſenſus.* Lib. 4 Reuel. c. 127.

† Beata virgo Maria apparens ſanctæ Birgittæ oranti pro quodam præclaræ virtutis & probatæ vitæ Eremitâ, cuius corpus exanime delatum erat in templum vt ſepeliretur, dixit: *Filia, huius Eremitæ amici mei anima, de corpore egreſſa, mox perueniſſet in cælum, ſi in morte perfectum habuiſſet deſiderium pertingendi ad præſentiam Dei eiuſq; viſionem: quod quia non habuit, detinetur nunc in Purgatorio deſiderij, vbi nulla pœna eſt, niſi ſolum deſiderium perueniendi ad Deum. Scito tamen ipſam introducendam in cæleſte m gloriam antequam corpus eius recondatur in terrâ.*

7. *Efficacia orationum pro defunctis.*

In die Reſurrectionis Dominicæ virgo Gertrudis aliquando orabat pro animabus in Purgatorio detentis, & mox plurimæ ad preces eius à pœnis liberatæ, atque ad refrigeria valdè amœna tranſlatæ fuerunt: quas cùm illa videret nondum euectas eſſe ad plenam beatitudinem, rurſum orauit, & ſtatim æternis gaudijs coniunctæ ſunt.

8. *Quanta ſit pœna dilatæ viſionis diuinæ, quā Theologi vocant pœnam damni,* Lib. 5. Spir. grat. c. 4.

Anima cuiuſdam iuuenis Comitis poſt mortem apparuit ſanctæ Mechtildi: à quâ interrogata, vtrùm pœnam aliquam ſentiret, reſpondit ſe nullam pœnam ſentire, niſi quòd amantiſſimum Deum ſuum non videret, quem ingenti & ineffabili deſiderio conſpicere cupiebat. Dicebat enim, quòd anima mole corruptibilis carnis adhuc grauata, multùm impeditur neceſſitatibus corporalibus, nunc comedendo, nunc dormiendo, nunc aliud faciendo, nunc cum

[a] Doctores quoſdam aſſerere, eumdem eſſe ignem Purgatorij & inferni, tradit R. P. Ioannes Præpoſitus in 3. parte D. Thomæ Supplemento q. 13. dubio 3.

[b] Ex omnibus antiquis Patribus vnus eligatur ſanctus Auguſtinus, ita de Purgatorio ſentiens in Pſalm. 37. ad 1. Cor. 3. *Quia dicitur,* Saluus erit, *contemnitur ille ignis: grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vitâ.*

† R. P. Ludouicus de Ponte de hac Reuelatione multa pia & pulchra meditatur parte 1. meditatione 36. puncto 2. & parte 5. medit. 34. puncto 1.

homi-

hominibus conuersando: sed anima pia quæ carne soluta est, quia Deum summum bonum iam magis cognoscit, inæstimabili eius flagrat desiderio. Doctores autem eximij asserunt, etiam hoc ipsum, quòd anima corpore exuta retardatur à visione Dei, esse admodum graue & molestum: sicut dicit Scriptura, *Spes quæ differtur, affligit animam.* Audiuit etiam Mechtildis memoratam Comitis animam canentem hæc verba: *Scio Domine, quia morti me tradidisti ad salutem, gaudium & consolationem meam.* Cui illa: *Quis te verba ista canere docuit?* Respondit anima: *Ea quæ ad laudem Creatoris mei pertinent, ego scio.*

Prou. 13.

9. *Mordet & rodit animas vermis conscientiæ, etiam in Purgatorio.* Lib. 5. Spir. grat. c. 9.

Eadem virgo Mechtildis aliquando in spiritu perducta est in hortum amœnissimum cælo vicinum, vbi erat copiosa multitudo animarum, quæ non aliam pœnam sustinebant, quàm vermem conscientiæ vnamquamque iugiter arguentis, quòd benignissimo atque dulcissimo Deo suo fidelis non fuerat, vnde & ad eum post mortem absque impedimento peruenire non promeruerat. Qui quidem vermis animam non deserit, donec illa intret in plenum gaudium Domini sui. Orante igitur ipsâ Mechtilde, euolarunt prædictæ animæ cum magnâ exultatione ad gloriam beatitudinis æternæ. Et cùm deinde Dominus ostenderet eidem Mechtildi tormenta Purgatorij, ipsa rursùm orauit, & mox multæ animæ è pœnis translatæ fuerunt cum gaudio in amœnum illum hortum.

10. *Nihil inquinatum intrat cælum; ideoque animæ non plenè purgatæ nolunt cum maculis cælum intrare, sed vltrò optãt ignem Purgatorij ex Dei iustitiâ subeundum.* Lib. 5. Insin. c. 8.

† Cùm quædam virgo monasterij beatæ Gertrudis, post iuuenilem ætatem in virtutibus sanctæ Religionis peractam, defuncta esset, vidit eam ipsa Gertrudis in magnâ luce & vario ornatu adstare Iesu Christo: quę tamen tamquam sponsa verecunda vultum demittens, nitebatur se subducere, non ausa leuare oculos ad gloriam diuinæ maiestatis. Hinc Gertrudis zelo pietatis ducta, dixit ad Dominum: *Eia benignissime Deus, quare hanc filiam tuam non suscipis inter suaues amplexus tuos, sed eam tamquam alienam tibi adstare permittis?* Ad quæ verba Dominus videbatur blandissimâ serenitate extendere dexteram suam, tamquam amplexaturus animam. At illa cum delicatâ quadam reuerentiâ subtrahebat se. Quod multùm admirans Gertrudis, ait animæ: *Quare subducis te amplexibus sponsi tam amabilis?* Cui illa: *Quia nondum plenè purgata sum, sed adhuc maculæ aliquæ me incompositam reddunt. Etiamsi omnino liber ad cælum accessus mihi pateret, ego tamen (dictante iustitiâ) metipsam sponte subtraherem, cùm sciam me tam glorioso sponso nondum conuenire.* Tum Gertrudis: *Et tamen videris iam quasi glorificata.* Ad quod anima, *Illam*, inquit, *beatitudinis gloriam, quam Sancti ex visione & fruitione Diuinitatis cum plenâ remuneratione obtinent, nulla anima meretur accipere, donec ab omni maculâ perfectè purgata, intret in gaudium Domini sui.*

Matth. 25.

11. *Optãt animæ in igne Purgatorij diuinam iustitiam in se partes suas agere, & pœnarũ satisfactionem exigere.*

Germanâ sorore prædictæ virginis in monasterio sanctæ Gertrudis defunctâ, (quæ & ipsa vitam piè religioseque transegerat) vidit similiter Gertrudis animam eius in loco admodum lucido mirificè exornatam consistere: cui etiam Dominus Iesus adstabat, & quinque Vulneribus suis sensus illius nouâ suauitatis dulcedine recreabat, eamque blandè consolabatur. Dixit itaque Gertrudis ad Dominum: *Cùm tu Deus totius consolationis huic tam amicabilem serenitatem exhibeas, quid est quòd ipsa mæstiori vultu grauamen internum prætendit?* Ad quod Dominus: *Ex hac meâ præsentiâ, anima quam cernis non nisi delectaměta meæ humanitatis* [a] *percipit; vnde & plenè consolari non potest: sed vbi à negligentijs præteritæ vitæ purgata fuerit, ego eam in præsentiâ iucundissimæ Diuinitatis meæ perfectè consolabor.* Et ista: *Numquid, Domine mi, miseratio tua non præualeret filiam tuam (cui ab infantiâ dederas pium cor & benignam voluntatem erga omnes homines) nunc absoluere ab omni negligentiarum impedimento?* Respondit Dominus: *Pietatem cordis eius, benignamque voluntatem abundantissimè remunerabo: sed oportet (dictante iustitiâ meâ) vt omnis macula priùs abstergatur.* Et quasi blandiendo tenens mentum puellæ, adiunxit: *In hoc sponsa mea libentissimè consentit iustitiæ meæ: quia cùm plenè purgata fuerit, gloriâ Diuinitatis meæ iucundissimè perfruetur.* Ad quæ verba Domini illa benigno vultu annuit. Posteà sanctâ Gertrude offerente sub Missâ pro eadem puellâ salutarem Hostiam, quæ à Sacerdote eleuabatur, dixit anima: *In* [b] *veritate certum esse experior, nullum, quantumlibet exiguum bonum, in homine carere remuneratione; nec vllam, quantumuis paruam culpam esse, quæ non purgari debeat ante vel post mortem. Quia enim sacram* [c] *Communionem libenter accepi, quando*

† Reuelationem hanc §. 10. & §. 11. adducit R.P. Cornelius à Lapide ad Apocalypseos cap. 21. §. 27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.*

a Hîc obserua, Dominum IESVM alijs in ordine ad beatitudinem viæ ostendere solam suam humanitatem, his etiam Diuinitatem. Et illam, incompletam seu inchoatam; istam, completam & perfectam posse vocari beatitudinem.

b Nihil erit impunitum aut irremuneratũ post hanc vitam.

c Hoc ex Augustino obseruent deuoti erga animas Purgatorij iuuandas; quia per ea quæ quisque gessit in corpore tam pro se quàm pro animabus meretur apud Deum iuuari per suffragia, quando ipse extra corpus erit in Purgatorio. Vide D. Augustinum tom. 4. lib. de Curâ pro mortuis gerendâ ad Paulinum cap. 1.

in terrâ viuebam, nunc magnum remedium obtineo de Sacramento altaris pro me oblato. Et quia tam benignam voluntatem ad omnes homines habui, modò multò citiùs iuuat me oratio pro me fusa. Insuper etiam æternam remunerationem expecto, quam in cælo recipiam. Sicque sursum ferri anima videbatur, subleuata precibus Ecclesiæ. Sciebat autem (vbi ad statutum terminum perueniret) Dominum cum coronâ gloriæ sibi obuiaturum, seque in gaudium æternum introducturum. Licet verò * purgandus quisque iustitiæ & voluntati diuinæ consentiat, non tamen amat pœnas suas: sed cuperet se ita vixisse, vt iam nihil in se esset puniendum & purgandum. Mauult tamen in Purgatorio perferre pœnas cum certitudine perueniendi ad Deum, quàm adhuc esse in hac vitâ cum periculo peccandi in Deum.

* Purgandus non amat pœnas, sed iustitiam Dei punientis.

CAPVT XIV.

De gaudijs paradisi cælestis.

1. *Animæ sanctæ in cælesti gloriâ plenæ sunt sapientiâ, quâ omnia vident in Deo: non tamen Deum comprehensiuâ visione cognoscunt.*
2. *Pulchritudo Angelorum, animarumque sanctarum, & horrenda dæmonum deformitas.*
3. *Numerus Angelorum sanctorum inenarrabilis.*
4. *Beati communicant inter se in omnibus bonis vnicuique peculiaribus: nec quidquam demit animarum beatitudini expectatio corporis.*
5. *In Deo sunt omnium rerum perfectiones, vnde haberi potest scala à pulchritudine & iucunditate creaturarum ad pulchritudinem excellentem Dei:*
6. *Cuius splendor, maiestas & amabilitas infinita est & incomprehensibilis: ob quam additur suspiratio deuota ad patriam cælestem.*

1. *Sanctorum animæ in cælesti gloriâ, omnia in Deo vident, quia, teste Gregorio Magno, omnia videntem vident.*

POST mortem cuiusdam virginis, sancta Gertrudis vidit animam eius in cælesti gloriâ exultantem: à quâ cùm multa admodum præclara audisset, dixit: *Quomodo hæc omnia nosti? tu enim adhuc in corpore constituta, sensum nimis simplicem habebas.* Illa respondit: *Inde noui vnde Sanctus quidam ait, Deum semel inspexisse, est omnia didicisse.* Similiter in Reuelationibus beatæ Birgittæ, Deipara virgo Maria alijque cæli ciues frequentissimè dicunt se omnia in Deo videre & scire. Profectò Sancti in cælo cognoscunt perfectè veritatem: cognoscunt rerum omnium naturas: vident & sciunt quidquid ad totius mundi ordinem decoremque pertinet. Hinc beatus Gregorius ait: *Animæ sanctæ in cælo, quia intus claritatem Dei vident, nullo modo credendum est aliquid foris esse quod ignorent.* Et quarto libro Insinuationum diuinæ pietatis siue Reuelationum sanctæ Gertrudis, capite vigesimo octauo habetur, quòd ipsa virgo Gertrudis viderit se præsentari Deo indutam tunicâ quadam, in quâ distinctè annotata erant singula quæ ipsa in Religione benè vel malè cogitauerat, dixerat & fecerat: ita vt nec minimus quidem punctus cogitationum, intentionum, verborum & operum eius bonorum ac malorum latere posset, quem Deus & omnes Cælicolæ non perfectissimè cognoscerent in luce infallibilis veritatis. Vnde diuinitus intellexit, quòd cuiuslibet hominis status similiter pateat Deo & omnibus Sanctis per æterna sæcula. Igitur [a] quilibet spiritus beatus videndo essentiam Dei, videt cognoscitque omnia quæ concernunt perfectionem propriæ gloriæ, videt & cognoscit quidquid videre ac scire desiderat: non autem videt omnia quæ sunt & relucent in Deo. Nam si creatura cognosceret omnia quæ sunt in Deo, comprehenderet Deum, quod nullo modo fieri potest, cùm illa sit finita, Deus autem infinitus. [b] Vnde nec ipsa quidem creaturarum omnium beatissima, videlicet anima Christi, comprehendit Diuinitatem siue infinitam Dei essentiam. Ergo solus increatus Deus seipsum plenè comprehendit atque cognoscit. Ceterùm quò quis in cælo maioris meriti est, & Deum ardentiùs amauit, eò limpidiùs ipsum intuetur, & plura in eo cognoscit. Ibi gloriam Dei, quæ omnibus communis est, vnusquisque haurit pro suâ mensurâ, & quilibet plenus est.

S. Gregorius Papa lib. 4. Dialogo 33. & alibi.

Christus ait ad beatam Birgittam: *Dum visiones tibi ostenduntur, si videres pulchritudinem sanctarum animarum, vel sanctorum Angelorum sicuti est, cor tuum præ ingenti gaudio rumperetur. Si item videres dæmonem sicuti est, non posses viua tam horribilem visionem sustinere. Cernis autem spiritualia quasi corporalia, & animæ atque Angeli apparent tibi in similitudine hominum; quia spiritus tuus adhuc carne impeditus, aliter illa capere non posset.* Hinc ipse Dominus dixit sanctæ Catharinæ: *Benè meministi, quòd cùm aliquando tibi in ecstasi positæ, diabolum in propriâ figurâ velut in momento & ictu oculi demonstrassem, tu sensibus corporis restituta, potiùs eligebas per viam ignitam vsque ad diem iudicij nudis pedibus incedere, quàm rursum*

2 *Incomparabilis pulchritudo sanctarum animarum, & deformitas dæmonum.*

Lib. 2. Reuel. c. 18.

[a] Disputant Theologi piè apud D. Thomam 1. p. q. 12. art. 8. an in cælo ad perfectionem propriæ gloriæ plura scire aut debeat aut desideret Rex beatus, quàm Eremita beatus. Vbi est sententia Theologorum, Beatos videre in Deo omnia quæ ad præteritum suum statum pertinent, quod facit ad perfectionem gloriæ.

[b] Nulla in cælo aut terris creatura, ne quidem anima Christi, comprehendit Diuinitatem, vt docet D. Thomas 3. parte q. 10. art. 1. citans S. Augustinum lib. 83. qq. q. 14. & semetipsum 1. p. q. 12. art. 7.

illum

illum intueri. Et tamen adhuc ignoras quàm sit reipsâ horribilis, quem ita raptim vidisti. Tanta verò pulchritudo eſt etiam infimi ciuis regni cæleſtis, vt totius mundi ſenſibilis pulchritudo in vnum collecta, illi comparari nullatenus poſſit: claritas eius longiſſimè excedit meridianam viſibilis ſolis claritatem.

3.

Angelorum in cælo numerus numerari à nullo, niſi à Deo, poteſt; nec gloria & pulchritudo depingi.

Quarto libro Reuelationum ſanctæ Birgittæ capite vndecimo Deipara virgo Maria dicit ipſi Birgittæ, tantum eſſe numerum beatorum ſpirituum Angelicorum, vt ſi computarentur omnes homines ab Adam vſque ad vltimum in fine mundi naſciturũ, poſſent vnicuique homini deputari ad minus decem Angeli glorioſi. Diuinus etiam Dionyſius Areopagita † ſcribit, numerum ſanctorum Angelorum ſuperare omnem numerum rerum inferiorum. Pleri que tamen Patrum exiſtimant, non plures eſſe Angelicos ſpiritus in cælo, quàm erunt beati homines finito hoc ſæculo: ita vt æqualis futurus ſit numerus Angelorum & hominum beatorum. O! quàm iucundum erit conſpicere totum illum cæleſtem exercitum, & amabilem illam multitudinem, gratioſâ humilitate, ſuauiſſimâ charitate, ineffabili pulchritudine, perennique gloriâ refulgentem, ac ſingulos cæli ciues perfectiſſimè cognoſcere!

4.

Charitas Beatorum & communicatio in gaudijs; quia omnia communia, Tract. 1. cap. 41. & Tract. 2. c. 80. & 82.

Deus ad beatam Catharinam ait: *Multùm ordinatè prouidi ſuper cæleſtium ciuium & Angelicorum ſpirituum charitate in vitâ æternâ. Non enim volui vt quilibet guſtet ſolus proprium bonum quod à me recipit: ſed ordinaui, vt bonum vniuſcuiuſque participetur ab omnibus. Volui, vt in ordinatiſſimâ perfectiſſimâq; charitate maior guſtet bonum minoris, & è conuerſo minor bonum maioris. Ibi & magnus & paruus perfectè gaudet, perfectamq; conſolationem obtinet: quia omnes pleni ſunt pro menſurâ ſuâ & in gradu ſuo. O quàm fraterna eſt iſta charitas, & quàm vnita in me! Angeli cum ingenti lætitiâ communicant cum animabus beatis, & animæ beatæ cum ſanctis Angelis. Itaque omnes ſuauiſſimâ dilectione abundantiſſimè perfuſi, vltrà quàm intelligere poſſis exultant, mirabiliq; modo iubilando gaudent in me. Quilibet cæli ciuis videndo me Deũ æternum, videt gloriam & laudem nominis mei in Sanctis meis, & in bonis ſpiritibus Angelicis, & in omnibus alijs creaturis, atque etiam in dæmonibus. Veritatem clarè agnoſcit, & habet omnia quæ deſiderare poteſt. Semper ſatiatur, & tamen faſtidium numquã patitur. Quamuis autem offenſas peccantium cernat, nullum tamen neque inde neque aliunde quoquo modo dolorem habere poteſt, ſed habet compaſſionem abſque pœnâ, peccatores ipſos amando, & affectuoſâ charitate me iugiter exorando, vt mundo miſericordiam benignè exhibeam.*

Tam Angelorum quàm animarum beatarum.

Beatorum voluntas diuinæ voluntati vnita eſt; ideò habent quidem amoris compaſſionẽ ob peccata & damnationem hominum, ſed ſine pœnâ moleſti doloris.

Voluntas Beatorum voluntati meæ omnino vnita & conformis eſt. Vnde licet parentes adſpiciant filios ſuos in inferno damnatos, nullâ tamen compaſſione mouentur erga illos, ſed optimè contenti ſunt, videntes eos cruciari tamquam inimicos meos. Deſiderant quidem recipere corpora ſua: ſed nullatenus ipſos affligit huiuſmodi deſiderium, quod certiſſimè ſciunt aliquando fore implendum. Neque debes exiſtimare quòd poſt reſurrectionem, glorificatio corporis maiorem beatitudinem adſeret animæ: nam ſi ita eſſet, animæ quæ in cælo ſunt, quouſque reſumerent corpora ſua, beatitudinem haberent imperfectam, quod nullo modo fieri poteſt: neque enim illis deeſt aliqua perfectio. Itaque corpus non augebit ipſi animæ beatitudinem, ſed potiùs anima illam corpori conferet ex abundantiâ ſuâ. Oculus intellectus videre non ſufficit, nec auris audire, nec lingua exprimere, neque cor cogitatione comprehendere, quanta ſit beatitudo electorum meorum. O quale & quantum gaudium eſt, me clarè intueri, me dulciter amplecti, me perenniter frui, qui ſum ſummum & æternum bonum!

In Beatis item expectatio corporis nihil demit beatitudini animæ. 1. Cor. 2.

5.

In Deo ſunt omnia; & Deus eſt omne bonũ, Exodi 33.

Virgo quædam Deo familiariſſima plerumque dum in Deum eleuabatur, hæc tantummodò verba proferebat: *O Deus meus & omnia!* In Deo enim ſunt omnia, & Deus eſt omnia, qui omnia intellectualiter repræſentat. Ab æterno omnia fuerunt in Deo ſecundùm ideam: quia in Deo immutabiliter ſunt ideæ, ſeu intelligibiles formæ rerum omnium, & ipſa diuina eſſentia † eſt exemplar atque idea eorum omnium quæ creata & creanda ſunt. Quidquid enim creat, quidquid fecit & facturus eſt Deus, hoc vtique ex omni æternitate ab eo cognitum fuit, & ſempiternè in eius incommutabili ſcientiâ manet, atque in eo relucet. O quàm amabilis & deſiderabilis eſt Deus! Ipſe eſt lux, pulchritudo, pax, ſuauitas, dulcedo ac bonitas prorſus immenſa, inuariabilis & æterna. Miramur, & meritò quidem, ſolis ſplendorem, lunæ ſiderumque claritatem, cælorum ornatum, ordinem elementorum, animalium multiplicitatem, colorum varietatem, hortorum amœnitatem, florum elegantiam, graminumm foliorumq;

Gradatio à pulchritudine creaturarum vt riuulo, ad creatoris Dei pulchritudinem, vt fontẽ, iuxta Apoſtoli contemplationem ad Romanos c. 1. v. 20. Inuiſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur.

† Cæleſtis Hierarchiæ cap. 14. & citatur Pſalmus 68. Iob 25. Dan. 7. Apoc. 11. & aliæ ſacræ Scripturæ, ac ſancti Patres à Scholaſticis apud D. Thomam 1. p. q. 50. art. 3. vtrùm Angeli ſint in aliquo magno numero.

† Meditatio Theológica de hac re inſtitui poteſt ex D. Thomâ 1. p. q. 4. art. 1. & 2. vbi Scholaſtici Doctores allegant, Exodi 33. *Ego oſtendam tibi omne bonum.* & Pſal. 49. *Pulchritudo agri mecum eſt.* & Pſal. 93. *Qui plantauit aurem, non audiet?* & eiuſmodi alia; denique adferunt Rom. 11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

virorem, auri fulgorem, gemmarum præstantiam, corporum harmoniam, humanæ formæ & faciei venustatem: sed si inuisibilium creaturarum, nempe supernorum spirituum feliciumque animarum inenarrabilem pulchritudinem conspiceremus, iam præ admiratione deficeremus. Quantum ergo admirari atque amare debemus incomprehensibilem pulchritudinem Dei? † Nam rerum creatarum pulchritudines aliud prorsus non sunt, nisi riuuli quidam tenuissimi ab illâ summâ pulchritudine, tamquam ab originali fonte, promanantes. Miramur etiam auicularum cantus, & lyræ, psalterij, citharæ, organorumque musicorum suaues sonos; miramur eximiam dulcedinem & fragrantiam quam Deus indidit melli, vino, fructibus, virgultis, floribus, herbis, aromatibus: sed ipse Deus, à quo omnis illa dulcedo profluit, incomparabiliter & infinitè gratior atque suauior est. Melodia, odor, sapor, sunt in Deo modo quodam indicibili, superessentiali, verissimo atque perfectissimo. Planè quidquid dulcoris, decoris, excellentiæ, amabilitatis & perfectionis in creaturis sparsim ac finitè inuenitur, hoc in Deo collectim, simplicissimè, & cum infinitâ plenitudine est. Lux ista visibilis & claritas solis, comparata diuinæ luci, caligo est & tenebræ. Vnde & beatus Ioannes in
Apoc. 21. Apocalypsi dicit, ciuitatem supernam non egere sole, propterea quòd splendidissimâ, serenissimâ atque iucundissimâ claritate Dei illustretur: & ibi vna atque perpetua dies est, cui nulla nox succedit. Omnis item pulchritudo rerum creatarum comparata pulchritudini increatæ, deformitas dici potest. Sic etiam dulcedo & suauitas creaturarum comparata dulcedini & suauitati Creatoris, quasi amaritudo est. Similiter omnis opulentia, nobilitas, gloria, maiestas, excellentia, dignitas & perfectio huius sæculi, collata cum opulentiâ, nobilitate, gloriâ, maiestate, excellentiâ, dignitate & perfectione Dei, nihil est. Omnia quoque gaudia & delectationes quæ in hoc mundo percipiuntur, in comparatione purissimorum gaudiorum, perenniumque voluptatum quæ in cælo ex visione Dei ac societate Sanctorum habentur, sunt velut vna aquæ guttula cum toto Oceano collata. Itaque desideremus Deum nostrum, qui solus plenè nos satiare potest: amemus summum illud & incommutabile bonum, in quo sunt omnia bona: suspiremus ad beatam & æternam illam vitam, cui comparata præsens vita, mors potiùs dicenda est quàm vita. Et, heu! quàm imperfectè, quàm debiliter, quàm obscurâ & distractâ mente hîc laudamus Deum: at ibi perfecta sempiternaque laudatio est, vbi scilicet ardens, dulcis & stabilis est dilectio.

6. *Maiestas Dei & omnes eius perfectiones incomprehensibiles sunt.*

Felicissima virgo Gertrudis aliquando in spiritu intellexit, tantam & vsqueadeò incomprehensibilem esse lucem Diuinitatis, vt si quilibet Sanctorum, ab Adam vsque ad nouissimum hominem, tam altam & perspicuam cognitionem perciperet, quàm altam perspicuamque aliquis vmquam percepit, & alter cum altero in suâ cognitione non participaret, etiamsi millies numerosior esset multitudo Sanctorum, adhuc tamen ipsa lux Diuinitatis in infinitum superaret omnem intellectum. Idem omnino sentiendum est de pulchritudine, dulcedine & bonitate Dei, alijsque amabilibus eius perfectionibus. Meritò itaque eadem virgo Gertrudis, degustatis vtcumque in vnione diuinâ delicijs patriæ cælestis, exclamando dixit, & scripturæ commendauit verba ista: *Exclamatio & aspiratio animæ in Dei visionem suspirantis.* *O regio illa beata & beatificans affluentiis beatitudinum, ager deliciarum, cuius minutissimum granum sufficientissimè satisfacere potest auiditati omnium electorum, in his quæ humano cordi desiderabilia, amabilia, & suauia possunt excogitari! O æternum solstitium, speciosa meridies, mansio secura, locus totum continens quod delectat: paradisus iucunda, vndique manans riuis inæstimabilium voluptatum, & alliciens florigerâ venustate omnigenarum amœnitatum, & demulcens suauissimo sono, imò suauiter afficienti melodiâ intellectualium musicorum, & inebrians resoluenti dulcedine internorum saporum, & immutans mirâ blanditate secretorum amplexuum! Sed quid inde balbutire conatur mea impeditior lingua? cùm etiam si omnis Angelica & humana potentia in vnam conferretur scientiam, nequaquam ad plenum formare sufficeret vel vnicum verbum, quo tanta rei excellentia aliquâ ex parte dignè attingeretur aut exprimeretur.* Hæc Gertrudis. Quòd si tam inexplicabilia virgo illa in hoc exilio percepit; qualia, quæso, percipiunt Beati ciues cæli, qui Deum iam non in ænigmate, 1. Cor. 13.
sed facie ad faciem vident? Ipse Iesus Christus Dei & Virginis Filius nos ad cælestem illam patriam perducere dignetur, qui est benedictus in sæcula, Amen.

† Monet nos de hac re Sapiens Sapientiæ cap. 13. vt videntes pulchras creaturas in cælo & terrâ, rapiamur ad pulchritudinem creatoris qui fecit omnia quæ videmus pulchra: *Quorum specie delectati, sciant quantò his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator hæc omnia constituit.* Estque illa praxis pietate & dulcedine & vtilitate plenissima, quam Illustrissimus & deuotione iuxtà ac doctrinâ Eminentissimus ex Soc. IESV Cardinalis Bellarminus ex penu priuati cordis ad publicum vsum producit toto illo aureo libro de Ascensu mentis in Deum per scalas creaturarum.

APPENDIX
DE IV. SANCTIS FEMINIS † IN PRÆDICTO LIBELLO CREBRO MEMORATIS.

§. I.

De sanctâ Birgittâ.

1. D. Birgittæ patria, ortus, matrimonium.
2. Peregrinationes, Romana & Ierosolymitana.
3. Canalis Dei, cur à Deo ipso vocatur.
4. Quare Deus mirandas delicias sæpiùs operatur in sanctis mulieribus, quas non operatur in alijs sanctioribus personis.
5. Fluuius de ore B. Birgittæ egredi visus.
6. Diuini raptus eiusdem beatæ feminæ.

1. *B. Birgittæ natales, coniugium, & proles.*

BEATA Birgitta parentes habuit nobilissimos, ex præclarâ stirpe Regum Sueciæ (quæ vltra Gothiam est) oriundos. Ipsam Dominus mox in primâ ætatulâ visitare cœpit: quæ cùm tredecim esset annorum, licet virginitatem vnicè diligeret, parentum tamen imperio, & etiam Dei voluntate, adolescenti nobilissimo, qui Vlpho nominabatur, matrimonio fuit copulata, & ex eo quatuor filios totidemque filias suscepit.

2. *Peregrinatio Romam vsque & Ierosolymam, in statu viduitatis. Lucæ 10.*

Defuncto tandem marito, ipsa cum Mariâ Magdalenâ optimam partem elegit: & iubente Domino patriam suam reliquit, venitque Romam. Posteà ex præcepto eiusdem Domini iter Ierosolymitanum arripuit, ac deinde Romam reuersa est.

3. *Birgitta dicitur esse canalis Dei, quia per eam dona varia ad homines à Deo deriuata.*

Christus huic sanctissimæ mulieri post mortem mariti ipsius dixit: *Ego sum Deus tuus qui tecum loqui volo. Non autem propter te solam, sed propter salutem omnium Christianorum tibi loquor. Tu eris sponsa mea, & ego vtar te tamquam canali: quia per te gratiam meam alijs communicabo, & eis benefaciam. Videbis & audies spiritualia secretaque cælestia, & Spiritus meus manebit tecum vsque ad mortem. Tu quodam iure facta es mea, quando defuncto marito tuo voluntatem tuam in manus meas resignasti, fuistique parata relinquere omnia propter me. Ideò assumo te in sponsam mihi, vt delectationem in te habeam, qualem decet Deum habere in animâ castâ.*

† De his & alijs nonnullis reuelationum gratiâ donatis videri potest R. P. Petrus Antonius Spinellus in Throno Dei Admonitione ad Lectorem, citans Blosium harum laudatorem; & R. P. Franciscus de Ribera lib. 1. Vitæ S. Matris Teresæ, multis etiam post R. D. Blosij Monile visionibus à Deo illustratæ, cap. 1. vbi has Blosianas feminas citat & laudat, & alias consimiles enumerat. Auctores quoque, qui mox in Moniunculâ nominantur, passim harum sanctarum feminarum honorificam faciunt mentionem.

4. *Quare Deus delicietur sæpiùs in sanctis, & non in sanctioribus, pulchra similitudo declarat.*

Rursum ait Dominus ad eamdem: *Mirantur plerique, quare ego tecum loquar potiùs quàm cum alijs, qui meliores perfectioresque sunt, & diutiùs mihi seruierunt, quàm tu. Sed illis respondeo, me similem esse patrifamilias diuersa vina in domo suâ habenti, qui interdum bibit vinum mediocre vel tenue, reiecto fortiori, quia tunc ei magis illud sapit: non tamen propterea contemnit aut effundit vina meliora, sed ea ad vtilitatem suam in futurum reseruat. Ego quidem multos habeo amicos, quorum vita mihi melle dulcior & sole lucidior est: attamen elegi te in sponsam meam, vt secreta mea tibi reuelem, non quòd illis melior sis, vel etiam comparari eis debeas, sed quia ego sic volui, qui de idiotis sapientes, & de peccatoribus iustos facio. Assumendo te ad huiusmodi gratiam non illos abiicio, sed eis posteà vtar ad honorem meũ. Itaque humilia te semper.*

5. *Quid significabat fluuius de ore Birgittæ egrediens.*

Quidam eximiæ sanctitatis monachus, nomine Gerekinus, vidit aliquando sanctam Birgittam eleuatam à terrâ in aëra, & fluuium de ore eius egredientem; audiuitque vocem verba ista proferentem: *Hæc mulier à finibus terræ veniens, propinabit innumeris gentibus sapientiam. Et hoc erit tibi signum: quia ipsa à Deo edocta pronuntiabit finem vitæ tuæ: vnde in verbis eius exultabis, & citiùs complebitur desiderium tuum, quo anhelas ad Dei visionem.*

6. *Eiusdem raptus, & visiones.*

Hæc Deo chara vidua de gratiâ sibi datâ loquens Domino, ait: *Quando tibi placet, Domine, tu sopis corpus meum non quidem sopore corporali, sed quadam quiete spirituali: animam autem meam tunc quasi à somno excitas ad videndum, audiendum atque sentiendum spiritualiter.* Nam quando ipsa Domina Birgitta rapiebatur in spiritu, omnes corporis eius vires quasi deficere videbãtur, sed cor inflammabatur & exultabat diuinâ charitate. Migrauit * autem feliciter ex hac vitâ anno ætatis suæ septuagesimo.†

* Anno Domini M. CCC. LXXIII.

† Reuelationum sanctæ Birgittæ vindices & laudatores recensentur in magno & illustri Opere, quod in lucem emiserunt Reuerendi Patres Ordinis sanctæ Birgittæ, hoc titulo, *Reuelationes sanctæ Birgittæ olim à Cardinali Turrecrematâ recognitæ, & à Consaluo Durante Notis illustratæ.* Inueniet ibi Lector Bullas Bonifacij IX. & Martini V. summorum Pontificum. Inueniet fortissimum defensorium Ioannis Cardinalis de Turrecrematâ. Inueniet Elogia ibidem recitata à R. D. Ludouico Blosio, Antonio Cordubâ, Petro Canisio, Michaële Medinâ, Nicolao Sandero, Alfonso Mendozâ, Martino Delrio. qui omnes, sicut pro asserendis sanctæ Birgittæ reuelationibus argumenta producunt, ita subinde reliquarum dilectarum Dei sponsarum toto Monili productarum mentionem quidem faciunt. Sed pro fide reuelationum & visionum illarum conciliandâ & confirmandâ, rogo pium Lectorem, vt inspicere velit Auctores in fine Monilis per Moniunculam nominandos. De vitâ verò & gestis illarum plura qui volet, videat Scriptores Hagiologos, vt R. P. Laurentium Surium, & alios: item in Martyrologij Romani Notis illustrissimum Cardinalem Baronium.

§. II.

De S. Catharinâ Senenſi.

1. *S. Catharinæ Senenſis infantia.*
2. *Mira abſtinentia & mortificatio corporis.*
3. *Vera ſanctitas non in externâ ſed internâ mortificatione conſiſtit.*
4. *Modum habuit viuendi ſingularem, ſed à Deo inſpiratum.*
5. *Quotidie communicabat. Doloribus corporis valdè angebatur.*
6. *Gratia deuotionis, raptus & ecſtaſes.*
7. *Mirabilis zelus animarum.*

1. *S. Catharina Senis oritur, & piè educatur.*

VIRGO Chriſti Catharina, natione Itala, & ex ciuitate Senenſi oriunda, à primâ ætate Deum feruenter amauit, eique ſtudioſè ſeruiuit. [a] Quæ Angelicam Salutationem edocta, per ſingulos gradus quibus ad domum paternam aſcendebatur, Matrem Domini adhuc puellula ſalutare conſueuerat. Orationi dedita, & Deo familiariſſima fuit.

2. *Auſteritas vitæ & mira abſtinentia.*

Quam etiam Dominus intus inuitauit & traxit ad ſupernaturalem quamdam vitæ auſteritatem ſectandam. Nam ipſa aſperrimè virgineum corpuſculum ſuum caſtigauit. Aliquando à die Cinerum vſque ad Aſcenſionem Domini ſine cibo perdurauit, ſolâ Euchariſtiæ communione contenta. Pluribus annis non niſi modicum ſuccum herbarum ad refectionem corporis ſumpſit: nam grauiſſimè periculoſiſſimeque ægrotabat, ſi cogebatur aliud ſumere. Raro vltra duas horas dormiebat, iacens in duriſſimo lecto, quem ipſa ſibi ex tabulis confecerat.

3. *Vera animæ deuotæ ſanctitas in mortificatione internâ.*

Docuit tamen eam Dominus, quòd vera ſanctitas non conſiſtat in illis arduis pœnitentiæ operibus, exercitijſque corporalibus, ſed in propriæ voluntatis ac vitiorum mortificatione: quodque multùm erraret, qui vitæ perfectionem ex magno conuerſationis rigore potiùs quàm ex verâ humilitate & charitate metiri vellet.

4. *Modus vitæ ſingularis à Deo inſpiratus.*

Modus eius viuendi licet ſingularis eſſet, reprehendi tamen non debuit, quia ipſa illum ex inſtinctu, voluntate ſpecialique adiutorio Spiritus ſancti aſſumpſit & tenuit. Ecce quàm diuerſis vijs extrinſecus gradiuntur electi Dei. * Nam ſancta Birgitta diſcretè & moderatè corpus ſuum reficiebat cibo, potu & ſomno, ſicut natura expoſcebat. Similiter feciſſe arbitramur ſanctiſſimas virgines Mechtildem & Gertrudem: neque enim de eis legimus quòd inconſuetam vitæ auſteritatem amplexæ fuerint, quæ rigorem Regulæ ſuæ propter infirmitatem ſæpè ſeruare non poterant. At ſancta Catharina abſtinentiam auſteritatemque vitæ inauditam ſecuta eſt, magis in hac parte admiranda, quàm leuiter imitanda.

* Obſerua varios viuendi modos in Sanctis.

5. *Synaxim ſeu Communionem creberrimè ſumebat; nec tamen caruit tentationibus & morbis.*

Hæc ad Communionem altaris (quæ illi ferè quotidiana erat) quaſi ad cæleſtes nuptias inuitata eſſet, cum ſummâ alacritate ſemper accedebat. Malignorum ſpirituum varias tentationes patientiæ clypeo & fidei galeâ ſuperauit. Graui dolore lateris pænè aſſiduè, & capitis dolore frequenter laborabat.

6. *Deuotio, raptus & ecſtaſes.*

Tantâ gratiæ plenitudine abundabat, tamque fixè adhærebat Deo, vt mens eius quaſi inceſſanter in diuinâ contemplatione occupata eſſe videretur. Frequentiſſimè abducta à ſenſibus corporis, veniebat in ecſtaſim operatione Dei, tumque corpus eius totum obrigeſcebat. In quo raptu tam ſublimia plerumque percipiebat, vt, ſenſibus reddita, non poſſet aliquo modo inuenire verba quibus conuenienter explicaret id quod diuinitus illuſtrata intellexerat. Vnde iterùm atque iterùm hæc ſola verba replicabat, *Vidi arcana Dei.*

7. *Zelus animarum feruens & ſitiens.*

Salutem animarum ſitiens, in diuerſis locis ad quæ pergebat, præcepta ſalutis hominibus dabat, & gratiâ Dei plurima patrabat miracula. Tandem anno * ætatis ſuæ trigeſimotertio defuncta, atque in cælum recepta eſt [b].

* Anno ſalutis M.CCC.LXXX.

[a] Multa ex his tranſſcribit R. P. Petrus Antonius Spinellus in Throno Dei Tractatu de Virginibus, ſect. 7. §. 64.

[b] Pro fide reuelationum factarum ſanctæ Catharinæ Senenſi Auctores etiam producuntur in fine Monilis.

§. III.

De ſanctâ Mechtilde.

1. *Eius natales, & monaſtica vita ab infantiâ.*
2. *Gratia, & virtutes.*
3. *Calculo, capitiſque dolore cruciabatur.*
4. *Didicit, & tenuit linguam Latinam.*
5. *Admirandus in eam fauor Dei.*
6. *Reſignatio in doloribus & morbis quàm ſit grata Deo.*
7. *Status felix morientis.*

1. *S. Mechtildis ſanguine nobilis & Monialis ab infantiâ.*

SANCTA virgo Mechtildis Comitis cuiuſdam filia, † in Germaniâ nata, cùm anno ætatis ſuæ ſeptimo fortè deducta eſſet à matre ad quoddam vicinum monaſterium virginum Ordinis S. Benedicti, manſit ibi, & Religionem tandem profeſſa eſt.

2. *Amor Dei & virtutes.*

Quæ ſtatim in Dei amore ac veris virtutibus mirabiliter excreſcens, Domino facta eſt familiariſſima. Nam propriam voluntatem prorſus abdicauerat, & quoſlibet homines

† De hac virgine hinc nonnulla citat idem Spinellus ibidem §. 63.

mines sibi humiliter præferebat, atque ad obediẽdum erat promptissima. Numquam inueniebatur malè otiosa, sed semper aut orabat, aut meditabatur, aut legebat, aut docebat, aut aliquid manibus operabatur ad honorem Dei.

3. *Acuto calculi & capitis dolore laborans, tamẽ exultat in Dei voluntate.*

Sæpissimè calculo & capitis dolore cruciabatur: sed ipsa læto corde suscipiens de manu Domini omnia grauamina quæ sibi eueniebant, patientissimè ea tolerabat. Multis diebus aliquando tam graui capitis dolore vexata fuit, vt somnum nullo modo capere posset, tum etiam omnem consuetam dulcedinem consolationemque diuinam minimè sentiebat. Verùm cùm flebiliter conquereretur apud Dominum, humiliterque eum inuocaret, tandem pius Dominus, qui semper tribulatis corde adest, tantâ gratiæ abundantiâ eam perfudit, vt longo tempore velut mortua in fruitione Dei clausis oculis demoraretur, multa secreta cælestia interim percipiens. Crebrò veniebat in huiusmodi ecstasim, totaque rapiebatur in Deum.

4. *Latinè nouerat, & Euangeliũ Latinum magno gustu legebat.*

Tantâ etiam suauitate afficiebatur quando verba Euangelica legebat vel audiebat (didicerat enim Latinam linguam, atque intelligebat) vt præ dulcedinis affluentiâ plerumque pænè exanimis redderetur.

5. *Fauor Iesu dantis cor suum in pignus amoris.*

Cùm Feriâ * quartâ post diem Paschæ inchoaretur iste Missæ introitus, *Venite benedicti Patris mei*; ipsa ingenti & insolitâ quadam lætitiâ repleta, dixit ad Dominum: *O si vna essem ex illis benedictis, qui hanc dulcissimam vocem tuam audituri sunt!* Et Dominus ad eam: *Certò scias te vnam ex illis esse. Et vt nihil dubites, ecce ego do tibi cor meũ in pignus amoris, & in domum refugij, vt semper, maximeq́; in horâ mortis tuæ, consolationem & requiem in illo inuenias.* Ab eo tempore cœpit mirâ deuotione erga cor Iesu Christi affici: vnde & frequenter in simplicitate suâ dicebat: *Si scribi deberent omnia bona quæ à benignissimo corde Domini mei accepi, nullo quantumlibet grandi volumine comprehendi possent.*

* Vide R. P. Corneliũ à Lapide 2. Pet. 3. v. 13. vbi hæc & affinia adfert.

6. *Reuelat Deus sanctæ Gertrudi, quantopere sibi complaceat in resignatione ægrotantis sanctæ Mechtildis.*

Cùm ægrotaret ad mortem, & sodalis eius beata virgo Gertrudis quæreret à Domino, quidnam cum eâ operaretur; respondit Dominus: *Ego cum eâ quiesco in thalamo suauis amplexus: quia licet ipsa diuersis continuisq́; doloribus torqueatur, tamen de pietate meâ confidens, omnia ex diuinâ misericordiâ meâ credit sibi cedere in salutem æternam, & semper mihi gratias agit, paternæq́; prouidentiæ meæ fiducialiter se committit.*

7. *Obserua hic quantu cum deliciis in amoribus sponsi Christi ipsa Mechtildis moriatur.*

Quodam die eadem Christi sponsa Mechtildis iam in mortis agone constituta, nihil aliud dicebat quàm hæc verba, *Iesu bone, Iesu bone*, quæ assiduè replicabat: apertissimè demonstrans, illum reuerà cordi suo intimè esse impressum, cuius nomen inter acerbos mortis dolores tam dulciter ruminabat, & tam crebrò pronuntiabat. Instante autem horâ quâ migratura erat ex hoc mundo, Dominus summæ maiestatis Iesus eam lumine Diuinitatis suæ totam illustrãs, suaui blandâque voce inuitauit his verbis: *Veni benedicta Patris mei, posside paratum tibi regnum à constitutione mundi.* Math. 25. Tunc nimirum ipse Dominus commonefecit eam doni illius excellentissimi, quo ante aliquot annos, (cùm eadem verba ad Missam cantarentur) donauerat illi cor suum in pignus amoris. Igitur beata illa anima in ipsum cor Iesu suauissimum admissa, sempiternæ gloriæ gaudijsque cælestibus feliciter fuit sociata.†

† Multa de hac sanctâ virgine & illius reuelationibus inueniet Lector sciendi amans in calce Monilis.

§. IV.

De sanctâ Gertrude.

1. *Ab infantiâ fuit Sanctimonialis cum B. Mechtilde.*
2. *Latini sermonis perita fuit.*
3. *Humilitas illius.*
4. *Mirè exaltata à Deo.*
5. *Indifferentia in rerum electione.*
6. *Fiducia in Deum.*
7. *Stigmata Christi in corde gestabat.*
8. *Mira Dei ergo ipsam dignatio.*
9. *Felicissima mors ipsius.*
10. *Pro deuotione erga hanc virginem, promissio Dei admiranda.*

VIRGO Gertrudis, siue Trutha, in suauitate gratiæ Dei valdè amabilis, quinto 1. *Ab infantiâ quinquennis Monialis cum S. Mechtilde.*
ætatis suæ anno in sacræ Religionis horto velut candens lilium plantata, omnium virtutum splendore refulsit. Hæc in vno eodemque monasterio cum Melchtilde Deo seruiuit.

Quæ † quidem Gertrudis miro pollens 2. *Latinè legit, & intelligit.*
ingenio, breui tempore multum promouit in cognitione linguæ Latinæ: sed præcipuum eius studium fuit, sectari cordis humilitatem & munditiam, Deoque per ardentem charitatem coniungi.

Ipsa in lumine veritatis agnoscebat se 3. *Humilitas.*
omnibus Dei donis indignam, se, inquam, reputabat tantummodò canalem quemdam esse, per quem Deus dona sua ad electos suos fluere vellet. Quoscumque homines videbat, sibi præponebat: & eos, quibus dona Dei communicabat, credebat so-

† Vide de hac Virgine apud R. P. Spinellum eodem §. 63. & mox de aliis virginibus reuelationum gratiâ illustribus.

là cogitatione & innocentiâ seu conuersatione inculpatâ plus mereri, quàm ipsa omnibus exercitiis & laboribus suis potuisset.

Ob profundam humilitatem altè à Deo eleuatur.

4. Aliquando iter faciens, præ nimiâ sui abiectione dixit ad Dominum: *Ah Domine mi! inter præcipua miracula quæ facis, istud valdè eximium esse arbitror, quòd permittis, vt me vilissimam peccatricem terra ferat.* Ad quæ verba Dominus benignè respondit: *Meritò terra se tibi calcandam præbet, quandoquidem omnis cælorum dignitas ineffabili desiderio iucundissimam illam horam expectat, quâ te excipiat & portet.*

Eius indifferentia pulchra praxis in rebus eligendis.

5. Quando ei vestes vel aliqua alia offerebantur vt eligeret quod vellet, nolebat eligere: sed clausis oculis manum extendens, quidquid apprehendebat (etiamsi vilissimum esset) summâ suscipiebat gratitudine, quasi Dominus illud suis proprijs manibus ei tradidisset.

Fiducia secura in Deum.

6. Securam semper ad Deum habebat confidentiam, alacremque ac fortem animum, & paternæ eius prouidentiæ (quam in omnibus attendebat) firmissimè innitebatur.

Vulnera Christi impressa in corde suo gestabat.

7. Dominus præclara quinque Vulnerum suorum stigmata cordi eius sensibiliter impressit: & tam amœnam habitationem sibi in eâ præparauit, tamque suauiter cor suum erga eam apposuit, vt nisi homines scirent potentiam & bonitatem eiusdem Domini esse interminam, vix credere possent illum tantam amicitiæ familiaritatem præcellentissimæ matri suæ demonstrasse in terris, quantam isti demonstrauit.

Christo ob virgineam puritatem familiarissima, & ab eo in admirandis amoris delicijs habita, ac priuilegiis singularibus ornata.

8. Hinc ipse Dominus Iesus de eâ adhuc viuente loquens cuidam sanctæ personæ dixit: *Cùm nemo hodie viuat, qui per puram intentionem, bonamque voluntatem & veram fidelitatem mihi vicinior atque coniunctior sit quàm illa, ego quoque ad nullam animam in carne degentem maiori fauore inclinor, quàm ad animam illius: vnde & nusquam conuenientiùs inuenire me potes, quàm in Sacramento altaris, ac deinde in corde & animâ huius sponsæ meæ.* Rursum alteri cuidam ait Dominus: *Ego totus sum illius, & eam per amorem inseparabiliter mihi vniui, sicut argentum & aurum per ignem in vnum metallum conflantur.* Et iterùm, *Ipsa*, inquit, *est cunctis cæli ciuibus dulcisona harmonia, quam efficiunt omnes illæ ab ipsâ tam æquanimiter perlatæ aduersitates.* Mechtildi quoque pro eâ oranti Dominus dixit: *Quicumque** *verba eius susceperint, monitisque eius humiliter obedierint, non deuiabunt à salutis itinere, sed tandem ad vitam æternam peruenient.* Et ipsi Gertrudi ait: *Quoniam ego te misericorditer elegi vt in te iucundè habitem, quicumque se tuis orationibus (piam fiduciam habens) commendauerit, per gratiam meam saluus erit.* Et rursum: *Nullus eorum qui verba tua cum humilitate audiunt, & secundùm illa vitam suam piâ intentione instituunt, vmquam perire poterit, sed viâ tutâ absque errore perueniet ad me.*

* Hoc est illustre testimonium pro reuelationibus sanctæ Gertrudis sine metu recipiendis.

Mors ex amore.

Acceperat etiam in promissis à diuinâ & numquam fallente Veritate, quòd sicut in morte Christi virtus amoris nobilissima separauit animam ipsius Domini Iesu à corpore, ita in morte istius virginis diuinus amor deberet omnes vires eius consumere. 9.

Rarum & excellens Dei promissum de deuotione erga sanctam Gertrudem.

Certior itidem per diuinum promissum facta fuerat, quòd quisquis ante vel post obitum ipsius, considerãs aut intelligens quam benigne & familiariter Deus se illi acclinauerit, deuotè fideliterque in charitate laudaret Dominum, vel ei gratias ageret pro beneficijs eidem Gertrudi collatis, non migraret ab hoc sæculo, nisi priùs Deus alicuius specialis familiaritatis delectationem in animâ eius haberet. Igitur qui vult, potest hoc vel simili modo orare: * *Dulcissime Domine Iesu Christe, laudo te, & gratias ago tibi quâ possum deuotione, pro omnibus beneficiis quæ dilectæ sponsæ tuæ Gertrudi virgini contulisti: & per illum amorem quo tu eam ab æterno ad specialem gratiam elegisti, temporeque placito suauiter attraxisti, ac familiariter tibi vniuisti, & iucundè in animâ eius habitasti, cursumque vitæ eius beato fine consummasti, oro & obsecro te, vt mei miserearis, & me tibi placentem reddas, atque ad vitam æternam perducas, Amen.* † 10.

* Oratio ad honorem sanctæ Gertrudis.

† Iam iam sequitur Monitiuncula, in quâ pro reuelationibus sanctæ Gertrudis testes fide digni producuntur.

§. V.

De auctoritate reuelationum suprà positarum.

1. *Sunt ab Ecclesiâ approbatæ, specialiter B. Birgittæ & B. Gertrudis.*
2. *Ideò à solis indeuotis & incredulis possunt contemni.*

Reuelationes istæ à Patribus & Pontificibus Ecclesiæ Romanæ approbantur.

REVELATIONES prædictis feminis factæ, toti orbi innotuerunt, & à pijs eruditisque viris iam olim fuerunt approbatæ: nam & sancti Patres passim eas citant in scriptis & libris suis. Cùm adhuc viueret beata Birgitta, Episcopi Theologique insignes examinauerunt eius Reuelationes: & post mortem ipsius, Concilium Basileense deputauit aliquos pietate doctrinâque conspicuos, qui rursùm illas diligentissimè discuterent: atque hi omnes constanter affirmauerunt eas processisse à Deo. Similiter 1.

Reuela-

2\.

Reuelationes sanctæ Gertrudis ante & post mortem ipsius fuerunt à doctissimis illuminatissimisque viris summâ cum diligentiâ examinatæ: quorum vnus post accuratam illorum lectionem, scripsit sententiam suam hoc modo: * *Ego*, inquit, *in veritate diuini luminis sentio, neminem, qui Dei spiritu sit illustratus, posse calumniari aut impugnare ea quæ in hoc libro habentur, nam Catholica sunt & sancta.*

* Hæc ipsa reperiuntur apud eumdem Spinellum eodem §.63.

A quibus hominibus eadem contemnatur.

Ex quibus omnibus liquet, quàm longè adhuc à spiritu Dei sint, qui prædictas diuinas Reuelationes tamquam somnia mulierculàrum reijciunt & irrident. Deus illis ignoscat, & meritis atque intercessionibus charissimarum sponsarum suarum (quas Spiritu suo abundè perfudit, lumineque veritatis excellenter illustrauit) nos omnes post miseram hanc vitam, æternæ beatitudini coniungere dignetur, Amen.

MONITIVNCVLA PIO LECTORI.

CVM *Monile Blosianum ex historicis narrationibus conflatum sit, & Historiæ prima laus & dos, fides ex veritate habeatur, visum fuit auctoritatem firmam conciliare Visionibus ac Reuelationibus tum istis in Monili Blosiano, tum alijs quæ sanctis in Ecclesiâ Romanâ viris ac feminis ex omni ordine ac gradu statuque euenerunt, digitum intendendo in Auctores nonnullos nō minùs doctrinâ quàm pietate illustres, qui solidè de veritate ac certitudine Visionum ac Reuelationum eiusmodi disseruerunt: quorum plerique aut hoc Monile nominatim citant, aut feminas visionibus illustres hic in exemplum adductas. Inter illos copiosè disputat R. P. Martinus Antonius Delrio Disquisitionum Magicarum lib.4.cap.1.q.3.quo pacto diuina reuelatio discernenda sit à diabolicâ reuelatione: & adducit B. Vincentium Ferrerium, Ioannem Gersonem, Cardinalem Turrecrematam, Henricum de Firmariâ, Aegidium Carlerium, Hieronymum de Ferrariâ, Franciscum Picum, Petrum Ribadeneiram, Franciscum Arriam, & alios addit tum Scholasticos Doctores, tum priscæ Ecclesiæ sanctos Patres. Deinde omnia per omnem memoriam sacrorum Angelium Reuelationum ac Visionum mysteria enucleat, & in lucem profert, adductis exemplis ac Doctoribus plurimis, R. P. Franciscus Ribera lib.1. cap. 1. Vitæ sanctæ Matris Teresæ de* IESV. *Videndi etiam sunt quotquot sancti Pauli diuinas Epistolas doctis & piis Commentariis illustrarunt, inter quos honoris gratiâ duo nominati cum fructu legentur; Eximius D. & M. N. Guilielmus Estius, & R. P. Cornelius à Lapide, præsertim super 1. Corinth.14,6. 2. Cor.12. à versu 1. ad multos sequentes. Gal. 1,12. & Gal.2,2. Ephes. 3,3. & alibi, vbi de Reuelationibus & Visionibus loquitur Apostolus. Sunt item consideratione digna, quæ de Visionibus ac Reuelationibus, & cautelâ in illis, confert ad rem R. P. Thomas à* IESV *lib. 2. de Oratione diuinâ cap. 10. adductis præter Gersonem, Richardum, Harphium, Caietanum super 1. 2. quæst.17. art. 7. sanctis Patribus, Augustino, Diadocho, Iustiniano, Bonauenturâ. Scripsit etiam pro Reuelationibus tum his quæ in Monili Blosiano proferuntur, tum aliis tam antiquioribus quàm recentioribus in communi & in particulari, Richardus Lauinham Carmelita in Determinationibus pro libro Reuelationum sanctæ Birgittæ, in Academiâ Oxoniensi & Londinensi publicè expositis, teste Possevino in Apparatu: Heymericus de Campo in Defensione Reuelationum sanctæ Birgittæ, teste Catalogo MS. Martinensium Louanij, & Ioannis Bunderij Ordinis RR. Patrum Prædicatorum Bruxellæ; qui etiam citat quemdam Gentilem ex Ordine, vt putatur, sancti Benedicti: Antonius Daça in Vitâ Ioannæ de la Cruz, cui Præfationem adscripsit Franciscus de Sosa Episcopus Canariensis, multa doctè & piè disserens de Reuelationibus sanctarum quatuor Blosianarum,*

narum, & aliarum. Ignatius de Ibero Abbas S. Theologiæ Magister & Qualificator, vt vocant, sacræ Inquisitionis, de iisdem solidè disputat. Pro Reuelationibus hisce & aliis denuò ex Societate IESV *præclari assertores prodierunt, Gonsalez de Albornos & Ludouicus Ferrerius in Propugnatione Reuelationum Ioannæ de la Cruz, Melchior à Villa-nouâ de Oratione mentali, Tract. 4. dans solida documenta circa reuelationes veras & falsas, Ludouicus de Ponte in Duce spirituali Tract. 1. cap. 20. 21. 22. 23. & Tract. 3. cap. 8. & in Cantica lib. 3. exhortatione 30. §. 3. & lib. 8. exhortatione 7. §. 3. & 4. & in Vitâ R. P. Balthasaris Aluarez Confessarij sanctæ Matris Teresæ, in viâ mysticâ valdè illuminati, cap. 33. & 53. Franciscus etiam Suarez Tom. 2. in 3. partem D. Thomæ disput. 19. sect. 4. Gabriel Vasquez in 3. partem disput. 17. cap. 6. à num. 75. ad 80. Petrus Thyræus variis Opusculis de Apparitionibus seu Reuelationibus Dei, Angelorum, & animarum humanarum; Maximilianus Sandæus in Theologiâ mysticâ lib. 2. in Commentatione de Apparitione mysticâ; Bernardinus de Villegas in Opere Hispanico de Sponsâ Christi, quam instruit per vitam S. Ludgardis lib. 5. cap. 22. 23. 24. vbi etiam disputat, cur plures diuinæ Reuelationes mulieribus concessæ quàm viris: Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 8. pro Purgatorio desiderij, noto in Reuelationibus S. Birgittæ, citat D. Thomam in 4. distinct. 21. art. 1. asserentem, in iis quæ de Purgatorio determinata non sunt ab Ecclesiâ, standum esse iis quæ sunt conformia Reuelationibus Sanctorum. Hispanicè etiam editus est Petrus Nauarrus Ordinis Minorum, scribens Notas Theologicas & Morales in Vitam & Reuelationes Ioannæ de la Cruz, & Petrus Ioannes de Discernendis spiritibus. Peculiares tractatus pro Reuelationibus sanctæ Gertrudis euulgarunt Doctores Academiæ Complutensis, edente Ioanne de Castaniza Ordinis sancti Benedicti Madriti: item Parisiensis P. D. R. C. in Tractatu Theologico pro Reuelationibus & Insinuationibus sanctæ Gertrudis: item Maurus de Salasar S. Theologiæ Doctor, & Generalis Ordinis eiusdem; item Petrus de Herrera Ordinis Prædicatorum Cathedraticus Salmanticensis; item Franciscus de Sancta-*MARIA *Carmelita excalceatus; item Doctor illustris Dominicus Bañez; item Franciscus Suarez & Ioannes de Siguença, vterque ex Societate* IESV; *quos, & alios, cum suis sententiis & elogiis citat R. D. Leander de Granada Manrique Abbas Ordinis sancti Benedicti in Discursibus & Scholiis partim Hispanicis, partim Latinis, & inter illos nominans approbatorem Reuelationum sanctæ Gertrudis Ludouicum Blosium, ita loquitur:* Inter alias personas graues & magnæ auctoritatis est noster Pater Ludouicus Blosius in multis locis Monilis spiritualis, quod tanti ab omnibus æstimatur, ob singularem deuotionem & fructum eius. *Didacus de Yepes Ordinis S. Hieronymi, Episcopus Turiasonensis ibidem, laudans Reuelationes Gertrudinas, affirmat sese ferè omnes memoriâ tenere, & Blosium, in Monili præsertim, adeò sibi placuisse, vt sæpè totum euoluerit: & cùm Hispanicè Hispali ederetur, curasse singula à prælo folia ad se mitti, eaque Philippo II. Regi Catholico, qui tum morbo ad mortem vltimò decumbebat, tamquam Regium Confessarium legisse, tanto Regis gustu, vt, absente Didaco, per filiam suam Serenissimam Infantem Isabellam relegi sibi curaret. Adhæc non abs re fuerit vidisse pro Reuelationibus Dionysium Carthusianum Sermone 5. de Corpore Christi; vitam & libros Ioannis à Cruce, quem grauissimi viri vocant plenum sapientiâ ex cælo infusâ illuminante & accendente, vnde multa ad Blosij illustrationem adferri possunt; Constantinum de Barbanson Ordinis S. Francisci Capuccinorum, de Amoris diuini semitis, in Via orationis mentalis; Aloysium Legionensem in Præfatione Operum S. Matris Teresæ de* IESV, *& in Compendio de Gradibus orationis per Thomam à* IESV. *Franciscum ab Ossunâ Ord. Minorum in 3. Abecedario spirituali, quo libro pro Reuelationibus velut magistro S. M. Teresâ vtebatur: vt & Anonymo eiusdem Ord. in lib. de Ascensu in montem Sion.*

LVDO-

LVDOVICI BLOSII CONCLAVIS ANIMÆ FIDELIS

PARS TERTIA, SIVE CORONA SPIRITVALIS

CONTINENS EVANGELICAM HISTORIOLAM VITÆ DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

S. PAVLVS.

1.Tim.1. FIDELIS *sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Finis Incarnationis, salus & sanctitas hominum.
Tit.2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*
Philip.2. *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.*
Rom.4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.*
2.Cor.8. *Propter* nos *egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopiâ* nos *diuites* essemus. Ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

CAPVT

CAPVT VNICVM.

Ex quo pius Lector remittitur ad Epitomen Vitæ Christi in Margarito spirituali.

Lucæ 1.

MISSVS *est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Aue gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius: & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*, &c. †

† Cetera autem puncta & mysteria Euangelica hic abrumpuntur; quia R. D. Blosius in editione suorum Operum secundâ, Historiolam istam Euangelicam mutauit & auxit, & conuertit in plenam Harmoniam ex quatuor Euangelistis conflatam, quam reperire datur in Margarito spirituali, sub titulo Epitomes Vitæ Christi.

AD SIMPLICIOREM LECTOREM.

Quædam notanda in lectione historiæ Euangelicæ.

1. *Christus Mariæ primogenitus & vnigenitus, quem ipsa semper Virgo peperit sine dolore.*
2. *Christus à primo instanti conceptionis plenus gratiâ & sapientiâ: in quibus proficere dicitur, quia eas paulatim hominibus manifestauit.*
3. *Anima eius semper fruebatur Deitate: & tamen abundantiam repressit ne in corpus reflueret quod passibile erat, & pro nobis pati debebat.*
4. *Acerbitas passionis Dominicæ prorsus inenarrabilis.*
5. *Lectio Euangelij diligenter frequentanda, & cum insigni semper reuerentiâ.*
6. *Pie innitendum meritis Christi, quibus remissionem, gratiam & salutem nobis obtinuit.*

1. *Dominus Iesus primogenitus Deiparæ, & eius vnigenitus, & ipsa est semper Virgo.* Lucæ 1. * Vel in Epitome Vitæ Christi.

QVISQVIS simplicior es, dum legis in prædictâ Historiolâ Euangelicâ*, Mariam peperisse Iesum primogenitum suum, non arbitreris ipsam adhuc alios filios posteà genuisse. Primogenitus enim dicitur, ante quem nullus est natus, siue post eum adhuc alius, siue nullus nascatur: atque ita primogenitus dicitur etiam ille qui est vnigenitus. Indubitanter credere te oportet, Mariam non alium filium genuisse, quàm Iesum. Peperit autem eum in momento, sine dolore, sicut eum sine carnali voluptate conceperat. Imò verò & concepit & genuit illum perfusa ingenti gaudio inenarrabiliq; dulcore Spiritus sancti. Porrò Christus Iesus conceptus fuit in Nazareth, mox vt Maria dixit Angelo, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Tunc enim Spiritus sanctus repentè in eam superuenit, & Filius Dei verus Deus, in eius castissimo vtero factus est homo. Ipsa ergo virgo concepit, virgo peperit, & post partum virgo permansit. Dominus Iesus ex clauso virginali eius vtero mirabiliter prodijt, sicut ex clauso sigillatoq; sepulchro posteà surrexit. Neque te mouere debet, quòd sanctus Ioseph dicitur pater* illius: ob id enim sic appellatus est, quia vir Mariæ erat, & paternam curam de puero Iesu gerebat, atque à vulgo putabatur esse pater eius.

Lucæ 1. * Ioseph est Christi pater nutritius.

2. *Christus semper plenus fuit gratiâ & sapientiâ, sed quia eam paulatim manifestauit, profecisse dicitur.* Lucæ 2. Ioan. 1. Coloss. 2. Ioan. 11.

Dum etiam legis, quòd ipse puer *Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ*, non existimes sapientiam & gratiam in eo accepisse incrementum cum ætate. Nam anima eius ab exordio creationis suæ plena fuit sapientiâ & gratiâ. In Christo enim (vt beatus Paulus ait) erant *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Dicitur autem profecisse sapientiâ & gratiâ cum ætate, quia sapientiam & gratiâ suam paulatim, corpore crescente, manifestabat. Proinde quando suscitaturus Lazarum à morte, dixit, *Vbi posuistis eum?* non quasi ignorans hoc ab adstantibus percontabatur, sed humano modo se gerebat & loquebatur inter homines.

3. *Christus in animâ semper Deo fruebatur, sed repressit animæ gloriam, ne in corpus redundaret, atque ita passio impediretur.* Matth. 17. Marc. 9.

Ipse erat Deus & homo in vnâ personâ: ideoque anima eius mox vt creata fuit, semper contemplabatur clarissimè diuinam essentiam, cognoscebatque omnia in Deo, sicut Beati qui in cęlo sunt, cognoscunt, imò verò multò excellentiùs. Et quidem Christus secundùm Diuinitatem erat Sapientia increata, quæ est Verbum æternum, ipsaque diuina essentia. Igitur anima illius secundùm superiores vires, seu superiorem portionem suam (quæ spiritus dicitur) incessanter conuersa erat ad Diuinitatem, & eam pro obiecto habebat, illâque fruebatur. Quæ sanè animæ beatitudo redundasset in corpus, ipsúmque reddidisset gloriosum & impassibile, nisi Deus id sacrâ dispensatione distulisset: interdum tamen hoc permisit, vt patuit in † Transfiguratione. Retrahebat ergo & continebat Christus illam beatitudinis redundantiam, vt pro nobis pati ac mori posset. Itaque secundũ corpus & sensitiuas vires, inferioremque portionem animæ, sustinebat miserias humanas & dolores grauissimos: cui inferiori portioni Diuinitas tempore passionis omnem internæ dulcedi-

† Fuit enim Transfiguratio Christi quædam transfusio gloriæ, ex animâ beatâ in corpus passibile redundans. De quâ re, vt de alijs omnibus hoc loco deductis, & ad incarnationis Domini mysteria cognoscenda deducentibus, iuuabit Lectorem vidisse quæ Scholastici Doctores, & nominatim R. P. Franciscus Suarez, disputant apud D. Thomam in principio tertiæ Partis, vbi de Incarnatione agitur.

nis

nis influentiam subtraxerat, illamque sibi ipsi reliquerat. Vnde & pius Iesus pendens in cruce clamabat ex parte humanitatis afflictæ, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*

Mar. 15. Matth. 27. Psal. 21.

4. *Quanta acerbitas passionis Dominicæ, ex subtractione omnis consolationis.*

Certè Christi passio fuit adeò omni consolatione destituta, adeoque grauis & acerba, vt ei nulla cuiuslibet Sancti passio possit aliquâ ex parte æquiparari. Solet enim Dominus suis Martyribus immania tormenta, per infusionem sensibilis gratiæ, temperare: sed ipse Christus volens propter nos passionem suam in verâ resignatione atque derelictione perferre, non permisit (vt dictum est) consolationem à superiori portione animæ suæ redundare in portionem inferiorem ac sensualitatem. Ista ideò diximus, ne verba Euangelica perperàm intelligas, neve ignores quid sentire debeas de Christo, qui fuit omnis peccati expers, & venit in mundum vt tolleret peccata mundi.

5. *Crebra lectio Euangelij commendatur; etiam cùm gustus abest, quia semper adest fructus.*

Ceterùm hortamur te, vt libenter & crebrò legas suprà positam * Historiolam è verbis quatuor Euangelistarum contextam, in quâ breuiter quidem describitur Vita benignissimi Saluatoris nostri, pleniùs tamen habentur ea quæ ipsi Euangelistę narrant de infantiâ ac pueritiâ eiusdem Domini Iesu, & de venerandâ eius passione. Profectò ista tibi melle dulciora, & cunctis mundi opibus chariora esse debent. Dic igitur lætus cum Prophetâ: *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus.* Nam & sanctus † Bernardus de his loquens dicebat: *In æternum non obliuiscar miserationes istas, quia in ipsis iustificatus sum.* Quòd si fortè inter legendum nullum aut modicum saporem intrinsecus sentis, nihil inde turberis: sed etiam arido corde ista humiliter & reuerenter lege ac relege pro Dei amore & gloriâ: interim enim mens tua erit honestissimè atque sanctissimè occupata. Et reuerà, verba Euangelica miræ virtutis sunt, dum ab homine bonæ voluntatis humili mente leguntur, vel audiuntur. Nam si illi, qui olim fimbriam vestimenti Dominici cum sanctâ fide tangebant, sanabantur; quomodo sacratissima verba Euangelij piè lecta vel audita non curarent morbos animæ? Amplectere itaque sincero desiderio (vt potes) hunc suaueolentem fasciculum miserationum Domini, vt cum Sponsâ carmen istud ex Canticis sancti amoris decantare possis: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

* Vel Epitomen Vitæ Christi. Isa. 63.

Matth. 9. & 19. Marc. 6. Luc. 8. Cant. 1.

† D. Bernardus Serm. 43. in Cantica, dans praxim super Cant. 1. de fasciculo myrrhæ, quomodo anima deuota debet piè & continuè percurrere omnes actiones & passiones Christi, à cunis vsque ad crucem, dicit sese non posse obliuisci tantas & tam multas miserationes, quia in illis viuificatus est: alij legunt *iustificatus est.*

6. *Amor Christi pro nobis passi cum fiduciâ erga Vulnera & merita illius.*

Imprime cordi tuo & menti tuæ amabilem Iesu humanitatem Diuinitate plenam. O quàm præclarus liber est Christus pendens in cruce: in eo enim mirabiliter supernaturaliterque perfectis animabus relucet, quidquid ad contemplationis celsitudinem pertinet. Quinque Vulnera Christi beatissima, omnis gratiæ omnisque consolationis fontes sunt: & plus pulchritudinis, lætitiæ atque claritatis toti cælesti Curiæ conferũt, quàm omnia alia quæ in vitâ perenni (exceptâ Diuinitate) habentur. Dilige Iesum, qui te dilexit & diligit immenso amore: gratias age illi quâ potes deuotione: amplectere salutarem eius doctrinam, ac pro modulo tuo sanctas virtutes illius imitare. Et quando ex fragilitate humanâ peccatum admittis, non nimiùm deijciaris animo; sed culpam humiliter agnoscens, crede Iesum velle tibi veniam dare, libenterque ignoscere: quemadmodum beatus Ioannes testatur, dicens: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ac rursum, *Si quis*, inquit, *peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Fideliter memineris, quare ille venerit in mundum, & quàm pius, clemens, benignus, misericors, ac salutis hominum amans sit: ita enim numquam de salute tuâ desperabis. Perseueranter ei per veram fidem charitatemq; adhære, & vitâ æternam obtinebis. Quam nobis omnibus ipse concedat, qui est benedictus in sæcula, Amen.

1. Ioan. 1. & 2.

LVDOVICI BLOSII CONCLAVIS ANIMÆ FIDELIS

PARS QVARTA,

SIVE

SCRINIOLVM SPIRITVALE,

IN QVO

QVILIBET CHRISTIANVS INVENIRE POTERIT EXERCITIA SIBI MVLTVM ACCOMMODA.

I. Breuis commemoratio Vitæ Christi, in xxix. articulos partitæ.
II. Doxologiæ xii. seu gratiarum actiones in Vitam & Passionem Christi.
III. Precationes admodum piæ & vtiles.
IV. Sertum B. Virginis Mariae quinquepartitum, Vitâ & gestis Iesu Christi pulchrè exornatum.
V. Alia Orationum Exercitiola, non contemnenda neque paruipendenda.
VI. Breuis & absoluta, multumque salutaris doctrina.
VII. Epistola D. Ludouici Blosij.
VIII. Aliquot dicta D. Henrici Susonis.

PRÆFATIO.

1. *Frequenter orandum, etiam ex Exercitiis Scrinioli.*

QVI *desiderat proficere in veris virtutibus, ac placere Deo, frequenter orare debet, si otium ei suppetit. Nam diligens orandi studium inuehit in animã quidquid ei vtile ac salutare est. Ad quam rem poterunt paruulis vel imperfectis vsui esse pia Exercitia hic conscripta.*

2. *Oratio Dominica cõmendatur & Salutatio Angelica.*

Quia verò nulla oratio dignior aut perfectior est Precatione Dominicâ, eam Christianus homo vnicè charam habeat, itemque Salutationem Angelicam. Purè amet religioseque veneretur virginem Mariam, Dei & omnis gratiæ matrem dulcissimam.

Quam-

Quamuis autem interim, dum orat vel Deum laudat, non possit fortè leuare animam suam ad illum, nisi infirmè, frigidè, instabiliter & obscurè; leuet nihilominus eam humiliter, sicut ipse Dominus gratiam ac vires largiri dignatur. Si enim bonâ voluntate præditus fuerit, & fecerit quod in se est, omnino gratus erit Deo. Etiamsi ad honorem & laudem Dei simpliciter tantùm verba sancta in libello legerit, non poterit non eximium fructum ex huiusmodi lectione referre. 3. *Etiam imperfectè orãtes amat Deus, ubi videt bonam volũtatem.*

Sed necesse est vt perseueret in pijs petitionibus, & longanimis atque resignatus sit, committens Deo quid, quantum & quando ipse sibi oranti concedere velit. Nam sæpè Deus vtiliter admodum differt dare quod petitur, vel etiam in hac vitâ illud non donat: semper tamen præstat quod expedit saluti eius qui humiliter orat. Ceterùm in æternâ vitâ cumulatissimè adimplebit omnes conuenientes petitiones, omniaque desideria electorum suorum. 4. *Perseuerandum tamen, vt Deus petentes exaudiat.*

I.

BREVIS COMMEMORATIO VITÆ CHRISTI IN XXIX. ARTICVLOS PARTITÆ.

ARTICVLVS I.

Christi incarnatio, conceptio, gestatio in vtero.

DVLCIS Iesus, filius Dei viui, Deus altissimus, creator cæli & terræ, propter nimiam charitatem quâ me dilexit, voluit de Spiritu sancto concipi & incarnari in castissimo beatæ Mariæ virginis vtero; in quo etiam nouem mensibus habitauit. Deus meus semetipsum exinaniuit, & formam serui accipiens, factus est frater meus, vt me ad cæleste regnum suum reduceret. O pietas ineffabilis, & beneficium inæstimabile! Quid retribuam Domino meo? Offero & resigno me totum in eius beneplacitum. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus II.

Natiuitas in paupere stabulo.

Dulcis Iesus, Rex gloriæ, causâ salutis meæ natus est tener infantulus in abiecto stabulo, sæuiente hiemis asperitate: inuolutus est panniculis, reclinatus est in præsepio iumentorum, iacuit super fœnum & stipulas, lactatus est vberibus pauperculæ matris. Tantam egestatem subijt pro me Filius Dei. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus III.

Circũcisio. Nomẽ Iesu. Epiphania seu apparitio facta Magis.

Dulcis Iesus octauo à natiuitate suâ die circumcisus est, Virgine-matre illi intimè condolente. Circumcisus est, & purissimum Sanguinem suum fudit pro me vilissimo: vocarique voluit Iesus (id est, Saluator) ad consolationem meam. Deinde Gentibus reuelatus est, quando Magi ad ipsum puerulum adorandum stellâ duce venerunt in Bethleem, & cum gaudio ac reuerentiâ munera ei obtulerunt, aurum, thus, & myrrham. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus IV.

Præsentatio. Fuga in Aegyptum. Subiectio parentibus.

Dulcis Iesus præsentatus est in templo, atque hostiâ pauperum fuit redemptus. Fugit in Ægyptum, ibique paupertatis incommoda cum Mariâ & Ioseph sustinuit. Eisdem Mariæ & Ioseph subditus fuit atque obediuit. In sacrâ infantiâ, pueritiâ, & adolescentiâ suâ plurimas necessitates tribulationesque perpessus est pro salute meâ. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus V.

Baptisma. Ieiunium. Tentatio.

Dulcis Iesus, cùm esset ferè triginta annorum, humiliter suscepit Baptismum à seruo suo Ioanne. Ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, habitans cum feris in deserto. Conditor orbis, Rex Angelorũ, Deus omnipotens non dedignatus est tentari à diabolo propter me. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus VI.

Labores. Vigiliæ. Prædicatio. Miracula. Persecutio.

Dulcis Iesus pro salute meâ itineribus, vigilijs, laboribusque fatigatus est. Prædicauit, miracula edidit, beneficia impendit. Famem, sitim, frigus & æstum pertulit. Innumeras ærumnas, innumerasque persecutiones, triginta tribus annis mitissimo corde tolerauit, ac tandem venit Ierosolymam, vt moreretur pro me. Ipsi laus, & gloria in sæcula, Amen.

Articulus VII.

Lotio pedũ in Cœnâ.

Dulcis Iesus, Rex Regum & Dominus summæ maiestatis, præcinxit se linteo, misitque aquam in peluim: ac positis genibus, humiliter lauit pedes discipulorum suorum, eosque linteo extersit. O quale exemplum mihi dedit Dominus Deus meus! Ipsi laus, honor & gloria in sæculã, Amen.

Articulus VIII.

Eucharistiæ institutio. Dulcis Iesus, ex immenso amore quo nos tenerrimè diligit, venerabile Sacramentum Eucharistiæ instituit, seipsum in illo stupendà liberalitate suauissimaque charitate nobis donans atque relinquens. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus IX.

Agonia in horto. Dulcis Iesus in hortum Oliueti perueniens, cœpit pauere ac mœstus esse: adeò vt diceret, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* *Resignatio ad calicem.* Flexit humiliter genua super terram, & procidens in faciem suam, orauit Patrem tertiò. Ipse propter me summè afflictus, plenissimè se Patri resignauit, dicens: *Pater, non mea sed tua voluntas fiat.* Præ vehementiâ angustiarum, quibus mitissimum cor eius premebatur, sudauit toto corpore sudorem sanguineum, ita vt guttæ decurrerent in terram. *Sudor sanguineus.* Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus X.

Dulcis Iesus, summo desiderio me redimendi & pro me patiendi ardens, processit obuiàm inimicis suis, benignissimeque eos allocutus est. *Occursus ad inimicos in horto.* Non recusauit à Iudâ proditore osculum accipere, atque ab impijs hominibus ignominiosè tamquam latro comprehendi ligarique, vt ego à vinculis peccatorum meorum absoluerer. *Osculum Iudæ.* *Captiuitas.* Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XI.

Trahitur ad Annam & Caipham. Dulcis Iesus, vinctus vt malefactor, adductus est cum opprobrio ad domum Annæ, indeq; ad domum Caiphæ Pontificis. Benignus & suauis Dominus trahebatur, propellebatur, tundebatur & blasphemabatur à satellitibus diaboli: sed omnia illa grauia atque indigna, amore mei patientissimè tolerabat. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XII.

Alapa. Dulcis Iesus, Dominus dominantium, diram & atrocem alapam sibi à seruo Pontificis iniquissimè datam; modestissimè pro salute meâ pertulit. *Patientia ineffabilis.* Et quomodo ego posthac non vicissim pro illius amore patienter feram iniurias mihi irrogatas? Peto, opto, desidero gratiâ eius roborari atque confirmari. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XIII.

Accusatio apud Caipham. Sputa. Colaphi. Dulcis Iesus in domo Caiphæ falsò accusatus est, iniustè condemnatus est, fœdè consputus est, horribilesque colaphos & alapas accepit. Ludibriosè velatus est, cædentibus eum impijs, & subsannando dicentibus, *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Ah! Regia illa & amabilis eius facies, putentibus sputis pro me fœdata est. Ipse Agnus mitissimus intereà conquestus non est: sed patientiam docens, obmutuit & non aperuit os suum. *Mansuetudo.* Conuitia, contumelias, opprobria, & quaslibet iniurias in silentio tolerauit propter me. *Opprobria.* O! quàm male & indignè nocte illa tractatus fuit! Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XIV.

Corâ Pilato silentiũ. Dulcis Iesus, Sanctus sanctorum, & Rex Angelorum, consputus ac vinctus, manè ductus est ad Pilatum, & coram eo vultu benigno oculisque demissis stetit. Cumque falsò à Iudæis accusaretur, humiliter tacuit, nihil respondens. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XV.

Illusio ab Herode. Dulcis Iesus ligatus vt latro, missus est à Pilato ad Herodem. Qui videns eum ad vanas suas interrogationes & ad falsas Iudæorum accusationes silentem, spreuit illum, ac veste albâ ridiculâque tamquam fatuum induit, atque ita ad Pilatum remisit. *Vestis alba.* Amabilis Dominus pro voluntate inimicorum suorum progrediebatur & regrediebatur sine contradictione, permittens vt in se facerent quidquid volebant. *Obedientia mira.* O quàm humilis obedientia & patientia Regis æterni! Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XVI.

Dulcis Iesus in prætorio probrosè nudatus est, ad columnam inclementer ligatus est, flagris crudelissimè dilaceratus est pro me. *Flagella. Sanguinis riui.* Virginea delicataque caro eius tota liuoribus ac plagis deformata fuit, & ex eâ riuuli pretiosi Sanguinis vndique decurrerunt in terram. O quàm acerbi dolores, & quàm miserandum spectaculum! *Dolores immensi.* Verè, ille vulneratus est propter iniquitates meas, attritus est propter scelera mea, & liuore eius sanatus sum. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XVII.

Purpura. Dulcis Iesus chlamyde coccineâ ad maius opprobrium vestitus fuit. *Corona spinea.* Corona spinea venerando capiti eius impressa est: sicq; capite grauiter sauciato, purissimus Sanguis in amabilem faciem collumque illius vbertim defluxit. *Sceptrum arundineũ.* Posita fuit arundo in manu eius: & ipse nugatoriè salutatus adoratusque est ab iniquis eum irridentibus atque dicentibus, *Aue Rex Iudæorum.* *Aue Rex.* Percussus fuit arundine, consputus est, & diras alapas accepit propter me. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XVIII.

Ecce homo. Dulcis Iesus foras à Pilato productus fuit, & furentibus Iudæis exhibitus est, gestans coronam spineam, purpureumque vesti-

vestimentum. At illi magnis vocibus petierunt vt crucifigeretur. Caput spinis obsitum, facies cruore tincta & consputa, corpus flagris conscissum, humilis ac placidus aspectus Domini Iesu non emollierunt eos ad miserationem: vtinam moueant me ad intimam compassionem & ardentem eius dilectionem! Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Crucifige. Speculum doloris ad mouendam amorosam compassionem.

Articulus XIX.

Voluntati Iudæorum traditus.

Dulcis Iesus, morti à Pilato adiudicatus, & voluntati Iudæorum traditus est. Mox ergo eum illi rapuerunt, & trabe crucis oneratum extra ciuitatem pertraxerunt. Suauis Dominus laceris humeris crucem baiulans propellebatur, cædebatur, & vt acceleraret trahebatur. Amabilis Redemptor factus opprobrium hominum, & abiectio plebis, humiliter gradiebatur pergebatque ad Caluariæ locum. O! quantum eum grauabat & affligebat pondus crucis, magis verò pondus peccatorum meorum! Sed ille causâ salutis meæ omnem laborem & dolorem, omnemque confusionem libenter tolerabat. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Gestatio crucis. *Iter Caluariæ. Pondus crucis, imò peccatorum.*

Articulus XX.

Mons Caluariæ. Vinum felleum.

Dulcis Iesus in montem Caluariæ fessus & anhelus perueniens, oblatum sibi vinum myrrhatum cum felle mistum gustare non recusauit, vt hac potus amaritudine expiaret culpas, quas ego incontinenter edendo ac bibendo contraxi. O! qualis refectio Domini mei! Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XXI.

Denudatio. *Extensio in cruce.* *Terebratio. Fontes sanguinis.* *Lectus Sponsi.*

Dulcis Iesus in loco Caluariæ dedecorosè nudatus est, & ex vestimentorum detractione plagæ eius renouatæ fuerunt. Mitis & innocens Agnus Dei, inclementer à sæuis hominibus in cruce extensus fuit. Delicatæ manus & incontaminati pedes eius diris clauis crudeliter perforati sunt. Compages sanctissimorum membrorum illius miserabiliter solutæ fuerunt. Purpureus sanguis è Vulneribus sacris velut è fontibus largiter profluxit. O! quàm durum habuit lectum sponsus animæ meæ extensus in cruce, crucique affixus pro me! Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XXII.

Crux fixa inter latrones. *Probra & blasphemia.* *Oratio pro hostibus.*

Dulcis Iesus pendens nudus in ignominioso stipite crucis, pendens medius inter duos latrones, transfixis manibus ac pedibus, pretiosissimum cruorem fudit, amarissimosque dolores sustinuit pro me. Subsannabatur, blasphemijsque impetebatur: sed interim orabat pro blasphemantibus, orabat pro crucifixoribus suis, dicens: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XXIII.

Pœnitentia latronis. Gladius matris. *Ioannis legatum.*

Dulcis Iesus, contemptus & vulneratus pendens in cruce latroni pœnitenti paradisum benignè promisit. Virgineæ matri iuxta crucem adstanti, & doloris gladio penetratæ, intimè compassus est, ipsamque discipulo Ioanni commendauit, & eidem Ioanni ac nobis omnibus illam donauit in matrem. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XXIV.

Cruciatus trium horarum. Acetum. *Mors.*

Dulcis Iesus cùm immensos cruciatus tribus horis in cruce pro me tolerasset, ac sacrosancto Sanguine suo fuso vehementissimè sitiret, aceto potatus est. Quo gustato, ipse viuificator omnium commendans se Patri, & caput venerandum inclinans, emisit spiritum. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XXV.

Descensus in Limbum. *Patribus in Limbo donatum lumen gloriæ.* *Latronis paradisus.*

Dulcis Iesus mox vt in cruce mortuus fuit, descendit secundùm animam ex summâ charitate ad inferos, & Patres in Limbo detentos liberauit. Illi enim, ad aduentum animæ eius, statim lumine gloriæ completi sunt, & viderunt beatissimam Trinitatem, viderunt clarè diuinam essentiam. Atque hæc erat spiritualis paradisus, de quâ Dominus dixerat latroni, *Hodie mecum eris in paradiso.* Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XXVI.

Latus lanceâ perforatum. *Aqua & sanguis. Cor transfixum.*

Dulcis Iesus pastor bonus posuit animam suam pro ouibus suis. Et dextrum latus emortui corporis eius lanceâ fuit apertum, vnde nobis profluxit sanguis & aqua. Amorosum cor illius vulneratum est pro me. Vtinam hoc cor suauissimum, hoc amœnum beatitudinis gazophylacium, sit mihi in morte salus & solatium! vt post mortem vniar Iesu, & eum contempler in æternum. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XXVII.

Sepultura. *Planctus Virginis.* *Ioseph & Nicodemus.*

Dulcis Iesus mortuus est pro me. Cuius corpus immaculatum cùm de cruce depositum esset, beatissima Mater ipsius in gremium suum excepit, osculata est, lacrymis rigauit. Deinde Ioseph & Nicodemus inuoluerunt illud in sindone mundâ, atque condiderunt in sepulchro. Iesus ergo immarcescibilis flos dignitatis humanæ, sepultus est propter me. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XXVIII.

Dulcis Iesus, victor è clauso sigillatoque

Resurrectio. Apparet Matri, Magdalenæ, Discipulis.

sepulchro tertiâ die prodiens, nobili triumpho resurrexit à mortuis: & claritate serenissimi vultus sui redditâ, primò charissimam matrem suam virginem Mariam, deinde Mariam Magdalenam, ac ceteros amicos suos nouo exhilarauit gaudio. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

Articulus XXIX.

Ascensio. Spiritus sanctus. Sessio ad dexteram Patris. Aduentus ad iudiciū.

Dulcis Iesus quadragesimo post resurrectionem suam die, coram discipulis, ineffabili lætitiâ perfusis, gloriosè ascendit in cælum: & posteà misit eis Spiritum sanctum. Sedet iam in cælo ad dexteram Patris, & inde venturus est in Maiestate suâ iudicare viuos & mortuos. Ipsi laus, honor & gloria in sæcula, Amen.

II.

DOXOLOGIÆ XII.

SEV

GRATIARVM ACTIONES

IN

VITAM ET PASSIONEM CHRISTI.

DOXOLOGIA I.

Incarnatio & conceptio.

ADORO, laudo, & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: qui ex purissimo atque ardentissimo mei amore carnem humanam & seruilem formam assumpsisti. O admiranda & suauis misericordia! Tu Deus meus factus es frater meus, vt me redimeres, & ad lucidissimum regnum tuum reduceres. Tu Deus meus propter me factus es homo, factus es paruulus pusio, & nouem mensibus requieuisti in castissimo beatæ Mariæ virginis vtero. Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua, omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum, & nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula, Amen.

DOXOLOGIA II.

Natiuitas in stabulo.

ADORO, laudo, & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: qui dignatus es propter me tener infantulus in stabulo nasci, frigoris asperitatem tolerare, panniculis inuolui, in præsepio reclinari, super fœnum & stipulas iacère, virgineisque vberibus lactari. Dignatus es pauper & egenus fieri, vt me diuitem faceres. Ecce procido in spiritu ante sanctum tuum præsepium, & rursum te adoro Dominum meum Regem Angelorum. Aue puer amabilis, Deus excelse, Iesu suauissime: aue Princeps pacis, lux gentium, Saluator desiderabilis. Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua, omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum, & nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula, Amen.

DOXOLOGIA III.

Circumcisio. Apparitio tribus Magis facta. Præsentatio. Simeon & Anna. Fuga in Ægyptum. Subiectio ad parentes.

ADORO, laudo, & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: qui octauo à natiuitate tuâ die circumcisus es, & fudisti purissimum Sanguinem tuum propter me. Deinde Gentibus reuelatus es, quando Magi stellâ duce te perquisierunt, & ingenti gaudio perfusi venerunt in Bethleem, ibique te inuentum adorauerunt, ac munera tibi obtulerunt. Posteà in templo præsentatus, atque hostiâ pauperum redemptus fuisti, vbi iustus Simeon & Anna prophetissa multùm de tuâ præsentiâ lætati sunt. Exinde fugisti, & deportatus es in Ægyptum, ac paupertatis incommoda sustinuisti. Humiliter te submisisti Mariæ & Ioseph, eisque promptè obediuisti, cùm esses Rex regum & Deus omnipotens. Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima mēbra tua, omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum, & nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula, Amen.

DOXOLOGIA IV.

ADORO, laudo, & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: qui, vt excellenter doceres virtutem sanctæ humilitatis, perrexisti ad seruum tuum Ioannem, baptisma pœnitentiæ peccatoribus conferentem. *Baptismus in Iordane.* Voluisti ab eo baptizari in Iordanis flumine, tu qui nullam vmquam peccati maculam contraxisti. Post baptismum, ieiunasti quadraginta diebus & quadraginta noctibus, habitans cum feris in deserto. *Ieiunium in deserto. Tentatio à diabolo.* Non dedignatus es tentari à diabolo causâ salutis meæ. Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua, omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum, & nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula, Amen.

DOXOLOGIA V.

ADORO, laudo, & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: qui regnum cælorum annuntiando, infirmos curando, mortuos suscitando, innumeraque signa patrando, suauiter cum hominibus conuersatus es, & consolationem misericorditer eis præstitisti. *Prædicatio Euangelij. Miracula.* Tu propter me labores, ærumnas, & persecutiones varias triginta tribus annis mitissimo corde tolerasti. *Labores & ærumnæ.* Verbo & exemplo me plenissimè docuisti, quomodo iustè sancteque viuere debeam. Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua, omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum, & nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula, Amen.

DOXOLOGIA VI.

ADORO, laudo, & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: qui positis genibus pedes discipulorum tuorum humiliter lauisti, eosque linteo, quo eras præcinctus, extersisti: *Lauat pedes Apostolorum.* ac deinde suauissimâ atque inenarrabili charitate venerabile Sacramentum Eucharistiæ instituisti, teipsum in illo nobis relinquens. *Eucharistiam instituit.* O admirabile mysterium! Verè, si quis, opitulante gratiâ tuâ, aliquatenus pro modulo fragilitatis humanæ peruestigaret intellectu, ex quanto amore hoc opus stupendum feceris, omnino cor illius liquefieret, & conflagraret dilectionis incendio. *Pignus summi amoris.* Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua, omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum, & nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula, Amen.

DOXOLOGIA VII.

ADORO, laudo, & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: qui non recusasti pro me maximâ tristitiâ affici, sudore sanguineo præ angustijs suffundi, irreuerenter ab impijs comprehendi, ignominiosè vt malefactor & latro ligari, sicque ligatus ad Pontificem duci, iniustè damnari, sputis turpiter fœdari, colaphis & alapis inhumaniter cædi, ludibriosè velari, vexari, subsannari, blasphemarique; *Agonizat in horto. Sanguinem sudat. Comprehenditur. Colaphis cæditur.* coram Pilato Præside profano sisti, & ibi falsò accusari; inde ad Herodem pertrahi, & ab eo sperni, stultus haberi, albâque & ridiculâ veste indui. *Pilato & Herodi sistitur.* O quàm dura atque indigna fuerunt ista, quæ tu Rex gloriæ pro me mitissimè & sine murmure pertulisti! Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua, omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum, & nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula, Amen.

DOXOLOGIA VIII.

ADORO, laudo, & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: qui voluisti pro me in prætorio dedecorose nudari, ad columnam inclementer ligari, flagris crudelissimè conscindi, *Flagellatur.* pro-

SCRINIOLVM SPIRITVALE.

proprio sanguine largiter perfundi, chlamyde coccineâ illusorie vestiri, acutis spinis cruciabiliter coronari vulnerarique, ab iniquis contemptibiliter illudi, arundine crudeliter percuti, putentibus sputis indecenter aspergi, & alapis atrociter cædi. Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua, omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum, & nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula, Amen.

Vestitur purpurâ. Coronatur spinis. Arundo & alapæ & sputa.

DOXOLOGIA IX.

ADORO, laudo, & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: qui dignatus es pro me morti adiudicari, voluntatique Iudæorum tradi: dignatus es grandi trabe crucis grauiter onerari, & pergendo ad Caluariæ locum intolerabiliter affligi; manus & pedes diris clauis perterebrari, crucique affigi; tribus horis acerbissimos dolores in ligno crucis perpeti, acerrimâ siti cruciari, felleque & aceto potari, ac tandem, pretioso Sanguine prorsus effuso, mori. Sic me redemisti, ô amabilis Iesu, sic debita mea dissoluisti, & peccata expiasti, ex amore purissimo. Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua, omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum, & nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula. Amen.

Morti adiudicatur. Baiulat crucem. Crucifigitur. Aceto & felle potatur.

DOXOLOGIA X.

ADORO, laudo & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: qui pro me passionem amarissimam & mortem ignominiosissimam pertulisti. O! quantam dilectionis dulcedinem, quantam virtutum lucem in ipsâ passione tuâ mihi demonstrasti! Cùm despiceteris, irrideteris, malediceteris, sæuissimeque tractareris & crucifigereris, tu mitis atque innocens Agnus Dei non aperiebas os tuum ad conquerendum; sed omnia tranquillo animo ferens, orabas Patrem pro illis ipsis qui te persequebantur, tormentisque afficiebant. Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua, omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum, & nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula, Amen.

Passionis & mortis amaritudo. Irridetur & tacet. Orat pro inimicis.

DOXOLOGIA XI.

ADORO, laudo, & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: qui voluisti corpus tuum sanctissimum lassari, affligi, vulnerari, mori, & sepeliri pro salute meâ. Ego illi honorem exhibeo, quâ possum deuotione. Aue corpus Redemptoris mei purissimum, aue templum Diuinitatis venerandum, saluete delicata membra Domini mei, propter me variis laboribus & tormentis attrita. Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua, omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum, & nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula, Amen.

Sepelitur. Corpus sanctum & venerabile salutatur.

DOXOLOGIA XII.

ADORO, laudo, & glorifico te, tibique gratias ago, ô Fili Dei viui, Iesu dulcissime: pro beatis illis quinque Vulneribus, quæ in glorioso corpore tuo retinere voluisti. Ego illa humiliter veneror, vt possum. Auete fulgentes & mellifluæ plagæ Regis mei, auete præclara sigilla salutis meæ, salue totius beatitudinis gazophylacium, cor Amatoris mei suauissimum, pro me vulneratum. Suauis Iesu, recordare, quæso, pietatis & charitatis tuæ; recordare magnæ indigentiæ meæ, & miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua, omnia membra mea. Reconde me in ipsis roseis Vulneribus tuis, ibique animam meam tui amore inebria. Da mihi plenam peccatorũ veniam, & spiritum bonum. Da vt pro modulo meo imiter tuã humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, & ceteras ama-

Quinque Vulnera. Salutis sigilla. Cor gazophylacium gratia.

amabiles virtutes tuas. Fac vt tibi placeam. Sit nomen tuum,& nomen Matris tuæ, benedictum in sæcula, Amen.

III.

PRECATIONES ADMODVM PIÆ ET VTILES.

Oratio ad IESVM.

Confessio peccatorũ.

O Benignissime Domine Iesu Christe, fili Dei viui, fili virginis Mariæ, miserere mei peccatoris vilissimi. Non sum dignus quem terra sustineat, cùm te grauissimè offenderim. Pauper sum, & infirmus, & miser, & immundus. Eheu! quàm multa & magna sunt scelera mea! opera verò mea quàm exigua sunt,& imperfecta! Quàm lõgè absũ à sanctitate & fidelitate quam tibi debeo! Sed tu, pie Redemptor, responde, satisfac & supple pro me plenissimè: quia ad hoc venisti in mundum, ad hoc incarnari, pati & mori dignatus es. Pretioso Sanguine tuo ablue me,& ab omni peccato emunda. Amarâ passione ac morte tuâ mortifica in me omnia vitia, & aufer à me quidquid tibi displicet. Totam vitam meam deperditam & malam inuolue purâ sindone sanctissimæ vitæ tuæ, atque inopem animam meam exorna meritis ac virtutibus tuis. Propter bonitatem tuam largire mihi cor secundùm cor tuũ,& accende me tui dilectione, vt vicem amoris tibi rependam pro tuâ gratâ voluntate, Amen.

Deprecatio veniæ per passionem & crucem.

Præcellentissima oblatio ad Deum PATREM.

Oblatio vitæ & meritorũ Christi pro defectibus nostris.

PAter cælestis, Pater clementissime, propitius esto mihi peccatori miserrimo, & redde me tibi placentem per vnigenitum filium tuum Iesum Christum. Ego in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis, excessibus ac negligentiis meis, & pro peccatis totius mundi, & in perfectam suppletionem meritorum quæ mihi desunt, offero tibi eumdem dilectum Filium tuum, in vnione illius charitatis quâ tu eum misisti in mundum: offero omnia quæ ipse pro nobis fecit ac pertulit: offero sanctissimam Incarnationem, vitam, labores, ærumnas, passionem, cruciatus, Sanguinem & mortem illius: offero virtutes eius perfectissimas, & virtutes ac merita beatæ Mariæ virginis, atque omnium Sanctorum tuorum. Suscipe, obsecro, hanc oblationem in odorem suauitatis & laudem æternam, pro meâ omniumque salute, Amen.

Eadem oblatio, vni vel pluribus viuis aut defunctis specialiter applicata.

Item pro proximo viuo vel defuncto.

PAter cælestis, Pater clementissime, propitius esto mihi peccatori miserrimo,& redde me tibi placentem per vnigenitum filium tuum Iesum Christum. Ego in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis ac negligentiis illius [vel illorum] & in perfectam suppletionem meritorum, quæ ei [vel eis] desunt, offero tibi eumdem dilectum filium tuum, in vnione illius charitatis, quâ tu eum misisti in mundum: offero omnia quæ ipse pro nobis fecit ac pertulit: offero sanctissimam Incarnationem, vitam, labores, ærumnas, passionem, cruciatus, Sanguinem & mortem illius: offero virtutes eius perfectissimas, & virtutes ac merita beatæ Mariæ virginis, atque omnium Sanctorum tuorum. Suscipe, obsecro, hanc oblationem in odorem suauitatis & laudem æternam, pro salute ipsius [vel ipsorum,] Amen.

Oratio ad virginem MARIAM.

Inuocatio Deiparæ Virginis Mariæ.

AVe præclara virgo Maria, singularis consolatio mea, & dulce gaudium cordis mei. Tu es mulierum omnium pulcherrima atque purissima: ex quâ nasci & cuius lacte pasci voluit Rex cælorum Iesus Christus. En ego confugio ad te, inuoco te & spero in te, ô mater misericordiæ. Ego tuis pedibus aduolutus, obsecro per sanctissimam incarnationem, vitam, passionem & mortem dilecti Filij tui, vt impetres mihi plenam veniam peccatorum, mortificationemque vitiorum: impetres spiritum bonum, & gratiam salutarem, ac me ipsi Filio tuo tibique placentem reddas, Amen.

Ad eamdem.

Salutatio B. Mariæ per Salue Regina.

SAlue Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo,& spes nostra, salue. Ad te clamamus, exules filij Euæ. Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, Aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte: & Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende: ô clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria.

Ad eamdem.

Ad eamdem pro morte beatâ.

AVe Maria virgo benigna, virgo dulcissima, quæ peperisti Filium Dei Iesum Christum. Eia pia mater, dirige & serua me maternâ benignitate cunctis diebus vitæ

vitæ meæ; atque in extremo spiritu constitutum misericorditer protege, ne maligni spiritus possint nocere animæ meæ, ac salutem meam impedire. Exhibe mihi tunc iucundissimam præsentiam tuam, & roseo rutilantique vultu tuo ac blandis oculis tuis solare dolores & gemitus meos. Dic tunc animæ meæ: Ego Mater Dei, quam dilexisti & in quâ sperasti, loquar pro te: noli timere. Domina, redde me tunc certum de cælesti beatitudine, vt in sanctâ confidentiâ vitam hanc finiam, & te duce perueniam ad vitam æternam, Amen.

IV.

SERTVM B. VIRGINIS MARIÆ QVINQVEPARTITVM VITA ET GESTIS IESV CHRISTI PVLCHRE EXORNATVM.

In hoc Rosarium edidit insignem tractatum R. P. Franciscus Arias Presbyter Soc. IESV, *quem inscripsit, de Rosario 50 mysteriorum in Opusculo suo de Profectu spirituali. Idem Rosarium transtulit in praxes deuotas R. P. Antonius Sucquetius eiusdem Societatis in Viâ vitæ lib. 3. c. 23.*

PARS PRIMA.

1\. PATER noster, *&c.* Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem tu virgo purissima Angelo nuntiante de Spiritu sancto in ciuitate Nazareth concepisti, ac nouem mensibus in castissimo vtero tuo gestasti. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Incarnatio Verbi. Luc. 1.

2\. Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quo concepto, tu Deo plena ad Elisabeth cognatam tuam cum festinatione perrexisti, & eam salutasti, eique humiliter seruiuisti. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Visitatio Elisabeth. Luc. 1.

3\. Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem in Bethleem, in vili stabulo, tu Virgo inuiolata non solùm sine dolore, sed etiam cum ineffabili gaudio peperisti, natumque mox vt verum Deum deuotâ mente adorasti. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Natiuitas Iesu Christi Luc. 2.

Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem infantulum vagientem virgineo lacte pauisti, panniculisque inuolutum in præsepio super fœnum & stipulas reclinasti. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 4.

Lactatio infantis Dei. Luc 2.

Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem recens natum Angeli pastoribus gratulabundi nuntiauerunt, & eum lætis vocibus collaudantes, pacem hominibus bonæ voluntatis cecinerunt. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 5.

Manifestatio facta pastoribus. Luc. 2.

Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem pastores festinanter pergentes in Bethleem, inuenerunt positum in præsepio, & eum adorauerunt cum ingenti admiratione & gaudio. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 6.

Adoratur Christus à pastoribus. Luc. 2.

Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui octauo à natiuitate suâ die dignatus est purissimum Sanguinem pro nobis fundere, & circumcidi, atque ad nostram consolationem Iesus nominari. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 7.

Circumcisio pueri Iesu. Lucæ 2.

Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem Magi ab Oriente venientes piè quæsierunt, & magno gaudio perfusi, stellâ duce in Bethleem peruenerunt; ibique illum humiliter adorantes, aurum, thus & myrrham deuotè ei obtulerunt. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 8.

Adoratur à Magis. Matth. 2.

Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem die quadragesimo in templum iuxta Legis præscriptum detulisti, & hostiâ pauperum redemptum, Deo Patri gratissimo corde obtulisti. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 9.

Præsentatio Filij, & purificatio Matris. Lucæ 2.

Aue

10. *Fuga in Aegyptum.* Matth. 2. Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem in Ægyptum, propter metum Herodis, monitu Angeli mater fidelissima deportasti, tandemque eum inde in ciuitatem Nazareth retulisti. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Laus Trinitati fulgidæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Laus virgini Deiparæ,
Nunc & per omne sæculum, Amen.

PARS II.

1. *Iesus inter Doctores.* Lucæ 2. PATER noster, &c. Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem tu Virgo-mater, cùm esset annorum duodecim, in Ierusalem perdidisti, & eum mœsta requirens, post triduum in templo læta inuenisti. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

2. *Subiectio ad parētes.* Luc. 2. Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem tibi subditum materna curâ sedulò enutristi, & nihilominus ei tamquam altissimo Deo sanctam reuerentiam semper exhibuisti. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.

3. *Baptismus in Iordane.* Luc. 3. Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui anno ætatis suæ trigesimo, in Iordane flumine humiliter à seruo suo Ioanne baptizari voluit, cùm tamen ipse innocens agnus Dei, nullam vmquam peccati maculam contraxerit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

4. *Ieiunium quadraginta diebus in deserto.* Luc. 4. Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus nihil manducans ieiunauit, sicque cum feris Dominus cæli & terræ habitauit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

5. *Tentatio à diabolo.* Luc. 4. Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui pro salute nostrâ tentari à diabolo non recusauit, & quomodo satanam vincere nos oporteat demonstrauit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui per vrbes, vicos & castella iter faciens, Euangelium regni cælorum studiosè prædicauit, & labores fatigationemque corporis propter nos libenter sustinuit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 6. *Prædicatio Euangelij.* Matth. 4. Luc 4. Ioan. 4.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui crebrò in oratione pernoctauit, & famem, sitim, frigus, æstum, variasque persecutiones mitissimo corde nostri causâ pertulit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 7. *Nocturnæ orationes, labores & persecutiones.* Matth. 5.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui conuersans inter homines, omnibus afflictis misericorditer subuenit, ac signa plurima fecit, & Mariæ Magdalenæ, alijsque peccatoribus verè pœnitentibus, veniam promptissimè dedit, seque eis familiarem præbuit. Fac vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 8. *Misericordia, & miracula.* Ioan. 6.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui coram tribus discipulis in monte transfiguratus, facie sicut sol refulsit, & excellentiam gloriosi corporis magnificè ostendit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 9. *Transfiguratio.* Math. 17.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui veniens Ierosolymam vt pro nobis pateretur, Rex humilis & mansuetus asinæ insedit, atque inter laudes quæ ei à populo canebantur, videns ciuitatem lacrymas effudit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 10. *Ingressus in Ierusalem die Palmarum.* Math. 21. Ioan. 12.

Laus Trinitati fulgidæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Laus virgini Deiparæ,
Nunc & per omne sæculum, Amen.

PARS III.

PATER noster, &c. Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui in cœnâ nouissimâ pedes discipulorum suorum positis genibus humiliter lauit, & præcellentissimum Eucharistiæ Sacramentum inenarrabili charitate instituit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo pla- 1. *Lotio pedū. Eucharistia.* Ioan. 13. Math. 26. Mar. 14. Lucæ 22.

placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

2. *Agonia & sudor sanguinis.* Matth. 20. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui ingressus cum discipulis suis in hortum Olyueti, maximâ tristitiâ propter nos correptus fuit, & prolixè orans, sudorem sanguineum præ vehementiâ angustiarum toto corpore sudauit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

3. *Cohors Iudæorum. Osculum Iudæ.* Marc. 14. Luc. 22.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui inimicis suis obuiàm processit, eisque vltrò se obtulit, & à Iudâ proditore osculum accipere non renuit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

4. *Comprehensio & vincula.* Ioan. 18.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem viri impij irreuerenter comprehenderunt, & tamquam malefactorem ac latronem duris vinculis ignominiosè ligauerunt. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

5. *Annas. Caiphas. Alapa.* Marc. 14. Luc. 22.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui vinctus ad Pontificem cum opprobrio adductus fuit, & ab vno ministrorum eius atrocem alapam suscepit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

6. *Falsi testes. Colaphi. Sputa. Velata facies.* Marc. 14. Luc. 22.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui in domo Caiphæ falsis testibus fuit pressus, & putentibus sputis fœdatus, & ludibriosè velatus, & colaphis alapisque inhumaniter cæsus, ac blasphemijs indignissimè affectus. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

7. *Sistitur Pilato.* Matth. 27. Ioan. 18.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui contemptibiliter ductus ad Pilatum, demisso placidoque vultu coram eo stetit, & ad falsas Iudæorum accusationes humiliter tacuit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

8. *Spernitur & illuditur ab Herode.* Luc. 23.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem Herodes ad se missum, sapienterque coram se silentem, spreuit, & albâ ridiculâque veste tamquam fatuum induit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

9. *Flagellatur.* Ioan. 19.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui in prætorio fuit dedecorosè nudatus, & ad columnam inclementer ligatus, & flagris crudelissimè conscissus, proprioq; Sanguine miserabiliter cruentatus. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

10. *Purpurâ induitur & spinis coronatur.* Matth. 27. Marc. 15.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem homines iniqui chlamyde purpureâ ad maius ludibrium vestierunt, & acutis spinis coronauerunt, & nugatoriè adorauerunt atque subsannauerunt, & arundine percusserunt, ac fœdè conspuerunt, & diris alapis ceciderunt. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Laus Trinitati fulgidæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Laus virgini Deiparæ,
Nunc & per omne sæculum, Amen.

PARS IV.

1. *Ecce homo. Crucifige.* Matth. 27. Ioan. 19.

PATER noster, &c. Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui gestans coronam spineam & purpureum vestimentum, è prætorio fuit à Pilato productus, & Iudæis ostensus, atque ab eis ad mortem crucis magno turbulentoque clamore postulatus. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

2. *Adiudicatus morti baiulat crucem.* Matt. 27. Ioan. 19.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: quem Pilatus morti iniustè adiudicauit, voluntatique Iudæorum tradidit. Ipse ergo mox ab eis trabe crucis oneratus, ignominiosum hoc lignum laceris humeris suis cum ingenti cruciatu patienter baiulauit, factusque opprobrium hominum & abiectio plebis, humiliter ad Caluariam perrexit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

3. *Vinũ myrrhatum. Crucifixio.* Matth. 27. Marc. 15.

Aue Maria, &c. O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui in loco Caluariæ myrrhato fellitoque vino fuit potatus, ac vestibus probrosè nudatus, & manus ac pedes clauis atrociter perterebratus, crucique affixus. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue

4. Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: qui nudus, vulneratus & contemptus in ligno crucis pro nobis pependit, amariſſimoſque dolores pertulit, ac pretioſum Sanguinem ſuum fudit. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Pendet in Cruce. *Sanguinem ſtillat.* Lucæ 23.

5. Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: qui cùm medius inter duos latrones in cruce penderet, & à Iudæis ſubſannaretur blaſphemiiſque impeteretur, humillimam patientiam exhibuit, & inſuper pro blaſphemis crucifixoribus ſuis Patrem exorauit. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Rogat pro crucifixoribus & blaſphemantibus. Matth. 27. Lucæ 23.

6. Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: qui latroni verè pœnitenti peccata omnia miſericorditer condonauit, & paradiſi gaudia liberaliſſimè promiſit. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Paradiſum promittit latroni. Luc. 23.

7. Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: qui tibi dilectiſſimæ genitrici ſuæ ſub cruce ſtanti atque acerbè dolenti intimè compaſſus eſt, & te Ioanni diſcipulo commendauit, eique ac nobis omnibus in matrem dedit. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Matrem Ioanni commendat. Ioan. 19.

8. Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: qui ſuam paſſionem ſine aliquo ſenſibilis conſolationis releuamine tolerauit: vnde & grauitatem cruciatuum ſuorum indicans, ſe derelictū voce magnâ clamauit. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Eli, Eli Lamaſabacthani. Matth. 27.

9. Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: qui exanguis in cruce pendens, ſe vehementer ſitire eſt teſtatus, ſed felle & aceto in extremâ illâ calamitate fuit potatus. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Sitit, & datur ei fel cum aceto. Ioan. 19.

10. Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: qui morti vicinus ſpiritum ſuum in manus Patris commendauit; iamque redemptionis noſtræ opere conſummato, bonus paſtor animam pro ouibus ſuis ex puro amore poſuit. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

In manus Patris commendat ſpiritum, & moritur. Luc. 23.

Laus Trinitati fulgidæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Laus virgini Deiparæ,
Nunc & per omne ſæculum, Amen.

PARS V.

PATER noſter, &c. Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: qui morte pro nobis in cruce guſtatâ, mox ad inferna ſecundùm animam ex ſummâ charitate deſcendit, & electos ſuos potenter inde eripuit. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 1.

Deſcenſus ad Patres in Limbum. Epheſ. 4.

Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: cuius ſanctiſſimum latus, te præſente, lanceâ apertum, & amoroſum cor vulneratum fuit, vnde nobis Sanguis purpureus & aqua ſalutaris profluxit. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 2.

Latus lanceâ tranſfigitur. Ioan. 19.

Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: quem de cruce depoſitum in ſinum gremiumque tuum (vt piè credimus) ſuſcepiſti, & lacrymis vbertim rigaſti, eique oſcula amanter impreſſiſti. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 3.

Deponitur intra Matris brachia.

Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: cuius corpus ſacratiſſimum Ioſeph & Nicodemus piâ deuotione aromatibus condierunt, & ſindone inuoluerunt, atque in ſepulchro poſuerunt. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen. 4.

Sepultura Chriſti. Matth. 27. Mar. 16. Ioan. 19.

Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum: qui tertiâ die victor è clauſo ſigillatoque ſepulchro prodiens, à mortuis virtute propriâ ſurrexit, & te dilectâ matrem ſuam ceteroſque amicos ſuos optatiſſimo gaudio lætificauit. Fac, vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen. 5.

Reſurrectio à mortuis. Matth. 28. Luc. 24. Ioan. 20.

Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem no- 6.

Ascensio in cælum. Marc. 16. Luc. 24. Actor. 1. nostrum Iesum: qui quadragesimo post resurrectionem suam die, in cælum gloriosè ascendit, & ad dexteram Patris triumphator nobilis consedit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus,& eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

7. *Missio Spiritus sancti. Actor. 2.* Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui Spiritum sanctum in Apostolos aliosque fideles misit, & eos illo mirificè consolatus est, confortauit, illuminauit atque instruxit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus,& eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

8. *Assumptio B. Virginis.* Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui te charissimam genitricem suam in cælum assumptam supra choros Angelorú exaltauit, Reginamq; & Imperatricem celsissimam constituit. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

9. *Aduentus ad iudiciũ.* Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum: qui in fine sæculi venturus est iudex in maiestate magnâ, vt reddat reprobis horrenda supplicia, & iustis æterna gaudia. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

10. *Gloria æterna.* Aue Maria, *&c.* O benigna & suauis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum Iesum, qui est amabilis & desiderabilis gloria Beatorum, atque cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Fac, vt ipsi dulcissimo filio tuo Iesu Christo placeamus,& eum teque videre mereamur in cælis, Amen.

Laus Trinitati fulgidæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Laus virgini Deiparæ,
Nunc & per omne sæculum, Amen.

NOTA.

Fructus ingens ex Rosarij lectione. OLIM reuelatum fuit cuidam spirituali Patri Carthusiano apud Treuerim*, quòd quoties quis piè & sanctè legit Sertum siue Rosarium gloriosæ virginis Mariæ cum articulis vitæ & passionis Christi, toties plenam peccatorum suorum veniam, simulque eximiam gratiam & eximium meritorum cumulum consequitur. Reuerà enim hoc Sertum Christo & Mariæ gratissimum est, atque ad impetrandum efficacissimum: quod tam pro nobis quàm pro alijs nobis commissis, & pro totâ Ecclesiâ perorare possumus. Ceterùm non est necesse, vt illud vno tempore totum compleatur, sed per particulas diuersis horis vel diebus legi potest: & eo modo interdum maiori deuotione ac fructu expletur.

* Idem referunt Ludolphus & Laspergius. Accidit circa annum 1431.

V.

ALIA ORATIONVM EXERCITIOLA NON CONTEMNENDA NEQ. PARVIPENDENDA.

Manè, lecto Symbolo Apostolorum cum Oratione Dominicâ & Salutatione Angelicâ, dices, si volueris, quatuor Precationes sequentes.

I. *Oratio ad* SANCTAM TRINITATEM.

ADORO te, ô fulgida & semper tranquilla Trinitas, vnus Deus. Adoro te, ô Domine summæ maiestatis, creator cæli & terræ, & omnium visibilium atque inuisibilium. Adoro te, ô altissime & benignissime Deus, perenne bonum meum. Tibi Patri, & Filio, & Spiritui sancto laus, honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen. *Adoratio Trinitatis.*

II. *Oratio ad* IESVM.

SAluto te, ô fili Dei viui Iesu Christe, suauis Redemptor, qui incarnari, pati & mori voluisti pro me. Propitius esto mihi peccatori, & plenè me emunda. Largire mihi spiritum bonum & gratiam salutarem. Gratias ago pietati tuæ pro requie quam hac nocte mihi concessisti. Offero tibi somnum meum in laudem æternam, in vnione illius amoris quo tu Deus meus pro me factus homo, somnum corporalem cepisti in terris, ad honorem Patris, & salutem totius generis humani. Hodie commendo tibi animam meam & corpus meum: serua me, quæso, ab omni peccato, & in viam pacis dirige: doce me semper facere voluntatem tuam. Peto, Domine, & desidero, vt ex singulis actibus, verbis, cogitationibus, motibus & respirationibus meis, resultet laus nominis tui. Peto, vt omnes spiritus beati & omnes Sancti tui glorificent te pro me omni temporis momento: quia tu es benedicendus in sæcula sempiterna, Amen. *Salutatio ad Christum pro beneficijs. Gratiarum actio. Oblatio sui. Commendatio ad tutelam Dei. Petitio gratia.*

III.

III. *Oratio ad B. virginem* MARIAM.

Ad virginẽ Deiparam. SAluto te, ô cæli Regina, mater Dei gloriosa, Domina mea dulcissima, virgo Maria. Miserere mei peccatoris. Commendo me tibi hodie. Dirige, quæso, adiuua & protege me in omnibus, ne inimicus meus præualeat aduersum me. Ora pro me, & effice vt Filio tuo tibique semper acceptus sim, Amen.

IV. *Oratio ad proprium* ANGELVM.

Ad Angelũ custodem. SAluto te, ô sancte Angele Dei, vernans flos cæli, Princeps nobilis, cui à Domino commissus sum. Miserere mei peccatoris. Commendo me tibi hodie. Deduc me, quæso, in viam mandatorum Dei, & ab hoste maligno iugiter defende, atque in gratiâ Dei conserua, Amen.

Si obligaris legere Preces horarias, antequam illas inchoës, dic hanc aut similem Orationem.

Ante Officiũ diuinum. DOmine Iesu, ego humiliter pro tuo honore obedire, & tibi fideliter seruire, teque purè laudare desidero in vnione illius perfectissimæ attentionis, quâ Patrem orasti & laudasti in terris. Adiuua me gratiâ tuâ, quia sine te nihil possum.

Oratio post Preces horarias dicenda.

Post Officium. BOne Iesu, propitius esto mihi peccatori. Ego tepidum & distractum seruitium meum commendo mellifluo cordi tuo emendandum & perficiendum, tibique ipsum offero ad salutem omnium, in vnione illius perfectissimæ attentionis, quâ tu Patrem orasti & laudasti in terris. Responde, quæso, satisfac & supple pro me plenissimè, Amen.

Missam auditurus dicito:

Ad Missam. DOmine Iesu, largire mihi, obsecro, gratiam tuam, & concede vt purè intersim sancto Missæ sacrificio, ad æternam laudem nominis tui, in memoriam eorum omnium quæ pro salute meâ fecisti, atque pertulisti.

Sacerdos sacrificaturus, & quilibet sacram Eucharistiam sumpturus, potest dicere sequentem Orationem.

Oratio ante Communionem.

Ante Missã vel sacram Communionem. GRatias ago tibi, amantissime Domine Iesu Christe, pro omnibus bonis, quæ mihi & alijs quibuscumque hominibus vmquam contulisti, atque collaturus es. Gratias ago, quòd ex purâ charitate mihi dedisti corpus & animam, ac secundùm animam fecisti me ad diuinam imaginem & similitudinem tuam. Gratias ago, quòd me ad sacrum Baptisma, & ad rectę Catholicæque fidei cognitionẽ perduxisti. Gratias ago, quòd me iniquissimè viuentẽ tam patienter tolerasti, & à te auersum tam benignè ad te reuocasti. Gratias ago, quòd innumera grauissimaq; scelera mea, quibus inferni tormenta toties commerui, tam clementer remisisti. Gratias ago, quòd singulis momentis mihi benefacere non cessas, & salutem meam in omnibus promouere desideras. Gratias ago pro cunctis tribulationibus, angustijs, afflictionibus & pœnis, quas hactenus mihi euenire permisisti: eas tibi offero in laudem æternam, in vnione venerandæ passionis tuæ. Gratias ago pro vniuersis miserationibus suauissimæ pietatis tuę. Gratias ago pro incarnatione, natiuitate, infantiâ, pueritiâ, adolescentiâ, iuuentute, laboribus, ærumnis, passione, morte, resurrectione & ascensione tuâ. Gratias ago pro institutione sacrosanctæ & venerabilis Eucharistiæ, in quâ teipsum nobis reliquisti. Miserere mei vilissimi peccatoris: miserere mei secundùm multitudinem miserationum tuarum. Emunda me, quæso, ab omni peccato, & negligentiâ & impuritate. Exorna egenam animam meam tuis merjtis ac virtutibus, vt tibi placeam, Amen.

Gratiarum actio. Pro omnibus hominibus: Pro naturalibus donis: Pro spiritualibus: Pro patienti expectatione emendationis: Pro tribulationibus: Pro beneficijs Christi.

Quilibet Christianus posset quotidie vtilissimè offerre Deo prædictam gratiarum actionem, aut aliam similem.

Altera Oratio ante Communionem.

PRæsta mihi, pijssime Iesu, vt humili reuerentiâ offeram tibi sanctum Missæ sacrificium [vel, percipiam venerabile Corporis tui Sacramentum,] in memoriam eorum omnium, quæ pro salute meâ facere, loqui & pati voluisti. Perficiam hoc purissimè ad gloriam nominis tui sempiternam, ad honorẽ dulcissimæ genitricis tuæ virginis Mariæ, ad honorẽ sancti N. [vel N.] ad honorem totius Curiæ cęlestis; ad salutem meam, ad salutem N. [vel N.] ad salutem omnium fidelium viuorum & defunctorum. Miserere Ecclesiæ tuæ & totius mundi. Propter amaram passionem & mortem tuam da viuis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam, Amen.

Quando Sacerdos sub sacrificio Missæ eleuat sacram Hostiam, potes dicere:

Ad eleuationem Hostiæ. AVe salus mundi, Verbum Patris, Hostia sacra, vera & viua caro, Deitas inte-

integra, verus homo, Corpus Domini mei Iesu Christi. Tu Rex qui me creasti & redemisti, miserere mei, Amen.

Quando Sacerdos eleuat sanctum Calicem, dicito:

Ad eleuationem Calicis.

AVe sacer Sanguis Redemptoris mei, carum pretium salutis meæ. Laus tibi Domine Iesu, qui purum Sanguinem tuum fudisti, & mortuus es pro me in cruce. Propter bonitatem tuam miserere mei, Amen.

Spiritualis oblatio Hostiæ ad Deum Patrem.

Oblatio spiritualis sacrificij.

PAter cælestis, ego in plenam emendationem, expiationem & satisfactionem pro omnibus peccatis, excessibus ac negligentijs meis, & pro peccatis totius mundi [vel, pro peccatis illius, aut illorum,] offero tibi hanc sacrosanctam & venerandam Hostiam, dilectum filium tuum Iesum Christum. Suscipe, obsecro, hanc oblationem in odorem suauitatis & laudem æternam, pro meâ omniumq; salute [vel, pro salute eius, aut eorum.]

Quando iamiam sumpturus es sacram Eucharistiam, sic orare poteris:

Paulò ante sacrã Communionem.

PIe Iesu, ego desidero suscipere te, sacramentaliter [vel spiritualiter,] licet non sim dignus vt intres sub tectum meum. Propitius esto mihi peccatori, & aufer à me quidquid odisti. Præpara tibi gratã & amœnam habitationem in me. Vtinam, Domine, vtinam ardentissimo tui desiderio & amore flagrarem, tibique perfectè placerem! Ecce renuntio omnibus extra te. Veni in cor meum, veni, & pasce te ipso animam meam, eamque reple gratiâ tuâ, Amen.

In ipsâ sumptione Sacramenti potes hæc verba ruminare:

In sacra Eucharistiæ sumptione.

O Bone Iesu, dilecte mi, charissime mi. O amor meus, dulcedo cordis mei, vita animę meæ! O æternum bonum meum, mellifluе Iesu! miserere mei. Vni me tibi intimè ad gloriam nominis tui, Amen.

Sacerdos postquam sacrificauit, & quilibet postquam sacram Eucharistiam sumpsit, dicat, si vult, sequentem Orationem.

Oratio post Communionem.

Post Missam vel Communionem Eucharisticam.

GRatias ago tibi, benignissime Domine Iesu Christe, qui me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad splendidum viuificumque sacræ mensæ tuæ conuiuium. Hei mihi, quia nimis indignè compleui hoc sanctum sacrificium [vel percepi hoc venerabile Sacramentum.] Miserere mei, ignosce mihi. Ego quod egi, commendo mellifluo cordi tuo emendandum & perficiendum, ad æternam gloriam tuam, & ad salutem omnium. Responde, satisfac & supple pro me plenissimè, Amen.

Altera Oratio post Communionem.

PIe Iesu, emenda me, quæso, & ab omni salutis impedimento absolue per hoc præcellentissimum Sacramentum. Innoua spiritum rectum in visceribus meis, & largire mihi gratiam tuam salutarem. O dulcissime Domine Deus meus! quid volo præter te? Tu mihi sufficis. Accende, & concrema me igne amoris tui. Conforma voluntatem meam sanctissimæ voluntati tuæ in omnibus, meq; totum in te transforma ac transmuta, ad laudem nominis tui. Propter amaram passionem & mortem tuam da viuis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam, Amen.

Dum aggrederis quidpiam, dicito:

Ante opus pro purâ intentione.

DOmine Iesu, da vt istud faciam, ista loquar, hoc exercitium peragam, ad æternam laudem nominis tui, sicut tibi placitum est.

Post opus vel exercitium dicito:

Post opus pro bonâ & vtili operis oblatione.

DOmine Iesu, ego hoc quod feci, ea quę dixi, has cogitationes meas, hoc ieiunium meum, has orationes meas, hæc exercitia mea, commendo mellifluo cordi tuo emendanda ac perficienda, tibique illa offero in laudem æternam, & ad salutem omnium, in vnione sanctissimorum operum, verborum, cogitationum, ieiuniorum, orationum vel exercitiorum tuorum: hanc modicam eleëmosynam per me factam tibi offero in vnione pietatis, misericordiæ & charitatis tuæ.

Monitiuncula pro pijs istis exercitiolis.

Istæ orandi formulæ præscribuntur tyrunculis spiritualibus. Quilibet poterit vti alijs & pluribus vel paucioribus verbis, pro suo affectu: imò poterit etiam sine vllis verbis, solâ mentis eleuatione intentionem cogitationemq; suam dirigere ad Deum in suis operibus atque exercitijs.

Si

Si legisti vel audiuisti quidpiam boni, dicito:

Oratio vel adspiratio inter legendum. DOmine Iesu, laudo te, & gratias tibi ago pro hac sanctâ doctrinâ, [vel pro his salutaribus verbis] da vt ex eis proficiam, ac tibi placeam. Ego illa Maiestati tuæ offero in laudem æternam, & ad salutem omnium.

Si aliquid aduersi pateris aut passus es, dicito:

In aduersis. DOmine Iesu, ego hunc dolorem, hanc molestiam, hoc impedimentum, hanc tristitiam, hoc improperium, hanc tribulationem, hoc grauamen tibi offero in laudem æternam in vnione dolorum tuorum, tristitiæ tuæ, afflictionum tuarum, vel in vnione venerandæ passionis tuæ.

Si cor tuum frigidum & aridum est, dicito:

In ariditate. PAter cælestis, ego pro frigidâ & miserâ cordis mei ariditate, offero tibi feruida desideria ardentissimumque amorem cordis dilecti filij tui Iesu Christi: offero sanctam deuotionem & charitatem beatę Mariæ virginis matris eius, atque omnium electorum tuorum.

Ante sumptionem cibi Oratio.

Ante cibũ. DOmine Iesu, da vt sanctè & continenter sumam cibum ac potum ad gloriam nominis tui, in vnione illius amoris, quo tu Deus meus pro me factus homo, cibum potumque sumpsisti in terris, ad honorem Patris, & salutem totius generis humani.

Post sumptionem cibi Oratio.

Post corporalem refectionem. GRatias tibi ago, Domine Iesu, pro hac refectione corporali quam mihi indigno præstitisti. Singulas buccellas & guttas quas sumpsi, offero tibi in laudem æternam, in vnione illius amoris, quo tu Deus meus pro me factus homo, cibum potumque sumpsisti in terris, ad honorem Patris, & salutem totius generis humani.

Vesperi, examinatâ conscientiâ, & lecto Symbolo Apostolorum cum Oratione Dominicâ ac Salutatione Angelicâ, potes dicere quatuor Precationes sequentes.

I. *Oratio ad* IESVM.

EHeu, Domine Iesu! Peccaui, peccaui, & malum coram te feci: miserere mei, quia pius & clemens es. Ego omnia peccata mea, omnes excessus ac negligentias meas depono in cruenta Vulnera tua, omnes offensas meas proijcio in abyssum misericordiæ tuæ, vt ibi ad nihilum redigantur. Spero & confido in immensâ bonitate tuâ. Ablue me, quæso, purissimo Sanguine tuo, & plenè emunda. Responde & satisfac pro me. Ecce desidero & propono (te adiuuante) corrigere me. Renuntio omnibus quæ tibi displicent. Conforta me gratiâ tuâ Domine Deus meus, Amen. *Proiectio peccatorum in Vulnera Christi, cum proposito emendationis.*

II. *Oratio ad eumdem.*

BOne Iesu, gratias tibi ago pro omnibus beneficijs & donis tuis spiritualibus atque corporalibus, quibus indignus sum. Commendo pietati tuæ hac nocte animam meam & corpus meum, commendo hanc ciuitatem [vel congregationem.] Da vt pudicè & sanctè somnum capiam ad gloriam nominis tui, in vnione illius amoris quo tu Deus meus pro me factus homo, somnum corporalem cepisti in terris, ad honorem Patris, & salutem totius generis humani. Peto & desidero, vt singulæ respirationes meæ hac nocte laudem & amorem tibi exhibeant, Amen. *Commendatio ante somnum.*

III. *Oratio ad B. virginem* MARIAM.

O Maria virgo Deipara, miserere mei, quia pia & misericors es. Impetra mihi veniam peccatorum. Commendo me tibi hac nocte. Protege me, quæso, ab insidijs inimici, vt castè necessarium somnum percipiam ad gloriam Dei, Amen. *Ad virginem Matrem ante somnum.*

IV. *Oratio ad proprium* ANGELVM.

O Sancte Angele Dei, Princeps nobilis, custos meus fidelis, miserere mei. Gratias tibi ago pro custodiâ tuâ, & pro dilectione, quam mihi indigno exhibes. Domine mi, commẽdo tibi hac nocte animam meam & corpus meum. Defende me, quæso, ab omni malo, vt in sanctâ pace dormiam & requiescam, Amen. *Ad Angelũ pro bonâ custodiâ in somno.*

Quando libuerit, poteris valdè vtiliter legere tres Orationes sequentes.

I. *Precatio ad* IESVM.

O Clementissime Domine Iesu Christe, miserere mei & omnium. Converte ad te miseros peccatores, ne pereant. Reuoca hæreticos atque schismaticos. Illumina *Pro omniũ fidelium necessitatibus.*

infideles te ignorantes. Benefac his qui me vmquam iniuriâ aut molestiâ aliquâ affecerunt. Adesto omnibus qui in necessitate & tribulatione aliquâ constituti sunt. Adesto fidelibus viuis & defunctis, qui se precibus meis cômendauerunt vel commendati esse cupiunt. Adesto parentibus, propinquis, & benefactoribus meis. Adesto omnibus pro quibus ego orare debeo & tu rogari vis. Adesto huic ciuitati [vel congregationi.] Concede vt sit hîc humilitas, pax, concordia, charitas, continentia & puritas. Concede vt omnes dignè emendemus atque corrigamus nos, & timeamus te, & seruiamus tibi fideliter, & diligamus te, & placeamus tibi. Visita corda omnium nostrûm: da nobis spiritum bonum, & gratiam tuá salutarem. Commendo tibi cuncta negotia spiritualia & temporalia, omnesque necessitates nostras. Dispone & ordina omnia secundùm supremum beneplacitum tuum. Præsta mihi, vt quidquid tu vis, hoc velim & ego. Ipsa gratissima voluntas tua sit semper summa consolatio mea, Amen.

II. *Precatio ad eumdem.*

Pro remissione peccatorum. DEle, Domine Iesu, dele omnia peccata mea pretioso Sanguine tuo. Restitue mihi innocentiam quam in Baptismo contulisti: quia nihil tibi est impossibile, & misericors es valdè. Propter bonitatem tuam largire mihi spiritum bonum. *Et pro gratiá virtutum.* Effice me verè humilem, & resignatum, & patientem, & tranquillũ, & continentem, & sobrium, & feruentem, & discretum: effice me hominem secundùm cor tuum. Da mihi te diligere, amoris vicem reddere, ardenter te requirere, & tibi soli viuere. O vtinam, vtinam numquam te offendissem! vtiná posthac in omni virtute & sanctitate tibi placerem iuxta voluntatem tuam! Commendo fidelissimè pietati tuæ progressum & finem vitæ meæ. *Pro felicitate mortis.* Benedic mihi in nouissimis meis, & præsta, vt in sanctâ confidentiâ, in sanctâ gratiâ atque amicitiâ tuâ, vitam hanc finiam. Benignè me tunc suscipe in misericordiâ & bonitate tua. Peto, Domine, ad laudem nominis tui, vt anima méa tota munda hinc exeat, & ad vitam æternam perueniat, Amen.

III. *Precatio ad beatissimam virginem* MARIAM.

Pro gratiâ virtutum. O Clementissima virgo Maria mater Dei, miserere mei peccatoris miserrimi. Multæ & graues sunt iniquitates meæ: sed tu, Domina, responde pro me propter dulcissimam pietatem tuam. Remoue à me omne salutis impedimentum. Impetra mihi veram puritatem, & innocentiam, & spiritum bonum. Impetra sanctam humilitatem, & patientiam, & charitatem, & continentiam, & sobrietatẽ, & confidentiam. Adesto mihi nunc & in horâ mortis meæ. Ipsum obitum meum attentiùs tibi commendo. Benignè me tunc consolare, conforta & protege. Effice tuis meritis, vt anima mea tota munda hinc exeat, & ad vitam æternam perueniat, Amen.

Dulcia verba ad IESUM, *frequenter ruminãda.*

Adspirationes amorosæ ad Iesum. O Christe Iesu! tu mihi præsens es, miserere mei. O pie, ô clemens, ô benigne Redemptor! O spes mea, refugium meum, salus mea vnica! O bone Iesu, dilecte mi, charissime mi! O amor meus, dulcedo cordis mei, vita animæ meæ! O serena lux mea, vernans gaudium meum, pax mea suauis! O diuitiæ meæ, verum bonum meum, sufficientia mea! O paradise deliciarum, Deus meus, intende mihi. Peto veniam, peto spiritum bonum, peto gratiam. Emunda, sana, sanctifica me. Doce, illumina, dirige me. Adiuua, protege, salua me. Da vt diligam te toto corde, totâ animâ, totâ virtute. Laus tibi Domine, laus tibi, honor & gloria perennis, Amen.

Verba huiusmodi ediscenda sunt, vt quouis loco prompte in memoriâ habeantur, ad ruminandum illa pio & amanti corde in placidâ simplicíq; introuersione. *Monitiuncula.*

Similia verba ad beatissimam virginem MARIAM.

Adspirationes ad Virginem Matrem. O Maria, dulcis mediatrix! miserere mei. O pia, ô clemens, ô benigna mater! O spes mea, refugium meũ, consolatrix mea! O virgo suauis, gratiosa, amabilis! O femina formosa, præcellens, sanctissima! O genitrix Dei, Regina cæli, gaudium Angelorum! O sidus rutilans, lilium candens, rosa venusta! O paradise voluptatis, charissima mea! intende mihi. Peto veniam, peto spiritum bonum, peto gratiã: Doce, illumina, dirige me. Adiuua, protege, salua me. Dele culpas, ô Maria, placa natũ prece piâ: quia per te patet via ad æterna gaudia. Laus tibi Domina, laus tibi, & honor, & gloria perennis, Amen.

Oratio ad quemlibet SANCTUM.

Suspiria ad quemlibet Sanctorum. AVe vernans flos cæli & gloriose ciuis paradisi, beate N. Gratias ago Domino pro omnibus bonis quæ in te contulit. Laudo illum, & tibi in augmentum gaudij ac

ac gloriæ offero totius beatitudinis gazophylacium, cor Iesu Christi mellifluum. O Domine mi, ora pro me misero peccatore. Impetra mihi plenam veniam, & spiritum bonum, ac sanctam gratiam, vt Deo perfectè reconcilier, & illi placeam. Adesto mihi nunc & in horâ mortis meæ. Ipsum obitum meum attentiùs tibi commendo. Benignè me tunc consolare, conforta, & protege. Effice tuis meritis, vt anima mea tota munda hinc exeat, & ad vitam æternam perueniat, Amen.

Eadem Oratio ad plures Sanctos.

Suspiria & adspirationes ad plures Sanctos.

AVete vernantes flores cæli & gloriosi ciues paradisi, beati N. & N. Gratias ago Domino pro omnibus bonis quæ in vos contulit. Laudo illum, & vobis in augmentum gaudij ac gloriæ offero totius beatitudinis gazophylacium, cor Iesu Christi mellifluum. O Domini mei, orate pro me misero peccatore. Impetrate mihi plenam veniam, & spiritum bonum, ac sanctam gratiam, vt Deo perfectè reconcilier, & illi placeam. Adestote mihi nunc & in horâ mortis meæ. Ipsum obitum meum attentiùs vobis commendo. Benignè me tunc consolamini, confortate & protegite. Efficite vestris meritis, vt anima mea tota munda hinc exeat, & ad vitam æternam perueniat, Amen.

VI.

BREVIS ET ABSOLVTA MVLTVMQVE SALVTARIS DOCTRINA.

Continet sex passus ad perfectionem.

1. *Beneplacitum Dei solius dumtaxat in omnibus quærendum actionibus, propria verò voluntas in iysdem mortificanda.*
2. *Amor Dei & proximi continuè exercendus.*
3. *Nulla res creata inordinatè amanda: ponit enim medium inter Deum & animam.*
4. *Conformitas voluntatis cum diuinâ prouidentiâ in omnibus quæ eueniunt.*
5. *Humilitatis præclarum exercitium.*
6. *Vita & passio Christi diligenter inspicienda.*

1. *In omnibus quære Dei beneplacitum, & mortifica propriã voluntatem.*

SI ad veritatis agnitionem & animi tranquillitatem summamque perfectionem breui compendio peruenire desideras, oportet vt sis bonæ voluntatis, & nihil magis tibi curæ sit, quàm placere dulcissimo Creatori atque benefactori tuo Deo: oportet vt ipsius Domini voluntatem iugi studio obseruare & adimplere coneris. Igitur † construe tibi per mentis conceptum veluti habitaculum quoddam ex solius diuinæ voluntatis materiâ, teque in eo ita conclude, vt in omnibus quæ agenda vel omittenda occurrunt, cogites voluntatem Dei te circumdare, secundùm quam semper viuere debes. Proinde nihil aspicere, nihil audire, nihil gustare, nihil aliis sensibus percipere, nusquam progredi, nihil facere, nihil loqui, nihil cogitare aut desiderare velis aliter, quàm Deo placitum acceptumque esse credis. Propter Dei honorem atque amorem resigna & abnega tuam voluntatem quæ inordinata est: mortifica tuas prauas passiones & affectiones: extingue in te omnem propriam quæsitionem & peruersum tuiipsius amorem. Quantum enim tibiipsi & vitiosis propensionibus tuis morieris, tantum viues in Deo: & quantò diligentiùs eieceris quod tuum est, tantò abundantiùs recipies quod Dei est, nempe sanctissimam gratiam Dei, & Deum ipsum. Relinque ergo, abdica & fuge pro viribus ea quæ Deo displicere, gratissimæque eius voluntati repugnare cognoscis, vt sunt superbia, vana gloria, odium in proximum, & huiusmodi alia peccata ac vitia.

2. *Exerce semper amorem Dei & proximi propter Deum. Matth. 22.*

Dilige Dominum Deum tuum toto corde tuo, totâ animâ, totâ virtute, iuxta gratiam tibi ab ipso datam: proximum quoque tuum (id est, quemlibet hominem hic viuentem) ama charitate sincerissimâ, benignum, paratum, & beneuolum te illi exhibens, cauensque ne eum lædas, aut iniuriâ aliquâ afficias. Hæc enim duo maximè vult & vnicè abs te requirit Deus tuus.

3. *Nihil creatum inordinatè ama, nec teipsum quidem, sed Deum solum puro amore.*

Palàm autem erit te Deũ verè diligere, si nihil terrenum nec etiã teipsum inordinatè amaueris, & nulli rei caducæ, nulli mortali creaturæ per vitiosum affectum adhæseris: si in omnibus quæ agis vel omittis, laudem gloriamque Dei purè quæsieris: si voluntatem tuam voluntati diuinæ sedulò subieceris, & quælibet aduersa de manu Domini humiliter susceperis, & ea propter illum æquo animo ad finem vsque toleraueris, atque ipsius Domini Dei tui bonitati firmissime innixus permanseris. Ergo separa atque repurga voluntatem tuam ab omni terreno & carnali affectu quantum potes, ita vt neque te neque vllam aliam creaturam in hac vitâ ames, nisi in Deo & propter Deum, ames verò Deum propter seipsum. Nam diuinus amor consortium terre-

† Pulchra & vsurpanda praxis construendi habitaculi diuinæ voluntatis, in quod sese concludat, & velut in voluntario carcere habitet Ascetа perfectæ resignationis amator.

Amoris proprij damna.

ni amoris nullo modo pati potest. Unde quantum te transitoriarum caducarumque rerum contagione infeceris, tantum in Dei amorem peccabis, & tantum à verâ perfectione excides. Planè, nullâ ratione fieri poterit, vt Deo nudè coniungaris atque vniaris, si sensuali & impuro amore implicitus fueris. Nam tot media inter te & Deum constituis, quot sunt res quas malè amas vel appetis. Itaque omni tempore obserua teipsum vigilanti custodiâ, & terrenis concupiscentiis vitiosisque affectibus viriliter resiste, ac curas nimis anxias inordinatamque tristitiam ab animo tuo repelle. Prætereà in omnibus operibus, verbis, cogitationibus, exercitiis & actibus tuis, specta solummodò Dei honorem & gloriam. Summoperè etiam desidera, vt omnes alij homines cognoscant, quærant & ament Deum.

Mediũ enim ponit inter Deum & animam.

4\. *Resigna & conforma te diuinæ prouidentiæ, sine vllâ exceptione, vndecumque veniant aduersa, quia Deus ob bonum tuum illa vult euenire.*

Postremò, opta ex animo & totis viribus ad hoc contende, vt voluntas tua sẽper conformis sit voluntati Dei. Numquam recalcitres neque murmures contra Deum. Suscipe humiliter de manu eius quidquid in hac vitâ tibi accidit, quomodocumque etiam accidat, & à quacumque creaturâ proficiscatur vel inferatur: neque enim aliquid sine Dei voluntate & permissione alicui euenit. Et cùm ipse Deus sit summè bonus, non potest nisi quæ bona sunt tibi vel aliis velle. Si permittit te tribulationibus, persecutionibus, tentationibus, angustiis, ariditate obscuritateque mentis, infirmitate corporis, vel quolibet alio grauamine premi: persuasissimum habe, eum hoc facere ex purâ charitate pro salute animæ tuæ. Perfer igitur omnem aduersitatem & molestiam, tam internam quàm externam, cum benignâ, patienti & tranquillâ tui resignatione, propter amorem illius, cuius sanctissimâ voluntate ac dispositione accidit. Ipse ex summâ dilectione omnia nobis tribuit, & in omnibus salutem nostram promouere desiderat, qui de malo pœnæ & † culpæ maius bonum, quàm sit ipsum malum, elicere nouit. Crede inconcussâ fide, eumdem Dominum Deum tuum magis amare te quàm tu te ames, & diligentiorem tui curam habere, quàm ipse habeas aut habere possis. Confide in eo plenissimè, te & omnia diuinæ eius prouidentiæ, sine aliquâ hesitatione committens, omnemque sollicitudinem tuam in eum proiiciens. Quantò enim securiùs te tuaque per laudabilem confidentiam illi commiseris, tantò præsentius adiutorium ab eo obtinebis, sicut vtile fuerit.

Fiducia inconcussa in summum Dei amorem & benignitatem.

5\. *Humilitatis memorabile exercitium.*

Ceterùm memineris, te nihil eorum quæ dicta sunt conuenienter posse præstare, nisi verè humilis esse studeas. Vt autem faciliùs sanctam humilitatem teneas, contemplare & considera profundâ mente nihilum tuum. Tu enim ex teipso tu nihil es, quia à Creatore Deo de nihilo factus es: & mox redigereris in nihilum, nisi ille iugiter te conseruaret. Iam cùm nec esse ex teipso habeas, nec permanere in esse per teipsum possis; manifestum est, te ex teipso neque facere neque cogitare quidquam boni posse. Tu ex teipso ad omne malum pronus es: vnde si tibiipsi † relinquereris, enormia scelera assiduè committeres. 2. Quomodo ergo inflari, superbire, vanè gloriari, & te aliis præferre poteris? Quomodo te aliquid esse reputabis? Quomodo vel pilum vnum tibi vsurpabis de his quæ à Deo accepisti? Tu peccando vilissimum te fecisti, adeò vt non sis dignus quem terra sustineat: & iustum esset vt omnes creaturæ iniuriam, quam Creatori tuo irrogasti, dirè vlciscerentur. 3. Hæc recogita: & indignitatem vilitatemque propriam attendens, humilia & contemne teipsum, atque ab aliis etiam contemni non recuses. Libenter exequere infima & abiecta officia vel opera. Demitte te infra omnes homines, & promptè obedi amore cælestis Regis, qui propter te factus est obediens vsque ad mortem. 4. Quantumcumque à Domino vel à creaturis affligaris, serua patientiam. 5. Iudica te nec meruisse nec mereri posse aliquod Dei donum: nam ea quæ tibi à Deo collata sunt, non nisi ex merâ bonitate eius accepisti. Nihil omnino tibi tribuas, nisi quod ex teipso habes, videlicet peccata & multiplices culpas atque defectus.

1. Nihil sumus aut habemus ex nobis, nisi peccatum.

2. Ergo non putemus nos aliquid esse cùm nihil simus.

3. Demittamur infra omnes & ad omnia infima.

Phil. 2.

4. Patienter toleranda aduersa.

5. Ea quæ à Deo habemus non meremur, ergo ob ea non gloriandum.

6\. *Christus semper ob oculos habendus pro exemplo, vt eius vitam & passionem imitemur.*

Inspice diligenter vitam & passionẽ Domini tui Iesu Christi. Imitare pro tuo modulo eius humilitatem, patientiam, mansuetudinem, charitatẽ, benignitatem, aliasq; sanctissimas virtutes ipsius. In his sit præcipuum studium tuum & maximus conatus tuus: ita enim ad consummatam perfectionem citò peruenire poteris. Quòd si Dominus eam tibi in hac vitâ sicut desideras minimè concedit, facit hoc propterea, quòd non expediat vt tibi hîc ita cõcedatur: mercedem tamen laboris & desiderij tui in cælesti beatitudine cumulatissimè recipies, ibique ipsâ perfectione perenniter perfruêris.

† Sic sentiunt Interpretes S. Pauli Rom. 8. *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Ex quo loco S. Augustinus lib. 13. de Trinitate, lib. de Correptione & gratiâ cap. 9. Epistolâ 121 Soliloquiorum cap. 18. & S. Bernardus Sermone de Fallaciâ præsentis vitæ docent, peccata Electorum iis etiam cooperari in bonum.

† Scholastici apud D. Thomam 1. 2. q. 109. & sequentibus fusè id docent, & Interpretes super Oseæ cap. 13. *Perditio tua Israel, tantummodò in me auxilium tuum.*

VII.

VII.

EPISTOLA D. LVDOVICI BLOSII.

Est conclusio Conclauis animæ, & in eâ relucet pia & dulcis indoles genij & ingenij Blosiani.

1. *Meminit Psychagogiæ & Consolationis pusillanimium à se conscriptarum.*
2. *Imperfectos etiam saluabit Christus, quia & pro illis mortuus est.*
3. *Instabilitas mentis aliqua in omnibus, dum hic viuimus, inuenitur.*
4. *Patientia in afflictionibus.*
5. *Vita sollicitè emendanda.*
6. *Beatitudinis commemoratio; in quâ merces ostenditur veræ resignationis.*

1. *In Conclaui animæ est Speculum,* EN habes, amice in Christo dilecte, G. Conclaue animæ, quod tantopere efflagitasti. Cùm nuper tibi & mihi scripsissem Speculum spirituale, nihil prorsus adijcere statueram: posteà tamen animo tuo satisfactum non fuit, nisi adiungerem etiam Monile, & Coronam, & Scriniolum spirituale, quæ omnia Conclaue nostrum continet. *Monile, Corona seu Sertum, Scriniolum.* Seriùs sanè prælo datum fuit quàm cupiebas: sed boni consules quod Dei dispositione & ordinatione factum est. Quòd si tu, sepositis interdum grauioribus studijs atque occupationibus, lectione simpliciorum libellorum à me editorum delectaris, (sicut delectari videris) suadeo vt inprimis istud Conclaue ingrediaris, & diligenter consideres atque expendas ea quæ in illo habentur: ac deinde sumas in manus etiam Psychagogiã, quam ex Augustino & Gregorio superioribus annis collegi. *Vtilitas doctrinæ Patrũ in Psychagogiâ.* Nam doctrina Patrum in hisce duobus libellis posita, poterit te bonæ voluntatis hominem multùm consolari & confirmare, atque ad Dei patriæque cælestis amorem accendere. Non te pigeat hæc & huiusmodi alia pia scripta sæpius relegere, etiamsi ipsa lectio palato cordis tui nonnumquam parum fortè sapiat. Nimis enim fastidiosus est, qui sancta ac salutaria quæque semel lecta vel audita reijcit, & ea ampliùs legere atque audire non vult. Gratias ago Domino Iesu, quòd frater tuus C. postquam perlegit Consolationem pusillanimium à me in publicum emissam, minùs iam inordinato metu angitur quàm anteà. *Fructus libelli de Consolatione pusillanimium.* Istud releuamen Deo & sanctis Doctoribus, qui in illâ Consolatione loquuntur, acceptum ferre debet.

2. *Etiam imperfectos saluabit Christus.* Rectè quidem facit, dum queritur ac dolet, quòd præterito vitæ suæ tempore nimis grauiter nimisque multipliciter Deũ offenderit: respiret nihilominùs, & confidat in immensâ suauissimâque Dei misericordiâ, & cogitet plerosque illorum ipsorum, qui Christum occiderant, posteà credendo in Christum veniã accepisse: vt videlicet mortales omnes discerent, nulla esse tam immania crimina atque flagitia, quæ clementissimus, & adipe misericordiæ plenus Dominus, non velit ad se conuersis vereque pœnitentibus remittere. Sanctissimũ namque Deum maximè decet, & ei proprium est, misereri ac parcere his qui sese humiliant, veniamque ex animo petunt. Rectè etiam tuus frater confitetur, se semper valdè imperfectum esse: meminerit tamen, imperfectos non minoris constitisse Christo quàm perfectissimos.

3. *Aliqua mentis instabilitas inest omnibus in hac vitâ: & sæpè sine culpâ.* Illa mentis instabilitas, quâ se inter orandum affligi dicit, innumeris Dei seruis communis est. Non est quòd hinc nimis expauescat. Si enim inuitus mente distrahitur, & rationabiliter facit quod in se est vt sit attentus, oratio ipsius in huiusmodi distractione humiliter fusa, sæpè vtilior & fructuosior est, quàm si cum magnâ cordis attentione perageretur. Deus namque desiderium, voluntatem & conatum eius pium approbat, & his alijsque consimilibus molestijs animam eius purgat, aut puram conseruat, atque exornat. Hortare eum semper, vt bono sit animo.

4. *Afflictiones patienti & resignato animo ferenda.* Si ipse afflictiones suas, & aduersam valetudinem, quâ pænè assiduè laborat, patienti resignatoque corde propter Deum pertulerit, certè vbi molestã, tristem amaramque corruptibilis carnis sarcinam deposuerit, lætitiâ sanitateque sempiternâ potietur.

5. *Emendationi vitæ inuigilandũ.* Eia, amice charissime, obseruemus, oro, nosipsos vigilanter, & ita viuere adnitamur, sicut decet veros Christianos. Transigamus omne reliquum tempus vitæ præsentis vtiliter. In cunctis quæ agimus, spectemus purè laudem & gloriam Dei. Amemus Iesum, qui nos ardentissimo immensoque amore diligit. Propter eius honorem mortificemus in nobis propriam prauamque voluntatem ac vitia pro viribus.

6. *Finis vitæ resignatæ beatitudo æterna.* Subijciamus & conformemus nos in omnibus voluntati diuinæ. Geramus mentem humilem & resignatam, iugiter desiderantes ac studentes placere Domino. Hac enim ratione tandem perueniemus ad summum illud & iucundissimum bonum: quod vt possi-

possidere possemus, ad imaginem Dei creati, & pretioso Sanguine Christi redempti sumus. Perueniemus, inquam, ad Deum, qui est amabilis abyssus,& fons totius lucis, vitæ, venustatis, excellentiæ, dulcedinis & opulentiæ. Tunc verè beati erimus, videntes visionem, omnes pulchritudines huius mundi infinitè præcellentem: contemplabimur enim in lumine gloriæ mellifluum vultum Dei, & in eo per suauissimam fruitionem quiescemus, pacemque imperturbabilem obtinebimus. Tunc inenarrabili abundabimus gaudio, & plenè satiabimur, Deumque perfectè amabimus ac laudabimus in sæcula sæculorum. O quanta felicitas est, ad claram Dei visionem pertingere! & quanta rursum infelicitas, illâ priuari, atque in infernum demergi, ibique horribiliter cruciari sine fine! Benè vale in Domino,& ora pro me.

Appendix Epistola insinuat secundā editionē Consolationis pusillanimium. Eximiam illam partem Dialogi D. Henrici Susonis, quâ laudes & vtilitates afflictionum explicantur, ac pleraque alia paucis ab hinc diebus inserüi Consolationi pusillanimium, vt gratificarer fratri tuo. Is eam facilè sibi comparabit, vbi à Typographo fuerit denuò excusa. Ceterùm dicta ipsius Susonis, quæ ad te mitti volebas, hîc iam accipe.

VIII.

ALIQVOT DICTA D. HENRICI SVSONIS.

§. I.

De amore sæculi, & amore Dei.

1. *Misera cæcitas hominum, qui Deum non amant super omnia.*
2. *Felicitas illorum, qui per amorem purum Deo adhærent & inhærent.*
3. *Amabilitas Dei.*
4. *Et hic tam amabilis, nos tam inamabiles amare dignatur.*

1. *Nulla maior cæcitas, quàm non amantium Deum.* VIR sanctissimus Deoque charissimus Henricus Suso, deplorans infelicitatem eorum, qui vano amore impliciti, & huic mundo prorsus dediti, Deum salutemq; propriam negligunt, queritur coram Domino hoc ferè modo: *Profectò, Domine, res est lamentatione digna, tot corda sancto amori aptißima, tot præclaras ac formosas, Deiq; imagine insignitas animas, quæ ex spiritali tecum inito coniugio, Reginæ & Imperatrices effici, cæloq; & terra dominari possent, tam stolidè & imprudenter se à te abalienare, atque in tantam vilitatem abijcere, ac suâ sponte perire. Credo sanè, si te omnium interni obtutus ita cernerent, vti ego te intueor, caducum omnem amorem è vestigio in illis extinctum iri. Mirari satis nequeo, Domine (licet quondam longè aliter affectus fuerim) posse animum cuiusquam vllâ aliâ in re, quàm in te vastißimâ abysso, acquiescere.*

O bonum incomprehensibile, medullitusq; amplectend[um]! O dulcißime Deus, quàm benè agitur cum eâ animâ, quæ te vnicè amat, & quam tu diuinis fulgoribus excellenter illustras, tibiq; viciniùs adiungis ac copulas! Quantam illa ex te cælestem & mellifluam haurit consolationem, quanta amoris tui capit secreta blandimenta! 2. *Sicut nulla maior felicitas, quàm amare Deum.*

Tu purißimarum inæstimabiliumq; voluptatum pelagus es immensum. Quidquid amabilitatis, decoris, pulchritudinis vllâ ratione potest cogitari, id omne in te vltra omnem modum reperitur. Nihil iucundum, nihil gratum aut plausibile vllâ in creaturâ potest inueniri, quod non purißimâ quadam ratione infinitè copiosiùs & excellentiùs in te existat. Quoties ego rerum pulchrarum species conspicio, cùm cælum, terram, siluas & campos, vniuersumq; mundum animo perlustro, † cuncta hæc videntur mihi huiusmodi vocibus compellare cor meum: Pensita, quantum ille amabilis & formosus sit, qui condidit nos, qui est totius pulchritudinis fons. 3. *Quàm amabilis Deus:*

O Domine Iesu, quid exultationis ex te accipio? Certè dum cogito, me abs te celsißimo Deo amari, quidquid intra me est, præ gaudio colliquescit. Prorsus ob id ego ex animo lætor, quòd tu vsque adeò bonus es, quodq; meus es amicus, vti piè spero & confido. 4. *Qui amat tam inamabiles.*

† Praxis ista crebra est apud S. Augustinum, citante R. P. Ioanne Lorino super Psalmum 99. vbi clamant creaturæ: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* & ideò omnes creaturæ de Deo inclamant homini: *Hunc amemus, hunc amemus. Amemus pulchrum à quo omnia pulchra.*

§. II.

De Passione Dominicâ.

1. *Optimus modus considerandi Paßionem Domini, vt virtutes in ea fulgentes imitemur.*
2. *Bonus valdè & ille, quo ei compatimur: aut ob eius beneplacitum ipsam, quamuis arido corde ruminamus.*
3. *Attenta meditatio passionis à pœnis Purgatorij præseruat.*
4. *Methodus in Passionis meditatione obseruanda, quatuor articulis comprehensa.*

IDEM Suso in Dialogo introducit Sapientiam æternam, videlicet Christum Iesum, 1.

Passio Christi consideranda propter imitationem virtutũ Christi patientis.

sum, colloquentem de passione suâ cum Ministro suo, ita: *Mihi longè gratius est cor hominis, si omni caduco amore sit vacuum, atque ad imitandum vitæ meæ præclarum exemplar perpetuâ sedulitate intentum, quàm si continuis me prosequatur lamentis, tótque fundat lacrymas, quot vmquam pluuiæ guttæ ex aëre destuxerunt. Siquidem acerbissimæ mortis perpessione hoc potissimum spectaui & volui, vt me homines imitarentur: quamquam & piæ lacrymæ mihi cumprimis acceptæ sint.*

2. *Et piam compassionem.*

Si tu ipsam passionem meam amantissimam humescentibus oculis commemorare non potes, facias nihilominùs iucundo animo, ob bona immensa quæ ex illâ capis. Quòd si nec hilariter nec lacrymabundus eam cogitare potes, vel arido saltem corde in mei laudem eam percurras. Ita enim non minùs gratum mihi præstiteris obsequium, quàm si præ lacrymis & dulcedine totus colliquesceres. Nam hac ratione opus efficis ex amore, nihil teipsum spectans.

3. *Præseruat à Purgatorio pia recogitatio Passionis Domini.*

Vt verò eadem passio mea magis tibi cordi sit, eiq; plus afficiaris, audi quæ dicturus sum. Anima quæ se multis obstrinxit peccatis, poterit ipsius passionis meæ thesaurum adeò ad se adiungere sibiq; applicare,† vt etiamsi vel mille annis punienda sit in Purgatorij locis, breui tempore & culpam & pœnam omnem dissoluat, ita vt absque Purgatorio libera commigret in cælum.

4. *Puncta meditationis de Passione. 1. Sua peccata ponderare. 2. Opera satisfactionis offerre, quamuis exigua sint. 3. Ea, vt imperfecta Christi satisfactionibus vnire. 4. Compati, & conformari Christo patienti.*

Debet autem id fieri hac ratione, 1 vt quis corde contrito, sæpè & grauiter magnitudinem ac multitudinem immanium peccatorum suorum, quibus tam irreuerenter offendit oculos cælestis Patris sui, expendat ac ponderet; 2 ac deinde propriæ satisfactionis opera non quidem omittat, sed paruipendat; vtpote quæ cum ipsis collata peccatis non plus sint quàm aquæ guttula vna erga mare vniuersum: 3 meæ verò satisfactionis immensitatem mirificè enebat ac extollat; quando vel minima pretiosi Sanguinis ex toto corpore meo vndique largiter nimis manantis gutta, etiam mille mundorum peccatis delendis suffecisset: 4 quamquam nihilominùs satisfactionis huius meæ tantum quisque sibi applicet & ad se trahat, quantum se mihi compatiendo conformat, atque quatenus suæ satisfactionis exiguitatem in meæ expiationis infinitatem humiliter & obnixè demergit.

† Quando videlicet adest actus charitatis tam intensæ, vt deleat reatum pœnæ.

§. III.

De sacrâ Eucharistiâ.

1. *Excellens dignitas Eucharistiæ.*
2. *Totus Deus & homo Christus in eâ percipitur. id est, Diuinitas, Anima, & Corpus Christi.*
3. *Bonis vita, malis mors & exitium.*
4. *Nulla creatura potest eam dignè suscipere: sed sufficit Deo, si cum gratiâ Dei id facere coneris quod potes, vt eam dignè percipias.*

IN illo eodẽ Susonis Dialogo incarnata Sapientia verba faciens de sacrâ Eucharistiâ, Ministro suo ait: *Minimum ex me proficiscens donum in venerabili Sacramento, longè splendidiùs in omnem æternitatem fulget ac radiat, quàm vllus Solis huius visibilis splendor; multoq; est illustrius atque micantius, quàm lucifer iste conspicuus. Denique sempiterno quodam decore ac pulchritudine longè præclariùs te exornat, quàm vlla vmquam æstas, quamlibet amæna, terram ornauerit.* 1. *Dignitas Eucharistiæ.*

An forsitan dubitas, illustrissimam Diuinitatem meam quouis Sole fulgentiorem, & præclarissimam animam meam qualibet stellâ micantiorem, atque gloriosum corpus meum quantacumque æstatis amænitate delectabilius esse? quæ quidem reuerà percipis in Eucharistiâ. 2. *Totus in eâ Christus Deus & homo.*

Ego pijs & benè præparatis sum panis vitæ; at indignis, qui voluntate vel actione in mortiferis peccatis perseuerant, plaga sum temporaria, æternaq; execratio: hos certa damnatio manet, nisi per verâm pœnitentiam mihi reconcilientur. 3. *Pijs vita, impijs exitium.*

Sanè etiamsi quis sit Angelorum omniũ naturali puritate præditus, Sanctorumq; omnium integritate ac sanctimoniâ conspicuus, & mortalium omnium bonis operibus ornatus, nec sit tamen me percipere in Sacramento dignus foret. Sed cùm facit homo quod potest, nihil ab eo vltrà exigitur; siquidem id quod illi deest, ego suppleo. Præstat verò ex amore accedere ad hoc venerabile Sacramentum, quàm ex timore abstinere. 4. *Nemo potest eâ dignus esse: Deus tamẽ conatu nostro contentus est.*

§. IV.

De resignatione, abnegatione, & mortificatione sui.

1. *Perfectio non in consolatione locatur, sed in verâ abnegatione & resignatione in voluntatem & beneplacitum Dei.*
2. *Deus numquam deserit humilem fiduciam in suâ bonitate fundatam.*
3. *Abnegatio sui, radix omnium virtutum.*
4. *Opus cùm proprietate factũ exigui valoris est.*
5. *Dei voluntas in omnibus sit scopus & intentio nostra.*

SVso item insignes hasce sententias de resignatione & abnegatione scribit: *Perfecta vita non in eo potissimùm sita est, vt consolatione abundes; sed vt voluntatem tuam diuinæ permittas ac resignes voluntati, tam in amaris, quàm dulcibus; humiliterq; obtemperes, & sub mortalium omnium vestigiis te reponas* 1. *Non in consolatione, sed in abnegatione sita est vera perfectio.*

ponas ac submittas. Ipsi supremo spiritui Angelico nihil suauius est, quàm in omnibus diuinæ satisfacere voluntati: adeò vt, si nosset ad Dei cedere laudem, si vrticas & alia zizania extirparet, hoc præ omnibus cupidissimè exequeretur. Nulla est perfectior & excellentior resignatio, quàm in sui derelictione esse resignatum: neque est quòd quis animo admodum prægrauetur, si parum experiatur spiritualis dulcedinis: cogitet potiùs eâ se indignum. Vera in omnibus tum certis tum incertis rebus resignatio sui in voluntatem Dei, hominem proculdubiò extra casus & pericula omnia eripit, atque in omnibus verâ eum pace gaudere facit.*

* O admirandū Angelicæ resignationis exemplum!

2. *Deus non deserit piā fiduciam.*

Tanta Dei honestas & benignitas est, vt nullâ possit ratione vmquam illum deserere, qui possit ex animo bonitati ipsius confidere, seq́ totum ei permittere ac resignare.

3. *Radix virtutum, abnegatio sui.*

Vera sui submissio & depressio ac abnegatio, virtutum omnium, & totius salutis ac beatitudinis radix est. Dolet profectò sapientem ac eloquentem esse, & nihilominùs in silentio sese continere, ab alijs vilipendi, irrideri, iniurijs affici, audire calumnias & obtrectationes, nec se tueri & vlcisci: hominem prudentem ac honoratum vitioso ac nullius existimationis homuncioni cedere, nec contradicere; atqui hoc planè est per sui abnegationem conformari ad Christi præclarum exemplar. Quamuis in ferendâ afflictione non semper æquè resignato simus animo, non propterea spes salutis ablata est, nec Dei gratia amissa; modò ne pertinaci animo aduersus Deum calcitremus ac rebellemus.

4. *Opus ex propriā voluntate, exigui meriti est.*

Opera, exercitia, & instituta cum proprietate, siue ex propriâ voluntate peracta, quamlibet grandia videantur, parui tamen momenti sunt, quamdiu illis abnegatio & resignatio coniuncta non est.

5. *Scopus omnium actionum, beneplacitum Dei.*

Hominem rationis compotem opera sua agere decet, non ex naturali propensione vel appetitu, instar pecudum naturæ impulsum sequentium, sed cum ratione in Dei laudem & ob Dei amorem, adeò vt nusquam suum priuatum commodum, suam delectationem, sui exaltationem, suam mercedem captet, sed solum Deum: ita abnegare, mortificare & relinquere nosipsos debemus, vt vilipendi & aduersa propter Deum perpeti neutiquam recusemus; ac linguam sensusq́ nostros sedulò refrenemus, & nihil cum inordinatâ delectatione possideamus, aut appetamus. Vti auri lamina oculis imposita non minùs impedit visum, quàm lamina ferri: ita & instabilibus mortalibusq́ creaturis omnibus, quantumcumque nobiles sint, renuntiare, & eas ex animo remouere oportebit, si præstantissimum bonum illud, quod Deus est, percipere volemus. In verâ abnegatione, tota perfectionis summa consistit: sine quâ nemo proficere valebit, quoquò se verterit. Præstet nobis omnipotens Deus, vt indefesso conatu nosipsos perpetim abnegare, mortificare, relinquere, resignare, exire, & nihilipendere studeamus, Amen.

LVDO-

VENERABILIS PATRIS

D. LVDOVICI BLOSII

ABBATIS LAETIENSIS

INSTRVCTIO

VITÆ ASCETICÆ,

PARTIBVS III. DISTINCTA.

I. Speculum Monachorum, hactenus sub DACRYANI Abbatis nomine euulgatum.

II. Enchiridion paruulorum. Libri duo: cum Precatiunculis & Doxologijs ad Deum & Deiparam.

III. Septem Exercitia, vel Meditationes, Religiosis maximè Tyronibus accommodatæ, quibus homo in timore Dei, & bonâ sanctâque vitâ citò stabiliri potest.

LVDOVICI BLOSII INSTRVCTIONIS VITÆ ASCETICÆ PARS PRIMA, SIVE SPECVLVM MONACHORVM.

PRÆMONITIVNCVLA.

HVIC SPECVLO *Monachorum, cuius Auctor est Blosius, nomen aliquando præfixum fuit* DACRYANVS, *quod sonat* LACRYMATOREM, *quia Blosius pius & verus lacrymator, Ieremiam agens aut Heraclitum, sub laruato nomine Dacryani, corruptos Monasticæ vitæ suo sæculo mores religiosis viris, non sine gemitu, tamquam in* SPECVLO *spectandos ad emendationem aut emundationem exponit. Spectator, seu Lector, vide, & cum ploratore Blosio ingemisce, & te corrige.*

DIVISIO PRIMA.

Monacho diligenter cogitandum, cur arctius vitæ institutum ingressus sit.

1. *Humilis excusatio operis à se suscepti.*
2. *Veri Monachi proprium opus esse, ingem suiipsius mortificationem.*
3. *Ficti Monachi character, ex vitiis eius delineatus.*
4. *Quibus omnibus bellum perpetuum à vero Monacho indicendum.*

1. *Exorditur ab humili excusatione scriptionis de speculo.*

PETIS à me, dilecte frater Odo, spirituale aliquod speculum, in quo teipsum contemplari, & pulchra deformiaque tua exacte perspicere possis. Noua ista tua petitio est. Puto, non me cognoscis: nam si cognosceres, quomodo rem spiritualem ab homine carnali peteres? Verumtamen ne piam petitionem tuam præterisse, vel potiùs contempsisse videar; ecce, mitto quod penuria nostra subministrare potuit. Accipe igitur doctrinam breuem, cuius lectione vel tenuiter fortè discere poteris, qualis sis, & qualis non sis, aut certè qualis esse debeas.

Inprimis moneo te, vt sæpè serioque cogites, quare in monasterium veneris: nempe vt, mundo tibique mortuus, soli Deo viuas. Ergo totâ intentione id facere stude, ad quod faciendum venisti. Disce fortiter contemnere omnia sensibilia, & teipsum viriliter frangere, salubriterque relinquere, passiones affectionesque vitiosas in te mortificare festina. Satage reprimere instabiles euagationes

2. *Descriptio veri Monachi ex proprio eius opere, quod est mortificatio assidua.*

tiones mentis tuæ: contende vincere fatigationem, acediam, & tædium infirmi animi tui. In his sit quotidianus labor tuus, gloriosum certamen tuum, & salubris afflictio tua. Noli esse remissus: sed exurge, vigila, circumspice, expone te totum; ne tibi malè pepercerìs. Hoc enim à te exposcit Deus tuus: hoc à te exigit status tuus. Monachus diceris; vide vt verè sis quod diceris: opus Monachi fac. Debellandis, inquam, eliminandisque vitijs sedulò inuigila. Aduersus naturæ prauitatem, aduersus animositatem, aduersus voluptates carnis, & sensualitatis illecebras, semper armatus esto.

3. *Monachi non veri character, ex vitijs statui contrarijs; Superbia, & proprij sensus,*

Intellige quæ dico. Si superbiam, iactantiam, vanam gloriam, propriam complacentiam, tuæ rationi dominari permittis; si proprium sensum proteruè sequi, si quæque humilia & simplicia contemnere audes, Monachus non es.

Inuidia & indignationis,

Si inuidiam, odium, amarulentiam, indignationem à te pro viribus non repellis; si suspiciones temerarias, querimonias pueriles, murmurationes sceleratas non reijcis, Monachus non es.

Contentiositatis & impatientia,

Si, contentioso acrique dissidio inter te & alterum fortè exorto, non mox de reconciliatione tractas; & quauis iniuriâ affectus, non statim condonas; sed vindictam expetis, aut voluntariam simultatem, minusque sinceram affectionem in corde retines, vel etiam exteriùs signa inaffectionis ostendis; si etiam eum, qui iniuriam intulit, adiuuare differs, quando necessitas & occasio se offert; Monachus non es, Christianus * non es, abominabilis coram Deo es.

* De hoc plura D. Thomas 2. 2. q. 25. art. 8. & 9.

Culpam non agnoscentium,

Si, postquam deliquisti, teipsum regulariter accusare, & culpam tuam ingenuè confiteri erubescis; si ad increpationes, correptiones, correctionesque, patientiam & humilitatem non exhibes, Monachus non es.

Prælato non obedientium,

Si spirituali Patri in omnibus, quæ mala non sunt, promptè fideliterque obtemperare negligis; si eumdem spiritualem Patrem tamquam Dei vicarium reuereri, ac sincerè amare renuis, Monachus non es.

Conuentualibus agendis se subducentium,

Si à diuino Officio, & ceteris actionibus Conuentualibus te libenter subtrahis; si in ipso eodem seruitio Dei vigilanter & reuerenter non assistis, Monachus non es.

Extrouersionis,

Si, interioribus tuis neglectis, exteriora tantùm curas, & aridâ quadam consuetudine solum corpus, non autem cor, ad Religionis opera moues, Monachus non es.

Neglectus spiritualiũ,

Si sacris lectionibus, * alijsque spiritualibus exercitijs non das diligentem operam; si mentem transitorijs rebus sic implexam vel depressam habes, vt rarò ad æterna assurgas, Monachus non es.

Superfluitatis in victu,

Si delicatum superfluumque cibum exquiris, & vini potum intemperanter vltra mensuram vnius scyphi affectas; præsertim quando rectè vales, cereuisiamque aut alium potum conuenientem sufficienter habes, Monachus non es.

in vestitu;

Si pretiosas vestes, mollia strata, & quæuis solatia carnis, quæ statui & professioni tuæ minùs conueniunt, insipienter requiris; si quietem corporalem diligens, laborem & afflictionem propter Deum subire recusas, Monachus non es.

Auersionis à solitudine & silentio,

Si solitudinem & silentium non sustines, sed otiosis sermonibus, inordinatisque risibus delectaris, Monachus non es.

Diuagationis ad sæcularia,

Si cum sæcularibus esse gaudes; si extra monasterium per vicos & vrbes euagari desideras, Monachus non es.

Proprietatis contra paupertatem,

Si rem, etiam exiguam, dare, mittere, recipere & tenere, absque Superioris scitu permissioneque præsumis, Monachus non es.

Contẽptus ordinationum regularium,

Si ordinationes sanctæ Religionis, quantumuis modicæ sint, paruipendis, easque volens transgrederis, Monachus non es.

Impuræ aut languidæ intentionis.

Si denique aliud præter Deum in monasterio quæris, & ad vitæ perfectionem totis viribus non adniteris, Monachus non es.

4. *Contra hæc vitia perpetuò luctandũ est Monasticæ amatori sincero, etiã per totam vitam.*

Vt igitur, sicut dixi, verè sis quod diceris, & habitum Monachi in vanum non portes, opus fac Monachi. Arma te in te: certa contra te; & quantum est in te, vince & suppedita te. Si citò non inuenis pacem quam desideras, si, inquam, nondum tibi requiescere conceditur, sed adhuc perstrepunt, & vim faciunt brutales motus, passionesque turbulentæ; imò verò si, Deo sic permittente, per omnem vitam pro tuâ vtilitate cum huiusmodi hostibus tibi colluctandum fuerit; noli diffidere, noli muliebriter deijci; sed humilians te coram Domino, sta, & permane in loco tuo, strenueque dimica.

Exemplo B. Pauli Apostoli.

Nam & vas electionis beatus Paulus, per omnem vitam suam sustinuit tentationem, quâ ab Angelo satanæ colaphizabatur: cumque precibus sæpiùs expeteret à Domino tantæ molestiæ liberationem, non est tamen liberatus: neque enim hoc ei expediebat; sed Dominus precanti respondit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*. (2. Cor. 12.) sicque Paulus deinceps gratanter pertulit tentationis flagellum. Huius fortissimi insuperabilisque athletæ confortatus exemplo, ne despondeas animum in tentationibus, sed sustine viriliter, fixus atque immobilis in sancto proposito permanens.

& propter diuinam retributionem,

Nam laborem tuum proculdubiò gratum habet Deus tuus, quamuis tibi nimium amarus videatur idem ipse labor tuus. Spirituale

tuale martyrium inuicto animo perfer. Nihil dubita, etiamsi millies vulneteris, etiásí millies conculceris; coronam recipies, si modò persliteris; si modò conflictum non deserueris, & arma non proieceris. Fac quod in te est: reliquum commenda diuinę dispositioni, dicens: *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Sit summa consolatio tua, ipsa diuina voluntas & ordinatio. Quocumque te verteris, vbicumque fueris, tribulationes & tentationes inuenies, quamdiu hæc vita durauerit: ad quas patienter tolerandas semper te paratum esse oportet. Felicem verò te, si eò tandem à gratiâ perductus fueris, vt quæuis grauedo & afflictio tibi verè sapiat propter Deum.

1. Machab. 3.

Et quia tentationes pati in omni statu vitæ est necessarium.

DIVISIO II.

Quid quoque diei tempore sit agendum. Et primò, de Officio diuino, & deuotione aut desolatione inter orandum.

1. *Vbi à somno surgitur ad Matutinas preces, quomodo se gerere debeat Monachus.*
2. *Quomodo, vbi Horariæ preces persoluuntur, & sub ipsam psalmodiam sacram.*
3. *Quomodo perferendæ distractiones & desolationes inter orandum.*
4. *Pulcherrima distinctio seruorum Dei in Infideles, Fideles, & Tepidos.*

1. *Quid quoq; diei tempore faciendum, à somno deinceps.*

SATISNE speculum nostrum excreuit, mi frater? Aut nondum tibi satis excreuit, sed adhuc expressiùs, diffusiùs iucundiusq; audire desideras, quomodo te interiùs & exteriùs componere, quomodo vitam tuam, vel quemlibet diem coram Deo rationabiliter ordinare debeas? Audi ergo.

Experrectus oret Deum.

Statim dum euigilas, surrecturus ad nocturnam synaxim, signum Crucis attentè exprime, & Deum breuiter deprecare, vt omnem peccati maculam in te deleat, teque adiuuare dignetur.

Reijciat cogitationes impertinentes.

Deinde, reiectâ phantasmatum confusione, aliquid spirituale pertracta, & quantum potes puritatem cordis concipe, gaudens intra temetipsum, quòd ad cultum & laudes Creatoris tui euoceris.

Excutiat socordiam.

Verumtamen si fragilitas corporis, si somni grauedo, si conturbatio spiritus deprimit; ne collabaris animo: sed confortare, & vim tibi affer, ratione ac voluntate omnia impedimenta superans: *Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Planè secundùm laborem quem sustines pro Deo tuo, reddet tibi ipse Deus tuus.

Math. 11. *1. Cor. 3.*

Deo se commendet.

Descenso lectulo, animam pariter & corpus commenda atque offer Altissimo.

Festinet ad chorum. Stabiliat intentionē.

Tempestiuè accurre ad chorū, tamquam locum refugij, & hortum deliciarum spiritualium.

Donec inchoëtur diuinum Officium, mentem à turbulentijs, & multiplicitate incertarum cogitationum expeditam, in tranquillitate atque simplicitate conseruare stude, pium dulcemque affectū erga Deum tuum per sinceram meditationem vel orationem colligens.

2. *In ipsâ psalmodiâ sit attentio affectuosa.*

Sub ipsius Officij decursu, perfectè, reuerenter, gratanter & attentè sacra eloquia pronuntiare atque audire satage: vt gustes *quoniam suauis est Dominus*: & sentias quoniam verbum Dei incomprehensibilem habet dulcedinem & virtutem. Quæcumque enim Spiritus sanctus dictauit, reuerà viuificus cibus, & deliciosum solatium sunt animæ castæ, sobriæ & humilis. Ergo ibi fideliter attentus esse memineris.

Psal. 33.

Placidè tamen conatu.

Cogitationem tamen, mentisque impulsum nimis vehementem deuita, præsertim si debile caput habes: ne læsus, fatigatus, confusus, constrictusque interiùs, tibiipsi sanctuarium Dei occludas.

Non anxia, nec scrupulosa.

Similiter sollicitudinem nimis anxiam, quæ pusillanimitatem inquietudinemque adducere consueuit, reijce; & leni, quieto vigilique spiritu in laudibus Dei sine perplexitate perseuera.

3. *Distractiones quomodo ferendæ vel auferendæ.*

Si igitur cor ab euagationibus reprimere non potes, noli animo consternari: sed placidè conare, placidè fac quod in te est, reliquum diuinæ voluntati committens. In piâ erga Deum affectione perseuera, & ipsi tui defectus, quos nullâ ratione excludere præuales, tibi consolationē quodammodò gignent. Quemadmodum enim terra, quæ conuenientis naturæ est, ex conspersione sordentis fimi vberiùs aliquando sua germina profert; ita mens bonæ voluntatis ex miseriâ defectuum, quos inuita sustinet, dulcissimum diuinæ visitationis fructum suo tempore percipiet, si patienter sustinuerit. Quid autem tibi proderit, si impatiens fueris? Nónne calamitatem calamitati adijcies? Et te veram quidem humilitatem non habere, habere verò perniciosam proprietatem, demonstrabis. Dum reuerenter assistis, & prompto voluntatis desiderio semper paratus es attendere, etiamsi semper attendere non potueris, Deo satisfecisti; nec ipse tibi imputabit huiusmodi instabilitatis inordinationem, modò eidem inordinationi per tuam negligentiam non consentias, & ante orationis tempus sensus tuos custodias. Si non potes perfectum offerre obsequium, offer saltem bonam voluntatem; offer in spiritu humilitatis rectam intentionem: & iam

Perseueranti affectu superantur.

Et in solatiū aut saltem profectum vertuntur; quod ostenditur appositâ similitudine.

Impatientia proprietatis indicium.

Firma voluntas faciendi quod potes, supplet defectū distractionis.

iam non habebit diabolus quod aduersum te cauillari possit.

Ipsum assistere ex animo, sufficit.

Etiamsi nihil aliud offerre potueris, quàm quòd corpore & spiritu præstò es ad seruiendum Domino in sancto timore, confide, non perdes mercedem tuam. Sed væ animæ tuæ, si negligens remissusque fueris, & attendere non curaueris. Scriptum est enim: *Maledictus* homo, *qui facit opus Dei fraudulenter.* Diligens esto, vt præstes quod præstare potes; & securus eris, si præstare non potueris quod præstare desideras. Hac securitate acceptâ, non conturberis, quando impedimenta obueniunt, & tantum præstare non vales, quantũ præstare vis. Quando, inquam, distractione sensuum, deiectione animi, ariditate cordis, dolore capitis, vel quauis aliâ miseriâ ac tentatione affligeris; caue dixeris, Derelictus sum, Abiecit me Dominus, Non placet ei meũ obsequium, quæ filij diffidentiæ dicere solent: sed patienti vel etiam læto animo perfer omnia propter eum qui te vocauit & elegit, certò credens, quia ipse *iuxtà est ijs, qui tribulato sunt corde.* Nam si absque murmuratione humiliter portaueris onus impositum, dici non potest, quantum gloriæ pondus tibi in futuram vitam accumulabis. Verè Deo dicere poteris: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* * Audi frater. Si dulcedine internâ repletus, & supra teipsum eleuatus, vsque ad tertium cælum euolaueris, ibique cum Angelis miscueris colloquium; rem tam grandem non facies, sicut si grauamen & exilium cordis pro Deo tuo affectuosè sustinueris, ipsique Saluatori conformatus fueris: qui in extremâ tristitiâ, tædio, pauore, & angustiâ positus dixit Patri: *Fiat voluntas tua*, qui etiam transfixis manibus ac pedibus in cruce pendens, non habuit vbi caput suum reclinaret: qui denique omnes amarissimæ suæ passionis dolores & contumelias amorosissimè pro te sustinuit. Igitur in sanctâ longanimitate contine teipsum, & expecta in silentio, donec placuerit Altissimo aliter disponere. Et profectò in illâ die non requiretur à te, quantum dulcedinis internæ hîc persenseris, sed quàm fidelis in Dei tui seruitio & amore fueris.

Modò omnis negligentia caueatur.

Ierem. 48.

Nullo modò abiiciendus est animus ob desolationes.

Psal. 33.

Psal. 72.

*R. P. Thomas à Iesv l. 4. Orationis diuinæ c. 20, citat hęc verbatim & quæ sequuntur de seruis fidelibus ac infidelibus, magnâ parte sequentis §. eaque exornat.

Quinimò eas pariter ferre, est cõformare se cruci Christi optimo modo.

Matth. 26.
Matth. 8.
Luc. 9.

4. Ex his qui serui Dei nominantur, multi infideliter, pauci fideliter omnino seruiunt. Infideles serui, quamdiu deuotionem sensibilem, & gratiam lacrymarum præsentem habent, alacriter Deo seruiunt, libenter orant, lætanter quibuslibet piis operibus insistunt, & in altâ quadam cordis pace habitare videntur: sed mox vbi subtraxerit Deus deuotionem illam, videas eos perturbari, indignari, amarulentos impatientesque fieri, & iam nec orationi, nec ceteris sanctis exercitijs velle intendere. Et quia internas consolationes pro voto non sentiunt, ad externas spirituique contrarias sese perniciosè conuertunt. Vnde liquet, eos non purè Deum, sed Dei dona impurè requirere, eisque ad suam oblectationem abuti. Nam si Deum purè diligerent, & in donis eius vitiosè non requiescerent; ipsis sublatis, pacati in Deo permanerent, & ne tunc quidem ad illicitas consolationes diuerterent. Ergo infideles sunt, quia in aduersitatibus fidem Deo non seruant. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Semper prospera volunt, contraria non sustinent. Si Deus concedit læta quæ semper volunt, Deo seruiunt: si negat, ab eo discedunt. Imò verò nec in lætis quidem Deo, sed sibi seruiunt. Vbique suam magis, quàm Dei voluntatem, fieri cupiunt. In dulcedine & consolatione internâ potiùs, quàm in mortificatione vitiorum perfectâ, sanctitatem constituunt: ignorantes, quia per subtractionem deuotionis longè certiùs elucescit an quis verè Deum amet, quàm per ipsius deuotionis infusionẽ. Sensibilis enim illa deuotio sępè naturalis veriùs quàm spiritualis affectus est. Et qualis qualis sit, nisi quis eâ prudenter vsus fuerit, ad occultam quamdam superbiam, & vitiosam complacentiam, vanamque securitatem, suum sæpè possessorem perducere consueuit; quemadmodum videre est in ipsis eisdem seruis infidelibus. Nam dum dulcedine intus perfunduntur, statim alios diiudicare & despicere incipiunt: se sanctos iam, Deique secretarios existimant; reuelationes cælestes miris modis expetunt & expectant; sed & miracula aliqua aut per se aut de se demonstrari desiderant, quibus ceteri cognoscere possint quòd sanctitatem, quam se habere putant, non habent. Hoc pacto in suis cogitationibus euanescere solent, qui gratiæ sensibili magis, quàm gratiæ largitori, inhiant.

Seruorum Dei duplex genus.

Infideles serui, qui tantùm seruiũt tempore consolationis;

Non propter Deum, sed eius dona, per impurã intentionẽ.

Luc. 8.

Vnde nec Deo, sed sibiipsis seruiunt.

Sensibili deuotione dementati, in stultis desiderijs euanescunt.

Ceterùm fideles serui longè aliter se habent. Neque enim se, sed Deum quærunt: non suam consolationem, sed Dei beneplacitum & honorem præcipuè spectant, proprietatem vbique fugiunt. Siue Deus ipsis infundere siue non infundere voluerit influxum internæ suauitatis, ijdem sunt: & in æqualitate mentis permanentes, Deum diligere atque laudare non cessant. Non obnubilatio interior, non sensuum difficultas, non affectuum frigus, non cordis ariditas, non animi deiectio, non spiritus dormitatio, non tentationum angustiæ, non denique qua-

Serui fideles, qui Deũ quærũt, non eius dona:

Et seruiunt ei strenuè, siue in prosperis, siue in aduersis constituti.

quarumlibet aduersitatum miseriæ, neque prosperitatum successus, eos de loco suo deijcere possunt. Quamuis enim vel ex contrarijs tristitiæ inordinatæ pressuram, vel ex prosperis delectationis sensualis impetum, in inferioribus animæ viribus aliquando fortè sentiant; non tamen deijciuntur: quia in superiori mentis ratione quieti perseuerare student, & diuinæ voluntati seu permissioni suam voluntatem conformant, dolentque quòd vel modicam indecentis motus contradictionem in se sentiant. Fundati ergo supra firmam petram, stabiles in charitate Dei persistunt: quorum vtique summum solatium est, diuinum beneplacitum. Semper deuoti sunt: quia dum summo studio vitant atque abominantur quæcumq; Deo displicent, cordísque puritatem vel tenuissimè contaminare possunt, dumque Deo se in omnibus rerum euentibus committunt: mentem mundam, liberam quietamque semper possident. Ista enim verissima Deoque gratissima deuotio est.

Matth. 7.
Constanter & strenuè student Deo placere in omni innocentiâ.

Illa altera sensibilis deuotio, quæ incipientibus vel recenter conuersis familiarior est, non ita perdurat, neque tantam habet certitudinem. Est tamen & ipsa nobis multùm vtilis, si eâ prudenter vtamur. Serui fideles, (sic enim eos adhuc appello, quos Iesus *non seruos, sed amicos* nominat;) serui, inquam, fideles exquirunt quidem etiam ipsi efficacem illam sapidissimamque gratiæ suauitatem: exquirunt *lætitiam salutaris* Domini; exquirunt vultum eius amabilem, & complexum suauissimum: sed spirituali verecundoque desiderio, non autem sensuali auiditate, neque puerili leuitate, aut turbatâ impatientiâ id faciunt.

Dulcedinē deuotionis ideò solùm quærunt, vt Deo meliùs placeant.
Ioan. 15.
Psalm. 50.

Dona Dei expetunt, non vt in ipsis sensualiter delectentur, sed vt per ea feruentiores, atque ab omni inordinatione puriores effecti, cælesti sponso magis placeât. Amant Dei dona, gratiasque sedulò pro eis agunt: & tamen ab ipsis se veluti otiosos & liberos conseruant, dum in eis non quiescunt. Per gratiam vlteriùs ad gratiæ datorem, & summum bonum progrediuntur, in quo solo quiescere licet. Felices omnino sunt: quia quantò minùs donis adhærent, tantò magis dona percipiunt.

In Deo ipso, non in eius donis quiescunt.

Quantumlibet autem benedictionibus à Deo ditentur, non tamen erigunt animum, non despiciunt alios, sed se. Se, inquam, despiciunt, & omni gratiâ spirituali indignos agnoscunt. Recogitant semper, quia quod habent, ex merâ Dei misericordiâ habent: & quia quibus plus datur aut committitur, plus etiam ab eis exigitur. Sicque in timore sancto permanentes, & ex donis in humilitate proficientes, sese omnium infimos esse confitentur.

Nec de illis superbiunt, sed magis humiliantur.
Luc. 12.

Gaudent & gloriantur apud semetipsos, si iniustâ diffamatione, contumeliis, iniuriis, atque extremâ abiectione pressi, Christum imitati fuerint: non autem si vel per mentis excessum supra se eleuari, vel visiones inusitatas videre, vel miracula euidentissima patrare potuerint. Suggestiones dolosas, quibus diabolus eos ad inanem gloriam, & propriam complacentiam allicere nititur, signo Crucis edito, citiùs repellunt, nusquam assentientes maligni serpentis versutiis.

Pati pro Deo, & ab aliis viles haberi desiderant.

Non in numero, non in merito bonorum operum, quæ faciunt, spem salutis suæ confidenter collocant: sed in libertate filiorum Dei, quam per Sanguinem Christi consecuti sunt, fiduciam reponunt.

In Christi meritis magis confidunt quàm in suis.

Tu iam, mi frater, agnitâ seruorum fidelium atque infidelium differentiâ, annitere esse de quibus fortè non es, & stude non esse de quibus fortè es. Si adhuc es de quibus velles te non esse, & nondum es de quibus velles te esse; ingemisce, & humiliare; nam *humilibus Deus dat gratiam*. Et profectò, si humiliatus in conspectu Domini, doles te adhuc ex numero infidelium esse; iam quodammodò in sortem fidelium transisti. Labora, perseuera, noli timere: non reprobaberis cum infidelibus, sed assumêris cum fidelibus.

Examen instituе de quo genere Dei seruorum sis; fideliúmne an infidelium.
Iacob. 4.

Sunt adhuc alij diuino obsequio* mancipati, qui tamen nec infideles nec fideles serui Dei dicendi sunt; sed ignaua diaboli mancipia quis eos iure appellauerit. Miseros & infelices illos intelligo, qui deuotionem seu Dei gratiam nihili, vel certè parui admodum facientes, interioraque sua prorsus negligentes, labiis quidem se Deum honorare simulant, ceterùm cor eorum longè à Deo est. In quodam malorum profundo demersi, vix quidquam de propriâ salute cogitant. Tales hodie sunt, quales heri erant; tales chorum egrediuntur, quales ingressi fuerant; nempe immundi, tepidi, socordes, vagi, incompositi, sine timore, sine reuerentiâ. Eloquiis sacris, quæ polluto ore proferunt, Deum magis exacerbant, quàm placant.

De tepidis, seu potiùs carnalibus, qui in monasteriis negligenter & indeuotè conuersantur.
Isai. 29.
*Tales quidem per vota Religionis Deo cōsecrati sūt, non tamen Religionis suæ sacra vota aut exercitia exequūtur.

Vtinam mundus hos sibi seruasset! Vt quid enim monasteria incolunt? vt quid terram sanctam calcant? Quare eleëmosynas iustorum deuorant? quare Angelica spiritualis exercitij gymnasia delicijs carnalibus contaminant? Si sordescere volebant, in loco sordium permanere, non ad loca puritatis transire debuerant. Simplicem gehennam in sæculo malè viuentes sibi com-

Indigni sunt loco sancto Religionis, in quâ irreligiosè viuunt.

parassent: duplicis gehennæ supplicio in monasteriis negligenter viuentes se reos faciunt. Sed de his multa dicere, non est nostri propositi: ad te ergo redeat oratio.

DIVISIO III.

Occupationes spirituales extra chorum interdiu assumendæ.

1. Dies in operas certas partiendus, ne mens otio torpescat.
2. Otium vitiosum, & occupationem otiosam æquè euita.
3. Lectionis sacræ iucunditas ac præceptiones.
4. Priuatæ orationes quatenus & quomodo vsurpandæ.

1.
Partitio diei in certa exercitia. Non nimis anxia.

In [a] priuatis tuis exercitiis vide vt sis ordinatus. Præscribe tibi, quid quaque horâ agere, & in quo te occupare velis; ita tamen, vt si quando vel ex obedientiâ, vel ex aliâ causâ rationabili, seu ex quouis casu emergente, quodlibet exercitium abbreuiaris, aut etiam in totum omiseris, non inordinatè angaris.

Sic vt libertatem spiritus in iis semper retineas.

Nam ad hoc præcipuè tibi adnitendum est, vt in libertate, æqualitate & puritate cordis, omni proprietate reiectâ, pacificus imperturbatusque coram Deo iugiter perseueres. Hoc enim super omnia alia exercitia, quantumuis etiam laboriosa & ardua, ipsi Domino est acceptabile. Proinde quidquid huiusmodi libertatem in te impedierit, id, etiamsi spirituale multumque vtile videatur, pro tempore relinque, quantum obedientiæ ratio permittit. Omnem, inquam, cordis inquietudinem, quâ vera pax, & perfecta erga Deum fiducia, spiritualisque profectus præpeditur, repellere stude.

2.
Otium vitiosum. Occupatio otiosa.

Numquam vitioso otio locum dederis; ipsum enim est quod perimit animas. Sed & otiosas occupationes fuge: otiosas appello, quæ prorsus inutiles sunt. Neque mireris, quòd dixerim: Numquam vitioso otio locum dederis; est enim otium laudabile, quando [b] videlicet anima Deo dedita, ab omnium sensibilium rerum strepitu & imaginatione exempta, in interno silentio, & dilecti sui beatissimo complexu, velut otiosa requiescit. Si eò te deduxerit manus Domini, vtiliter feliciterque otiosus eris. Alioquin semper aut lege, aut meditare, aut ora, aut aliquid aliud serium necessariúmve tracta.

Otium laudabile.

a Hæc verba Blosij, & alia aliorum, videnda in Iudoco Lorichio de Curâ corporis cap. 18. quod est de labore & otio.

b Vide bonam descriptionem otij mystici. De quo suadendum est mystices candidatis vt legant R. P. Maximilianum Sandæum in medio Opusculi Theologiæ mysticæ, vbi affines otio mystico voces, vt secessum, silentium, suspensionem, quietem, & alias eiusmodi, definit & explicat.

3.
Lectio sacra, seu studium, eiusque methodus. Deliciæ ex lectione.

Sanè si ad lectionis sacræ studium promptus ac diligens esse volueris, iucundaberis plurimum, & tibi dulcescere incipient quæuis spiritualia: fietque, vt sanctis deliciis assuefactus, omnes delicias carnales facilè contemnas: & mirum in modum stabilietur mens tua in bono proposito.

Quærenda in lectione vtilitas spiritus, non curiositas, aut eloquentia.

[a] Vt igitur tantum fructum merearis accipere, lectioni libenter atque sapienter intende: hoc est, in ipsâ lectione vtilitatem consolationemque spiritualem, & Dei amorem quære; non curiositatem, non superfluam intelligentiam & scientiam, non verborum ornatum atque elegantiam. Regnum enim Dei non in venustate sermonis, sed in sanctitate vitæ est. Quæ tamen elegantia, sicut anxiè quærenda non est, si absit; ita etiam cum contemptu reiicienda non est, si adsit; nam & ipsa donum Dei est. Omnia cum gratiarum actione suscipe, & omnia tibi proderunt ad salutem. 1. Cor. 2.

Lectio sacra mundat mentem, etsi verba nō inhæreant memoriæ.
R. P. Iacobus Aluarez de Paz tom. 2. lib. 3. p. 5. sect. 2. c. 2. hæc adfert & ornat.
Vide R. P. Nigroniū mox citatū de Lectione cap. 1. §. 4. & cap. 6. §. 33.

Non autem turberis, si bona, quæ legis vel audis, vniuersa in memoriâ non retines. Nam quemadmodum vas, quod sæpiùs aquâ perfunditur, purum permanet, etiamsi aqua infusa statim effluat: ita si mentem beneuolam doctrina spiritualis crebrò pertransierit, quamuis ibi non persistat, ipsam tamen mentem nitidam, Deoque placentem reddit & conseruat. Vtilitas tua singularis non in hoc sita est, vt doctrinæ verba memoriæ commendes; sed vt doctrinæ verborumque effectus in te remaneat: hoc est, vt tu ex doctrinâ puritatem interiorem, paratamque voluntatem adimplendi mandata diuina consequare.

Reprehensiones quæ occurrant, ad teipsum, non ad alios accommoda.
Vide & cap. 6. §. 12.

Quæ contra vitia dicuntur, ea in te conuertere disce: neque enim tibi semper tutum erit illa in alios cum fixâ animi sententiâ detorquere; ne, dum quemlibet pertinaciter iudicas, propriam conscientiam macules, aut conturbes.

Rerum carnaliū mentio celeriter pertranseunda in lectione.

Similiter, quando occurrit mentio copulæ carnalis, ne hæreas, sed leuissimâ cogitatione pertransito: opusque generationis humanæ tam tranquillo cordis intuitu [b] considera, sicut quasuis alias exteriores hominum operationes; reputans ipsam copulam coniugalem nihil aliud esse, quàm ministerium quoddam humano generi necessarium. Tam obiter atque simpliciter res ipsa prætervolet ante mentis oculos, sicut si

a R. P. Iulius Nigronius in Asceticis Tract. 5. de Lectione librorum spiritualium cap. 1. §. 4. hæc & alia mox à Blosio dicenda citat; & plurima ex sanctis Patribus eòdem spectantia confert, quæ à spirituali Lectore cum fructu videbuntur. item cap. 6. § 31. & cap. 7. §. 49.

b Hoc monitum accipe non in materiæ obscœnæ consideratione sponte susceptâ, sed quando ignaro aut nolenti occurrit vel obtruditur lectio eiusmodi, à quâ castæ aures abhorrere debent, ne animus contaminetur.

de lapidibus fieret mentio. Et ita in omnibus, quæ obscœniora videntur, vel * minimam lubrici motus, quantum fieri potest, vitato illecebram. Si per tentationem importunè molestant & conturbant, ratione prorsus contradicito: denega assensum, & signo Crucis edito totam intentionem ad Deum dirige. Sic enim periculum illæsus euadere poteris.

Quid si importunè nos oppugnet carnis tentatio.

Confusaneum, atque adeò curiosum studium fugiendum; quod esuriem vocat & culpat idem Blosius in Institutione spirituali cap. 8.

[b] Prætereà, noli eos imitari, qui nullum legendi ordinem seruant, sed quod fortè occurrerit, quodque casu repererint, legere gaudent: quibus nihil sapit, nisi quod nouum est & inauditum. Consueta enim, & vetera omnia, quantumlibet vtilia, fastidiunt. Tanta instabilitas procul à te sit: ipsa enim non promouet, sed dispergit spiritum; & periculosè laborat, qui hoc morbo vitiatus est.

Delectus lectionis habendus.

[c] Animum ad certam lectionem prudenter constringe: & in eâ immorari consuesce, etiamsi aliquando minùs sapiat. Lege, inquam, non confusè, & sparsim, sed ex ordine. Quæ bona sunt, eadem sæpiùs audire non pigeat.

Pro temporis ratione aliquoties mutanda est lectio & studium.

[d] Verumtamen tempore tribulationis & paupertatis spiritualis, incepta nonnumquam intermittere, & ad alia pia, quæ te magis consolari possunt, pro necessitate diuertere poteris.

Lectionis cum oratione vicissitudinaria mutatio vtilissima.

** Vide eûdem P. Nigronium ibidem cap.6. §.34.*

* Sicut Patres testati sunt, vtile est à lectione ad orationem seu meditationem transire, & rursum ab oratione ad lectionem recurrere: vt dum oratio lectioni, & lectio orationi laudabili vicissitudine succedit, tollatur fastidium; animusque velut recens ad opus propositum semper vigeat, & ex vtraque fructus copiosior referatur. Et quid vetat, quominùs etiam in ipsâ lectione breuiusculas quasdam orationes subinde formes: & ad Deum per sancta desideria adspires? Sunt nonnulla, quæ & pro lectione, & pro oratione vel meditatione adsumi possunt: nempe omnes Scripturæ, in quibus colloquium habetur cum Deo.

4.

Priuatarū orationum ratio communium actionum rationi posthabenda est.

Communes orationes priuatis orationibus semper præfer, & eas vtiliores tibi esse iudica: etiamsi steriliores atque insipidiores aliquando videantur. Sic & quasuis communes regularesque actiones, tuis priuatis exercitiis antepone. Nam ante omnia, & super omnia, primum locum obedientia iugiter apud te obtinere debet.

In priuatis orationibus quid potissimū agendum, quid petendum.

Sed quæris fortè, in quibus orationibus & meditationibus priuatim te potissimùm occupari oporteat. Si mihi credis, in tuis precationibus, post accusationem tui, & peccatorum petitam veniam; præcipuè postulabis à Deo, vt malas passiones, vitiosasque affectiones penitus in te mortificet, & ab omni inordinatione perfectè denudet: detque gratiam, quâ omnem tribulationem & tentationem æquanimiter atque gaudenter portare possis. Postulabis humilitatem profundissimam, & feruentissimam charitatem. Petes etiam, vt ipse te in omnibus semper dirigere, docere, illuminare & protegere dignetur. Hæc tibi maxime necessaria esse iudico.

Mortificatio. *Humilitas.* *Charitas.* *Illuminatio.*

Perseuerandum in oratione; Luc. 2.

Omnino magna & sublimia sunt, nec ea consequi poteris, nisi in petendo assiduus & perseuerans fueris. Perseuera ergo quotidie pulsans, & tandem proculdubiò Dominus aperiet: totque panes largietur, quot tibi fuerint necessarij.

Cum gratiarum actione.

Vide autem, ne de his, quæ accipis, gratias sedulò agere negligas: nam supra modum displicet Deo, beneficiorum acceptorum obliuio, & ingratitudo.

Extendenda oratio ad totam Ecclesiam.

Et vt faciliùs citiusque Dei benignitatem ad te inclines, attentiùs deprecare pro statu totius Ecclesiæ; commendans Deo omnes fideles, viuos & defunctos, vniuersamque creaturam rationalem.

DIVISIO IV.

Orationis mentalis præcipua materia Domini Iesu vita & passio.

1. *Omnium exercitiorum vtilissimum, est meditatio vitæ & passionis Iesu Christi.*
2. *Eius formulam in seipso Blosius, sed sub alterius personâ tradit ex humilitatis studio.*
3. *Exercitij huius affectuosi & adspiratiui vtilitas, & ordo.*
4. *Eiusdem methodus pro Tyronibus, per sex articulos.*

1.

Meditationis de vitâ & passione Christi præstantia & fructus suauissimi.

Vis audire, in quibusnam adhuc vtiliter te exercere poteris? Ego dicam. Vtilis est psalmodia, vtilis aliarum Scripturarum pia ruminatio: vtilis creaturarum consideratio, si ad ipsum Creatorem referantur; vtiles sunt quæuis orationes, hymnodiæ, gratiarum actiones, & meditationes sanctæ: vtilissimam autem, & vnicè necessariam, humanitatis Christi, & maximè sacratissimæ

[a] Sunt enim magnæ notæ Theologi, qui ad D. Thomam 1.2. q.74. art.8. disputant, An in materiâ castitatis possit dici dari leuem aut paruam materiam in delectatione carnali motuum sensualium, quando voluntas plenè in delectationem consensum præbet.

[b] Hoc lectionis spiritualis præceptum exscripsit R. P. Nigronius, & alia addidit cap.5. §.23. & §.24. vbi etiam citat alia Blosiana præcepta de Lectione sacrâ & spirituali in Institutione spirituali cap.8.

[c] Vagam lectionem fugiendam, docet ex Blosio hic & aliis Asceticis Doctoribus idem Nigronius cap.6. §.29. & citat de eodem ipsum Blosium cap.16. quod est de Lectione in Canone vitæ spiritualis.

[d] De hoc etiam fusè agit ibidem R.P. Nigronius de Lectione cap.4. §.21.

mæ passionis eius memoriam, omnes asserunt; idque meritò. Ipsa enim est præsens passionum & affectionum inordinatarum exterminatio, opportunum tentationum refugium, tuta periculorum securitas, suaue angustiarum refrigerium, amica laborum requies, facilis distractionum repressio, verum sanctitatis ostium, vnicus contemplationis aditus, dulcis animæ consolatio, indeficiens diuini amoris incendium, omnium aduersitatum condimentum, omnium virtutum fons vnde ad nos deriuentur; denique totius perfectionis absolutissimum exemplar, portus, spes, fiducia, meritum, & salus omnium Christianorum.

2. *In se sub alterius personâ methodum indicat de Christo meditandi. Praxis diuidendi mysteria passionis Dominicæ in varios dies;*

†Fratrem noui, cuius consuetudo fuit, singulis diebus sibi aliquam eiusdem Dominicæ passionis partem præfigere. Exempli gratiâ: Vno die proponebat ante mentis oculos Christum in horto constitutum; & eo die, quocumque progrediebatur, vbicumque erat vacans ab aliâ seriâ necessariâque cogitatione, quidquid agebat exteriùs, oculum interiorem dirigere satagebat ad ipsum Dominum diuersas angustias in horto sustinentem, & in hunc fere modum sæpè alloquebatur animam suam:

Dulces adspirationes quibus anima se Christo, & Christum sibi præsentem exhibet.

O anima mea! ecce Deus tuus. Respice, filia, attende, vide, & considera charissima: ecce Deus tuus, ecce creator tuus, ecce pater tuus, ecce Redemptor & Saluator tuus: ecce refugium tuum, susceptor & protector tuus: ecce spes, fiducia, fortitudo, & salus tua: ecce sanctificatio, puritas & perfectio tua: ecce adiutorium, meritum, & præmium tuum: ecce tranquillitas, consolatio, & suauitas tua: ecce gaudium tuum, deliciæ tuæ, & vita tua: ecce lux, corona, & gloria tua: ecce amor tuus, & desiderium tuum: ecce thesaurus tuus, & omne bonum tuum: ecce principium tuum, & finis tuus. (Ierem. 31.) *Vsquequò dispergeris filia vaga? vsquequò relinques lucem, & amabis tenebras? vsquequò pacem deseres, & inuolueris turbulentiis?* (Cant. 2. Cant. 5.) *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere filia, redi & recollige te charissima; relinque multa, & amplectere vnum: nam vnum est tibi necessariũ.* (Luc. 10.) *Mane cum Domino tuo, constitue te iuxta Deum tuum, noli recedere à Magistro tuo:* (Cant. 2.) *sede sub vmbrâ eius quem diligis, vt gutturi tuo dulcescat fructus illius. Bonũ est tibi hîc esse, filia: nam huc hostis non appropinquat; hîc insidiæ nullæ, nullum periculum, nullæ tenebræ. Omnia hîc tuta, omnia serena sunt. Reside hîc libenter, charissima. Eris enim hîc secura & libera: eris hilaris & iucunda. Hîc rosæ, hîc lilia, hîc violæ: hîc flores omnium virtutum gratanter adspirant. Videbis hîc splendorem vniuersa suauiter irradiantem; inuenies hîc veram consolationem: inuenies hîc veram pacem & requiem, inuenies denique hîc omne bonum.*

Praxis in eiusmodi adspirationibus variandis.

Huiusmodi sententiolis & acriter & dulciter perurgebat animam suam, eamque foris vagantem reuocabat intrò, & summo bono intendere cogebat. Ex ipsis eisdem sententiolis aliquando plures, aliquando pauciores, aliquando vnam, aliquando duas, aliquando tres, secundùm suæ deuotionis affectum, & Spiritus sancti beneplacitum adsumebat; quinetiam easdem sæpiùs iterabat, & repetebat.

Praxis excitandi dulces affectus, imitandi, laudandi, amandi Christum, ipsique se cõformandi.

Ingerebat item animæ suæ illa, quæ Saluator in horto pro ipsâ fecit & passus est: eam interim excitans, nunc ad pensandam ipsius Saluatoris abyssalem humilitatem, mansuetudinem, patientiam, & feruentissimam incomprehensibilemque charitatem: nunc ad exhibendam compassionem eidem summæ maiestatis Domino sic inclinato & afflicto: nunc ad gratias pro tantis beneficiis & tantâ pietate agendas: nunc ad amorem fideliter rependendũ; nunc ad peccatorũ veniam petendam; nunc ad hanc vel illam gratiam postulandam. Sermonem crebrò in affectuosas feruidasque adspirationes conuertebat, has, vel similes:

Adspirationes ad eiusmodi praxim perutiles.

O anima mea! quando parata eris sequi humilitatem Domini tui? Quando mansuetudinem eius imitaberis? Quando patientia ipsius exemplum in te relucebit? Quando meliùs habebis? Quando prorsus liberaberis à passionibus & affectionibus vitiosis? Quando penitus morietur in te omne malum? Quando omnis inordinatio in te delebitur? Quando omnem tribulationem & tentationem placidè affectuoseq́; portabis? Quando perfectè diliges Deum tuum? Quando illum intimè amplectêris? Quando ab eius amore tota absorbeberis? Quando eris pura, simplex, & nuda coram eo? Quando nullo ampliùs impedimento ab eius castissimo complexu retardaberis? O si immaculata esses! O si Deum tuum ardenter diligeres! O si summo bono tuo inseparabiliter adhæreres!

Adspirationes anagogicæ, animam ad cælestia eleuantes.

Et dirigens in cælum, siue in abyssum lucis æternæ, intuitum cordis, sic ipsas adspirationes etiam formabat: *O anima mea! vbi est Deus tuus? vbi est amor tuus? vbi est thesaurus tuus? vbi est desiderium tuum? vbi est omne bonum tuum? vbi est Deus tuus?* (Psal. 41.) *Quando apud illum eris? quando illum videbis? quando illo felicissimè fruêris? quando illum cum omnibus cæli ciuibus liberè laudabis?* Has, & similes adspirationes mente, vel etiam

† Hanc vtilem & illustrem praxim pietatis in adspirationibus circa Passionem Domini nostri proponit velut exemplar omnibus deuotionis amatoribus R. P. Antonius Molina Tract. 1. de Oratione cap. 17. §. 2.

etiam ore, tacitè proferebat; aliquando plures, aliquando pauciores adsumens, iuxta internam Spiritus sancti motionem.

Reprehensio ignauiæ, & consolatio pusillanimitatis, per adspirationes in semetipsũ reflexas ex pulchrâ & vsurpãdâ praxi.

Arguebat & ipsam suam animã frequenter, quòd nimis esset tarda, ignaua, tepida, ingrata, dura, insensibilis, instabilis, misera atque infelix. Rursus eamdem pusillanimitate aut formidine deiectam confortabat, erigebatque, hæc aut similia dicens: *Noli desperare, anima mea, consolare filia, confide charissima. Si peccasti, & vulnerata es, ecce Deus tuus, ecce medicus tuus paratus est sanare te. Benignissimus atque misericordissimus est, vt velit: & omnipotens est, vt possit peccata in momento dimittere. Expauescis fortè, quia iudex est; sed respira: nam qui iudex tuus est, ipse idem aduocatus tuus est. Aduocatus est, vt defendat & excuset pœnitentem: ergo etiam iudex est, vt saluet, non autem vt condemnet humiliatam. In immensum maior est misericordia eius, quàm sit aut esse possit iniquitas tua. Quod tamen dico, non vt in malis perseuerans, te indignam misericordiâ reddas: sed vt à malis auersa, de indulgentiâ & remissione non desperes. Deus tuus dulcissimus est, suauissimus est; totus amabilis, totus desiderabilis est; omnium, quæ creauit, amantissimus est. Quando eum concipis aut cogitas, procul absit omnis terroris, austeritatis & amaritudinis imaginatio: quòd autem terribilis dicitur, non propter se, sed propter illos dicitur, qui longanimitate eius abutuntur & pœnitere differunt: quorum ipse amarissima sordidissimaq; peccata, tamquam suæ dulcissimæ purissimæq; bonitati contraria, propulsat & punit. Tua imperfectio non te nimiùm consternet: neque enim Deus tuus despicit te, quia imperfecta infirmaq; es: sed plurimùm diligit te, quia perfectior esse & desideras, & laboras. Quin etiam te perseuerantem adiuuabit: & perfectiorem, vel etiam, quod fortè sperare vix ausis, totam pulchram, sibiq; per omnia placentem efficiet.* Istis & similibus innumerabilibus modis colloquium satis amicabile cum animâ miscebat, & eam castis alloquijs ad dilecti castum amorem inuitabat.

Non est abutendum Dei patientiâ ad peccandum, sed ad pœnitendum.

Terribilis enim est procrastinantibus:

Suauis ad veniam & emendationem festinantibus.

Adspirationes adsessum contra proprium amorem.

Conuertebat & ad ipsum Dominum sermonem, adspirandoque ad eum per sancta desideria, dicebat: *Bone Iesu, pie pastor, dulcis magister, Rex æternæ gloriæ, quando immaculatus & verè humilis ero coram te? Quando penitus contemnam omnia sensibilia propter te? Sed & meipsum quando perfectè deseram? quando ab omni proprietate nudabor? Nam si non esset in me proprietas, non esset in me propria voluntas: non haberent in me locum passiones & affectiones inordinatæ; in nullo quærerem me. Sola proprietas inter te & me impedimentum mediumq; constituit: sola proprietas retardat me à te. Quando igitur exuar omni proprietate? quando meipsum liberè resignabo in tuum diuinum beneplacitum? Quando mundâ, quietâ, simplici & serenâ mente tibi seruiam?*

Adspirationes vnitiuæ pro puro Dei amore.

Quando perfectè diligam te? Quando vlnis animæ meæ suauiter complectar te? Quando æstuantissimis desiderijs amabo te? Quando omnis tepiditas & imperfectio mea ab immensitate amoris tui absorbebitur? O Deus meus! ô dulcedo animæ meæ! ô consolatio mea! ô vita mea! ô amor meus! ô desiderium meum! ô thesaurus meus! ô omne bonum meum! ô principium & finis meus! Vtinam anima mea tuo dulcissimo frueretur amplexu! vtinam indissolubiliter tuo deliciosissimo vinciretur amore! vtinam perfectè tibi vniretur! Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Psal. 72. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quando mihi prorsus silebit iste mundus? Quando mihi cessabunt omnia impedimenta, omnesq; inquietudines & vicissitudines huius sæculi? Quando finietur peregrinatio mea? Quando consummabitur incolatus meus? Quando soluetur miserabilis captiuitas huius exilij? Quando inclinabitur* Cant. 2. & 4. *vmbra mortalitatis, & adspirabit dies æternitatis? Quãdo, depositâ sarcinâ corporis huius, videbo te? Quando sine impedimento feliciter & perenniter cum Sanctis tuis laudabo te? O Deus meus! ô amor meus! ô omne desiderium meum! ô omne bonum meum!*

3. *Adspirationũ vtilitas, & ratio eas variandi: Obseruanda est praxis.*

Huiusmodi adspirationes frequentare solebat; sciens quia per exercitium adspirationum humanus spiritus spiritui diuino efficaciùs vnitur, & compendiosiùs quis ad perfectam sui mortificationem pertingit. Eas quidem vbique paratas habebat: si quando tamen vberius otium nanciscebatur, tunc residens ad exemplum Mariæ Magdalenæ, Lucæ 10. gaudebat in ipsis diutiùs & liberiùs immorari; idque ad honorem Dei magis, quàm ad inordinatam oblectationem sui. Non omittebat intereà cum internâ quadam cordis effusione, per sincerum suauemque affectum, adorare, benedicere, gratias agere, atque precari.

Etiam ad B. Virginem colloquia instituenda.

Sed & ad beatam Dei genitricem Virginem Mariam, tamquam ad Dominam misericordissimam, matremque dulcissimam, & thesaurorum cælestium dispensatricem liberalissimam, diuertens alloquium, pias querimonias coram eâ ingeminabat, sanctâque importunitate benedictionem efflagitabat.

Memoria quotidiana Crucifixi, distributis Passionis mysterijs per varias partes in varios dies.

Die altero præfigebat sibi, quomodo Christus à Iudâ proditus capiebatur: & circa idipsum prædicta exercitia iterabat: sicq; ex ordine passionem consummabat, & consum-

summatam resumebat ab initio. Et quidem circa eam partem passionis, quæ Christum in cruce pendentem repræsentat, non solùm suo ordine & die, verùm etiam singulis diebus, si sic placebat, saltem breuiter occupabatur, attendens angustias, liuores & dolores crucifixi; considerans Vulnera beatissima, & sacrosanctum Sanguinem ex eis tamquam è fontibus promanantem: excitansque animam suam ad horum sedulam contemplationem.

Solemnitates Christi & Matris eius aliquando celebranda, sepositâ tūc meditatione Passionis.

In quauis solemnitate Saluatoris aut Mariæ, repræsentationem ipsius festi, si ita videbatur, proponebat ante mentis oculos, loco partis Dominicæ passionis, quæ alioqui illo die fuerat frequentanda: & sua exercitia interna, seu amicas cum animâ confabulationes, circa eiusdem festi opus, causam, mysterium atque lætitiam transfigebat. Delectabatur etiam studio psalmodiæ quamplurimùm.

Immensi fructus adspirationū fideliter frequentatarum.

Satis autem scio, quia idem ipse Frater ex continuatâ frequentiâ huiusmodi sanctæ ἀσκήσεως, grandem consolationem, & eximium laboris fructum consecutus est. Adscripsi exemplum: tu, si libet, imitare. Nam hac ratione Dei præsentiam attendere consuesces: hac ratione sensus sobrios, vigiles, exercitatos, & serenos habere incipies; hac ratione viam ad sublimitatem summæ contemplationis & perfectionis tibi sternes; hac ratione tempus, vbicumque fueris, vtiliter expendes: vtpote vanis & instabilibus cogitationibus è cordis tui latibulo eliminatis, serijsque introductis.

Libertas spiritus in deuotione custodienda & in hoc adspirationum exercitio.

Meditationes & adspirationes sub alijs verbis tibi formare poteris, si voles, quàm nos formauerimus. In quibus, si sentis inspectionem libri impedire mentem, quominùs ad Deum pertingere, eique vniri possis; noli librum inspicere. Rursus, si percipis inspectionem libri iuuare tuum exercitium, librum inspice. Volo enim tuam deuotionem tibi esse liberam; & te Spiritus sancti gratiam absque confusione aut anxietate sequi.

Quid sint adspirationes.

Porrò per adspirationes, sicut ex suprascriptis formulis animaduertere potes, intelligimus oratiunculas quasdam iaculatorias, vel flammigera desideria, viuacesque & amorosos ad Deum affectus.

4. *Exercitium illud quatenus Nouitio persequendum.*

Qui initia internæ conuersationis, & propriæ mortificationis nondum aggressus est, aut qui recenter illa aggressus est; prædictam exercitationis formam per omnia sequi mox in suis principijs fortè non debet: sed expedierit ei, vt iuxta rationem, quam subijciam, se ad tempus exerceat. Singulis igitur diebus etiam ipse aliquam Dominicæ passionis partem sibi proponet: & ad eam,

Instructio pro Nouitijs in sex partes diuisa.

siue stet, siue sedeat, siue progrediatur, siue quiescat, mente recurrere studebit; nisi aliquid aliud vtile aut necessarium in corde tractare debeat. Et frequenter hoc vel simili modo, cum animâ suâ in conspectu Christi patientis philosophabitur:

1. Repræsentatio Christi.

O anima mea! ecce Deus tuus: respice ingrata, attende misera, considera paupercula; ecce Deus tuus, ecce Creator & Redemptor tuus, ecce quomodo Rex æternæ gloriæ humiliauit se pro te: ecce quomodo maiestas altissima inclinauit se pro te. Vide quàm tristia, quàm amara & indigna Saluator tuus sustineat pro te. Perpende, quantâ charitate dilexit te, qui tantam afflictionem & attritionem propter te suscepit in se.

2. Excussio torporis. Isa. 52.

Excutere, anima mea, excutere de puluere: solue vincula colli tui captiua filia Sion. Exsurge, egredere lutum vitiorum, relinque sordes vitæ negligentioris. Quamdiu cum voluptate versaberis in periculis? quamdiu anxietates & tormēta reputabis requiem? quamdiu secura obdormies in interitu? quamdiu iter rectum sponte deseres, & longè lateq; diuagaberis per inuia? Reuertere ad Dominum Deum tuum, quia ipse expectat te; festina, noli tardare; ipse enim paratus est recipere te. Expansis vlnis tibi in occursum veniet: tu tantummodò redire ne differas. Accede ad Iesum, & sanabit purificabitq; te. Adiunge te Iesu, & illuminabit te. Adhære Iesu, & benedicet tibi, saluabitq; te.

3. Exprobratio in semet ob beneficia à Christo accepta.

Nonnumquam eidem animæ suæ expressiùs improperabit extremam eius ingratitudinem, & peruersitatem, dicens: *Eheu anima mea! quàm ingrata fuisti Deo tuo! Ipse innumerabilia præclarissimaq; beneficia tibi largitus est, & tu pro bonis mala semper ei reddidisti. Ipse ad imaginem & similitudinem suam creauit te, ipse immortalitate te donauit, ipse cælum, terram, & omnia quæ in eis sunt, tuis deputauit commodis; ipse donis & gratijs plurimis ornauit te; ipse ad fidei Catholicæ lumen perduxit te; ipse è periculosis mundi fluctibus eripuit te, & ad portum tranquillitatemq; vitæ monasticæ transtulit, vbi tu, tamquam in amœnissimâ paradiso spiritualis voluptatis constituta, infinitas sanctæ lætitiæ, bonorumq; operum occasiones haberes. Te grauiter peccantem sustinuit longanimiter, & ab inferni faucibus præseruauit. Rex regum pro te incarnatus est: Creator tuus pro te frater tuus factus est. Nec satis illi fuit, vt pro te nasceretur, voluit & pati pro te: pro te contristatus & angustiatus est; pro te traditus & captus est; pro te ligatus & malè tractatus est; pro te consputus, & colaphis alapisq; cæsus est; pro te illusus & despectus est; pro te flagellis concisus, & coronâ spineâ vulneratus est; pro te arundi-*

arundine percussus, & pondere crucis grauatus est; pro te clauis ferreis cruci affixus, & aceto potatus est; pro te suum sacrosanctum Sanguinem fudit; pro te mortuus est & sepultus. Ipse te adoptauit in heredem regni cælestis: ipse tibi
1.Cor. 2. *promisit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis comprehendere potest.*

4. Exprobratio propria ingratitudinis. *Tu verò dereliquisti & contempsisti eum qui benefecit tibi, abiecisti sanctum timorem eius qui dilexit te, excussisti suaue iugum eius qui elegit te. Facta es quasi vna de filiabus*
1.Reg. 2. *Belial; iniquitates, tamquam meretrix impudens, coluisti sine verecundiâ. Pepigisti fœdus*
Isa. 28. *cum morte; dedisti manum diabolo; ad omne malum fuisti paratissima; mala malis accumulasti, & pessimis peiora gauisa es semper addere. Iesum Christum, qui te in sponsam elegerat, iterùm crucifixisti tuis sceleribus: illius Vulnera tuis criminibus renouasti.*

5. Fortis adspiratio ad compunctionem. Ierem. 7. *Quis dabit tibi gemitus & suspiria? quis dabit fontem lacrymarum, vt plores die ac nocte tuam ingratitudinem? O te infelicem! & quid facies? O si innocentiam seruasses! ô si immaculata permansisses! ô si teipsam miserabiliter non dehonestasses! ô si à Deo tuo non recessisses! Innocentiam perdidisti, maculata es, teipsam dehonestasti, à Deo tuo recessisti. O te infelicem! Et quid ages? ad quem confugies? à quo expectabis auxilium? A quo, nisi ab eo ipso, quem offendisti? Pijssimus est, benignissimus est, misericordissimus est. Humiliare, prosternere, effunde te*
Thren. 2. *sicut aquã in conspectu eius, & miserebitur tui.*

6. Conuersio ad Christũ pro veniâ, per vehementes adspirationes. Aliquando ipsa sua lamenta conuertet ad Dominum, hæc aut similia commemorans: *Heu Domine mi Iesu! quid feci? quomodo te dereliqui? quomodo te contempsi? quomodo nominis tui oblitus sum? quomodo tui timorem abieci? quomodo legem tuam conculcaui? quomodo præcepta tua transgressus sum? Heu me, Deus meus! heu me, plasmator meus! heu me, Saluator meus! heu me, vita mea, & omne bonum meũ! Væ mihi misero! væ mihi, quia peccaui! væ mihi, quia meipsum similem bruto reddidi! væ mihi, quia irrationabilior pecude facta sum! O bone Iesu! ô pie pastor! ô dulcis magister! adiuua me: erige iacentem, porrige manum periclitanti; emunda sordidum, sana vulneratum, confirma debilem, salua perditum. Fateor, non sum dignus quem terra sustineat, non sum dignus qui lumen videam, non sum dignus tuo auxilio & gratiâ: magna enim est mea ingratitudo, magna, & nimis magna est peccatorum meorum enormitas: verumtamen in immensum maior est tua misericordia. Igitur, amator hominum Deus, & spes mea vl-*
Psalm. 50. *tima, miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.*

Interdum, tamquam ex abrupto flectens genua in conspectu Domini, affectuosè dicet: *Domine, si vis, potes me mundare.* vel Matth. 8.
illud: *Deus propitius esto mihi peccatori.* vel Lucæ 18.
illud: *Miserere mei Iesu, fili Dauid.* item illud: *Domine adiuua me.* Similiter ante matrem Domini virginem Mariam, & ante Sanctos Sanctasque Dei cor suum effundet, suppliciter eorum intercessiones postulans.

DIVISIO V.

Instructio pro peccatorum examine & expiatione.

1. *Quotidianum examen de peccatis.*
2. *Excitatio ad vitæ futuræ gloriam desiderandam.*
3. *Quanto tempore purgationi peccatorum sit insistendum.*
4. *Sua cuique capacitas est discretè consideranda.*
5. *Feruor temperandus.*
6. *Constantia & ordo in exercitijs assumptis.*

QVOTIDIE, vel certè frequenter, acceptâ opportunitate, recolliget se, & cum profundâ humilitate, firmoque emendationis proposito, recogitabit atque sigillatim confitebitur coram Domino peccata vitæ anteactæ; maximè ea quibus ipsam diuinam bonitatem grauiùs enormiusque offendit. Verumtamen in illis quæ ad lubricitatem carnis spectant, non indiscretè immorabitur, ne recordatio, & morosior pertractatio veteris peccati, nouum peccatum per illicitam delectationem pariat. 1. Quotidie commissorũ in Deum ratio subducenda. Cautio de carnalibus.

In quâ confessione, contritione, sensibilique deuotione, magis lugere consuescet, quòd erga Deum Creatorem & Patrem suum dulcissimum contumeliosus ingratusque fuerit, quàm † quòd seipsum æternis supplicijs obnoxium reddiderit. Dei offensã lugeat magis, quàm suam iacturam.

In formulis lamentationum, piarumque querimoniarum quas præscripsimus, non hoc spectabit, vt multas sententiolas percurrat: sed quas voluerit, & quot voluerit assumere, assumet, nullo etiam seruato ordine. Si vnam tantùm, vel duas vel tres elegerit, quas apud se, vbicumque fuerit, iterùm atque iterùm repetat, laudabiliter faciet: si verò plures maluerit versare, etiam laudabiliter faciet. Non quàm multùm, sed quàm benè.

Liberè eum pro suâ deuotione agere, & vbique confusionem vel perplexitatem vitare volumus. Noui vnum, qui exteriùs occupatus in suâ ad Dominicam passionem Piarum lamentationum formulis quatenus vtendum.

† Hoc est enim attritio dumtaxat, procedens ex timore seruili; alterum verò est nobilior dolor qui vocatur contritio ex timore filiali, vt docet D. Thomas 3. parte in Supplemento quæst. 1. art. 3.

conuersione, inter castas confabulationes hæc aut similia paucula verba ruminare gaudebat: *O bone Iesu! ô pie pastor! ô dulcis magister! Bone Iesu miserere mei, pie pastor dirige me, dulcis magister doce me: Domine mi adiuua me.* Alter quidam aliquando plura, aliquando pauciora delectabatur reuoluere, & eadem alijs atque alijs verbis pro suo affectu exprimere.

Compunctio etiam alio modo adsciscitur meditatione nouissimorum.

Noster verò Tyro in his, sicut diximus, liber sit. Qui etiam seipsum ad compunctionem diligentiamque spiritualis propositi ex meditatione mortis, Purgatorij, iudicij, inferni, & patriæ cælestis excitare poterit, si ita placeat. Quorum quidem meditatio, quantò propinquiùs ad timorem [a] liberalem, & Dei amorem accedit, tantò ipsi Domino acceptabilior, & ad purificandas animas efficacior est. Rursum, quantò eadem timori illiberali & seruili vicinior fuerit, tantò minor vtilitas ex eâ referetur. Per timorem liberalem metuimus peccare, ne benignissimum Dominum Deum nostrum offendamus, eiusq; perdamus gratiam, & familiaritatis beneuolentiam: per timorem seruilem formidamus malè agere, ne damnis, pœnis & supplicijs afficiamur. Verumtamen bonum est, nos vel per timorem [b] seruilem à vitijs abstinere; ita tamen, vt ibi non permaneamus, sed inde ad timorem liberalem transeamus.

Timor liberalis.

Timor seruilis, & quid is nobis efficiat.

2\.

Aeternæ gloriæ iucunda meditatio.

Apoc. 21.

Symbolica descriptio spiritualium gaudiorum sub velamentis rerum corporalium.

In meditatione æternæ gloriæ, hæc aut similia apud se pertractabit: *O quàm beata est cælestis illa Ierusalem, cuius muri pretiosissimis constant lapidibus, cuius portæ electissimis nitent margaritis, cuius plateæ mundissimo sternuntur auro, cuius horti flosculis incomprehensibiliter vernantibus adblandiuntur! Ibi vox lætitiæ perpetuò auditur, ibi canticum gaudij sine fine promitur, ibi iubilus exultationis iugiter innouatur, ibi organa Sanctorum semper resonant, ibi cinnamomum & balsamum ineffabilem suauitatis odorem indesinenter spirant: ibi est pax & requies omnem sensum exuperans, ibi est temperies & serenitas omnem captum humanum excedens, ibi est dies æternus, & vnus omnium spiritus; ibi est certa securitas, & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix suauitas, & suauis iucunditas; ibi iusti fulgebunt, sicut sol, in regno Patris eorum.*

Philip. 4.

Matth. 13.

Præsentia Sanctorum, absentia omnium malorum.

O! quantæ felicitatis est Angelorum choris interesse, cum sanctis Patriarchis & Prophetis, cum sanctis Apostolis & Martyribus, cum sanctis Confessoribus & Virginibus, cum gloriosissimâ Dei genitrice Mariâ, perpetuum habere consortium! non timere, non tristari, non angi, non grauari, non attædiari! nullum sustinere laborem, nullum impedimentum, nullum fastidium, nullam necessitatem!

O quanta consolationum opulentia! ô quanta deliciarum affluentia! ô quanta gaudiorum exuberantia! ô quanta purissimarum voluptatum abyssus, videre lumen illud incircumscriptum, videre lucem illam summè amabilem, videre indicibilem illam altissimæ Trinitatis gloriam! videre Deum deorum in Sion! videre autem non in ænigmate, sed facie ad faciem! Videre item glorificatam vnigeniti Dei humanitatem! Nam si dulce est visibilem cæli ornatum intueri, micantem stellarum claritatem aspicere; rutilantem solis splendorem cernere, fulgidum lunæ candorem videre, gratam aëris lucem considerare; auicularum, florum, graminum, & colorum elegantem decorem contemplari; philomelarum & galeritarum dulces cantus excipere; lyræ & citharæ suauem melodiam audire; rosarum liliorumq; fragrantem odorem haurire; aromatum & pigmentorum eminentem redolentiam percipere; diuersorum fructuum deliciosum saporem gustare: si, inquam, dulcedo maxima ex his sentitur; quantus erit sincerissimæ iucunditatis torrens, immensam illam pulchritudinem perfectè contemplari, perfectéq; infinitam illam dulcedinem gustare, vnde omnis pulchritudo, omnisq; dulcedo rerum creatarum profluit atque descendit?

Omne bonũ & clara visio Dei & Christi.

Psalm. 83.

1\. Cor. 13.

Omniũ sensuum voluptates longè excedit voluptas Beatorum in cælis ex Deo visa.

Nobis quidem æternæ felicitatis, & futuræ resurrectionis statum repræsentat vernum tempus, in quo nouâ quadam gratiâ, admirabili ornatu, cælum, terra, arbores, ac cetera decorantur: verumtamen inter id quod repræsentat, & id quod repræsentatur, maior est differentia, quàm inter opacæ noctis tenebras, & iubar solis meridiani. Beata igitur, & iterùm beata cælestis illa Ierusalem, vbi est omne quod placere potest, & vnde abest omne quod potest displicere: vbi in sæcula sæculorum feliciter laudatur Deus omnipotens.

Corporea voluptates vix tenuiter adumbrant beatitudinem cælestem.

Hæc supernæ ciuitatis gaudia purè frequentare discat, eaque amare & expetere, non tam propter proprium commodum, quàm propter Dei laudem & honorem. Quamquam huiusmodi meditatio vitæ æternæ sinceriùs exerceri poterit ab eo qui iam profecit in internâ conuersatione, quàm ab eo qui vixdum initia propriæ mortificationis attigit, seque potiùs quàm Deum adhuc quærere nouit.

Qua intentione hæc cogitari debeant.

3\.

Quanto tẽpore Tyroni in his lamentationibus desudandum.

In supradictis lamentationibus nouus Tyro se exercebit perseueranter ad vnum, tres, sexve menses, aut ad annum integrum vel amplius, id est, tamdiu, donec senserit mundi sui-

a Quem Theologi vocant, noto nomine & re, filialem, vt iam ex D. Thomâ ostensum est.

b Hanc gradationem in iustificatione impij notat & declarat Synodus Tridentina sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4. allato etiam Niniuitarum exemplo ex Ionæ 3.

di suique contemptum intus vtcumq; conualescere, & se ad vitæ spiritualis propositum aliquantulùm feruere. Aliqui ægriùs, aliqui faciliùs ad meliora conuertuntur: sed & nonnulli à benignissimo Deo liberalissimè præuenti, subitò innouantur.

Pro cuiusq; conditione & captu.

Possunt exercitia dolorosa lætioribus interrumpi.

Interim quidem licebit ei etiam alijs orationibus, gratiarum actionibus, & diuinis laudibus insistere: singularis tamen eius occupatio erit in rationabili luctu, & peccatorum suorum persecutione. Si non inuenit lacrymas exteriores, non conturbetur: nam interioribus lacrymis non caret, cui omne vitium verè displicet.

Quãdo altero exercitationis, (vnitiua scilicet) genere sit vtendum.

Postquam igitur per salutarem fletus seu contritionis amaritudinem, imago Dei interiùs aliquâ ex parte reformata fuerit; ipse maiore fiduciâ iam acceptâ, alterum illud exercitationis exemplum, quod superiùs proposui, vtiliùs imitari poterit. Eriget itaque se humiliter, & ad intimiorem cælestis sponsi familiaritatem feruenter præparabit.

Qui infirmiore & frigidiore est affectu, quibus foueri poterit.

Quamdiu autem adhuc infirmior frigidiorque est, sæpè excitabit in se diuini amoris igniculum, per seriam incarnationis vel passionis Vnigeniti Dei meditationem, conferens de his suauiter cum animâ suâ: ex quâ meditatione succensus, mox ad orationem & adspirationes conuertetur, ipsi summo bono spiritum suum per eas vnire desiderans.

Quàm facile sit amoris diuini exercitium.

Si perstiterit crebrò hac ratione cor in amorem Dei compellere, eò breui perueniet, vt statim primâ mentis conuersione aut adspiratione, sine præmeditatione aliquâ, se à creaturis, earumque imaginibus seiungere, & in suauitatem ipsius diuini amoris immergere queat.

Quatenus peccata præterita ad memoriam reuocanda.

Deinceps non vsque adeò necesse habebit in suâ pœnitentiâ coram Deo commemorare singula peccata vitæ præteritæ, cordisque intuitum anxiè ad ea dirigere; sic enim & libertas, & affectus ergaDeum præpedirentur: sed potiùs ad ipsum Deum cor amorosè diriget, detestans interim quidquid ab ipso separare retardaréve potest.

Iugis admissorum confessio coram Deo certo modo facienda.

Vbi tamen non dicimus, vt quæ peccauit, ea aliquando è memoriâ suâ per negligentiam dilabi permittat: sed volumus, vt illorum † sic reminiscatur, ne ipsa recordatio maiori vtilitati obsit; itaque summatim potiùs, quàm sigillatim ea Deo quotidie confitebitur.

Optimum consilium pro ys quos scrupulosos dicimus, vt actus amorosos contritionis exerceant potiùs, quã dolorosos aut timorosos anxietatis.

Sanè minora peccata præsentiori remedio in nobis delentur, dum per dulcem & efficacem amoris affectum ad Deum conuertimur, quàm dum nosipsos in eorumdem consideratione & amarâ punitione morosiùs occupamus. Proiiciet igitur illa in abyssum diuinæ clementiæ, vt ibi, veluti scintilla in medio maris, depereant. Omnem inordinatam pusillanimitatem, & superfluos conscientiæ scrupulos, perplexamque diffidentiam prorsus reiicere adnitetur, vndecumque emerserint. Nam nisi statim amputata fuerint, diuersis modis animi alacritatem præfocant, & profectui interno non parum incommodant.

Cuique capacitatis suæ ratio habenda. Nihil agatur supra vires & extra modum.

Porrò nihil vltra vires attentabit, sed suâ sorte contentus erit. Si non potest eò perue- 4.
nire, quò peruenire desiderat; laboret, vt saltem eò perueniat, quò peruenire potest. Nisi sibi malè blandiatur, facilè agnoscet, quousque procedere valeat. Liberalis tamen, & omnino liberalis est diuina bonitas: quæ vbicumque mentem dignè præparatam inuenerit, ibi copiosissimè se infundere gaudet.

Attende indiscrete Monache, & noli altum sapere.

Quare si spiritualis Asceta ad sublimitatem contemplationis, perfectæque charitatis nondum admittitur, cogitet se nondum aptum esse, vt tantum bonum accipiat. Et quid ei prodesset eam gratiam percipere, quâ non benè vteretur? Festinet omnia vitia radicitus euellere, vt aptior fiat: verumtamen, sicut dixi, virium suarum terminos non excedat.

Humilitatem, non arrogãtiam habeat conatus noster.

Ipsam Dei gratiam non tentet impatienter præcedere, sed eam humiliter subsequatur: spiritum, inquam, illuc violenter impellere non conetur, quò nondum ascendere potest: ne, dum temerè præsumit quod præsumere non debet, suâ se violentiâ deorsum præcipitet, & collisus temeritatis suæ pœnas exoluat. Sic conetur ad perfectiora, vt tamen conatus eius effrenem impetum & turbulentam sollicitudinem nesciat.

Gratia Dei plus innitatur quàm suo labori.

Mensuram gratiæ sibi datæ attendat; memineritq; se longè faciliùs, tutiùs, compendiosiùs, & feliciùs peruenturum ad supremum contemplationis gradum, hoc est, ad mysticæ Theologiæ comprehensionem, si à merâ Dei gratiâ tractus raptusque fuerit, quàm si magno labore suo illuc pertingere fuerit conatus. Discretionem ergo & 5.
modum vbique seruet, ne per excessum in defectum corruat.

Feruor spiritus quatenus moderandus. Lacrymarũ modus habendum.

Bonus & dulcis est panis lacrymarum; aliqui tamen eo pane mentem nonnumquam obruunt magis, quàm reficiunt: fle-

† Hæc & alia monita circa dolorem de præteritis seu condonatis peccatis non deponendum totâ vitâ, reperiet Lector apud Doctores Scholasticos in D. Thomã 3. parte Supplemento, quæst. 4. art. 1. Vtrùm tota hæc vita sit contritionis tempus: & art. 2. Vtrùm expediat continuè de peccato dolere. Explicatur ibidem ad rem præsentem Ecclesiastici c. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu*; & producitur bis doctrina S. Augustini ex lib. de Verâ & falsâ pœnitentiâ cap. 13.

tibus enim tamdiu & in tantâ confractione atque agitatione insistunt, donec & spiritu & corpore sub exercitio nimis extenso aut intenso succumbant. Non tamen negamus, aliquos esse, qui per discretionem, & Spiritus sancti adiutorium, diu vtiliterque lacrymari possint.

Diuinæ dulcedinis gustu abutuntur aliqui. Psalm. 55. Nonnullos etiam inuenire est, qui dum intus torrente voluptatis Dei inebriantur, seipsos ad maiorem impetum intempestiuè perurgent & extimulant; neque priùs ab indiscretâ impulsione desistunt, donec læsi confusique in seipsis concidant,† & ad suauitatem gratiæ deinceps percipiendam inepti reddantur. Igitur feruor, seu impetus internus sic semper moderandus est, vt per eum spiritus confortetur, non extinguatur.

Damnum indiscreti feruoris. Qui bonâ capitis habitudine sunt, feruidis adspirationibus interdum acriùs & vigorosiùs insistere possunt: qui verò debiliori sunt capite, maximè quibus per indiscretionem ipsa debilitas accreuit, non nisi placidè admodum se exercere valent. Quin & quandoque simplicem mentis compunctionem, aut meditationem, vel lectionem, tales vix absque læsione admittunt, etiam dum alibi caput reclinant. Tantam calamitatem parit indiscretionis vitium.

Medela. Non tamen desperent qui in eam venêre necessitatem: sed solerter, quantum in ipsis est, subterfugiant læsionis aut confusionis incommodum, humiliterque à Deo sibi id reddi petant, quo se miserabiliter spoliauerunt. Si Deus eos tandem exaudierit, gratias agant: sin minùs, etiam benedicant Dominum; & propter eius amorem ac beneplacitum patienter tolerare discant miseriam, quam ipsi sibi conciliauerunt.

6. *Exercitia semel assumpta non temerè immutanda, nisi Spiritus sancti afflatus aliud suadeat;* Caueat etiam internus Asceta omnem inconstantiæ & instabilitatis leuitatem. Ea exercitia assumat, quæ bona sunt: & in his, quæ assumpserit, perseueret, etiamsi aliquando minùs arriserint; ita tamen, vt Spiritus sancti beneplacitum in omnibus sequatur, decreto propriæ voluntatis & ordinationis relicto. Ipse enim Spiritus sanctus diuersis modis nos veluti inuitare, diuersisque semitis ad cellam illam vinariam, & ad thalamum diuini amoris introducere consueuit: (Cant. 2.) cuius instinctus vbique animaduertere, promptissimeque sequi debemus, omni proprietate reiectâ.

Cuius ductui per omnia parendum. Quare spiritualis Asceta seipsum tamquam paratissimum instrumentum Spiritui sancto semper præsentabit: & in quamcumque partem idem Spiritus eum inflexerit, seu applicauerit, protinus subsequetur. Siquando sursum ad sublimiorem contemplationem, & complexum summi boni tractus eleuatusque fuerit, liberè se totum offeret: quòd si tunc vel passio Christi, vel quæuis alia sancta meditatio & imaginatio occurrerit, non ibi hærebit, sed expeditus eò transuolabit, quò à Spiritu vocatur.

Quando dubius vacillat in proposito, ignorans quo pacto in inceptis pergere debeat, prudentum, expertorum, & humilium vtatur consilio: sic enim magis proficiet, quàm si sibi fidens secundùm proprias adinuentiones procederet. *Vacillans aliorum consilio fulciendus;*

Interim tamen non omittat sollicitè confugere ad orationis remedia, humiliter petens à Domino in omnibus dirigi & illuminari; nequando deceptus, errorem pro veritate sequatur. *Et orationes admonitio.*

Semper autem meminerit, quia numquam Deo perfectè vacare poterit; nisi cor ab omnibus, quæ citra Deum sunt, liberum & expeditum habeat. *Libertas ab omni creaturâ.*

† Notabile monitum de impetu spirituali in tempore consolationis non indiscretè extimulando.

DIVISIO VI.

Lucta tentationum & desolationum in profectu spirituali sæpè eueniens.

1. *Anima proficiens desolationi subtractionique sensibilis gratiæ se preparet.*
2. *Otiositas diligentissimè fugienda.*
3. *Modus pugnandi in carnalium tentationum infestatione.*
4. *Arrogantia & ostentatio in donis Dei euitanda.*

ECCE, mi frater, vtcumque audisti, quomodo tum incipere tum progredi debeat in internis exercitiis, qui ad eximium aliquem purioris vitæ gradum pertingere vult. Tuum iam erit, hæc non solùm audire & legere, sed & opere complere. Quòd si feceris, & cælitus aduenerit auxilium, iamque interiora tua clarescere, & psalmodia, ac cetera diuinæ laudis obsequia tibi dulcescere cœperint: *noli altum sapere, sed time.* Nam etsi dilatato corde viam mandatorum Dei aliquamdiu curris; non tamen tu tibi, sed Deus cor dilatauit: & qui dilatauit, ipse idem, subtractâ gratiâ, permittere potest, vt iterùm constringatur. Illuxit tibi sol iustitiæ; & mentem tuam veluti squamis quibusdam eiectis serenauit? sed quis prohibebit, ne se abscondat, si abscondere voluerit? 1. *Profectum spiritualem comitatur sæpè subtractio deuotionis sensibilis. Propterea in humilitate animus continendus.* Rom. 1. Psal. 118.

Esto autem paratus: nam abscondet se, & amabili splendore recedente, tibi iterùm sensus obtenebrabuntur, atque præpedientur. Sed & nescio quæ immissiones per angelos malos nauem pectusculi tui vndique contundent. Imò verò vsque adeò fortè inua- *Deuotionis subtractio.* Psal. 77. *Hostilis tentatio.*

inualescet tentatio, vt infernalis prorsus iudicari possit. Videberis tibi satanæ traditus: & nec os quidem ad laudes Dei aperire libebit. Durabit etiam non paruo tempore ista calamitas: & non semel tantùm, aut ter, aut sexies, aut decies; sed sæpiùs comprehenderis ab ipsâ, aliquando quidem vehementiùs, aliquando verò remissiùs.

Cur Deus istas ariditates & tentationes dilectis suis euenire permittit. *Deut.13.*

Sed non frangat te hæc res, neque de dilecto quidquam sinistrum suspicatus fueris. Ipse enim tentari te permittit, vt palàm fiat, an verè diligas eum: & vt ceteris, qui tentationibus premuntur, compati discas. Ipse flagellat, & conterit te, vt purget à vitiis, & ad maiorem gratiam præparet. Ipse ad tempus quodammodò recedere videtur à te, vt numquam superbias, sed semper agnoscas quia sine eo nihil potes facere: reuerà tamen non recedit à te. His & similibus aduersitatibus exercet te, propter inenarrabilem charitatem quâ diligit te.

Priùs dat consolationes, postea desolationes.

Nam hac ferè dispensatione cælestis sponsus cum animâ feruidâ ad se conuersâ vti solet; eam in initiis noui propositi indicibiliter visitat, confortat, illustrat, & suauissimo sui odore recreatam atque illectam post se trahit, eique gratanter ferè vbique occurrit: hoc veluti lacte potans nouellam amicam. Posteà solidum cibum afflictionum præbere incipit: illiq; planè ostendit, quanta oporteat ipsam pro nomine suo pati. Iam vndique exurgere incipiunt aduersitates, molestant exteriùs homines, conturbant interiùs passiones; affligunt exteriùs pœnæ, deiiciunt interiùs pusillanimitates; grauant exteriùs infirmitates, obscurant & obnubilant interiùs tenebræ; exteriora premuntur, interiora arefiunt; nunc ab animâ se abscondit ipse sponsus, nunc iterùm eidem se ostendit; nunc eam in caligine & horrore mortis veluti deserit, nunc rursus ad lucis amœnitatem reuocat; ita vt verè dictum sit de eo, quia *deducit ad inferos, & reducit.* His modis animam probat, purificat, humiliat, erudit, frangit, dolat, exæquat, læuigat, & ornat.

Cibus solidus, seu afflictionum panis dantur in vitâ asceticâ adultis, ad eorum vtilitatem. *Actor.9.*

1.Reg.2.

Anima fidelis arctius Deo vnitur, quando graues tribulationes sustinuit.

Quòd si eam per omnia fidelem, ac bonæ voluntatis sanctæque patientiæ esse, iamque per longâ exercitationem & suam gratiam placidè atque affectuosè quaslibet tribulationes ac tentationes portare inuenerit; tunc ipsam perfectiùs sibi copulat, & ad secreta sua familiariter admittit, longeque aliter adstringit, quàm in initiis conuersionis fecerat.

Longanimitate animus instabilis firmandus. *Iob 13.*

Tu ergo non perturberis, quando vehemens tentatio te flagellat: sed tamquam pignore amoris accepto, fidelis & inuictus in agonibus permane, dicens subinde cum beato Iob: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* [a] Durante huiusmodi tempestate, durius erit tibi diuino Officio assistere, propter nimiam mentis instabilitatem seu obnubilationem. Verumtamen longanimis esto, & placidè fac quod in te est: transibit nox, discedent tenebræ, lux iterùm exorietur.

2. *Contra otiositatem. Otium fallendum per vicissitudinem exercitiorum.*

Quamdiu autem adhuc nox est, summopere caue, ne otiosus & negligens inueniaris. Si non licet orare, psallere, vel meditari; insiste lectioni. Si etiam ad lectionem nauseat animus; scribe, aut in aliquo alio externo opere ad tempus vtiliter te occupa, vanarum cogitationum strepitus sedulò interim reiiciens.

Somnolentia vt non semper obsequendum, ita pro temporis locique ratione aliquid concedendum.

Si somnolentia tibi intempestiuè molestior est, eâque grauiter deprimeris, vtiliùs fortè facies, si, loco & tempore permittente, paululùm obiterque ad honorem Dei capite reclinato dormitaueris, quàm si inexorabiliter repugnare volueris. Nam si per solum laborem somnolentiam comprimere elegeris, durante quidem labore liber eris; sed finito eo, teque ad spiritualia redeunte, facilè reuertetur eadem somnolentia. Dormitatio illa & breuis & leuis esse debet: ita vt plus minus eo spatio duret, quo Psalmus vnus, aut duo tresve legi queant; spiritus enim inde veluti renouatus, expeditior atque alacrior resurget.

Parciùs tamen & cautiùs ab incipientibus id fiat.

Qui nondum in cibo, potu, & sensibus nouerunt esse sobrij si ad prædictum remedium confugerint, timendum est ne suum morbum aggrauent potiùs, quàm alleuient: & in profundum prolixumque somnum prolapsi, tempus miserabiliter perdant per socordiam.

3. *Contra tentationes carnis remedium. Initio reiicienda.*

Aduersus eas tentationes, quibus diabolus mentem ad indecentia & vitiosa inclinare nititur, etiam solerter vigila: & ipsas statim in [b] initio, priusquam interiora tua occupentur, reiicere satage. Nam nisi mox primo insultu aduersarium repuleris, ingressus intrò repentè animam tuam vinculis iniectis colligabit: & tu deinceps libertate viribusque destitutus, ægriùs resistes.

Quid si initio neglexeris.

Verumtamen etiamsi negligenter egeris, & ille vincula iniecerit, ne sic quidem dedas te: sed reclama, & vel reptando super terram renitere, Dominumque in fortitudine spiritus exora, vt te vinculis absolutum libertati restituat, aut certè à consensu præseruet.

[a] Hæc & alia ex hoc loco sine nomine citat & variè exornat R.P. Thomas à IESV de Oratione diuinâ lib. 2. cap. 21.

[b] Quomodo præsens remedium, in tentationibus maximè carnalibus, est principijs obstare, docet S. Hieronymus fusè in Epistolâ 22. ad Eustochium de Custodiâ virginitatis, his verbis: *Nolo sinas cogitationem crescere. Nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum paruus est hostis, interfice: nequitia ne Zizania crescant, elidatur in semine.* vbi & alia remedia cum suo exemplo profert aduersus turpes cogitationes.

Ratio vincendi hostem, in lucta carnalium tentationum.

Scito autem, quia eumdem aduersarium, dum fœda, impia & absurda quæque suggerit, sæpè feliciùs vinces, si contempseris, & nihili feceris eius latratus, sicque pertransieris; quàm si cum eo diutiùs disceptare, & iniquum os magno labore obturare parayeris. Dum tamen nimiùm importunus est, & semel ac denuò repulsus iterùm atque iterùm insilit, omnino conserendæ sunt manus, vt vel certamine superatus aufugiat cum opprobrio.

Quia tam variè diabolus nos oppugnat, ideo semper vigilandum.

Porrò diuersis viis nos aggreditur. Aliquando enim clàm, & quasi sub prætextu pietatis insidias parat: aliquando verò palàm & aperto furore insurgit. Aliquando sensim irrepit, aliquando subitò & ex insperato irrumpit. Aliquando spiritualibus & internis, aliquando corporalibus & externis aduersitatibus aut prosperitatibus oppugnat. Quare semper [a] vigilandum, semper ad Dominicæ passionis præsidia confugiendum, & ad Deum lacrymosè clamandum est.

4. *Cautela contra arrogantiam. Fugienda ostentatio donorum Dei.*

Verùm, quemadmodum dicere cœperam, noli altum sapere propter gratiam, quam fortè habes. *Quid enim habes, quod non accepisti? si autem accepisti*, non est iustum vt glorieris quasi non acceperis. Caue itaque, ne vento vanæ gloriæ, aut auræ propriæ complacentiæ, fenestram cordis tui aliquo pacto aperias. Vide ne te iactites: vide ne passim ostentare gestias quod accepisti: sed secretum tuum tibi, secretum tuum apud te permaneat: nisi fortè alicui intimo discretoque amico, propter spiritualem vtilitatem vel consolationem, humiliter ac verecundè reuelandum fuerit: aut alioqui obedientia, seu alia manifesta necessitas, grandisve vtilitas compulerit.

1. Cor. 4. *Isai. 24.*

Primus gradus humilitatis, perfectioribus suos defectus comparare.

Vide ne tuis meritis & laboribus donum Dei accepisse credas; sed potiùs indignum te iudica (sicut reuerà indignus es) omni gratiâ & consolatione, dignum verò omni confusione atque derelictione. Non comparaueris te cum inferioribus & imperfectis, sed cum sanctioribus te confer; vt consideratâ eorum perfectione, tuam imperfectionem meliùs agnoscas.

Secundus humilitatis gradus, etiam imperfectioribus se submittere.

Humilia & deiice te: constitue te sine fictione infra omnes homines. Et quomodo hoc, inquis, faciam? cùm plerique abiecto penitus timore pariter & pudore, perditissimè viuant, quod ego nec facio, nec facere volo. [b] Quid? etiámne illis me subiiciam? etiámne illos mihi præponam? Præpones, inquam. Nam si cogitaueris, quia qui hodie pessimi sunt, cras te perfectiores esse poterunt; & quia, si iidem dona tibi diuinitus concessa accepissent, longè sanctiùs te viuerent; tu quoque grauiùs eis peccares, nisi abundantiori gratiâ præuentus esses: si, inquam, hæc cogitaueris, facilè animaduertes, quàm sit consentaneum, vt etiam quemlibet peccatorem tibi præferas. O si scires arcana Dei, quàm libenter aliis cederes! quàm libenter vltimum locum teneres! quàm gratanter ad aliorum pedes te dimitteres! quàm alacriter etiam infimis inseruires! quàm deuotè omnes honorares! quàm affectuosè, sine aliquâ morâ aut querelâ obedires!

Tertius & summus modestiæ seu humilitatis gradus, infra omnẽ creaturam se abiycere.

Ceterùm adhuc excellentius aliquid à te requiro: nempe, vt non solùm infra homines, sed & infra omnem creaturam, propter Deum, te in corde tuo constituas; reputans te cinerem abiectissimum, existimans te indignum quem terra sustineat, & qui lumen videas. Penitiùs introspice quàm sis ingratus, infidelis, tepidus, instabilis, miser ac vilis: & ad humillimam illam animi depressionem poteris pertingere.

Obsistendũ constanter superbiæ suggestori.

Si antiquus hostis importunè pulsauerit ostium cordis tui, suggerens vt te aliquid esse existimes, vaneque glorieris, & aliis te præponas; repelle insidiatorem, obsera fores: & quamuis sentias immissiones pestilentes, numquam tamen consentias. Nam si consenseris, si impostori aperueris, & ad illicitas illecebras mentem inclinaueris; iam fidem, quam sponso animæ tuæ dederas, irregisti: iam lectulum dilecti, qui priùs floridus erat, commaculasti; nec iterùm ad beatissimam familiaritatem eius admitti poteris, nisi, eiecto citiùs adultero, multùm te humiliaueris. Et priusquam omnino recipiaris in gratiam, fortè necesse erit te dare pœnas, & aliquamdiu affligi, donec sordida illa oscula, quæ impurissimus nebulo genis animæ tuæ impressit, flagello Dei deleta fuerint. Sed de his satis. *Cant. 1.*

DIVISIO VII.

Disciplina victus, vestitus, conuersationis.

1. *Regula corporalis refectionis.*
2. *Forma religiosa habitus & vestimentorum.*
3. *Morum grauitas & modestia in gestibus & sensibus.*
4. *Loquelæ & silentij discreta moderatio.*
5. *Recreatio omniaque externa opera, deuotioni commiscenda.*
6. *Singularitas omnis fugienda;*

7. Sicut

[a] Ita habetur 1. Petr. 5. *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.*

[b] Praxim istam solidam & vtilem per considerationes pias hoc loco adductas, humiliandi semet & abijciendi infra pessimos, vsurparunt & laudarunt, tum in vitâ tum in scriptis, sanctus Bernardus, sanctus Franciscus, sanctus Bonauentura, & alij plures.

7. Sicut & censura de aliorum factis aut moribus.
8. Nulli creaturæ inhærendum.
9. Feruenter à defectibus teipsum repurga.

Refectio corporalis qualis esse debeat.

1. HACTENVS quidem diximus, quomodo diuino Officio assistere, quæ exercitia interna assumere, & quam rationem obseruare; quid sequi, quidq; vitare in illis debeas: nunc ad reliqua, quæ dicenda sunt, transeamus. Quantũ ad refectionem corporalem attinet, omnem excessum caue: ne prægrauatus, ad spiritualia exercitia reddaris ineptior. Neque enim fieri potest; non potest, inquam, fieri, quin venter per intemperantiam distentus, animum à Deo, & his quæ salutis sunt, auocet. Præcipuè vinum, etiam citra ebrietatem largiùs sumptum, impedimento est: corpus incendit, interiora confundit, & alacritate spiritus coarctatâ, pecuinum quemdam torporem inducit. Frustrà itaque ad spiritualem vitam assurgere nititur, qui gulam necdum refrenare conatur.

Venter distentus ineptus ad spiritualia.

Vini largior vsus quàm noxius.

Victu frugaliter vtendum, contemptis delicijs:

Vitiosa ergo desideria sedulò amputa. An cibus vel potus, quo vteris, multùm exquisitus sit, aut suauis ex se, tu parum curaueris: si sumi potest, & rationabilis est, quid amplius exigis? Monachus diceris: ad mensam accedere debuisti, vt de donis Dei corpus reficeres, non vt voluptatem carnis foueres. Quare, si de victus vilitate perturbaris & murmuras, sicut priùs dixi, sic & nunc dico, Monachus non es.

Idq; amore & exemplo Christi Domini.

Si cordi tuo verè saperet Iesus, quæ eduliorum paupertas palato tuo propter Iesum non saperet? Ipse enim Iesus etiam extremæ inopiæ gratissimũ condimentum est. Ama Iesum, & escæ simpliciores tibi non minùs, imò verò ampliùs suaues erunt, quàm epulæ Regales. Iesus esuriens, nudo pane sæpè pro te refectus est: Iesus sitiens, aceto & felle pro te potatus est.

Psal. 68.
Matth. 27.
Marc 15.
Luc. 23.
Ioan. 19.

Moderatè percipienda ciborum delectatio.

Continenter, sensim & moderatè cibum potumque sumito, omni auiditate brutali penitus exclusâ. Etiam circa ipsam delectationem naturalem, quam refectio corporalis parit, vigila. Noli hærere, noli hoc spectare, vt sensualitatem pascas: nam si illam pascere volueris, ipsa depascet & commaculabit interiora tua.

Necessitati naturæ consulendum.

Quemadmodũ autem sæpè negandum est carni, quod malè concupiscit, ita nonnumquam cogenda est, vt id percipiat, quod percipere non desiderat. Aliquando enim vel tantillum fastidit, quantum naturæ necessarium est.

Cibus lectione sacrâ, aut piâ meditatione condiri debet.

Porrò vide, ne, dum corpus reficitur, mens ieiuna maneat. † Gustent interim fauces cordis tui verbum Dei & doctrinam salutarem, factaque Sanctorum aures excipiant. Si fortè ad eam mensam accumbis, in quâ lectio sacra deest, tu ne sic quidem animam tuam cibo spirituali priuaueris: sed quantum per silentium licet, cum ipsâ, aut cum Deo intus colloquere, & pium aliquid apud te pertracta.

Vestitus frugalitas. Obseruabilis admonitio ad Monachos in habitu irreligiosos.

2. In vestitu, sicut & in victu, sobrius esto. Quidquid monasticæ simplicitati contrarium est, id prorsus reijce, conspue, & detestare. Neque vanissimos quosdam infelicissimosque Fratres imitatus fueris, quos sui status pudet, & suæ iniquitatis non pudet. Si quãdo egredi, vel ad conspectũ sæcularium venire debuerint, videas eos ad inepta curiosaque prorucre: tales & tales vestes, sic & sic aptatas tunicas induere velle: amictum cum regulari mandato, & Patrum ordinationibus conuenientem, gestare erubescunt. Dumq; non vt humiles Monachi, sed † vt delicati venustique Aulici prodeunt; prodigioso spectaculo prudentes quidem homines ad mœrorem & indignationem, diabolum verò ad risum & cachinnos prouocant; euidenter hac absurditate declarantes quales intus sint, nempe superbi, molles, & vanâ gloriâ pleni.

Detestatio sæcularitatis in Monachis.

O Monachos à verâ religione nimis alienos! O Monachos non Monachos! ô Monachos dæmoniacos! Hoccine est quod Deo promiserunt, quãdo per sacratissimum paupertatis votum mundo omnibusq; eius pompis & vanitatibus solemniter renuntiauerunt? Hoccine est quod Rex Regum verbo docuit? Hoccine est quod exemplo monstrauit, quando panniculis vilibus indutus, præsepe habuit pro cunabulis? quando item veste albâ & chlamyde purpureâ in opprobrium vestitus fuit? Hoccine est sequi Iesum? Hoccine est inhærere vestigijs Iesu? O confusionem intolerabilem! ô insaniam extremam!

Luc. 2.
Matth. 27.
Mar. 15.

Dehortatur ab hac vanitate.

Attende tibi, Frater, nequando his similis efficiare: quin potiùs contentus esto rationabili vestimentorum simplicitate, siue in monasterio, siue extra monasterium fueris. Nam hoc à te tua professio exigit.

Gestus & sensuum castigata moderatio. Oculorum.

3. Vbique, sed maximè in diuinis Officijs, visum comprime: neque leuiter huc atque illuc sine necessitate circumspexeris: ne videas quod te ab attentione cordisque puritate deturbare possit. Sed, etsi periculum nullum immineat, ipsa tamen disciplina monastica exposcit, vt siue quiescas, siue

† Citat hæc sub nomine Blosij R.P. Iulius Nigronius in Asceticis Tract. 4. par. 1. de Lectione super mensam c. 3. qualitate 3. §. 18. & parte 1. cap. 4. §. 29.

† Hæc inuectiua accipienda est de enormi excessu in veste Religiosorum, in quo omnes Religiosi zelum habentes ædificationis inter sæculares, meritò Dacryanum agere plorando debeant.

pro-

procedas, verecundos demissósque [a] oculos habere consuescas. Numquam curiosè intenderis in faciem mulieris.

Incessus.

[b] Incessus tuus non sit nimiùm celer aut concitatus, præcipuè in Oratorio, nisi fortè aliqua necessitas requirat accelerationem; neque rursus extra Oratorium appareat nimiùm tardus aut remissus; sed sit modestus & honestus. Totum corpus tuum vbique sub laudabili compositione contine.

Vultus hilaris.

Vultum cum decenti grauitate hilarem coram alijs exhibe, benignum & affabilem omnibus te præbens. Si te vel inuitum altior aliqua tristitia oppresserit, eam sic dissimula, ne planè tetricus & amarus videaris, ceterísque molestus fias. Quando ridere compelleris, non nisi continenter & monasticè rideto: ita vt risus tuus vix risus dici possit. Cachinnum, tamquam ingens propositi tui impedimentum, atque altum animæ præcipitium, fuge: sciens, quia risus excussus indisciplinatusque claustra pudoris violat, & dissipatis interioribus, Spiritus sancti gratiam è corde profligat.

Similiter dissimulanda tristitia. Risus monasticus.

4. *Silentiũ & taciturnitatis regula. Cautio in sermone.*

Solitudinem, silentium & taciturnitatem præcipuè dilige. Semper paratior ad sermonem audiendum, quàm ad proferendum esto. Non præceps, non turbulentus, non clamosus, non contentiosus in verbis appareas: sed modestè, verecundè & benignè, sine simulatione, quæ vera rectaque sunt, loquere.

Verba & vox Monachi, quomodo attollenda vel deprimenda.

Non, inquam, indecenter vocem eleues, neque rursum sic deprimas vt intelligi vix possis, præsertim si locus, tempus, causa, vel persona cui loqueris, exigit vt clariùs loquaris. Nam vox Monachi, sicut semper quidem verecunda, frequenter autem submissa esse debet, iuxta sanctas Religionis ordinationes; ita debet & nonnumquam esse rationabiliter clara.

Vitanda contentionis occasio.

Non facilè aliquid pertinaciter affirmaueris, nisi fidei negotium, & salutis necessitas cogat. Verùm vbicumque contradictorem habes, ibi vel cede & sile; vel si cedendum silendumque non est, cum modestiâ & humilitate affirma quod tibi certum est. Sic enim omnis irreligiosæ contentionis occasionem faciliùs sustuleris. Verba tua aculeis careant.

Propria laus, & aliorum vituperium æquè fugiatur.

Non libenter ea dicas, ex quibus aut tu laudari, aut alius vituperari possit. Quòd si necessitas vtilitasque poposcerit vt talia proferantur, laudabilis pudor, & pura intentio adsit.

Nugaces & detractorij sermones amputandi.

Fabulas dissolutas, sicut venenum animæ tuæ præparatum, exhorresce: & nugas (dum te præsente incidunt) si tuleris, vide ne referas. Linguæ inepta, indecora, & perniciosa loquenti numquam consentias. Imò verò dum talia dicuntur, mansuetè rationabiliterq; corripe dicentem, si opportunum vel congruum videtur: si non est opportunum, tu saltem sermonem, quantum in te est, honestè succide, & eum ad alia, quæ mala non sunt, transferre satage. Verbis detractorijs nec aurem quidem accommodes, si fieri potest.

5. *Etiam in ipsâ recreatione seruetur eleuatio mentis ad Deum. Qui sese foris recreat, tamen semper maneat apud se & cum Deo.*

Recreationibus externis, vel inambulationibus licitis dum vteris, caue abutaris: id est, sic circumspectè vtere, vt spiritualem profectum adiuuent, non impediant. Potes quidem animum ad honorem Dei remittere, sed eum dimittere non debes: ne dum à teipso expulsus foris vagaris, oblectatio spiritui contraria, seu quæuis passio comprehendat te, & interiora tua dissipet, repleatq; amaritudine. Ergo solerter apud temetipsum per argumentosam quamdam mentis simplicitatem permanere disce: vt strepitu leuium cogitationum, motuque inordinatarum affectionum represso, cor in silentio & libertate custodias. Deus præcipua, vel etiam tota cogitatio tua sit: neque enim hoc tibi vbique satis esse debet, * vt tota intentio sit.

* Nō enim omnes qui de Deo cogitant, per plenam & puram erga Deum intentionem cogitant.

Similiter & omnia externa cum actuali intuitu Dei perage.

Similiter & in quibuslibet alijs exterioribus occupationibus adnitere, vt non solùm opera tua propter Dei honorem prudenter, deuotè alacriterque cum Martha perficias; verùm etiam vt in ijsdem operibus, quæ ad honorem Dei sic fideliter agis, mentem à tumultu cogitationum, & confusâ rerum sensibilium imaginatione expeditam, ad Deum seu diuina cum Mariâ dirigas; maximè si rationabile colloquium, aut alia necessitas non impedit. Martha, quia adhuc per multiplicitatem variarum cogitationum in suâ rectâ intentione, & suis externis operibus distrahitur, turbaturque erga plurima, quamuis deformis fortè non sit, nondum tamen satis decora est. Maria autem, quia turbas instabilium cogitationum iam declinare nouit, & in vnitate tranquillitateque cordis commanens, summo bono adhærere studet, perfectioris decoris est. Luc. 10.

Martha & Maria cohabitatio in animâ religiosâ.

Igitur in intentione tuâ, dum externis occuparis, non tantùm rectus & innocens cum Marthâ, sed etiam simplex & clarus cum Mariâ esse dilige. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* Et tu eamdem partem elegisti: quam nisi pro modulo tuo tenueris, dignum tuâ professione fructum non adfers. Vbique ergo simplicitatem mentis charam habeto.

Luc. 10.

[a] De oculorum custodiâ hæc & alia pulchra habentur in Iudoco Lorichio de Curâ corporis cap. 6.

[b] Idem Lorichius de Curâ corporis hæc adfert inter alia aliorum documenta cap. 5. de Incessu.

Si

Etiā minùs perfectis Maria imitanda. Si paruulus es in Christo, & non vales Mariam mente sublimia penetrantem assequi, imitare saltem eamdem humilioribus intentam; imitare eam pedes Domini la- *Luc. 7.* crymis affectuosissimè rigantem, imitare eam verba Domini dulcissimè excipientē, *Luc. 10.* imitare eam Dominum in sepulchro amo- *Ioan. 20.* rosissimè requirentem. Nam & in his simplicitatem mentis habuit: vnum amauit, vnum cogitauit, vnum quæsiuit. Imitare autem, non tam vt delecteris, quàm vt ipsi Domino placeas. *Deus, non oblectatio, quæri debet.* Si enim per oblectationem sensualem principaliter teipsum in his quæris, non est pudica sponsa Christi anima tua, † sed est vilissima serua peccati, ne dicam spurcissima meretrix diaboli.

Humilia deducunt ad sublimia. Ad sublimiorum apprehensionem per huiusmodi humiliora nonnumquam admitti mereberis; si tamen ea conuenit humiliora appellare: neque enim humilia, sed prorsus altissima sunt.

6. *Singularitas in obseruantiis & austeritatibus vitiosa. Sequenda via communis, & singularitas fugienda.* In omnibus, quæ à sinceritate status monastici aliena non sunt, conforma te communitati, vitiosam singularitatem vbique vitans. Et quia habitas inter fratres secundùm suauissimam sanctæ Regulæ austeritatem laudabiliter viuentes, abstinentiæ vigiliæque singulares tibi omnino suspectę sint: neque notabiliter in eis præ ceteris confratribus excedas, nisi, Spiritu sancto reuelante, cognoueris Dei esse voluntatem & beneplacitum.

Nec sine obedientia præscripto admittenda. Sed nec absque Superioris consilio & consensu aliquid attentes: ne, dum corpus vltra mensuram ex tuo sensu affligere præsumis, & ipsum ad bona opera reddas inutile, & te fructu laboris tui penitus priues. Deus puritatem cordis à te requirit, non corpusculi destructionem. Vult vt ipsum spiritui subijcias, non vult vt opprimas.

Discretio in omnibus corporis & animi exercitijs. Igitur in externis, sicut & in internis exercitijs, animi feruorem sanctâ discretione tempera. Si voluntas ad virtutem pigrior remissiorque veluti dormitat, excita eam, & adde calcar: si verò habenis excussis fertur impetu, reprime, & coërce eam.

7. *Vitia aliorum defectusq; ne inquirito, sed tuos.* Semper cum sancto timore in præsentiâ Dei tui assiste: semper in auribus cordis tui hæc verba resonent: *Attende tibi.* Non *1. Tim. 4.* multùm curiosè consideraueris quid alij agant, quales sint mores & gestus eorum; nisi *Adspice teipsum, & non alios, nisi purâ intentione.* fortè ex officio tibi incumbat. Circa teipsum sit curiositas & occupatio tua. Vbi tamen non dicimus, vt aliorum excessus & peccata paruipendas, eaque, quantum in te est, emendare vel emendanda procurare negligas. Curiositatem enim damnamus, non charitatem & sanctum iustitiæ zelum. Quod in hac parte contra maturam animi stabilitatem, & sinceram proximi dilectionem non est, hoc non vituperamus.

Ipsa vitia quæ in alijs vides, & de alijs *Qualem te geras erga aliorum defectus.* audis, aut non esse omnino vera simpliciter putato, aut certè in meliorem partem ea interpretare. Quòd si tam manifesta sunt, vt in bonam partem interpretari nullâ ratione possint; adspectum tuum cogitationemque tuam ab illis separare stude: sed ad tua ipsius peccata conuersus, tam pro te, quàm pro eis, Deum humiliter deprecare, si datur opportunitas. Sic enim suspiciones inquietas, & temeraria iudicia faciliùs effugies.

Caue item summopere, ne de alicuius *Aliorum defectibus nō insultandū, sed ingemiscendum.* peccato etiā leuiori, aut de quauis aduersitate vmquam gaudeas, ratione consentiente: verùm ingemisce coram Domino pro fratre tuo, recogitans quia sumus inuicem *Ephes. 4.* membra & vnum corpus, omnes eodem Sanguine redempti. Disce nō indignari, sed compati defectibus aliorum, eosque æquanimiter portare, siue corporum siue animorum defectus sint. Scriptum est enim: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* *Gal. 6.*

Quidquid autem cælestis gratiæ in alijs *Aliena bona congaudendo fiunt nostra.* animaduertis, id non ad liuorem satanicū, sed ad fidelem imitationem, piamque aggratulationem te excitet. Et quamuis spirituale bonum, quod alium possidere cognoscis, ipse non possideas; lætare tamen apud temetipsum, quòd Deus per illud honoretur; neque segniùs gratias egeris Domino, quàm si tuum foret bonum; & reuerà tuum efficietur bonum, coronaberisque de alieno tamquam de proprio; imò verò & proprium erit.

8. *Soli Deo placendum, non autem creaturæ vlli, nisi per illum.* Sic animum institue, vt mundo neque placere affectes, neque displicere pertimescas. In homine etiam propinquissimo nihil dilexeris præter Deum, seu Dei gratiam atque opificium: & rursus nihil oderis, præter vitia. *Sit pura dilectio & odium.* Nullus sit, quantumuis affinis, familiaris, aut de te benè meritus, in cuius gratiam paratus sis etiam leuissimè Deum offendere; vel cui in aliquo peccato fauere, adulari, & applaudere velis.

Omnes spiritualiter ama, neminem sensualiter. Nullius hominis præsentiam aut alloquium anxiè expetieris, nisi spiritualis profectus gratiâ: quamquam ne sic quidem perplexa anxietas bona erit. Omnes ama, sed spiritualiter, non sensualiter. Ita enim fiet, vt neque de corporali absentiâ iustorum

† Seuerum est hoc monitum, & verum, quando delectatio sensualis est mortale peccatum: item quando euidens periculum est, ne amor iste proprius, principaliter seipsum in tali oblectatione quærens, facilè degeneret in amorem diabolicum. Est enim Deus zelotes, nec vult alium aut aliud, præter se, amari; vnde vox celebratur S. Augustini: *Minùs te Domine amat, qui præter te aliquid amat, quod propter te non amat.*

rum vel amicorum inordinatè angaris, neque de corporali præsentiâ peccatorum aut inimicorum indecenter affligaris. Imò nullum habebis inimicum, sed etiam persecutores tuos, tamquam charissimos salutis tuę promotores, diliges.

Creaturarum decor ad Creatorem referendus.

Quidquid in creaturis, vel ex naturali dispositione, vel ex hominum arte seu industriâ delectabile, singularique admiratione dignum conspicis, audis, & percipis, id ad summi Creatoris laudem, aut ad æternæ beatitudinis statum purè refer; vt delecteris in Domino. Semper tibi suspecta sit delectatio sensualis, vndecumque etiam emerserit: nam si per eam te quæsieris, illique inhæseris; inuiscaberis, & maculaberis.

Psal. 36.

9. *Seria & feruens omnium defectuum emendatio. In defectibus absit pusillanimitas, adsit fiducia Dei.*

Omnium peccatorum, etiam leuissimorum, affectum prorsus detestare: quibus tamen fortè præoccupatus si ex fragilitate decideris, noli inordinatâ pusillanimitate teipsum intempestiuè affligere, sed humiliter confitere culpam coram Domino; & renouato proposito, fiduciâque piè resumptâ, omnes defectus tuos in abyssum misericordiarum eius, aut in sacrosancta Vulnera ipsius affectuosè proijce. Quamdiu in luteo isto corporis habitaculo degis, minorum peccatorum affectus in te mortificare potes, lapsus [a] in totum cauere non potes.

Pij Monachi à peruersis in odio & fugâ peccati discriminantur.

Pij Monachi, etsi nonnumquam, vel etiam frequenter delinquunt; delinquere tamen & oderunt, & cauent semper, dolentque postquam offenderint: peruersi verò Monachi, & delinquunt, & delinquere nec oderunt, nec cauent; [b] leuiorum enim culparum nec affectus extinguere, nec occasiones vitare laborant. Libertatem laxioris vitæ desiderant; à diuino Officio ceterisque actionibus Conuentualibus abesse gaudent; delicatum superfluumque cibum aut potum percipere gestiunt; opportunitates nugandi exquirunt; inordinati risus solatia affectant; sæcularia audire, vana videre, curiosa in suos particulares vsus accipere ardent. Propriam complacentiam, ineptam lætitiam, otium, vaniloquia, fabulas, gestus incompositos, ceteraque huiusmodi vitia, aut non esse vitia, aut vix esse vitia iudicant, sine scrupulo conscientiæ ea admittunt. Nimirum insensibiles effecti, vulneribus acceptis, se sanos existimant: ob idque nec mala sua plangere, nec vitam corrigere student. Sed quid dicunt? Non sunt, inquiunt, vulnera; aut si sunt vulnera, admodum parua, & ferè nulla sunt.

Neglectus venialium disponit ad grauissima peccata facilè committenda.

O Monachos infelices! ô Monachos dementes! ô Monachos non Monachos! Nam quantumlibet parua vulnera videantur; quia tàmen nec cauent ne ea suscipiant; nec, postquam susceperunt, debitam curam adhibent; omnino mortifera † redduntur: vt interim omittam, quòd etiam ex tali negligentiâ frequenter ipsi in superbiam, rebellionem, inobedientiam, murmurationem, furorem, detractionem, odium, inuidiam, contemptum, gulam, & alia enormia peccata corruant.

Hortatio ad fugiendos mores peruersorū Monachorum.

Noli, Frater, noli hos imitari: neque enim ex veris Crucifixi discipulis, & dilectis Dei amicis sunt: sed nec esse poterunt, quamdiu non desierint tales esse, quales sunt. Tu tibi meliùs prospice: relinque, amoue, dissipa, respue quæcumque te à diuino amore vel minimum retardare possunt. Per omnimodam tui mortificationem, tamquam per certum vnicumque compendium, ad perfectionem vitæ festina.

† Venialia peccata si (vt hîc dicitur) magno numero committantur, & vilipendantur, disponunt animam quamproximè ad peccatum mortale; non quòd peccata vlla venialia, quantumuis multa & grauia, fieri possint formaliter mortalia, iuxta communem sententiam Scholasticorum apud D. Thomam 1. 2. q. 88. art. 3. 4. 5.

DIVISIO VIII.

Compendium ad perfectionem, mortificatio; & quomodo exercitia diei sanctè terminari debeant.

1. *Abnegatio sui & humiliatio compendio perducit ad perfectionem.*
2. *Felix status animæ verè expropriatæ.*
3. *Monachus ex voto professionis tenetur tendere ad perfectionem.*
4. *Exhortatio ad diligentem conatum, cui gratiæ auxilium numquam sit defuturum.*
5. *Examinis vespertini ante somnum puncta, & conclusio Speculi.*

1. *Expropriatio, seu perfecta proprietatis abiectio, cōpendium ad arcem perfectionis. Veterem hominem exue per expropriationem.*

VIs paucis audire quæ sit omnimoda tui mortificatio? Vis audire certum illud compendium? Ego dicam, ego monstrabo: intende igitur. Omnem proprietatem exue. ecce compendium, Omnem proprietatem exue. Et quid est hoc? Omnem propriam voluntatem, seu quæsitionem exue: totum veterem hominem exue.

In quo consistat hæc sui expropriatio, fusè & clarè docetur.

Sed, vt meliùs intelligas quod dicitur, ego idem paulò diffusiùs proponam. Adstrinxisti te ad paupertatis obseruantiam? pauper esto. Quomodo pauper? Pauper rebus; magis

[a] Sic accipe verba S. Iacobi Epistolæ cap. 3. *In multis offendimus omnes*: & damnat Synodus Trid. sess. 6. can. 23. asserentes, posse omnia peccata venialia totâ vitâ, absque speciali Dei priuilegio, vitari.

[b] Adspice & abominare turpissimum schema peruersi Monachi hic expressum natiuis coloribus, quod deplorat Dacryanus.

magis tamen pauper rerum affectibus, & animi passionibus; pauper spiritu. Si adhuc aliquid per proprietatem affectus atque sensualitatis amas aut desideras, si adhuc in aliquo te quæris, nondum voluntariè, nondum verè pauper es; nondum cum beato Petro dicere Deo potes, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Expedi te, relinque omnia, exue omnem proprietatem. Quidquid Deus non est, id in corde tuo per adhæsionem, siue inordinatam implicationem non sit. Ab omnibus, quæ citra Deum sunt, liber esto: ita vt neque ineptè gaudeas propter læta, neque inordinatè deijciaris propter tristia. Et, siue non acceperis quæ nondum habes, siue perdideris quæ iam habes, stabilem tranquillumque mentis statum vtrobique serues.

Math. 5.

Math. 19.

Quid se abnegare, & omnia relinquere.

Omnia, inquam, sensibilia & teipsum prorsus abnega propter Deum. Quod perinde est, ac si diceretur: Vim concupiscentiæ, delectationis, iræ indignationisque naturalis in te mortifica: & in omnibus, tam aduersis quàm prosperis, te in diuinum beneplacitum sine aliquâ voluntatis contradictione resigna.

Idem sunt, abnegatio, humiliatio, & mortificatio.

Demonstraui compendium, ostendique omnimodam tui mortificationem, omnimodam esse proprietatis abiectionem, hoc est, omnimodam tui humiliationem. Reuerà enim perfecta humilitas, ipsa est istud compendium, per quod rectà ad perfectionis arcem peruenies. Hæc autem arx, perfecta charitas, seu puritas est.

Quo indicio dignoscamus nos attigisse perfectionem charitatis per omnimodam abnegationem.

Et quo, inquis, pacto cognoscam, an ad eam arcem peruenerim? Ego etiam id tibi manifesto. Si in silentio cordis tui, tamquam in portu tranquillissimo, assiduè commanens, mentem ab omni inordinatâ curâ, affectione, pressiorique imaginatione rerum infimarum, ab omni denique inquietudine & tumultu absolutam, in Deum affectuosè dirigis ac reclinas; ita vt memoria tua, intellectus tuus, voluntasque tua, id est, totus spiritus tuus, ipsi Deo feliciter vniatur; prædictam arcem tenes. Ista enim totius perfectionis summa est.

Quatenus etiam in hac vitâ continuò possimus Deo inhærere.

Quamuis autem Dei theoriæ & speculationi per præsentem intuitum atque memoriam iugiter inhærere non possimus, carne corruptibili adhuc circumamicti: hîc tamen nos per intentionem semper fixos esse conuenit, & huc, veluti ad scopum, sedulò mentem reuocare debemus, quoties per intempestiuas, leues incompositasq; cogitationes defluimus. Quando legendo, meditando, scribendo, audiendo, loquendo, quælibet theoretica & spiritualia vtiliter sinceriterque tractamus, non elongamur à contemplatione Dei: sed nec quando externa quæque cum simili sinceritate & sobrietate suis temporibus pro necessitate audimus, loquimur & cogitamus, procul à Deo recedimus.

2.

Quanta sit felicitatis, ad veram abnegationem pertigisse.

O te eximium philosophum! ô te sapientem! ô te insignè Theologum! ô te ter quaterque felicem & beatum! si hæc non tantùm aure corporis, verùm etiam aure cordis percipis; atque ad veram tui mortificationem accensus, radici arboris securim admoues. Quænâ est hæc arbor? Ipsa proprietas, de quâ paulò antè loquebamur. Quænam est securis? Ipse feruor spiritualis internique exercitij. Præcipuè tamen [1] assidua Dominicæ passionis pertractatio, & [2] crebræ ad Deum adspirationes, cum promptâ obedientiâ, [4] rationabilique victus sobrietate, securis sunt. Profectò securis acuta, securis benedicta, securis gratissima, securis omnium bonorum totiusque puritatis conciliatrix, securis auro fulgens, & gemmis ornata. Arbor verò arbor maledicta, arbor amarissimis fructibus plena, arbor omnium malorum, omnisque inordinationis productrix ac nutrix, arbor obscura & tenebrosa. In te est ista arbor, sicut & in ceteris omnibus: in te est, & quamdiu permanserit in te, perfecta lux non erit in te. Si igitur serenissimum Solis iustitiæ iubar clariùs intueri desideras, detrunca arborem, & proijce abs te. Crassa duraque admodum est; non primis ictibus, nec primo die, nec fortè primo anno, nec fortè multo tempore prorsus deijcietur: perseuerantiâ & longanimitate opus est.

Proprietatis detestatio & amputatio.

Arbor proprietatis quadrifidâ securi deijcienda.

Nec primo ictu cades, sed est opus perseueranter secare.

Mens ab omni proprietate nudata, facillimè vnitur Deo.

Quemadmodum autem aurum deorsum, & flamma ignis sursum, ablato obice, naturaliter fertur: ita mens, quæ ab omni proprietate iam defæcata depurataque est, & solum diuinum beneplacitum quærit, naturaliter in suam originem, nempe Deum, eleuatur, eique liberiùs vnitur. Mens verò, quæ aliquâ ex parte tantùm nudata est, quamuis & ipsa in suam originem tendat, candoreque lucis æternæ desuper aliquo modo illustretur: quia tamen impedimentum omne necdum ablatum est, non potest liberè in ipsam lucis æternæ abyssum transire, fluere, & absorberi; hoc est, non potest liberè vniri Deo summo bono suo.

Multa tamen probationes & afflictiones debent præcessisse, vt ad hanc nuditatē perueniat.

Porrò licet benignissimus Deus aliquos ad amorem sui placidiori quadam viâ, absque multis tentationibus nonnumquam subleuet; nemo tamen, quantumuis donis spiritualibus ditetur, facilè confidat, se ad consummatam resignationem sui peruenisse, nisi reipsâ plurimas grauissimasque aduersitates sustinuerit, & in earum toleratione

per-

Fastus latens in animo non expropriato.

perfectam mentis quietem libertatemque seruauerit.

Multi sanè, quamdiu nullas increpationes, nullas iniurias, nulla damna, nullas tentationes & molestias accipiunt, deuoti, patientes, humilesque videntur: sed vbi increpationibus, iniurijs, damnis, tentationibus atq; molestijs attacti fuerint, mox per murmurationem, indignationem & impatientiam superbè demonstrant, quàm intus immortificati sint. Ergo priusquam aliquis ad veram sui abnegationem pertigisse credi possit, necesse est eum multifarias aduersitates animo voluntario & tranquillo perpeti.

Deus afflictionibus amicos suos probare gaudet.

Qui nondum afflictionibus exactè à Deo probatus est, cogitet se nondum eò promouisse, vt eas perferre possit: nam si eò promouisset, ipsi proculdubiò occasiones diuersarum tribulationum non deessent. Gaudet enim Diuinitas animam secretiùs perfectiusque sibi iunctam multiplicibus afflictionibus, tamquam pretiosissimis margaritis, exornare, & ita eam ad veram Iesu Christi similitudinem perducere.

Liber à proprietate, Christianæ pietatis apicē attigit, & factus est in terrâ per vnionem mysticam Angelus Deiformis. Matth. 13.

Qui ergo, proprietate exutâ, voluntatem suam voluntati ordinationiq; diuinæ in omnibus omnino conformat, æquè paratus quamlibet aduersitatem, confusionem ac dulcedinis internæ subtractionem propter Deum suscipere; sicut cuiusuis prosperitatis, honoris, & deuotionis affluentiam: qui, inquam, ad hoc peruenit, vt omnem tentationem ac tribulationem cum quodam sapore interno & gaudio portare possit; is pretiosam margaritam inuenit, is ad supremum perfectionis culmen pertigit. In omni enim loco & negotio Deo vnitus est, menteque in eum dulcissimè fluit. Totâ die purus, tranquillus, simplex, lætus, & suauis in lumine vultus Domini ambulat: tantâque facilitate summæ contemplationi inhærere potest, dum inhærere vult, quantâ facilitate viuit & spirat. Quid in hac valle miseriæ cælitus accipiat, & ad quæ Deus familiariter eum admittat, non est nostrum dicere: ineffabilia enim sunt. Det gloriam Deo qui talis est, fateaturque quia Iesus Christus

Psal. 112. suscitauit à terrâ inopem, & de stercore erexit pauperem, quando de homine immundo hîc in terris Angelum fecit Deiformem.

3. *Monachus ad perfectionē niti debet ex vi suæ professionis.*

Dicis tu fortè mihi: Perfectio hæc exaltata est à me, ideò non extendam me, neque conabor illam apprehendere, ne in vanum laborare videar. Ego verò tibi respondeo, quia si hoc facis quod dicis, Monachus non es. Quamuis enim obligatus non sis ad perfectionem peruenire; es tamen ex professione obligatus adniti, quantum in te est, vt ad illam peruenias. Blandire tibi sicut blandiri vis, persuade tibi quod persuadere vis, confinge & prætexe excusationes quas confingere vis; obligatus es ad perfectionem pro viribus tendere. Sic est, & aliter non est. Si id hactenus ignorasti, ecce iam non ignoras. Adstrinxisti te, obligasti te: adstrictus & obligatus permanebis.

Nempe Religiosi ex voto non tenentur esse perfecti, sed esse conari.

Diffidentia culpabilis.

Non possum, inquis, ad tantam perfectionem peruenire. Quid sibi vult ista diffidentia? An ignoras, diuinam virtutem plus posse efficere, quàm humana infirmitas possit vel cogitare?

Fiducia in Deum ponenda, non in conatu.

Fateor, non potes per te peruenire: sed Deus potest te perducere. Crede Deo, spera in Deo, non in te: confide in gratiâ & adiutorio Dei, non in conatu tuo. Verumtamen vt Deus tibi adsit per gratiam, vide ne tibi desis per socordiam. Fac quod in te est: exsere manus, extende brachia, confirma animum ad vitiorum destructionem, ad perfectam tui abnegationem; collige cor, produc affectum, eleua mentem ad æternorum contemplationem; præsentiam Dei vbique attendere consuesce.

Dominicæ passionis quotidiana ruminatio, & rerum diuinarum. *Diuisione 4. §. 1. & seqq.

Quod vt meliùs præstare possis, singulis diebus aliquam Dominicæ passionis partem (sicut exemplo in medium adducto superiùs * commonstrauimus) tibi propone, & ad eum internum intuitum sedulò dirige: dulcia interim cum Iesu, vel cum animâ tuâ de Iesu miscens colloquia. Tuam, inquam, cogitationem in re aliquâ diuinâ iugiter, quantum commodè fieri potest, occupa. Hic sit scopus tuus, hæc sit destinatio mentis tuæ, ad hoc quietâ placidâque sollicitudine labora indesinenter.

Perseuerantia reddit viam perfectionis facilem & iucundam.

Et quamuis vel singulis, vt ita dicam, momentis distraharis, decidasque ab intentione; non id te frangat, non in pusillanimitatem adducat: sed constans esto, & semper in idipsum reuertere. Omnino laboris improbitate vinces difficultatis molestiam. Quin etiam ipsum laborem breuî mitiorem & gratiorem experieris: regeneratusque in nouitatem inexpertæ lucis, gustare incipies delicias Sanctis repositas. Non iam eris qui priùs eras; sed feliciter mutatus in alterum virum, & Angelicâ quadam gratiâ inuestitus; magni facies quæ priùs contemnebas, & contemnes quæ priùs magnifaciebas. Quod malè placuerat, displicebit; & placebit quod malè displicuerat: promptissimè gratanterque portabis, quæ anteà importabilia videbantur. O iucundam metamorphosin! ô mutationem dexteræ Excelsi! Tandem verò, laudabili consuetudine in naturam transeunte, diuinoque amore

amore intima perfectiùs occupante, nec laborem quidem senties: sed quemadmodum priùs sordida, impura, absurda, inepta, vana, instabilia, somnioque similia, sine labore cogitabas: ita iam Deo diuinisque rebus sine labore inhærere poteris. Necesse est enim mentem in id assiduè reflecti, quod cor impensè diligit.

Execratio in Monachos peruersos. Væ, & iterùm væ peruersis, tepidis, negligentibusque Monachis; Monachis nomine, vitâ non Monachis: qui status sui reuerentiâ contemptâ, votisque violatis, in corporis, vanitatis, & passionum sterquilinio iacere neque erubescunt, neque formidant.

Laus Monachorum, qui pro viribus ad optima conantur. Beati autem, & iterùm beati Monachi illi, qui etsi pusilli imperfectique sunt, ad perfectionem tamen pro viribus adspirant & contendunt. Nam & ipsos ex adoptiuis Dei filijs esse constat, quos pius Saluator Iesus consolatur, dicens: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* (Lucæ 12.) Securi expectent mortem, etiamsi adhuc in initijs sancti propositi sint: quia pretiosa erit in conspectu Domini. (Psal. 115.) Securi expectent mortem; imò non mortem, sed somnum pacis, sed mortis terminum, transitumque de morte ad vitam.

4. *Exstimulat trepidum ad difficultates conculcandas.* Quid ais, mi frater? adhuc dubitas? adhuc fluctuas? Age, precor, & tantâ securitate acceptâ, viam salutis arripiens, animam tuam intrepidè ad tentationes præpara. (Eccli. 2.) Nulla difficultatis species te absterreat. In omni aduersitate, quam vel intus vel foris sustinere contigerit, dic gratanter, *Domini voluntas fiat.* (Act. 21.) *Non terreat diuturna lucta.* Etiamsi multum diuque sudare, & grauiter eluctari oportuerit, priusquam veterem hominem prorsus peruincas ac supplantes, ea res nequaquam te perturbet: non laborem, sed laboris fructum attende.

Auxilium diuinum accedet. Aderit, mihi crede, aderit laboranti superna pietas, & vbique benignissimè subueniet: metuentem confortabit, vacillantem confirmabit, impulsum suscipiet, labantem apprehendet, lapsum eriget, mœstum consolabitur; infundet subinde dulcedinis internæ vnguentum pretiosissimum.

Constantia requiritur. Quòd si perseueraueris, vires tentationum viribus diuini amoris necessariò cedent: iamque ipsæ tentationes & tribulationes, non graues & amaræ, sed leues & suaues erunt. (Exod. 33.) Tunc demum videbis omne bonum, paradisumque etiam in hac vitâ inuenies.

Desertores & retrogradi notantur; Hoc, inquam, fiet, si perseueraueris, & ex eorum numero non fueris, qui bene quidem incipiunt, verùm satanicis illecebris delusi, vel tentationum laborumque molestiâ fatigati, leuiter posteà deserunt propositum. Pondere tribulationis premi nolunt: ideoque tempore afflictionis scandalizantur in Domino, & recedentes ab eo, quasi dicere videntur, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* (Ioan. 6.) Ædificant nimirum non super firmam petram, (Math. 7.) sed super arenam instabilem; ob idque ad ventorum flatus & fluminum impetus facilè corruit eorum ædificium. Vtinam tamen ruinas ipsi suas attendant, & ne sic quidem abijciant animum; sed collapsam structuram innouare festinent, non iam in arenâ, verùm super petram fundamenta iacientes. *& ad spem eriguntur.*

Post lapsũ, etiam frequentem, animosè resurgendum. Mi frater, si (quod Deus auertat) contigerit tuum ædificium collabi, instaura statim opus disiectum: & feliciùs reædifica, quàm priùs ædificaueras. Etiamsi bis, etiamsi decies, etiamsi centies, etiamsi millies & sæpiùs corruerit; toties repara, quoties corruet. *Misericordia diuina magnitudo.* Numquam de Dei misericordiâ desperaueris. Neque enim innumerabilis horrendorum enormiumque criminum multitudo sic Deum nobis reddit implacabilem, sicut vnica desperatio. *Desperationis horror.* Nam qui diffidit de veniâ, Deum misericordem & omnipotentem esse negat, in Spiritum sanctum blasphemus est. Non tam parati ad peccandum esse possumus, quàm ipse Dominus paratus est ad miserendum: si modò longanimitate eius non fuerimus abusi; id est, si verè & tempestiuè pœnitere voluerimus. Ita sentire debet, quicumque Christianus est.

5. *Examẽ vespertinum.* Sed ne nimiâ prolixitate displiceant quæ à nobis dicuntur; retrahendus calamus, cursus cœptæ nauigationis sistendus est. Interim autem, dum vela complicantur, non fuerit inutile breuiter perstringere, quid in fine cuiuslibet diei agere debeas. *Quinque eius pũcta, seu particulæ.* Quotidie igitur, priusquam quieti nocturnæ te tradis, 1 seriò quidem, sed absque mentis inordinatâ dissipatione, recogita in quibus eo die deliqueris; 2 veniamque à misericordissimo Deo precare; 3 proponens deinceps meliùs viuere, omneque vitium vitare diligentiùs. 4 Deinde, ora vt in ipsâ nocte te conseruare digneris ab omni inquinamento mentis & corporis: commendans illi, sacræque eius Genitrici, ac sancto Angelo custodi, animam tuam, & corpus tuum. 5 Lectulo tandem conscenso, muni te signaculo Dominicæ Crucis: & corpusculo honestè pudiceque composito, suspira ad dilectum tuum, aliquid diuinum

num pertractans, donec somnus placidè se infundat.

Somnus castus. Qui somnus si profundior fuerit, ipsique corpori grauamen potiùs quàm requiem præstiterit; si etiam per lubricas illusiones aliquid minùs honestum excitauerit aut produxerit; non absorbearis tristitiâ, sed humiliter ingemisce coram Domino; supplicique oratione postula, vt tibi concedat victus sensuumque sobrietatem, quam somni sobrietas corporisque puritas consequi solet.

Conclusio Speculi. Hæc habui, mi frater, quæ tibi transmitterem. Speculum petijsti; vide, an Speculum acceperis. Si tuo desiderio vel in minimo satisfactum est, benedictus Deus; sin minùs, etiam benedictus Deus. Dedi quæ dedit mihi ipse Dominus. Ceterùm qualia qualia sint, rogo vt ea nonnumquam relegas. Vale, & ora pro me.

LVDO-

LVDOVICI BLOSII INSTRVCTIONIS VITÆ ASCETICÆ PARS SECVNDA, SIVE ENCHIRIDII PARVVLORVM LIBRI DVO.

PRÆFATIVNCVLA AVCTORIS AD VTRVMQVE LIBRVM.

NACTVS [a] *spiritualem Epistolam D.* DACRYANI *Abbatis, non potui mihi temperare, quin singulis quibusque documentis Appendices subijcerem: humili impolitáque dictione promiscuè congerens ea quæ à proposito non videbantur aliena.* *Libri primi Enchiridij argumentum.*

Addidi similis dictionis Tractatulum, quo volui perstringere qualemcumque rationem præparandi se ad felicem mortem, nonnulláque dicere de patriâ cælesti, item de Diuinitate & creaturâ rationali. *Libri secūdi argumentum.*

In illis Appendicibus, & hocce Tractatulo, plerisque locis vtor non solùm eisdem sententijs, verùm etiam eisdem verbis, quibus vsus sum [b] *in Canone vitæ spiritualis, superioribus annis à me euulgato: sed ea quæ bona sunt, sæpiùs repetita, displicere non debent.* *Datur causa cur aliqua. interdum repetuntur hic & alibi.*

Postremo loco adieci aliquot pias Precatiunculas & Doxologias ad Deum ac Deiparam virginem MARIAM. *Paruuli vtilitatem aliquam ex his fortè capient, quod vtinam benignus* IESVS *concedat ad sui laudem æternam!* *Cur additæ Precatiunculæ.*

[a] Animaduertendum hic occurrit, D. Blosium hanc Epistolam XII. Documentorum, quamuis à se reuerà compositam & dictatam, voluisse tamen euulgare (vt Speculum Monachorum) etiam sub assumpto nomine D. Dacryani. Nec obstat, quòd ait, sese nactum esse spiritualem Epistolam D. Dacryani: tum quia Auctor libri alicuius verè potest dicere sese nancisci librum suum; tum quia assumptam semel iustis de causis simulati Dacryani personam, tali loquendi formulâ, verus Auctor Blosius, latendi studio, constanter agere & peragere potuit. Si placeat amico Lectori plura in hanc rem videre, consulat in Prolegomenis Articulum sextum & septimum.

[b] Obserua, Lector, etiam in Consolatione Pusillanimium & alibi, nonnullas ex his Appendicibus & Tractatulo sententias subinde totidem verbis recurrere, & crebrò R. D. Blosium per diuersos libros eadem Documenta per eadem verba inculcare. Benè quidem eadem iterando fecit Blosius: nos tamen, vbi eædem sententiæ seu aliis seu iisdem verbis à Blosio repetuntur, quando Notas aliquas ad illustrandam vel exornandam Blosij doctrinam semel apposuimus, non putauimus vbique Notas easdem repetendas, ne molestiam, eadem sæpè ingerendo, adferremus. Hoc monere volumus, vt si quis fortè cogitet aliquando nonnulla Blosij Opuscula seorsim euulgare, in quibus eiusmodi Notæ repetitæ non fuerunt, ille ex loco, vbi appositæ fuerunt, ad locum separati Opusculi, vbi prætermissæ fuerant, velit transferendas curare.

ENCHIRIDII PARVVLORVM LIBER PRIOR,

CONTINENS EPISTOLAM XII. DOCVMENTORVM A LVDOVICO BLOSIO SVB NOMINE D. DACRYANI ABBATIS CONSCRIPTAM CVM XII. APPENDICIBVS.

EPISTOLA.

Salutat Lectorem, & excusat se cum animi demissione ob conscripta Documenta quæ sequuntur duodecim.

DOMINVS noster IESVS CHRISTVS, qui paruulos & verè humiles mirificâ dulcedine reficere, inenarrabilique gaudio ac lumine exhilarare consueuit, intima tua cælesti benedictione & gratiâ replere dignetur. Charissime, dum petis à me doctrinam aliquam, quæ tibi per iter vitæ spiritualis ad pacem filiorum Dei tendenti possit esse adminiculo, tu postulas panem ab eo qui valdè inops est, & tecum pane indiget: sed diues ille, à quo omnes alimenta accipiunt, me & te pascat, donans atque inspirans ea quæ scribere debeam in meam & tuam vtilitatem. Igitur si perfectiorem animi tranquillitatem obtinere, & CHRISTO Domino singulariter acceptus esse cupis, cura vt sedulò obserues (quantum in te est) paucula Documenta quæ sequuntur.

DOCVMENTVM I.

1. *Pura beneplaciti diuini intentio.*
2. *Mundicordia, custodia innocentiæ.*
3. *Libertas spiritus.*

IN omnibus quæ agis, tractas, aut loqueris, honorem Dei per sanctam [1] intentionem purè quære: & custodiendæ cordis [2] munditiei, [3] libertatique inuigila.

APPENDIX.

Tria continet fundamenta vitæ spiritualis.

I. *Pura intentio beneplaciti diuini, vel minima opera nobilitat: etiam ea, quæ aliàs facimus ad honestam commoditatem aut licitam voluptatem corporis nostri.*

II. *Puritas & munditties interna, quomodo acquiri debeat, & conseruari.*

III. *Libertas mentis sancta & inculpata in quibus consistat.*

HOC vnum præceptum summatim comprehendit, quidquid ad vitam spiritualiter agendam præscribi potest: quo admonemur in omnibus operibus, verbis, cogitationibus, atque desideriis nostris Deum sinceriter quærere, & ad eius honorem cuncta referre, corque mundum ac liberum habere. Dici non potest, quàm Deo gratas & nobis fructuosas reddat ipsas actiones nostras sancta intentio. Etiam si quis solummodò pedem aut manum, vel linguam purè propter Deum mouerit, capútve inclinauerit, seu minimam cogitationem, minimumque desiderium secundum charitatem habuerit, amplissimam posteà mercedem accipiet.

1. Pura intentio. I. Opera reddit nobiliora & nobis fructuosiora.

Quin

2. Etiamſi ad propriũ commodum fortè ſiant. Quin & quando pro Dei honore deſideramus ſanitatem corporis, ceſſationem tribulationis, neceſſaria vitæ præſentis, & ſimilia, diuinæ interim voluntati atque diſpoſitioni totam petitionem noſtram committentes; ipſe Dominus ſalutis noſtræ cupidiſſimus, grata habet etiam talia deſideria noſtra, & illa coronat quaſi eum deſideraſſemus.

II. *Mundicordia requirit* Puritati internæ cuſtodiendæ inuigilat,

1. Cuſtodiam cogitationum, Qui ſuperbiæ, vanæ gloriæ, iracundiæque vitiis diligenter reſiſtit: qui inobedientiæ ſcelus in ſe penitus conculcat & proterit: qui ab omni odij & inuidiæ labe immunem ſe ſeruat: qui ſordidas & iniquas cogitationes ianuam cordis ſui pulſantes mox repellit: qui carnalibus deſideriis, & quibuſlibet prauis cupiditatibus inordinatiſque affectibus conſentire, ac delectamentis corporalibus inhærere recuſat: *& ſenſuũ,* qui ſenſus ſuos, viſum, auditum, olfactum, guſtum, & tactum, ſanctæ continentiæ freno ſtudioſè regit: *& lingua,* qui in verbis circumſpectus eſt, & illicita atque inepta quæque proferre renuit.

2. Iugem intuitum præſentia Dei, Qui Deum ſe iugiter intuentem, † ſibique præſentem & intimum religioſè attendens, quouis loco ac tempore cor ſuum ſedulò coram eo cuſtodit, & verecundiam atque honeſtatem in omnibus, etiam quando ſolus eſt, retinet.

3. Sacramentorum frequentationem, Qui ad ſacramentalis confeſſionis ſalutare remedium, & ad ſacræ Euchariſtiæ viuificum conuiuium libenter ac reuerenter (licet fortè aridus, frigidus & afflictus, nullâ ſenſibilis deuotionis conſolatione releuetur) propter Dei honorem accedit.

4. Sanctas occupationes cum fugâ otij. Qui torporem & otium pernicioſum fugiens, intendendo rebus ſacris, legendo, meditando, orando, ſcribendo, vel quælibet neceſſaria aut congrua ad gloriam Dei faciendo, tempus vtiliter expendit: qui ante ea quæ agenda vel dicenda ſunt, cor ſaltem breuiter ad Deum eleuare, & eius auxilium implorare conſueſcit.

III. *Libertas ſpiritus, ad quam facit* Libertati internæ ſeruandæ inuigilat,

1 Diſcretio. Qui modum in omnibus per diſcretionis virtutem tenere ſtudet.

2. Affectuũ ordinatio. Qui erga nullam rem, erga nullum opus, affectum ſuum importunè effundit: qui deſideria intus naſcentia diſcutit, conuenienterque moderatur, & inordinatum ac præcipitem animi impetum in his quæ facienda vel tractanda occurrunt, refrenat: qui terrenis atque caducis rebus cor affixum non habet.

3. Beneficentia. Qui indigentibus neceſſaria non inuitus ſed hilaris tribuit, & pueriliter non timet, ne quod alteri dat, ſibi deſit.

4. Curarũ abiectio. Qui ſæcularibus curis & ſollicitudinibus mentem ſuam nimiùm inuolui deprimique non ſinit.

5. Expropriatio in exercitiis. Qui nulli priuato exercitio ita ſe aſtringit, quin paratus ſit ab illo ſe mox ſeiungere, & ipſum ad honorem Dei intermittere aut omittere, quandocumque obedientia, vel charitas, ſeu alia rationabilis cauſa id omnino expoſcit: qui non vult ſuus eſſe, ſed electionem, deliberationem, ordinationemque propriam in quouis negotio promptè propter Deum relinquit.

6. Reſignatio in Deũ. Qui ſecurè ſe diuinæ diſpoſitioni in omnibus credens, voluntatem Domini ſemper præeligit, atque etiam aliorum voluntatem ſuæ voluntati ſapienter præponit.

7. Aliena non inquirere. Qui cognoſcere ea quæ ad ſe nihil attinent, vel quæ ad vtilitatem animæ nihil faciunt, non concupiſcit.

8 Nec myſteria ſcrutari. Qui maieſtatem ſummæ Diuinitatis atque Trinitatis vltrà quàm par eſt inueſtigare, & incomprehenſibilia Dei iudicia temere diſcutere non præſumit, ſed piâ mente venerando ea quæ non intelligit, ipſum iuſtum Dominum nihil iniuſtè facere vel permittere indubitanter credit.

9. Impedimenta ſpiritus reſcindere. Qui denique ab animo reijcit quidquid inquietudinem intus parit, quidquid mentem malè ligat aut implicat, atque à Deo impedit. Maximè verò orationis ac diuini Officij tempore ſeponenda remouendaque ſunt illa quæ cor diſtrahunt, quamlibet etiam ſancta, vtilia, vel neceſſaria videantur.

10. Tentationi orienti occurrere. Neque enim ſolùm mala aut friuola, ſed & ea quæ in ſe honeſta vel pia ſunt, nos periculoſâ tentatione plerumque occupant & conſtringunt, ſi ipſi tentationi ſtatim in initio reſiſtère, atque illa quæ ſe cordi intempeſtiuè ingerunt, repellere negligimus.

DOCVMENTVM II.

Indifferentia animi ad omnia Dei dona, proſpera vel aduerſa.

PLENA fiduciâ te totum & omnia tua Deo committe, ita vt eius voluntas æternaque diſpoſitio ſit tibi ſemper pro ſummo ſolatio: & ſiue in tenebris, ſiue in lumine, ſiue in tribulatione, ſiue in proſperitatis ſucceſſu, ſiue in cordis anguſtiâ, ſiue in cordis latitudine, ſiue in donis pauperem, ſiue in eiſdem diuitem te ille eſſe voluerit, rectè de bonitate eius ſentias: *Sap. 1.*

† Hoc eſt monitum Dei ad Abraham, Geneſ. 17. *Ambula coram me, & eſto perfectus.*

& grauia ac molesta quæque de manu paternæ pietatis atque prouidentiæ illius humiliter, patienter, vel etiam hilariter suscipias: certò credens eum omnia pro tuâ salute ordinare aut permittere, vniceque optans vt ipsa voluntas eius omni tempore in te perficiatur.

APPENDIX.

In quibus, quomodo, quanto cum fructu, exercenda sit propria electionis indifferentia.

I. *Non potest turbari, quicumque amat Dei voluntatem, & credit nihil fieri aut permitti nisi ab eâ.*

II. *Possumus tamen & debemus petere, quæ rationabiliter iudicamus expedire; ita dumtaxat vt patienter feramus, si non concedantur.*

III. *Potiùs aduersa, quàm prospera, eligamus; & cùm euenerint, ea peccatis nostris imputemus, tamquam pij Patris salubria flagella.*

IV. *Hinc constat, non esse nimis cupidè appetendas consolationes, sed tantùm prout Deo placuerit.*

V. *Constat etiam, securiorem esse viam ad perfectionem per tribulationes à Deo immissas, aut permissas.*

VI. *Omnia etiam pijs cooperari ad bonum: ac proinde debere nos esse ad omnia indifferentes, excepto peccato.*

I. *Ama Dei voluntatẽ, & numquã turbaberis:*

Ex obseruatione huius præcepti vera hominis pax dependet. Nam cùm certum sit, nec folium quidem ex arbore decidere absq; diuinâ prouidentiâ; si nobis semper grata fuerit ipsa Dei voluntas atque dispositio, & eam sapienter in omnibus attendere voluerimus, non nos deijciet quidquid nobis acciderit.

1. Nihil enim fit nisi Deo permittente aut volente;

Neque cælum neque terra, neque alia elementa, neque bruta animantia, neque homines, neque inuisibilia, neque visibilia, nos vllo modo lædere vel affligere possunt, nisi Deus permittat: nullus morbus, nullum damnum, nulla prorsus incommoditas, nos contingere valet absque eius permissione.

2. Et nihil permittit aut vult, nisi in bonum ferrorũ suorum.

Numquam autem ille patitur, vt vel leuissimæ auræ flatus corpora, vel minimæ cogitationis molestia animas infestet suorum electorum, sine ingenti profectu salutis eorum: modò ijdem electi hoc quod grauat, humiliter & patienter ferant. Sed & plerumque illa quæ minùs attenti aut etiam quasi inuoluntarij sustinent, idem pius Dominus eis ad æternam salutem conuertit, ita vt eorũ animæ ornentur talibus tamquam cupro: quibus tamquam auro & gemmis ornarentur, si ea æquanimiùs tolerarent.

II. *Pete tamen resignatè quæ sunt necessaria.*

Expedit sanè, vt vitam perfectiorem vberioremque gratiam à Domino sedulò petamus.

Verumtamen si ipse sentimenta deuotionis non concesserit, si solatia rarò præstiterit, si nos etiam diuersis doloribus ac pœnis cruciari, diuersisque tentationibus vexari, & diuersis imperfectionibus impediri permiserit; nequaquam ob id perturbari aut impatientes esse, sed ad eum per orationem in omni rerum euentu confugere, in illo firmissimè sperare, illi indubitanter fidere, & in eo immobiliter persistere debemus. *1. Longanimiter expectans,*

Imò verò si daretur optio, meritò in præsenti exilio potiùs eligenda essent pro amore eius aduersa, quàm prospera. Ergo vir spiritualis non tunc solùm tranquillus apud se consistat, quando nihil eum premit aut grauat: sed pacem suam in patientiâ constituat, ita vt ad toleranda contraria semper & vbique (Deo adiuuante) paratus voluntariusque sit. *2. Aduersa potiùs ex amore Dei eligens quã prospera.*

III. *Aduersa bonus filius reputatà Deo esse vt pij Patris flagella.*

Quælibet molesta, tam parua quàm magna, tam externa quàm interna, vndecumque obuenerint; etiam ipsa impedimenta, quibus se à spirituali profectu retardari putat, pacato gratoq; animo, tamquam de manu pijssimi Patris cælestis, suscipiat.

Et ei in vnione passionis vnici filij sui Domini Iesu illa deuotè offerat ad laudem ipsius sempiternam. Nam eo modo coniuncta atque vnita tribulationibus & doloribus Christi, ineffabilis erunt dignitatis ac meriti. *1. In vnione Christi.*

Omnem mœrorem & anxietatem, omnem afflictionem & calamitatem quam patitur, suis peccatis imputet: seque dignum flagellis, indignum verò etiam minimâ consolatione esse agnoscat. Cogitet iustum esse, sibique vtile, vt quoties declinando à rectitudine, male agit, grauaminibusque amaritudinibusque tamquam salutari antidoto curetur. *2. Suis ea demeritis patienter imputans.*

Inter saluberrima misericordissimi Domini verbera, mitissimam tolerantiam exhibeat, sciens se per huiusmodi castigationem purgari, & ad hereditatem cælestem præparari. Nam aduersitas tam corporalis quàm spiritualis, quæ patienti & benignâ mente propter Deum sustinetur, verum præclarumque indicium est electionis diuinæ, ac veluti pignus adoptionis, seu annulus dignissimæ illius desponsationis, quâ anima efficitur filia, amica, & sponsa Altissimi. *3. Ea hereditatis vel adoptionis ex amore pignora acceptet.*

IV. *Non quærat nimis cupidè consolationes singulares:*

Qui igitur Domino perfectè placere cupit, non expetat cum inordinatâ cordis inquietudine vel impatientiâ in hoc peregrinationis loco grandes & singulares consolationes: quæ si à liberalitate Dei oblatæ fuerint, humiliter & gratè eas excipiat: non tamen in illis, sed in illarum largitore Deo conquiescat. Prorsus ei committat quando & quo-

& quomodo hic animam suam consolari velit.

1. Nam & periculum habent præsertim sensibiles:

Periculosa res est sensibilis deuotionis dulcedo his qui eam impurè desiderant, impureque eâ vtuntur: hoc est, qui sui oblectationem magis quàm sui mortificationem Deique honorem in illâ & per illâ quærunt.

2. Minúsque fructus & meriti.

Et sæpè maiori fructu non habita desideratur, quam sentiretur obtenta: nam & multis magis salutaria sunt quæ dura atque amara dolorem, quàm quę suauia & blanda delectationem adferunt.

3. Meritum in quo consistat.

Meritum hominis in hoc consistit, vt fideliter, etsi non dulciter, Deum colat, eiq; perseueranter inter omnia grauamina, & inter omnes laborum difficultates, seruatâ humilitate atque patientiâ, adhæreat.

V.

Tribulatio securior via ad perfectionē, quàm blanditia consolationū.

Ipse Deus aliquos quidē ex electis suis in hac vitâ blandimentis fouet, ac cælesti lumine illustratos mirificè afficit atq; lætificat.

1. Catalogus tribulationum notatu dignus.

Sed plurimos per iter asperum deducens, permittit grauibus tribulationibus exerceri, atrocibus angoribus arctari, internæ cuiusdam malignitatis impulsibus agitari, diutino mœrore premi, spiritualis suauitatis gustu destitui, sensus obtenebratione confundi, molestâ animi dormitatione deijci, miserabili mentis distractione affligi, fœdis imaginibus, lasciuis motibus, obscœnis somnijs, dolendâque humoris carnem polluentis proluuie fatigari.

2. Tribulationes sacris temporibus & erga electos, vehementiores.

Idque eò plerumque vehementiùs atque importuniùs, quò tempora sacratiora seu solemnitates digniores occurrunt; adeò vt eos, quos aliquando gloriosissimè coronaturus est in cælis, iam deserere ac proijcere, eorumque sanctis studijs atque conatibus obsistere videatur. Sed non deserit illos, nec proijcit; verùm salutem eorum mirâ dispensatione & incomprehensibili consilio ineffabilique charitate inter huiusmodi calamitates promouet: nouit enim quid cuique expediat.

VI.

Bona voluntati vertit Deus omnia in bonum.

Omnino quidquid accidit his qui bonæ voluntatis sunt, ille ad salutem eorū accidere permittit. Hoc indubitanter credere debemus: licet ea quæ toleramus, planè absurda & inconuenientia, horrendaque ac saluti nostræ prorsus contraria nonnumquā nobis videantur. Ipse Dominus nouit (sicut modò dicebamus) quid cuique expediat.

1. Debet ergo homo bona voluntatis induere indifferentiam & abnegationem;

Quare qui ad singularem eius amicitiam pertingere vult, debet sic animum instituere, vt paratus sit per omnem vitam (si ille ita permiserit) multiplices miserias & tentationes perferre, varijsque cordis ac corporis molestijs torqueri, & in spirituali conflictu assiduè viuere: debet se sic abnegare, sicque prouidentiæ & dispositioni diuinæ subijcere, vt Deo seruire malit quomodo ipse Deus ordinat vel sancta obediētia exposcit, quàm quomodo propria affectio propriave natura seu ætas suadet.

2. Et fiducialem resignationem, etiam circa purgatoriū & quemuis locum in cælo.

Debet se totū ita Deo credere, vt quamuis desideret mox post mortem carnis ad eum (pro gloriâ nominis ipsius) absque impedimento peruenire, confidenter tamen illi committat, vtrùm, priusquā in plenum beatitudinis gaudium recipiatur, purgari adhuc debeat. Postremò debet libenter etiam vltimum inter saluandos locum eligere, si Deus velit vt locum vltimum teneat.

3. Verus enim amor, in plenâ conformitate cum Dei voluntate consistit.

Tunc enim Christo verè charissimi sumus, & pijssimum cor eius efficacissimè ad nos inclinamus, copiosamque ipsius gratiam tempore opportuno percipiendā nobis felicissimè conciliamus, quando non murmuramus aduersus eum, nec nobis ipse displicet, propter illa quæ ex permissione eius patimur; quando, inquam, voluntatem nostram voluntati eius perfecte conformamus atque subdimus, integerrimâ humilis cordis fiduciâ nos curamque nostri in eum iacientes, ac cupidissimè super omnia exoptantes, vt ipsa laudabilissima voluntas eius in nobis & circa nos plenissimè tam in futuro quàm in præsenti sæculo perficiatur.

DOCVMENTVM III.

Humilis longanimitas in defectuum emendatione.

EA quæ nullâ ratione in te vel in alijs corrigere potes, Deo commenda; longanimiter expectans, donec ille aliter de his, quæ tibi malè habere videntur, disponat.

APPENDIX.

Conatus nostros à Deo perficiendos humiliter & patienter expectemus.

I. *Non sit impatiens, si statim nequeat defectus tentationésve abijcere: sed cum oratione humiliter, vigilanter, placide ac perseueranter resistat.*

II. *Non enim illi soli felices, qui nullis tentationibus pulsantur; verùm & illi qui nullis franguntur.*

III. *Quantum valeat coram Deo bona voluntas in conatibus nostris, quando amplius non potest anima præstare.*

IV. *Bona voluntas filios Dei facit & conseruat: & in quibus illa sit sita.*

V. *Merita Christi pro peccatis & defectibus nostris offerenda cum fiduciâ: quibusque id fieri debeat conditionibus.*

I.

Pugna contra defectus longanimis & patiens.

HVIVS quoque præcepti obseruatio plurimùm facit ad veram hominis pacem. Igitur si is qui proficiendi desiderio feruet,

feruet, molestissimos vanæ gloriæ, impatientiæ, ingluuiei, libidinis, & aliorum vitiorum motus omnino extinguere, aut distractiones euagationesq; mentis tempore orationis atque diuini Officij cõpescere necdũ potest, non debet inordinatè contristari.

1. Deũ oret, suam infirmitatem agnoscens.

Sed respiret qui talis est, Deumque sedulò exoret, vt quidquid in se vel in alijs emendandum videt, emendare dignetur. Agnoscat humiliter suam infirmitatem, agnoscat se suis viribus suâque industriâ nihil posse † sine adiutorio gratiæ cælestis.

2. Vigilanter resistat, & non inquinabitur.

Ipsis vitiorum illecebris ac stimulis quibus pulsatur, resistere mentis ratione non negligat: sciens, quia quantumcumque fœda vel venenosa cordi ingesta fuerint, animam renitentem & consentire nolentem non polluunt. Etiam distractiones, quibus mens eius inter precandum in diuersa rapitur, per deliberatam voluntatem & putidam animi incuriam non admittat: sed eas rationabili diligentiâ reprimere satagat.

3. Faciat hoc sine violentia, aut anxietate.

Placidè faciat quod in se est: integrè interim omnia dispositioni Dei (qui fragilitatem ac instabilitatem ipsius perfectè nouit) committens, atque æquo animo ferens, quòd propositum suum exequi non valeat sicut cupit.

4. Et perseueranter, etsi parum proficere videatur.

Quamuis parum proficere, quamuis etiam ad inferiora semper decidere sibi videatur, non tamen deserat suum sanctum propositum: & nullo modo existimet se suasq; orationes ob id à Deo despici, quòd adhuc imperfectus sit: nec animo nimiùm deiiciatur, propterea quòd multos conspiciat se perfectiores esse: sed humilians se, & de illorum profectu tamquam de proprio gaudens, gratias agat Domino.

II.

Non solùm carere tentationibus beatum, verùm etiam illis non frangi.

1. Non nocent tentationes, si resistas.

Beatus quidem ille est, qui sopitis multiplicium desideriorum & cogitationum tumultibus, tamquam sponsa cum cælesti sponso intus deliciatur. Sed felices nihilominùs sunt, & adolescentulæ pro foribus foris excubantes, quæ licet adhuc varijs cogitationum phantasmatibus distrahantur, varijsque concupiscentiarum & passionum motibus infestentur, resistere tamen student, & in bonis operibus perseuerantes, ipsius sponsi vestigia sequuntur. Possunt per Dei gratiam paulatim crescere, & ad perfectiora peruenire.

1. Relinquũtur enim ad meritum.

Pius cultor Dei, cuius anima ex numero talium adolescentularum est, cogitet, sibi ad virtutis exercitium, & ad humilitatem seruandam, vtile esse aliquibus imperfectionibus adhuc detineri.

III.

Bona volũtas apud Deum pro ipso opere est.

**O eximiũ bonæ voluntatis præconium!*

Si ipse pauper magna Deo offerre nequit, libenter offerat vel parua, bonam promptamque voluntatem exhibens, & pium desiderium potiora offerendi habens. * Nam habere aut etiam velle habere huiusmodi sanctum desiderium, res est non parua, sed eximia, magnificè coronanda à Domino, qui bonam voluntatem pro opere vel operis perfectione suscipit, quando opus siue perfectio operis præstari non potest; quique gemitum etiam minimum pro bono spirituali piè emissum, grandi mercede donat. Quàm magna vellemus esse nostra desideria, tam magna apud illum sunt.

1. Igitur etiam imperfecta opera in vnione Christi Deo offerenda.

Ergo fidelis Dei cultor sese in humilitate contineat, bonam voluntatem (sicut dictum est) exhibens. Imperfecta opera seu exercitia sua benignissimo cordi Iesu Christi emendanda perficiendaque si non verbis, saltem animi voto commendet: & illa offerat in vnione sanctissimarum actionũ eiusdem Christi Iesu, siue in vnione admirabilis amabilisque illius amoris, quo ipse, factus homo, generis humani redemptionem peregit: vel certè istud aut simile dicat Deo Patri: *Domine, hoc opus, vel hæc opera seu exercitia, offero tibi per vnicum Filium tuum in virtute Spiritus sancti, ad æternam laudem nominis tui.*

2. Sic enim splendidiora fiunt & perfectiora.

Eâ enim ratione perficientur, & dignissima Deoque gratissima erunt quæ offeret. Nam sua, quæ ex se obscura vel minùs clara sunt, ineffabilem splendorem atque decorem ex meritis Christi, quibus coniunguntur & vniuntur, accipient. Planè quod per dilectum Dei Patris filium Christum Iesum piè offertur, vltrà quàm dici possit nobile & Deo acceptũ redditur: quemadmodum apparet aureum aut purpureum, quidquid per gemmam vel vitrum aurei purpureive coloris conspicitur. Hoc firmiter credat, vt eo modo seipsum consoletur, Dominumque in omnibus laudet atque glorificet.

IV.

Bona voluntas filios Dei facit.

Nam cùm omne peccatum iam execretur, & humilis factus, bonâque voluntate intus ornatus, Deo placere desideret ac laboret, Dei proculdubiò filius est, summæ Trinitati charus est: ob idque si in tali proposito perseuerauerit, omnino heres regni cælorũ erit, quantumcumque paruus in meritis & imperfectus modò esse videatur.

1. Licet imperfecti sint in multis.

Licet in multis quotidie ex humanâ fragilitate offendat, non tamen putet propterea Dominum, ruptâ prorsus amicitiâ, à se omnino recessurum, dummodò ipse voluntatem

†Scholastici cum D. Thomâ 1.2.q.109.art.2. vbi quæritur, vtrum homo possit velle facere bonum absque gratiâ; affirmant de bono naturali aut morali, negant de supernaturali aut salutari ad vitam æternam acquirendam. Sic accipe Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* De quo & affinibus Scripturæ locis vide S. Augustinum Epistolâ 106. & de Gratiâ & libero arbitrio cap. 9. & lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 8. & Synodum Tridentinam sess. 6. can. 1.

tem suam ab eo non auertat; & per veram pœnitentiam frequenter doleat de offensis ac negligentiis suis.

2. *Modò nō ament defectus suos, sed ex corde eos execrentur.* Esto sanè, vt occasione oblatâ facilè excedat in verbis, risu, affectione inordinatâ, propriâ complacentiâ, inani gloriâ, ac similibus: sed non amet ipsos excessus, neque occasiones excedendi appetat; displiceat illi omne peccatum. Quando, inquam, solus liberque apud se est, prorsus auersetur quidquid cor suum maculare, & se à Deo elongare potest: sic enim celerrimam veniam consequetur.

3. *Et cum humili fiduciâ pœnitentiam & emendationem proponant.* Etiam si singulis horis ex infirmitate sæpiùs labatur, nequaquam tamen hanc grauissimam iniuriam clementissimo & ad ignoscendum verè pœnitentibus paratissimo Redemptori suo faciat, vt de eius immensâ misericordiâ diffidere velit. Neque propter numerositatem, neq; propter enormitatem lapsuum suorum desperet: sed culpam suam humiliter agnoscens, & se fideliter corrigere proponens, toties cum sanctâ indulgentiæ spe resurgat, quoties cadit.

4. *Atque ita facilè veniam obtinent, & citò, & plenè;* Nam quandocumque eum verè pœnitet peccatorum admissorum, & ipse integro corde voluntatem suam inclinat ad sui emendationem, ita vt deinceps paratus sit facere ea quæ placent Domino: tam repentè sanctificatur, quàm repentè mundatus fuit leprosus ille, cui dicenti, *Domine, si vis, potes me mundare,* Dominus respondit, *Volo, mundare.* Iesus enim Dei & Virginis filius, pro salute generis humani semper adstat Deo Patri, vt ei electos suos ex humanâ fragilitate peccantes, ac deinde pœnitentes reconciliet, suâ innocentiâ eum placans. Matth. 8.

5. *Nec inde faciliùs peccant.* Quæ tamen incomprehensibilis pietas Dei illum non faciliorem ad peccandum, sed promptiorem ad amandum reddere debet.

V. *Merita Christi quomodo pro peccatis offerenda.* Bono sit animo. Peccatorum veniam, seu quælibet necessaria religiosè & sanctè postulet in * nomine ipsius Christi Iesu: sic enim omnino exaudietur, & repulsam non accipiet. Dicat ergo Deo Patri: *Pie Pater, miserere mei, & emunda me ab omni peccato, per vnigenitum Filium tuum.* Roget eumdem Christum Iesum, vt pro se aduocatus esse dignetur. Sed & in plenam expiationem atque satisfactionem pro peccatis ac negligentiis suis offerat eiusdem Domini Iesu cor mellifluum quod in se continet omne bonum: offerat sanctissimam conuersationem, passionem & mortem ipsius: vel etiam pro suâ superbiâ, humilitatem illius; pro impatientiâ, patientiam; pro incontinentiâ, continentiam; pro malitiâ suâ, innocentiam eius offerat.

* Meritò sanè, ob singularem vtilitatem, toties ista praxis vnionis meritorū Christi ad supplendos defectus nostros, variis libris & modis à R. D. Blosio inculcatur.

1. *Fiat oblatio ista cum sanctâ fiduciâ.* Quâ præcellentissimâ oblatione cum benignitate mentis factâ, iam omnino se veniam assecutum, & verè reconciliatum, ac meritis virtutibusque Christi ornatum esse confidat. Si enim adhuc dubius nimisque meticulosus manet, similis est ei, qui exutus vestimentis vilibus ac sordidis, & repentè indutus Regiis, non nouit decenter atque compositè pro exigentiâ ipsorum Regalium vestimentorum incedere, sed pro morum rusticitate, cui assuetus est, ineptè & inciuiliter graditur. Indubitanter credat, Dominum (qui omnes electos suos affectu tenerrimo diligit) scire, posse, & velle sibi humiliato ignoscere, atque in omni necessitate adesse. Piam certamque fiduciam erga eum concipiat, dicens illud ex libro Iob: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo:* & si in profundum inferni demersus fuero, inde me liberabit. Iob 13.

2. *Quantum ea fiducia Deo placeat, & à Deo impetret.* Hæc sancta & secura confidentia in tantum placet Deo, & tantam vim piissimo cordi eius infert, vt ipse Dominus non possit non adiuuare, non possit non ad salutem exaudire eum qui illam habet. Vnde & in sacrâ Scripturâ ita loquitur: *Ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensq; tibi: Ne timeas, ego adiuui te. Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. Erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam.* Isa. 41. Isa. 49. Ierem. 39.

3. *Vnde procedat, vt bona sit.* Ex humilitate & charitate procedere debet ista fiducia: nam superbam, stolidam, & à casto timore alienam confidentiam Deus despicit.

DOCVMENTVM IV.

Patientia & mansuetudo in iniuriis illatis exemplo Christi.

INIVRIAM seu contumeliam tibi illatam si cum lætitiâ nondum ferre potes, non tamen propter illam insipienter perturberis, neque irâ excandescas; sed tranquillus permanere stude: nam indigniora pro te Deus tuus mansuetissimè tolerauit. Ergo in talibus ferocientem animi impetum religa & reprime: Deumque, qui te iustè quidem, sed tamen ex amore affligi permittit, magis quàm hominem qui te affligit, attende.

AP-

APPENDIX.

Schola patientiæ.

I. *Iniuriæ patienter & mansuetè ferendæ sunt, exemplo Apostolorum, Dauidis, & Christi Domini.*
II. *Sic enim tolerata valent ad meritum, ad purgationem, ad pacem.*
III. *Dilemma patientiæ contra illatas iniurias.*
IV. *Pax cordis nostri non pendet à iudiciis & linguis hominum, sed à Deo.*
V. *Impatientia statim in ipso exortu suo est reprimenda.*

I. *Iniuriæ patienter toleranda.* IS cui iam perfectior suiipsius victoria cælitus concessa est, quamlibet offensam in se admissam promptissime remittere, conuitiaque, ludibria, & subsannationes exultanti aut saltem tranquillo animo perferre nouit.

1. *Sicut Apostoli. Act. 5.* Tales erant Apostoli, qui à Iudæis cæsi gaudebant, quòd *digni habiti* essent *pro nomine Iesu contumeliam pati*.

2. *Et Dauid.* Talis erat & Rex Dauid, qui cùm Semei se maledicentem audiret ac videret, non est exasperatus, neque vindictam expetijt, sed
2. Reg. 16. Deum attendens humiliter dixit: *Dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac.*

3. *Et Christus ipse.* Et quis non animetur ad opprobria & indigna quæque patienter toleranda, si diligenter consideret, quàm miti atque humili corde ipse Dominus noster Iesus Christus omnem passionis suæ amaritudinem
Matth. 11. & dolorem pro nobis sustinuerit? Dæmo-
Lucæ 7. Matth. 27. nium habere, & seductor esse dicebatur: ab
Ioan. 7. 18. impiis captus ligabatur, premebatur, abdu-
Matth. 26. & 27. cebatur, accusabatur, conspuebatur, alapis
Lucæ 17. & colaphis tundebatur, illudebatur, contemnebatur, flagris conscindebatur, spinis coronabatur, felle & aceto potabatur, clauis cruci affigebatur, blasphemiis impetebatur; & interim tranquillissimam patientiam ser-
Isaiæ 53. uabat. Non aperiebat os suum Agnus Dei
Lucæ 23. innocens: nisi quòd pendens in cruce, Patrem pro suis persecutoribus exorabat. A tam præclaris virtutum exemplis, quæ benignissimus Redemptor noster nobis reliquit, oculi cordis auertendi non sunt.

II. *Ita meritũ & pacem operantur.* Tu nullo modo, pro felicitate hoc quærere debes in istâ vitâ, vt nullus sit qui te grauet, nullus qui tibi negotium facessat: nam ad superbiæ, iracundię, vel impatientiæ in te latentis extirpationem, ad veræ pacis acquisitionem, ad peccatorum tuorum purgationem, meritorumque augmentum, sæpè vtile ac necessarium est vt Deo ordinante seu permittete non desint qui te exerceant, & salutem tuam diuersas molestias ingerendo promoueant.

III. *Patientis anima dilemma in veris aut falsis iniuriis.* Quando probrosa tibi obiiciuntur quæ non admisisti, testimonium conscientiæ tuæ te soletur, & tranquillus esto: si verò admisisti ea quæ in te dicuntur, etiam sic tranquillus & humilis permanens, paratam habe voluntatem corrigendi te, si nondum correxisti.

IV. *A Deo solo pende, non ab hominum iudiciis.* Non sis multùm sollicitus quomodo homines de te loquantur, quid de te sentiant, quale iudicium de te habeant: sed ad Deum causam tuam semper refer, illi te & omnia committe, in illo cor tuum stabilire stude. Ipse enim sibi fidentes ab omni confusione opportunè & conuenienter eximere nouit. Sic fiet, vt pax tua ex linguis hominum non pendeat.

V. *Principiis impatientia obstandum & silendum.* Si datâ qualibet perturbationis occasione, contingat te ex imperfectione fragilitateque propriâ stimulis indignationis acerbius agitari, disce quietè ferre ipsius passionis tuæ molestiam quâ intus affligeris: & intempestiuè tunc non proferas ea ad quæ dicenda spiritus tuus importunè te impellit: sed de his quæ te angunt, loqui differ (si fieri potest) donec Dei gratia mentisque serenitas redierit.

DOCVMENTVM V.

Obedientia, & proprij sensus abnegatio.

ALTERIVS voluntatem potiùs, quàm tuam, facere ama; & iudicio alterius tuum iudicium facilè submitte, proprio sensui numquam proteruè inhærens, neque aliquid sanctæ obedientiæ præponens.

APPENDIX.

Obedientiæ bonum, inobedientiæ malum.

I. *Vera obedientia exhibenda erga omnes, sine discussione, sine morâ, ordinatè, & ex animo, in omnibus.*
II. *Meritum eius pendet à rectitudine voluntatis, non à magnitudine aut excellentiâ operis.*
III. *Excellentissimi fructus obedientiæ, veræque abnegationis.*
IV. *Nullum opus contra obedientiam factum potest Deo placere.*

I. *Vera obedientia conditiones.* SVBLIMIS planè virtus est obedientia, quam purè & simpliciter exhibitam Deus præfert quibuslibet aliis operibus atque exercitiis, quantumuis excellentibus & sanctis.

1. *Nõ discutit quis ille sit qui imperat.* Verus obediens non solùm maioribus, sed &

& sibi æqualibus, atque etiam minoribus, alacriter in his quæ licita sunt obtemperat. Non discutit apud se, quàm iuuenis aut imperfectus sit Superior qui iubet.

2. *Aut quid imperet;* Non iudicat friuolũ vel inutile esse quod præcipit: sed audito eius mandato, mox omnibus alijs, quæ tunc intermitti possunt, intermissis, animo paratissimo iussa exequitur.

3. *Deum solum imperare considerat;* Non tamquam homini, sed tamquam Deo obedientiam impendens, & propter Deum etiam præsidentem minùs rectè viuentem reuerenter honorans, sincerumque ac dulcem affectum & beneuolum animum erga eum gerens: memor verborum illorum Domini Iesu, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10.

4. *Non expectat mandatum, vbi agnoscit voluntatem.* Purioris & integrioris vitæ amator obedit tunc quoque quando agnoscit voluntatem Superioris, licet mandatum eius expressum non interueniat.

5. *Etiam in molestis.* Vbique paratus est seipsum deserere: & propterea non solùm in his quæ sibi placent, verùm etiam, ac multò maximè, in his quæ molesta sensuique suo contraria sunt, vult obedire: recogitans, non semper illud esse Deo acceptius, quod homini est dulcius atque delectabilius.

6. *Publica priuatis, communia proprijs anteponit.* Actiones communes, quæ ad rationem obedientiæ spectant, suis priuatis actionibus ex propriâ electione susceptis semper anteponit, etiamsi illæ sibi magis steriles esse videantur, minusque sapiant quàm priuatæ. Talis si, fortè sacræ lectioni vel meditationi intentus, euocetur Superioris iussu ad indignum aut vanum aliquod opus, exempli gratiâ, ad quisquilias colligendas; nihil cunctatur, sed statim, absque aliquâ contradictione vel diiudicatione, sancta studia illa omittit, vt obedientiam seruet, Deum propter Deum conuenienter & sapienter relinquens. Nam quod in se vile est ac nullius momenti, dum per obedientiam fit, redditur præstantissimum.

II. *Meritum obedientiæ;* 1. *Sumitur ex animo, nõ ex opere.* Neque enim ipsa obedientia nomen virtutis ac meritum sortitur ex dignitate rei quę præcipitur, sed ex bonâ voluntate illius qui præcipienti fideliter obtemperat.

2. *Vt & demeritum inobedientiæ.* Eodem modo inobedientiæ grauitas in his quæ vel modica videntur, vel in se mala non sunt, ex prauâ voluntate eius qui obedire non vult, pensanda æstimandaque est. Verbi gratiâ: si quis pomũ non edere iussus, superbe mandatum transgreditur, ipse reus punietur à Deo, non quòd pomum comederit, sed quia inobediens fuit. Præuaricatio primorum parentum id abundè docet. Gen. 3.

III. *Fructus obedientiæ.* O qui sciret, quantus fructus in virtute obedientiæ lateat, quàm religiosè etiam minima quæ sibi prescripta sunt, impleret! quàm promptè voluntatem alterius, suâ voluntate confractâ relictâque, faceret!

1. *Amor Dei.* Omnino Deo charissimus est qui sic se abnegat, & arbitrium, sensum, iudicium, atque consilium aliorum prudentum libentiùs quàm suum sequitur: illudque optimum sibi esse credit, quod è voluntate vel electione propriâ natum seu profectum non fuerit.

2. *Securitas in opere & mercede.* Hæc via plana & secura est: quicumque per eam strenuè graditur, inoffenso pede ad cælestem patriam pergit: & non solùm in futuro, verùm etiam in præsenti sæculo largam benedictionem accipiet à Domino Iesu, qui pro nobis *factus est obediens vsque ad mortem crucis.* Philip. 4.

3. *Eleuatio ad diuina sublimior.* Posset fieri (sicut Patres affirmant) vt aliquis per promptam, fidelem & puram obedientiam altiùs eleuaretur in Deum, quàm si toto decennio in deuotarum precum exercitijs diligentissimus fuisset.

4. *Duplex pro omni opere præmium.* Libet addere aliud, quod Sancti asserere solent. Sint, inquiunt, duo homines, quorum alter in libertate, alter sub obedientiâ viuat: si is qui liber est aliquo die ieiunat, simplicem mercedem consequitur: si verò ille qui sub obedientiâ constitutus est, non ieiunat eo die, sed secundùm præscriptum canonis ac legis cui se astrinxit, continenter & sobriè etiam carnibus vescitur; cuperet tamen ieiunare, nisi obedientia seu canonis constitutio vel charitas aliud requireret; duplici mercede à Deo donabitur.

IV. *Nulla actio placere potest Deo contra obedientiam.* Nulla virtus, nullum virtutis opus Domino placet, si vitio inobedientiæ contaminetur.

1. *Bonum fit malum per inobedientiam.* Illi inquam displicet quidquid per inobedientiam deliberato animo fit, etiamsi alioqui piũ ac laudabile sit quod agitur. Nam, vt sacra Scriptura testatur, *melior est obedientia quàm victimæ, & quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere.* 1. Reg. 15.

2. *Mater hæreseos est inobedientia.* Hæreses non aliunde sumunt originem, quàm ex superbiâ & inobedientiâ: hæretici enim suum sensum proteruè sequuntur, & decretis Ecclesiæ Catholicæ parère, propriumque iudicium iudicio illius submittere nolunt.

3. *Citissimè ab inobedientiâ ad obedientiam redeundum.* Si quis feruens spiritu rigorem abstinentiæ, seu cuiuslibet sanctæ actionis austeritatem ad præceptum Superioris non mox deponeret, posteà verò pœnitentiâ ductus absque morâ corrigere se & obedire vellet, tam facilè indulgentiam inueniret apud Deum, quàm facilè veniam apud Imperatorem obtineret is, qui strenuè aduersus hostes dimicando ipsum Imperatorem ex improuiso paululùm læsisset.

DOCV-

DOCVMENTVM VI.

Humilitatis doctrina.

NVMQVAM alicui te præferas, numquam aliquem contemnas. Omnium vilissimum indignissimumque te esse existima, omnibus te subijce, omnibus propter Deum inseruire desidera: & eos qui te monent aut reprehendunt (etiam si inferiores videantur) æquanimiter audi: magis eligens culpam humiliter agnoscere, quàm contentiosè ac superbè teipsum excusare.

APPENDIX.

Comparatio humilitatis & superbiæ.

I. *Magna superbia est, velle se vnum hominem alteri præferre.*

II. *Humilis aliorum virtutes cogitat, & sua vitia pensat.*

I. *Hominem homini se præferre, superbia actus est.* HOc præceptum, sicut & præcedens, demonstrat iter rectum, commodissimumque compendium, ad vitæ perfectionem & æternam gloriam obtinendam.

1. Quia homines in animâ & corpore pares sunt, Cùm Regis & mendici secundùm animam æqualis sit dignitas, secundũ carnem æqualis infirmitas (vterque enim animam imagine Dei insignitam, & corpus mortale habet) mirum valdè est, quomodo homo homini superbè se præferre,

2. Pares etiã habendi. Quomodo homo hominem contemnere, & non honorare, non sicut seipsum diligere possit.

II. *Humilitatis est, aliorũ virtutes cogitare, & sua vitia.* Felix est qui sic se deserit, sic deprimit, sic contemnit, vt aliorum tam latentes quàm patentes virtutes recogitans, & sua vitia pensans,

1. Ideò alios sibi præferre, Ac quemlibet vel iam esse, vel mox per Dei gratiam posse esse longè se meliorem credens, pedibus omnium se veluti conculcandum exponat, omnes tamquam suos dominos attendat, omnium ministrum se constituat; omnibus propter Deum seruire, grandi affectu appetat.

2. Viliora eligere vt se digna. Felix qui viles quasque actiones, non quasi se indignas ridendo, sed quasi sibi conuenientissimas amplectendo, seriò perficit.

3. Amare confusionem & vilipensionem. Qui etiam confundi pro Dei honore atque amore non refugit: qui contentionibus non delectatur, qui culpam suam libenter agnoscit: qui se accusare, alios excusare amat: qui monitores & reprehensores (etiamsi inferiores sint) patienti gratoque animo audit, & ipsos sincerè diligit.

DOCVMENTVM VII.

Contemptus honorum.

TAM libenter esto minimus, quàm libẽter fortè aliquis alius esset maximus: & abiectus, non autem honorabilis haberi concupisce, vt Christo sacræque eius genitrici Mariæ similior appareas.

APPENDIX.

Quomodo honores pro Christo fugiendi.

I. *Humilitatis est, sua non iactare, nec permagni æstimare, nec ob dona Dei efferri; sed in solo Christo fiduciam collocare;*

II. *Nec hominum vereri iudicia, nisi dumtaxat vt vitetur scandalum.*

QVI verè humilis est, infimum locum semper appetit. I. *Humilitatis varij actus.*

Subesse magis quàm præesse; & doceri magis, quàm docere cupit: laudes hominum non requirit. *1. Subesse velle.*

Ea ex quibus honorari & in admirationem apud homines venire potest, per alium potiùs quàm per se peragi optat. *2. Seipsum honore indignum reputare.*

Sublimia de alijs sentiens, se nullius momenti esse reputat: bona quæ facit non insolenti cogitatione apud se magni pendit, nec ea per iactantiam ostentat. *3. Non se iactare.*

Ob visitationem diuinam non resoluitur ineptâ inordinatâve lætitiâ, neque securitatem imprudenter assumit: non, inquam, sibi vanè placet propter Dei dona quæ percipit, nec de eis passim (propriam quærendo gloriam) loqui gestit. *4. Nõ efferri ob charismata gratiæ.*

Non in se, non in suis meritis, sed in Dei misericordiâ, & in beatæ genitricis eius Mariæ, aliorumque Sanctorum intercessionibus, ac piorum hominum orationibus confidit. Omnem animi altitudinem in se penitus deijcit ac proterit: pauperem, paruum, atque imbecillem se Deo exhibens. *5. Corã Deo non in humanis, sed in diuinis confidere.*

II. *Iudicia hominũ spernit verè humilis.* Hominum de se iudicia non anxiè metuit: sui contemptu non perturbatur.

1. Optat vilis haberi, Denique vilis potiùs quàm humilis, & inutilis magis quàm sanctus haberi desiderat.

2. Exemplo Dauidico. Talis puer ille secundùm cor Domini, qui à superbâ Michol spretus, & conuitio præter meritum exceptus, respondit: *Et ludam, & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* *2. Reg. 6.*

DO-

DOCVMENTVM VIII.

Nec placere alijs ſtudeas, nec diſplicere timeas. Familiaritates ne expetas.

ALICVI placere vanè non affectes, neque diſplicere inaniter pertimeſcas: & hominum, maximè mulierum, notitiam, familiaritatem, aut ſingularem erga te dilectionem ne expetas.

APPENDIX.

Placendi ſtudium nimium, & familiaritas particularis vitanda.

I. *Soli Deo placendum, & bonis viris propter Deum.*
II. *Omnium mulierum familiaritas fugienda.*
III. *Nullius perſonæ, quantumuis ſanctæ, præſentia anxiè expetenda eſt.*

I. *Placendum ſoli Deo, nec alteri niſi propter Deum.* VIR verè ſpiritualis omne verbum, omnemque geſtum adulationis fugit: nec magnopere curat vtrùm placeat an diſpliceat hominibus: ſed modis omnibus ad hoc laborat, vt Deo placere poſſit. Ita tamen viuere ſtudet, vt bonis (quantum in ſe eſt) placeat. Qui ſi nonnumquam intentionem ſuam ad humanam complacentiam vitioſè declinare ſenſerit, mox eam corrigit & reuocat, vnius Dei fauore atque amicitiâ contentus.

II. *Fugienda familiaritas nimia, maximè feminarum, etiā piarum.* Non ſolùm impudicarum, verùm etiam honeſtarum mulierum incauta nimiaque familiaritas multis ſæpè obfuit, multis detrimenta purioris caſtimoniæ intulit, multos grauibus tentationibus inuoluit. Sapiens igitur eſt qui huiuſmodi pericula vitat, &, ſpretâ omni carnali affectione, puritati cordis ſeruandæ ſe addicit, ac vultum mulieris curioſè contemplari refugit. Sapiens, inquam, eſt, qui pias feminas Deo commendat, & eas ac quoſlibet homines circa illum, non circa ſe per ſingularem amorem occupari cupit.

III. *Corporalis præſentia nullius eſt anxiè nimis quærenda.* Beatus item eſt, qui nullius præſentiam corporalem nimis anxiè expetit: & abſentiam etiam illorum æquo animo propter Deum fert, quorum exemplis atque colloquijs plurimùm ſpiritualis conſolationis & adiumenti percipere poſſet.

DOCVMENTVM IX.

De aliorum factis non ſatagendum, nec malè de ijs loquendum.

ALIORVM dicta vel facta temerè neque iudices, neque diſcutias: & ſuperfluis curis te non implices, verbaque detractoria loqui, aut etiam audire (quantum potes) caueas.

APPENDIX.

Curioſitas in alienis negotijs amputanda. Item ſuſpiciones & detractiones.

I. *Piè de omnibus exiſtimandum, nec de vllo temerè iudicandum.*
II. *Suſpiciones ſiniſtras ſtatim abijci debere. Etiam qui aliorum geris curam multùm ſuſpicax eſſe non debet.*
III. *Peccantibus compatiendum potiùs quàm indignandum.*
IV. *Detractio, & cenſura de aliorum defectibus, pio viro maximè fugienda.*

VTILE fuerit ad huius præcepti obſeruationem, (I. *Temerarium iudicium fugiendum.*)

Aliorum mores & geſtus minùs compoſitos ſtudioſè non attendere, niſi in quantum officij neceſſitas expoſcit. (1. *Eſto cæcus in alienis;*)

Qui enim in eâ re curioſus eſt, facilè etiam inquietus, ſuſpicioſus, amarus, atque indignabundus erit: & circa alios intempeſtiue occupatus, ſuiipſius obliuiſcetur. (2. *Ob incommoda curioſitatis.*)

Laudabile admodum eſt, temeraria iudicia vitare: non continuò putare nullos ibi bonos eſſe, vbi multi videntur non rectè viuere: nec exiſtimare illos omnes iam irremediabiliter perijſſe, qui cognoſcuntur adhuc licentiùs peccare: neque arbitrari hominem orthodoxum ac pium propterea à Deo deſpici vel non diligi, quòd adhuc aliquibus imperfectionibus detineatur. (3. *Remedia temerarij iudicij.*)

Laudabile inquam eſt, ſuſpiciones ſiniſtras in ſe leuiter non admittere, eis importunè & iniquè ſe cordi ingerentibus conſenſum non præbere: (II. *Suſpiciones celeriter amputandæ.*)

Mala de aliquo audita nimis facilè non credere: (1. *Ne citò crede.*)

Benè de alijs ſentire, & eorum verba atque opera in meliorem partem (quatenus fieri poteſt) interpretari. Non eſt cur multùm doleat ſe errare, qui etiam de malis hominibus bona cogitat. (2. *Omnia benè interpretare.*)

Is cui aliorum cura credita eſt, licet aliquando fortè metuat ne ibi malum lateat vbi malum non eſt, numquam tamen fixâ mente ſuſpicari debet ibi malum eſſe, vbi vtrùm malum ſit incertus eſt. (3. *Qui præeſt, non facilè in dubio iudicet.*)

Vir beneuolus, & benignâ charitate præditus, certò cognoscens aliquem grauiter peccasse, commiserescit:

III. *Condolendum peccantibus.* *1. Quia omnes homines fragiles;* *2. Diabolus fortis;* *3. Deus ad pœnitentiã expectat.* *4. Pax est aliena non scrutantibus.*

Memoriâ repetens, quanta sit infirmitas & cæcitas humana.

Quantaque diaboli tentantis inuidia atque malitia.

Sed & hoc apud se recogitat, quàm ardenti desiderio Dominus expetat & expectet tempus illud, quo peccator conuertatur, & se corrigat.

Qui negotia sibi commissa relinquit, & sollicitudinem de rebus ad se suumque officium non pertinentibus abijcit, quique ineptè auidus non est vt aliorum secreta cognoscat, grandi pacis internæ beneficio fruetur.

IV. *Vitanda detractio.* *1. Tacendũ.*

Pij multùm exhorrent detractionis vitium:

Ita vt de alterius imperfectionibus tacere semper malint, quàm aliqua dicere.

2. Quomodo excutienda vel diuertenda detractio.

Quòd si necesse interdum fuerit vt talia vel loquantur vel audiant, summopere vigilant ne aut per verborum excessum, aut per intentionem affectionemque minùs sinceram corda sua maculent. Rem Deo gratam facit, qui detrahentis sermonem prudenter amputat, & ad meliora transferre satagit.

DOCVMENTVM X.

Beneuolentia & affabilitas erga alios.

* Hæc citat Iudocus Lorichius S. Theologiæ Doctor de Curâ corporis cap. 5.

BENIGNVM, * beneuolum, & affabilem omnibus te præbe: de aliorum bonis sicut de proprijs gaude, & pro aliorum malis ingemisce; omnes sincerâ charitate diligens, neminem, quantumuis etiam tibi molestum, odio habens, de nullius salute desperans, & imperfectis quibusque piam compassionem magis quàm turbulentam indignationem impendens.

APPENDIX.

Regula conuersationis externæ cum beneuolentiâ erga proximum.

I. *Conuersatio externa debet esse affabilis, pacifica, serena.*

II. *Nullum despicere oportet tamquam inemendabilem.*

III. *Anima in hominibus respicienda, non species corporis aut fortunæ.*

IV. *Aliorum bonis congaudendum, malis verò condolendum.*

V. *Opera misericordiæ spiritualia frequentanda, &, si potes, etiam corporalia.*

VI. *Amaritudo omnis erga alios & asperitas vitanda & reprimenda.*

VII. *Correptio fraterna exercenda, humiliter, innocenter, dulciter, fortiter, discretè, tum in proteruos, tum in infirmos.*

VIII. *Singularitatis nota in communi & exteriori vitâ & conuersatione maximè euitanda.*

BENEVOLAE CONVERSATIONIS OCTO MONITA. I. *Sit serena & amica affabilitas.*

OMNINO conuenit vt seruus Dei affabilem alijs se præbeat, & in vultu modestam castamq; serenitatem potiùs, quàm nimis tristem vel austeram grauitatem, prætendere consuescat. Debet (quantum in se est) amicè cum omnibus conuersari, nemini onerosus esse, neminem conturbare, verborum insinceram atque à dilectione alienam mordacitatem vitare, promptè quoslibet iuuare, cupidè omnium necessitatibus subuenire, libenter non solùm his à quibus diligitur, sed potissimùm his à quibus infestatur aut læditur, benefacere; cor amaritudine aut felle infectum aduersus aliquem non gerere, nulli signa charitatis negare, nulli malè velle, nulli inuidere.

II. *Nullum iudicet inemendabilẽ, maximè si & ipse olim peccator fuit.*

Nullum, quantumuis iniquè viuentem, despicere; de nullius peccatoris verâ conuersione ac pœnitentiâ desperare: nam & ipse aliquando fortè à Deo auersus, in iniquitatibus aut vanitatibus vixit. Cogitet quàm clementer à misericordi Domino tunc seruatus, atque ad meliora tandem reuocatus fuerit. Si Deo manum porrigente euasit pericula, confidat & alios eodem adiuuante euasuros. Transijt ipse à prauitate ad iustitiam: sed non putet alijs viam salutis præclusam, aut pontem misericordiæ deiectum esse. Possunt alij transire quà transijt: possunt proficere, possunt etiam ad perfectionem peruenire. Ergo (sicut dictum est) de nullius verâ conuersione desperet: omnes Christianos tamquam fratres ad eamdem secum hereditatem cælestem vocatos cum gaudio aspiciat & diligat.

III. *Animæ internam pulchritudinem & pretium ac salutem, non exteriora corporis aut fortunæ bona adspiciat.* Genes. 1.

In hominibus non visibilis corporis vilitatem, sed inuisibilis animæ (quæ ad imaginem Dei creata est, quia rationalis est) præcellentem nobilitatem pulchritudinemque attendat. Tanta est animæ humanæ dignitas, vt propter eam Rex regum, Dominus dominantium, Vnigenitus Dei Patris, incarnari, pati, propriumque Sanguinem fundere, ac mori voluerit. Istam animarum indicibilem generositatem atque venustatem passim negligentijs dedecorari, peccatisque deturpari, vehementer doleat: malè viuentes & excæcatos, pereuntesque tam Christia-

nos

nos rectæ fidei, quàm hæreticos, ſchiſmaticos, ac gentiles, intimâ commiſeratione proſequatur: omnium ſalutem verâ charitate exoptet, de cuiuſlibet profectu & conſolatione gaudeat.

IV. *Exultet rebus aliorũ proſperis, ingemiſcat aduerſis.* 1. Cor. 12.

Bona quæ in ſe non habet, in alijs Dei electis ſe habere lætetur; & pro eis diuinæ liberalitati gratias agat: nam cùm omnes electi ſint vnum corpus myſticum, præſtantia & gloria vnius membri cedit in honorem alterius. Aliorum item miſerias & calamitates, ſuas reputet: erga pauperes, infirmos, tentatos, & afflictos pijſſima viſcera gerat.

V. *Miſericordiæ opera exerceat.*

Sanctam hoſpitalitatem amet: opera miſericordiæ quæ facere poteſt, hilariter faciat: ſi nequit ea corporaliter impendere, impendat ſpiritualiter.

VI. *Peccata quæuis in proximo non amarè, ſed dulciter accipiat.*

Imperfectiones tam animorum quàm corporum in alijs æquanimiter toleret: omnemque indecentem aſperitatem ſeu amarulentiam animi ſui, patienti benignitate & ſancto dilectionis dulcore mitigare, vel etiã excludere nitatur, tamquam & ipſe habens in ſe multa quæ ab alijs tolerari debeant. Quòd ſi penitus excludere vel mitigare indignationis amaritudiniſque internæ ſtimulos necdum poteſt, ſaltem conſenſum eis deneget: ita vt quamuis in inferioribus animæ viribus graues impatientiæ motus ſentiat, ſuperiorem tamen mentis rationem imperturbatam ſeruare conetur. Suſpiret ad Deum, & eius auxilium imploret. * Meminerit verò ſe ipſi Domino non placere, ſi aliquem hominem odit: cùm filij Dei à filijs diaboli in eo ſingulariter diſtincti ſint, quòd illi charitatem habeant, iſti non habeant.

* Amor erga proximos eſt character filiorum Dei, vt odium, filiorum diaboli, 1. Ioannis cap. 3. & 4.

VII. *Obſeruet correptionis fraternæ modos.*

Igitur peccantibus compatiatur, peccatis non faueat. 1 Portet, & etiam in corde ſuo ſibi præferat, quos corripit: & corripiat ſeu caſtiget, quos portat. 2 Non hominem, ſed hominis vitia perſequatur; & illa alibi facilè non recitet, vbi nec eius qui offendit, nec aliorum qui audiunt emendationem ſeu vtilitatem ex huiuſmodi recitatione ſecuturam ſperat. 3 Hominem ipſum, cuius imperfectiones ac negligentias perſequitur, ſincero cordis affectu diligat, & ei vultus ſerenitatem, verborumque & operum ſolatia (quoties res exigit) exhibeat. 4 Dei Religioniſq; iniuriam, ac animarum damnum non diſſimulet: nec propter humanam amicitiam omittat conuenienter & opportunè cum charitate reprehendere ea, quæ à ſe reprehendenda eſſe cognouerit. Iuſtitiæ zelo ferueat; 5 non tamen feratur præcipiti ſiue inordinato animi impetu: ſed iram eius ſemper & conſilij grauitas & manſuetudinis gratia condiat. Imperfecti & vitijs adhuc obnoxij in Eccleſiã Dei, infirma atque vlceroſa ſunt membra myſtici corporis Chriſti. His non furioſa pugnorum contuſio, ſed (quantum res patitur) lenis tactus, id eſt, lenis admonitio primò adhiberi debet: 6 quòd ſi ipſâ lenitate non ſanantur vlcera, deinceps adhibenda eſt durior correptio, tamquam ſectio neceſſaria; ita tamen, vt ſemper veræ charitatis affectus ſeruetur erga eum qui caſtigatur.

1 Humiliter. *2. Innocenter.* *3. Conſolabiliter & amanter.* *4. Fortiter, in cauſâ ſalutis.* *5. Moderatè erga imbecilles.* *6. Duriter, erga proteruos.*

VIII. *Fugienda omnis conſpicua ſingularitas & indiſcretus feruor.*

Qui in congregatione aliquâ viuit, vbi honeſta & ſancta lex atque inſtitutio communis eſt, pacificè eamdem inſtitutionem in communibus actionibus & exerçitijs ſequatur, notam vitioſæ ſingularitatis vbique vitans. Bona quæ nõ niſi cum perturbatione aliorum publicè faceret, ſi abſq; offenſione Dei, & abſque læſione propriæ conſcientiæ omittere poteſt, prudenter (ſicut viderit eſſe neceſſarium) omittat. Nihil attentet inſolitum, quod humanam fragilitatem excedere videatur: niſi Deus id ſibi placere certâ reuelatione declarauerit, vireſque, quibus illud commodè perfici queat, præſtiterit.

DOCVMENTVM XI.

Mundi & vanitatum contemptus.

MVNDI vanitates, carniſque voluptates viliſſimas ſperne; immortali animæ tuæ ſponſo teipſum ſeruans, & in eo ſolatia tua conſtituens.

APPENDIX.

Voluptates huius vitæ ſpernendæ, gaudia futura inquirenda. De illo quinque monita.

I. *Fuga ſæculi, & vanitatum mundi.*
II. *Carnis impura voluptas dedecet animæ dignitatem, Deique beneficijs reddit indignam.*
III. *Patria cæleſtis amanda eſt, non iſta peregrinationis regio.*
IV. *Licita eſt tamen moderata & cauta mentis relaxatio ad laudem Dei aſſumpta.*
V. *Temperantia & ſobrietas in victu cum piâ praxi.*

I. *Vanitas varia ſæculi contemnenda præ diuinis oblectationibus.*

MONET hoc præceptum, vt faſtum, gloriam, fauorem, honores, pompas, poſſeſſiones, diuitias, ſpectacula, luſus, iocos, vaniloquia, & nugas huius ſæculi, fœdaſque carnis delicias contemnamus, noſipſos in ſolo Deo rebuſque diuinis oblectantes.

II. *Carnalis voluptatis indignitas & impuritas.*

Profectò qui animæ ſuæ ad imaginem Dei creatæ dignitatem & ingenitam pulchritudinem diligentiùs conſiderat, impuris

 carnis

carnis voluptatibus non facilè se dedet; sciens per illas animam rationalem fœdari, & decorem genuinum amitti. Itidem qui beneficia à Deo sibi impensa sedulò recogitat, quomodo poterit erga illú tam ingratus esse, vt peccatorum sordibus eum offendere non metuat? * Quomodo non sese immaculatum illi seruare studebit, à quo benignissimè conditus, misericordissimeque redemptus est? à quo custodiam Angelicam, & omnia tam spiritui quam corpori necessaria, à primâ ætate accepit, accipitque quotidie? à quo sic protegitur, sic gubernatur, sic fouetur die ac nocte, quasi ceterorum omnium oblitus ipse Deus, curam eius solius gereret? à quo denique ad vitam æternam gratuitò electus ita diligitur, vt sine illo ipse beatus esse nolit? Nimis æquum est, vt tam bono Deo, tam dulci animarum nostrarum sponso, integram cordis puritatem (quantum in hac vitâ licet) seruemus. Tam liberalis benefactor, tamque ardens amator omnino redamandus est: propter eum transitoria omnia despicienda sunt.

* Beneficia Dei erga nos faciút, vt anima velut sponsa sese seruet sponso illi suo amantissimo, & in nullâ re extra illum delicias quærat vel admittat.

III. *Festinandum est ad patriam ad quam creati sumus.*

Nos peregrini & exules hîc sumus: quare non infimis istis inhærere, nec ea peruersè amare, sed patriam nostram, patriam cælestem requirere, & ad æterna bona suspirare debemus. Neque enim propter præsentem, sed propter futuram vitam Christiani sumus.

IV. *Recreationes cum quâ intentione moderanda, non tamen iis immorandum.*

Licitum quidem est, iucunda aliqua pro loco & tempore piâ intentione interdum proferre, recreationemque externam congruam ad Dei honorem admittere: sed summâ diligentiâ modus seruandus est, ne aut per nimiam, aut per minùs castam relaxationem, harmonia interioris hominis dissoluatur, & cordis puritas lædatur.

V. *Modestia & sobrietatis in victu regulæ septem.*

Cùm necesse sit singulis diebus cibo potuque vti, ingluuies à plerisque superari difficiliùs solet, quàm cetera cordis vitia. Vigilet igitur vir spiritualis in quotidianâ aduersum gulam pugnâ: [1] & Dei auxilium sedulò imploret, ne vincatur. [2] Indecentem auiditatem, turbulentamque cupiditatem inter edendum etiam in simplicibus escis frenet, ipsum cibum modestè sumens, & eum honestè sensimque mandens. [3] Rationabilem corpusculi refectionem, non autem voluptatem quærat: [4] & quamuis delectationem terrenam sentiat (sine quâ refectio corporalis ab homine famente vel sitiente nequaquam sumitur) non tamen eidem delectationi inhæreat, neque eam ad intima sua admittat. Non, inquam, ob id manducet aut bibat, vt carnis concupiscentiis inseruiat, & praua desideria expleat, sed vt naturam iuuet, eique satisfaciat. [5] Excessum diligenter vitet, ne cibo prægrauatus reddatur ineptus ad interna exercitia. [6] Verumtamen si ipse minùs fortè attentus metas debitæ continentiæ paululùm prætergressus fuerit, non sit nimiùm pusillanimis: sed ad Deum confugiens, culpam humiliter agnoscat, veniamque ab eo postulet: & innouato sancto proposito, confidat in illius benignissimâ pietate. Paucos inuenire est, quorum spiritum non aliquantulum grauet aut præpediat cibus sumptus, dum in stomacho concoquitur: sed citra vitium crapulæ id accidere potest. [7] Qui piè secum retractat atque recogitat, Dominum Iesum fel & acetum pro nobis gustasse, faciliùs gulæ illecebras spernit, faciliùs deliciosis escis ac potibus carere potest, atque ipsa deliciosa edulia æquè temperanter & inculpatè sumit, sicut minùs sapida ac vilia.

1. Oratio ad cibum.
2. Modestia in manducando.
3. Discretio in modo.
4. Mortificatio in appetitu gulæ.
5. Mensura refectionis.
6. Correctio sui, sine anxietate.
7. In Christi fel & acetum buccellas intingat. Ioan. 19.

DOCVMENTVM XII.

Paupertas & simplicitas.

PAucis contentus esto, & simplicibus delectare: memor paupertatis quam pro te assumpsit, tibique commendauit Deus tuus. Tu discipulus, ille Magister: tu seruus, ille Dominus. Gaudeat discipulus dum imitatur Magistrum: exultet seruus, dum sequitur Dominum.

APPENDIX.

Sanctæ paupertatis ingentes diuitiæ.

Simplicitas in omnibus amplexanda: superfluitas penitus amputanda.

QVI feruet spiritu, & mundum ac seipsum verè contemnit, is superflua, curiosa, & exquisita ad suos vsus non requirit: simplicitatem in victu ac vestitu, ceterisque necessarijs diligit: minus potiùs quàm ampliùs habere semper appetit: pro his quæ sibi vel desunt, vel negligentiùs administrantur, facilè non murmurat: propriæ electionis atque optionis commodum vbique relinquere paratus est: humilia & abiecta opera (à quibus superbi abhorrent) magno cordis affectu peragit. Respicit enim fidelibus oculis in auctorem vitæ Dominum Iesum, qui propter nos *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Phil. 2.

Simplicitas & paupertas sine omni superfluitate.

APPEN-

APPENDICVM COROLLARIVM.

Vsus Documentorum præcedentium, & cautelæ circa exercitia spiritualia.

I. *Methodus acquirendi virtutes, per sex instrumenta: Examen, Meditationem, Desiderium, Orationem, Praxim in occursu occasionum, & Imitationem ac Vnionem Christi.*

II. *Reuelationes non sunt expetendæ: & si adfuerint, cautè examinandæ, & cum humilitate acceptandæ.*

III. *Nullo modo nos alijs propter Dei dona præferamus.*

IV. *Discretionis in exercitijs pietatis spiritualibus & corporalibus regulæ.*

V. *Contra pusillanimitatem & diffidentiam admonitiones.*

VI. *Eucharistia reuerenter frequentanda, non obstantibus tentationibus, aut desolationibus.*

VII. *Excellentia meditationis circa passionem Christi.*

VIII. *Fiducia quotidianis actibus in Christi misericordiâ debet corroborari.*

IX. *Distractiones non superantur meliùs, quàm humilitate & perseuerantia.*

X. *Non caret magno fructu oratio, etiam in linguâ quam orans ignorat.*

I. *Sex instrumenta acquirendæ virtutis.*

IAM, qui ex prædictis præceptis eximium aliquem fructum referre vult, studeat totâ mentis intentione vitam suam ad illa corrigere, ordinare, atque componere; ea sæpè (quemadmodum Auctor Epistolæ infrà in conclusione dicit) relegens, & exactè se discutiens, [1] attenteque considerans, vtrùm id quod legit ipse faciat. Singula per [2] meditationem, [3] desiderium, & [4] orationem in animi viscera traijcere, [5] indeque ad mores traducere satagat: ita vt quouis loco ac tempore mox illi occurrat, quid agere, quid relinquere, quid admittere, quidve respuere debeat. [6] Humilitatem, obedientiam, mansuetudinem, patientiam, charitatem, misericordiam, benignitatem, & continentiam Christi pro suo modulo imitetur; promptè se in his, quæ vel desiderabilia, vel naturæ contraria sunt, relinquens atque abnegans. Opera sua omnia purâ intentione (sicut suprà in primo Præcepto dictum est) ad honorem Dei peragat: sic enim lucida, & ipsi Domino valdè grata erunt. Ea mirificè exornabuntur, si ipse illa saltem desiderio coniunxerit actionibus Christi. Exempli gratiâ: si cupiat, vel in animo suo statuat obedire hominibus, seruire Deo, preces offerre, laborare, ieiunare, aduersa tolerare, edere, bibere, dormire in vnione illius pietatis, quâ Christus Iesus pro se factus homo, in terrâ hominibus subditus fuit, Deum Patrem laudauit, orauit, laborauit, ieiunauit, aduersa pertulit, comedit, bibit, dormiuit: aut si illa ipsa quæ facit, commendet offerátve Domino in vnione eiusdem pietatis seu charitatis, in laudem æternam.

1. Examen operum. 2. Meditatio. 3. Desiderium. 4. Oratio. 5. Praxis. 6 Christi virtutum imitatio, & cum eius meritis vnio.

II. *Cautela circa reuelationes.*

Non [1] appetat illustrari reuelationum vel miraculorum gratiâ, vt per ea nomen sanctitatis apud homines sibi comparare possit. [2] Quæ gratia si ei concessa fuerit, humiliter ac sapienter vtatur illâ, sicut cognouerit placere Deo qui eam gratuitò donauit. [3] Meminerit verò, quia Angelus satanæ nonnumquam transfigurat se in Angelum lucis, vt per dolosas vanasque reuelationes incautos fallat. [4] Etiam si magna sint, & magna esse sciat ea quæ cælitus percipit, numquam tamen magnus & perfectus sibi videatur.

1. Non auidè ambienda. 2. Non iactanda. 3. Non citò credenda. 1. Cor. 12. 4. Humiliter seruanda.

III. *Humilitatis leges. Psalm. 21.*

Donis & benedictionibus Dei, quibus præuenitur, * indignum se semper reputet. Non sibi adscribat quòd bonæ voluntatis sit, nec ob id arroganter aliis se præferat: sed quoslibet, etiam peruersissimos, sibi in corde suo præponat. Agnoscat quia nisi ipse gratiâ Dei seruaretur atque protegeretur, mox deficeret in tentationibus, grauiusque peccaret quàm illi: & quia si illi tantam gratiam à Deo accepissent quantam accepit, minùs fortè ingrati essent, minusque peccarent quàm ipse. Sed & cogitet, eos repentè, Deo adiuuante, in melius mutari posse, vel etiam iam in illis aliquas virtutes ipsi Domino cognitas & acceptas latere. Non in solâ regione suæ mentis solem gratiæ lucere, nec se solum cælestia desideria habere existimet: sed in alijs potiora Dei dona esse speret & confidat.

** Monita optima ad humilitatem crebrò & vtiliter inculcata, pro praxi.*

IV. *Discretionis norma & praxes.*

Rationis iudicium, & sanctæ discretionis moderamen, vbique sequatur.

Nihil suprà vires suas temerè attentet. Neque enim expedit, vt pertinaci animi decreto facere velit, quæcumque bona alios fecisse cognoscit.

1. Quisque suam mensurâ sciat.

Perfectorum sublimia opera admiretur, ac pro eis Deo gratias agat, & ex eorum consideratione confirmetur, ne in paruis bonis operibus quæ agit, deficiat: sed quantum ad conuersationis suæ tenorem attinet, magis attendat quid ipse ex munere diuino facere possit, quàm quid illi fecerint aut faciant. Neque enim eadem gratia omnibus datur, nec eadem exercitia omnibus conueniunt, neque eodem modo omnes à Spiritu sancto mouentur vel trahuntur. Sane in hac vitâ non omnibus donum sublimioris contemplationis conceditur, non omnes eliguntur vt resideant ad mensam

2. Non æmuletur omnia charismata, sed sibi congrua.

Regis æterni, & deliciis eius pleniùs perfruantur: sed plurimi ad hoc deputantur, vt stent coram mensâ, & per laboriosas actiones inseruiant: qui tamen in futurâ vitâ simul cum his qui contemplationis dono hîc claruerunt, mensæ communis Redemptoris ac Patris cælestis assidebunt, æternâ beatitudine donati.

3 Sequatur quisque quò à Deo vocatur, seu ad actionem Marthæ, seu ad contemplationem Magdalenæ. Quemadmodum autem hi, quos in hac peregrinatione Rex cælestis ad mensam suam, videlicet ad cõtemplationis quietem, vocat, vt cum eis delicietur, non debent inciuiliter se subducere, neque tunc surgere vt stent, aut laboribus externis insistant, nisi obedientia, vel charitas, seu causa rationabilis requirat: ita minimè conuenit, vt hi qui ad standum ministrandumque deputati sunt, relicto officio suo, non vocati ingerant se mensæ Regali, Regique assideant ad vacandum soli contemplationi. Deus non solùm exercitiis spiritualibus, sed etiam externis occupationibus pro sui honore piè susceptis delectatur. Ergo is qui in spiritu proficere desiderat, suâ sorte contentus sit, & nihil (sicut dictum est) vltra vires suas temerè attentet.

4 Modum seruet in abstinentiis & afflictione corporali. Cibum, potum, somnumque necessarium corpusculo suo non neget: nec insitatum abstinentiæ rigorem facilè consectetur: nisi Spiritu sancto reuelante certò didicerit id placere Altissimo. Ad spiritualis vitæ continuationem minùs ei oberit, si de cibo & somno aliquid paulò amplius admiserit, quàm si id quod necessarium est subtraxerit.

5. Alternentur exercitia. Suas priuatas actiones conuenienter alternet, ne fastidium generent, & animum prægrauent.

6. Moderatio teneatur in exercitiis internis absque violentiâ. In ipsis etiam internis exercitijs suis immoderatam imaginationem, nimisque vigorosam mentis ad Deum conuersionem, & anxiam perplexamque sollicitudinem, vel etiam adnisum plus iusto vehementem, solerter vitet: vt & capite sanus, & spiritu integer, in obsequio Dei persistere possit.

V. Contra pusillanimitatem. Omnem quoque diffidentiam, & indecentem pusillanimitatem, implacabilemque timorem, ac vanam tristitiam,

1. Scrupulos abigat. Et superfluos conscientiæ scrupulos (quibus libertas cordis profectusque spiritualis præpediri solet) diligenter à se repellere studeat.

2. In corporali debilitate sit patiens. Verumtamen si dolorem capitis, vel alia incommoda prorsus vitare nequiuerit, non propterea nimiùm deijciatur animo; sed seruatâ patientiâ, quidquid molestum est, offerat Deo in laudem æternam, etiamsi ipse suo vitio suâque culpâ illud sibi conciliauerit.

Quando impijs in Deum ac diuina blasphemijs, aut aliis indignis suggestionibus intus pulsatur, sæpè meliùs vincet, si illas negligendo atque contemnendo, mox signo Crucis edito, cogitationem suam ad Vulnera Christi, siue ad alia sancta & conuenientia transtulerit, quàm si multis rationibus cum talibus contendere disceptareque voluerit. *3. Tentationes blasphemiæ spernendo & diuertendo vincas.*

Prudentum & expertorum consilium circa huiusmodi erit ei admodum vtile, maximè in initiis melioris vitæ. *4. Consiliis prudentum pareat.*

Quando ad sacram cælestemque mensam, in quâ Christus verè sumitur, est accessurus, VI. *Eucharistica mensa.*

Religiosâ mente recolat charitatem illam stupendam, quâ ipse Dominus Deus noster pro nobis homo factus, etiam pati morique voluit. *1. Meditanda charitas Christi.*

Potest, ad supplendam inopiam spiritualem quâ laborat, offerre sanctissimam eiusdem Christi conuersationem & passionem, vel etiam beatæ Mariæ virginis Deiparæ seu aliorum Sanctorum merita. Precetur ipsum Dominum Iesum, vt suis meritis ac virtutibus animam egenam exornare dignetur. *2. Vniocum meritis eius, & Sanctorum.*

Et quidem ab isto dignissimo, suauissimo, maximeque necessario conuiuio, ab isto vnitatis Sacramento, quo Christo incorporamur, manemusque in eo, & eum in nobis manentem habemus, atque ita omne bonum accipimus, non facilè se subducere debet propter tentationes quibus premitur, neque conturbari, si sensibilis deuotionis consolatione destitutus est. Nam Deus vnicè delectatur verâ humilitate & patientiâ, eique sæpè magis placet afflictionis amaritudo, laborisque grauamen (dum bona voluntas & sanctum desiderium homini adest) quàm internæ dulcedinis affluentia. *3. Sæpè frequentanda, etsi absit sensibilis deuotio.* *Ioan. 6.*

Si ei desunt lacrymæ exteriores, non desunt interiores. Is cui omne vitium displicet, & qui Deum diligit seu diligere verè cupit, non caret interioribus lacrymis. *4. Veræ lacrymæ, displicentia peccati.*

Porrò ignorare non debet, illa exercitia, quibus aliquid ex passione Domini Iesu iuxta gratiam sibi datam legit aut ruminat, maioris esse virtutis, quàm alia spiritualia exercitia. VII. *Meditatio Passionis superat alia exercitia.*

Omnino, sicut ille qui opobalsamum vel leuiter contingit, necessariò suauem odorem retinet: ita is qui passionem Dominicam piè recolit, licet permodico affectu id faciat, non potest non referre augmentum gratiæ diuinæ. *1. Licet non sit magnus affectus.*

Sed nec effigiem quidem crucifixi Redemptoris, homo Christianus Orthodoxæ fidei vnquam reuerenter aspexit aut aspiciet, sine grandi vtilitate. *2. Est vtilissima.*

Semper

VIII. *Spes in Christo quotidie radicanda.* Semper memor sit Dei cultor, quòd ad virtutum perfectionem faciliùs feliciusque pertinget, in benignissimâ Domini pietate sperando, & humiliter ac perseueranter orando, quàm proprijs viribus atque conatibus confidendo. Credat, nullam orationem in Ecclesiâ Catholicâ fideliter fusam, carere fructu.

IX. *Distractiones in oratione. 1. Humili perseuerantiâ euanescant.* Si, conscientiâ peccatorum remordente, nequit libero corde orare,

Statim culpam suam coram Deo cum humilitate fateatur, veniamque petat, & se corrigere proponat: atque ita demum sanctâ fiduciâ resumptâ, faciem animæ suæ iam repurgatam ad Dominum per preces laudesque diuinas leuet.

2. Etiam imperfectè orantes exaudit Deus. Et quando ex humanâ fragilitate distrahitur, Deoq; negligentiùs intendit, non idcircò arbitretur orationes suas prorsus inutiles esse, & reijci ab ipso Domino, qui pro suâ ineffabili clementiâ atque bonitate omnia opera nostra æternâ remuneratione digna reputat, si pij sumus, & voluntatem nostram ab eo non auertimus, frequenterque dolemus atque ingemiscimus pro his quibus nos deficere & delinquere cognoscimus.

3. Suo tempori reseruat Deus, quod nunc videtur differre. Non etiam propterea existimet se non exaudiri, quòd orationis suæ effectum non statim sentiat aut videat: sed longanimis fideque plenus perseueret in sanctis petitionibus, Deo penitus committens quando & quomodo velit postulata tribuere. Nam misericors Dominus sæpè ea quæ concedere vult, differt in longum tempus præstare, eò quòd non satis conuenienter neque satis vtiliter illa citiùs largiretur. Et plerumque exaudiens nos ad nostram salutem, non id præbet quod petimus (quia nobis non conducit) sed aliud quod expedit donat. Planè toties centum talenta (vt ita dicam) in thesauros reponit danda suo tempore ei qui piè orat, vel etiam illi pro quo oratio funditur, quoties ipse orans vel minimum nummum postulat.

Quando aliquis Latinæ linguæ ignarus, benignâ religiosâque mente Deum Latinè laudat aut precatur, non minus vtilitatis ac meriti refert, quàm si linguâ sibi notâ laudes precesque suas Deo offerret. Nam & ægrotus quisque potionem medicinalem sumens sanitati restituitur, etiam si ipsius potionis virtutem ignoret. X. *Oratio in linguâ ignotâ etiam vtilis est.*

Qui alicuius orationibus congruâ pietate ac fide se commendat, fructum sancti desiderij sui apud Deum consequitur, etiamsi is cuius preces expetierat, orare pro ipso negligat. *Meretur etiam qui alium rogat vt pro se oret.*

Hæc pro qualicumque explicatione seu dilatatione vtilissimarum Præceptionum, quæ in breui istâ Epistolâ habentur, dixisse sufficiat. *Conclusio Appendicis ad Documenta duodecim.*

CONCLVSIO EPISTOLÆ.

1. *Perseuerandum contra crebros lapsus & defectus.*
2. *Non superbiendum de gratiâ diuinâ.*
3. *Interna instabilitas, quando est inuoluntaria, non tollit meritum orationis.*

Ioan. 6. & 15. HÆC Documenta crebrò inspice ac lege, Deumque precare vt ea adimplere possis, sine cuius gratiâ nihil * boni facere potes. Non autem desperes propter frequentes lapsus tuos, vel propter passionum vitiorumque indecentes motus, quibus adhuc vehementer fortè impugnaris & impediris: sed ex infirmitate tuâ in humilitate proficiens, bono animo esto, ac, reiectâ nimiâ pusillanimitate, confide in Domino IESV. Roga eum vt malis tuis indulgeat, merita quæ tibi desunt suppleat, bona quæ necessaria sunt concedat, & quæ concessit, sed imperfecta habes, perficiat. Pete, quære, pulsa: nam perseuerantem proculdubiò tandem exaudiet ille qui dixit, *Omnis qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* 1. *Perseuerandum in exercitio virtutum, etiam inter multos defectus.*

** Ad veram gratiam, perfectionem & salutem.*

** Luc. 11.*

Cùm verò postulata ab ipso acceperis, caue ne de donis eius stultè in te glorieris, aut aliquid præ ceteris te esse repures. Illi gratias age, illi totum attribue qui totum dedit, tibi nihil adscribens præter peccatum, quod solum à teipso est. 2. *De donis Dei non superbiendũ, sed agenda gratia.*

3. *Quæuis turpitudo, interna instabilitas, aut perturbatio nil nocet, si non placet.*

Porrò memineris, absurda illa quæ vel dormiens ligatâ ratione pateris, vel vigilans inuitus sentis, non adimere in te virtutem, quando tibi non placent, quando consensum eis denegas. Imò verò laboris molestia, quam in talibus sustines, virtutem perornat, meritumque adauget. Interna etiam instabilitas, quâ tibi nolenti cor inter precandum psallendumque miserè (vt verbis tuis vtar) distrahitur, non tollit orationis tuæ fructum, sicut nec internæ sterilitatis ariditatisque gelu, quo te pænè assiduè constringi conquereris. Sed curare debes, vt vigili, strenuâ, & fideli diligentiâ sanctum illud opus reuerenter peragas: nam crescente in te humilitate ac charitate, aliquando tibi fortè dabitur, vt serenâ, suaui, attentâque mente rebus diuinis intendas. Vale, & ora pro me.

APPENDIX
AD
ENCHIRIDII PARVVLORVM
PRIOREM LIBRVM.

§. I.

Consolatio in tentationibus & defectibus, ex B. Gregorio, D. Bernardo, & Anonymo.

1. *Omnes in hac vitâ obnoxios esse tentationibus.*
2. *Exordia conuersionis spiritualis deliciosa, progressus verò difficiles.*
3. *Cur non statim perueniant boni ad perfectionem.*
4. *Tentationes reprimunt elationem mentis.*
5. *Aduersitas secura est ad virtutem via.*
6. *Ama quantum potes, & sufficit.*
7. *Non tantùm innocentes, verùm etiam pænitentes diligit Deus.*

Beatus GREGORIVS *ait:*

1. *Omnes obnoxij tentationibus,*

HOMO in suâ conuersione sæpè multùm affligitur, dum hinc spiritus vocat, hinc caro reuocat: hinc amor nouæ conuersationis inuitat, hinc vsus peruersæ vetustatis impugnat.

Maximè qui feruentiores sunt.

Hostis noster adhuc in hac vitâ nos positos, quantò magis sibi rebellare conspicit, tantò ampliùs expugnare contendit: eos enim pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit.

2. *Initia facilia, progressus difficiles.*

Quisque in ipso conuersionis initio magnâ plerumque excipitur dulcedine consolationis, sed durum laborem postmodum experitur probationis.

Ne fallatur Tyro in cõsolatione, subinde sentit desolationem.

Sæpè conuersus quisque in eo fallitur, quòd dum quibusdam donis gratiæ per dulcedinem inchoationis excipitur, confirmationem accepisse se perfectionis arbitratur: & plenitudinis consummationem æstimat, quæ adhuc blandimenta esse inchoationis ignorat. Ne ergo conuersus iam sanctum se esse credat, dispensante Deo permittitur, vt post conuersionem suam tentationum stimulis fatigetur.

3. *Nemo repentè fit perfectus.*

Plerumque virtutes, dum plus quàm necesse est exuberant, vim suam exhalant. Vnde Dominus electorum suorum & ante tempus desideria implere renuit, & rursum in tempore intra mensuram profectus premit: ne, si aut antequam debent aut plus quàm debent proficiant, per profectus sui magnitudinem in elationis defectum cadant.

4. *Elatio mentis deprimitur sensu tentationum.*

Pleriq; cùm desideria sancta concipiunt, in summis etiam exerceri virtutibus inardescunt: vt non solùm culpa operationem non inquinet, sed nec cogitationem pulset. Et adhuc quidem in corpore positi sunt, sed nihil iam perpeti de communione præsentis vitæ volunt: imitari per intentionem internam mentis stabilitatem appetunt, sed interuenientibus tentationibus reuerberantur: vt videlicet infirmitatis suæ memi-

meminerint,& elati de virtutibus, quas accipiunt, non sint.

5. *Via crucis per tribulationes tuta est.* Si sola nobis adsunt prospera, soluimur; ad virtutem verò meliùs per aduersa solidamur. Deus igitur prouidè cuncta disponens, electos suos inde robustiùs in integritate custodit, vnde eos per inimici tentantis impugnationem aliquo modo ab integritate labefactari permittit.

Diuus BERNARDVS.

6. *Ama Deũ, quantum potes, & sufficit Deo.* Diligam te Domine pro dono tuo, & modulo meo. Si quantum debeo non possum, non possum tamen vltrà quàm possum. Potero verò plus, quando plus dare dignaberis: numquam tamen prout dignus haberis. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*: sed tamen *in libro tuo omnes scribentur*, qui quod possunt faciunt, etsi quod debent non possunt. Psal.138.

ALIVS *quidam*.

7. *Non solos innocentes amat Deus, verùm & pœnitentes.* Deus diligit non solùm illos, qui semper in innocentiâ vixerunt; sed & eos, qui post multa atque enormia crimina resipiscunt, seque diligenter corrigunt: isti enim sunt chara vasa misericordiæ eius. Illorum animas per virgines, istorum verò animas per proximas intelligimus designatas esse à Psalmistâ, loquente de præclarâ Reginâ, sponsâ Regis Christi, ac dicente, *Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi.* Psal.44. Tam istæ, quàm illæ perueniunt ad patriam cælestem, sicut idem Psalmista consequenter asserit, dicens: *Afferentur in lætitiâ & exultatione, adducentur in templum Regis.* Quare autem Deus aliquos ex electis suis in innocentiâ conseruet, alios grauiter peccare permittat, non est nostrum inquirere: id enim in profundo consilij iudicijque eius latet.

§. II.

Orationis frequentia. Eucharistiæ fides & Communio.

Ex R. D. LVDOVICO BLOSIO.

I. *Vbique orandum, maximè tamen in templis ad eum finem erectis.*
II. *Missa Sacrificium, amoris est miraculum.*
III. *Eucharistia, & transsubstantiationis fides iuxta Catholicæ Ecclesiæ veritatem firmiter tenenda.*
IV. *Frequens Eucharistiæ communio.*

I. *Templa orationis causâ cum deuotione frequentanda.* DOMINVM Deum nostrum, qui spiritus est, qui vbique est, possumus etiam vbique locorum conuenienter adorare, venerari, colere, ac precari: sed id conuenientissimè facimus in Oratorijs nomini eius Ioan.4. consecratis. In quibus Christianos omnes cum maximâ reuerentiâ, & decentissimâ interioris exteriorisque hominis compositione adesse oportet, propter ipsius summi Dei, & beatorum Angelorum eximiam gratiosamque præsentiam. Qui verè intus illuminati & copiosiùs vncti à Spiritu sancto sunt, ineffabili perfunduntur gaudio, quando coram venerabili Sacramento Dominici Corporis, & coram inuisibilibus gloriosissimisque illis cæli principibus spiritibus Angelicis assistunt. *Propter Eucharistiã, & Angelos assistentes.* Nullus eis locus in hoc mundo est gratior domo orationis, adeò vt à templis sanctis ęgrè plerumque auelli possint: quæ dum procul aspiciunt, si accedere & ingredi prohibentur, deuoto corde saltem salutant, & æternæ maiestatis Dominum religiosè adorant.

O quam stupendus & quàm inexplicabilis est summi Dei erga nos vermiculos amor, qui in Missæ Sacrificio quotidie cum numerosâ Angelorum multitudine se mirè præsentem nobis exhibere († etiamsi Sacerdos, qui sacrificat, malus sit) dignatur! II. *Missæ Sacrificium excelsum indicat charitatis Christi.* ita vt apud nos non minùs verè sit ipse Dominus Iesus, quàm in cælo est. Meritò ad tantam diuinæ charitatis dignationem ac dulcedinem corda nostra amore resoluta penitus liquescerent. Meritò etiam iter prolixum promptissimè & cum ingenti exultatione susciper e deberemus, quò possemus ipsius Missæ Sacrificio diuinisque mysterijs interesse. Sic enim animæ nostræ supernis fulgoribus frequenter irradiatæ, caduca omnia facilè contemnerent, & ea quæ sursum sunt ardenter amarent.

III. *Transsubstantiationis Eucharistica fides Catholica.* Non magis licet inquirere, quomodo in Sacrificio Missæ, Sacerdote verba consecrationis proferente, panis in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem conuertatur, quàm quomodo Deus ex purissimis sanctæ virginis Mariæ sanguinibus carnem sibi aptauerit.

1. *Agnoscenda Dei omnipotentia.* Vbi enim Deus operatur, non oportet quærere quomodo: sed indubitata fides his quæ à Deo fiunt adhibenda est. Firmissimè credere debemus, panem in verum Christi Corpus, & vinum in verum Sanguinem, operatione Spiritus sancti, virtute verbi diuini, virtute omnipotenti, transmutari.

2. *Ex Incarnatione, & Creatione probatur Transsubstantiatio.* Quid quærimus naturæ ordinem in Christi Corpore, quod præter naturam natum est ex Virgine? Nos legimus de mundi operibus, quòd Deus dixerit, & facta fuerint;

† Hoc est signum bonitatis in amante nos Deo Hoc de omnibus Sacramentis per malos ministros confectis aut collatis docet D. Thomas 3. parte quæst. 64. art. 5. & citat sanctum Augustinum Tract. 5. in Ioannem: *Quid tibi facit malus minister, vbi bonus est Dominus?*

rint; quòd mandauerit, & creata sint. An verò qui ex nihilo potuit deducere ad esse ea quæ non erant, non potest ea quæ sunt mutare in id quod non sunt? In mundi huius exordio dixit, *Germinet terra herbam virentem*; & ita factum est, atque hactenus perdurauit, perdurabitque in posterum virtus illius præcepti: & ipso dicente, *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, non est quod dicit? Ipse hoc dixit, dicendumque instituit.

Psal. 148. *Genes. 1.* *Matth. 26.*

3. Contra Sacramentariorum figuram. *1. Cor. 11.* Prorsus verba illa veritatem Corporis Dominici exprimunt: neque enim dixit Dominus, Hoc est figura Corporis mei, sed, *Hoc est Corpus meum, hic est calix Sanguinis mei*, &c.

4. Non descēdit Corpus Christi ad panem, sed panis conuertitur in Corpus Christi. Non autem arbitremur Corpus Christi ad enuntiationem diuinorum illorum verborum de cælo descendere, vt in altari adsit: † sed inconcussâ fide credamus, ad eorumdem verborum debitam prolationem, virtute diuinâ, non sacrificantis merito, panem vinumque conuerti, & (vt planiùs dicam) transsubstantiari in Corpus & Sanguinem Christi verè ibi præsentis, ipso nihilominùs beatissimo Corpore in cęlo ad dexteram Patris manente. * Nam & figura hominis (si sensibili exemplo in re tantâ vti conuenit) ita effingitur in speculo oblato, vt tamen ab homine non recedat. ** Similitudo prima.*

5. Vnum idemque Corpus in cælo & in Sacramento, Non est aliud Corpus Christi in cælo, atque aliud in Sacramento: sed vnum omnino & idem vtrobique est. Quamlibet multæ habeantur Hostiæ consecratæ, sub qualibet earum integrum Corpus Christi subsistit: *quemadmodum videmus eamdem faciem humanam efformari integram in pluribus obiectis speculis, & verbum humano ore prolatum excipi integrum plurium audientium auribus. Imò verò factâ vnius Hostiæ consecratæ diuisione, sub singulis partibus separatis integrum Corpus Christi consistit: *veluti confracto speculo facies hominis in quolibet fragmento exprimitur non minùs integrè quàm in toto speculo. ** Similitudo secūda.* *& in singulis Hostiæ particulis.* ** Similitudo tertia.*

6. Fractio fit in Sacramento, non in Corpore. Quando autem frangitur & diuiditur Hostia consecrata, huiusmodi fractio siue diuisio non fit in Christi Corpore, cùm iam immortale sit, suique sectionem nullatenus admittat: sed fit in specie Sacramenti, nempe in figurâ panis.

7. Hæc fide solâ capiuntur. Sanctissimum hoc mysterium, quod supra naturam est, sola fides capere potest. Fit ita, quia Deus vult ita, Deus ita instituit. Intellectus noster, qui quamdiu in hoc exilio degimus imbecillis hebesque est, diuinæ maiestatis opera atque consilia comprehendere nequit: proinde nec ea temerè comprehendere velimus, reprehendere verò nullo modo audeamus.

IV. *Pulchra comparatio inuitans ad crebram Cōmunionem, etiam imperfectos at bonæ voluntatis homines.* A salutiferâ escâ Corporis Dominici nullus bonæ voluntatis facilè se subducere debet propter indignitatem suam. Quemadmodum enim paruulus Regis filius etiam cum his puerulis, qui obscuro loco nati, & vilibus vestimentis induti sunt, ludere gaudet: ita Dei ac Regis summi filius Iesus Christus, per Sacramentum Eucharistiæ libenter se adiungit non solùm perfectis, verùm illis quoque qui multis quidem imperfectionibus sunt obnoxij, non tamen ipsas suas imperfectiones amant, sed ad meliora semper contendūt, & ab omni peccato letali immunes se (Deo adiuuāte) seruare student.

† Theologicas hasce de Transsubstantiatione sententias reperiet Lector fusiùs disputatas apud Scholasticos in D. Thomam 3. parte quæst. 75. & 76. Hic verò moneo, vt tres elegantissimæ similitudines de Eucharistiæ mysterio annotentur.

ENCHI-

ENCHIRIDII PARVVLORVM LIBER POSTERIOR

DE PRÆPARATIONE AD FELICEM MORTEM, DE PATRIA CÆLESTI, DE DEO, ET CREATVRA RATIONALI.

CAPVT I.

Præparatio ad mortem.

1. *Maximâ ſollicitudine vigilandum eſt, appropinquante mortis probabili periculo.*
2. *Curæ ſeculi primò abijciendæ. Deinde ſumendum Sacramentorum viaticum, tum reſignatio in manus Dei facienda.*
3. *Poſteà cogitanda Chriſti paſſio, eiuſque merita fide viuâ Deo offerenda.*
4. *Inuocanda B. Virginis & Sanctorum patrocinia.*

1. *Pia ſollicitudo in mortis articulo.* Matth. 24. Lucæ 12.

SEMPER quidem vigilare, ſemper lumbos præcinctos, & lucernas ardentes habere debemus, vt cùm venerit Dominus, ac pulſauerit, confeſtim aperiamus ei: maximè tamen horâ mortis euidenter appropinquante, id ſtudioſiſſimè agere conuenit. Quiſquis igitur Deum pie colis, dum morbo correptus mortem iam vicinam expectas, vide vt ad felicem exitum ſedulò te præpares.

2. *Reijciat curas ſæculi, Viaticum petat, Deo ſe reſignet.*

Expedi cor tuum à curis & ſollicitudinibus huius ſæculi, Sacramenta pro viatico gratâ mente ſuſcipe, & animam tuam Deo commenda.

3. *Paſſionem Chriſti pro ſe offerat per fidem viuam.*

Recole paſſionem pijſſimi Redemptoris tui: beatam eius crucem in ſpiritu amplectere: oſculare roſea illa Vulnera, teque totum in eis imprime: vt ibi abditus, feliciter euadere poſſis omnes diaboli laqueos & inſidias. Roga Ieſum, vt ſuo pretioſo Sanguine te abluere, vniuerſaque peccata tua delere dignetur. Pro meritis bonorum operum quæ tibi deſunt, offer Deo Patri merita illius, offer ſacratiſſimam conuerſationem, paſſionem, & mortem ipſius: offer merita dulciſſimæ eius genitricis Mariæ, ac Sanctorum omnium. Ita enim fiet, vt tu qui ex te miſer, pauper, ac nudus es, ornamentis ſpiritualibus mirificè decoratus appareas.

4. *S. Mariam alioſq; Sanctos inuocet.*

Commenda te ipſi benigniſſimæ Virgini Deiparæ, ceteriſque cæli ciuibus, illis potiſſimùm quorum venerationi peculiariùs fuiſti addictus: certò credens, eos tuam orationem, piumque animi tui affectum agnoſcere. Sanè ſi Mariam ex corde inuocaueris, ſi ad eam humiliter & confidenter te conuerteris, ipſa introitum regni cæleſtis, quem tua iniquitas iuſtitiaque diuina tibi fortè occludebat, aperiet. Mater enim miſericordiæ, & porta paradiſi eſt.

CAPVT II.

Proteſtatio morituri; quâ ſe confirmat contra tentationes, & vt aſſiſtentes ædificet.

Laudat hanc proteſtationem R. P. Antonius Balenghem lib. 2. de Orat. iaculat. cap. 4. Adhæc cum præclaro Bloſij elogio Reu. P. F. Didacus Yepes à Confeſſionibus Philippi II. Hiſpaniarum Regis Catholici, narrat in morte Regis, Regem ipſum totam hanc proteſtationem Hiſpanicè moribundâ voce pronuntiaſſe. Similem huic moribundi Proteſtationem reperiet pius Lector apud R. P. Antonium Sucquet lib. 3. Viæ vitæ cap. 25.

1. *Veniam offenſarum petere, & viciſſim dare.*
2. *Agnoſcere peccata ſua cum dolore, & petitione indulgentiæ.*
3. *Fiduciam in miſericordiâ Dei collocare, propter Chriſti merita & paſſionem.*
4. *Ore profiteri, & corde amplecti fidem Catholicam, eiuſque ſymbolum.*
5. *Proteſtatio, quâ infectum ſtatuit & cupit, quidquid morbi violentia, aut tentatio indeliberata voluntati extorſerit.*

1. *Vtilis proteſtatio morituri.*

VALDE vtiliter hanc aut ſimilem proteſtationem facies:

Ego

Petit, & dat veniam offensarum.

Ego peccator indignißimus, redemptus pretiosißimo Sanguine Domini nostri Iesu Christi, palàm profiteor me sincero corde ignoscere omnibus, qui quouis modo mihi iniuriam vel molestiam aliquam vmquam intulerunt: & humiliter rogo tam præsentes quàm absentes, omnes, vt mihi vicißim ignoscant & dimittant si in aliquo eos offendi.

2. *Agnitio peccatorum cum dolore & petitione veniæ.*

Agnosco me hactenus non vixisse purè nec sanctè coram Domino, sicut viuere debueram: agnosco scelera mea multa nimis: agnosco culpas & negligentias meas infinitas. Agnosco quidquid mali per omnem vitam commisi, & supplici mente à misericordißimo Domino Deo nostro veniam peto: dolens quòd vmquam eum offenderim, & proponens deinceps vitare peccata.

3. *Excitat fiduciam in Deo.*

Quamuis autem grauiter & multis modis hactenus deliquerim, non tamen diffido de omnipotenti & benignißimâ misericordiâ ipsius Redemptoris mei: sed spero me per meritum paßionis, & mortis eius, non autem ita per merita mea, participem futurum æternæ vitæ atque hereditatis. *Per Christũ & passionẽ, ac mortem eius.* *Ego ipsam paßionem eius sacratißimam, pro refugio munimentoq́; tutißimo habeo: ego eam inimicis meis inuisibilibus semper & vbique, tamquam armaturam inexpugnabilem, obijcio; eam sanctæ Trinitati pro meritis, quæ mihi desunt, & pro perfectâ satisfactione de peccatis meis offero.*

4. *Fidem Catholicam profitetur Symbolo.*

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ: & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Mariâ virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remißionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam, Amen.

5. *Protestationis formula valdè commendanda morituris.*

Protestor coram ipso omnipotenti Deo, & coram totâ curiâ cælesti, me cupere & velle in eâ fide vitam hanc finire, in quâ conuenit obedientem sanctæ matris Ecclesiæ filium mori. Protestor me credere vniuersa quæ ipsa Catholica fides continet, & quæ à veris Orthodoxisq́; Christi fidelibus credenda sunt. Quòd si vel impugnatione diaboli, vel violentiâ morbi pressus, aliquid huic proposito contrarium cogitarem, loquerer aut facerem: † iam illud reuoco, & contestor me nullo modo consentire talibus cogitationibus, verbis, aut operibus. Gaudeo, & gratias ago misericordißimo creatori & Saluatori meo, cuius ineffabili pietate me in sanctâ fide Christianâ moriturum confido. In manus eius sanctißimas animam & corpus meum nunc & in horâ mortis meæ commendo.

† Tametsi fortè apud D Thomam 1.2. q. 73. circa art. 8. Doctores disputare possent, an voluntarium vel inuoluntarium per eiusmodi protestationem præcedentem possit afficere aliquem actum sequentem, tamen videtur clarum & certum, placere Deo formulam eiusmodi protestationis, quâ quis ex vehementi execratione peccati, quando est extra tentationem positus, coram Deo, sincero corde reuocat quidquid fortè ex fragilitate suâ aut tentationis violentiâ, vel indeliberatè, vel etiam deliberatè pòst esset in Deum commissurus. Hoc credendum est voluisse Dauid Psalmo 29. *Ego autem dixi in abundantiâ meâ: Non mouebor in æternum.* Item Gen. 22. Alligatio & vincula Isaac ante sacrificium sponte suscepta, protestatio quædam fuit Deo grata, quâ potestatem sibi adimebat resiliendi ab obedientiâ, si fortè gladio patris aut mortis terrore in priore voluntatis proposito nutare contingeret.

CAPVT III.

De mortis formidine moderandâ.

1. *Mortis metus naturalis est, & in omnibus etiam sanctißimis inueniri solet.*

2. *Eo non obstante, solent fideles mortem à Deo acceptare fortiter: atque vt hoc doceret, etiam ipse Christus metum illum voluit assumere.*

3. *Patientia in angustijs morbi & mortis sedulò conseruanda.*

4. *Mors non debet à nobis grauatè acceptari, cùm eam pro nobis Christus acceptauerit.*

Si in te fluctuat & metu concutitur naturæ infirmitas, si tristitiâ deprimeris, & horror mortis sese ingerit: non propterea existimes te à Deo derelictum esse, vel ad eum non pertinere. Nam plerique etiam magnæ sanctitatis viri ac feminæ, morte imminente*, pauorem (Deo id vtiliter permittente) sentiunt: plerique per huiuscemodi formidinem à leuibus quibusque culpis purgantur. 1. *Mortis metus, etiam in sanctis.* *Habes exemplum Christi & S. Hilarionis in Vitâ eius per S. Hieronymum, & aliorum quos pauor in morte aggressus est.*

Ipsi iusti, qui mortem propinquâ timent, eamdem, quam timent, parati sunt per humilem mentis fortitudinem, & per sincerum Dei amorem suscipere: comparandi nimirum egregijs militibus, qui prælium commissuri, & pauore percelluntur, & tamen pugnam constanter ineunt. 2. *Cum quo tamen acceptare possumus mortem libenter.* Christus Iesus volens cõsolari quoslibet electos suos, qui ex fragilitate humanâ ad mortis expectationem tædio affecti tristes sunt & trepidant, transtulit in se eorum infirmitatem, quando imminente passione pauens ac mœrens dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Math. 26. *Exemplo ipsius Christi Domini.* Non ergo te à Deo alienum esse existimes propter mœrorem quo grauaris. Transit ipsa tristitia cum fine: veniet lætitia sine fine.

3. *Patientia in angore mortis cum spe bonâ & resignatione.*

Quamuis dolorum aculei pungant, & cruciatus vndique torqueant: tu tamen patien-

tientiam serua, & persiste in sanctâ spe, sanctâque erga Deum fiduciâ. In omnibus abnega te, & trade ipsi Domino, subinde dicens id quod Redemptor tuus sub mortem

Matth. 26. Consolatio dulcissima.

angustijs pressus dicebat, *Pater, fiat voluntas tua:* sic enim requiem atque refrigerium inuenies. Memento quia *siue viuimus, siue morimur, Domini sumus:* & siue viuimus, siue morimur, in illo benè nobis erit, si nos vnitatem Ecclesiæ Catholicæ retinentes, pij atque humiles sumus. Erigant animũ tuum verissima hæc verba Domini Iesu. *Qui credit*, inquit, *in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.*

Rom. 14.

Ioan. 11.

4. *Christus prægustauit mortem, vt nobis dulcesceret.*

Non tibi videatur durum corporaliter mori, cùm ipse Christus mortem carnis subierit. Ille præcessit, & veluti viam strauit, commodamque reddidit, ne te pigeret sequi: illius igitur mors mortem tuam soletur. Precare eum, vt illâ suâ pretiosissimâ morte tuam vndique contegat, muniat, sanctificet, & sibi gratam reddat. Corpus istud corruptibile quod relinquis, velut amarus cortex nucis est, vile ac sordidum animæ vestimentum modò est. Quid ad te si computrescat, si in cinerem & fauillam redigatur, vbi illud deposueris? Securus exue vestem, quam Deus tuus aliquando restituet tibi integram, fulgidam, atque incorruptibilem. Qui Deum perfectè diligunt, resolutionem suam cupidè expectant, etiamsi non sine aliquo timore & mœrore ad eam fortè perueniant. Quilibet talium istud cum grandi affectu Deo dicere potest: *O Domine, quando, te permittente, corpus meum reuertetur in puluerem, & anima mea liberè refluet in te suam originem?*

CAPVT IV.

Contra anxietatem ortam ex incertitudine salutis post mortem obtinendæ.

1. Sufficere debet fideli morituro certitudo ea, quâ scit, Deum posse & velle saluare omnes humiles & bonâ voluntate præditos.

2. Purgatorium timendum, sed cum resignatione in diuinum beneplacitum, si nos eò volet relegare.

3. Sanctæ animæ nollent cælum ingredi, nisi plenè purgatæ.

4. Oratio pro defunctis multùm prodest ad eorum liberationem.

1. *Certum est Deum posse & velle saluare humiles.*

FORTE hoc te angit, quòd ignores quomodo te migrantem Deus excepturus sit, vtrùm ad æternam paradisi requiem, an ad transitoriam Purgatorij pœnam. Non est necesse te aliquid horum scire. Sicut tibi placet dulcedo diuinæ misericordiæ peccata dimittentis: ita displicere non debet pulchritudo diuinæ iustitiæ peccata expiantis. Perfecti viri, quò dignius emendare possent quidquid in benignissimum Redemptorem suum commiserunt, parati essent non solùm ad purgatorium, verùm etiam ad † infernum descendere, si diuinæ iustitiæ decor id omnino exigeret. Ista certitudo tibi sufficiat, quòd habeas Dominum pijssimum, qui & potest & vult saluare te, si humiliatus confidas in eo, non in te. Multùm illi placemus, quando voluntatem eius ita diligimus, & prouidentiæ ipsius tam plenâ fiduciâ nos in spiritus humilitate committimus, vt etiam nescire gaudeamus, quid ipse circa nos agat. Tu igitur eius dispositioni te totum credens, mortem lætus expecta. Quâ præsente, egredere securus ad Patrem clementissimum, exoptans vt non minùs in æternitate, quã in tempore vtatur te quemadmodum voluerit. Egredere, inquam, non tamquam carceri crudeliter ab eo mancipandus, sed tamquam sinu misericordiæ piè suscipiendus atque fouendus.

Ama iustitiam Dei non minùs quàm misericordiam.

Talis resignatio parit securum exitum.

2. *Purgatoriũ cum resignatione timendum.*

Quod attinet ad Purgatoriũ, sanè illę quoque animæ, quæ non admodũ multa purganda secũ hinc deferunt, dolent plurimum quòd non satis purè vixerint, vnde & à perfectis regni cælestis gaudijs percipiendis retardari debent, quæ retardatio eas valdè affligit. Nam corporibus exutæ, cùm iam Deum clariori intellectu cognoscant quàm hic cognoscebant, ob idque auidiùs eum appetant, non possunt non vehementer cruciari ex dilatione tam ineffabilis boni. Licet verò pœnas suas (quibus iuxta modum culparum nondum expiatarum torquentur) non ament, nequaquam tamen eas inuitè tolerant: neque enim voluntatem à Deo auersam habent, sed libenter diuinæ iustitiæ consentiunt. Sanè de adipiscendâ post earumdem pœnarum finem æternæ beatitudinis gloriâ certæ sunt, nec ad hanc vitam (in quâ multa peccandi pericula sunt) redire vellent.

Affligit ob dilationem visionis Dei, quæ est pœna damni grauissima.

Libenter ab animabus in Purgatorio toleratur.

Sed & (vt ita dicamus) si liber eis pateret introitus ad ipsum regnum cæleste, cum gratiosâ reuerentiâ subducerent sese, & ingredi nollent quousque per plenam purga- 3.

3. *Nollent intrare cælum, nisi perfectè priùs purgatæ.*

† Nulla resignatio aut charitas tanta esse potest, vt quis paratum se offerat ad vllam culpam vel flagitium; sed, saluâ semper manente gratiâ Dei citra peccatum, potest sese quiuis charitate ardens promptum offerre Deo ac resignatum ad quasuis pœnas aut supplicia, etiam apud inferos æternum duratura, si hoc sine vllo peccato nostro Deus decernere vellet. Estque ille modus, quo Reuerendissimus Antistes Antuerpiensis Ioannes Malderus, & passim Doctores apud D. Thomam 2.2.q.26.art.4. explicant resignationem Moysis Exodi 32. & Apostoli Pauli Rom. 9. quando ille offert sese vt deleatur de libro vitæ; iste, vt anathema fiat. Non enim offerunt sese vt vel leuissimam culpam admittant, sed vt pœnam quamuis grauissimam subeant, si ita Deo videatur.

tionem tantâ felicitate dignæ redditæ forent: scientes nihil inquinatum illi summæ puritati perfectè coniungi copularique debere. Quælibet earum dicit id quod fidelis quisque in tribulatione constitutus dicere solet, videlicet: *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum:* expectabo Deum saluatorem meum, *educet me in lucem*, & *videbo iustitiam eius.* Mich. 7.

4. *Oratio viuorum & Missæ pro defunctis.* Porrò pius & suauis Dominus ipsas electorum suorum animas, quas post mortem carnis adhuc purgari necesse est, in tantum diligit, earumque liberationem tam ardenter desiderat, vt, si nos benignâ charitate moti, pro illarum absolutione fideliter precemur, & adorandam sancti altaris Hostiam, siue merita Christi Iesu, vel psalmodiam, aut quælibet alia salutaria offeramus peragamúsve, hoc non minùs gratum habeat, quàm si eumdem Dominum nostrum carcere conclusum consolationibus releuare atque adiutorio liberare studeremus. Ipse enim dixit, Quod *fecistis vni ex meis minimis, mihi fecistis.* Matth. 25.

CAPVT V.

Expectatio cælestis beatitudinis, viæ nostræ solatium est.

1. *Spes beatitudinis cælestis maximè exhilarat fideles Dei amatores.*
2. *Vt ad illam perueniant, mors eis optabilis est.*
3. *Admiranda consolatio animæ fidelis è corpore piè egredientis.*

1. *Solatium viæ, est spes patriæ.* NIHIL est quod fidelem amantemque animam in præsenti exilio magis exhilaret, quàm quòd sperat se (postquam huius vitæ stadium emensa fuerit) peruenturam ad beatum illum sinum æternæ pacis: vbi nullo ampliùs vitio inquinabitur, vbi nullâ tentatione, nullo timore, nullo periculo, nullâ anxietate, nullâ rerum vicissitudine affligetur; vbi plenâ charitate Deum absque aliquo impedimento, absque labore, absque fatigatione, absque fastidio laudabit; vbi per omnia illi placebit, vbi denique tota illum possidebit, & ab illo tota possidebitur.

2. *Ideoq; mors optatur, vt ingressus ad veram vitã & reditus ab exilio ad patriam.* Cùm hæc in vitâ præsenti stabiliter & integrè haberi non possint, meritò mors ipsa iustis optabilis, vel certè tolerabilis est. Sentiunt enim quàm sit grauis vitæ mortalis hiems, ob idq; æstatẽ vitæ immortalis desiderant. Vere tristis hiems est hæc vita, quã corruptionis propriæ torpor constringit, quam ignorantiæ caligo obnubilat, quam tot molestiarum, tot laborum, tot ærumnarum imbres irruentes quotidie atterunt. Qui premente hieme afflicti suspirant, vbi æstas aduenerit, & vmbrâ mortalitatis inclinatâ dies æternitatis aspirauerit, acceptâ consolatione gaudebunt. Cant. 2. Cant. 4.

3. *O beata mors animæ velut sponsæ ad nuptias abeuntis!* Beata illa anima, quæ audiens vocem sponsi dicentis, *Ecce venio citò*, mox exhilarata respondet, *Veni Domine Iesu.* Et felix illa hora, ac tempus illud optatissimum, quando ipse cælestis sponsus animæ sanctæ de carcere corporis egredienti lætus occurrit, eamque blandâ allocutione inuitat, dicens: *Surge, propera, amica mea: iam enim hiems transiit, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terrâ nostrâ, vineæ florentes odorem dederunt, & vox turturis audita est in terrâ nostrâ. Egredere cum iucunditate, filia charissima, nihil trepides, nihil expauescas: euadis exilium, relinquis miseriam calamitosi sæculi. Non iam erit dolor, nec gemitus, deinceps corpus quod corrumpitur non aggrauabit animam: introducta enim in gaudium Domini tui, de incorruptionis munere sine fine lætaberis: exultabis, & cantabis æternum Alleluia in gloriosâ ciuitate, ac beatâ domo mea.* Sic videlicet merebitur in exitu suo consolari anima perfecta, & sponsa casta, quæ non hoc sæculum, sed Deum diligit. Apoc. 22. Cant. 2. Apoc. 21. Sap. 9. Matth. 25.

CAPVT VI.

Cælestis patriæ contemplatio.

1. *Felicitas patriæ cælestis:*
2. *Ex visione Dei beatificâ,*
3. *Ex aspectu Christi, B. Virginis, ac sanctorum Angelorum & hominum;*
4. *Ex cognitione rerum omnium quæ in Deo relucebunt;*
5. *Ex dotibus corporum gloriosorum, & elementorum renouatione.*
6. *Pulchritudo mundi visibilis imago quædam est futuræ gloriæ:*
7. *Quidquid enim in hoc mundo delectat, longè feliciori modo erit in cælo.*
8. *Istum ergo mundum contemnamus, ad futuram vitam anhelemus.*

1. *Meditatio patriæ cælestis, in quâ est omne bonum.* O Cælestis Ierusalem! ô patria dulcis & amabilis! patria claritatis immensæ, quam ipse Deus lux vera, lux increata illuminat, in quâ etiam tot sunt quasi soles, quot sunt Angeli & electę animæ, de te quid scribitur? quid dicitur? quid creditur? In te est perfecta cognitio omnium quæ scienda sunt, & quæ creatura rationalis scire appetit: in te est pax & requies omnem sensum exuperans: in te est dies sempiternus, & vnus omnium spiritus: in te est certa securitas, & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & tran- Philip. 4.

tranquilla felicitas, & felix suauitas, & suauis iucunditas: in te est omne bonum.

2. *Visio beatifica Dei & fruitio, de quibus D. Thomas 1. 2. q. 3. art. 4.* O quantum gaudium, quantus sincerissimæ voluptatis torrens nobis erit, videre Deum sicuti est, clarissimè contemplari illam incomprehensibilem gloriam, inæstimabilemque illam pulchritudinem fulgentissimæ Trinitatis, & perfectè gustare ineffabile illud nectar diuinæ dulcedinis ac suauitatis! liberrimè amplecti Deum, plenissimè frui Deo! habere eum intus in nobis præsentem tamquam vitam nostram, sentire in substantiâ animarum nostrarum inhabitantem, & inundantem Diuinitatem *Psal. 45.* sicut fluminis impetum!

3. *Aspectus Christi, Deiparæ, Angelorum, Sanctorum.* Iucundissimè aspicere illud præcellentissimum ipsius Diuinitatis templum, videlicet Corpus Christi gloriosum! iugiter intueri gratiosissimam eiusdem Vnigeniti Dei matrem, cælique Reginam inclytam virginem Mariam! cum eâ & cum Angelis omnibus, atque cum ceteris cæli ciuibus perpetuum habere consortium, ac singulos distinctè *Iucundissima cognitio creaturarũ.* penitusque cognoscere! omnium denique rerum creatarum genera, species, naturam, vires, ordinem, & quidquid ad mundi perfectionem seu decorem attinet, exactissimè scire, apertissimeque speculari!

4. *Omnia videt Deum videns.* Maius est intueri Creatorem, quàm vniuersam creaturam: qui Creatorem videt, quod maius est, creaturam quoque eius intuetur, quod minus est. Hinc beatus Gregorius ait: † *Animæ videnti Creatorem, angusta est omnis creatura.* Et rursum, *Animæ*, inquit, *sanctæ in cælo, quia intus claritatem Dei vident, nullo modo credendum est aliquid* *Diuersi sunt gloriæ gradus cum charitate & sine inuidiâ.* *foris esse quod ignorent.* Profectò, Deum sicuti est vidisse, est omnia didicisse. In illâ preclarâ Dei ciuitate etiam minoris gloriæ ciues prædicta omnia pro suo captu ac modulo obtinebunt: nam & beatâ Dei visione in æternum viuent, & castâ eius dilectione in æternum perfruentur, & cum ipso feliciter in æternum regnabunt. Propter minus meritum ibi non dicetur, nec erit aliquis imperfectus: quia quod quisque in se non habebit, hoc per charitatẽ in alijs possidebit. Quid plura? Omnes ibi pleni Deo erunt, & immersi atque absorpti delicijs gloriæ eius, nihil vlteriùs appetent. Quod habebunt, numquam fastidient: semper enim illud desiderabunt, & tamen illo semper satiabuntur. Simul hæc duo erunt, ardens desiderium, & plena satietas. Ceterùm ipsi electi *Datur beatitudo animæ ante resurrectionem carnis Apoc. 6.* Dei in cælum translati, felicitatis æternæ præmia ante resurrectionem cumulatissimè in animâ percipiunt.

5. *Dotes corporis gloriosi, & cælorum ac elementorum renouatio.* Post iudicium verò illa etiam in carne percepturi sunt, quando scilicet corpora eorum iam immortalia, incorruptibilia, pura, suaueolentia, agilia, subtilia, clara, ac fulgida, vestientur gloriâ indicibili. Tunc cæli quoque & elementa, id est, hæc sensibilis mundi machina, insolito decore renouata immutataque effulgebit; vt, sublatâ omni corruptione, semper maneat, & perpetuum periucundumque spectaculum Sanctis exhibeat.

6. *Mundus visibilis vmbra gloriæ futuræ.* Quisquis hæc legis, disce expetere beatissimum illum statum: disce supernam patriam amare, & ad eam frequenter suspirare. Ipsam oculis istis carneis modò videre non potes: sed crede, inuisibilia ac cælestia, visibilibus terrenisque incomparabiliter potiora, digniora, pulchriora, gratiora suauioraque esse. Visibilia enim & sensibilia quæ hîc sunt, imagines sunt illorum inuisibilium quæ sunt in cælo, in Deo. In illis inuisibilibus veritas, in istis visibilibus vmbra est. Sed quia nobis, qui de terrâ sumus, terrena sensibiliaque priùs cognita fuerunt, idcircò ipsa visibilia, res; inuisibilia verò, rerum similitudines æstimamus: reuerà tamen illa inuisibilia, res; ista autem visibilia, rerum similitudines sunt, quæ illis permanentibus transeunt. Ea quoque inuisibilia quæ creauit Deus, Angeli, & animæ rationales, si cum Deo comparentur, vmbra sunt.

7. *Quod hîc pulchrũ est ibi sublimiori modo reperitur.* Non putes aliquid eorum quæ hîc vides, & quæ te delectant, deesse in supramundanâ Ierusalem: sed crede, in inuisibili & intelligibili illo mundo esse omnia quæ in visibili & sensibili hoc mundo cordibus humanis placent. (Intelligibile dicimus id quod solo intellectu percipi potest: in quâ significatione etiam intellectuale plerumque apud sacros Scriptores ponitur; licet aliqui magis velint intellectuale esse id quod intelligit seu intelligendi virtute præditum est, sicut & frequenter vsurpatur.) Deus, qui origo, fons, exemplar, archetypum, idea, & ratio omnium est, omnia etiam est. Igitur quidquid in hoc mundo delectat, quidquid in hoc mundo est, in cælo est: & quod ibi est, longè sublimius, longè præstantius est, quàm quod hîc est. Omnis voluptas quæ hîc corpore siue sensibus corporis hauritur, non nisi remotissima, obscurissima, obtusissimaque imago est illius sincerissimæ voluptatis, quam spiritus rationalis spiritui increato vnitus persentit. In cælo verissima perfectissimaque rerum exemplaria sunt: multa vnum sunt, & vnum multa. Ibi omnia incorrupta & stabilia in æternum perseuerant.

† De visione creaturarum in Deo velut in speculo, citant Scholastici varios sanctos Patres apud D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. 9. 10 & plerumque ex S. Gregorio lib. 4. Dialogorum cap. 33. tum hæc, tum illa de Beatis omnia in Deo videntibus: *Quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?*

uerant. Hîc symbola quædam & signa verorum habemus tantùm, quæ cum tempore labuntur & prætereunt.

8. *Spretis ergo infimis & visibilibus, ad illa sublimiora & inuisibilia festinemus.*

Vnde pij omnes vltramundana illa, licet nondum visa, in hac peregrinatione diligunt; ista quæ vident & præsentia habent, contemnunt. Crede ergo quod non vides, vt meritò integræ fidei aliquando assequaris quod credideris. Id vbi, depositâ carnis tenebrosâ mole, obtigerit, tunc anima tua videbit bona cælestis Ierusalem longè meliori atque feliciori visu, quàm sit visus iste corporis: videbis enim sicut vident sancti Angeli.

CAPVT VII.

Quàm amabilis Deus.

1. *Omnis pulchritudo, omnis amabilitas in Deo plenissimè inuenitur:*
2. *Etiam in hac vitâ, ab ijs qui se Deo totos consecrant;*
3. *Quantò ergo magis in futurâ?*
4. *Desiderabilis valdè dies æternitatis.*

1. *In Deo omnis ratio amabilitatis inuenitur:*

O Deus meus! ô dulcis vita animæ meæ! ô vera salus mea! ô vnicum & æternum bonum meum, bonum summum atque incommutabile! quid volo, quid quæro, præter te? Nónne habeo omnia, si te habeo qui creasti omnia? Nihil vsquam charum est, quod tu non feceris. Ecce pulchritudo beatorum Angelorum, pulchritudo sanctarum animarum, pulchritudo corporum humanorum, pulchritudo animalium brutorum, pulchritudo cælorum, siderum, solis, lunæ, ignis, aëris, maris, terræ, plantarum, florum, gemmarum, metallorum, & colorum omnium, suauitasque sonorum, odorum, ac saporum delectantium, abs te est. Quidquid decoris, gratiæ, amœnitatis, elegantiæ, dulcedinis, virtutis, dignitatis, & opulentiæ est in creaturis, hoc totum in te abundantissimè, excellentissimè immarcescibiliterque consistit. Verè tu es summè pulcher, summè deliciosus, summè amabilis, & summè desiderabilis. Tu exuberantissimè in te contines omnem venustatem atque iucunditatem semper vernantem ac florentem, quæ tantò præstantior est illâ quam in rebus creatis cernere aut experiri possunt homines, quantò tu creator præstantior es quacumq; creaturâ tuâ. Tu omnium quæ delectabilia esse queunt superesfluens es plenitudo: tu puræ lætitiæ sanctæque voluptatis pelagus immensum. Tu lux indicibiliter serena, lux fulgida, lux decora, lux æterna & incircumscripta.

2. O! qui tibi etiam in præsenti exilio per eximiam cordis munditiã intimiùs vniuntur, quid vident? quid audiunt? quid olfaciunt? quid gustant? quid sentiunt? hoc nulla lingua exprimere potest. Amorosi amplexus, & delicata oscula, quibus vel mater tenello nato suo, vel sponsus dilectæ sponsæ suæ blanditur, non sunt nisi permodica quædam & tenuis vmbra illorum amplexuum atque osculorum, quibus animam te castè amantem afficis.

Imò & in hoc exilio; apud animas pias in vno Deo reperitur quidquid sparsim per creaturas pulchrũ & amabile.

3. *Sed longè gloriosius in patriâ. 1. Cor. 13.*

Quòd si tam beati sunt, & tam inexplicabilia percipiunt pauperes exules, qui te non nisi per speculum in ænigmate hîc vident; quàm beatos esse, & quàm ineffabilia percipere credere debemus gloriosos atque inclytos ciues regni tui, qui te vident sicuti es, qui mellifluam faciem tuam clarissimè contemplantur, qui abysso perennium deliciarum feliciter immersi, tibi perfectissimè vniuntur? Ipsi charissimi filij tui iam manifestè cognoscunt, atque in se penitus sentiunt, quantum tu Pater suauissimus eos diligas, & ab æterno dilexeris. Tu illis omnibus placidissimè præsides, omnes lumine claritatis tuæ iucundissimè illustras, in omnium cordibus familiarissimum gratissimumque colloquiũ iugiter habes, omnium affectus incomprehensibili charitatis dulcore pariter & ardore in te trahis, omnes deliciosissimâ tui fruitione tranquillas, lætificas, reficis, & satias; denique tu in illâ supernâ Ierusalem Deus sempiternus omnia es in omnibus. 1. Ioan. 3.

4. *Sola dies æternitatis desiderabilis est.*

O præclarum diem illum diem vnum, diem æternum, solum verum diem! de quo tu Domine Iesu sic locutus es electis tuis: *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* O diem votis ardentibus expetendum, in quo animæ sanctæ tibi vnitæ, & inenarrabili luce sapientiæ perfusæ, transformantur in claritatem sempiternæ gloriæ! Concede, obsecro mi Iesu, vt quamdiu in huius peregrinationis tenebris versor, oculos mentis ad illius diei fulgentissimum rutilantissimumque lumen apertos habeam, tibique Deo meo placeam. Ioan. 14.

CAPVT VIII.

Sanctæ Gertrudis doctrina experimentalis de beatitudine.

1. *Quomodo describat beatitudinem.*
2. *Loquebatur ex abundantiâ suauitatis cælestis, quam prægustauerat in terrâ.*
3. *Inenarrabilis & incogitabilis altitudo & lux Diuinitatis.*

1. *B. Gertrudis contemplatio de beatitudine.*

GERTRVDIS siue Trutha Ordinis monastici virgo, & eadẽ literata, Deoque fami-

familiarissima, scripturæ ista commendauit. * *O regio*, inquit, *illa beata & beatificans affluentijs beatitudinum! ager deliciarum, cuius minutissimum granum sufficientissimè satisfacere potest auiditati omnium electorum in diuersis, quæ humano cordi desiderabilia, amabilia, delectabilia & suauia possunt excogitari! O æternum solstitium, speciosa meridies, mansio secura, locus totum continens quod delectat! paradisus perennium deliciarum, præterfluens riuus inæstimabilium voluptatum, alliciens florigerâ vernantiâ omnigenarum amœnitatum, demulcens suaui sono, imò suauiter afficienti melodiâ intellectualium musicorum, inebrians resoluenti dulcedine internorum saporum, immutans mirâ blanditate secretorum amplexuum! Sed quid inde balbutire conatur mea impeditior lingua? cùm, etiamsi omnis Angelica & humana potentia in vnam conferretur scientiam, nequaquam ad plenum formare sufficeret vel vnicum verbum, quo tantæ excellentiæ eminentia in minimo dignè attingeretur aut exprimeretur.*

* Extant eadem ferè verba in Monili cap. 14. sub finem.

2. *Quod ipsa prægustauerat, eructabat de cæli gaudijs.*

Ceterùm ne quis arbitretur, hanc sponsam Christi Gertrudem talia quasi de rebus sibi nullâ prorsus experientiâ cognitis loqui, subiungemus quid ipsa alibi, gratias Deo agens, de se narret. *Cùm*, inquit, *cantaretur Responsorium* VIDI DOMINVM FACIE AD FACIEM, *mirabili quadam & inæstimabili coruscatione illustrata est anima mea luce diuinæ reuelationis.* * *Apparuit tamquam faciei meæ applicata facies quadam non formata, sed formans; non perstringens oculos corporis, sed faciem lætificans cordis; grata amoris munere, non colore. Ex hac mellifluâ visione cùm solares oculi tui, Domine Deus meus, oculis meis directè oppositi viderentur, qualiter tu suauis dulcedo mea tunc affeceris nõ solùm animam meã, verùm etiam cor meum cum omnibus viribus, tibi soli est notum: da proinde, vt quoad vixero, tibi persoluam famulatũ deuotũ. Ex ipsis Deificis oculis tuis, sensi per oculos meos intrantem lucem quamdam inæstimabiliter suauificam, quæ transiens omnia interiora mea, supra modum mirabilem virtutem in omnibus membris meis videbatur operari: primò quidem euacuans omnes medullas ossium meorum, hinc etiam ipsa ossa simul cum carne annihilans, in tantum, vt tota mea substantia nihil aliud sentiretur esse, quàm splendor ille diuinus; qui vltrà quàm dici possit delectabili modo in seipso colludens, inæstimabilem animæ meæ exhibebat serenitatis iucunditatem. O! quid ampliùs dicam de istâ dulcissimâ visione? quia, vt verum fatear, omnium linguarum eloquentia per omnes dies vitæ meæ mihi hunc præclarum modum te etiam in cælesti gloriâ videndi, numquam (prout mihi videtur) persuasisset, si dignatio tua, Deus meus, vnica salus animæ meæ, per experientiam me ad illum non admisisset.*

* Vide admirandam & prorsus inauditam exstasin sanctæ Gertrudis, quã nemo capere potest, nisi qui experitur; imò & qui experitur, explicare non potest.

3. *Lux ineffabilis Diuinitatis & incomprehensibilis.*

Eadem felicissima virgo Gertrudis, aliquando per spiritum intellexit, tantam & vsque adeò incomprehensibilem esse lucem Diuinitatis, vt si quilibet Sanctorum ab Adam vsque ad nouissimum hominem singularem perciperet cognitionem tam altam ac perspicuã, quàm altam perspicuamque aliquis vmquam percipere potuit; & alter cum altero suâ cognitione non participaret; etiamsi millies numerosior esset multitudo Sanctorum, adhuc tamen in infinitum ipsa lux Diuinitatis superaret omnem intellectum. Lux creata, tam spiritualis quàm sensibilis, participatione solùm lux est, illius veræ lucis typus & vmbra dumtaxat est.

Plura possemus adferre ex Sanctorum monumentis, quæ pias mentes ad amorem patriæ cælestis vehementer accenderent: sed hoc aliàs (si Deus voluerit) faciemus. Nobis enim in animo est, colligere * Psychagogiam ex scripturis beati Augustini Episcopi, & beati Gregorij Papæ, in quâ copiosiùs de felici statu ipsius supernæ Ierusalem tractabitur.

* Iam est data Psychagogia, quæ hic promittitur.

CAPVT IX.

Quomodo pius exercitator possit Deum contemplari.

1. *Contemplatio Dei summatim, quoad naturam, personas, & attributa in communi.*
2. *Speciatim, attributum Potentiæ & Bonitatis in creatione vniuersi;*
3. *Præsentiæ in omnibus rebus & locis;*
4. *Sapientiæ, per quam omnia scit, & prouidet, & gubernat.*
5. *Infinitatis, in essentiâ prorsus incomprehensibili.*
6. *Quomodo in se ex naturâ inuisibilis, per gratiam se exhibeat visibilem creaturis.*
7. *Immunitas ab omni compositione & concretione in Deo est.*
8. *Esse fontale, & solum verum.*
9. *Cur de Deo corporalia dicantur.*
10. *Immensus est, & nullo loco clauditur.*

1. *Quomodo reuerenter & circumspectè meditandum est de Deo.*

HIC aliqua expressiùs dicemus de Diuinitate, vt paruulis gratificemur. Quando Deus sincerè ac religiosè cogitatur, viua quædam & spiritualis substantia * cogitatur, omnem creaturam transscendens, prorsus intermina, omnipotens, summè perfecta, summè simplex, summè pura, summè elegans, summè iucunda, summè amabilis, summè gratiosa, summè suauis, summè deliciosa:

* Dei natura, essentia & substantia.

liciosa: substantia per se substantia, non aliunde esse habens, neque aliunde dependens: fons existentiæ his quæ sunt, fons vitæ his quæ viuunt, fons sensus his quæ sentiunt, fons rationis his quæ rationalia sunt, fons sanctitatis his quæ sancta sunt, fons luminis his quæ lucida sunt, fons perfectionis his quæ perfecta sunt, fons denique & causa omnibus bonorum omnium: fons omnis dignitatis & potentiæ, omnis virtutis & sapientiæ, omnis venustatis & gratiæ, omnis dulcedinis & lætitiæ, æterna plenitudo totius beatitudinis. Pij ita apud se philosophantur de Deo.* Et quidem Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non sunt tres dij, sed vnus Deus: vnus in substantiâ, trinus in personis. Gloriosa Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, * vnus est viuus ac verus Deus increatus, inuisibilis, infigurabilis, immaterialis, incompositus, impartibilis, indefluus, incircumscriptus, id est, neque loco, neque sæculo seu tempore terminatus, neque intellectu comprehensus, vtpote omnia replens, omnia velut ambiendo terminans, omnia sine ambitu concludens, super omnia existens. Ipse ergo illocalis est, suiipsius locus est: intemporalis est, sine initio, sine fine sempiternus est. Ipse est incommutabilis, nulli alterationi, nulli perturbationi, nulli passioni obnoxius: semper tranquillus, semper idipsum permanens. Sic dispensat tempora & quæque mutabilia, vt tamen ad eius æternitatem non accedant tempora, & ipse numquam mutetur.

* Trinitas in personis.

* Attributa Deitatis conglobata, de quibus Scholastici apud D. Thomã 1. part. per primas aliquot quæstiones.

2\. Factor est omnium sæculorum siue temporum, creator cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.* Non ex necessitate aliquâ, sed propter solam Bonitatem suam creauit omnia, dans rebus inanimis vt subsistant; plantis, vt subsistant & vitâ vegetatiuâ viuant; brutis animantibus, vt subsistant, viuant, ac sentiant; creaturis rationalibus, nempe Angelis & hominibus, vt subsistant, viuant, sentiant, atque intelligant. Sola Bonitas eius causa est naturalium proprietatum, & bonorum omnium quæ in creaturis sunt. Nam cùm boni proprium sit in alia se diffundere, & ipse Deus sit summè bonus ac substantiale bonum, deriuat suam Bonitatẽ in omnia, indulgens eiusdem Bonitatis suæ radios cuique creaturæ iuxta eius captum atque aptitudinem: quemadmodum sol iste visibilis illuminat & permeat omnia inferiora, vt quodque eorum luminis virtutisque solaris consortium ac participationem in se admiserit. Igitur Deus propter Bonitatem suam, omnia quæ existunt deduxit ad esse ex nihilo: & adhuc multò plura, imò verò innumeros mundos, si vellet, creare posset, cùm sit essentiæ pelagus infinitum.

Commitationes piæ & doctæ de Dei Potentiâ & Bonitate.

* Liberè Deus ex solâ bonitate creauit vniuersa, per varios effectus gradus.

† Ipse mundum istum pulchrum condidit, ad exemplar illius pulcherrimi mundi, quem in sapientiâ suâ habebat. Quemadmodum enim peritus architectus domum exemplarem materiâ carentem mente continet, ad cuius similitudinem efformat domum materialem, tamquam exemplum & expressionem illius archetypi quod mente gerit: ita rerum omnium opifex Deus in suâ æternâ scientiâ exemplares diuinasque ideas ac rationes habuit eorum quæ fecit: & quidquid ab eo creatum est, siue visibile siue inuisibile sit, quia semper ab eo cognitum fuit, ab æterno in eius mente atque intelligentiâ vixit. Hinc ait beatus Ioannes Euangelista: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Ioan. 1.
Quælibet ergo creatura priùs in Deo extitit, quàm in seipsâ.

Pulchritudo creaturarũ elucet in Deo velut in exemplari imago, & fabrica in architecto.

Non ita existunt in Deo res creatæ, sicut in propriâ naturâ: nam secundùm hanc sunt corruptibiles, mutabiles, & egenæ; in Deo autem nihil corruptibile, nihil mutabile, nihil egenum est. Cùm omnis creatura facta sit ex nihilo, ex se nihil est, & in nihilum mox redigeretur, nisi virtute & gratiâ Conditoris seruaretur. Omne enim quod esse cœpit, etiam suapte naturâ desinere potest. Separetur à rebus conditis quidquid corruptionem, imperfectionem atque indigentiam sonat; & iam elucescet quomodo sint in Deo. In cognitione Dei, siue in Deo, res omnes sempiternæ viuunt, & vita sunt. In essentiâ, inquam, Dei omnium rerum exemplaria sunt, & ipsa eadem diuina essentia omnium rerum vnum exemplar est. O quàm iucundum erit videre in illâ gloriosâ ciuitate, quomodo in Deo & multa vnum sint, & vnum multa!

De modo quo omnia in Deo præexistũt, quæ tamen ex nihilo facta & creata sunt.

Omnia ipsi Deo præsentia sunt, ipseque 3.
omnibus præsens est: longè tamen ab eorum sensu, qui impij sunt, abest. Sanctis peculiariter & eximiè adest: quia in eis tamquam in templo suo per salutarem gratiam habitat. Omnibus rebus inest præsentiâ, potentiâ, substantiâ: nullius tamen rei immunditiâ contaminatur. Nihil ei immundum est, præter peccatum, quo ipse etiam non inquinatur.

Deus vbique præsens, aliter Sanctis, aliter impijs.

† Quomodo in Archetypo idearum diuinarum omnis pulchritudo creaturarum exemplata sit, disputant passim Scholastici ex Philosophis & sanctis Patribus apud D. Thomam 1. parte quæst. 15. totâ, quæ est de ideis in Deo. Citatur S. Dionysius de Diuinis nominibus cap. 5. S. Augustinus locis valdè multis, explicans de ideis diuinis illud Ioannis 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Boëtius de Consolatione Philosophiæ lib. 3. Metro 9. alloquens Deum:

Terrarum cæliq; sator, tu cuncta superno
Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq; in imagine formans.

Sensi-

Nec tamen inficitur, aut mutatur.

Sensibiles rerum sordes non secundùm rationem, sed secundùm sensum dumtaxat sordes dicuntur. Quomodo autem Deus, qui æternâ stabilitate incommutabiliter in seipso semper manet, omnibus rebus à se conditis insit substantialiter, siue per essentiam, cùm tamen ipsæ res creatæ non sint in Deo per propriam naturam, (nam quidquid per naturam seu essentiam in Deo est, hoc est ipse Deus) sensus humanæ mentis in hac vitâ percipere nequit. Scimus & dicimus ita esse: quomodo verò id sit aut fiat, nescimus.

Ante creationē Deus erat in seipso.

Si quæritur vbi erat Deus antequam mundum conderet, rectè respondetur, quia in seipso erat, apud seipsum erat: & mundo condito apud seipsum est. Ipse ergo Deus vbique est: vbique sine situ, vbique sine sui diuisione totus est: non in paruis paruus, sed in paruis & magnis sine quantitate vel mole magnus.

4. *Dei sapientia.*

Scit omnino omnia: videt incorporeo oculo, & inscrutabili cognitione clarissimè cognoscit cuncta præterita, præsentia, & futura. Quando aliquis peccatum committit, Deus quidem illum peccaturum ab æterno præsciuit: non tamen ille ideò peccat quòd Deus peccati eius præscius fuerit; sed potiùs eum peccaturum Deus ideò præuidit, quia omnino ille prauâ suâ voluntate peccatum erat commissurus. † Præscientia Dei non tollit libertatem arbitrij nostri. Ipse accusandus non est dum iniquè aliquid agimus, licet præuideat quid acturi simus: quemadmodum is qui in speculâ constitutus videt aliquem properare ad locum ingentium periculorum, sponteque suam ipsius necem accersere, cognoscit sanè quò ille properet, non tamen ob id in causâ est quòd eò properet.

Dei præscientia non imponit necessitatē rebus.

Deus bonus bona præscit, vult & causat: mala verò tantùm præscit & permittit.

Deus malæ voluntatis est præcognitor, non auctor: bonæ verò voluntatis & præcognitor & auctor est. Ipse mala fieri permittit, non cogit: & quidquid permittit, rectè iusteque permittit, etiamsi nos permissionis eius ratio lateat. Ergo, sicut dicebamus, ipse omnia scit.

Omnia intuetur.

Penetrat abditissima quæque, & occultissimas cordium cogitationes intentionesque dinumerat. Non solùm honesta, verùm etiam inhonesta omnia purissimè pacatissimeque considerat. Quemadmodum enim sol, radijs suis cloacas illustrans, non earum sordibus inficitur: ita Deus citra aliquam sui iniuriam intuetur & agnoscit quidquit fit, quidquid dicitur, quidquid cogitatur.

Omnia prudenter gubernat per singularem prouidentiam.

Ipse sine labore regit omnia quæ condidit. Suâ admirabili prouidentiâ ordinat curatque minima & maxima, vilissima ac nobilissima: *attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter.* Sap. 8. Cuius sapientissimæ prouidentiæ suæ vestigia etiam ipsis rebus creatis indidit, vt illam in eis tenui quodam simulachro sese manifestantem agnosceremus. Videmus enim homines, iumenta, aues, & cetera animalia, naturali instinctu gerere curam fœtuum à se editorum: illis parare lectulos, cubilia, nidos: eos alere, fouere, protegere. Quantâ diligentiâ inuigilat mater, ne infantulus suus, qui per se nondum satis tutè graditur, corruat, & se lædat! Quin & plantas atque arbusta conspicimus foliculis, testisque duriusculis concludere ac veluti circummunire suos fructus. Si tantâ prouidentiâ relucet in creaturis, quæ symbola veritatis sunt; quantam credere debemus esse in ipsâ veritate, nempe in Creatore? Quis hæc attendens non laudabit Deum, non ei ex intimis animæ suæ medullis gratias aget, non se totum dispositioni eius liberè committet ac tradet?

5. *Infinitudo & incomprehensibilitas Dei.*

Ipse Deus suâ potentiâ, suâ sapientiâ, suâ bonitate, exuperat omnium hominum atque Angelorum intellectum. Incircumscripti enim & infiniti Dei, incircumscripta atque infinita est potentia, sapientia, & bonitas: ob idque neque homo, neque Angelus (qui circumscripti finitique sunt) eam comprehendere possunt.

Solus Deus sese ipsum comprehendit.

Solus Deus integrè ipsam suam potentiam, sapientiam & bonitatem, siue seipsum comprehendit atque cognoscit: ipse suiipsius deliciosissima, substantialis, perpetuaque fruitio, & sibiipsi intermina atque incommutabilis beatitudo.

6. *Inuisibilis Deus ex se, visibilis ex gratiâ per lumen gloriæ in cælo, vbi Sancti vident Deum sicuti est, sed finito modo.*

Sancti Angeli, sanctæque animæ in cælum receptæ, vident quidem Deum sicuti est, & cognoscunt eum pro suo captu gradùque; non tamen prorsus ipsum Dei secretum intuentur, non plenè Deum comprehendunt. Infinitum Deum non infinitè, sed

† Reu. P. Leonardus Lessius in docto & pio Opusculo de Attributis diuinis, & R. P. Gabriel Vasquez Commentarijs in 1. partem D. Thomæ, confirmat & illustrat ex Scripturâ, sanctis Patribus, Concilijs orthodoxis, quæcumque hîc pro solido fundamento deuotæ pietatis de Deo Deique attributis adferuntur à R. D. Blosio Theologica dogmata. Esto exemplum in hoc dogmate pro consolatione anxiorum ob Dei præuisiones, quæ videntur necessitatem liberæ voluntati imponere. Citat Vasquez disput. 68. cap. 6. S. Iustinum quæst. Gentiliū 58. *Nec causa est, eius quod futurum est, prænotio; sed quod futurum est, causa est prænotionis.* & S. Augustinum lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 32. *Neque enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præcedant.* & Seuerinum Boëtium lib. 5. de Consolatione Philosophiæ prosâ 4. vbi inter multa sic ait: *Præcognita liberos habent euentus. Nam sicut scientia præsentium, nihil his quæ fiunt; ita præscientia futurorum nihil his quæ ventura sunt, necessitatis importat.* Si verò pius Lector seu de hoc seu de alijs Dei attributis plura, pro suo gustu aut fructu volet, quàm hîc solidè & floridè prolata à Reu. D. Blosio, tum ex nominatis duobus Doctoribus, tum ex alijs petere potent.

sed finitè cognoscunt. Non omnia, quæ in Deo sunt, & in Deo videri scirique possunt, (ab ipso enim Deo videntur & cognoscuntur,) vident aut sciunt: id namque creatæ finitæque intelligentiæ captum excedit. Secundùm hunc sensum accipiendum est illud quod dicere solemus, Deum vidisse, est omnia didicisse. Omnia sanè: non tamen sic omnia, vt is qui substantiam Dei videt, dici propterea debeat, omnia, quæ in illâ relucent, & quæ cognoscit Deus, cognoscere: hoc enim esset, scientiam creaturæ æqualem scientiæ Creatoris esse. Qui videt Deum, licet intueatur & agnoscat omnia quæ creauit Deus, non tamen intuetur neque cognoscit omnia quæ creare potest Deus. Verba beati Pauli Apostoli, quibus in calce prioris Epistolę ad Timotheum asserit, *1. Tim. 6.* nullum hominum Deum vidisse nec videre posse, sic aptè intelligimus, quasi diceret, nullum hominum Deum comprehendisse nec comprehendere posse: quamquam ita etiam accipi ea verba possunt, vt sensus sit, nullum hominum vitâ sensitiuâ in hoc exilio viuentium Deum vidisse, nec videre posse. Si concedendum est, aliquos in hac peregrinatione substantiam Dei vidisse; etiam concedendum erit, eos interim, dum Dei essentiam contuebantur, † vitâ sensitiuâ non vixisse.

In hac vitâ non videtur, nisi per alienationem à sensibus.

7. *In Deo nec accidentia, nec partes vlla, nec compositio est.*

Porrò in Deo nihil accidentarium est. Bonitas, iustitia, sapientia, non accidentaria, sed substantialis ei adest. In nobis illa accedunt & abscedunt, at non in Deo, qui inalterabilis immutabilisque est. Ipse summè simplex est, ob idque in eo non est aliud esse, atque aliud bonum, iustum, sapientem esse: non est aliud in illo bonitas, iustitia, sapientia, & aliud essentia. Non aliud est ipse, atque aliud quod in ipso est: non inquam est aliud Deus, & aliud quod Dei est.

8. *Esse Dei fontale, inenarrabile.*

Et tamen quid omnino sit illa simplicissima, immutabilis, & æterna Dei substantia, quæ omni substantiâ superior est, quid omnino sit diuinum illud ens quod omnia entia excellit, nos neque dicere neque comprehendere possumus.

Faciliùs quid non sit Deus, quã quid sit dicimus; quã Theologi vocãt Viam per negationes.

Conuenientiùs itaque quid non sit, quàm quid sit ipse supersubstantialis & superintellectualis spiritus Deus, enuntiamus: semper agnoscentes, Deo inferius esse quidquid de eo dicere vel comprehendere potuerimus. Sed quem inuestigando non vt est inuenimus, amando complectimur: ipse enim charitas est.

Solus verè est, cætera ad eũ comparata, non sunt & nil sunt.

Essentia diuina essentias rerum creatarum tanto interuallo exsuperat, vt hæc cum Deo collatæ, non-entia potiùs quàm entia, dici debeant. Entia quidem, quia à summo Ente profecta sunt: non-entia verò, quia ex se nihil sunt, ex se mutabilia sunt, & ab immensitate atque perfectione incommutabilis Dei in infinitum distant & deficiunt. Deus solus verè ac propriè est, qui non ab aliquo est, qui nec exordium nec finem habet, neque vmquam mutatur. Propterea dicebat famulo suo Moysi: *Ego sum qui sum. Dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos.* Exod. 3.

9. *Corporalia per metaphoram de Deo enuntiantur velut ἀνθρωποπαθῶς.*

Quòd sacra Scriptura multa de ipso incommutabili & incorporeo Deo mutabiliter corporaliterque enuntiat, hoc vtique facit, vt nobis, qui infirmi sumus, sese accommodet. Deus in illâ veluti balbutire dignatur, vt à paruulis balbutientibus intelligatur. Neque enim ad intellectualia & diuina aliter commodè subuehi possemus, quàm per verba nobis familiaria domesticaque. Attribuuntur itaque Deo oculi, aures, os, manus, pedes, somnus, obliuio, ira, furor, & consimilia; vt spirituales eius operationes virtutesque significentur. Eâdem ratione talia etiam Angelo & animæ humanæ plerumque accommodantur.

10. *Situs & localia, cùm sit immensus.*

Eâdem quoque ratione, illocali Deo locus adscribitur. Nam locus siue sedes Dei metaphoricè dicitur, vbi aliqua singularis & perspicua eius operatio fit: † veluti est cælum, mens iusti, & templum diuino cultui dedicatum. In templo enim Diuinitati consecrato diuinæ laudes decantantur, diuina Officia peraguntur, & diuina celebrantur mysteria, admirabili stupendáque Dei operatione ac virtute commendatissima: ibi thesaurus ille thesaurorum omnium dignissimus sacra Eucharistia asseruatur. Quæ quidem Eucharistia non figura veri corporis Christi, sed ipsum verum Corpus Christi est. Rectè tamen religiosa eius perceptio dicitur figura futurorum: quia in futurâ vitâ non sub accidentariarum specierum velamento participes erimus Diuinitatis, sicut modò; sed facie ad faciem Deum contemplantes, Diuinitate perfectè satiabimur. Tempore vitæ præsentis in sumptione ipsius adorandæ Eucharistiæ, pignus futuræ gloriæ nobis datur.

† Beatam Virginem Mariam, Apostolum Paulum, Moysen ferè pro exemplo adferunt, quando agitur de visione Dei in hac vitâ. Alij adeunt Adamum, S. Augustinum, S. Benedictum Patriarcham nostrum; de quibus vide R. P. Gabrielem Vasquez in 1. part. q. 12. art. 15. Vtrùm aliquis in hac vitâ possit videre Deum per essentiam; vbi totâ disput. 55. & 56. de hac necessariâ à sensibus abstractione ad Dei visionem in hac vitâ, & de modo illius disserit.

† Si Deus ob singulares operationes in antiquo Testamento dicebatur peculiariter esse in Arcâ aut templo Salomonis, quantò magis in cælo, in animâ iustorum; & in Ecclesijs Catholicorum, ob præsentiam sacramentalem & veram in Eucharistiâ?

CAPVT

CAPVT X.

Trinitatis mysterium piè & Catholicè explicatur ad captum simplicis contemplatoris.

1. *Quomodo concipi debeat distinctio personarum in vnâ simplici naturâ Diuinitatis.*
2. *Communia quædam omnibus personis diuinis, non obstante earum distinctione.*
3. *Propria & peculiaria personarum singularum, prout inter se distinguuntur.*
4. *Iucunda societas & communicatio inseparabilis earum ad inuicem.*
5. *Debent hæc etiam à simplicioribus fidelibus piè ruminari: etsi non exigat ab eis Deus exactam torum intelligentiam, sed Catholicam reuerentiam & fidem.*

1. *Theologica explicatio de Deo vnitrino, conformis doctrinæ Scholasticæ & Symbolo Athanasiano. Distinctio personarũ cum vnitate naturæ.*

QVOD suprà paucissimis verbis perstrinximus de beatâ Trinitate, id repetitum diffusiùs explicare libet. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, non sunt tres dij, sed vnus Deus; vnus in substantiâ, trinus in personis. Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Tres sunt, & vnum sunt. Tres sunt personæ, dictæ à Græcis *hypostases*, id est subsistentiæ: at trium personarũ vna est essentia, vna Diuinitas. Latini interpretes sæpè vertunt hypostasim in substantiam: Theologi tamen Latini vsurpant substantiam pro essentiâ dictâ à Græcis * *Vsia*. In ipsâ Deitate & Trinitas vnitatis, & vnitas Trinitatis adoranda est: oportet & trinitatem personarum in vnitate substantiæ, & vnitatem substantiæ in personarum trinitate confiteri.

* *Οὐσία* magis significat essentiam quàm subsistentiam.

Fit per proprietates hypostaticas.

Ipsæ personæ suis proprietatibus hypostaticis ab inuicem distinguuntur. Patris proprietas hypostatica est, quòd Filium genuerit, & in eo solùm à Filio differt. Filij proprietas hypostatica est, quòd à Patre genitus sit, & in eo tantùm differt à Patre. Spiritus sancti proprietas hypostatica est, quòd à Patre Filioque procedat, & in eo differt à Patre ac Filio. Pater gignit Filium, & spirat Spiritum sanctum: Filius gignitur à Patre, & vnà cum Patre spirat Spiritum sanctũ: Spiritus sanctus spiratur à Patre & Filio.

Quæ inferunt veram distinctionem personalem.

Ex his personalibus proprietatibus apertè liquet, alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum: quia Pater qui genuit Filium, non potest esse ipse Filius quem genuit: & Filius qui genitus est à Patre, non potest esse ipse Pater à quo genitus est: & Spiritus sanctus qui à Patre Filioque procedit, neque Pater neque Filius, à quibus procedit, potest esse.

Subsistendi modum dicunt, & non substantiã, sed relationem.

Proprietates hypostaticæ in Trinitate, siue nomina personalia, Pater, Filius, genitor, genitus, Verbum, imago, procedens, &c. non substantiam, sed subsistendi modum, & habitudinem quamdam atque relationem ad inuicem indicant. Sic vnicuique hypostasi conuenit sua proprietas personalis, vt tamen quidquid est vna hypostasis siue persona secundùm substantiam, hoc sit & quæuis alia.

2. *Communia personarũ. Vnaquæq; persona, & tota Trinitas est Pater noster, si Pater non relatiuè sumatur.*

Quando istud nomen Pater dicitur non relatiuè ad Deum Filium, sed ad creaturam, conuenit etiam Filio, conuenit & Spiritui sancto, totique simul Trinitati. Nam & Pater & Filius & Spiritus sanctus, siue tota Trinitas, Pater noster est: nosque, si boni sumus, filij Dei sumus, non quidem per naturam sicut Deus Dei Filius, sed per gratiam & adoptionem. Imitatione bonitatis & dilectionis diuinæ sumus filij Dei ac genus Dei. Etiam hi qui iniqui & impij sunt, genus Dei dici possunt, quia ad imaginem Dei sunt conditi. Omnes homines Deum habent Patrem per creationem: sed illi soli perueniunt ad cælestem hereditatem, qui Patrem cælestem imitantur, & voluntatem eius faciunt, iustitiam atque sanctitatem sectantes.

1. Ioan. 3. Ephes. 5. & 1. Galat. 3. Actor. 17.

Deus est nobis veriùs Pater, quàm qui nos in carne generauit.

Profectò ipse Deus, qui ex nihilo nos ad esse perduxit, veriùs principaliusque Pater noster est, quàm illi qui nos genuerunt: neque enim generare nos poterant, nisi virtutem generandi à Deo accepissent. Prætereà solus Deus est auctor productorque animæ, quæ dignior est quàm corpus. Corpore exstincto deperit ratio carnalis paternitatis: sed illius denominatio paternitatis, quâ Deus dicitur Pater animæ (cùm anima immortalis sit) numquam decidit.

Prima & secunda Persona spiritus essentialiter est; tertia notionaliter seu relatiuè dumtaxat, ob spirationem personalem.

Similiter quando hoc nomen, Spiritus, dicitur non relatiuè ad Deum Patrem & Deum Filium, conuenit etiam Patri & Filio, ac toti simul Trinitati. Quidquid enim de qualibet personâ dicitur non relatiuè ad aliam personam, dici potest & de omnibus communiter, & de singulis sigillatim personis. Nam essentiales Diuinitatis proprietates omnibus & singulis personis diuinis conueniunt.

Vnus Deus Dominus, non tres.

Rectè & verè dicimus, Pater est Deus, Dominus, omnipotens, &c. Filius est Deus, Dominus, omnipotens: Spiritus sanctus est Deus, Dominus, omnipotens: Pater & Filius & Spiritus sanctus, siue Trinitas, est Deus, Dominus, omnipotens. Attamen Patrem & Filium & Spiritum sanctum, id est Trinitatem, non dicimus esse tres Deos, tres Dominos, tres omnipotentes; sed vnum Deum, vnum Dominum, vnum omnipotentem. Tanta videlicet vis est vnitatis substantiæ in ipsâ Trinitate. Nomina essentiæ

aliquando

aliquando ad significandas personas deflectuntur: vt cùm dicimus, Deus de Deo genitus est, in altero Filium, in altero Patrem intelligimus.

Nomina perfectionum prius & principalius Deo conueniunt quàm creaturis.

Ephes. 3.

Scire autem conuenit, ista nomina, Pater, Filius, Rex, Dominus, & similia, non esse ex nobis ad Diuinitatem translata, sed contrà inde ad nos per quamdam similitudinem esse traducta. Hinc beatus Paulus Apostolus ait: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terrâ nominatur.* Nam paternitas, quâ Deus Pater ab æterno genuit Filium, omnis paternitatis exemplar primarium est. Huiusmodi denominationes perfectionem dignitatemque designantes, primùm veritati, deinde veritatis imagini vestigioque conueniunt.

3. *Propria trium personarum. Pater ingenitus: Filius vnigenitus. Verbum. Imago.*

Deus Pater, ingenitus dicitur: ipse non est ab aliquo, sed a seipso est, à seipso habet quidquid habet, non ab alio.

Deus Filius, vnigenitus dicitur, ipse non à seipso sed à Patre est, de cuius substantiâ natus est. Patri consubstantialis est, Verbum & imago Patris est. Ipse à Patre habet quidquid habet: habet autem quidquid Pater secundùm essentiam habet. *Genitus, non factus.* Non est factus, sed genitus: neque enim creatur, sed cum Patre & Spiritu sancto omnium creaturarum conditor est. *Nisi secundùm carnem.* Tunc primùm dictus fuit factus, quando naturam nostram assumpsit, quando sanctissima caro & anima eius creata fuit. Non autem dicitur, vel certè non intelligitur simpliciter factus aut creatus, sed cum additamento, creatus secundùm carnem, secundùm hominem, factus homo, factus ex semine Dauid, factus ex muliere: ita vt factura seu creatura non eius Diuinitati sed humanitati attribuatur. (*Galat. 3. Rom. 1. Ioan. 1.*) Quòd in Euangelio beatum Ioannem Baptistam legimus iuxta Vulgatam editionem dixisse de ipso Christo filio Dei, *Qui post me venturus est, ante me factus est*; (*Matth 3.*) idem est, ac si dixisset, Ante me fuit, me præcedit, mihi prælatus est, maiestate me transcendit.

Adumbratio generationis diuinæ in creaturis.

Ipsam Filij Dei de Patre generationem ineffabilem, res inferiores ac sensibiles remotâ quadam imagine testantur & declarant, quæ sui simile producere gaudent. Hinc homo hominem, leo leonem, turtur turturem, carpio carpionem, oliua oliuam, nardus nardum, ignis ignem, lux lucem, & quidquid speculo aut aquæ limpidæ obiectum fuerit, suam effigiem gignit atque efformat. Nam generatio Filij Dei de Deo Patre, exemplar & veritas est cuiuslibet huiuscemodi productionis naturalis: id quod suprà quoque indicauimus, dicentes, illam paternitatem, quâ Deus Pater ante sæcula genuit Filium, esse omnis paternitatis exemplar prototypum.

Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio: Patris & Filij donum & amor.

Deus Spiritus sanctus Paracletus dicitur: ipse etiam à seipso non est: quia à Patre & Filio procedit, Patri & Filio consubstantialis est: Patris & Filij spiritus ac donum est: Patris & Filij amor, nexus, complexusque dulcissimus ac vinculum dilectionis perpetuum est: ipse inde est, & inde habet quidquid habet, vnde procedit. Dicitur autem à Patre & Filio procedere, non gigni vel nasci, ne Patris & Filij filius credatur, quod omnium sanorum sensus abhorret. Neque enim vnius eiusdemque filij duo patres esse dicuntur. Pater & mater habent vnum & eumdem filium: aliàs duo patres vnum eumdemque filium non habent.

Diuersa est processio Filij & Spiritus sancti à Patre.

Deus Filius etiam à Deo Patre procedere, exire, siue emanare dicitur, quia a Patre est; sed aliter procedit, quàm procedat, exeat emanétve Spiritus sanctus: ipse enim Filius processit à Patre nascendo, exiit vt genitus; (*Ioan. 13. 16. 17.*) quod vtique de Spiritu sancto dicere non possumus.

Spirationis & generationis propria.

Processio per generationem conuenit Filio, non Spiritui sancto: processio per spirationem conuenit Spiritui sancto, non Filio. Pater ex se habet quòd à se procedat Spiritus sanctus: Filius verò non ex se, sed ex Patre habet quòd à se procedat idem Spiritus sanctus. Pater est fons & principium Filij atque Spiritus sancti secundùm originem: Pater & Filius, fons & principium Spiritus sancti: Pater & Filius & Spiritus sanctus, fons & principium omnis creaturæ.

Processiones coæternæ sunt.

Diuina illa & incomprehensibilis generatio ac processio siue emanatio, nec initium habet, nec finem habitura est: quia si aliquando desineret, aliqua mutatio circa Dei substantiam facta esse diceretur, quod dicere fas non est. Numquam Pater fuit sine Filio, qui sine Filio Pater non diceretur.

Vestigium similitudinis à sole ad coæternitatem personarum sanctæ Trinitatis.

Si summa cum imis comparare licet, Filius & Spiritus sanctus sic sunt à Patre, quomodo splendor & calor à sole vel igne aut flammâ. Non est prior flamma, ac posterior splendor calorque eius; sed simul flamma, simulque splendor & calor ab illâ proficiscens: itidem non est prior Pater, ac posterior Filius, posteriorque Spiritus sanctus; sed simul Pater, simul Filius, simulque Spiritus sanctus. Coæua & inseparabilia sunt flamma, & splendor atque calor eius: itidem coæternæ & inseparabiles sunt tres hypostases, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

4. *Iucunda societas Trinitatis, per circuminsessionem seu περιχώρησις.*

Per mutuam & inenarrabilem ipsarum diuinarum personarum immeationem atque

que immanentiam, totus Pater est in Filio & Spiritu sancto: totus Filius est in Patre & Spiritu sancto: totus Spiritus sanctus est in Patre & Filio. Id adhibitâ similitudine vtcumque elucidemus.* Si tres soles sibi contigui mundum, vel tres cerei domum aliquam illuminarent, vtique tres fulgores coniuncti mutuò sese permearent inhabitarentque, toti in totis mutuò essent, & vnum quemdam fulgorem indiuisum præferrent. Vnirentur quidem, minimè tamen confunderentur inter se: neque enim vnus fulgor esset alius, sed ipsi tres fulgores coniunctione vniti, discretione ab inuicem permanerent separati. Cuius discretionis euidens argumentum istud est: quia si vnus illorum trium cereorum asportaretur è domo, fulgor eius totus integerque simul abiret, & nec ipse aliquid de reliquis duobus fulgoribus secum abduceret, nec illi duo aliquid de eo retinerent. Per prædictum vnum fulgorem indiuisum, humana imbecillitas indiuisam inseparabilemque Deitatis substantiam; per tres verò fulgores, tres eiusdem Diuinitatis personas se inuicem permeantes atque inhabitantes, sicut potest, concipiat. Meminerit autem, hoc sensibile exemplum ipsâ incomprehensibili Trinitate longè esse inferius. Visibilia cum inuisibilibus, temporalia cum æternis, mutabilia cum incommutabilibus, corruptibilia cum incorruptibilibus comparantur: vt mens hominis in his, quæ de Deo audit, nihil dubitet, vbi ea aliquo modo in creaturis agnouerit. Nimiùm enim absurdum foret, si putaremus Creatorem imperfectiorem esse suâ creaturâ, & id, vnde admiramur atque commendamus creaturam, non crederemus posse inueniri in Creatore.

* Iterum similitudo, à luce & sole adumbrata.

Igitur in Diuinitate & personarum Trinitas, & substantiæ vnitas est. Propter quam essentiæ vnitatem, non possunt diuidi ab inuicem ipsæ tres hypostases: adeò inseparabiles sunt, vt si vna tantùm nominetur, reliquæ duæ pariter intelligantur: & si solùm duæ nominentur, itidem tertia necessariò intelligatur. Vnde quando dicimus de Filio Dei, Tu vnicum bonum nostrum, non excludimus Patrem neque Spiritum sanctum, sed omnino includimus; excludimus verò creaturam. Non tamen fas est credere compositam ex tribus personis esse Diuinitatem, quæ simplicissima est. Quidquid enim compositum est, potest in ea ex quibus componitur diuidi, aut distractione partium, aut certè apprehensione mentis ipsas partes componentes distinguentis. Ceterùm diuisio à Diuinitate, quæ omnem multitudinem refugit, prorsus aliena est: proinde & compositio ei congrua non est.

Societas trium personarum per indiuiduam inseparabilitatem, & incompositam simplicitatem.

Ipsius summæ Trinitatis, nempe Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sicut vna est substantia, ita vna est æternitas, vna gloria, vna maiestas, vnum regnum, vna & eadem voluntas, vna eademque operatio, & omnimoda in essentialibus proprietatibus æqualitas, similitudo, vnitas, atque idemtitas. Planè trium personarum vnica & eadem Deitas est, tota in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu sancto.

Et coæqualitatem in gloriâ, maiestate, voluntate, essentiâ.

Trinitas (quod sæpiùs repetimus) vnus Deus est, vnus inquam, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex Patre omnia, per Filium omnia, in Spiritu sancto omnia: & tamen etiam ex Patre per Patrem atque in Patre omnia, ex Filio per Filium & in Filio omnia, ex Spiritu sancto per Spiritum sanctum in Spiritu sancto omnia. Item Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas attribui solet: attamen Patris & Filij & Spiritus sancti, siue Pater & Filius & Spiritus sanctus, vna est potentia, vna sapientia, vna bonitas.

Et operatione ad extra. Rom. 11.

Dicimus Patrem omnia fecisse per Filium, non sanè quasi per instrumentum seruile, sed vt per naturalem substantialemque virtutem: nam & splendorem ab igne fusum non dicimus esse organum administratorium per quod ignis luceat, sed esse naturalem ignis virtutem.†

Quomodo Pater per Filium operetur.

Verùm de Diuinitate satis multa iam à nobis dicta sunt. Voluimus enim faciliora dumtaxat scribere in simpliciorum gratiam, vt ipsi quoque per qualemcumque Dei cognitionem, ad Dei dilectionem assurgere consuescant, mentes suas amanter humiliterque in illum vbique præsentem & ipsis intimum subleuantes. Hortamur itaque eos, vt id pro suo modulo faciant: non autem pertinaciter pertentent imbecilles interioris hominis oculos, inaccessæ Diuinitatis luci infigere; ne nimio diuinorum splendore hebetati, densas erroris tenebras pro veritatis certo lumine inueniant. Omnis vana curiositas, omnisque temeritas summopere hîc fugienda est. Diuinus ille Dionysius Areopagita ait: *Tantum fas est ad celsiora contendere, quantum seipsum diuinorum eloquiorum radius insinuare dignatur: comparamusque vires nobis ad supremos illos fulgores, si diuina sobriè, & piè casteque reuere-*

5. *Etiam à simplicioribus mysteria hæc ruminanda sunt cum humilitate:*

Sed absit pertinax curiositas.

† Quæ hactenus de Trinitate sanctissimâ toto hoc capite accepimus, Theologicè fundata sunt apud D. Thomam & scholasticos Doctores 1. parte, à q. 27. ad 43. Tutius autem & vtilius ad praxim Asceticam, hæc humiliter credere, quàm subtiliter indagare, vt iam monebit ipse R. D. Blosius; & antè monuit Thomas à Kempis lib. 1. de Imitatione Christi cap. 1. *Quid prodest tibi, alta de Trinitate disputare, si careas humilitate vnde displiceas Trinitati?*

remur.

remur. ª Aurea planè Dionysij sententia.

Non debemus velle exactè Deum cognoscere; satis est piè credere & colere.

Esto sanè, vt nos summam Diuinitatem clarè contemplari in hoc exilio non possimus; num propterea spem salutis nullam habebimus? Atqui à nobis non exigit Deus vt naturam ipsius exactè cognoscamus: sed exigit, vt in rectâ fide Ecclesiæ Catholicæ permanentes, ipsum sanctè colamus amemusque. Si in præsenti vitâ non pertingimus ad Dei sublimitatem, non recedamus à Filij Dei humilitate. Illum pro nobis ineffabili pietate & charitate filium hominis factum, illum pro nobis passum & mortuum attendamus: vt eius cruce tamquam tutissimâ naui subuecti, mare huius sæculi absque naufragio traijciamus, & feliciter perueniamus ad portum salutis æternæ. In beatâ illâ patriâ videbimus Deum sicuti est, & absque labore eum cognoscemus.ᵇ

ª Hæc aurea sententia conflata est ex verbis S. Dionysij, collectis tum ex Epistolis ad Timotheum, tum spartim ex lib. de Mysticâ Theologiâ, & maximè cap. 1. tum ex cap. 7. de Diuinis nominibus, tum ex alijs locis.

ᵇ Vsum & fructum spiritualem in meditatione & contemplatione Attributorum Dei vnius & trini, à R. D. Blosio in eum finem hisce duobus capitibus traditorum, peregregiè docet R. P. Thomas à IESV de Contemplatione diuinâ, toto lib. 4. in quo etiam plura Lector reperiet de praxi Contemplatiuâ ex aliorum Enchiridij lib. 2 capitum materiâ.

CAPVT XI.

Quomodo rectè concipi debeat Filij Dei Incarnatio.

1. Verbum Dei propter nos incarnatum:

2. Christus simul Deus verus est, & verus homo: duas naturas integras & inconfusas in vnicâ personâ retinens.

3. Vnde Maria non solùm Χριστοτόκος, mater Christi, sed & mater Dei, Θεοτόκος dici debet.

4. Filius Dei nec peccabilitatem assumpsit, nec ignorantiam,

5. Nec personam humanam, sed naturam: Christi tamen nomen vtrumque dicit vnà cum Deitate, saluis vtriusque naturæ proprietatibus.

6. Ideò gemina in eo voluntas, & gemina operationes, non tamen dissidentes:

7. Hinc idiomatum siue proprietatum communicatio, sine identificatione aut confusione.

8. Diuinitas post incarnationem numquam fuit separata ab anima & corpore Christi.

9. Corpus Christi post resurrectionem immortale & impassibile.

1. *Quomodo & quando facta Dei Filij incarnatio.* Philip. 2.

VERE Filius Dei bonâ voluntate Patris, cooperatione Spiritus sancti, factus est filius hominis, factus est frater noster: vt per mortem suam nos redimeret, Patri obediens. Ipse (non autem Pater, neque Spiritus sanctus) incarnatus est. Descendit de cælis, de regalibus sedibus, de mellifluo sinu Patris, in hanc vallem miseriæ, *propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos:* id est, Factus est visibilis per carnem apud nos propter nos; qui semper inuisibilis per Diuinitatem manet apud Patrem. Ibi mansit, vnde descendit; & vbi erat, illuc venit. Similiter, peracto redemptionis nostræ opere, ascendit ad Patrem, non discedens à nobis: hoc est, hominem Deo vnitum cælis inuexit, & Diuinitate apud nos permansit: quamquam in venerabili Eucharistiæ Sacramento etiam corporaliter vsque ad consummationem sæculi nobiscum est. Eius sacratissimam incarnationem tota Trinitas operata est. Quam incarnationem cùm Angelus beatissimæ virgini Mariæ annuntiasset, & illi assensum præberet, dicens, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum,* mox superueniente Spiritu sancto, ipse Filius Dei, Deus de Deo, lumen de lumine, principium de principio, Verbum Patris, in castissimo virginis vtero corpus animatum sibi construxit, simulque suæ Diuinitati hypostaticè vniuit.

Ephes. 2. — Matth. 28. — Luc. 1.

2. *Christus verus Deus & verus homo.*

Deus homo factus est. Vnigenitus Dei, Deus & homo est: Deus quidem ex substantiâ Patris intemporaliter genitus, homo autem ex substantiâ matris temporaliter plasmatus. Caro enim eius ex purissimis Mariæ virginis sanguinibus opere Spiritus sancti fabricata fuit. Ipse secundùm Diuinitatem æqualis est Patri & Spiritui sancto: secundùm humanitatem minor est Patre & Spiritu sancto. Natura diuina & natura humana in vnâ hypostasi coniunctæ sunt: ita vt ille Deus homo, siue homo Deus, non sint duæ personæ, sed sit vna hypostasis, vnus Christus: sicut anima rationalis & caro vna est persona, vnus homo. In illo aliud Deus, aliud homo, sed non alius Deus, alius homo. Sicut in supersanctâ Trinitate est personarum pluralitas & naturæ vnitas: ita contrà, in Christo est personæ vnitas, & naturarum pluralitas.

3. *Verè natus est ex virgine perpetuâ: quæ ideò Deipara, non solùm Christipara est.*

Christus verus perfectusque Deus & verus ac perfectus homo, natus est in sexu virili ex Mariâ virgine: vnde & eadem virgo rectè dicitur *Theotocos*, id est, Deipara: verè enim Deum peperit. Ille, sicut incomprehensibiliter absque virili semine de Spiritu sancto conceptus fuit, ita etiam ineffabiliter de thalamo pudicissimi vteri prodiit: vtrobique lex naturæ nostræ separata est. In eius conceptione & natiuitate intacta clausaque permansit porta virginea: non est violata, sed sacrata matris virginitas. * Nam & radius solis per vitrum ingreditur sacrarium, rursumque per vitrum è sacrario egreditur, ac se recipit, absque vitri confractione vel læsione. Mater virgo concepit, virgo peperit, & post partum virgo permansit.

* *Egregia comparatio à sole.*

sit. Porrò quando ipse Filius Dei in vtero eiusdem virginis Mariæ incarnatus est, non est depressa Diuinitas, verùm humanitas est exaltata: ille non desijt esse quod erat, sed assumpsit quod non erat.

4. *Assumpsit Verbum totam naturã humanam, non peccabilitatem aut ignorantiam.*

Assumpsit totum hominem, nempe corpus humanum, & animam rationalem: non assumpsit [a] peccabilitatem (vt ita loquamur) neque assumpsit in illâ Deitatis & humanitatis admirandâ vnione, ignorantiam. Accepit quidem naturam, quæ per se considerata ignorans est: sed quia Diuinitati in eo coniuncta est, ignorans in eo non fuit. Christus enim ab ipso conceptionis suæ momento omnia sciuit. Quòd autem legimus in Euangelio (Luc. 1.), eum puerum profecisse sapientiâ & gratiâ; intelligimus, sapientiam in illo non suscepisse augmentum, sed manifestationem: quemadmodum solis claritas, quæ semper æquè magna est, paulatim sese per orbem diffundit, primò quidem parciùs, posteà verò pleniùs. *Elegans similitudo à sole.* Et licet ipse idem Filius Dei in Euangelio de die iudicij dicat (Mar. 13.), *De die illo vel horâ nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater:* non debemus arbitrari Christum ignorare diem illum, cùm constitutus sit omnium iudex (Act. 10.): sed conuenienter verba illa intelligimus, sicut beatus Hilarius [b] intelligit. Ait enim: *Filius & Spiritus sanctus, quia non sunt à se, de die illo nesciunt à se: Pater verò qui à se est, scit à se.* Vel fortè Filius Dei Christus, cui nihil incognitum est, loquitur ibi de se tamquam de homine ignorante. Nam & quando de muliere (quæ sanguinis fluxu laborabat) ipsum tangente, dixit, *Quis est qui me tetigit?* (Lucæ 8.) & de Lazaro ait, *Vbi posuistis eum?* (Ioan. 11.) non erat nescius quænam mulier fimbriam vestimenti eius tetigisset, neque ignorabat vbi Lazarus positus esset: sed ad instar hominis ignorantis se habebat. Huiusmodi voces ignorantiæ humanæ non solùm in nouo Testamento Deus factus homo, verùm etiam in veteri Testamento Deus non homo vsurpat. Dicit enim in Genesi (Gen. 18.): *Descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam.* In plerisque alijs sacræ Scripturæ locis, Deus summę maiestatis iuxta modum humanæ humilitatis loquitur.

[a] Quia bonitas contemplationis fundanda est in veritate fidei; ideò contemplationis studiosus benè faciet, si fundamenta dogmatum Blosianorum de Incarnatione Domini quærat apud Scholasticos Doctores in 3. partem D. Thomæ, ante & post quæstionem 15. in quâ de peccabilitate & ignorantiâ, & alijs defectibus, an in animâ Christi esse potuerint, disputatur.

[b] In libris de Trinitate contra Arrianos, ex illis Christi verbis asserentes, Filium esse minorem Patre. Sic etiam explicant S. Athanasius Serm. 4. contra Arrianos, S. Augustinus lib. de Trinitate cap. 12. Basilius lib. 4 contra Eunomium, & alij veteres Patres.

5. *Verbum non assumpsit personam hominis, sed naturam: & quid importat nomen* CHRISTVS.

Etiam Christus in suâ incarnatione non assumpsit hominis personam: nam anima & caro ipsius Christi non habuerunt aliquam hypostasim, præter illam quæ est Verbi seu Filij Dei hypostasis. Hoc vocabulum CHRISTVS, atque hoc mellifluum nomen IESVS, in ipso Filio Dei non solam naturam diuinam, neque solam naturam humanam designat, sed vtramque. Et non vna natura ex illis duabus naturis in Christo composita est; sed illæ duæ diuersæ naturæ in vnâ hypostasi coniunctæ sunt, quarum quælibet cum suis proprietatibus mansit salua atque integra, absque aliquâ confusione, commixtione, aut transmutatione.

6. *Ideò in eo vtriusque naturæ voluntas, & operatio peculiaris.*

Vnde in illo erat gemina voluntas, scilicet diuina & humana: erant geminæ actiones, nimirum diuinæ & humanæ. Et quamuis in eo essent duæ voluntates, geminam naturam consequentes, non tamen inter se dissidebant ipsæ duæ voluntates; sed voluntas animę Christi per omnia conformis erat voluntati diuinæ †. Gemina erat voluntas: sed geminæ voluntatis vna erat sententia, sicut geminæ naturæ vna erat hypostasis. Quòd autem in oratione positus ipse Christus (cùm calicem passionis à se transferri petijsset) dixit Patri, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; (Math. 26. Mar. 14. Luc. 22.) id dixit non secundùm superioris rationis voluntatem, sed secundùm humanum affectum, naturalemque appetitum, quo quilibet mortem, & ea quæ naturæ molesta sunt, refugit. Hoc ita dicens, docuit nos quomodo dicere debeamus, quando in nobis infirmitas humana aliquid aliter vult, quàm Deus vult.

7. *Et inde est idiomatum inconfusorũ communicatio ex D. Thomâ 3. p. q. 16. totâ.*

Igitur in Christo (quod modò dicebamus) & natura diuina mansit cum suis proprietatibus integra, & natura humana cum suis proprietatibus itidem salua permansit: neque diuina in humanam, neque humana in diuinam mutata est. Ceterùm diuina natura permeabat humanam, & humana natura immanebat diuinæ, atque à diuinâ se permeante sibique vnitâ deificabatur: veluti ferrum (vt interim infimo exemplo in re tantâ vtamur) ab igne se ingrediente & sibi vnito redditur ignitum: non natura ferri in naturam ignis, neque natura ignis in naturam ferri conuertitur. *Quomodo Deus vel Verbum factum est homo, vt ferrum in igne.* Proinde quando dicimus, *Verbum caro factum est,* (Ioan. 1.) Deus homo factus est, non intelligimus aliquam mutationem esse factam in incommutabili naturâ Dei, sed intelligimus, Deum, siue Verbum Dei, verè, non phantasticè, hominis carnem animatam assumpsisse: quem-

† Notanda doctrina contra hæreticos Monothelitas, seu vnicæ voluntatis in Deo incarnato assertores: quos hîc solidissimè confutatos vide, iuxta Theologiam D. Thomæ 3. p. q. 18. art. 1. 2. 3.

Quomodo Deus passus & mortuus.

admodum si dicamus, Rex effectus est trabeatus, non Regis substantiam mutatã esse, verùm Regem trabeam induisse significamus. In his itidem verbis, Dominus gloriæ crucifixus est, Deus passus & mortuus est, ac similibus, non indicamus mutationem aliquam factam esse in naturâ diuinâ, sed in naturâ humanâ Diuinitati vnitâ. Rectè dicimus, Deus passus est, quia Dei & hominis vna persona est: non autem rectè diceremus, Natura diuina passa est. Ob ineffabilem illam vnionem, quâ Deus homini in vnitate personæ coniunctus est, sæpè ea quæ in Christo sunt propria hominis, attribuuntur Deo: veluti quando dicimus illa quæ modò commemorauimus, Dominus gloriȩ crucifixus est, Deus passus ac mortuus est, Deus in terrâ visus est: rursum quæ sunt propria Dei, attribuuntur homini, vt in illo loco Euangelij, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* In hunc modum quemlibet hominem aliquando dicimus immortalem, aliquando mortalem: immortalem quidem secundùm animam, mortalem verò secundùm corpus. Id sanè dicimus, & dicere possumus, propter illam vnionem, quâ anima & caro intimè sibi in vnitate personȩ copulantur. Igitur Christus secundùm naturam humanam esuriuit, sitiuit, comedit, bibit, dormiuit, fatigatus est, flagellatus est, mortuus est: nam natura diuina inalterabilis impassibilisque permansit. Quemadmodum enim, dum arbor à sole illustrata conscinditur, non scinditur ipse sol: ita quando in Christo natura humana patiebatur, natura diuina passioni obnoxia non fuit.

Ioan. 3.
Quomodo filius hominis descendit de cælo.

Simile in arbore.

8. Quamuis autem Christus verè mortuus sit vt homo, & anima eius verè à corpore separata fuerit (nam mox ad inferos descendit vt inde suos eriperet) Diuinitas tamen neque ab animâ neque à corpore ipsius fuit seiuncta. Numquam enim factum est, neque fiet vmquam diuortium illius stupendȩ & gratiosæ vnionis, quâ ipsum Verbum Patris suæ sacratissimæ animæ, suoque incontaminato corpori in vtero beatȩ virginis Mariæ hypostaticè vnitum fuit †. Ergo & in sepulchro Christus, & in inferno Christus erat: quia vtrobique Diuinitas humanitati erat vnita; in sepulchro quidem carni sine animâ, in inferno autem animæ sine carne. Neque tunc vna hypostasis in duas hypostases fuit dissecta: sed Verbi hypostasis semper mansit animæ & corporis hypostasis. Nam (sicut diximus) ipsa anima & ipsa caro Christi non habuerunt aliquam hypostasim, præter illam quæ est Verbi seu Filij Dei hypostasis.

In triduo mortis, non est separata Deitas ab animâ & corpore Christi.

Christus à mortuis resurgens, iam carnem habuit immortalem, *mors illi vltrà non dominabitur:* & nostra caro post resurrectionem immortalis erit. Fiet in membris, quod factum est in capite. Christus caput est omnium electorum suorum, & electi membra Christi sunt. Christus caput Ecclesiæ est, & Ecclesia mysticum Christi corpus est. Totus Christus, caput & corpus. Hinc ait in Euangelio: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo.* Solus omnino, qui descendit, ascendit: quia solus, sed totus Christus (caput scilicet cum viuis membris) in cælum ascendit. Hinc etiam in Psalmo ita loquitur: *Longè à salute meâ, verba delictorum meorum.* Quod nostrum est, sibi attribuit; nostra delicta, sua dicens, vt capitis & corporis coniunctionem vnitatemque ostendat. Ipse nos secum leuauit in cælum. Ibi iam spe sumus, vbi caput nostrum & caro nostra est. Veniet ad iudiciũ Christus Dominus: veniet in formâ serui iudicaturus, quam pro nobis assumpsit, & in quâ venit iudicandus. Hęc de incarnatione Dominicâ pietatis charitatisque plenissimâ, à nobis dicta hoc loco sufficiant.

9. *Post resurrectionem Christus totus immortalis est.* *Rom. 6.*
Nos etiam sicut caput nostrum Christus, immortales erimus.
Ioan. 3.
Psal. 21.
Veniet ad iudicium.
Isa. 3. *Act. 1.*

† Tritum est enim de vnione hypostaticâ Theologicum axioma: *Quod semel assumptum, numquam dimissum.* & in eo fundatur dogma Catholicum de concomitantiâ Deitatis in carne & sanguine Eucharistico, iuxta Synodum Tridentinam sess. 13. cap. 3. & can 1. Vnde rogo Lectorem, vt notare & admirari velit, sicut par est, soliditatem, claritatem, subtilitatem doctrinæ Theologicæ toto hoc Enchiridij libro traditæ, in quâ non est dubitandum, R. D. Blosium tam malignis Ecclesiæ temporibus peculiariter à Deo illuminatum fuisse.

CAPVT XII.

Quænam à simplicioribus cognosci debeant de animâ rationali & Angelis.

§. I.

Creatio animarum & Angelorum.

1. *Faciliùs ex animæ cognitione, quàm aliarum rerum, peruenitur ad agnitionem & amorem Dei.*

2. *Vnica anima præstantior est vniuerso mundo corporeo.*

3. *Per eam habet homo omnium creaturarum perfectiones.*

4. *Quatuor gradus rerum creatarum.*

5. *Angelus & homo creati ad Dei imaginẽ: quæ licet potuerit in eis obscurari, non tamen penitus deperdi.*

6. *Creati ad participationem beatitudinis diuinæ, quam multi ex eis liberi arbitrij culpâ amittunt.*

7. *Excellentia liberi arbitrij: & illud adhuc in nobis manere, tam ad bonum quàm ad malum.*

CVM Angelus & homo dumtaxat possint ipsam Diuinitatem (de quâ suprà locuti sumus) agnoscere, venerari & amare; non erit fortè inutile, neque ingratum paruulis ac pijs, si de illis aliqua in medium pro- 1.

Cognitio animæ creatæ facit ad cognitionem & amorem Creatoris.

protulerimus: ob id maximè, quòd anima humana ex attentâ intimâque sui consideratione, magis in cognitione sui Conditoris proficere possit, quàm ex consideratione quarumcumque rerum visibilium. Ipsa enim magis è propinquo repræsentat Deum, quàm creatura visibilis: sicut hominis imago magis accedit ad veritatem corporis humani, quàm hominis vestigium terræ impressum.

Anima rationalis toto mundo corporeo melior.

2. † Dicimus igitur, Angelum & animam humanam ceteras omnes creaturas dignitate præcedere, imò verò vnius hominis animam præstantiorē esse vniuerso hoc mundo visibili. Deus enim orbibus cælestibus, elementis, lapidibus, metallis, dedit quidem esse; non autem dedit viuere, neque sentire, neque discernere: herbis & arbustis dedit esse atq; viuere, id est, vegetari, sed non sentire, neque discernere: brutis animalibus dedit esse, vegetari, & sentire, at non discernere: ceterùm Angelo atque homini dedit esse, viuere, sentire, ac discernere. Angelus & homo discernere possunt, propter intelligentiam atque rationem quam à Deo acceperunt.

Tribuit anima homini omniũ creaturarum perfectiones. Esse, Viuere,

3. Homo secundùm corpus & contemperamentum ex quatuor elementis, communicat cum lapidibus, aliȷsque rebus inanimatis, & cum plantis viuentibus, atque cum pecudibus sentientibus.

Secundùm vitam vegetatiuam, communicat cum plantis & pecudibus dumtaxat, communem possidens cum eis vim altricem, quâ nutritur; vim augmentatricem, quâ quisque ad statam determinatamque magnitudinem crescit; & vim seminariam siue generatricem, quâ id quod eiusdem secum speciei ac naturæ fit, producere potest.

Sentire,

Secundùm vitam sensitiuam, communicat cum pecudibus tantùm, sortitus communes cum eis sentiendi potentias: nam & ipse & illæ habent visum, auditũ, olfactum, gustum, tactum, motum corporis ac membrorum (qui motus etiam vocis emissione atque respiratione fit) facultatem quoque imaginandi, memorandi, & appetendi.

† Moneo te, amice & pie Lector, vt legens hæc admiranda dogmata Blosiana de spiritibus Angelicis & humanis, ex intimis reconditæ Philosophiæ ac Theologiæ deprompta, credas ea esse conformia doctrinæ Aristotelicæ ac Thomisticæ, idque videbis, si legas Aristotelis libros de Cælo, & libros de Animâ, & D. Thomæ 1. p. Quæstiones varias à q. 50. quæ est de Angelis, vsque ad finem primæ Partis, vbi omnia quæ de Angelis & animâ humanâ hic traduntur, inter Doctores disputantur; item S. Basilij, & S. Ambrosij, & aliorum Hexaëmericos Tractatus. Sed cùm maximè subtilium harũ rerum tractatio ex mente Blosij ad pietatem & ædificationem animæ referenda sit, satis erit denuò monuisse, praxim harum omnium speculationum meditatoriam reperiri apud R. P. Thomam à Iesv de Contemplatione diuinâ lib. 4. Hierarchiæ 2. gradu 1.

Appetere,

Appetitus deducitur in concupiscentiam & iram: vnde oriuntur hæc quatuor, nempe desiderium, quando res concupita abest; voluptas, si res concupita adsit; item timor, dum mente concipimus futuram rem quam nolumus; & tristitia, dum ea res quam nolumus præsens est.

Imaginari,

Pecudes, id est bruta animãtia, cognoscere dicuntur ea quæ sensibus apprehendunt: & sicut cognitionem habent secundùm sensum, ita etiam vim imaginandi & memoriam sensitiuam, appetitumque sensitiuum obtinent. Ea enim quæ sensibus exterioribus, visu, auditu, olfactu, gustu & tactu percipiunt, possunt imaginari, recordari & appetere. Ad vim imaginatricem spectant etiam illa phantasmata quæ Visa inania appellamus. Ea nullam rem, sicut in naturâ est, repræsentant: & ferè ex pluribus simulacris ac spectris simul commixtis efformantur, veluti si intus occurrat figura equi prodigiosæ molis & alati; nam talem natura non parit.

Intelligere & velle, cũ Angelis sunt animæ communia.

Homo non solùm præditus est vi cognoscendi, imaginandi, memorandi & appetendi secundùm sensum; verùm etiam præclarè ornatus est virtute cognoscendi, cogitandi, memorandique secundùm intellectum, & appetendi secundùm rationem. Ipse sensu corporis sola materialia, intellectu verò mentis & immaterialia & materialia cognoscit. Anima rationalis cognoscit Deum supra se, se in se, Angelum circa se, & sensibilia infra se. Cognitio pecudum, est veluti vmbra cognitionis hominis; & cognitio hominis in hoc exilio adhuc constituti, vmbra cognitionis Angeli Deum sicuti est cernentis; atque cognitio Angeli, tenuis vmbra cognitionis diuinæ. Angelus non corporaliter, sed spiritualiter subsistit, viuit, & sentit: in quâ spirituali dignitate homo secundùm animam cum Angelo conuenit.

Sensus spirituales præcellunt corporeis.

Quemadmodum spiritus præstantior est corpore; ita existentia, vita, & sensus spiritualis præstantior est existentiâ, vitâ, sensu'q; corporali. Quare visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus spiritualis perfectior est visu, auditu, olfactu, gustu, & tactu corporali.

Quomodo hæ perfectiones sint in Deo.

Deus, qui creaturæ suæ ista contulit, perfectissime habet quæ dedit: sed cùm ipse sit ens summè simplex, summeque vnum, in eo non est aliud viuere, sentire & intelligere, quàm esse: non enim aliud est id quod Deus habet, atque aliud ipse Deus qui habet.

4. Hinc elucent quatuor classes seu ordines creaturarũ comparatione factâ ad quatuor elementa. Terra, Aqua,

Sicut ex prædictis liquet, dignitas rerum creatarum distincta est tamquam quatuor gradibus, iuxta gradatum ordinem quatuor elementorum. Quemadmodũ enim terra densa & grauis infimo loco strata est, aqua verò

Aër, Ignis, Quæ sunt, Quæ viuūt, Quæ sentiunt, Quæ ratione viuunt.

verò subtilior & superior est ipsâ terrâ, aër subtilior superiorque aquâ, & ignis leuior atque superior aëre: ita ea quæ subsistunt quidem, sed non viuunt, postremum dignitatis locum tenent inter creaturas: ipsis siquidem digniora sunt ea quæ subsistunt, & viuunt: istis item digniora sunt ea quæ subsistunt, viuunt ac sentiunt: rursum his digniora sunt ea quæ subsistunt, viuunt, sentiunt, atque intelligunt.

5. *Ad imaginē Dei creati Angelus & homo. Gen. 1. Image non perditur.*

Deus igitur Angelo & homini intellectum rationemque concessit, atque ita vtrumque ad imaginem suam condidit: ad imaginem Dei factus est homo secundùm animam. Quæ Dei imago potest sanè peccando obscurari fœdarique, sed deperdi numquam potest: sicut aurea Regis effigies, si in cœnum conijciatur, vel cœno illinatur, deturpatur quidem, non autem aboletur. In his tribus creaturæ rationalis potentijs, memoriâ, intellectu & voluntate, sanctæ Trinitatis similitudo relucet. O miram dignitatem ipsius creaturæ rationalis, quæ Deum intellectu cognoscere, memoriâ recolere, voluntate eligere ac diligere, eoque frui potest! Per tres illas excellentissimas vires, est capax scientiæ, disciplinæ, consilij, virtutis, sapientiæ, sinceræ voluptatis, & beatitudinis sempiternæ. Bruta animantia intellectu & ratione carentia, voluntatem non habent. Ipsa cùm intellectus ac voluntatis expertia sint, nihil aliter quàm per sensus comprehendere, & nihil liberè eligere possunt. Nonnumquam tamen dicuntur, ob quamdam similitudinem, & illa intelligere quæ sensu percipiunt, & illa velle siue eligere quæ naturali appetitu instinctuque concupiscunt ac prosequuntur.

In tribus potentijs animæ est imago Deitatis.

6. *Et ad beatitudinis æternæ participationē, nisi per peccatum ab eâ excidamus.*

Bonus Deus Angelum hominemque ad hoc condidit, vt & ille & iste beatus quadam sui participatione fieret: vidit enim, suam beatitudinem & communicari posse, & minui non posse. Sed tantæ felicitatis consortium multi Angeli suâ culpâ perdiderunt: multi item homines similiter illud perdunt.

7. *Liberum arbitrium numquam extinguitur.*

Ipse Deus, qui voluntate summè liber est, Angelo & homini liberum voluntatis arbitrium contulit, vt vterque laude atque præmio digna ageret. Quid enim laudis, quid præmij mereretur homo vel Angelus, si malum facere non potuisset, & bonum non voluntatis electione, sed necessitate naturæ faceret, quemadmodum ignis necessitate naturæ sursum fertur? Profectò neque Angelo, neque homini Deus aliquid præstantius contulit libero arbitrio. Nam si eis libertatem arbitrij negasset, omnino benè viuendo, præmium non mererentur; sicut nec malè viuendo, supplicium: æternæ beatitudini capessendæ apti non essent: non magis laude digni haberentur, quàm bruta animalia; quæ cùm naturam nequaquam ducant, sed à naturâ ducantur, non voluntate eligente, sed naturâ cogente, appetitum concupiscentiamque suam sequuntur. Creatura rationalis si liberum arbitrium non haberet, voluntatem habere dici non posset: non enim voluntas esset, si coacta esset. Libera igitur & spontanea est voluntas, libereque eligit. Verùm neque Angelus, neque homo, bonum† sine gratiâ & adiutorio Dei eligit.

† Bonum naturale vel morale potest fieri aut eligi à libero arbitrio viribus naturæ sine gratiâ non autem supernaturale vel vtile ad æternam salutem promerendam. Ita est definitū in Synodo Tridentinâ sess. 6. De iustificatione Can. 1. 2. 3.

§. II.

Lapsus Angelorum & hominum.

1. *Angelis & hominibus mora aliqua fuit concessa, in quâ se ad Deum converterent: quâ pro suâ libertate quidam benè, quidam malè vsi sunt.*

2 *Homo creatus in innocentiâ naturæ, & donis gratiæ;*

3. *Collocatus in paradiso, loco amœnissimo, statuique ipsius conuenientissimo.*

4. *Per peccatum tam à statu illo felici, quàm à loco amœno deiectus fuit.*

5. *Restitutus tamen gratiæ, per aduentum Filij Dei in carnem.*

QVEMADMODVM autem Angelus diuinâ lege certam quamdā moram (quātulacumque illa fuerit) acceperat, in quâ se ad Deum, Deo adiuuante, conuertere posset, si vellet: ita homini vitæ huius curriculum indultum est, in quo si benè viuere velit, præstare id cum Dei auxilio possit. Et † sicut inter Angelos naturâ vertibiles mutabilesque, illi qui in prædictâ morâ Deo per obedientiam atque amorem adhæserunt, gratiâ Dei in bono confirmati sunt, & iam à bono dimoueri non possunt; alij verò qui per rebellionem sese à Deo auerterunt, in malo (gratiâ Dei eos destituente) obdurati sunt, & iam à malo deflecti nequeunt: ita homines, qui ad Deum conuersi, siue charitate ornati sunt quando ex hac vitâ emigrant, numquam deinceps à Deo auerti poterunt; etiamsi tales sint qui nondum plenis cæli gaudijs beari, sed adhuc transitorijs purgatorij pœnis detineri debeant: qui autem à Deo auersi, charitateque prorsus vacui sunt dum moriuntur, perpetuò à Deo auersi erunt. Quæ tamen immobilitas non in eis libertatem arbitrij tollit, imò

1. *Vtrisque data mora, in quâ se ad Deum conuertere possent, si vellent.*

Beati in bono confirmati:

Damnati in malo obdurati.

Saluo tamen libero arbitrio.

† Quæ hîc breuiter habes de lapsu Angelorum, fusè ostenduntur apud D. Thomam per nouem articulos q. 63. in 1. p. vbi agitur de Angelorum malitiâ quoad culpam.

verò

verò illam perficit in bonis. Ipsi enim boni Angeli, & sanctæ animæ è carnis ergastulo egressæ, libertimè maximeque spontaneè bonum (gratiâ Dei adiuuante) eligunt, ac malum respuunt: mali item spontaneâ voluntate bonum respuunt, malumque eligunt.

2. *Eccle. 7. Primi parentes in gratiâ & innocentiâ creati.* *Deus* fecit *hominem rectum*, omni prauitate carentem, omni virtute decorum, fortem, iucundum, securum, tranquillum, & bonis omnibus ornatum. Ipse enim homo antequam per inobedientiam peccaret, erat veluti alter Angelus. Nam omnis timoris omnisque anxietatis expers, contemplatione diuinorum purè animum oblectabat pascebatque. Deum cognoscebat, Dei familiaritate fruebatur, Deo obediebat, Deum reuerebatur, diligebat, colebat & laudabat assiduè. Eum eiusque gloriam in omnibus quærebat: non se peruersè amabat, nihil inhonestè aut indecenter appetebat, carnem habens spiritui per omnia subiectam. Poterat non mori, & poterat mori: quia per Dei gratiam atque arbitrij libertatem poterat non peccare, & per eamdem arbitrij libertatem poterat peccare. Si non fuisset transgressus præceptum Dei, si tentatori ad peccatum illicienti non consensisset, mortuus etiam non fuisset; possidens corpus semper vegetum, nulli morbo, nulli dissolutioni obnoxium.

3. *Gen. 2. & 3. Paradisus terrestris pro commodâ habitatione Adamo & Euæ concessus.* Positus fuit in paradiso quem plantauerat Deus. Congruum enim erat, vt is qui conditionem brutorum animantium tanto interuallo superabat, & ad dignitatem Angelicam proximè accedebat, locum sortiretur inferiorem quidem Angelorum domicilio, præstantiorem verò pecudum habitaculo. Homo quippe ex inuisibili & visibili naturâ coalitus, omnifariàm medius est, tamquam nexus quidam & vinculum omnis creaturæ. *Eius amœnitas.* Incolebat ergo homo paradisum terrestrem, locum lucidissimum, locum omnigenæ amœnitatis, lætitiæ, voluptatis, & opulentiæ; locum aëre subtilissimo purissimoque præcellentem, plantis semper virentibus insignem, odoris gratâ suauitate refertum, & veris perpetuâ temperie vernantique arridentem. Ibi non æstus, non frigus, non venti, non tempestates, non aliqua alia peregrina erant, quæ molestiam adferre possent. De quo paradiso ipse homo, si Deum non offendisset, translatus fuisset *1. Cor. 15.* in cœlum, & animale corpus eius (nullâ morte interueniente) in spirituale fuisset demutatum, sicut corpora iustorum in resurrectione immutabuntur.

4. *A statu & loco deiecti propter peccatum.* At post offensam in Deum commissam, felicissimus ille status planè euersus est: id quod nos, heu! miseri quotidie experimur. Nam peccato per liberum arbitrium admisso, ipsa arbitrij libertas non quidem prorsus perdita, sed miserè labefactata infirmataque est. *Arbitrij debilitas. Carnis rebellio.* Cœpit caro rebellis esse spiritui, & innumera mala subsecuta sunt. Adam & Eua præuaricatores primique parentes nostri è loco voluptatis eiecti, atque in hoc calamitosum exilium relegati, filios in libidinis ardore genuerunt: qui si non peccassent, habere liberos absque concupiscentiæ æstu potuissent, eo quem nouit Deus modo. Hinc in posteros omnes secun- *Rom. 5. Mortis & peccati originalis in posteros deriuatio.* dùm ipsam carnis concupiscentiam genitos, peccatum, corruptio, & mors pertransijt. Dum enim anima rationalis corpori in libidinis feruore concepto, & concupiscentiarum pleno, à Deo infunditur, mox ex ipsius pollutæ corruptæque carnis consortio polluitur, vitiumque concupiscentiæ, & reatum originalis culpæ contrahit, quemadmodum si purum balsamum sordenti vasculo fuerit instillatum, continuò inficitur contaminaturque.

5. *Sed gratia tandem per Christum restitutio facta. Gen. 2. Ioan 3. Ioan. 4.* Non tamen nos perditos benignus Deus dereliquit. Nam miseratus infelicitatem hominis ad imaginem suam, secundùm spiritum, conditi, qui maligni serpentis suggestione circumuentus peccando perierat, misit Filium suum in mundum. Venit Vnigenitus Dei ad nos, carnem nostram assumpsit, erexit prostratos, sanauit saucios, roborauit infirmos, illuminauit cæcos, docuit ignaros. Ex filijs iræ, fecit filios misericordiæ; *Galat. 4.* ex filijs diaboli, fecit filios Dei. Exempla virtutum ostendit, Sacramenta instituit, Sanguinem pro nobis fudit, suâ nos morte redemit, & redemptis æternitatis aditum deui- *Ephes. 1.* ctâ morte reserauit.

§. III.

Attributa Angelorum & animarum.

I. *Angelus & anima circumscribuntur loco, tempore, & comprehensione, seu limitibus naturæ. Angelus quidem loco, in quo operatur, anima verò rationalis, ratione corporis cui alligatur.*

II. *Angelus etiam & anima circumscribuntur tempore; non enim fuerunt semper: sed Angeli simul creati sunt initio temporis; animæ verò tunc creantur, cùm indiuiduo corpori suo infunduntur.*

III. *Circumscribuntur etiam comprehensionis intellectiuæ termino.*

IV. *Sunt autem immateriales vtrique, licet Deo comparati quodammodo corporales dici possint.*

V. *Angelorum interlocutiones & linguæ, & tres ipsorum Hierarchiæ.*

VI. *Numquam peccauerunt, numquam peccabunt Angeli: animæ in hac vitâ adhuc peccatrices sunt.*

ANGELI & animæ rationalis substantia, eximiam diuinæ substantiæ similitu- 1.

 dinem

Tribus limitibus homines & Angeli circumscribuntur. Loco in quo operantur.

dinem præfert. Est enim spiritualis, inuisibilis, insigurabilis, immaterialis, simplex, indiuisibilis, sed circumscripta. Circumscribuntur Angelus atq; anima humana trifariàm, more sensibilium, sed minùs quàm sensibilia: circumscribuntur, inquam, loco, tempore, & comprehensione.

Loco circumscribuntur, non quidem corporali (cùm vtriusque essentia sit incorporea) sed loco intellectuali. Sensibilia dimensionem longitudinis, altitudinis & latitudinis habentia, sui interpositione distantiam circumstantium in loco faciunt: spirituales verò & immateriales creaturæ non faciunt huiusmodi distantiam in loco. Si enim in certo aliquo loco plures fuerint spiritus, non propterea redditur ipse locus angustior, quò minùs corporalia & sensibilia recipere continereque possit. Angelus & anima humana idcircò dicuntur loco circumscribi, quòd præsentiæ atque operationis suæ modum finemque determinatum habeant. Ita alibi sunt, vt alibi non sint: solus enim Deus vbique est.

1. Angelus enim non est simul in pluribus locis.

Si Angelus in cælo est, in terrâ simul non est: veluti si lumen cereoli accensi templum Ierosolymis illustret, ipsum idem lumen tunc in sacello Romæ sito non est, nec ipsum sacellum Romanum illustrat. Quando autem in terrâ est Angelus, aut ad externa administranda mittitur, non ob id minùs fruitur iugi visione Dei; quàm si in cælo esset. Tanta eius agilitas & pernicitas est, vt celeriùs moueatur atque transeat, quàm fulgur emicet. Angelus, & anima à corpore separata, nonnumquam visibilem formam assumunt talem qualem voluerit Deus, vt ab his conspici possint quibus apparent: verùm eiusmodi figura de eorum substantiâ non est.

Vbiuis Deo fruitur. Celerrimus in actione. Matth. 18.

Sæpè visibilem formam induunt.

2. Anima rationalis tota in toto corpore, & in qualibet parte eius.

Anima rationalis in hac peregrinatione corpori alligata, magis censetur circumscribi loco, quàm Angelus qui corpori alligatus non est. Illa tota toti corpori, totaque cuilibet corporis viuentis parti adesse dicitur; Deum aliquo modo imitata, qui totus in toto mundo, & totus in qualibet mundi parte est. Peculiariùs tamen in corde & cerebro anima perhibetur esse, quemadmodum Deus in templo nomini suo dicato, & in cælo singularis est.

3. Cur homo dicendus est paruus mundus, seu μικρόκοσμος.

Vnde non sine causâ homo dictus est μικρόκοσμος, hoc est, minor mundus. Nam & quatuor gradus substantiarum, quibus maior mundus perficitur, in se continet; quia subsistit, viuit, sentit & intelligit. In eo mens siue ratio est veluti supremum cælum. Conuenit ergo vt appetitus rationalis dominetur, appetitus verò sensitiuus obtemperet. Si anima sanctitate ornatur, in eâ fides charitate illustris est tamquam sol, continentia vt luna, ceteræ virtutes sicut sidera.

4. Anima in corpore indiuisibilis nec augetur, nec minuitur.

Ipsa anima nec partiri, nec augeri, nec minui potest. Non est maior in virili hominis ætate, & minor in ætate puerili: æquè magna est si corpus fuerit breue, sicut si esset proceritatis giganteæ. Ipsa corpus permeat, permeandoque viuificat; nutritionem, sensuum perceptionem, motum & appetitum efficiens. Eâdem facilitate moueret corpus ingentis magnitudinis, quâ facilitate mouet corpus mediocris staturæ. Ipsa videt per oculos, audit per aures, loquitur per os: ipsa visibilem decorem, quem corpus habet, subministrat, Deo eum suppeditante. Non tamen est pulchrior in pulchro corpore quàm in deformi, nisi in pulchro corpore sit sanctior quàm in deformi: sed tam in deformi quàm in pulchro corpore est pulcherrima, si peccatis non fuerit deturpata. Visibilis pulchritudo corporis non prodest, si desit inuisibilis pulchritudo mentis: illam homo cum inanimatis & pecudibus, istam cum Angelis communem habet. Anima rationalis eò pulchrior est, quò innocentior, & virtutibus donisque cælestibus ornatior fuerit.

Vera animæ pulchritudo.

5. Quid corpus, quid anima, per mortem docetur.

Quid sit corpus sine animâ, videmus, quando per mortem separata est anima à corpore. Frustrà tunc patent oculorum fenestræ: nam qui per illas prospiciebat, abscessit. Iacet terrenum habitaculum ab habitatore desertum.

II. Circumscribuntur duratione, siue sæculo & tempore.

Quòd Angelus & anima rationalis circumscribantur sæculo siue tempore, manifestum est. Neque enim semper fuerunt, sed esse inceperunt: quamquam esse non desinent, quia immortalitatem munere conditoris acceperunt.

1. Tres spiritus vitales à Deo creati duratione distinguũtur.

Deus enim creauit tres spiritus vitales, nempe spiritum brutorum * animalium rationis expertem, qui carne tegitur, & cum carne moritur; spiritum humanum rationis participem, qui carne tegitur, sed cum carne non moritur; spiritum Angelicum etiam rationis participem, qui nec carne tegitur, nec moritur.

* Hęc sunt ferè verba sumpta ex B. Gregorio Magno Papâ lib. 4. Dialogorũ cap. 3.

2. Angeli omnes creati simul: anima humana singula quãdo corpus est organizatũ seu dispositum ad animæ infusionẽ & vnionem.

Angelus maioris æui est, quàm anima humana. Nam Angelos quidem omnes Deus in initio creationis mundi condidit, animas autem non format antequam condat corpora quibus illæ vniendæ sunt. Dum quamlibet animam creat, eam simul corpori disposito infundit: ita vt ne minimo quidem momento ipsa animæ creatio præcedat sui infusionem vnionemque cum corpore.

Porrò

3. Omnis ex nihilo. Porrò neque Angelus, neque anima humana, de substantiâ Dei sunt: (nam si de substantiâ Dei essent, numquam ad malum deflecti, numquam peccare potuissent) sed tam illum quàm istam ex nihilo creauit Deus.

III. *Circumscribuntur comprehensione limitata natura intellectualis:* Circumscribuntur Angelus & anima comprehensione, quia intellectu comprehenduntur: interminum etiam Deum omnino atque integrè comprehendere non possunt, cùm intellectum terminatum habeant. Vbi venerimus ad supernam & æternam illam patriam, agnoscemus pleniùs naturam Angeli atque animæ rationalis, agnoscemus speciem & terminum substantiæ vtriusque: nam hîc ipsæ animæ nostræ ne sibi quidem satis cognitæ sunt, tantum abest vt Angelos exactè comprehendant.

1. Sed Angelorum natura præstat humana. Sanè alia est natura Angeli, atque alia natura animæ humanæ, & mens Angelica secundùm naturam præstantior esse asseritur mente humanâ.

2. Solus Deus illabitur substantiæ spirituali. Angelus non potest ingredi substantiam animæ, neque anima substantiam Angeli: spiritus verò increatus Deus, creaturæ suæ capax, tam spiritui Angelico quàm humano illabitur.

3. Quomodo diabolus intret energumenos. Quando aliquis vexatur à spiritu diabolico, non debemus existimare substantiam diaboli ingressam esse substantiam spiritus humani: sed ipsum spiritum malignum, malitiæ suæ effectum permissione Dei in corpore humano exercere, animamque tartareis diuerberare flagellis, inficere venenis, aut inflammare incendijs.

IV. *Respectu corporum, sunt immateriales; comparatione Dei, materiales dici possunt tam Angelus quàm anima humana.* Si vel Angelus vel anima humana conferatur cum crassitie corporis sensibilis, rectè immaterialis dicitur: si verò comparetur cum Deo, iam & ille corporeus, & ista corporea materialisque dici potest: non quòd corporeâ materiâ constet, sed quòd à Dei simplicitate nimiùm absit, quemadmodum aqua si conferatur cum terrâ, rara & subtilis est; si cum aëre conferatur, iam densa crassaque esse censetur. Sola Diuinitas propriè dicitur immaterialis & incorporea, quæ ex se, id est ex suâ naturâ est simplicissima. Itidem ipse Deus solus propriè dicitur immortalis: nam Angelus & anima non ex se, sed indultu & gratiâ conditoris immortales sunt.

V. *Angelorum locutio & hierarchia triplex per nouem choros.* Voces sermonesque Angelorum spirituales sunt, tantò meliores & perfectiores vocibus nostris quas linguâ carnis emittimus, quantò spiritus dignior est corpore. Ipsarum cælestium substantiarum, videlicet spirituum Angelicorum, tres sunt hierarchiæ, id est, sacri Principatus: quæ ternaria distinctio imaginem beatæ Trinitatis pulchrè repræsentat. Ad eiusdem sanctæ Trinitatis similitudinem vnaquæque hierarchia digeritur in tres ordines siue choros. Nam prima seu suprema hierarchia discreta est in Seraphim, Cherubim & Thronos: secunda siue media, in Dominationes, Virtutes & Potestates: tertia, in Principatus, Archangelos & Angelos.

VI. *Animæ adhuc sunt peccatrices in vitâ, non autem Angeli: & tamen Angeli optant consortes in cælo habere nos. O beatum consortium!* Nos corruptibili carne depressi, & multis peccatorum sordibus fœdati, longè inferiores sumus ipsis sanctis Angelis qui Deo numquam displicuerunt: numquam enim peccauerunt, neque peccabunt vmquam. Et quamuis magno interuallo nos miseros dignitate puritateque transcendant, plurimum tamen optant & satagunt, vt illis in æternâ gloriâ æquemur, vel etiam eos præcedamus. Tanta videlicet humilitas, tanta beneuolentia, tanta benignitas, charitas, in eis est. Hos imitari, hos diligere ac venerari, horum felicissimum consortium omnibus votis expetere, & ad illud semper suspirare debemus. O quàm beati erimus, quando eorum iucundissimis cœtibus admixti, Dominum Deum nostrum vnà cum ipsis laudabimus in sæcula sæculorum! Nos tunc summo bono perfectè coniuncti, castissimâ voluptate diuinæ fruitionis omnino replebimur, & inenarrabili lætitiâ vndique circumdabimur. Non totum gaudium intrare poterit in nos gaudentes: sed toti gaudentes intrabimus in ipsum gaudium. Nam cùm omnis creatus spiritus sit finitus, *Matth. 25.* infinitum bonum, infinitum gaudium penitus comprehendere non potest: sicut pisciculus in immenso pelago natans, totam aquam imbibere nequit. Planè in Deo, in visione melleæ faciei eius, in clarâ contemplatione Diuinitatis ipsius, terminum finemque desideriorum nostrorum inueniemus; in eo enim omnis sufficientia & excellentia est.

§. IV.

Ex quarto libro Dialogorum beati Gregorij Papæ, quòd inuisibilia non ideò putari debent non esse, quòd per experimentum minimè cognoscantur. Siue de æternitate animæ rationalis.

1. Primis parentibus dubium non erat dari inuisibiles creaturas, quoniam illarum alloquio fruebantur.

2. Posteris eorum, qui hoc non experiebantur, cœpit esse dubium; quod egregiâ comparatione illustratur.

3. Probat autem ex libro Ecclesiastæ, substantias inuisibiles, & vitam aliam, istâ visibili meliorem.

 4. Probat

4. *Probat idem ex gradibus rerum.*

5. *Item experientiâ ipsâ animæ rationalis, quam nemo dubitat esse in corpore viuo, licet ipsam non videat.*

6. *Præterea ex ipsâ Dei naturâ, quæ cùm sit inuisibilis, non decuit eam carere inuisibilibus ministris.*

7. *Tandem experientiâ rerum visibilium, quæ non videntur nisi per inuisibilia.*

1. *Primi parentes fruebantur alloquio Angelorum.*
* Lib. 4. Dialogorum Greg. M. Papæ cap. 1.

POSTQVAM* de paradisi gaudijs (culpâ exigente) expulsus est primus humani generis parens, in huius cæcitatis atque exilij, quam patimur, venit ærumnam: quia peccando extra semetipsum fusus, iam illa cælestis patriæ gaudia, quæ priùs contemplabatur, videre non potuit. In paradiso quippe assueuerat homo verbis Dei perfrui, beatorum Angelorũ spiritibus cordis munditiâ & celsitudine visionis interesse: sed postquam huc cecidit, ab illo, quo implebatur, mentis lumine recessit.

2. *Nos qui nec videmus nec alloquimur, de Angelis dubitamus.*

Ex cuius videlicet carne nos in huius exilij cæcitate nati, audimus quidem cælestem esse patriam, audimus eius ciues Angelos Dei, audimus eorumdem Angelorum socios spiritus iustorum & perfectorum: sed carnales quique, quia illa inuisibilia per experimentum scire non valent, dubitant, vtrúmne sit quod corporalibus oculis non vident. Quæ nimirum dubietas in primo parente nostro esse non potuit: quia exclusus à paradisi gaudijs, hoc quod amiserat (quia viderat) recolebat. Hi autem sentire vel recolere audita non possunt: quia eorum nullum (sicut ille) saltem de præterito experimentũ tenent.* Ac si enim prægnans mulier mittatur in carcerem, ibique pariat puerum, qui natus puer in carcere nutriatur & crescat, cui si fortasse mater quæ hunc genuit, solem, lunam, stellas, montes, campos, volantes aues, currentes equos nominet; ille verò qui est in carcere natus & nutritus, nihil aliud quàm tenebras carceris sciat, & hæc quidem esse audiat, sed quia per experimentum non nouit, veraciter esse diffidat: ita in hac exilij sui cæcitate nati homines, dum esse summa & inuisibilia audiunt, diffidunt an vera sunt, quia sola hæc infima, in quibus nati sunt, visibilia nouerunt. Vnde factum est, vt ipse inuisibilium & visibilium creator, ad humani generis redemptionem Vnigenitus Patris veniret, & spiritum ad corda nostra mitteret; quatenus per eum viuificati crederemus, quæ adhuc scire per experimentum non possumus. Quotquot ergo hunc spiritum hereditatis nostræ pignus accepimus, de vitâ inuisibilium non dubitamus. Quisquis autem in hac credulitate adhuc solidus non est, debet proculdubiò maiorum dictis fidem præbere, eisque iam per Spiritum sanctum inuisibilium experimentum habentibus credere: quia & stultus est puer, si matrem ideò æstimet de luce mentiri, quia ipse nihil aliud quàm tenebras carceris agnouit.

* Elegans similitudo B. Gregorij.

Ephes. 1.

3. *Dari vitã vitâ visibili meliorem, atque adeò substantias inuisibiles, docet Ecclesiastes:* Eccle. 3.
* Loquitur denuò B. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 4. ex verbis Ecclesiastę seu Concionatoris cap. 3.

* Concionator noster (scilicet Ecclesiastes) velut ex mente infirmantium humanæ suspicionis sententiam proponit, dum dicit: *Vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius.* Qui tamen ex diffinitione rationis suam postmodum sententiam protulit, dicens: *Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita?* Qui igitur dixit, *nihil habet homo iumento amplius*, ipse rursum diffiniuit, quia habet aliquid sapiens, non solùm amplius à iumento, sed etiam ab homine stulto, videlicet *vt pergat illuc, vbi est vita.* Quibus verbis primum indicat, quia hîc hominum vita non est, cùm esse alibi testatur. Habet ergo homo hoc amplius iumentis, quia illa post mortem non viuunt, hic verò tunc viuere inchoat, cùm per mortem carnis hanc visibilem vitam consummat.

4. *Ex gradibus iumenti, hominis & Angeli.*
* Hæc dicit B. Greg. eodem lib. 4. cap. 3.

* Homo sicut in medio creatus est, vt esset interior Angelo, superior iumento: ita habet aliquid commune cum summo, aliquid commune cum infimo: immortalitatem scilicet spiritus cum Angelo, mortalitatem verò carnis cum iumento, quousque & ipsam mortalitatem carnis gloria absorbeat resurrectionis.

5. *Experientia animæ rationalis, quam tamen non videmus in corpore.*
* Hæc profert Petrus interlocutor eodem lib. 4. cap. 5. & mox respondet Gregorius.

PETRVS. * Quodam Fratre moriente præsentem me fuisse contigit. Qui repentè dum loqueretur, vitalem emisit flatum: & quem priùs mecum loquentem videbam, subitò extinctum vidi; sed eius anima vtrùm egressa sit an non, non vidi. Et valdè durum videtur, vt credatur res esse, quam nullus valeat videre. GREGORIVS. Quid mirum, Petre, si egredientem animam non vidisti, quam & manentem in corpore non vides? Numquid modò cùm mecum loqueris, quia videre in me non vales animam meam, idcircò me esse exanimem credis? Natura quippe animæ inuisibilis est; atque ita ex corpore inuisibiliter egreditur, sicut in corpore inuisibiliter manet.

6. *Ex naturâ Dei inuisibilis, cui etiam assignandi sunt ministri inuisibiles;*

Non quidem subtiliter, sed solerter dico: quia sicut vis animæ viuificat & mouet corpus, sic vis diuina implet quæ creauit omnia: & alia inspirando viuificat, alijs tribuit vt viuant (vitâ scilicet vegetatiuâ;) alijs verò hoc solummodò præstat vt sint. Quia verò esse non dubitas creantem & regentem,

DOXOLOGIÆ AD DEVM ET DEIPARAM.

tem, implentem & circumplectentem, transscendentem & sustinentem, incircumscriptum atque inuisibilem Deum: ita dubitare non debes, hunc inuisibilia obsequia habere. Debent quippe ea quæ ministrant, ad eius similitudinem tendere cui ministrant: vt quæ inuisibili seruiunt, esse inuisibilia non dubitentur. Hæc autem quæ esse credimus, nisi sanctos Angelos & spiritus iustorum? Sicut ergo motum considerans corporis, vitam animæ manentis in corpore perpendis ab imo; ita vitam animæ exeuntis è corpore perpendere debes à summo: quia potest inuisibiliter viuere, quam oportet in obsequio inuisibilis Conditoris manere.

7. *Etiam ipsa visibilia videri non possunt, nisi per aliquid inuisibile.*

Nulla visibilia nisi per inuisibilia videntur. Ecce enim cuncta corporea oculus tui corporis aspicit: nec tamen ipse corporeus oculus aliquid corporeum videret, nisi hunc res incorporea ad videndum acueret. Nam tolle mentem quæ non videtur, & in cassum patet oculus qui videbat. Subtrahe animam corpori, remanent proculdubiò oculi in corpore aperti. Si igitur per se videbant, cur discedente animâ nihil vident? Hinc ergo collige, quia ipsa quoque visibilia non nisi per inuisibilia videntur.

PIÆ PRECATIVNCVLÆ ET DOXOLOGIÆ AD DEVM DEIPARAMQ. VIRGINEM MARIAM.

I.

AD DEVM.

Oratio Dominica.

Oratio Dominica à Domino Iesv dictata Matth. cap. 6.

PATER noster, qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

Alia Precatio.

Offert Patri æterno Filium, & cor ac merita eius.

O PIE Pater cælestis, miserere mei vilissimi vermiculi. Ego in plenam expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis, excessibus ac negligentijs meis, & pro peccatis totius mundi, offero tibi sacratissimum cor Vnigeniti tui, sanctissimamque conuersationem, passionem & mortem eius. Tibi, eidemque Filio tuo Domino meo Iesu Christo, ac Spiritui sancto, vni Deo, honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Salutatio ad IESVM.

Suauis allocutio & petitio ad dulcissimũ Iesvm.

AVE dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ Iesu Christe fili Dei, Rex æternæ gloriæ, qui incarnatus, passus, & mortuus fuisti pro me: benedictus tu in sæcula, & benedicta dulcissima genitrix tua virgo Maria. Ablue me, quæso, pretioso Sanguine tuo, & ab omni peccato emunda, meritisque ac virtutibus tuis exorna, vt tibi placeam. Amen.

Item ad IESVM.

Gratiarum actio pro totâ Christi vitâ & passione sibi impensâ.

ADORO te benignissime Domine Iesu Christe, & gratias ago tibi, sicut possum ex intimis medullis animæ meæ, pro vniuersis beneficijs inexhaustæ bonitatis tuæ: gratias ago pro omnibus quæ pro salute meâ facere, loqui & tolerare voluisti.

Ecce fasciculus myrrhæ collectus ex omnibus laboribus & doloribus vitæ & mortis dulcissimi Iesv.

Gratias ago, quòd tu pijssimus Redemptor meus dignatus sis pro me incarnari, & in frigoris asperitate è Mariâ virgine nasci, panniculis infantulus inuolui, fasciolis stringi, in præsepio super fœnum vagiens reclinari, vberibus virgineis lactari, octauo à natiuitate tuâ die circumcidi, varijs laboribus & ærumnis iuuenis fatigari, crebris persecutionibus & conuitijs infestari, tædio mœroreque grauissimo affici, sudore sanguineo præ vehementiâ anxietatum suffundi, ab iniquis irreuerenter comprehendi, proteruè ligari, ignominiosè abduci, falsò accusari, iniustè damnari, fœdè conspui, alapis & colaphis inhumaniter cædi, facie indecenter velari, contumelijs & illusionibus vexari, coram profano iudice sisti, veste ridiculâ velut amens indui, impiè contemni, nudus ad columnam vinculis adstringi, flagris crudeliter conscindi, proprio sanguine per totum corpus rubricari, vestimento purpureo in maius opprobrium contegi, spinis

nis coronari, nugatoriè salutari, arundine percuti, pondere crucis premi, amarissimo potu myrrhati fellitique vini affligi, in cruce atrociter extendi, diris clauis manus & pedes configi, blasphemijs impeti, ac tandem miserabiliter inter latrones pendens ac vehementer sitiens aceto gustato mori.

Gratiarum actio. Gratias ago pro vniuersis depressionibus, ludibrijs, tunsionibus, plagis, doloribus & angustijs tuis: gratias ago pro effusione pretiosissimi Cruoris, qui è sacrosanctis Vulneribus tuis largiter profluxit, & pro separatione præcellentissimæ animæ tuæ ab incontaminato corpore tuo.

Obsecratio. Rogo te, Domine, & obsecro per istas miserationes tuas, vt omnes peccatorum maculas quas contraxi, misericorditer deleas, & me ac ceteros fideles tuos, præcipueque eos qui meis orationibus specialiter commendati sunt, perfectè purifices, sanes, illumines, & ad vitam æternam perducas. Amen.

Alia Precatio ad IESVM.

Exclamationes pro amoris diuini æstu accendendo. O Spes, refugium, & salus miserorum, Iesu! miserere mei. O pax, gaudium & dulcor electorum Iesu! lætifica me. O lux pulchritudinis immensæ! animam meam tuis illustrationibus irradia, tuis influxibus pasce ad gloriam nominis tui. Tribue, Domine, vt nulli rei visibili per inordinatum affectum alliger, sed omnia transitoria perfectè contemnam, cælestia votis ardentibus concupiscam, te Deum meum summum atque vnicum bonum meum super omnia æstuanter diligam. Amen.

Doxologia Rhythmica ad IESVM.

Ad Vulnera rosea Christi Domini.

Salue CHRISTI sacer vultus,
Cæsus, consputus, incultus,
Qui mutasti tuum florem,
Pro me versus in pallorem.
Salue caput venerandum,
Totis votis amplexandum,
Quod diræ spinæ presserunt,
Et vndique confixerunt.
Aue caro delicata,
Flagris scissa, fatigata,
Quæ pro me pergens ad lethum,
Gustasti fel & acetum.
Aue latus fons dulcoris,
In quo patet vis amoris;
Te saluto cor amœnum,
Cor omnibus bonis plenum.
Manus, pedes perforatos,
Et cruore purpuratos
Corde veneror & ore,
Interno ductus amore.
Tuas, mi IESV, sacratas
Et mirè vernantes plagas,
Nunc inscribe meo cordi,
Vt sim gratus tuo cordi.
In his piè me reconde,
Vt inde sugam abundè,
Vnde te feruenter amem,
**Et ad te fidenter clamem. Amen.*

* Et in æternum collaudem. Amen.

Alia Doxologia Rhythmica ad IESVM.

Pia ad IESVM delicia.

O IESV *suauis Domine,*
Culpa pulsâ caligine,
Mentem illustra lumine,
Et reple cor dulcedine.
Da mihi te diligere,
Amoris vicem reddere,
Ardenter te requirere,
Et tibi soli viuere.
Tu totus es amabilis,
Totus desiderabilis,
Tu dulce refrigerium,
Dulce cordis solatium.
Mi IESV fac vt sentiam
Tui dulcoris copiam,
Et tandem per præsentiam,
Tuam contempler gloriam. Amen.

II.

AD VIRGINEM DEIPARAM ET SANCTOS.

Salutatio Angelica ad B. MARIAM.

Salutatio Angeli ad B.V. Mariam Lucæ 1. AVE Maria, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, Iesus Christus, Amen.

Alia Salutatio ad B. MARIAM.

Salutatur mater Dei. SALVE sidus clarissimum, vnde ortus est Sol iustitiæ & Rex gloriæ, amator ac redemptor animarum nostrarum. Nos te, ô Virgo admirabilis, nos te matrem Deihominis, matrem luminis æterni, quâ possumus deuotione veneramur: tu mentes nostras diuinis influxibus pasce, ad gloriam ipsius vnigeniti tui. Amen.

Rursum ad B. MARIAM *Salutatio.*

Inuocatur in auxilium. AVE candidum lilium fulgidæ semperque tranquillæ Trinitatis, aue fragrantissima viola diuinæ suauitatis, aue vernans rosa cælestis amœnitatis, virgo Maria, ex quâ nasci, & cuius lacte pasci Rex cælorum voluit Iesus Christus splendor paternæ gloriæ. Adesto, ô Mater, fragilitati meæ in omni

ni tentatione & necessitate, in omni periculo peccati, & in horâ mortis meæ: vt te auxiliante atque protegente merear semper in Domino esse securus. Amen.

Item Precatio ad B. MARIAM.

Patrona & Aduocata apud Deum.

O MARIA, mater Dei beatissima, rogô te per sacratissimam incarnationem, natiuitatem, conuersationem, passionem, & mortem ipsius filij tui Domini mei Iesu Christi, miserere mei, & perfectam veniam atque gratiam mihi impetra. Eia Aduocata mea singularis, illos tuos misericordes oculos ad me conuerte. Adesto mihi iugiter, pia gubernatrix, quamdiu in periculoso mari sæculi huius nauigo, & præcipuè in vitæ præsentis termino: vt te prælucente, te dirigente, te perducente, feliciter perueniam ad portum cælestis Ierusalem, vbi te diligam, laudem & glorificem, per omnia sæcula. Amen.

Alia Precatio ad B. MARIAM.

Inter adoptiuos filios Virginis esse desiderat.

MIserere mei Domina, miserere mei: quia miseratio tecum creuit ab infantiâ. Magnam miseriam indignissimi peccatoris, subleuet magna atque ingens miseratio pijssimæ Matris. Largire, ô benigna, vt illis annumerer quos tamquam filios amas, doces, dirigis, foues, ac protegis: quia tu es, & semper eris dulcis spes mea post Dominum, ac dulce solatium animæ meæ. Vtinam gratum obsequium tibi præstare possim! Ego hactenus te dignè non colui: pro quâ negligentiâ & offensâ meâ, offero tibi mellifluum cor vnigeniti tui Iesu Christi. O charum præsidium meum! occurre quærenti te, & adiuua confidentem in te. Separa mentem meam ab omnibus quæ sub cælo sunt, faciens illam prægustare mellitas sorbitiunculas iucunditatis æternæ, ad gloriam Dei. Amen.

Doxologia Rhythmica ad B. MARIAM.

AVE *grata lux dierum,*
Aue gemma mulierum,
Quæ lactasti Regem regum,
Genitorem filia.
Mundum ornas nouo flore,
Prolem gignens miro more:
Virgo manes cum honore,
Nouæ prolis gratiâ.
Dele culpas, ô MARIA,
Placa natum prece piâ;
Quia per te patet via
Ad æterna gaudia,
Munda peccatis fœdatum,
Foue, sana sauciatum,
Et illustra tenebratum,
Mea soluens vincula.
Mater consolationis,
Seruum tuum ornas donis,
Spiritualibus bonis,
Replens cordis intima.
Me confirma vacillantem,
Me conserua te laudantem,
Tandemq; perduc lætantem
Ad regna cælestia. Amen.

Alia Doxologia Rhythmica ad B. MARIAM.

AVE *Virgo gratiosa,*
Stella sole clarior:
Mater Dei gloriosa,
Fauo mellis dulcior.
Tu es illa speciosa,
Quâ nulla est pulchrior:
Rubicunda plùs quàm rosa,
Lilio candidior.
Præsta misellis iuuamen,
Regina clementiæ:
Mærentibus fer solamen,
Aurora lætitiæ.
Prædulcis fons pietatis
Dona nobis veniam,
Et purgatos à peccatis
Duc ad cæli patriam. Amen.

Ad quemlibet SANCTVM *& ad plures* SANCTOS *Precatio.*

O Beatissime Apostole N. ô gloriosissime martyr Christi N. ô sanctissime Confessor Domini N. ô dulcissima sponsa Altissimi N. miserere mei. Ego te saluto, te veneror, te inuoco: ego in augmentum gaudij ac gloriæ tibi offero totius boni totiusque beatitudinis gazophylacium, cor Iesu Christi dulcissimum. Ago gratias ipsi Domino Deo nostro qui te elegit, & in suis benedictionibus præuênit. Adiuua me, quæso, tuis meritis ac precibus nunc & in horâ mortis meæ. Impetra mihi plenam omnium peccatorum meorum remissionem, & gratiam sanctâ. Ora pro hac Congregatione, & pro totâ Ecclesiâ Dei, Amen.

Pia appellatio Sancti cuiusuis patroni.

Si Oratio dirigitur ad plures Sanctos, prædicta enuntiabuntur plurali numero.

Ad proprium ANGELVM *Precatio.*

O Sancte Angele, cui à Domino commissus sum, miserere mei. Ego te saluto,

Angeli custodis.

DEXOLOGIAE AD DEVM ET DEIPARAM.

to, te veneror, te inuoco: ego in augmentum gaudij ac gloriæ tibi offero totius boni totiusque beatitudinis gazophylacium, cor Iesu Christi dulcissimum. Ago gratias pro pietatis tuæ curâ fidelissimâ, quam erga me indignum demonstrare non cessas. Custodi, quæso, semper animam meam & corpus meum: adiuua atque protege me nunc & in horâ mortis meæ. Amen.

III.

OBLATIONES DEVOTÆ.

Oblatio dignissima tam pro viuis quàm pro defunctis.

Oblatio ad Patrem.

O Pie Pater cælestis, miserere mei [vel N. aut NN.] Ego in perfectam emendationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis meis [vel N. aut NN.] & in condignam suppletionem meritorum quæ mihi [vel N. seu NN.] desunt, offero tibi omnem charitatem pietatemq; diuini cordis Vnigeniti tui, & omne exercitium beatissimæ animæ beatissimique corporis eius, omnem quoque fructum sanctissimæ conuersationis, passionis, ac mortis illius, & omnia merita dulcissimæ genitricis eius virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum tuorum. Tibi eidemque Filio tuo ac Spiritui sancto, vni Deo, honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Hæc oblatio tam pro viuis quàm pro defunctis, cum ingenti vtilitate sæpiùs repetetur.

Itidem qui Sacramentum Eucharistiæ sumit, aut sumpsit, vel qui Sacrificio Missæ interest, poterit ipsam adorandam Dominici Corporis Hostiam post consecrationem offerre pro seipso, aut pro alijs tam viuis quàm defunctis, hoc vel simili modo:

Oblatio Eucharistiæ in Missâ.

PIe Pater cælestis, ego in perfectâ emendationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis meis [vel N. aut NN.] & in condignam suppletionem meritorum quæ mihi [vel N. seu NN.] desunt, offero tibi hanc sacrosanctam Hostiam: offero eam ad laudem nominis tui sempiternam, & ad salutem omnium fidelium tuorum viuorum atque defunctorum.

O quàm præsens & efficax remedium adfert hæc cælestis Hostia cum benignitate mentis oblata!

Posset idem Sacramentum offerri etiã in honorem siue in augmentũ gaudij & gloriæ cuiuslibet SANCTI *vel plurium* SANCTORVM, *iam in cælo glorificatorum: itemq; in honorem beatorũ* ANGELORVM, *his aut alijs verbis:*

Alia sacræ Eucharistiæ oblatio.

DOmine Deus meus, ego in honorem & in augmentum gaudij ac glorię sancti N. [vel Sanctorum NN.] offero tibi hoc viuificum Sacramentum Corporis & Sanguinis Vnigeniti tui: offero illud ad laudem nominis tui sempiternam, & ad salutem omnium fidelium tuorum, viuorum atque defunctorum. Amen.

Si oblatio dirigitur ad personam Filij, omittetur in ipsâ oblatione hæc dictio, Vnigeniti.

Commendatio & oblatio actuum vel exercitiorum atque tribulationum.

Oblatio actionum aut tribulationum.

PIe Iesu, ego has actiones meas, hoc exercitium, has preces, hæc quæ feci, commendo mellifluo cordi tuo emendanda & perficienda: tibique ea offero in vnione sanctissimarum actionũ vel exercitiorum, aut orationum tuarum, & in vnione illius admirabilis amabilisque amoris tui quo redemptionem nostram peregisti: offero ea ad laudem nominis tui sempiternam, & ad salutem omnium fidelium tuorum viuorum atque defunctorum. Amen.

Ipse Christus Iesus multùm à nobis expetit, vt pia opera atque exercitia nostra, quæ ex se imperfecta sunt, cordi eius emendanda perficiendaq; commendemus, si non verbis, saltem animi voto.

Oblatio aduersitatum fiet in vnione Passionis Dominicæ, hoc vel consimili modo:

Alia in vnione passionum Christi.

DOmine Iesu, ego hanc tribulationem, hoc impedimentum, hæc grauamina, has calamitates meas, offero tibi in vnione eorum quæ tolerasti pro me, in vnione sanctissimæ passionis tuæ offero ea ad æternam laudem nominis tui, & in expiationem omnium peccatorum meorum, [vel ad salutem meam, aut N. seu NN.] atque totius Ecclesiæ. Amen.

Item ad PATREM *sic:*

Alia ad Deum Patrem.

PIe Pater cælestis, ego hunc mœrorem, hanc afflictionẽ, hunc dolorem meum, omnia quæ me grauant, offero tibi in vnione sacratissimæ passionis dilectissimi Filij tui, ad æternam laudem nominis tui, & in expiationem omnium peccatorum meorum [vel, ad salutem meã, aut N. seu NN.] atque totius Ecclesiæ. Amen.

Possunt similiter pia aliorum opera & tribulationes commendari atque offerri Domino pro illis ipsis qui eas tolerant, siue tolerarunt.

IV.

DOXOLOGIÆ AD DEVM ET DEIPARAM.

IV.

ORATIO DVLCISSIMA


Alternis rhythmis & laudibus directa nunc ad DEVM-*hominem, nunc ad* VIRGINEM-*Matrem.*

SVMMI summe tu Patris Vnice,
Mundi sator, & rector fabricæ,
Pietatis affectu deicæ,
Peccatores afflictos respice,
Deus-homo.
Summa summi tu Mater filij,
Clauem nostri tenens auxilij:
Foue tui lacte consilij
Peregrinos huius exilij,
Virgo-mater.
Consolare, ô summe Domine,
Qui tuo sunt redempti Sanguine,
Qui pro mundi tollendo crimine,
Hæc duo fers in tuo nomine,
Deus-homo.
Consolare, ô summa Domina,
Sitientes tua solamina:
De quâ solâ felice feminâ
Prædicantur hæc duo nomina,
Virgo-mater.
O figura Patris substantiæ!
Tu es splendor paternæ gloriæ,
Tu es verum lumen iustitiæ,
Plenitudo totius gratiæ,
Deus-homo.
O Regina regni Dauidici!
Tu es virga floris Dominici,
Tu es arca panis Angelici,
De quâ Sancti merentur refici,
Virgo-mater.
Virtus Patris & sapientia,
Suauiter disponens omnia:
Tibi cum Patre vna substantia,
Æquus honor, eadem gloria,
Deus-homo.
Stella maris, Regina sæculi,
Tu es mater illius Paruuli,
Quem adorant omnes & singuli,
Qui est vita fidelis populi,
Virgo-mater.
O Sanctorum Sancte mirabilis,
Toti mundo desiderabilis,
Homo potens, & Deus humilis!
Non est tibi nec erit similis,
Deus-homo.
O Sanctarum sola sanctissima,
Sola partu tanto dignissima;
Vt de tuâ carne mundissima,
Nasceretur maiestas maxima,
Virgo-mater.
IESV CHRISTE fons indeficiens,
Fons humana corda reficiens,
Te suspiro; te solum sitiens,
Tu solus es mihi sufficiens,
Deus-homo.
O vnicum decus virgineum,
Thronum sedens super æthereum!
Nomen tuum vnguentum melleum,
Liquefacit affectum ferreum,
Virgo-mater.
Summum bonum, plenum dulcedine,
Verum lumen de vero lumine:
Solo cuius audito nomine,
Satiamur mirâ pinguedine,
Deus-homo.
Summi boni reclinatorium,
Dulcis riui, dulce cellarium,
Quod indulcans dulcedo dulcium
Prælegit sibi in proprium,
Virgo-mater.
Patrum Pater celsior ceteris,
Reparator humani generis,
Sumptâ carne pro nobis miseris,
Mulieris de carne pauperis,
Deus-homo.
Mater matrum, & virgo virginum,
Apotheca salutis hominum,
Carne purâ capiens Dominum
Initij nesciens terminum,
Virgo-mater.
Audi, precor, ô qui das gratiam,
Peccatoris huius miseriam:
Da per tuam misericordiam,
Peccatorum meorum veniam,
Deus-homo.
Audi, precor, ô plena gratia,
Peccatoris huius suspiria:
Et pro tuâ misericordiâ,
Deo meo me reconcilia,
Virgo-mater.
Tibi, pie, fac beneplacitum
Peccatoris istius gemitum,
Soluens mei reatus debitum,
Quia nullum prætendo meritum,
Deus-homo.
Tibi, pia, fac acceptabilem
Peccatoris hanc vocem flebilem:
Reddens mihi Deum placabilem,
Ne se præstet inexorabilem,
Virgo-mater.
O intactæ fili puerperæ,
Audi planctus animæ miseræ,
Quæ peccati iacens in puluere,
Vt iumentum dolet putrescere,
Deus-homo.
O intacta Virgo puerpera,
Ad te clamat mens mea misera,
Quæ nefanda ruit ad scelera
Ab ætate nunc vsque tenerâ,
Virgo-mater.

DOXOLOGIÆ AD DEVM ET DEIPARAM.

Pie Pater, errantem corrige,
Piam manum labenti porrige;
Iam de luto me fæcis erige,
Et in viam iustorum dirige,
Deus-homo.
Me famulum errantem visita,
Pio corde de me recogita:
Coram IESV benigna clamita,
Vt & mea remittat debita,
Virgo-mater.
Esto nobis Pater propitius,
Quorum frater es atque socius:
Te laudamus, te benedicimus,
Adoramus, & semper colimus,
Deus-homo.
Esto nobis mater propitia,
Quorum soror es atque socia:
In tuarum laudum præconia,
Corda nostra fac voluntaria,
Virgo-mater.

Benedicte creator omnium,
Benedicas mentes fidelium,
Nomen tuum benedicentium,
Mortis tuæ per beneficium,
Deus-homo.
Benedicta in mulieribus,
Benedicas benedicentibus,
Quem lactasti tuis vberibus,
Qui dat escam esurientibus,
Virgo-mater.
Laus & honor & iubilatio,
Decus, virtus, & benedictio,
Benedicta sit incarnatio,
Et mors tua, & resurrectio,
Deus-homo.
Benedicta sis candens lilium,
Nos liberans post hoc exilium:
Vt laudemus Patrem & Filium,
Qui te fecit fontem dulcedinum,
Virgo-mater.



LV-

LVDOVICI BLOSII
INSTRVCTIONIS
VITÆ ASCETICÆ
PARS TERTIA,
SIVE
SEPTEM EXERCITIA
VEL MEDITATIONES
RELIGIOSIS MAXIME TYRONIBVS
ACCOMMODATÆ,
QVIBVS HOMO IN TIMORE DEI
ET BONA SANCTAQVE VITA
CITO STABILIRI POTEST.

PRÆFATIO.

SI vis in timore Dei confirmari, & in bonâ sanctâque vitâ stabiliri, sequentes Meditationes humili constantique animo aggredieris, & ex ordine complebis, etiamsi natura tua repugnare videatur: quas etiam non leuiter aut negligenter percurres, sed cum morâ & diligentiâ ruminabis, totumque animum & conatum internum ad illas applicabis, singula puncta diligenter examinando atque discutiendo, & illa menti imprimendo. Suadetur ruminandas Meditationes.

Et quidem in qualibet Meditatione hærebis saltem ad tres dies: & quolibet die duas vel tres horas (si commodè fieri potest) aut etiam plures, in Meditationis exercitio expendes; relinquens interim alia priuata & spontanea exercitia. Tempus certum meditandi.

Sed & per totam diem, siue progrediaris, siue quiescas (quando non debebis alia cogitare) studebis in memoriâ habere, atque animo reuoluere ea, quæ ad meditationem illius diei spectant. Tempus incertum.

Non est necesse, nec expedit, vt qualibet horâ, exercitio meditationis deputatâ, Ordo.

plures diuisiones absoluas: sed sufficerit vnicam diuisionem, vel duo, triáve, seu quatuor puncta assumere ad meditandum.

Repetitio. *Vbi ipsas Meditationes eo modo finieris, rursum illas repetes, persistendo in vnaquaque earum saltem duobus diebus: quâ repetitione completâ, continuabis adhuc hæc exercitia ad duos menses, vel diutiùs, sed tunc poteris Feriis secundis assumere primam Meditationem; Feriis tertiis, secundam; Feriis quartis, tertiam; Feriis quintis, quartam; Feriis sextis, quintam; Sabbatis, sextam; Dominicis, septimam. Posteà sedulò exercebis te in vitâ & passione Christi, pro tuâ deuotione.*

Perseuerantia in pijs exercitijs saluâ semper obedientiâ & charitate. *Per omnem vitam tuam retinebis pia & congrua exercitia, quæ in te bonum propositum veramque deuotionem alant. Cauebis autem, ne vmquam præferas ipsa exercitia tua sanctæ obedientiæ, vel charitati fraternæ, seu voluntati diuinæ. Necesse enim est, vt etiam in istis discas teipsum abnegare.*

Quid in ariditate faciendû. *Si in hoc spirituali studio te durum aridumque senseris, & graue animi tædium passus fueris; non tamen ob id deseres vtile & salutiferum exercitium, sed humiliter ad honorem Dei facies quod in te est. Sæpè fortè apud temetipsum ita cogitabis: Cur spiritum meum in istis affligo, cùm in aliis longè meliùs & iucundiùs versari possem? Sed huiusmodi cogitatione neglectâ, debebis perseuerare in inceptis; credereque Deo gratissimum esse, vt modò in istis occuperis.*

Quid in statu consolationis. *Si Deus dederit tibi deuotionis & lacrymarum gratiam, non propter hoc tibi placebis, nec aliquid te esse existimabis, neque alios despicies; sed semper in sancto timore, & cordis humilitate te continebis, iudicans omnibus donis Dei indignum te esse.*

Colloquia interna. *Poteris in exercitio, alloquendo animam tuam, excitare teipsum: veluti si dicas:* O anima mea! euigilemus, & attentiùs consideremus, *&c. Poteris etiam nunc ad Dominum Deum, nunc ad beatam virginem Mariam Dei matrem, nunc ad alios cæli Ciues te conuertere, atque ea, quæ animæ tuæ salutaria sunt, postulare.*

Modestia & solitudo meditaturo seruanda. *Vt autem vberem fructum ex his exercitiis referas, abstinebis diligenter ab immoderatâ lætitiâ, à dissolutione cordis, & à risu inani atque inordinato. Talia enim internam recollectionem, compunctionem, & gratiam dissipant, atque extinguunt. Fugies etiam (quantum commodè poteris) multiloquium, & solitudinem conuenienter coles.*

Compositio corporis. *Inter meditandum flectes genua, vel sedebis, aut stabis: seruans eum corporis situm, quo te magis iuuari senseris. Locum secretum, quietum, & talibus exercitiis aptum eliges.*

Exordium Meditationis ab oratione. *Antequam inchoës Meditationem, facto signo sanctæ Crucis, dices hanc Precatiunculam:* O clementissime Domine Deus, miserere mei pauperrimi figmenti tui inuocantis te, & concede vt omnis intentio, cogitatio, atque actio mea purè ordinetur ad obsequium & laudem tuæ diuinæ maiestatis. Amen.

Finalis oratio. *Finitâ horâ Meditationis, leges Orationem Dominicam, cum Salutatione Angelicâ.*

Necessitas exercitiorû spiritualiû in Religiosis. *Vtinam consuetudo esset in Monasterijs exercere iuuenes in istis, antequam Religionem profiterentur, aut certè antequam ad Sacerdotium admitterentur! Ita enim honestas & disciplina monastica facilè introduceretur, introductaque conseruaretur.*

MEDI-

MEDITATIO I.

De Peccatis.

1. *Peccati macula & turpitudo.*
2. *Auertit à Deo, conuertit ad creaturas.*
3. *Peccatorum multitudo.*
4. *Circumstantiæ aggrauantes.*
5. *Quanto odio Deus peccatum prosequatur.*
6. *Affectus contritionis.*

DIVISIO I.

1. *Enormis macula peccati.*

COGITA, quòd anima tua fuit facta à Deo nobilissima atque pulcherrima: sed tu eam, iniquè ac negligenter viuendo, inhonestissimè defœdasti, & vilem, sordidam atque abominabilem reddidisti. Nam turpitudo peccati omni turpitudine visibili maior est.

Pæna reatus.

Et reuerà, tanta est enormitas mortalis peccati (cui æterna damnatio debetur) vt iure nosipsos pro vno, etiam minimo tali crimine, omnibus diebus vitæ nostræ vsque ad puluerem, sub ipsis quoque brutis animalibus, deprimere deberemus.

DIVISIO II.

2. *Auertit à fine vltimo ad quem conditus est homo.*

Eras ad hæc creatus, vt altissimo, dignissimo, benignissimoque conditori tuo obsequium & reuerentiam exhiberes, eumque amares & laudares: sed peccando auertisti te ab eo, & ad amoré vanarum caducarumque creaturarum conuertisti; atque ita te gratiâ quidem illius indignum, dignum verò æternis supplicijs fecisti.

Deplorandum.

Vnde meritò teipsum plangere, & mala, quibus Dominum Deum tuum offendisti, internis vel etiam externis lacrymis deflere studebis.

DIVISIO III.

3. *Multitudo & varietas peccatorum.*

Igitur recogita, sicut potes, in amaritudine animæ tuæ, omnia grauiora peccata, quæ à primâ ætate tuâ in hanc vsque horam, operibus, verbis, cogitationibus & omissionibus commisisti, ac si mox de eis exactam confessionem coram Sacerdote facturus esses.

Cautela in recogitando turpia peccata.

Non tamen diu imagineris peccata carnis, quæ perpetrasti: ne talis imaginatio noxiam delectationem pariat.

Modus examinis.

Discurre diligenter de anno in annum, vel de die in diem, seu de tempore in tempus. Recole loca in quibus fuisti, personas cum quibus vixisti, & statum atque officium quæ habuisti. Perpende quoties iteraueris vias tuas pessimas.

Peccatum contra te sit semper. Psalmo 50.

Ex omnibus peccatis tuis confice tibi quasi quemdam fasciculum, vt quoties illum dissoluere volueris, facilè videas prioris vitæ tuæ crimina ac scelera; & inde erubescas, compungaris, humilierisque.

DIVISIO IV.

4. *Maiestas Dei offensi aggrauat offensam.*

Exaggera & aggraua ipsa peccata, quibus tu, despicabilis & abiectus homuncio, Creatorem cæli & terræ, Dominumque summæ maiestatis inhonorasti & contempsisti, eiq; infinitam irrogasti contumeliam, & Christum iterùm quodammodò crucifixisti: qui tamen tibi semper benignissimè benefecit, teque seruauit.

Humilia te ob superbã ingratitudinem.

Illam superbiam, peruersitatem & ingratitudinem tuam benè ponderans, humilia, deijce, & constitue te infra omnes homines totius mundi, atque etiam infra omnes creaturas; æstimando te omnium vilissimum, & indignum quem terra sustineat; dignum verò quem tartarus absorbeat, nisi misericordia Domini subueniret.

DIVISIO V.

5. *Quantopere Deus detestetur peccatum: in Lucifero,*

Cogita, quantum Dominus detestetur & puniat peccata, adeò vt plerosque ob vnicum peccatum mortale terribili iustoq; iudicio suo in æternum damnauerit; sicut patet in Lucifero, & in Angelis qui ei consenserunt.

Adamo.

Liquet etiam quantum ipse Deus offensus fuerit vnicâ transgressione, quam admiserunt primi parentes nostri Adam & Eua.

Ideò argue temet ò peccator.

Iam quid de te fieri debuit, qui ipsum sanctissimum Regem gloriæ toties offendisti? Hæc profundè attendens, argue & iudica teipsum, ne à Domino posteà iudiceris.

Mirare quòd adhuc non es consumptus.

Admirare vehementer, quòd omnia elementa, omnesque creaturæ non in surrexerint aduersum te, vt iniuriam sui conditoris vlciscerentur. Obstupesce quomodo non se aperuerit terra, vt te viuum deglutiret, & ad infernum transmitteret; quomodo item Angeli sancti tuas iniquitates sustinere potuerint.

DIVISIO VI.

6. *Affectus doloris, & veniæ petitio.*

Tandem ex totis præcordijs dolens, vel dolorem habere desiderans, & Iesum crucifixum eiusque cruenta Vulnera attendens, exclama in corde tuo, & dic hæc aut similia: *Heu! piissime Domine Iesu Christe, creator, redemptor & benefactor meus, ego infelicissimus sic & sic te offendi,* atque

atque contempſi; illas & illas iniquitates toties repetiui; ita inobediens & ingratus tibi fui. Sed ignoſce mihi, obſecro, propter immenſam bonitatem & charitatem tuam, quâ amariſſimam paßionem pro me ſuſtinuiſti.

Propoſitum emendationis. Vbi hæc aut ſimilia dixeris cum humilitate, nequaquam deſperes, ſed plenam & amoroſam erga Deum fiduciam reſumens, firmiter propone per gratiā ipſius te emendare, & peccata omnia, non ſolùm mortalia, verùm etiam venialia & minima vitare, quantum in te erit.

MEDITATIO II.

De Morte.

1. *Mortis memoria quàm vtilis; cuius imaginem etiam caro viua repræſentat.*
2. *Morienti omnia relinquenda, quæ viuenti chara.*
3. *Quàm tremenda homini imparato mors ſuperueniat.*
4. *Dæmones maximè inſidiantur morituro.*
5. *Formidabilis introitus ad particulare iudicium.*
6. *Hinc collige, emendandam eſſe vitam nunc, dum licet, vt tunc paratus inuenieris.*

DIVISIO I.

1. *Mortis memoria vera eſt ſapientia.* MORTEM præmeditari, & ad eam diligenter ſe præparare, vera ſapientia eſt. Et tu felix eris, ſi mortis horam ſemper & vbique expectans ita vigilaueris, vt nihil in conſcientiā tuā reſidere permittas, quod tibi iam morituro anxium timorem incutere poſſit.

Caro viuentis eſt viua imago mortis. Benè tibi erit, ſi tu, conſiderans quanta poſt mortem erit vilitas carnis tuæ, non ſuperbis, neque carnales delectationes ſectaris. Nam quàm miſera, quæſo, eſt in hac vitâ caro tua! quàm fragilis! quàm plena ſordibus, per omnes meatus cum intolerabili fœtore aſſiduè perfluentibus, etiamſi ipſa exteriùs pulchra ac nitida appareat! Nimirum rectè corpus tuum modò dici poteſt ſaccus ſtercoris, & omnis ſpurcitiei: breuî verò abiectum, corruptum & putridum cadauer, eſcaque vermium erit.

DIVISIO II.

2. *Mors ſpoliat omnibus ſæculi bonis.* Cogita ergo, te breuî, imò fortaſſe hodie moriturum, atque hinc in aliam ignotam regionem tranſiturum: & diuitias, gloriam, honores, pompas, voluptates, amicos, vanitates, ceteraque omnia tranſitoria & caduca, quæ inordinatè amas, vel in quibus modò delectaris, hîc relicturum.

Et reuerà omni die, omni horâ, omnique momento, morti & vltimæ horæ vitæ huius appropinquas. Igitur compone te, ac ſi iam moriturus eſſes. Exiſtima vultum tibi palleſcere, os contrahi, viſum obtenebrari, halitum deficere, iamque ſudorem mortis adeſſe, qui naturam victam eſſe teſtetur. *Mortem iam te inuadentem cogita.*

DIVISIO III.

Cogita, quæſo, quantus tunc tremor & horror te inuadet, quantumque dolebis, ſi fueris imparatus, propterea quòd te ſtrenuè non emendaſti. 3. *Horrenda mors imparato.*

O quàm breue tibi videbitur eſſe tempus vitæ tuæ! Apparebit enim veluti ſomnium, & quemadmodum vmbra: cùm perpendes inſtare æternitatem, quæ numquam finietur. *Vita videbitur ſomnium.*

Deſiderabis fortè vnam horulam ad corrigendum te; ſed incertum eſt vtrùm impetrabis. *Vna hora deſiderabilis.*

Quid tibi proderit ſuperbia tua? Quid proderit, ſi modò voluntatem propriam, vitioſaſque animi tui paſſiones ſecutus fueris? *Temporalia omnia tunc vileſcent.*

O quàm triſtis eris cùm tempus pretioſum amiſeris, aut infructuoſè expenderis! Quantum angêris, quòd tam iniquè, negligenter & remiſsè vixeris! quòd ad vana videnda, audienda & dicenda tam auidus fueris! quòd oblectamenta carnis & ſenſuum non viriliùs contempſeris, quodque ad tui mortificationem, & ad veram humilitatem charitatemque ſectandam, atque ad ſpiritualia quæque bona congreganda torpueris! *Dolor de vitâ negligenter trāſactâ.*

Modò ergo, dum adhuc tempus habes, emenda te, & meliùs ſanctiuſque viuere ſtude. *Meliùs poſthac tranſigatur.*

DIVISIO IV.

Cogita, quando anima tua duriſſimis mortis puncturis ſtimulata, lucem huius mundi videre deſinet, & alterius ſæculi ſtatum, atque ea quæ priùs credere nolebas, internis oculis aſpicere incipiet: aderunt cruentæ beſtiæ, & horribiles dæmonum cateruæ, varijs modis inſidiantes eidem animę tuæ, & eam expectantes vt rapiant, ſi ſine verâ pœnitentiā hinc deceſſerit. 4. *Mortis horā infeſtant tentationes diabolicæ.*

Bonum itaque & ſalutare eſt nunc ſibi proſpicere, praua & inutilia deſideria amputare, vana & mundana quæque relinquere, & ad cæleſtia æternaque bona amanda & quærenda ſe totum conuertere. *Nunc ergo amputanda omnis vanitas.*

DI-

DIVISIO V.

5\. *Formidabile iudicium particulare.* Cogita, quomodo ipsa anima tua de corpore egressa, mox statuetur ante tribunal metuendi Iudicis, qui te aliter iudicare non poterit, quàm opera tua merentur, cùm sit summa & incommutabilis æquitas.

De omni minimâ actione. In hoc particulari iudicio reddere debebis exactissimam rationem de totâ vitâ tuâ, de omni tempore infructuosè transacto, de omnibus malis operibus tuis, de bonis omissis, de singulis verbis otiosis, & singulis cogitationibus atque affectionibus inordinatis.

Dæmonibus accusatoribus. Dæmones proponent omnia peccata, omnesque negligentias tuas, quæ per pœnitentiam deletæ non sunt.

Sententia erit irreuocabilis, teste Ecclesiaste cap. 11. Sententia demum de animâ tuâ à iusto Iudice proferetur, quæ numquam in æternum reuocabitur: nam vbi lignum ceciderit, siue ad austrum, siue ad aquilonem, ibi perpetuò manebit; & ad æternam vel salutem vel damnationem pertinebit.

DIVISIO VI.

6\. *Nunc igitur emendãda vita.* Vtile tibi est ista sæpè cogitare, vt omni studio vitam tuam corrigas, & pacem cum Deo tuo componas, antequam hinc euoceris. Hoc facies, si sapis.

Quamdiu misericordia locus est, ex Ezechielis c. 18. & 33. Nam ipse Dominus Deus misericordissimus est, & omnes ad se tempestiuè per veram pœnitentiam reuertentes, benignissimè suscipit: quia non vult mortem peccatoris, sed magis vult vt peccator conuertatur, & viuat.

MEDITATIO III.

De vniuersali & finali Iudicio.

1. *Terribilis apparatus imminentis iam iudicij vniuersalis.*
2. *Status diuersissimus eorum, qui ante tribunal comparebunt iudicandi.*
3. *Qualem se exhibebit Christus Dominus eisdem conspiciendum.*
4. *Exactissima discussio peccatorum, & delictorum omnium, etiam minimorum, habebitur.*
5. *Sententiæ irreuocabilis prolatio, & executio maximè horrenda.*
6. *Ita ergo deinceps viuendum, vt illum diem securus expectes.*

DIVISIO I.

1\. *Quanti horroris sit futurum iudicium.* NIHIL horribilius cogitari potest, quàm districtum & metuendum illud iudicium, quo Deus iudicaturus est vniuersos homines in die nouissimo.

Signa tremenda ipsũ antecedentia ex Matthæi c. 24. Marc. 13. Luc. 21. Hoc vniuersale iudicium signa valdè terribilia præcedent, nempe stupendus impetus ventorum, tumultuosæ eleuationes maris, insolitæ agitationes fluctuum, ingentes terræmotus, ruinæ ædificiorum, collisiones rupium, confractiones petrarum, fragores tonitruum, obscuratio Solis, Lunæ & siderum; tristis rugitus & mugitus animalium, miserabilis arefactio hominum præ timore, *&c.*

Ignis conflagrationis nouissima. Instante iam die iudicij, mundus diuinâ virtute succendetur: & ita ignis cuncta animalia bruta, cunctosque homines, quos viuos inuenerit, perimet atque absumet.

Iudicis aduentus & comitatus. Veniet autem Iudex supremus in maiestate suâ, & irâ intolerabili. Iudex ille formidabilis veniet in nubibus cæli, cum senioribus populi, & millibus Angelorum, cum totâ militiâ cælesti.

Dies finalis horribilis. Sophon. 1. Meritò itaque Sophonias Propheta diem illum Domini magnum & amarum considerans, dicit: *Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.*

Tuba resurrectionẽ imperans. Et beatus Hieronymus ait: *Siue comedo, siue bibo, siue aliud quid ago, semper insonat auribus mentis meæ, illius horribilis tubæ sonitus, Surgite mortui, venite ad iudicium.*

DIVISIO II.

2\. *Resurrectio hominũ ad iudicium.* Omnes ergo homines in momento receptis corporibus suis resurgent, & Dominus ad iudicandum descendet.

Status iudicandorũ, Electorum, Reproborũ. Et electi quidem agiles, speciosi, potentes, lucidi, gaudentes ac securi, occurrent Iudici venienti, atque à terrâ eleuati, stabunt in aëre ad dexteram: reprobi verò consistent in terrâ, plumbo grauiores, infirmi, deformes, fœtidi, viles, obscuri, & miserrimè trepidantes, atque ad sinistram erunt.

Miserrima tunc reproborum conditio. O quàm horrendas & inexcogitabiles angustias isti sustinebunt, quàm indicibili terrore & pauore concutientur, quando videbunt supra se iratum & inflexibilem Iudicem, infra se apertum & patens chaos inferni, circa se mundum ardentem, & turbam dæmonum accusantem, intra se conscientiam ream & vrentem.

Omnia patebunt, quæ nunc arcana. Omnia eorum peccata & cordis arcana patebunt, tam hominibus quàm Angelis, vniuersa.

Nullum effugium. Ipsi iniqui quærent faciem ab irâ vultus Iudicis auertere, sed non poterunt.

Angustia malorũ ob visam bonorũ gloriam. Sapient. 5. Qui etiam cernentes iustorum gloriam, *turbabuntur timore horribili*; *& præ angustiâ spiritus gementes,* dicent: *Hi sunt, quos habuimus*

buimus aliquando in derisum. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.

DIVISIO III.

3. *Vulnera sua exhibebit Christus bonis & malis adspicienda.* Christus Dominus ostendet cunctis Vulnera sua ineffabili decore fulgentia: quæ iustis quidem dulcissimam consolationem, impijs verò horrendam confusionem adferent.

Exprobrabit impijs beneficia sua. Ipse Christus omnibus reprobis & ingratis terribiliter tunc improperabit Incarnationis passionisque suæ beneficia: & illi cum incomprehensibili dolore agnoscent eum, quem paruipendere & spernere potiùs, quàm timere ac colere voluerunt.

DIVISIO IV.

4. *Examen rigorosum de omnibus peccatis.* Nullum malum tunc indiscussum aut inultum remanebit: sed fiet districta examinatio omnium operum, verborum, cogitationum, atque affectionum tuarum.

De omnibus acceptis & expensis. Non minor est iustitia Iudicis, quàm eius misericordia: vtraque infinita est. Ergo rationem reddere debebis de omni tempore tibi concesso, de spiritualibus donis neglectis, de bonis temporalibus malè expensis, de cibo, potu, & eleëmosynis indignè absumptis.

Etiam pro alijs quos scandalizasti. Reddes rationem non solùm pro teipso, verùm etiam pro illis, quibus vmquam malum exemplum præbuisti, & occasionem malè faciendi dedisti.

Quorum conuersionē non promouisti. Sed & pro omnibus peccatoribus atque paganis grauis fortè à te exigetur ratio, proptereà quòd pro eorum conuersione fideliter non oraueris.

Præsertim pro fidei suæ commissis. Maximè verò pro illis rationem redditurus es, qui tuæ curæ specialiter commissi sunt.

De occultis etiam & ignotis. Innumera peccata, quæ non aduertis, neque agnoscis, tunc contra te quasi de insidijs erumpent, & tibi objicientur. Minimæ cogitationes, ac minutissima verba, quæ apud te viluerunt, nec reputantur, tunc discutientur. Hinc orat Psalmista:
Psal. 18. *Ab occultis meis munda me Domine.*

DIVISIO V.

5. *Sententia pronuntiatio terribilis, teste Matt. c. 25.* Attende iam durissimam & irreuocabilem iusti & irati Iudicis sententiam, quam feret in omnes reprobos. Nam vbi dixerit his, qui à dextris erunt, *Venite benedicti Patris mei*, &c. dicet his, qui à sinistris erunt, *Ite maledicti in ignem æternum.* O verbum asperum! verbum omni horrore & amaritudine plenum!

Eiusdem executio sine dilatione. Prolatâ hac damnationis æternæ sententiâ, mox terra cum terribili fragore absorbebit impios; & ignis ille, quo mundus conflagrabit, eos inuoluens cum tenebris, & cum omni immunditiâ ac fœtore totius mundi detrudet in tartarum, ibi perpetuò cruciandos.

Electorum gloria. Ipsis autem in profunda gehennæ ruentibus, ascendent electi gloriosè in cælum, eisdem reprobis idipsum cernentibus, &, ad ampliorem suæ miseriæ calamitatem, numquam obliuiscentibus.

Amara separatio damnatorum à beatis. O contemptores legis Dei! pensate, obsecro, profundiùs, quàm acerbum erit, ita separari à societate Dei, & beatæ Mariæ Virginis, atque omnium ciuium cælestium!

Inferni perpetua claustra. Vbi infernus impios damnatos receperit, claudetur, obstrueturque supernè sicut olla, & inde nullus vmquam dæmon aut homo egredietur.

DIVISIO VI.

6. *Misericordia tempus adhuc est.* Tu igitur, vt inenarrabilem hanc miseriam, confusionem, horrorem & angustiam euadere possis, dum tempus est misericordiæ, stude Deum placare, & ei placere.

Stude nunc contritioni & confessioni, Defle, & confitere humiliter, ac sincerè peccata tua. Non abscondas modò à Sacerdote vicario Christi, quod latere cupis in illo tremendo iudicio.

Et emendationi, monente Dauide Psalmo 36. Corrige vitam tuam totis viribus. *Declina à malo, & fac bonum.* Expende tempus vtiliter. Fuge vana & inepta gaudia: mortifica, quantum potes, vitiosas animi tui passiones & affectiones.

Sapiens timor. Nunc sapienter time, vt tunc feliciter securus sis.

MEDITATIO IV.

De pœnis Inferni.

1. *Imaginaria repræsentatio gehennæ ignis seu receptaculi damnatorum apud inferos.*
2. *Immanitas suppliciorum gehennalium.*
3. *Pœna externa & dæmonum insultantium societas.*
4. *Pœna interna, & vermis conscientiæ in æternum viuens & rodens.*
5. *Pœnarum interminabilis duratio.*
6. *Diligenter in Religione viue, vt hæc euitare merearis.*

DIVISIO I.

1. *Miseria damnatorum.* SICVT inenarrabilis est beatitudo Sanctorum in cælo, ita prorsus ineffabilis & incom-

incomprehensibilis est calamitas reproborum in inferno.

Fornax inferni. Tu iam imaginare locum subterraneum, & chaos horribile: aspice fornacem ingentem, totam sulphure & pice accensam, terribiliterque ardentem, tenebrosam, fumosam, fœtidam, hominibus & dæmonibus plenam.

Sedes desperationis & horroris ex Apocalypseos c. 16. Ibi sempiternus horror, & perennis desperatio; ibi stridor dentium, & ingens vlulatus, perpetuaque blasphemia; ibi damnati, præ acerbitate dolorum, linguas suas manducant, ac Regi cæli maledicunt.

DIVISIO II.

2. *Instrumenta pœnæ sensus.* Cogita ibi talem ignem & ardorem, taleque frigus esse, vt omnis ignis & calor, omneque frigus huius sæculi, in comparatione illius ardoris & frigoris, nihil sit. Ibi ergo de intolerabili calore ad intolerabile frigus transire coguntur. Ibi dirissimè coquuntur, & assantur.

Vniuersalis cruciatus omnium sensuum. Tormenta amarissima sentiunt in quolibet sensu, & quolibet membro. Visus eorum semper conspicit tetras & horrendas dæmonum facies. Auditus assiduè percipit planctus & voces vociferantium: Væ, væ, væ! vt quid creati & nati sumus? Maledictus Deus qui nos fecit. Hoc est carmen quod ibi iugiter resonat.

Balnea, olfactoriola, & bellaria damnatorum. Imaginare ibi vasa plena esse omni spurcitiâ, videlicet, bufonibus, colubris, putridis cadauerum carnibus, cloacarumque sordibus & stercoribus simul commistis: atque in illa vasa impios prorsus demergi, & eos inuitos odorari, tangere, edere, ac bibere fœtidissimam illam misturam. Nihil tu potes imaginari tam abominabile & graue, quin ibi sint abominabiliora & grauiora.

Iustitia pœnarum sensus. Ibi vnusquisque plus punitur in illis membris, per quæ quis plus peccauit.

DIVISIO III.

3. *Sodalitium diabolorum insultantium.* Ibi dæmones insultant ijs quos torquent, & quos socios habent, atque in æternum habebunt, dicentes: Vbi nunc diuitiæ, vbi honor, vbi gloria, vbi voluptas, vbi deliciæ, vbi vanitates vestræ sunt?

Vtilis est timor pœnarum æternarum. Quis tam durus ac demens est, qui ex horum consideratione non concipiat vtilem timorem? & qui prauam negligentemque vitam suam non emendet?

Nullũ aberit miseriæ genus. Certè, quidquid affligere, quidquid horrori & abominationi esse potest, semper videbitur, audietur, & sentietur in inferno.

DIVISIO IV.

Cogita adhuc interiores damnatorum pœnas: nam ipsi visione Dei æternaliter priuati sunt, quod sanè quauis aliâ pœnâ illis grauius est. Numquam cernent beatam illam ciuitatem Ierusalem cælestem. 4. *Pœna damni grauior quàm pœna sensus.*

Deus eos abiecit, & sempiternæ obliuioni tradidit, nec illorum vmquam miserebitur. Vasa enim sunt iræ, in quibus rigor & seueritas diuinæ iustitiæ ostenditur. *A Deo abijciuntur.* *Rom 9.*

Vermis conscientiæ eorum numquam morietur, sed incessanter illos rodet atque arguet, propterea quòd ipsi propter tam breue gaudium, & tam momentaneam voluptatem beatitudinem æternam amiserint, æternaque supplicia inuenerint. *Vermis conscientiæ.*

O! rumina, rumina diligenter ipsam pœnarum æternitatem. Post mille millia annorum non appropinquabit finis, quia nullus vmquam erit finis; sed erit in inferno perpetua omnium malorum aggregatio, & perpetua omnis consolationis elongatio. *Æternitas, ô Æternitas!*

DIVISIO V.

Ecce, talis calamitas merces est eorum qui Deum non timent, & in peccatis vsque ad exitum animæ, sine verâ pœnitentia perseuerant. Nam cùm in mortali peccato sit infinita enormitas, propter contemptum immensi Dei; iustè tale peccatum (si pœnitentiâ deletum non fuerit) punietur pœnâ interminabili. 5. *Pœnarum æternitas, quare.*

Tu verò qui adhuc es in tempore gratiæ, relictis vitijs ac vanitatibus, mox reuertere ad Dominum Deum tuum, & ipse te recipiet, emundabit sanabitque. Illum time, illi serui, illum ama ex toto corde tuo. Sic enim euades pœnas illas, quæ numquam finiuntur, numquam abbreuiantur, numquam minuuntur. *Temporali correctione euaditur.*

DIVISIO VI.

Si Religionem ingressus es, debes totis viribus tendere ad perfectionem, debes ducere vitam humilem, puram, & eximiè sanctam. Quòd si cor sæculare in Religione habueris, & negligenter vixeris, atque in tali negligentiâ vitam finieris; omnino detrudêris ad infernum; vel certè tam acerbos, immanes, & diuturnos cruciatus in Purgatorio sustinebis, vt si iam eos præuidere posses, prorsus præ timore & horrore deficeres. 6. *Etiam ob timorem gehennæ diligentissimè in Religione vitanda peccata, & quærenda perfectio.*

Ergo nunc, si sapis, sedulam curam geres pro salute animæ tuæ. *Sic viue vt euites.*

ME-

MEDITATIO V.

De vitâ & passione Christi.

1. *Christi incarnatio & infantia.*
2. *Baptismus, ieiunium, labores.*
3. *Cœna vltima, agonia in horto, captiuitas.*
4. *Contumeliosa tractatio apud Pontificem.*
5. *A Pilato ad Herodem ducitur: spernitur, flagellatur.*
6. *Coronatur spinis. Ecce homo.*
7. *Crucem baiulat, & in eâ extensus clauis affigitur.*
8. *Cruciatus auctus blasphemijs: sitis, mors, sepultura.*
9. *Fasciculus myrrhæ attentè considerandus.*

DIVISIO I.

1. *Cur Deus homo.* PECCATVM mundi tolli non potuit, nisi ipse mundi Creator carnem humanam suscipiens, proprio Sanguine illud aboleret.

Christi conceptio. Ephes. 2. Cogita igitur quemadmodum Dominus Iesus Filius Dei viui, Deus altissimus, *propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos*, voluerit de Spiritu sancto concipi, & homo fieri in vtero beatæ Mariæ virginis: ne tu iniquitatibus tuis onustus descenderes ad infernum.

Natiuitas, & educatio. Deus tuus factus est frater tuus. Natus est tener infantulus, in abiecto stabulo. Inuolutus est vilibus pannis. Reclinatus est in præsepio iumentorum. Iacuit super fœnum & stipulas. Lactatus est vberibus pauperrimæ matris.

Circumcisio. Octauo die à natiuitate suâ circumcisus est, & Sanguinem fudit:

Fuga in Aegyptum. Deinde fugit in Ægyptum:

Labores & dolores pueritia. Atque ita in sacrâ infantiâ pueritiâque suâ plurimas necessitates & tribulationes sustinuit, cum Mariâ & Ioseph.

DIVISIO II.

2. *Baptismus.* Dulcis Iesus, cùm esset ferè triginta annorum, humiliter suscepit Baptismum à seruo suo Ioanne.

Ieiunium & prædicatio. Ieiunauit, tentatus est, vigilauit, prædicauit, itineribus laboribusque fatigatus est.

Labores vitæ. Famem, sitim, frigus, æstum, & innumeras ærumnas, innumerasque persecutiones triginta tribus annis mitissimo corde pertulit: ac tandem venit Ierosolymam, vt moreretur pro te.

DIVISIO III.

3. *Cœna vltima & Hortus oliuarū.* Dulcis Iesus, cùm fixis terræ genibus humiliter lauisset, linteoque tersisset pedes discipulorum suorum, & instituisset venerabile Sacramentum Eucharistiæ, venit in montem Oliuarum. O quàm grauia, quàm indigna, quàm acerba deinceps pro te passus est!

Agonia in horto. Nam ipse Dominus summæ maiestatis voluit pauere & tristis esse vsque ad mortem. Voluit sudore sanguinis suffundi, præ vehementiâ angustiarum quibus premebatur.

Captiuitas. Non recusauit à Iudâ proditore osculari, atque à sceleratis hominibus ignominiosè, tamquam latro, comprehendi, ligari, abduci, trahi, impelli, percuti.

DIVISIO IV.

Dulcis Iesus, Dominus dominantium, dignatus est diram alapam à seruo Pontificis accipere. 4. *Alapa.*

Sputa & colaphi. Dignatus est iniustè damnari, sputis fœdari, colaphis & alapis cædi, probrose velari, illudi, & subsannari.

Patientia. Non est intereà conquestus, nec faciem auertit à conspuentibus, agnus mansuetissimus: sed patientiam docens, seque patientiæ formam exhibens, obmutuit, & non aperuit os suum. Conuitia, contumelias, opprobria, & quaslibet iniurias in silentio tolerauit. *Isai. 53. Actor. 8.*

DIVISIO V.

Ecce, dulcis Iesus, Sanctus Sanctorum, consputus & vinctus ducitur ad Pilatum, & coram eo falsò accusatur, sed humiliter tacet. 5. *Ad Pilatum.*

Ad Herodem. Mittitur à Pilato ad Herodem: & ab ipso Herode spernitur, albâque & ridiculâ veste, tamquam fatuus, induitur, atque ita ad Pilatum remittitur.

Flagellatur. Nudatur in prætorio, & ad columnam inhumaniter ligatur: flagellisque crudelissimè dilaceratur. Virginea delicataque caro eius tota liuoribus ac plagis deformatur, & ex eâ riuuli pretiosi Sanguinis vndique in terram decurrunt.

Nostrâ causâ. Isai. 53. O quale & quàm miserandum spectaculum! Verè *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus.*

DIVISIO VI.

Dulcis Iesus, Rex Regum, chlamyde coccineâ ad maius opprobrium vestitur, spinis coronatur, vulneraturque. Hinc purpureus sanguis in amabilem faciem & collum eius vbertim defluit. 6. *Spinea corona.*

Ponitur

Sceptrum arundineũ. Ponitur arundo in manu eius, & ipse nugatoriè salutatur adoraturque; cæditur arundine; iterùm conspuitur, & alapis accipitur.

Ecce homo. Exhibetur spectandus populo, gestans spineam coronam, & purpureum vestimentum.

DIVISIO VII.

7. *Baiulat crucem.* Dulcis Iesus, Creator cæli & terræ, attritis laceris que humeris suis crucem propriam baiulat.

Myrrhatũ vinum. Vinum myrrhatum cum felle mistum in loco Caluariæ degustat.

Nudatur. Rursum nudatur, & ex vestimentorum detractione plagæ eius renouantur.

Crucifigitur. In cruce inclementer extenditur, & delicatæ manus atque incontaminati pedes eius duris clauis transfiguntur, compagesque sanctissimorum membrorum illius miserabiliter soluuntur.

Sanguinis riui. Purissimus sanguis è Vulneribus sacris, velut è fontibus, largiter profluit.

Fontes vulnerum. Eia, pensa; & meditare ista profundiùs. Attende cruenta & salutifera Vulnera Redemptoris tui, saluta & venerare illa corde deuoto.

DIVISIO VIII.

8. *Pendet in cruce.* Dulcis Iesus amarissimos cruciatus tribus horis sustinuit, pendens in stipite crucis, medius inter latrones.

Blasphematur. En, subsannatur, blasphemiisque impetitur: sed orat pro blasphemantibus, orat pro crucifixoribus suis.

Compassio Matris & Filij. Mœstæ & afflictæ Matri suæ astanti intimè compatitur, & eam benignè alloquitur.

Sitit. Grauissimâ siti æstuans aceto potatur:

Moritur. Statimque venerandum caput inclinans tradit spiritum. Bonus Pastor ponit animam

Ioan.10. suam pro ouibus suis. Viuificator omnium moritur pro te.

Apertio lateris. Posteà latus eius lanceâ aperitur, & inde sanguis & aqua effluit.

Sepultura. Postremò immaculatum corpus ipsius de cruce depositum, in monumento reconditur, ac sepelitur.

DIVISIO IX.

9. *Fasciculus myrrhæ, ex S. Bernardo Serm.43. in Cantica.* Habes hîc spiritualem myrrhæ fasciculum. Tu eum inter vbera animæ tuæ diligenter repone.

Deus-homo hæc patitur. Dum autem hæc meditaris, inspice internis oculis dilectum tuum Iesum Christum, non sicut hominem purum, sed eum sicut Deum & hominem, in omnibus quæ fecit ac pertulit, contemplare.

Affectus hinc educendi. Considera diligenter humilitatem & patientiam eius abyssalem, benignitatemque inæstimabilem, & charitatem ardentissimam. Admirare, obstupesce, imitare, compatere, & amoris vicem repende, sicut potes. Adora, lauda, & glorifica illum, eique gratias age.

Præsertim, odium vanitatis, & iniquitatis. Perpende, obsecro, an æquum sit, vt filio Altissimi, summoque Rege gloriæ, pro te vilissimo, tantam abiectionem & ignominiam, tantosque labores & cruciatus tolerante, tu interim lusibus & iocis, vanitatibus & delicijs, quasi securus, operam des; parum aut nihil de illo cogitans, & negligenter vel etiam iniquè viuens!

Detestatio ingratitudinis. O quàm malè habebunt in nouissimo ingrata illa & infelicia corda, quæ tanta beneficia, tanta amoris insignia paruipendunt, & passionem Christi recolere non student! Absit à te hæc detestanda cæcitas.

MEDITATIO VI.

De imitatione Christi.

1. Duo duces militiæ nos post se vocant, diabolus, & Christus Dominus. Vtrum eliges?
2. Imitare igitur Christi profundam humilitatem,
3. Dulcem mansuetudinem,
4. Paupertatem in omni conuictu,
5. Mortificationem suiipsius perpetuam,
6. Patientiam inuictam, & resignationem plenissimam,
7. Charitatem vniuersalem erga omnes;
8. Et quantum potes, te conforma in his omnibus speculo Christi.

DIVISIO I.

1. *Militia diaboli, & malitia eius.* Ecce, crudelis, teter, & horribilis princeps tenebrarum diabolus tibi dicit: Audi & sequere me: esto superbus, &, neglecto Deo, fac voluntatem tuam propriam, dilige mundum atque ea quæ in mundo sunt, vt mecum crucieris in æternis inferni supplicijs.

Militia Christi Domini. Contrà, mitis, serenus, & amabilis Rex gloriæ Christus tibi dicit: Audi, & sequere me; esto humilis, & contempto mundo, abnega voluntatem tuam propriam. Dilige Deum atque ea quæ sursum sunt, vt mecum in æternum gaudeas in cælis.

Vtri parendum? Hîc iam perquire & perpende diligenter apud temetipsum, vtrum ex ijs duobus audire & sequi debeas. Profectò ratio tua apertè clamat & ostendit, te debere sequi Dominum Iesum, dulcissimum Creato-

Præcellentia Christi. rem,

rem, Redemptorem, amatorem, & benefactorem tuum.

Ergo Christi virtutes imitare. Quod cùm ita sit, tu incunctanter ipsi Christo te adiunge, & dic ex animo: Domine Iesu, ego amodò, spreto diabolo, te Regem meum sequi, imitari, & amare propono, tuâ gratiâ me adiuuante.

DIVISIO II.

2. *Primò, humilitatem eius, & obedientiam Philip. 2.* Ergo sicut ipse Rex tuus Iesus Christus, Deus altissimus, semetipsum humiliauit atque exinaniuit, carnem humanam seruique formam assumendo, ex paupercula virgine nascendo, pedes discipulorum lauando, Patri atque hominibus perfectissimè obediendo; ita tu teipsum in omnibus, pro amore eius, posthac humiliare propones.

Erga omnes, Libenter cunctis hominibus te substernes: libenter omnibus inseruies.

Infra omnes, Libenter nouissimũ locum tenebis, cùm non sis dignus quem terra sustineat, propter peccata tua & ingratitudinem tuam.

In vilibus, Libenter vilia & abiecta opera perficies, etsi propterea pudorem aliquem coram hominibus pati deberes.

Obedientiâ tuâ: Libenter & promptè in rebus licitis atque conuenientibus obedies, non solùm Superioribus tuis, sed & æqualibus, atque etiam inferioribus.

DIVISIO III.

3. *Imitare etiam mansuetudinem Ducis tui.* Item, sicut Rex tuus Christus fuit semper mitis & humilis corde, ita tu ad hoc posthac conari debebis, vt asperi vitiosique iracundiæ motus in te extinguantur.

Proprio sensui renuntia, Non eris obstinatus in tuo sensu, neque adhærebis proprio iudicio: sed sapienter iudicium & voluntatem aliorum præferes iudicio ac voluntati tuæ.

Amorique proprio. Reputabis te ex animo omnium indignissimum esse, omnique vanæ gloriæ, & propriæ complacentiæ renuntiabis, sicut poteris; agnoscens te ex teipso nihil esse, nihil posse, nihilque nisi peccata ac defectus habere.

Nihil tibi arroga. Numquam ergo aliquid de donis Dei tibi vsurpabis, sed omnia bona Deo attribues, & in eum purè referes.

Ama contemni. Eliges atque amabis ignorari & vilipendi ab hominibus, potiùs quàm cognosci aut laudari.

DIVISIO IV.

4. *Imitare Ducis tui paupertatem in conuictu.* Sicut etiam Rex tuus Christus ab omni vanitate, pompâ, curiositate, & superfluitate in cibo, potu, vestitu, atque alijs vitæ necessarijs abstinuit, imò & paupertatem abiectissimam in natiuitate morteque sua elegit: ita tu propones posthac rebus moderatis, vel etiam simplici cibo ac potu, simplicique vestimento, & simplici supellectili contentus esse; remouendo à te quidquid vanum, superbum, vel omnino superfluum est.

DIVISIO V.

Rursus, sicut Rex tuus Christus sensualia oblectamenta carnisque delicias non est sectatus, sed etiam sitiens, felle atque aceto potatus fuit, & nulli rei inordinatè adhæsit, moresque & gestus placidissimos habuit: ita tu propones posthac omnes impuras & sensuales delectationes, impuraque solatia respuere. 5. *Mortificatio & puritas affectuũ & grauitas morum, in Christo.*

Quinque sensus tuos, visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum, atque etiam linguam tuam, ab omni excessu, vanitate, & curiositate cohibebis. *Custodia sensuum & linguæ.*

Cor tuum omni diligentiâ mundum liberumque custodies. Non adhærebis per inordinatum affectum alicui personæ, aut alicui rei caducæ. *Cordis munditia & libertas.*

Risum immoderatum, & omnem morum leuitatem vitabis. *Maturitas.*

Noxia & superflua hominum mundanorum consortia, & peccandi occasiones prudenter declinabis. *Fuga mundanorum consortiorum.*

Reliquum vitæ tuæ tempus vtiliter ad honorem Dei expendes, & sobriè, castè, purè pieque, Deo auxiliante, viuere studebis. *Expende tempus vtiliter.*

DIVISIO VI.

Præterea, sicut Rex tuus Christus, iniustas sui accusationes, conuitia, persecutiones, ac pœnas sibi illatas, humillimè, patientissimè, benignissimè, & animo prorsus resignato pertulit: ita tu posthac tui reprehensionem, iniurias, opprobria, contemptum, dolores, & quælibet aduersa patienter ac benignè tolerare propones pro illius amore, suscipiendo omnia de paternâ manu eius. 6. *Induenda Christi Domini patientia,*

Resignabis te totum, sicut poteris, in æquissimum iudicium, gratissimumque beneplacitum illius: te, inquam, funditus illi relinques, permittens vt ipse tecum agat, tibi mittat, à te auferat, quidquid volet, & sicut volet. Renuntiabis omni propriæ voluntati tuæ. *Et resignatio plenissima.*

Credes te omni tribulatione dignum esse, nec vllam creaturam te posse tantum affligere, quantum mereris affligi, propter infinitas iniquitates tuas. *Agnosce te mereri afflictionem quamcumque.*

Non

Disce pati sine querelâ. Non leuiter conqueri debebis, quòd aliqua iniuria tibi irrogetur; nec dicere, quòd aliquid iniustè patiaris: quia minùs semper patieris, quàm meritus sis.

DIVISIO VII.

7. *Charitatem Christi erga omnes æmulare.* Postremò, sicut Christus Rex tuus, omnes amans, omniumque salutem desiderans, etiam pro inimicis suis orauit, & solem suum oriri facit super bonos & malos: ita tu propones posthac omnes homines, nullo excepto, sincerè diligere, omnium salutem desiderare, & omnibus, maximè inimicis, fidelem, pium, ac suauem te exhibere ex charitate.

Compassio. Dolebis, quòd tam multæ animæ, nobilissimâ Dei imagine insignitæ, pereant. Afflictis compatieris.

Neminem iudicare. Neminem contemnes, neminem iudicabis: valdè enim gratiam Dei impediunt temeraria iudicia.

DIVISIO VIII.

8. *Quinque praxes.* Ista apud te studiosè ruminabis. Considerabis attentè, quàm verum sit, quod dicitur, quando in prædictis Christus hoc vel illud fecisse scribitur.

1. Inspice exemplar:

2. Applica exemplandum; Matt. 10. Luc. 6. Optabis ex animo illi conformis esse, vt sit discipulus sicut magister eius: & non superbiat vilissimus seruus, supremo Imperatore humilitatem in omnibus exhibente.

3. Examina voluntatem. Examinabis te diligenter in singulis, & perpendes vtrùm integram voluntatem habeas opere complendi per gratiam Dei id quod legis. Nam ad hoc sine aliquâ tergiuersatione paratus esse debes.

4 Non frãgaris difficultate. Si tamen, naturâ tuâ contradicente, minùs paratum adhuc te sentis, non eris proptereà nimiùm pusillanimis: sed facies quod in te est, & bonæ voluntatis eris; renuntiabis vitijs, & resignabis teipsum sicut poteris.

5. Oratione te iuua. Orabis Deum vt te corroboret, & tibi donet ea quæ saluti tuæ necessaria, & ipsi placita sunt.

Conclusio. Sic sequamur & assequamur Christum. Si sic Regem tuum imitari desideraueris atque studueris, peruenies proculdubiò ad palatium eius cæleste, & vitam gloriamque sempiternam cum omnibus Sanctis obtinebis.

MEDITATIO VII.

De Gloriâ cælesti.

1. *Repræsentatio localis Patriæ cælestis, seu Paradisi gloriæ.*
2. *In quo consistat summum bonum, & beatitudo animæ.*
3. *Quantæ deliciæ in hac beatitudine.*
4. *Gloriosa societas in Paradiso gloriæ.*
5. *Corporis dotes & perfectiones in patriâ futurâ.*
6. *Aspiratio ad patriam paradisi.*

DIVISIO I.

POTES patriam illam cælestem imaginari, tamquam ciuitatem clarissimam, gloriosissimam atque amplissimam, ex purissimo auro, pretiosissimisque gemmis constructam. Vel, si mauis, imaginare regionem spatiosissimam, & omni graminum, florum, atque arborum pulchritudine exornatam, omnique fragrantiâ, suauitate & delectatione plenam: vbi semper sit ver placidissimum, & æstas amœnissima. Ibi est iucunditas, requies, tranquillitas, & pax omnem sensum exuperans. 1. *Imaginaria repræsentatio paradisi.*

DIVISIO II.

Tu creatus es ad summum & infinitum bonum, quod est Deus. Hoc bonum, merito incarnationis & passionis Christi habebis, & illo fruêris in æternum, si hîc purè & sanctè in timore atque charitate Deum colueris. 2. *Finis noster est summũ bonũ, quod est Deus.*

Cogita, quòd istud iucundissimum bonum contineat in se exuberantissimè omnem nobilitatem, pulchritudinem, decorem, elegantiam, dulcedinem, suauitatem, gratiam & perfectionem. Hoc vbi adeptus fueris, nihil ampliùs appetere poteris: inuenies enim plenissimè in Deo, quidquid desiderari potest. *Deus est summum bonum, continens in se omne desiderabile.*

Constat ergo, visionem Dei summè iucundam esse, & omnem delectationem, quæ excogitari possit, incomparabiliter præcellere. Nam si naturaliter vides libenter id quod pulchrum est, quale & quantum gaudium tibi erit, diuinam essentiam clarè contemplari, quæ est fons vnde omnis pulchritudo dimanat, & quæ infinitè est splendida, serena, decora, suauis ac deliciosa? *Pulchritudo Dei infinita.*

O quid videt, quid audit, quid odoratur, quid gustat, quid sentit, qui Deo coniunctus est in cælis? Verè oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis mortalis ascenderunt bona, & gaudia, quæ præparauit Deus electis suis. *Deo coniungi in cælis, est ineffabilis beatitudo. 1. Cor. 2.*

DIVISIO III.

Videndo Deum, omnia videbis, & scies omnia quæ scire volueris. Intueberis in Deo totius vniuersi ordinem, & omnem veritatem. 3. *Beati omnia sciunt quæ scire cupiunt.*

Fruêris summo bono, & ipsum semper possi- *Fruitio æterna.*

possidebis, atque in eo, quidquid delectabile est, habebis.

Gustus sapientiæ & pacis. Irradiaberis æternâ sapientiâ, & diuinæ pacis dulcedinem abundantissimè gustabis.

Amplexus amoris diuini. Absorbeberis prorsus amore Creatoris, & in eum transformaberis, eumque semper pro tuo desiderio complectêris, & eris ei perfectè vnitus.

Visio clara Trinitatis. Videbis fulgidam & semper tranquillam Trinitatem, cognoscesque quomodo Filius generetur à Patre; & Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio; & quemadmodum Pater diligat Filium, & Filius Patrem, & vterque Spiritum sanctum. Item quomodo Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt vnus Deus.

Laus æterna. Tunc laudabis Deum perfectissimè, & sine aliquo tædio aut labore. Laudabis eum cum omnibus Beatis in sæcula sæculorum.

Impeccabilitas. Iam numquam ampliùs ipsi displicebis, sed placebis ei per omnia.

DIVISIO IV.

4. *Gaudium ex visione humanitatis Christi,* Videbis excellentiam & pulchritudinem humanitatis Filij Dei Iesu Christi. O quantâ lætitiâ perfundêris, cernens amabilem Iesum in regno suo sublimem & gloriosum! qui aliquando in mundo pauper, despectus, & afflictus fuit propter te.

B. Virginis, Videbis etiam cum ineffabili gaudio decorem & gloriam dulcissimæ genitricis Dei virginis Mariæ.

Angelorum, Conspicies omnes ordines Angelicorum spirituum, & quomodo millia millium ministrant Creatori; quodque non sit numerus militum Dei.

Sanctorum. Cognosces perfectissimè omnes Ciues cæli; cognosces eorum inuiolabilem pacem, feruidissimam charitatem, iucundissimam societatem, inconcussam securitatem, inenarrabilemque pulchritudinem, splendorem, ac gloriam. Omnes autem Beati sunt inclyti & gloriosi Principes & Reges.

Felix consortiũ Beatorum. Cum Christo, cum speciosissimâ benignissimâque eius genitrice Mariâ, & cum omnibus Beatis familiarissimum perpetuumque habebis consortium.

Voluptates ineffabiles Beatorum. Verè omnia gaudia mundi comparata cum minimo gaudio cæli, sunt mera amaritudo. Non tantum excedit vastissimum mare vnicam aquæ guttulam in quantitate, quantum minima iucunditas Beatorum excedit omnem iucunditatem & voluptatem, quæ vmquam in hoc mundo fuit.

Aeternitas beata semper eadem. Et ipsa gaudia cæli numquam finientur, neque diminuentur vmquam.

DIVISIO V.

Præterea vbi anima tua in resurrectione receperit corpus suum gloriosum, quid inde gaudij percipies? Nam ipsum corpus erit clarissimum, & Sole multò lucidius: erit integerrimum, firmissimum, pulcherrimum, purissimum, suaue-olens, incorruptibile, impassibile, subtilissimum, & maximè agile. Vnde anima cum suo glorificato corpore, vbicumque voluerit esse, breuissimo temporis puncto erit: nihil ei obsistere, nihil obicem aut impedimentum præbere poterit. 5. *Glorificati corporis dotes.*

Concipies item post resurrectionem maximum gaudium de felici innouatione huius visibilis mundi: qui longè elegantioris formæ erit, quàm modò sit. *Innouatio mundi.*

Nam quidquid in mundo nunc immundum, quidquid in terrâ obscurum & opacum, quidquid in aquis gelidum, & quidquid in igne vim habet vrendi, id omne descendet in tartara. *Purgatione à defectibus,*

Sol, & luna, & stellæ septuplò lucidiores erunt, quàm nunc sunt. Non erunt deinceps nubes, neque grandines, neque pluuiæ, neque venti, neque fulgura, neque tonitrua. Nox esse desinet, succedente perpetuâ die & claritate, tam in terris, quàm in cælis. Aër plus habebit luminis, quàm modò habet; aqua purior erit, quàm modò est. Terra tamquam aurum pulchra, & sicut crystallus perspicua, atque vt palmus plana erit. *Augmento perfectionis in omnibus partibus.*

DIVISIO VI.

Talia præparauit Deus diligentibus se. O quàm infelices sunt illi, qui propter vilissimas huius mundi voluptates, delicias, ac vanitates, tantis gaudijs se priuant! 6. *Infelix, qui hæc negligit.*

Tu verò, qui hæc legis, adspira, & festina ad immarcescibilem illam gloriam. *Adspira ad ista.*

Detestare ac fuge omne peccatum, quantum potes: contemne omnia transitoria, dilige Deum, dilige omnes homines, & tempus tibi concessum vtiliter expende. *Et rectam cælo viam sequere.*

CONCLVSIO.

Monita ad praxim meditationum idonea.

1. *Mora in exercitijs trahenda.*
2. *Quomodo legenda exercitia.*
3. *Contra somnolentiam obrepentem.*
4. *Contra tentationes insurgentes.*
5. *Sumpsius custodia.*

6. Ad

6. Ad veram humilitatem obtinendam auxilia.

7. Ad firmandum cor in præsentiâ, & iugi memoriâ Dei.

1. *In quibus diutiùs immorandum.* QVI se in prędictis Meditationibus exercet, poterit, vel etiam debebit in aliquibus illarum, nempe in ijs quæ fecundiores sunt, hærere plus quàm ad tres dies: maxime durante primâ exercitatione, quæ est exercitatio repetitionem earumdem meditationum præcedens.

2. *Quo ordine legenda Meditationes.* Vtile fuerit, vt quando quodlibet exercitium, seu quamlibet Meditationem incepturus est, legat priùs vltimam diuisionem eiusdem Meditationis, quia in eâ ferè ponuntur aliqua conducentia ad ritè fructuoseque peragendum meditationem.

3. *Contra somnü & acediam.* Si, dum se exercere debet, deprimatur somno; surget, & stando, vel ambulando continuabit exercitium. Singula diuisionum puncta & membra meditanda diligenter apud se expendet, atque in ijs liberè immorabitur.

4. *Aduersus tentationes quid agendum.* Amodò, quando sentiet se sollicitari aut allici ad sequendum vitiosas passiones, concupiscentias, & inclinationes suas, si sanctus amor ipsum à malo non retrahit, mox ad memoriam reducet mortem, iudicium, & infernum, vt saltem vtilis timor eum coërceat.

5. *Custodia sui.* Sensus suos & linguam suam studiosissimè continebit refrenabitque, & peccandi occasiones fugiet: neque enim aliter vllum in veris virtutibus profectum facturus est.

6. *Vera humilitatis adminicula.* Vt autem ad sui despectionem & veram humilitatem (sine quâ nulla virtus alicuius pretij est) celeriùs pertingat, sæpenumerò exercebit se in attentâ amorosâque consideratione magnitudinis Dei, & fidelitatis charitatisque eius erga se: atque è diuerso in consideratione suæ paruitatis, suæque erga ipsum Deum infidelitatis atque ingratitudinis. Dicet Deo hæc aut similia: *O Domine, quis es tu? & quis sum ego? Tu es Dominus summæ maiestatis, nobilitatis, atque dignitatis: Tu es creator cæli & terræ. Tu es Deus immensus, Deus omnipotens. Ego verò sum vilissimus vermis; ego sum indignus quem terra sustineat; ego nihil sum, nihil possum. Tu mihi semper fidelissimus fuisti, purissimè me diligens, mihiq; innumera beneficia conferens: sed ego, heu! infidelissimus nimiumq; ingratus tibi fui, & adhuc sum.* Prædictum exercitiũ purè exercebit ad honorem Dei: omnem hominem, quantumcumque etiam

7. *Mens per crebras adspirationes in Dei præsentiâ stabilitatur.* malum, sibi in corde suo præponet, eumque se meliorem reputabit.

Consuescet mentem suam frequenter reuocare erigereque ad Deum; & hoc etiam in colloquijs atque operibus externis faciet: ne ipsa mens vaga, & propositi sui oblita, atque à Deo nimiùm elongata, puritatem internam, gratiamque pristinam amittat. Piè attendet amabilem Dei præsentiam, sciens eum omnes suas cogitationes, verba & actus semper inspicere. Adspirabit ad sponsum animæ suæ Iesum Christum, & dulcia amoris colloquia cum eo miscebit. Hac ratione & hanc vitam cum iucunditate transiget, & post mortem corporis, ad æterna vitæ immortalis gaudia perueniet. Amen.

EPILOGVS.

De Nouitio in septem præmissis Meditationibus exercendo.

NVLLVS posthac in Monasterio nostro Lætiensi admittatur ad professionem monasticam, nisi priùs diligentissimè se exercuerit in illis septem Meditationibus, quæ de peccatis, de morte, de iudicio, de inferno, de vitâ & passione Christi, deque imitatione eius & Regno cælesti conscriptæ habentur, seruatâ eâ ratione quæ in illarum præfatione declaratur. Sciendum autem, quia quamdiu Nouitius erit in primâ suâ exercitatione, hoc est in exercitatione repetitionem ipsarum Meditationum præcedente, silentium strictissimè seruare debebit, nisi fortè necessitas cogat eum aliquot verba interdum proferre: quæ etiam non nisi modestissimè proferet. Si interim amici vel parentes eius superuenerint, non aliter se eis adiunget, quàm ratio & Superior siue Director permittet. Ab Abbate tamen & Priore siue Directore suo poterit semper religiosè quærere, & illis indicare quod credet vtile esse. Imò quotidie, si interrogetur, dicet Directori suo vtrùm horas exercitio deputatas, plenè in exercitio expenderit, exponetque quousque peruenerit: & declarabit apertè, absque aliquâ dissimulatione, quid egerit, & quomodo se habuerit. Prætereà durante suâ primâ exercitatione, nec ordinarium nec solemne spatiamentum cum ceteris Fratribus habebit: sed manebit in cellâ suâ, nisi infirmitas aut alia aliqua necessitas contrarium exposcat. In quâ etiam cellâ suâ solus comedet, quandocumque lectio remittetur sub refectione conuentuali. Insuper quamdiu erit in primâ exercitatione, Matutinis conuentualibus non intererit, nisi sit summum Festum: non intererit etiam

lectioni regulari. Communionem siue Eucharistiam accipiet singulis diebus Dominicis, & in summis Festis. Exercebit verò se manè vnâ integrâ horâ ante Primam Canonicam, & vnâ horâ ante Sextam Canonicam. A prandio similiter exercebit se duabus diuersis horis ante Vesperas Canonicas, si commodè fieri potest. In summis Festis quando debebit interesse Matutinis conuentualibus, non seruabit manè exercitiũ, nisi ad vnam horam ante summam Missam. Vbi primâ exercitatione ritè transactâ peruenerit ad secundam (quæ est prima exercitiorum seu Meditationum repetitio) iam in ipsis exercitijs non amplius ita indigebit Directore. Intererit Matutinis, & ceteris actionibus conuentualibus more aliorum Fratrum: vnde duabus dumtaxat horis se exercere in die poterit. Permittetur etiam ire ad hortum, ac spatiamenta habere; sed adhuc multùm taciturnus erit, & non nisi parcissimè loquetur. Ipsâ secundâ exercitatione plenè finitâ, deinceps tertiâ exercitatione (quæ est secunda exercitiorum repetitio) erit paulò liberior, honestè & monasticè se gerens in omnibus. Si plures fuerint Nouitij, peragent exercitia vnus post alium: ita vt vbi vnus compleuerit primam exercitationem, secundus eam inchoët, ad laudem Dei.

VENE-

VENERABILIS PATRIS D. LVDOVICI BLOSII ABBATIS LAETIENSIS ORDINIS S. BENEDICTI

DEFENSIO VERÆ FIDEI

ADVERSVS S. ECCLESIÆ CATHOLICÆ HOSTES, PARTIBVS III. DISTINCTA.

I. Collyrium hæreticorum. Libri duo; cum Appendice de Sacrificio Missæ, de B. Virgine MARIA, & Sanctis, ac de Fidelibus defunctis, collectâ ex Canonibus Apostolorum, sacris Concilijs, & SS. Patribus Græcis.

II. Facula illuminandis & ab errore auocandis hæreticis accommodata; cum Appendice de Eucharistiâ, sacris Imaginibus, & de hæresibus atque hæreticis: cui Expostulatio IESV CHRISTI subiungitur de ingratitudine Philocænopoleos.

III. Epistola ad nobilem Matronam ab hæreticis seductam.

OBSERVATIO AD POLEMICA BLOSIANA SEV DEFENSIONEM VERAE FIDEI ADVERSVS NASCENTES IN BELGICA HÆRESES CIRCA ANNVM DOMINI M. D. L.

DOMINVS & Saluator noster IESVS CHRISTVS, ſponſæ ſuæ di- 1.
Actor. 20. lectæ & electæ, Eccleſiæ, *quam acquiſiuit Sanguine ſuo*, fidelis ſponſus *Deus ſemper proſpicit Eccleſiæ de propugnatoribus contra hæreticos.*
& zelotes, ſemper aduerſus oppugnationes nouantium hæreticorum,
ſanctos Patres ſuſcitauit propugnatores; ſemper aduerſus Goliathos,
1. Reg. 17. in duello, Dauides oppoſuit; aduerſus lenones Suſannæos, in iudicio,
Dan. 13. Danieles præparauit; vt ex omni retrò per ſexdecim ſæculorum æta-
tes Annalium Eccleſiaſticorum fidâ memoriâ compertum eſt. Exem-
pla producantur.

Seculum I. Primo ſæculo, Simonem Magum hæreſiarcham debellauit Simon Petrus; alioſque 2.
II. & alios hæreticos alij atque alij Apoſtoli. Secundo, Saturninum, Carpocratem, Marcio- *Catena, per ſexdecim ſæcula, hæreticorum oppugnantium, & Doctorum propugnantium Eccleſiam Dei.*
nem, Gnoſticos, Ophitas, Montaniſtas; ſanctus Iuſtinus, ſanctus Irenæus, ſanctus Atheno-
III. genes, item Muſanus, Miltiades, Tertullianus ſtrenuè refutarunt. Tertio, Cyprianus, No-
IV. uatianos; Quarto, Donatiſtas, Arianos, Manichæos, Heluidianos item, Iouinianiſtas,
Vigilantianos, Patres ſancti Græci, Baſilius, Athanaſius, & duo Gregorij, Nazianzenus
atque Nyſſenus; Latini, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, animoſè profligauerunt.
V. Quinto, Fortunatum, Felicem, Fauſtum, hoſtes infortunatos, infelices, infauſtos, &
ſanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ infeſtos Manichæos, Petilianum etiam, Pelagium
atque Neſtorium, vnus inſtar omnium hæreticorum malleus contudit ſanctus Auguſti-
VI. nus. Sextum ſæculum vidit Monothelitas ſeu Monophyſitas proſtratos à ſanctis Sophro-
VII. nio & Maximo: Septimum, Theopaſchitas & eorum caput Sergium, à ſancto Abbate &
VIII. Martyre Maximo. In octauo ſæculo iacuerunt Iconoclaſtæ, victi à ſancto Ioanne Da-
IX. maſceno; in Nono, Claudius Taurinenſis, à Ionâ Aurelianenſium Epiſcopo; in Deci-
X. mo, Anthropomorphitæ repullulantes, à Ratherio Veronenſium Epiſcopo. Vndeci-
XI. mum, Berengario Sacramentario nouatori, Fulbertum Carnotenſium Epiſcopum; Duo-
XII. decimum, Tanchelino etiam Sacramentario, Norbertum Præmonſtratenſium Patriar-
cham; Petro Bruſio, Gilberto Porretano, Petro Abaillardo, Bernardum Claræuallen-
ſium Abbatem, noſtro BLOSIO Lætienſium, tum dulci pietate tum forti zelo non abſi-
XIII. milem; Decimumtertium, Oliuario Albigenſium factionis proſeminatori, Dominicum
Prædicatorum Ordinis religioſiſſimum Parentem, cum duodecim venerandis Abbatibus
ab Innocentio III. Pontifice Maximo in prouinciam Toloſanam miſſum, opponi vidit,
& partam armis Eccleſiaſticis victoriam reportari. Beguardos & Beguinas, ſæculo Deci-
XIV. moquarto, duo Pontifices Maximi Clemens V. & Ioannes XXII. confixerunt. VVicleſ-
XV. fitas & Huſſitas, potentiſſimum ſæculi Decimiquinti hæreticorum flagellum Thomas
VValdenſis calamo ſuo iugulauit.

3. *Sæculo decimosexto contra Lutherum & Caluinum datus est à Deo* BLOSIVS *Defensor fidei.*

3. Martinus Lutherus & Ioannes Caluinus, damnata sæculi Decimisexti portenta, calamitosis auorum nostrorum temporibus caput extulerunt, & arma sanctæ Ecclesiæ Catholicæ intulerunt; vnde faces, Theomachorum & Iconoclastarum excitato ab inferis incendio, Belgicam Ecclesiam sub annum Domini M. D. L. subdolè & furtim ingressæ, vastitatem Sacris omnibus minabantur. Aduersus hos quidem Dei prouidentia sanctum IGNATIVM de LOYOLA, magno Ecclesiæ Romanæ bono, militem nouum suscitauit, qui cum fundatâ à sese SOCIETATE IESV bellum omnibus hæresibus internecinum indiceret: sed priusquam fortissimi Societatis IESV Patres in Belgio nati notive essent, voluit R. D. LVDOVICVM BLOSIVM opponere sese velut murum pro Domo Dei, & diuinitus, vt credere par est, mentem inspirauit aduersus hæreses, aut clàm & versutè irrepentes, aut palàm & violentè irrumpentes, amentata sanctorum antiquæ Ecclesiæ Patrum tela acuendi & intorquendi.

4. BLOSIVS *variè contra sui sæculi hæreticos profuit Ecclesia.*

4. Hoc sanè doctissimis tum COLLYRII tum FACVLÆ libellis pro virili, cum diuinâ gratiâ, fortiter ac feliciter præstitit BLOSIVS: quem proinde in reducendis ad Ecclesiæ Matris gremium seductis Proceribus, ob egregiam cum prudentissimâ doctrinâ coniunctam morum suauitatem, MARIA Hungarica Belgicarum Prouinciarum Gubernatrix, aliique Principes, Magistrum & Directorem esse voluerunt. In his autem Polemicis lucubrationibus obsecro Lectorem priscæ fidei amantem, vt res duas, quæ ad commendandam D. BLOSII in hac FIDEI DEFENSIONE operam facere videntur, adnotet & admiretur. Inprimis, vir ille totus in Asceticis immersus & absorptus, qui suauem vnionis mysticæ quietem expertus, & profundum ac tranquillum, vt est in Canticorum Epithalamio, sponsæ deliciosissimæ somnum dormire solitus erat, mirandum est, Cant. 5.
quomodo zelo Dei & Ecclesiæ ardens, ad primos hæreseos rumores tanto feruore & celeritate classicum cecinit, auxilia à sanctis Patribus aduocauit, ad arma fidei hostibus inferenda, & ad Ecclesiam propugnandam euolauit. Deinde mirari nemo aut laudare satis poterit, quòd in primis illis controuersiarum fidei velitationibus, non velut leuis armaturæ miles, sed velut Triarius aut Cataphractus, tam decretoriâ pugnâ decertauit, tam certis & acutis iaculis iugulum petijt, tam fortibus tam ineluctabilibus Patrum priscorum sententijs nouas hæreses subiugauit. *Filia Babylonis! Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.* Psal. 136. Fecit hoc BLOSIVS, qui vagientes adhuc & in cunis Babyloniæ hæreticæ filios allisit ad petram: petra autem erat Christus, & Christi Verbum, & Christi Vicarius, & Christi Apostoli, ac Doctores Ecclesiæ Christi.

5. *In rudibus principijs disputationum de rebus fidei magnifaciendus est* BLOSIVS; *quamuis plura post* BLOSIVM *adiecta sint à recentioribus fidei propugnatoribus.*

5. Cùm verò nihil simul & inuentum & perfectum; & facillimum sit inuentis aliquid addere; atque ex omnibus Belgicæ Ecclesiæ contra Nouatores propugnatoribus BLOSIVS aut primus, aut certè ex primis vnus fuerit, qui in controuersiarum fidei arenam prodijt, excogitatâ & inuentâ à se pugnandi ratione vsus; aliique deinceps post BLOSIVM controuersiarum nostri temporis Scriptores inuentis à BLOSIO quamplurima ornamenta & quamdam veluti perfectionem rudibus ac nouis illis lineamentis imposuerint; existimandum est, non desideraturum te, benigne Lector, in Blosianis istis incunabulis adultam illam & multis pòst annis auctam scribendi contra hæreticos methodum & experientiam.

6. *Plura qui volet, adibit Scriptores* BLOSIO *posteriores in controuersijs.*

6. Quæ causa est, quamobrem in hac vltimâ Parte Polemicâ satius visum est, ornando, augendo, illustrando BLOSIO per marginales glossas aut citationes crebriores, vt in alijs Partibus actum est, supersedere, cùm in omnium ore & manibus sint doctissimi atque grauissimi Auctores, qui inchoatis per BLOSIVM curis Polemicis manum vltimam admouerunt, & inuenta à BLOSIO, auctâ ab annis experientiâ, ad perfectionis culmen euexerunt.

LV-

LVDOVICI BLOSII DEFENSIONIS VERÆ FIDEI ADVERSVS S. ECCLESIÆ CATHOLICÆ HOSTES PARS PRIMA, SIVE COLLYRIVM HAERETICORVM.

PRÆFATIVNCVLA.

* Collyrium ex Galeno & Medicis est medicina oculorum. Hæretici mentis oculis aut læsi aut capti sunt.

Libelli scopus & methodus.

PIA *erga pereuntes hæreticos commiseratione motus hoc* * COLLYRIVM *scripsi: in quo artificiosam orationis connexionem non ita seruare studui, vt omnia eleganter sibi cohærerent, & aliud ex alio concinnè dependeret: sed simpliciter atque incompositè pauca, quæ curandis ipsorum hæreticorum oculis apta esse videbantur, congessi. Abundè quod cupimus assequemur, si modicus ac rudis hic labor noster aut aliquos ex his qui hæresi iam infecti sunt sanare, aut aliquos ex his qui nondum sunt infecti seruare incolumes potuerit. Neque enim in illis quæ hactenus edidimus, laudes hominum, sed salutem animarum venamur.*

COLLYRII HÆRETICORVM LIBER PRIOR.

CAPVT I.

Quòd hæreses sumant originem ex superbiâ & inobedientiâ; & quòd Ecclesiæ (quæ non errat) obtemperandum sit, etiam in his quæ Scripturarum expresso testimonio comprobari nequeunt.

1. *Hæresum omnium origo est superbia & inobedientia.*

2. *Quibus tamen prætexunt expressæ Scripturæ auctoritatem.*

3. *Sed Ecclesiæ obediendum est, etiamsi expresso testimonio Scripturæ non probarit: quia est corpus Christi, perpetuâ capitis sui influentiâ gubernatum.*

4. *Friuola obiectio hæreticorum de traditionibus humanis.*

5. *Spiritus sanctus Ecclesiæ vniuersali præsidet, sicut spiritus vitæ toti corpori animato.*

NON aliunde sumunt originem hæreses, quàm ex superbiâ & inobedientiâ. Hæretici enim suum sensum proteruè defendunt, ea quæ adinueniunt obstinatâ mente sequuntur, decretis Ecclesiæ Apostolicæ eiusque Antistitibus parère nolunt, traditiones & instituta maiorum contemnunt. 1. *Omnes hæreses ex superbiâ ortum ducunt.*

Et

2. *Quamuis erroribus suis velamen obtendant ex sacrâ Scripturâ.*

Et quidem hoc nostro æuo suam ita adumbrant velantque arrogantiam atque inobedientiam. Multa, inquiunt, præcipit Papistica (sic enim ipsam Romanam Apostolicamque Ecclesiam appellant) quæ nusquam in sacris Litteris iubentur, multa interdicit quæ in illis non vetantur: nos quod diuina Scriptura expresse docet esse seruandum, seruare volumus, à quo expresse docet esse abstinendum, abstinere non recusamus: ceterùm quod in eâ expressum non est, liberè reijcimus.

3. *Tamen Ecclesiæ obedire, etiam deficiente Scripturâ, deberent.*

Istam eorum excusationem vanam esse, intelliget, quisquis ea quæ dicentur patienter audierit. Nam Ecclesia Apostolica nihil absque certâ ratione præcipit aut interdicit: & quidquid ipsa decernit esse faciendum aut omittendum, etiamsi id expresso diuinarum Scripturarum testimonio comprobari nequeat, non minori religione seruari debet, quàm si eædem sacræ Litteræ illud euidentissimè præciperent, (quamquam nihil statuit Ecclesia, quod non satis confirmetur his Domini verbis in Euangelio expressis: *Omnia quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.* item istis: *Qui vos audit, me audit.*) Et hoc ita esse demonstramus. Paulus Apostolus pluribus Epistolarum suarum locis asserit, Ecclesiam corpus Christi esse, & Christum esse caput Ecclesiæ. Prorsus ita est: Ecclesia corpus Christi mysticum est, & ab eodem Christo capite suo omnia quæ veritatis sunt recipit; spiritu capitis sui illuminatur ac regitur. Iam cùm necesse sit, vt omnes credant pareantque scriptis Apostolorum Pauli, Petri, vel Ioannis, qui sunt membra Ecclesiæ; quis sanam mentem habens dixerit, licitum alicui esse non credere & non obtemperare ipsi vniuersali Ecclesiæ? Nam sicut corpus singulis membris, ita Ecclesia singulis Apostolis præstat. Rursum, si vnum Ecclesiæ membrum Paulus, de his quæ ipse præceperat & præcipiebat verè dixit, *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum:* quantò magis Ecclesia vniuersalis hoc de suis decretis ac iussis dicere potest?

Matth. 23. Lucæ 10. Ephe. 1. & 4. & 5. Coloss. 1. & 2. *Regitur enim perpetuâ Christi capitis sui influentiâ.* 1. Thess. 4.

4. *Traditiones Ecclesiæ non sunt merè humanæ.* Matth. 15.

Solent hæretici obijcere locum illum Euangelicum, vbi Dominus ait, *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Tales, inquiunt, traditiones Papisticæ sunt: traditiones enim hominum sunt. Sed planè futilis est ista obiectio. Neque enim verbis illis Christus reprehendit omnes traditiones humanas (alioqui reprehenderet etiam traditiones Apostolorum, qui homines fuerunt) sed eas dumtaxat hominũ constitutiones & traditiones damnat, quæ ad diuinum cultum nihil conducunt, sed potiùs legi Dei aduersantur: quales vtique nec sunt, nec vmquam fuerunt, nec erũt traditiones Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, quam docet Spiritus sanctus, iuxta ista Redemptoris verba: *Paracletus Spiritus sanctus vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Item: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Ioan. 14.

Sicut enim in vnoquoque homine spiritus toti corpori præest, cuius arbitrio & instinctu corpus ipsum mouetur; ita Spiritus sanctus vniuersali Ecclesiæ præsidet, & ipsam in omnibus dirigit. Ob idque Paulus Apostolus eam appellat columnam & firmamentum veritatis: errare enim nescit in his quæ sunt fidei, & quæ ad sanctos mores spectant. Quare, qui contradicit Ecclesiæ, contradicit Spiritui sancto, contradicit Christo Domino: alienus à Deo est, profanus est. Hinc ipse Christus de tali homine dicit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

5. *Præsidet Ecclesiæ Spiritus sanctus, vt anima corpori.* 1. Tim. 3. Matth. 18.

CAPVT II.

Quid sit Ecclesia, & quòd Concilium generale sit vniuersalis Ecclesia, ob idque non erret.

1. *Primates Ecclesiæ, & generalia Concilia repræsentant totam Ecclesiam.*
2. *Eorum formam & auctoritatem ostenderunt Apostoli in suo Concilio Ierosolymitano, Act. 15.*
3. *Vetus Ecclesia Iudæorum remittebat dubia de religione ad Pontificem suum, Conciliumque Sacerdotum; non ad plebem aut Magistratum laicum.*
4. *Concilia generalia non errant: diriguntur enim à Spiritu sancto.*
5. *Nec posteriora corrigunt priorum lapsus, quando aliter statuunt; quia alia ætas alios habet mores, aliaque postulat remedia.*

1. *Concilium generale, & Præsules cum capite suo Pontifice Romano, Ecclesiã repræsentant.* Matth. 18.

ECCLESIA est quidem omnium fidelium ad Christi corpus attinentium congregatio: illam tamen repræsentant Primates eius, sicut Primates alicuius prouinciæ repræsentant totam prouinciam. Nisi enim Præsules Ecclesiæ Ecclesiam repræsentarent, quando Dominus ait, *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ*; necesse esset totum orbem perambulare, vt aliquid dici posset Ecclesiæ: toto enim orbe diffusi sunt fideles, & membra Ecclesiæ. Omnino quando, Primatibus Ecclesiæ coëuntibus, Concilium generale ritè congregatur, ipsum vniuersalem Ecclesiam satis repræsentat;

tat;

tat; neque oportet vt promiscuæ plebis multitudo conuocetur, plebs enim pastoribus commissa est.

2. *Concilium Apostolorũ formam & robur præscribit alus Concilijs. Act.15.*

Vnde beatus Lucas Euangelista in Actis Apostolorum narrat, Apostolos & seniores (non autem reliquam multitudinem fidelium) conuenisse, vt deciderent quæstionem exortam de circumcisione & obseruatione legis Moysi. Vbi exactè describitur forma celebrandarum Synodorum Ecclesiasticarum, quam secuta est ipsa Mater Ecclesia, posteaquam persecutione, quæ in Christianos sæuiebat, cessante, congregari potuerunt Concilia.

3. *Etiã Synagoga quæstiones religionis ad Pontifices referebat. Deut.17.*

Scriptura quoque veteris Testamenti, non ad plebem, sed ad Sacerdotes mittebat eos qui de re quapiam dubitabant. dicit enim: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesq́ ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresq́ ab eis; qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq́ sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.*

4. *Spiritus sanctus assistit Concilijs generalibus, ne errent in fide, aut morum doctrinã.*

Si quis obijciendo dixerit, posse fieri vt generalia Concilia etiam legitimè congregata errent, propterea quòd ipsa constent ex hominibus qui errare possunt: Respondendum erit, eos qui Concilium generale legitimè institutum efficiunt, esse quidem homines, non tamen errare, † eò quòd vniuersalem Ecclesiam tunc repræsentantes, ductorem doctoremque Spiritum sanctum indubitanter habeant. Concilia particularia dum errant, emendantur per plenaria & generalia Concilia, quæ ab errore aliena sunt.

5. *Concilia posteriora non corrigũt priora: sed alij morbi petunt alia remedia.*

Si rursum obiecerit aliquis, Concilia posteriora statuere interdum aliqua aliter quàm in prioribus Concilijs statuta fuerint; &, nonnulla hoc nostro sæculo asseri, quæ olim dubia esse videbantur: Nos respondebimus, sanctam Ecclesiam pro conditione temporum atque causarum iustissimè nonnumquam variare ea decreta, quæ ad mores & gubernationem Ecclesiarum spectant, non autem variare fidem. Dicemus, eamdem Dei Ecclesiam multa nunc certa habere, quæ apud antiquos non ita certa erant. Proficit enim quotidie ipsa Ecclesia: cuius membra Deus magis magisque illustrat, pleraque reuelans posterioribus, quæ priores ignorabant. Vnde illa comparatur aurorę, dicente Scripturâ: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora?* Nam aurora, quæ in suo ortu tenuius lumen ostendit, in progressu fulgidior apparet.

Ecclesia semper proficit scientiã, vt aurora. *Cant.6.*

† Hoc accipe sic, vt intelligatur Concilium generale errare non posse, quia Caput Ecclesiæ & petra fundamentalis, qui est Pontifex Romanus, præest Concilio velut Caput & Præses infallibilis, & ille errare non potest, vt est Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Ita plerique sentiunt.

CAPVT III.

Quòd auctoritas Ecclesiæ non pendeat ex Scripturis; & quòd si illa deesset, praui quique vel reijcerent vel malè interpretarentur ipsas Scripturas. De harum item obscuritate, & quòd non omnibus tutum sit eas legere.

1. *Auctoritas Ecclesiæ non pendet ex Scripturis, licet ex ipsis clarissimè probari possit:*
2. *Scripturas enim non agnosceremus, nisi per Ecclesiæ auctoritatem.*
3. *Quæ si nulla esset, quilibet proteruus Scripturas pro suo arbitrio reijceret, aut absurdè exponeret.*
4. *Sunt enim obscuræ difficillimæque: & proinde non ex proprio ingenio, sed ex Ecclesiæ pastorumque ipsius iudicio legendæ sunt & intelligendæ.*
5. *Propterea non est tutum omnibus illas legere: sed humilibus dumtaxat, Ecclesiæque iudicium venerantibus.*

FALLVNTVR prorsus, qui Ecclesiæ auctoritatem ex testimonio Scripturarum pendêre existimant. Nam quando Apostoli & Euangelistæ, nondum conscriptis sacris Euangelijs vel Epistolis, populum instituebant, ipse populus credebat atq; obtemperabat, & credere obtemperareque debebat his quæ ab Ecclesiâ proponebantur; licet ea nusquam adhuc scripta essent. Quod cùm ita sit, quare modò in omnibus Ecclesiæ decretis tam anxiè exiguntur expressa Scripturarum testimonia? Nam cùm illa idem caput nunc habeat quod tunc habebat, eodemque veritatis Spiritu modò gubernetur quo tunc gubernabatur; nimirum eamdem etiam auctoritatem nunc obtinet quam tunc obtinebat. 1. *Ecclesia demonstratur ex Scripturis: sed ab eis eius auctoritas nec pendet, nec petenda est.*

Profectò nos neque Epistolas Apostolorum, neque ipsum sacrosanctum Euangelium certò sciremus aut crederemus esse Scripturas irrefragabiles, nisi auctoritas Ecclesiæ ita credendum esse decerneret. Quis enim assedit Apostolis vel Euangelistis cum scriberent? Et quamobrem non tantam fidem habemus Euangelio Nicodemi qui Christum vidit; quantam habemus Euangelio Marci, qui Christum non vidit: nisi quia istud 2. *Quia ipsa sola canonẽ Scripturarum verũ consignat & tradit fidelibus.*

istud in numerum Scripturarum authenticarum Ecclesia reponit, illud non reponit? Planè penes solam Ecclesiam Catholicam (quæ, sicut diximus, errare non potest) ius est determinandi & quę Scripturæ pro diuinis habendæ sint, & quo sensu eædem intelligi debeant.

3. *Quod nisi faceret, quiuis respueret, aut exponeret sacra Biblia pro suo arbitrio.*

Alioqui nihil apud Christianos certum esset. Nam iste pro suo arbitrio reijceret totum nouum Testamentum, ille aspernaretur vetus: iste istud, ille illud assereret non esse ex canone ipsarum sacrarũ Litterarum. Rursum iste aliter eas interpretari vellet quàm ille, & ille aliter quàm iste. Videlicet insanus quisque, excogitatis absurdis sensibus, eas sibi ad impia dogmata, nefandaque scelera patronas assumeret. Si enim, cùm adhuc viuerent Apostoli, iam plerique vani eisdem Litteris sacris propter obscuritatem perperàm intellectis abutebantur; quid futurum erat posteà, nisi quilibet iudicium suum iudicio Ecclesię submittere debuisset?

4. *Sunt autem sacra Scriptura difficillima, idcóque Ecclesiæ magisterio explicanda. 2. Pet. 3.*

Verba beati Petri adscribemus. *Charissimus*, inquit, *frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate.* Hæc Petrus Apostolus. Cuius discipulus, atque in summo, id est, Romano Pontificatu successor, & Martyr gloriosus, Clemens, in quadam Epistolâ suâ de eisdem Scripturis ita loquitur: *Diligenter obseruandum est, vt lex Dei, cùm legitur, non secundùm proprij ingenij intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque præsumpserit: sed hoc fieri non debet. Oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à maioribus secundùm veritatem sibi traditam seruauit. Vnde consilium dantes, vestram prudentiam hortamur, vt ab Apostolicis regulis non recedatis: sed communem vitam ducentes,* * *& Scripturas sacras rectè intelligentes, quæ Domino vouistis adimplere satagatis.* Hæc Clemens: qui etiam prædicta verba recitat decimo libro Recognitionum, vbi inducit beatum Petrum illa ipsa dicentem.

* Primi Clerici Ecclesię cõmunem & cœnobiticam vitam ducebant.

5. *Ideò non ab omnibus, sed ab humilibus tantùm legi debent Scriptura, ex comparatione gladij & maris.*

Rectè diuina Scriptura, siue verbum Dei, gladio comparatur, quo quis vel benè vel malè vti potest. Quemadmodum enim infanti & amenti gladius periculosus est (eo enim se aliosque facilè vulnerat;) ita qui prauæ curiositatis insanæque superbiæ vitio infectus est, sacras Litteras tutè non legit, cùm gladium spiritualem non eâ parte, quâ comprehendi debet, arripiat, neque illum, sicut oportet, tractare sciat. Est etiam veluti altum quoddam mare siue abyssus sacra Scriptura: cui qui se sine humilitatis nauigio committit, vndosis fluctibus absorptus perit. Minus periculi est in riuis è mari profluentibus, hoc est, in Orthodoxorum piorumque Patrum scriptis non ita profundis. Simpliciores, qui bonæ voluntatis sunt, legem implent, id est, Deum proximumque diligunt, etiamsi diuinas illas & intellectu difficiles Scripturas non legant. His qui eas absque periculo legere volunt, omnino necessaria est recta puraque intentio: necesse est vt ipsi ceruicem ad pedes Matris Ecclesiæ humiliter submittant, eique in omnibus credant & obtemperent.

CAPVT IV.

Quòd diuinarum Scripturarum veram intelligentiam non habeant hæretici, & quòd eis illæ sint in laqueum. Vbi etiam de abstinentiâ ab esu carnium, & ieiunijs Ecclesiæ agitur.

1. *Hæretici non habent veram intelligentiam Scripturarum:*
2. *Sed eas potiùs esse ipsis in laqueum, probatur exemplo apertissimo ieiunij, prætextu Scripturarum abrogati inter hæreticos.*
3. *Non cibus ipse in violatione ieiunij assumptus, sed inobedientiæ peccatum, in statuto Ecclesiæ contemnendo, polluit hominem.*
4. *Stata ieiunia & Quadragesimalia ab ipsis Apostolis instituta.*

HÆRETICI cùm propriæ virtuti ingenioque suo fidant, & ab humilitate alieni, sanctorum Patrum siue Ecclesiæ sanissimas interpretationes despiciant, non assequuntur veram intelligentiam sacrarum Litterarum. Habent quidem in ore fidem, verbum Dei, Euangelium Christi: sed tantum à verâ fide, à verbo Dei, ab Euangelio Christi absunt, quantum terra à cælo disiungitur.

1. *Verus sensus Scriptura non habetur apud hæreticos.*

Deus ita condidit suam Scripturam, vt ipsis superbis hæreticis sit in laqueum. Nam (exempli gratiâ) quot hoc sæculo nostro illaqueantur his Domini Iesu verbis, *Non quod intrat in os, coinquinat hominem?* Nolunt abstinere ab esu carnium, diebus quibus Ecclesia abstinendum esse decernit: nolunt ieiunare temporibus quibus Ecclesia ieiunium indicit, propterea quòd Christus dixerit, hominem non pollui his quæ intrant in os.

2. *Laqueus fit illis Scriptura, non solatium. Matth. 15.*

Pro-

3. Cibus non polluit, sed inobedientia contra legē. Gen. 3. Profectò non cibi genus, sed inobedientiæ scelus eos polluit. Nam bonus est cibus quem creauit Deus: sed si prohibitus fuerit, iam peccat is qui illum sumit. Malus non erat fructus quem homo in paradiso, præceptum Dei transgressus, comedit: quia tamen inobediens fuit, pœnas suæ transgressionis dedit. Non damnat aliquem cibum Ecclesia: sed æquissimâ ratione statuit, vt fideles certis diebus à quibusdam abstineant, & certis temporibus ieiunent.

4. Apostoli instituerunt Quadragesimā, aliaq; stata ieiunia. Math. 9. Mar. 2. Lucæ 5. Post Christi ascensionem Apostoli instituerunt ieiunia: nam id futurum prædixerat ipse Christus his verbis: *Venient dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Vnde sexagesimus octauus Canon Apostolorū sic habet: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor, sacram Quadragesimam Paschæ, vel quartam Feriam, aut Parasceuen non ieiunauerit, deponitor, nisi corporis imbecillitate impediatur: si laicus sit, communione priuator.* Ille quoque feruens & verè ignitus Martyr Dei Ignatius, sancti Ioannis Apostoli discipulus, in Epistolâ quam scripsit ad Philippenses, ait: *Quadragesimam nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet Dei conuersationis. Hebdomadam etiam passionis nolite despicere: quartâ & sextâ Feriâ ieiunate.* Hæc Ignatius. Illaqueantur (sicut dicebamus) hæretici verbis sacræ Scripturæ, quam non sanè sed prauè interpretantur. Quare rectè de eis dixit Psalmista: *Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psal. 10.

CAPVT V.

Quòd descensus Christi ad inferos creditur, licet Scripturæ eum euidenter non exprimant: & quòd Apostoli plurima tradiderunt, quæ in ipsis Scripturis expressa non sunt.

1. *Descensus Christi ad inferos non habetur expressè in Scripturâ, & tamen est fide credendus.*
2. *Apostoli multa tradiderunt, quæ in Scripturis non sunt expressa, sed per manus tradita.*
3. *Traditio de ritu Sacrificij Missæ, ex Dionysio Areopagitâ.*
4. *Alia traditio ex eodem, de ritu consecrandi Monachum.*
5. *Alia ex eodem de ritu sepulturæ & exequiarū.*
6. *Hunc Dionysium vidisse ipsos Apostolos & B. Virginem Mariam.*
7. *Traditio ex D. Clemente, de officijs Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, circa fragmenta Eucharistiæ, & ornamenta sacra.*

1. Solâ traditione habetur descēsus Christi ad inferos. Si ea sola pro ratis habenda sunt, quæ in diuinis Scripturis inuenimus euidenter expressa, certum non erit, Christum ad inferos descendisse, cùm id sacræ Litteræ manifestè non exprimant. Et tamen ipsum descensum Christi ad inferos Ecclesia firmissimè credit, edocta ab Apostolis, in quorum Symbolo de eodem Christo Domino dicitur, *Descendit ad inferos.*

2. Multa alia tradiderunt Apostoli verbo non scripto per traditioné. Sanè Apostoli plurima suis temporibus in Ecclesiâ vtilissimè statuerunt, ex quibus nonnulla discipuli eorum scripto commendarunt, pleraque sine scripto ab ipsis veluti per manus posteris tradita sunt, quæ ad nos vsque permanarunt. Num, quæso, illa tamquam nullius auctoritatis idcircò reijcientur, quòd Apostoli ea non scripserint, & in catalogo sacrarum Litterarum relata non sint? Absit. Opportunè item Paulus auditores suos admonet his verbis: *Fratres, state, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* 2. Thess. 2. Lucas enim in Actis Apostolorum scribit de eodem Paulo, & de Silâ ac Timotheo in hæc verba: *Cùm pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus.* Act. 16. Hinc habemus Canones Apostolorum.

3. Ritus Sacrificij Missæ habetur ex traditione, teste S. Dionysio. Et diuinissimus Dionysius Areopagita, beati Pauli Apostoli discipulus, Martyrque Christi inclytus, in libro quem de Ecclesiasticâ hierarchiâ ad Timotheum scripsit, luculentissimè explicat venerabiles ritus, qui ex Apostolorum traditione illis temporibus obseruabantur in Sacramentis conficiendis administrandisque, & Monachis consecrandis, ac fidelium defunctorum exequijs celebrandis. Nam vt ritus & cærimonias aliorum Sacramentorum prætermittamus, de ritibus conficiendæ Eucharistiæ, id est, de ritibus illius cælestis Sacrificij, in quo Sacerdos, iuxta institutionem Christi proferendo hæc verba, *Hoc est Corpus meū, Hic est calix Sanguinis mei,* ipsam sacrosanctam & augustissimam Eucharistiam conficit, idem Dionysius scribit hunc in modum: *Operæpretium est illam* (videlicet Eucharistiam) *exponere, & eius veluti corporalia lineamenta describere: tum verò, vbi eam ex auctoritate Scripturæ sacerdotaliq; institutione didicerimus, ad illius contemplandam sacratissimam dignitatem diuino spiritu subuehi.* Et paucis interiectis addit: *Itaque Pontifex quidem, vbi orationem sanctam supra diuinum altare peregit, ex ipso incensum adolere inchoans, omnem fani ambitum circuit. Demum ad sanctum altare iterùm rediens, Psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus Ecclesiastici ordinis gradibus. Deinde ministrorum officio lectio sanctarum Scripturarum suo ordine recitatur.*

Porrò ministrorum alij quidem pro clausis templi foribus adstant, alij proprij aliquid muneris agunt. Qui verò ipsius ordinis præcipui sunt, vnà cum Sacerdotibus sanctum panem, & benedictionis calicem sacrosanctis altaribus imponunt. Ad hæc venerandus Antistes orationem sanctissimam peragens, pacem sanctam omnibus nuntiat: & cùm se mutuò omnes salutauerint, mystica sanctorum recitatio fit. Vbi verò manus tum Antistes tum Sacerdotes aquâ lauerint, Pontifex ad medium diuini assistit altaris: circumstant autem soli cum Sacerdotibus electi quique ex ministrorum numero. At verò Pontifex cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit: & quæ antè laudauerat venerandis operta atque abdita signis, in conspectum agit: diuinaq; munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum Communionem & ipse conuertitur, & reliquos vt communicent hortatur. Sumptâ demum atque omnibus traditâ Communione, gratias referens finem mysterijs imponit.

4. *Item ritus consecrandi Monachos, eodem teste.* De ritibus verò quibus Monachus consecrabatur, ipse sacer Dionysius ita inter alia loquitur: *Sacerdos ad eum accedens, interrogat primùm an* † *renuntiet diuisibilibus omnibus: deinde expanit illi perfectissimam vitam. Vbi verò ille omnia intentè promiserit, consignans eum Crucis signo Sacerdos tondet, trinas diuinæ Beatitudinis personas inclamans: exutumq; veste omni, aliam induit: & cum sanctis alijs qui adstant viris ipsum salutans diuinorum mysteriorum participem facit.* Et paulò suprà de ipsis Monachis sic scribit idem Dionysius: *Sancti præceptores nostri* (nempe Apostoli) *diuinis eos appellationibus sunt prosecuti, partim Therapeutas* (id est, cultores) *à sincero Dei famulatu atque cultu, partim Monachos ab indiuiduâ & singulari vitâ appellantes.*

5. *Tradit idem ritus sepeliendi fideles defunctos, & orandi pro eisdem.* Porrò de cærimonijs & ritibus quibus exequiæ fidelis defuncti celebrabantur, ipse Dionysius loquitur hunc in modum: *Sumentes defunctum ad Pontificem ducunt, quasi coronis donandum sacris. Hunc ille libenter suscipit, eaq; peragit, quæ diuino instituto fiunt super eos qui sanctè quiescunt. Coacto sancto cœtu venerandus Antistes (siquidem sacerdotalis ordinis fuerat qui obdormiuit) ante sanctum altare inclinans eum, orationem ad Deum inchoat, & gratiarum actionem; si autem honestissimis Monachis, aut sanctæ plebi insertus erat, ipsum ad venerandum Sacrarium ante Sacerdotum reclinat ingressum, deinde precem cum gratiarum actione peragit Præsul. Deinceps verò ministri verissima de nostrâ resurrectione promissa, quæ diuinis inserta sunt eloquijs, recitantes, consentanea tantumdemq; valentia canunt Psalmorũ cantica. Posteà accedens venerabilis Præsul, precem super defuncto sacratissimam peragit: & post orationem ipse quoque Pontifex defunctum salutat, & post illum, qui adstant omnes. Vbi verò cuncti consalutauerunt, super defuncto fundit oleum Pontifex: & oratione pro omnibus defunctis factâ, honesto in loco ponit corpus cum æqualibus alijs corporibus sanctis.* Et posteà addit idem Dionysius: *Quænam verò de huiusmodi prece, quam super defuncto peragit Præsul, ex diuinis ducibus nostris* (videlicet Apostolis) *traditio peruenit ad nos, operæpretium est vt dicamus,* &c.

Verùm ne quis imperitus putet, præclarũ hunc virum non vidisse Apostolos, & nõ esse illum Dionysium, cuius mentionem Lucas in Actis Apostolorũ facit; adhuc vnum ex monumentis ipsius proferemus testimonium, quo conuincemus eum non solùm vidisse Apostolos, sed etiam interfuisse sanctæ obdormitioni beatissimæ Deiparæ virginis Mariæ. Nam in libro de Diuinis nominibus, alloquens sanctum Timotheum cui scribit, hæc dicit: *Apud ipsos diuino spiritu plenos Pontifices nostros* (nempe Apostolos) *cùm & nos, vt nosti, & plerique ex sanctis fratribus nostris, ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ Deumq;* [a] *ceperat, conuenissemus (aderat autem & frater Domini Iacobus, & Petrus supremum decus antiquissimumq; Theologorum columen) post contuitum placuit, vt,* &c. 6. *S. Dionysius hic est Areopagita, Apostolorum discipulus. Actor. 17.* *Interfuit obdormitioni beatæ Virginis Deiparæ.*

Clemens etiam, Petri Apostoli discipulus, scribens ad ipsum sanctum Iacobum Ierosolymorum Episcopum, ait: *Sicut à beato Petro Apostolo accepimus omnium Apostolorum patre, qui claues regni cælestis accepit, qualiter tenere debemus de Sacramentis quæ geruntur in sanctis, te ex ordine nos decet instruere. Tribus enim ordinibus commissa sunt Sacramenta diuinorum secretorum, id est Presbytero, Diacono, &* [b] *Ministro, qui cum timore reliquias fragmentorum Corporis Dominici custodire debent, ne qua putredo in Sacrario inueniatur: ne dum negligenter agitur, portioni Corporis Dominici grauis inferatur iniuria.* Et paulò pòst: *De vasis sanè sacris ita agendum est: Altaris palla, cathedra, cande-* 7. *Clemens traditionem docet de sacrorũ ministrorũ officijs & vestibus, & vasis sacris.*

† Εἰ πάσαις ἀποτάσσεται ταῖς διαιρεταῖς, οὐ μόνον ζωαῖς, ἀλλὰ καὶ φαντασίαις. sic vertitur ab alijs: *An renuntiet omnibus diuiduis, non solùm vitis, sed & imaginationibus.* Vocatur autem Diuiduum in Scholijs S. Maximi, quidquid ad vitam mundanorum pertinet, & in multas partes diuisum est. Addi potest, quod à Deo & diuinis diuidit aut separat.

a Græcè est, Θεοδόχου σώματος, quod significat corpus B. Virginis Mariæ, in quo velut hospitio exceptus est Deus auctor vitæ.

b Doctores Iuris Canonici de Consecratione distinct. 2. can. 23. *Tribus gradibus*: vbi hæc verba Clementis ex Epistolâ 2. citantur, dicunt, Ministrum hic significare Subdiaconum, qui est tertius Ordo sacer.

labrum,

labrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: quoniam non debent ea quæ in sanctuario fuerint, malè tractari, sed incendio vniuersa tradantur. Cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, vbi nullus transitum habeat: aut in parietem, aut in fossas pauimentorũ mittantur, ne introëuntium inquinentur pedibus. Pallas & vela, quæ in ministerio sanctuarij sordidata fuerint, Diaconi cum humilibus ministris lauent: non eijcientes è Sacrario velamina Dominicæ mensæ, ne fortè puluis Dominici Corporis malè decidat. De velis ianuarum cura sit Ostiarijs ex admonitione maiorum: ne quis negligens aut ignarus ad velum ianuæ domus Domini manus inconditè tergat, sed statim coërcitus discat omnis homo, quia velum atrij domus Domini sanctum est. Si fortè quispiam Presbyter vel Diaconus Sacrarij syndonem aut velum subtracta vendiderit, Iudæ Iscariotis similis æstimabitur. Calicem ad perferendum Sanguinem Domini adaptatum cum omni munditiâ Minister præparet: ne non benè lotus calix Diacono offerenti cedat in peccatum. Ad hunc modum cum omni honestate cuncta, quæ suprà expofuimus, debent impleri. Tales ad ministerium eligantur Clerici, qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare. Tandem in fine Epistolæ ipse Clemens ista verba adijcit: *Hæc præcepta à sancto Petro Apostolo accepi, & tibi frater charissime insinuare curaui, vt seruari omnia præcipias sine maculâ.* Rursum in alterâ Epistolâ idem Clemens scribit in hunc modum: *Hîc* (id est, in præsenti vitâ) *possumus oportet nos agnoscere voluntatem Dei. Quoniam in alijs locis sacrificare & Missas celebrare non licet, nisi in quibus Episcopus proprius iusserit, & eo loco qui ab Episcopo regulariter ordinato* (tenente videlicet ciuitatem) *consecratus fuerit. Hæc Apostoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus, vobisq́; & omnibus absque reprehensione tenere & docere mandamus.* Hactenus Clemens. Satis iam (vt arbitror) liquet Apostolos multa tradidisse fidelibus, quæ non sunt expressa in Scripturis diuinis: id quod etiam pleraque ex his quæ subijciemus, commonstrabunt.

Missa non nisi in consecrato loco celebranda.

CAPVT VI.

Plures sententiæ Patrum Orthodoxorum de consuetudinibus & decretis Ecclesiæ, sine traditionibus institutisque maiorum.

1. *Quid de illis dicendum, qui negligunt Ecclesiæ traditiones & decreta, ex sancto Martyre Ignatio, & sancto Clemente.*
2. *Magnum testimonium sancti Irenæi de supremâ Romanæ Ecclesiæ auctoritate, eiusque fidelibus traditionibus.*
3. *Propugnat Traditiones sanctus Polycarpus.*
4. *Querimonia sancti Basilij de neglectu traditionum & decretorum Ecclesiæ.*
5. *Sanctus Epiphanius contra hæreses maximè vrget auctoritatem & traditiones Ecclesiæ.*
6. *Itemque sanctus Ioannes Damascenus pro oratione pro defunctis, pro veneratione Crucis & Sanctorum, atque imaginum.*
7. *Sancti Hieronymi doctrina de seruandis fideliter Ecclesiæ traditionibus.*
8. *Sancti Augustini.*
9. *Vincentij item Lirinensis eius coætanei.*

LIBET hîc coaceruare plures sententias Patrum Orthodoxorum de consuetudinibus & decretis Ecclesiæ, siue traditionibus institutisque maiorum: ob id maximè, quòd hæretici huius temporis modis omnibus conentur abrogare quidquid sancta Mater Ecclesia recepit, quod ipsis non placet. Igitur Ignatius, beati Ioannis Euangelistæ discipulus, in Epistolâ quam scribit ad Heronem Diaconum, ita loquitur: *Omnis qui aliquid dixerit præter illa quæ tradita sunt, tametsi fide dignus sit, tametsi ieiunet, tametsi virginitatem seruet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet, lupus tibi appareat in grege ouium corruptionem operans.* Beatus Clemens, Petri Apostoli discipulus, in calce cuiusdam Epistolæ suæ ait: *In iudicio Dei ignis æterni tormenta sustinebit, qui Ecclesiastica decreta neglexerit.* 1.

Quo loco habeat S. Ignatius contemptores Ecclesiasticarum traditionũ.

Item S. Clemens.

Clarissimus Martyr Christi Irenæus, Polycarpi Martyris auditor, (quem Polycarpum discipulum Ioannis Apostoli fuisse constat) tertio Aduersus hæreses libro ita scribit: *Maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, traditionem, quam habet ab Apostolis, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo, vel per sui placentiam prauam, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, aliter quàm oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vbique fideles: in quâ semper conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.* 2.

S. Irenæus de auctoritate traditionum & Romanæ Ecclesiæ.

Et paulò pòst, *Ea*, inquit, *quæ est ab Apostolis in Ecclesiâ traditio, peruenit vsque ad nos: & Polycarpus non solùm ab Apostolis edoctus, & conuersatus cum multis ex his qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asiâ, in eâ quæ est Smyrnis, Ecclesiâ constitutus Episcopus, quem & nos vidimus* 3.

Item S. Polycarpus, ex narratione S. Irenæi.

in primâ nostrâ ætate (multum enim perseuerauit: & valdè senex gloriosissimè & nobilissimè martyrium faciens, exiuit de hac vitâ) hic docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesia tradidit, & sola sunt vera. Deinde cùm idem Irenæus dixisset, Apostolos in Ecclesiam, quasi in diues depositorium, plenissimè contulisse omnia quæ sunt veritatis, addidit: *Quid si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis: nónne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his quibus committebant Ecclesias?*

Denuò Irenæus.

4. *S. Basilius traditiones vehementer propugnat.* Beatus Basilius Magnus, in Epistolâ quam scribit ad Occidentales Episcopos, facit huiusmodi querimoniam. *Tribulationes,* inquit, *nostræ vel nobis tacentibus vobis sunt cognitæ, vtpote quæ in toto orbe sint diuulgatæ. Patrum decreta contemnuntur, Apostolicæ traditiones nihili fiunt, recentiorum hominum inuenta Ecclesiis inferuntur: seniores ingemiscunt, dum vetera præsentibus comparant: iuuenes eò miserabiliores sunt, quòd non videant quibus bonis priuati sint.*

5. *S. Epiphanius vrget traditiones contra hæreticos.* Epiphanius Cyprensis eximiæ sanctitatis Episcopus, in libro quem Aduersus hæreses scripsit, refellens impia dogmata Aërij hæretici, qui neque pro defunctis orandum, neque diebus ab Ecclesiâ præscriptis ieiunandum esse asserebat; inter cetera quibus Ecclesiæ consuetudinem & Patrum traditiones defendit, sic loquitur: *Quis verò ista rectiùs nouit, hícne seductus homo qui adhuc superest, & in viuis etiam nunc agit, an Martyres qui ante nos fuerunt, quiq́ ante nos habuerunt in Ecclesiâ traditionem à suis Patribus acceptam, quam & hi rursum à Patribus ante se viuentibus didicerant?* Deinde paucis interiectis addit idem Epiphanius: *Quis poterit matris statuta patrisq́ legem (vt verbis Salomonis vtamur) dissoluere? Nam Salomon, Audi, inquit, fili sermones patris tui, & ne repellas leges matris tuæ; ostendens quòd per Scripturam & sine Scripturâ docuerit Pater, hoc est, Deus, Vnigenitus, & Spiritus sanctus, quodq́ mater nostra Ecclesia leges habeat apud se repositas indissolubiles, quæ euerti non possunt.* Hæc Epiphanius. *Prou. 1. & 6.*

6. *S. Ioannes Damascen. laudat traditionem orandi pro defunctis.* Sanctus Ioannes Damascenus cælesti sapientiâ locupletissimus, in Sermone de Defunctis, in quo testimonijs ex Dionysio Areopagitâ, Ioanne Chrysostomo, Gregorio Nysseno, & Athanasio Magno adductis, comprobat, preces, eleëmosynas, & cetera pia opera pro fidelibus qui obdormierunt peracta, plurimùm prodesse ipsis defunctis, hæc dicit: *Hoc est, quod vult ac consulit misericors Deus, vt nos mutuò tam in vitâ quàm post mortem beneficijs prosequamur. Nisi enim id in oculis eius rectum foret, nunquam dedisset occasionem habendæ memoriæ defunctorum in Sacrificio illo incruento, neque item celebrandorum ternariorum, nouenariorum, quadragenariorum, & anniuersariorum: quæ sanè inconcussa & ita certa, vt de eis disputare non oporteat, Apostolica Catholicaq́ Ecclesia, ac populus eius à Deo collectus, pietatiq́ deditus, absque omni contradictione custodit.*

Itemq́ adorandi S. Crucem, inuocandi Sanctos, colendi sacras Reliquias. Idem ipse Ioannes Damascenus quarto libro Orthodoxæ fidei, postquam ostendit nos iustè adorare Crucem Dominicam, venerari præsepium, sepulchrum, & similia, ac non sine causâ conuerti ad Orientem dum Deo supplicamus; addit hæc verba: *Non est scripta ista Apostolorum traditio, nam multa sine scripto nobis tradita sunt.* Rursum eodem libro post illa omnia quibus copiosè declarat nos debere beatam virginem Mariam Deiparam ceterosque Sanctos colere, eis templa erigere, eos inuocare, imaginibusq́; ipsorum honorem exhibere, mox subdit: *Hæc traditio scripta non est: quòd autem plurima sancti Apostoli tradiderint sine scripto, Paulus gentium Apostolus testatur dicens, Ergo fratres state & tenete traditiones nostras, quas edocti estis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Et rursum: *Laudo vos fratres, quia per omnia mei meministis, & sicut tradidi vobis traditiones tenetis.* *2. Thess. 2.* *1. Cor. 11.*

Vir illustris beatus Hieronymus scribens Lucino Betico, ait: *De sabbato, quod quæris, vtrùm ieiunandum sit, & de Eucharistiâ, an accipienda quotidie, quod Romana Ecclesia & Hispanicæ obseruare perhibentur; ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas (præsertim quæ fidei non officiunt) ita obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti. Atque vtinam omni tempore ieiunare possemus, Eucharistiam quoque semper accipere, & Psalmistam audire dicentem, Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.* Et paulò pòst, *Vnaquæque,* inquit, *prouincia, præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.* 7. *S. Hieronymus traditiones Ecclesiæ ab omnibus retinendas docet. Quotidiana communio Romæ & in Hispaniis.* *Psal. 33.*

Sanctus Pater Augustinus, præclarum Ecclesiæ sidus, in Epistolâ ad Casulanum scribit hunc in modum: *In his rebus de quibus nihil certi statuit diuina Scriptura, mos populi Dei & instituta maiorum pro lege tenenda sunt: & sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt.* 8. *S. Augustinus etiam traditiones defendit.*

Vincentius Lirinensis, vetustus, pius & eruditus Scriptor, in libro quem Aduersus hæreses edidit, super his verbis beati Pauli Apostoli, *Deuita profanas vocum nouitates,* ita loquitur: *Profanæ sunt, quæ nihil habent sacri,* 9. *Vincentij Lirinensis locus excellens pro traditionibus Ecclesiæ.* *1. Tim. 6.*

sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus (quæ est templum Dei) penitus extranea. Profanas, inquit, vocum nouitates, id est, dogmatum, rerum, sententiarum nouitates, quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contrariæ. Quæ si recipiantur, necesse est vt fides beatorum Patrum aut tota, aut certè magnâ ex parte violetur: necesse est vt omnes omnium ætatum fideles, omnes Sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes Clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tanta Confessorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot insulæ, tot prouinciæ, Reges, gentes, regna, nationes, totus postremò iam penè terrarum orbis per Catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuntietur. Profanas, inquit, vocum nouitates deuita: quas recipere atque sectari numquam Catholicorum, semper verò hæreticorum fuit. Et paucis interiectis ait idem Vincentius: *Cunctis euidenter perspicueq́ monstratur, hoc apud omnes ferè hæreticos quasi solemne esse ac legitimum, vt semper profanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant, & per expositiones falsi nominis scientiæ, à fide naufragent. Contrà verò Catholicorum hoc ferè proprium, deposita sanctorum Patrum & commissa seruare, damnare profanas nouitates: sicut prædixit, & iterùm dixit Apostolus, Si quis annuntiauerit præterquã quod acceptum est, anathema sit.* (Gal. 1.) Hactenus ex Vincentio Lirinensi. Profectò insolenter nimiùm insaniunt hæretici, qui maiorum præceptis & Ecclesiæ consuetudinibus atque decretis contemptis, absurda alia, quæ pro suæ voluntatis arbitrio sequantur, sibi somniant.

CAPVT VII.

Quòd propter mala atque abusus non oporteat Ecclesiam contemnere: & quòd etiam malis Ecclesiæ Pastoribus parère necesse est.

1. *Non est contemnenda auctoritas Ecclesiæ propter abusus aut peccata, quæ in eâ eiusque Prælatis eueniunt:*

2. *Nec enim Regibus perit sua in subditos auctoritas, propter ipsorum Regum peccata;*

3. *Et Dominus in Scripturâ expressè iubet, Pastoribus, alioquin malis, in doctrinâ tamen obedire.*

4. *Clementis Romani eâ de re traditio Apostolica.*

5. *In hac vitâ Ecclesia habet bonos malis commixtos: in futurâ dumtaxat fiet eorum ab inuicem separatio.*

1. *Ecclesiæ auctoritas non est spernenda, propter peccata eorum, qui in eâ degunt, aut regunt.*

Ipsi hæretici, vt auctoritatem Romanæ atque Apostolicæ Ecclesiæ deprimant, clamitant, innumera eademque grauissima peccata & intolerabiles abusus in eâ esse. Nos sanè nec volumus nec possumus negare quod manifestum est. Ceterùm pij prauos quosque commiseratione & gemitibus prosequuntur. Eos qui deberent probitatis exempla præcipuè commonstrare, sed iniquitatis exempla commonstrant, non per maleuolentiam aspernantur, neque de eis detrahendi studio passim contumeliosè loquuntur; sed potiùs illos precibus apud Deum iuuare contendunt. Magnis quidem desiderijs exoptant, vt corrupti mores in meliùs reformentur: non tamen se Præpositorum vel Sacerdotum iudices temerè constituunt. Multi iniqui sunt in Ecclesiâ. Verum est, dolendum est: multi laicorum, multi Clericorum, multi Monachorum non dignè secundùm vocationem quâ vocati sunt, ambulant. (Ephes. 4.) Non tamen propterea perijt Ecclesiæ auctoritas, non propterea contemnenda est ipsa Ecclesia.

2. *Quia etiam Deo iubente Regibus, tametsi malis, parendum est.*

Nam sicut Regibus & Principibus sæcularibus (licet fortè mali sint) subditos oportet esse Christianos: ita Antistitibus ac Pastoribus Ecclesiæ, etiam malis, eos debitam reuerentiam debitamque obedientiam præstare necesse est. (1. Pet. 2. Rom. 13. Ad Tit. 2. & 3.)

3. *Prælatorum mala vita bona vox audienda.*

De talibus enim Primatibus, non mala docentibus vel præcipientibus, Dominus Iesus istud pronuntiauit: *Omnia quæcumque dixerint vobis, seruate & facite; secundùm verò opera eorum nolite facere.* (Matth. 23.) Apostolus quoque, *Obedite*, inquit, *Præpositis vestris, & subiacete eis.* (Heb. 13.) Rursumque ait: *Omnis animæ potestatibus sublimioribus subdita sit.* (Rom. 13.) *Non enim est potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: Qui autẽ resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* In Deuteronomio etiam Scriptura diuina dicit: *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio,* (Deut. 17.) *qui eo tempore ministrat Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël: omnisq́ populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbiâ.* Alio item loco ait: *Quasi scelus idololatriæ* est, *nolle acquiescere.* (1. Reg 15.)

4. *Estq́ ea Apostolorũ traditio apud S. Clementem.*

Operæpretiũ fuerit adducere in medium etiam ea quæ de hac re scribit Clemens Petri Apostoli discipulus. In quadam enim Epistolâ ita loquitur: *Si vobis Episcopis omnes Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, reliquiq́ Clerici non obedierint; si Principes omnes tam maioris quam inferioris ordinis, atque reliqui populi, tribus, & linguæ non obtemperauerint, extorres à regno Dei & consortio fidelium, atque à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt.* Et infrà in eadem Epistolâ, *Qui,* in-

inquit, *Episcopis non obediunt, indubitanter rei & reprobi existunt: de quibus etiam beatus Petrus instructor & ordinator noster, ac princeps Apostolorum, manifestè cunctos audientes instruebat dicens: Qui Episcopis restiterit aut inobediens fuerit, non his sed Domino Saluatori nostro, cuius legatione funguntur, resistit.* In aliâ quoque Epistolâ Clemens, narrans beato Iacobo ea quæ docere solebat Petrus, (cuius ipse indiuiduus comes fuerat) scribit hunc in modum: *Quotidiana illius prædicatio hæc erat, quam tibi frater charissime significare curaui. Bonorum, inquit, operum semina sunt, Deum, quantum vnusquisque sapit & potest, totis intimi cordis visceribus diligere, & proximum sicut seipsum.* Mat. 22. Paucisque interiectis addit: *Episcoporum præceptis in omnibus obedite, etiamsi ipsi aliter (quod absit) agant: memores scilicet illius Dominici præcepti, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Obedientia & humiliatio quæ Magistris impenditur, Domino exhibetur.* Math. 23. Hæc ex Clemente.

5. *Mali enim & boni commixti sunt in Ecclesiâ militante: in triumphante nemo erit malus.*

Ergo, sicut dicebamus, non propter malos contemnenda est Ecclesia. Non idcircò vituperandus est honorabilis ordo vel Episcoporum, vel Sacerdotum, vel Monachorum, quòd plures perditè viuentes habeat: neque enim sacrum Apostolorum ordinem ideò non veneramur, quòd Iudas in eo tam sceleratus fuerit vt Christum traderet. Sicut autem in Ecclesiâ multi sunt mali, ita sunt & multi boni. Math. 13. Luc. 3. Ipsa enim est sagena bonos malosque pisces pariter complectens: ipsa est area, grana simul & paleas continens. Quamdiu hîc viuitur, necesse est vt boni cum malis permaneant, eosque tolerent: posteà Dominus separabit malos à bonis. Hæretici dum quasi separare se volunt à malis, præcidunt se ab Ecclesiâ: vel hinc apertè demonstrantes, quòd non solida grana, sed leuissimæ paleæ sint: nam si grana essent, non eos ab areâ Dominicâ ventus superbiæ excuteret.

CAPVT VIII.

Quòd hæreticis ab Ecclesiâ separatis, & charitatem non habentibus, nihil prosint bona quæ ipsi facere videntur.

1. *Nullum genus bonorum operum prodest hæretico, quamdiu in hæresi perseuerat, & extra veram charitatem manet.*

2. *Hæreticus, quantumuis aliàs benè viuat, non intrabit in regnum cælorum, ob veræ fidei defectum.*

1. *Hæreticis non potest prodesse, quidquid boni operantur, cùm nil agant aut patiantur vtile ad salutem.*

IAM ab Ecclesiâ præcisi hæretici, licet in virulentis libris, quos edunt, nonnumquam bona intermisceant; licet aliqua, quæ ex se vtilia sunt, doceant; licet eleëmosynas faciant, & precibus dediti sint; licet tormenta, atque ipsam mortem intrepidè subeant, nihil eis prosunt illa omnia; quia charitatê non habent, nec habere possunt, cùm Ecclesiæ Catholicæ vnitatem, videlicet tunicam Christi inconsutilem, per nefarias sectas discindere nitantur. Verissima enim sunt hæc verba Pauli Apostoli. 1. Cor. 13. *Si linguis,* inquit, *hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

2. *Nec vnquã cælorum regnum ingredientur, quantumuis aliàs benè viuant.* Gal. 5.

Qui beatus Apostolus, postquam opera carnis alio loco enumerasset, & inter illa sectas siue hæreses expressisset, terribili sententiâ mox subiecit: *Prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Hinc sacer Præsul Augustinus in libro de Fide ad Petrum ait: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum siue schismaticum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleëmosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari.* Idem beatus Antistes quarto libro de Baptismo aduersus Donatistas, scribit in hæc verba: *Constituamus aliquem castum, continentem, non auarum, non idolis seruientem, hospitalem, indigentibus ministrantem, non cuiquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, sobrium, frugalem, sed hæreticum: nulli vtique dubium est, cum propter hoc solum, quòd hæreticus est, regnum Dei non possessurum.*

CAPVT IX.

De vnitate Fidelium, & quòd vnius Dei vnica sit Ecclesia, extra quam nulli salus esse possit.

1. *Consensus & vnitas eiusdem fidei per orbem, nota est veræ Ecclesiæ.*

2. *Illa vna Ecclesia, est Romana Catholica,*

3. *Quæ sola est & semper erit firmamentum veritatis, & salutis arca per allegoriam diluuij Noëtici.*

1. *Vnitas fidei est nota Ecclesiæ: quæ debet esse vna, vt sit vera.*

APOSTOLVS vociferatur, admonet, precatur, & dicit: *Solliciti sitis seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus,* Ephes. 4.

corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vnâ spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. At hæretici vocem hanc Apostolicam non audiunt. Persuadeant sibi sanè quod volunt: non possunt esse tot Ecclesiæ, quot emergunt hæreses & fiunt schismata. Et si plures dicuntur Ecclesiæ, propterea quòd plures in orbe terrarum sint fidelium congregationes & cateruæ; omnes tamen in vnitate Orthodoxæ fidei conuenientes, vnam efficiunt Ecclesiam. Ea per totum mundum vnam seruat sanctæ communionis integritatem.

2. *Ea nota soli Romanæ Ecclesiæ conuenit.* Vnius ergo Dei vna est Ecclesia, vnius viri Christi vna sponsa, sicut Paulus spiritu Dei plenus ait: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* (1. Cor. 11.) De quâ suâ vnicâ ipse Christus ad Patrem in Psalmo, (Psal. 21.) *Erue*, inquit, *de manu canis vnicam meam.* De quâ rursum dicit: (Cant. 6.) *Vna est columba mea.* Ista vnica nimirum ea est, quæ hoc sæculo nostro ab hæreticis Papistica, à nobis dicitur Apostolica atque Catholica, id est, vniuersalis. Ipsorum hæreticorũ recens nata siue nuper resuscitata Synagoga, dogmatibus nescio quibus male ebria, inconstans & insana, (quæ instituta traditionesque maiorum, & fidem quam Apostoli Apostolorumque discipuli, ac Martyres, ceterique Sancti omnes tenuerunt, impugnat) non potest esse illa vnica, non potest esse illa veritatis columna.

3. *Ea sola est Catholica, firmamentum veritatis, & arca salutis.* Catholica verò planè *firmamentum veritatis* est; (1. Tim. 3.) quæ licet varijs vel hæreticorum vel ethnicorum assultibus ferè semper impetita pulsataque fuerit, stabilis tamen atque insuperabilis in vnâ eademque fide hactenus permansit, & in æternum permanebit. Cum hac enim Christus se futurum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi promisit: (Matth. 28.) de hac dixit, (Matth. 16.) *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Hæc est arca illa Noë, (Gen. 7. 8.) intra quam quicumque non est, vt diluuio absorptus pereat necesse est. Hæc est illud corpus Christi mysticum, à quo quodcumque membrum separatum fuerit, viuere non potest. O profundam cæcitatem! ô miserandam dementiam infelicissimorum hæreticorum, qui venerabilem illam Dei domum (extra quam nullus Deo placere potest) reliquerunt! ad quam nisi humiliati atque obedientes reuersi fuerint, nisi Ecclesiæ Catholicæ vnitatem tenuerint, quantumcumque probi ac iusti esse videantur, eos ex hac vitâ migrantes non gaudia cæli, nec remedia Purgatorij, sed æternæ damnationis supplicia excipient.

COLLYRII HÆRETICORVM LIBER POSTERIOR.

CAPVT I.

De arrogantiâ & impijs dogmatibus hæreticorum huius temporis. Estque synopsis disputationum huius libri.

1. *Enumerat præcipuas hæreses huius temporis, quas posteà singulas per ordinem confutat.*
2. *Hæretici negant, quidquid illis displicet: & quoscumque possunt, illaqueant.*

PROFECTÒ, dum ego arrogantiam & impietatem hæreticorum æui nostri memoriâ repeto, lacrymas continere vix possum. 1. *Deplorat & recenset hæreses præcipuas nostri temporis numero sedecim, deinceps per sedecim capita ordine refutandas.* [a] Ipsi enim obtemperare Ecclesiæ nolunt: subesse eius Præsulibus modis omnibus recusant. Summi Pontificis (qui supremus Christi Vicarius est) primatum nihili æstimant. Apostolicæ Sedi petulanter insultant. (a Refutatur Cap. 2.) Monstrosæ confusionis sectatores, diuinæ ordinationis insectatores, visibilem Ecclesiam sine visibili capite in terris esse volunt. [b] Inter laicos & Clericos nihil discriminis constituunt: (b Cap. 3.) in sanctum Sacerdotium ceterosque Ordines sacros contumeliosi sunt. [c] Sacramentalem (c Cap. 4.) salutiferamque exomologesim, quam coram Sacerdote, peccata nostra aperiendo atque enumerando, facimus, explodunt & exsibilant. [d] Blasphemiarum aceruos in illum (d Cap. 5.) diuini amoris omniumque bonorum fontem sacram Eucharistiam, & in cæleste illud Missæ Sacrificium, in illa inquam ineffabilis dignitatis mysteria, barbaricâ paganicâque irreuerentiâ congerunt. [e] Sanctæ (e Cap. 6.) Vnctionis Sacramentum, quod fidelibus morti vicinis administratur, tamquam rem inanem irrident atque reijciunt: imò verò pleri que ex eis consecratum Oleum calceis suis inungendis (ô scelus nefandum!) iam adhibuisse perhibentur. [f] De præcellentissi- (f Cap. 7.) mæ Deiparæ virginis Mariæ dignitate, quantum possunt derogant. [g] Cultum ei (g Cap. 8.) impensum, & venerationem Sanctis Beatisque cæli ciuibus exhibitam, insolentissimâ temeritate damnant; eos non debere inuocari insipientissimè deblaterant, [h] eorum (h Cap. 9.) honorandas imagines è templis eijciunt. [i] Purgatorium fabulam dicunt; vnde etiam (i Cap. 10.) pro defunctis orandum esse negant. [k] Pro- (k Cap. 11.)

teruâ dicacitate & risu vsum Aquæ benedictæ ac cereorum, externosque [l] ritus & dies festos in Ecclesiâ Dei receptos incessũt. [m] Arbitrium hominis liberum non esse, & fidem sine bonis operibus ad salutem sufficere gan-niunt. [n] Monachismum detestantur: eum nouum hominum commentum esse dicunt. [o] Nuptias ita laudant, vt virginitati detrahant. Hominem non posse continenter viuere, ob idque non debere continentiam vouere, pronuntiant: & si quis illam vouerit, ac posteà votum violauerit, nihil talem offendisse, nihil in Deum peccasse iudicant. Incesta Sacerdotum, Monachorum, ac Virginum Deo sacratarum connubia approbant. [p] Cælibatum omnemque carnalium voluptatum abstinentiam paruipendunt. [q] Libertatem carnis, libertatem Euangelicam appellant.

[l] Cap. 12. [m] Cap. 13. [n] Cap. 14. [o] Cap. 15. [p] Cap. 16. [q] Cap. 17.

2. *Negant Nouatores quod illis non placet; & peruertunt quotquot possunt.* Breuiter, quidquid eis libet, etiam licere putant: atque ita rabie quadam correpti, suas animas in gehennam confidenter præcipitant. Magnum illis studium est, quàm plurimos in eamdem secum perditionis massam illicere: & vbi aliquem veneno pestiferæ persuasionis infecerint, tum mirificè exultant atque gloriantur. Aiunt talem iam verè illuminatum, feliciterque immortali semine verbi Dei renatum esse. Deus bone, in quæ tempora incidimus nos! Quàm indignè hoc nostro sæculo ab istiusmodi hæreticis profananantur omnia! Quantâ ipsi feritate in sponsam Christi Ecclesiam debacchantur! Sed operæpretium est, vt aduersus impiam eorum temeritatem, præter illa quæ suprà in medium protulimus, adhuc aliqua breuiter adducamus.

CAPVT II.

De obedientiâ præstandâ Ecclesiæ atque Antitistibus, & de Summi Pontificis Sedisque Apostolicæ primatu.

1. *Proprium esse hæreticorum, Summi Pontificis primatum negare, docet S. Cyprianus.*
2. *B. Anacleti assertio & probatio primatus Romani ex Scripturis.*

1. *Summi Pōtificis primatū semper auersantur hæretici, teste S. Cypriano.* CHRISTIANOS omnes debere obedire Ecclesiæ, debere subesse eius Antistitibus, abundè suprà in priori Libro fuit demonstratum. Quòd autem hæretici primatum Summi Pontificis & eminentiam Sedis Apostolicæ despiciunt atque impugnant, hoc faciunt quod sibi proprium est. Nam beatus Dei Martyr Cyprianus scribens ad S. Cornelium, ita loquitur: *Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde quòd Sacerdoti non obtemperatur, nec vnus in Ecclesiâ ad tempus iudex vice Christi cogitatur.*

De ipso Supremi Pontificis & Sedis Apostolicæ primatu sanctus Anacletus Petri Apostoli discipulus, in quadam Epistolâ suâ scribit hunc in modum: *Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælo. Adhibita est etiam societas in eadem Romanâ vrbe beatissimi Apostoli Pauli vasis electionis, qui vno die, vno quoque tempore, gloriosâ morte cum Petro sub Principe Nerone decertans coronatus est; & ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt, aliisque omnibus vrbibus totius mundi, eam suâ præsentiâ atque venerando triumpho prætulerunt.* Et paulò infrà idem Anacletus ait: *Inter beatos Apostolos quædam fuit discretio: & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis: & Cephas, id est, Caput, teneret principatum Apostolatus.* Hæc Anacletus.

2. *S. Anacletus primatum Pontificu adstruit.* Matth. 16.

CAPVT III.

De discrimine inter laicos & Clericos.

1. *Discrimen inter Clericos & laicos, quòd illi præsint, hi verò subsint, in rebus spiritualibus, ex sancto Ignatio.*
2. *S. Chrysostomus docet, solis Sacerdotibus conuenire auctoritatem remittendi peccata, & Sacrificium offerendi.*
3. *Laici vocantur aliquando Sacerdotes & Reges, propter internam pietatem, non propter externum officium aut sacrificium.*
4. *Iidem fuêre Clericorum ordines tempore Apostolorum, qui nostro sunt.*

1. *Inter Clericos & laicos magnū discrimen ponit S. Ignatius.* DE discrimine quod est inter laicos atque eos qui Sacris sunt initiati, multa & diuinæ Litteræ, & Apostolorum Canones, & scripta eorum qui cum Apostolis conuersati sunt, continent. Beatus Ignatius, Ioannis Apostoli discipulus, in Epistolâ quam scripsit ad Trallianos, inter cetera, quibus commendat dignitatem Episcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum, ait: *Episcopo subiecti estote sicut Domino, Presbyteris subditi estote sicut Apostolis: oportet etiam & Diaco-*

Diaconis, qui sunt in ministerio Iesu Christi, omni modo placere. Sine ipsis Ecclesia electa non est, neque collectio Sanctorum, neque congregatio sancta. Hæc Ignatius.

2. *Soli Sacerdotes remittunt peccata, & sacrificant, ex S. Chrysostomo.*

Diuus Ioannes Chrysostomus loquens de Sacerdotibus, præstantiam eorum huiusmodi verbis effert: *His, qui terram incolunt, atque in eâ versantur, commissum est vt ea quæ in cælis sunt dispensent: his datum est, vt potestatem habeant, quam neque Angelis neque Archangelis datam esse voluit Deus. Quid hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à Domino concessam?*

Ioan. 20.

Quorumcumque enim, ait, peccata remiseritis, remittuntur eis; & quorumcumque retinueritis, retenta sunt. Rursum ipse Chrysostomus dicit: *Cùm Sacerdos Spiritum sanctum inuocauerit, Sacrificiumq́ illud horrore & reuerentiâ plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato, in quorum illum ordine, quæso te, collocabimus?* Itemque ait: *Sacerdotium quidem in terrâ peragitur, ceterùm in rerum cælestium classem ordinemq́ referendum est.* Hæc Chrysostomus.

3. *Quo sensu & modo possint laici Sacerdotes vocari.* 1. Pet. 2.

Omnes quidem Sancti aliquando dicuntur in Scripturis Sacerdotes, propterea quòd spirituales hostias offerant Deo: sicut etiam dicuntur Reges, eò quòd regant suos affectus: sed non nisi hi qui ab Episcopo consecrantur, externo Sacerdotio fungi possunt.

4. *Iidem sæculo Apostolico sacri Ordines, iisdemq́ nominibus vocati quibus nostrâ ætate, ex S. Ignatio.*

Temporibus Apostolorum eadem erant sacrorum Ordinum nomina, quæ modò sunt in Ecclesiâ. Vnde Ignatius in Epistolâ ad Antiochenos scribit ita: *Saluto sanctum Presbyterum vestrum, saluto sanctos Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, laborantes, Exorcistas, atque Confessores.*

CAPVT IV.

De Confessione sacramentali.

1. *Confessionis auricularis Sacramentum probatur ex sacrâ Scripturâ:*
2. *Ex testimonio sancti Clementis:*
3. *Ex auctoritate clarissimâ sancti Cypriani.*
4. *Publica secretorum confessio ab Ecclesiâ non iniungitur.*

1. *Ex Scripturâ confessio auricularis ostenditur.* Ioan. 20.

EXOMOLOGESIM sacramentalem à Christo institutam fuisse, certum est, qui Sacerdotibus dedit potestatem absoluendi homines à peccatis, dicens: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Neque enim Sacerdos potest remittere peccata sibi incognita. Quare vt per ipsum Sacerdotem concedatur peccatorum absolutio & remissio, necesse est vt per eum qui peccauit, fiat peccatorum confessio declaratioque.

Hinc Clemens Petri Apostoli discipulus scribens sancto Iacobo Ierosolymorum Episcopo, inter multa alia quæ se ab ore ipsius Petri accepisse testatur, hæc etiam ponit. 2. *Et idem docet S. Clemens:* *Si fortè, inquit, alicuius cor vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod aliud malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc ei qui præest: vt ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur, quò possit integrâ fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia peruenire.*

Cyprianus Martyr in Sermone de Lapsis, verba faciens de his qui corde dumtaxat peccauerunt, ait: 3. *Et S. Cyprianus, luculentâ sententiâ.* *Quoniam de eâ re vel cogitauerunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confiteantur, exomologesim conscientiæ suæ faciant, animi sui pondus exponant, salutarem medelam paruis licet ac modicis vulneribus exquirant.* Et paulò pòst: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.*

In publicâ pœnitentiâ solebat olim palàm fieri confessio; sed ea consuetudo iustè posteà abrogata fuit. 4. *Publica confessio abrogata.*

CAPVT V.

De sacrosanctâ Eucharistiâ.

1. *Realem præsentiam Corporis Christi per transsubstantiationem in Eucharistiâ docet Damascenus, ex verbis Christi; ex fide incarnationis & creationis; ex illustri vaticinio Malachiæ.*
2. *Eamdem doctrinam grauissimis verbis prædicat sanctus Chrysostomus.*
3. *Non est figura in verbis consecrationis, & Verbo substantiuo est.*
4. *Concedere figuram in similibus, est aperire ianuam absurdissimis erroribus.*
5. *Fides Catholica de venerabili Sacramento.*
6. *Adiuuatur exemplis naturalibus.*

1. *S. Ioannes Damascenus docet realem præsentiam Christi in Eucharistiâ.* Matth. 26.

BLASPHEMIAS, quibus hæretici sacrosanctam Eucharistiam modò impetunt, vel solus Ioannes Damascenus retundere poterit, qui de illâ quarto libro Orthodoxæ fidei loquitur in hunc modum: *Non est figura Corporis & Sanguinis Christi, (absit enim hoc) sed est ipsum Corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente, Hoc est, non figura Corporis mei, sed Corpus meum: nec figura Sanguinis, sed Sanguis.* *Ex verbis Christi,* Ioan. 6. *Et, Caro mea verus est cibus, & Sanguis meus verus est potus.* Ioan. 1. *Ex fide incarnationis.* *Si volens Deus Verbum factus est homo, & ex sanctæ semper Virginis puris atque illibatis sangui-*

Ex creatione, Genes. 1.

* τοῦ ὑετοῦ γενομένου, id est, hactenus terra, beneficio pluuiæ superuenientis, fertilis est & fructificat.

*sanguinibus sibi carnem subsistere fecit; non potest panem Corpus suiipsius facere, & vinum Sanguinem? Dixit in principio, Producat terra herbam virentem; atque hactenus, * pluuiâ factâ, terra producit sua germina, diuino adiuta vigoratáq́ precepto. Dixit Deus, Hoc est Corpus meum; &, Hic est Sãguis meus; &, Hoc facite in meam commemorationem: & vtique omnipotenti eius precepto id efficitur. Spiritus sancti operatione hoc super naturam operatur Deus, quod sola fides capere potest. Proinde cum omni timore & conscientiâ mundâ atque indubitatâ fide accedamus, venere-múrq́, ipsum totâ puritate animi & corporis.*

Ex prophetiâ illustri Malachiæ. Malach. 1.

Hæc est incruenta illa Hostia, quam ab ortu solis vsque ad occasum sibi offerri per Prophetam Dominus dicit, Corpus videlicet & Sanguis Christi. Dicitur Communio, & est reuerà: quia communicamus per ipsam Christo, & participamus eius carne ac Diuinitate, nobisque mutuò per illam communicamus & vnimur. Hactenus Damascenus.

2\. *S. Ioannes Chrysostomus eamdem prædicat veritatem.*

Diuus Ioannes Chrysostomus libro tertio de Sacerdotio scribit in hæc verba: *Dum conspicis Dominum immolari, Sacerdotem sacrificio incumbere, precaríq́, desuper, & turbam omnem pretioso illo Sanguine rubefieri, etiámne te adhuc inter mortales versari atque in terrâ consistere censes? ac non potiùs repentè in cælos transferris, omnemq́, cogitationem carnis abijciens, nudo animo, mente purâ circumspicis quæ in cælo sunt? O magnum miraculum! ô magnam Dei erga humanum genus beneuolentiam!* &c.

3\. *Confutatur figura hæreticorũ, quã solam sibi imaginantur, negatâ reali & corporali Christi præsentiâ in Eucharistiâ.* 1. Cor. 10.

Hæretici verba illa Domini, *Hoc est Corpus meum*, hac satanicâ interpretatione deprauant. Verbum, inquiunt, *est* debet reddi per Verbum *significat*: vt sit sensus, *Hoc significat Corpus meum*; quemadmodum ibi, *Petra erat Christus*, id est, significabat Christum. O impietatem detestandam! Atqui Paulus figuratè dicens, *Petra erat Christus*, non asserit Christum esse petram corpoream, sed petram spiritualem: id quod verba eius mox præcedentia testantur, dum dicit, *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petrâ.*

4\. *Non debet admitti figura in Verbo substãtiuo est.* Ioan. 10.

Si liceret in explanatione Scripturarum ita abuti Verbo substantiuo, latissima pateret via ad inauditas hæreses suscitandas. Et quid stolidius absurdiúsque foret, quàm dicere, sententiam hanc, *Ego sum pastor bonus*, sic esse interpretandam, Ego significo pastorem bonum, vel, Figura sum pastoris boni? Non minùs ineptum impiumque fuerit, dicere, verba illa Dominica, *Hoc est Corpus meum*, sic esse reddenda, Hoc significat Corpus meum, aut, Hoc est figura Corporis mei.

Nos Ecclesiæ filij firmissimè credimus, sub specie panis Corpus Christi non minùs verè esse in Eucharistiâ, quàm est in cælo. Credimus, ad prolationem sacratissimorum verborum, virtute diuinâ, non Sacrificantis merito, panem vinumque conuerti in Corpus & Sanguinem Christi; adesse verum Corpus Domini in altari cum numerosâ Angelorum multitudine, & tamen ipsum idem in cælo ad dexteram Patris permanere. 5.

Doctrina & veritas Catholica, de sacramentali transsubstantiatione.

Incomprehensibilia sunt ista. Fit ita, quia Deus vult ita, Deus ita instituit. Sanè si sensibili exemplo hîc vti licet, agnoscimus verbum ab homine prolatum & integrum audientium auribus excipi, & nihilominùs integrum in proferente manere: itidem figuram hominis in obiectis speculis efformari, & tamen ab homine non recedere. 6.

Declaratur exemplo naturali de voce & speculo.

CAPVT VI.

De Sacramento Vnctionis infirmorum.

1\. *Sacramentum extremæ Vnctionis ex Epistolâ B. Iacobi euidentissimè probatur.*

2\. *Institutum fuit ad alleuiationem animæ, & (quando expedierit) etiam corporis.*

3\. *Eius vsus in Ecclesiâ frequentissimus & antiquissimus.*

SACRAMENTVM Vnctionis, quod à Christo institutum infirmis administratur, Iacobus Apostolus promulgauit, sic scribens: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* 1.

S. Iacobus clarissimè docet Sacramentũ Vnctionis infirmorum. Iac. 5.

Vir eximiâ & sanctitate & doctrinâ conspicuus Hugo à sancto Victore, libro secundo de Sacramentis, colligit ex prædictis Iacobi Apostoli verbis, hoc Sacramentum duplici ex causâ institutum fuisse: nempe ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis releuationem. Vbi etiam ait: *Qui hanc Vnctionem fideliter & deuotè percipit, per eam sine dubio & in corpore & in animâ alleuiationem consolationemq́, accipere meretur, si tamen expedit vt in vtroque alleuietur. Quòd si fortè corporis sanitatem atque valetudinem habere illi non expedit, illam procul dubiò, quæ est animæ, sanitatem & alleuiationem in huius Vnctionis perceptione acquirit.* Hæc ille. 2.

Alleuiat animam, & (quando expedit) etiam corpus, teste Hugone Victorino.

Sancta consuetudo vngendi infirmos Oleo consecrato, semper in Ecclesiâ Dei sub nouo Testamento fuit obseruata. Nam & in Euangelio legimus Apostolos oleo vnxisse infirmos. Huius vnctionis meminit Chrysostomus 3.

Semper fuit eius vsus in Ecclesiâ. Marc. 6.

ſoſtomus tertio libro de Sacerdotio. Innocentius quoque, qui ante mille & centum annos vniuerſali Eccleſiæ præfuit, primus huius nominis Pontifex Summus, in Epiſtolâ quam ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſcripſit, præclarè de hac Vnctione diſſerit.

CAPVT VII.

De Deiparâ virgine Mariâ.

1. Beata virgo Maria dignitate & gloriâ omnes Angelos antecedit.

2. Rectè vocatur vita, ſpes, ſalus noſtra: quia Deus titulos illos, alioſque ſimiles ſeruis ſuis communicat, qui ipſi tamen principaliter competunt.

3. Sanctus Chryſoſtomus B. Mariam inuocat, & Angelicis choris præponit.

4. B. Bernardus eamdem vt aduocatam in omnibus cauſis opportunam prædicat.

5. S. Hieronymus Matrem virginem docet.

1. *B. Virgo Maria excellit Angelos dignitate.* MARIAM veram Dei genitricem non poſſe ſatis laudari, omnes pij fatentur. Eius dignitas, omnium Angelorum dignitatem ſuperat. Nam cùm Dominum vniuerſæ creaturæ genuerit, ipſa quoque vniuerſæ creaturæ Domina eſt. Deum virgo concepit, virgo peperit, & poſt partum virgo inuiolata permanſit. Meritò itaque, iuxta ipſius vaticinium, omnes generationes eam dicunt beatam. *Luc. 1.*

2. *Propter Christum rectè dicitur ſpes, ſalus, vita noſtra. Quæ appellationes non malè dantur creaturis talia per Deum participantibus.* Conuenienter appellamus eam ſalutem, vitam, & ſpem noſtram, propterea quòd Chriſtus, qui principaliter eſt ſalus, vita, ac ſpes noſtra, ſe per illam nobis dederit, quodque ipſa apud Filium maternâ fiduciâ nobis impetret quæ ſalutaria ſunt. Ægrè ferunt hæretici, quòd illam talibus appellationibus proſequamur: ſed ſi ſaperent & intelligerent, non ob id indignarentur. Sæpè enim ea quæ attribuuntur Deo creatori, rectè attribuuntur etiam creaturis: aliter tamen Deo, atque aliter creaturis. Vnde Paulus ſcribens Theſſalonicenſibus, dicit: *Quæ eſt noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nónne vos ante Dominum?* Et hi ad quos ſermo Dei factus eſt, vocantur dij. Apoſtoli quoque à Chriſto dicuntur *lux mundi*. Itidem adoratio inuenitur laudabiliter exhibita creaturæ. Nam ſcriptum eſt, quòd Abraham adorauerit filios Heth, & quòd Iacob adorauerit fratrem ſuum Eſau, quodque filij Prophetarum adorauerint Eliſeum Prophetam. *1. Theſſ. 2. Ioan. 10. Matth. 5. Geneſ. 23. Geneſ. 33. 4. Reg. 2.*

3. *Magnifica inuocatio B. Mariæ in Miſsâ Chryſoſtomianâ.* In Liturgiâ Chryſoſtomi hæc verba de ipſâ Mariâ habentur: *Verè dignum & iuſtum eſt, glorificare te Deiparam, & ſemper beatiſſimam, ac penitus incontaminatam matrem Dei noſtri, honoratiorem Cherubim, incomparabiliterq́; glorioſiorem Seraphim, quæ citra corruptionem ipſum Deum genuiſti: te verè Deiparam magnificamus. Aue Maria, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quoniam Saluatorem peperiſti animarum noſtrarum.* Sæpiùs etiam in eadem Liturgiâ verba iſta iterantur: *Sanctiſſimæ, intemeratæ, ſuper omnes benedictæ, glorioſæ Dominæ noſtræ, Deiparæ & ſemper virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum memoriam agentes, noſipſos & inuicem, atque omnem vitam noſtram Chriſto Deo noſtro commendemus.* *Luc. 1.*

4. *S. Abbas Bernardus Deiparæ patrocinium egregiè commendat.* Beatus Bernardus inter multa quæ de eadem Deiparâ Virgine ſcribit, hæc dicit: *In periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde. Et vt impetres orationis eius ſuffragium, non deſeras conuerſationis exemplum. Ipſam ſequens, non deuias; ipſam rogans, non deſperas; ipſam cogitans, non erras; ipſâ tenente, non corruis; ipſâ protegente, non metuis; ipſâ duce, non fatigaris; ipſâ propitiâ, peruenis.* Hæc Bernardus. Non poteſt gratus eſſe Filio, qui matris honori detrahit.

5. *S. Hieronymus aſſerit perpetuam virginitatem B. Mariæ.* Mariam poſt partum permanſiſſe virginem, firmiter credit Eccleſia Dei. Vnde perpetuam eius virginitatem beatus Hieronymus, aduerſus blaſphemias impuri Eluidij, inſigni libello tutatus eſt.

CAPVT VIII.

De veneratione & inuocatione Sanctorum.

1. Honoratur Deus ipſe honore illo, quem propter ipſum Sanctis eius deferimus.

2. Securiùs per ipſos aliquid à Deo poſtulamus, quàm per noſipſos.

3. Poterant alios apud Deum ſuis precibus adiuuare cùm in terrâ viuerent, quantò magis id nunc in cælos recepti poterunt?

4. Cognoſcunt enim & audiunt preces ad ſe fuſas; quia omnia creata vident in Deo.

5. Propterea S. Baſilius, aliique ſancti Patres populum ſæpè ad eos inuocandos hortantur.

1. *Honor delatus Sanctis ipſi Deo defertur, & in Deum redit.* DIABOLVS ſciens cultum Sanctorum Deo plurimùm placere, ingentemque vtilitatem adferre fidelibus, eum per hæreticos abrogare molitur. Si non eſſet Deo acceptus honor qui Sanctis exhibetur, Pſalmiſta lætabundus non caneret: *Mihi nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Ab ipſo Deo Sancti honorantur, quemadmodum Chriſtus ait: *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus qui in cælis eſt.* Num, quæſo, *Pſal. 138. Ioan. 12.*

quæso, eos non venerabimur, quos Deus in cælis honorat? Planè Sanctos colere, est Deum, qui illis sanctitatem contulit, honorare. Aliter ipsum Deum, atque aliter Sanctos colimus: neque enim sanctis veram illam latriam, quæ solum diuinæ naturæ competit, exhibemus.

2. *Per eos securiùs adimus Deum quàm per nosipsos, vt affirmat S. Dionysius.*

Non potest non eximium fructum referre is, qui cultui Sanctorum deditus est, & eos piè atque humiliter inuocat. Nam, sicut diuinus ille Dionysius Areopagita Apostoli Pauli discipulus, in calce libri de Ecclesiasticâ hierarchiâ testatur, *Dei* † *munera conuenientissimè petit, qui per Sanctos illa petit:* qui verò Sanctos despicit, eorumque intercessiones sibi minimè necessarias apud Deum esse iudicat, numquam vtiliter consequetur ea quæ per seipsum insolenter postulat.

3. *Si in terris positi alios iuuabant, cur non in cælis?*

Igitur absque aliquâ dubitatione credendum est, Sanctos, qui iam æternam beatitudinem sunt adepti, auxilium præstare his à quibus sanctè coluntur. Si enim ipsi Sancti, cùm adhuc infirmitate mortalitateque carnis circumdati peregrinarentur à Domino, suis precibus alios iuuare poterant, atque iuuabant (vnde Paulus Romanis scribens ait: *Obsecro vos fratres per Dominũ nostrum Iesum Christum, vt adiuuetis me in orationibus vestris ad Deum;*) quantò magis id facere possunt & faciunt, quando in cælis Deo intimiùs coniuncti, perfectiorem charitatem, plenioremque potestatem obtinent? Rom. 15.

4. *Sancti in cælo preces ad se è terrâ fusas cognoscunt.*

Perspicuum autem est, eosdem gloriosos cæli Ciues agnoscere preces nostras propter ineffabilem illam vnionem quâ Deo felicissimè vniti sunt. Vnde in libro de Cognitione veræ vitæ, qui sub nomine Augustini editus est, ita legimus: *Cùm animæ nostræ aliquid secundùm Deum desiderant, & hoc sibi per Sanctos dari, siue corde, siue linguâ, siue voce postulant: animæ Sanctorum (quibus est idem audire quod videre, & è conuerso) desiderata eis à Deo impetrant.*

5. *Ideò hortãtur populũ & nos in concionibus antiqui Patres, vt Sanctos in cælo inuocemus.*

Basilius Magnus, attendens prædictam vnionem, quâ Beati vniuntur Deo, in libro quem de Verâ virginitate edidit, de sanctorum Patrum spiritibus hæc dicit: *Nullus ex his est, qui non singula vbique consideret: etsi enim oculis carneis minimè conspicui sunt, incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia & comprehendunt.* Ipse Basilius, itemque Chrysostomus, & ceteri Theologi sancti, conciones plures de Martyribus habuerunt, in quibus auditores suos hortabantur, vt solemnitates ipsorum Martyrum piâ animi alacritate celebrarent, eorum sacras Reliquias religiosè venerarentur, ad eos tamquam ad præsentissimos auxiliatores semper confugerent.

† Nota, Lector, hæc quidem esse ipsissima verba S. Dionysij, sed ex fusiore ipsius discursu contracta & extracta.

CAPVT IX.

De Imaginibus Sanctorum.

1. Infert ex præcedentibus, rectè à nobis coli Imagines Sanctorum.

2. Neque id in veteri lege prohibebatur, sed tantùm ne colerentur tamquam dij.

3. Concilium Nicenum II. explicuit & docuit cultum licitum Imaginum sacrarum in Ecclesiâ.

SI iustum est, vt Sanctos incorruptionis munere donatos, & cum Christo regnantes colamus, rectè etiam eorum imagines honoramus, ipsisque procidimus; cùm honor imagini impensus referatur semper in suum exemplar, id est, in id vnde imago deducta est, & quod ipsa repræsentat: neque enim materiam ex quâ imago facta est, veneramur. 1. *Imagines Sanctorum licitè veneramur.*

Nam Deus in Exodo, & Deuteronomio, vel alijs veteris Testamenti locis, vetans fieri sculptilia & similitudines, non omnino damnat imagines, sed prohibet, ne illis tamquam dijs per idololatriam adoratio deferatur. Nam Cherubim obumbrantia propitiatorium ab ipso Deo iussus est facere Moyses. 2. *Cultus idololatricus tantùm prohibebatur veteri lege.* Exod. 20. Leuit. 26. Exod. 25. Deut. 5.

Diuorum imagines, libri simpliciorũ sunt: sed & eruditi atq; sapientes quique ex illarũ aspectu non parũ proficiunt. Hinc pluribus iam Concilijs approbatus fuit in Ecclesiâ vsus sanctarũ imaginum. Secundi Concilij Niceni verba hęc sunt: *Fatemur vnanimiter, nos Ecclesiasticas consuetudines retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio.* Et paulò infrà: *Nos regiam viam incedentes, & sanctorum diuinorumq; Patrum nostrorum doctrinæ insistentes, atque Catholicæ Ecclesiæ (in quâ Spiritus sanctus habitat) traditionem obseruantes, definimus, cum omni diligentiâ & curâ venerabiles sanctasq; imagines in templis sanctis collocandas, habendásque tum in sacris vasis & vestibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus priuatis, & vijs publicis: quò scilicet per hanc imaginum inspectionem omnes, qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem atque desiderium veniant, illisq; salutationem & honorariam adorationẽ exhibeant.* In eodem Concilio Niceno citantur verba diui Basilij dicentis: *Historias imaginum Sanctorum honoro & palàm adoro, hoc enim nobis traditum est à sanctis Apostolis.* Vbi ipse Basilius intelligit adorationem reuerentiæ, non autem illam adorationem latriæ, quæ Deo tantùm debetur. 3. *Nicenum Concilium II. cultũ imaginum approbauit, citatis etiã S. Basilij verbis.*

CA-

CAPVT X.

De orationibus, quæ pro fidelibus defunctis fiunt, siue de Purgatorio.

1. Oratio pro defunctis probatur ex Scripturâ,
2. Ex Liturgiâ apud S. Dionysium Areopagitam,
3. Ex Missâ S. Chrysostomi, & aliorum sanctorum Patrum dictis.
4. Inde sequitur, dari Purgatorium, in quo sint animæ pro quibus oratur.
5. Præterea ex verbis Christi, crebris reuelationibus, & communi fide Ecclesiæ.

1. *Orationem pro defunctis commendat Scriptura, 2. Mach. 12.* HÆRETICIS Purgatorium esse negantibus, reclamant hæc diuinæ Scripturæ verba: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

2. *Et Liturgia verbis S. Dionysij Areopagitæ.* Dionysius Areopagita, Pauli Apostoli discipulus, capite vltimo libri de Ecclesiasticâ hierarchiâ, apertè declarat, Pontificem ex traditione Apostolorum fundere preces pro fidelibus defunctis; vbi inter cetera dicit: *Venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit. Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq́ in luce statuat & regione viuorum, in finibus Abrahæ, Isaac & Iacob, in loco vnde aufugit dolor, & tristitia, atque gemitus.* Hæc ille.

3. *Sicut & SS. Ioannes Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, & Ioannes Damascenus.* Itidem beatus Ioannes Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, & alij quamplures asserunt, ab Apostolis sancitum fuisse, vt Sacerdos in Missæ Sacrificio memoriam fidelium defunctorum agat: id quod Ioannes Damascenus abundè docet in Sermone quem de Defunctis scripsit. Vnde etiam in Liturgiâ Chrysostomi legimus hanc precationem: *Honorabilium, incorporearum, supercælestiumq́ Potestatum, & sancti Prophetæ Præcursoris ac Baptistæ Ioannis, sanctorumq́ Apostolorum gloriosissimorum, atque omnium Sanctorum tuorum supplicationibus respice nos Deus, & memento omnium qui in resurrectionis vitæq́ æternæ spe obdormierunt, eosq́ fac requiescere vbi cernitur lumen vultus tui.* Hæc ibi.

4. *Non oraretur pro mortuis, nisi esset Purgatorium.* Quòd si pro defunctis orandum est, planè Purgatorium est. Nam cùm neque pro illis qui in cælum, neque pro his qui in infernum recepti sunt, orare conueniat (illi enim non egent, isti iuuari non possunt viuentium precibus) fatendum est, animas eorum defunctorum, pro quibus oramus, neque in cælo neque in inferno esse; sed esse alibi, vbi adhuc purgantur.

5. *Esse Purgatorium probatur variè.* Nisi quorumdam peccatorum purgatio etiam post mortem, hoc est, in futuro sæculo, fieret, Christus non protulisset istam sententiam: *Quicumque dixerit verbum, &c. contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Matth. 12. Innumeræ reuelationes viris feminisque sanctissimis diuinitus factæ, & ipsæ defunctorum animæ, quæ nouissimis hisce temporibus frequenter (Deo ita disponente) viuentibus apparent, maximeque inuiolabilis Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, abundè testantur esse Purgatorium, etiam si illud diuinæ Scripturæ antiquorumque Theologorum verbis comprobari non posset.

CAPVT XI.

De Aquâ benedictâ, & cereis atque luminaribus Ecclesiæ.

1. Aqua benedictæ vsus in primitiuâ Ecclesiâ, & illius efficacia contra fraudes dæmonum:
2. Cereorum item & luminarium, oleique & lampadarum, tam in templis quàm in exequijs mortuorū.

DE Aquâ benedictâ Alexander Summus Pontifex, & Martyr Dei inclytus, in quadam Epistolâ suâ ante annos mille quadringentos scriptâ, loquitur hunc in modum: *Aquam sale conspersam populis benedicimus, vt eâ cuncti aspersi sanctificentur ac purificentur: quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat; multò magis aqua sale aspersa, diuinisq́ precibus sacrata, populum sanctificat atque emundat. Et si sale asperso per Eliseum Prophetam sterilitas aquæ sanata est; quantò magis diuinis precibus sacrata, sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat atque expurgat, ac cetera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmaticis versutijs hominem defendit? Nam si tactu fimbriæ vestimenti Saluatoris saluatos infirmos esse non dubitamus; quantò magis virtute sacrorum eius verborum diuinitus sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas?* Hæc Alexander. 1. *Vsus antiquissimus Aquæ benedictæ, ex Pontifice Alexandro.* Leuit. 16. & Heb. 9. 4. Reg. 2. Matth. 16. Marc. 6 Luca 8.

2. *Item luminarium, ex cerâ & oleo tam in Ecclesiâ, quàm in exequijs defunctorum ex priscis sæculis, iuxta S. Athanasium.* Cereos & luminaria etiam Apostolorum temporibus in locis Deo consecratis fuisse, testatur septuagesimus primus Canon ipsorum Apostolorum: cuius Canonis verba sic habent: *Si quis Clericus aut laicus ceram vel oleum ex sanctâ surripuerit Ecclesiâ, à communione excluditor.* Sanctus Ioannes Damascenus in Concione de Defunctis, citans Athanasium, ita loquitur: *Athanasius ille Magnus in Sermone vnde-*

cumque continnò, quem in eos qui obdormierunt scripsit, hæc dicit: Etiamsi is qui in pietate defunctus est, sub dio collocetur, ne omiseris oleum & ceram (inuocato Christo Deo) ad sepulchrum accendere: accepta enim Deo sunt hæc, plurimamq́; ab ipso referunt retributionem. Oleum enim & cera, holocaustum est: incruentæ autem Hostiæ oblatio, propitiatio est: quod verò in pauperes confertur beneficium, omnis bonæ retributionis est augmentum.

CAPVT XII.

De externis ritibus atque cærimonijs, & de Festis.

1. *Externæ cærimoniæ in Officio diuino, & precibus, adiuuant internam deuotionem, corpusque Deo humiliant.*

2. *Festorum dierum obseruatio ab Apostolis instituta fuit, vt S. Ignatius testis est.*

1. *Deuotio adiuuatur externis gestibus, & cærimoniarum ritibus.* Ioan. 4.

DEVM nostrum, qui spiritus est, rectè colimus, non spiritu solùm, sed etiam corpore externisque ritibus; nempe capitis inflexione, genuum submissione, manuum eleuatione coniunctioneque, vocis prolatione atque cantu, & alijs consimilibus modis. Nam cùm nos non ex inuisibili tantùm, sed ex visibili quoque constemus naturâ, iustum omnino est vt ipsi Conditori nostro duplicem adorationem offeramus, videlicet inuisibilem & visibilem. Parum quidem aut nihil prodest externa adoratio, si desit interna: per externam tamen, interna plurimùm iuuatur. Eas cærimonias diuini cultus, quas Ecclesia obseruat probatque, conuenientissimas esse agnoscit, quisquis rerum sacrarum rationes perdidicit, & humilis est.

2. *Apostoli instituerunt Festorum obseruantiam, teste Canone Apostolico, & S. Ignatio.*

Festorum dierum meminit quinquagesimus primus Canon Apostolorum in hunc modum: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, carnibus ac vino festiuis diebus per abominationem & non propter animæ exercitationem abstineat, deponitor.* Beatus etiam Ignatius, Ioannis Euangelistæ discipulus, in Epistolâ quam scripsit ad Philippenses, ait: *Dies festos nolite inhonorare.*

CAPVT XIII.

De libero arbitrio, & fide atque operibus.

1. *Si non est in nobis liberum arbitrium, frustrà nobis suadetur oratio, & conatus; frustrà proponitur pœna & præmium; quæ ideo brutis minimè competunt.*

2. *Non potest quidem liberum arbitrium bonum facere sine gratiâ, sed nec ipsa gratia saluat adultos sine libero arbitrio.*

3. *Fides sola sine charitate bonisque operibus, nec iustificat, nec saluat.*

1. *Qui negant & tollunt liberum arbitrium, tollunt orationes, hortationes, præcepta, & præmia cum pœnis.*

QVOD hominis arbitrium non esse liberum, & fidem sine bonis operibus ad salutem sufficere prædicant hæretici, nimirum occasionem & fomentum totius iniquitatis sibi suisque discipulis præbent. Si nobis deest arbitrij libertas, si non voluntate eligente, sed necessitate cogente, peccamus; iniustus est Deus, qui peccantes æternis tormentis addicit. Si arbitrium nostrum non est liberum, omnino coacta est vita nostra: frustrà homines rationis participes dicimur, frustrà accepimus præcepta benè viuendi, frustrà Deum precari, frustrà petere, quærere, pulsare, atque ad virtutem eniti nos Scripturæ cohortantur: frustrà Deus per Prophetam clamat: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis; quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos:* denique nos nihilo præstantiores sumus brutis animantibus; quæ neque laude vel præmio, neque vituperatione aut supplicio dignum quidquam agunt, cùm regere naturam non possint, sed ad quælibet prosequenda (vti naturalis instinctus commouet) ferantur. Luc. 11. Isa. 1.

2. *Nec gratia sine libero arbitrio, nec sine gratiâ liberum arbitrium bona ad salutem operatur.* Ex S. Augustino.

Non possumus quidem per nos eligere aut facere bonum: ceterùm voluntatem nostram gratiæ Dei adiungere debemus; quæ gratia præuenit, cooperatur, & subsequitur. Sicut beatus Augustinus ait: *Sine voluntate nostrâ, non est in nobis iustitia Dei. Voluntas sanè non est nisi nostra, iustitia non est nisi Dei: esse potest iustitia Dei sine voluntate nostrâ, sed in nobis esse non potest nisi per voluntatem nostram.* Deus non iustificat nolentem: veluti sol non illuminat illius visum, qui oculos ad solis claritatem aperire non vult. Libertas arbitrij nostri per peccatum, quo omnes in Adam præuaricatores facti sumus, infirmata est, non adempta. Rom. 5.

3. *Contra fidē hæreticorum solam, sine operibus, iustificantem vel saluantem.*

Si fides sine bonis operibus sufficeret ad salutem, Christus non dixisset: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* sed dixisset, Si vis ad vitã ingredi, fidem habe tantùm. Non etiam Paulus clamaret: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Igitur non quæcumque fides, sed ea quæ per charitatem Deo adhæret, & bona operatur, salutem conciliat: quemadmodum idem Paulus Apostolus testatur, dicens: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem* Matth. 19. 1. Cor. 13. Gal. 5.

tatem operatur. Hinc beatus Iacobus Apostolus ait: *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsâ.* Quando Scriptura dicit, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:* item, *Iustus ex fide viuit*, ac consimilia; omnino intelligit fidem charitate sanctisque operibus ornatam.

Iacob 2. Marc. 16. Habac. 2.

CAPVT XIV.

De Monachismo, & de psalmodiis atque orationibus, quas Latinè peragunt virgines Deo consecratæ, quæ Latinè non norunt.

1. Monachismus Deo gratus, & in primitiuâ Ecclesiâ vsurpatus probatur:

2. Monasticorum quoque Ordinum varietates etiam tunc fuisse.

3. Oratio publica in linguâ ignotâ oranti, non caret magnis fructibus: priuatim autem orantes Ecclesia non prohibet vti linguâ sibi notâ.

1\. *Primitiuâ Ecclesiam agnouisse monachatum, ex S. Dionysio.*

MONACHISMVM Ecclesia Dei semper approbauit, suoque gremio fouit, & tamquam eximiam sui portionem laudibus prosecuta est. Dionysius Areopagita, Apostoli Pauli discipulus, in libro Ecclesiasticæ hierarchiæ rationem consecrandi Monachi, publicamque professionem describit, quam * alibi suprà in medium protulimus: vbi apertè ostendit, iam tum Monachos & crinium tonsurâ & vestis habitu distinctos ab alijs fuisse. Chrysostomus scripsit aduersus vituperatores vitæ monasticæ libros tres insignes, & aliàs frequentissimè Monasticen magnificè commendat. Idem facit Basilius Magnus: idem faciunt & innumeri alij tam Græci quàm Latini.

* Lib. 1. Collyrij cap. 5. § 4.

Ex S. Chrysostomo.

Ex S. Basilio.

2\. *Et Ordinũ monasticorum varietatem.*

Neque improbanda est varietas institutionum monasticarum, modò talis non sit vt vergat ad schismata, & vnitati fidei Catholicæ officiat. Nam honestâ illâ varietate ornatur Ecclesia, de quâ Psalmista sic canit: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Hinc Epiphanius Cyprensis in libro quem Aduersus hæreses scripsit, agens de huiusmodi diuersitate, ait: *Sunt & alij eximij viuendi modi in Ecclesiâ Catholicâ. Alij à quadrupedibus abstinent, vescuntur verò volucribus. Alij à volucribus abstinent, sed ouis vescuntur ac piscibus. Alij verò ne ouis quidem vescuntur, alij autem solis piscibus. Alij rursum à piscibus abstinent, soloq; vescuntur caseo; alij neque caseo vescuntur. Iam verò & alij à pane quoque abstinent, alij etiam ab arborum fructibus, & à coctis. Porrò multi humi dormiunt, alij neque calceamentis vtuntur: alij saccum gestant occultum. Complures in psalmodijs, orationibusq; continuis, & sacrarum Scripturarum lectionibus exercentur.* Hæc Epiphanius.

Psal. 44. *Ex S. Epiphanio.*

3\. *Orationem etiã publicam Ecclesiæ in linguã non vulgari, laudat S. Augustinus.*

Hæretici rem absurdam atque inutilem esse dicunt, quòd Ordinis monastici virgines, quæ Latinè non norunt, psalmodias laudesque diuinas Latinè dicant. Sed errant illi. Nam, sicut Augustinus ait, *qui Psalmum exactè non intelligit, credit tamen aliquid sancti esse in eo quod cantat, omnino sine fructu non est.* Deus enim psallentis cor magis quàm verba attendit. Planè qui benignâ & religiosâ mente precatur, etiamsi linguâ sibi incognitâ oret, eximiam vtilitatem eximiumque meritum refert. Quemadmodum ægrotus quisque potionem medicinalem conuenienter sumens, sanitati restituitur, licet ipsius potionis virtutem ignoret; & qui supplicationem in chartâ conscriptam misericordi Principi humiliter reuerenterque offert, obtinet id quod illa supplicatio postulat, etiamsi ipse verba eiusdem suæ supplicationis non intelligat. Nos sanè maiori affectu præsentiorique animo plerumque precamur, dum intelligimus verba quæ in oratione proferimus, quàm si non intelligeremus: non tamen ob id æquissima honestissimaque consuetudo, quæ multis sæculis in Ecclesiâ Dei obseruata fuit, temerè immutanda est. Qui priuatas orationes Deo pro suâ voluntate offert, potest eas quâ voluerit linguâ offerre: sed illas, quas ex instituto maiorum tamquam Ecclesiæ minister peragere obstrictus est, non aliâ linguâ persoluere debet, quàm quâ præcipit vel concedit ipsa Ecclesia. Hîc, sicut & vbique, obedientia melior est, quàm propriæ voluntatis prosecutio. Inter omnium gentium linguas hæ tres in titulo crucis Christi specialiùs rebus diuinis * consecratæ sunt, Hebræa, Græca, Latina.

Apta similitudo medicinæ,

Et libelli supplicis.

Non prohibet Ecclesia priuatim orare linguâ vulgari.

Ioan. 19. Marc. 15. * Ideò vocantur linguæ sacræ & sanctæ.

CAPVT XV.

De virginitatis excellentiâ, & votis adimplendis.

1. Sancta virginitas & continentia melior est, quàm sanctus vsus matrimonij.

2. Potest per Dei gratiam seruari, liciteque Deo vouetur: sed qui eam vouerit, non poterit absque peccato à voto resilire.

3. Sic & alia vota nuncupare nemo cogitur; potest tamen quiuis ea sanctè facere; &, si fecerit, tenetur seruare.

SANCTAM virginitatem sancto coniugio potiorem esse, nullus sanæ mentis dubi- 1. *Virginitas excellit matrimonium.*

dubitat. Vnde Patres Orthodoxi castum coniugium argento, puram virginitatem auro assimilant. Ioannes Baptista, & plerique ex Apostolis Apostolorumque discipulis, virgines permanserunt: multa item tam virorum quàm feminarum millia in Ecclesiâ olim continentiam vouerunt (sicut Historiæ Ecclesiasticæ & virorum Apostolicorum scripta abundantissimè testantur) eamq; cum adiutorio & gratiâ Dei ad mortem vsque seruarunt. Sed & hodie infinita vtriusque sexus multitudo illam vouet, atque custodit: sciens *bonum* esse *homini* (vt ait Apostolus) *mulierem non tangere, & quia qui sine vxore est, sollicitus est quomodo placeat Deo: mulier* item *innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* De talibus Christus dixit: *Sunt qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.*

1.Cor.7.

Matth. 19.

2. *Ante votũ virginitatis licet nubere, non post.*

Qui incontinens est, & tentationibus stimulisque carnis per inuocationem diuini auxilij atque animi diligentiam non resistit, neminem credit posse continenter viuere; cùm tamen dicat Paulus: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Liberum quidem est ei qui continentiam non vouit, tradere se coniugio: sed qui voto & professione se obstrinxit, si iam corpus Deo consecratum polluere per carnis commixtionem non timuerit, iuxta Apostoli sententiam habebit *damnationem, quia primam fidem irritam* fecit. Hinc Augustinus in libro de Fide ad Petrum ait: *Secundùm Apostoli dictum, Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & vouit continentiam Deo, debet eam vsque in finem totâ mentis sollicitudine custodire, ne damnationem habeat, si primam fidem irritam fecerit. Similiter & coniugati viri & coniugatæ mulieres, si ex consensu perennem vouerint Deo continentiam, nouerint se sui voti obnoxios detineri, nec iam sibi debere commixtionem carnis, quam priùs licitam habuerunt; sed Deo se debere continentiam, quam vouerunt.* Hæc Augustinus.

Philip.4.

1.Tim.5.

Audiatur S. Augustinus, vel quisquis est, de Fide ad Petrum cap 3.

1.Cor.7.

3. *Nemo cogitur vouere: sed vota liberè facta reddere, qui vouit, cogitur.*

De votis Scriptura ita loquitur: *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate & ore tuo locutus es.* Rursum ait Scriptura: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* Rursumque: *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. sed quodcumque voueris, redde: multoq; meliùs est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.* Bonum igitur & laudabile est, vouere; at execrandum & damnabile, vota non reddere. Sicut nullus vouere cogitur, ita qui Deo vouit, si non impleuerit quod vouit, iustè punietur.

Deut. 23.

Psal.75.

Eccle. 5.

CAPVT XVI.

De cælibatu Clericorum.

1. *In primitiuâ Ecclesiâ aliqui post coniugium fiebant Sacerdotes, sed numquam post Sacerdotium fiebant coniugati.*

2. *Græca Ecclesia à secundis nuptiis prohibet Sacerdotes. Paulus à Sacerdotio prohibet bigamos.*

3. *Vsus vxoris non permittebatur Sacerdoti coniugato.*

4. *Meritò Ecclesia Latina indixit cælibatum; eademque ratione quâ pro personis sacratis vrgetur coniugium, pro aliis vrgeri possit polygamia.*

QVOD ad cælibatum Clericorum attinet, fatemur, in primitiuâ Ecclesiâ consuetudinem fuisse (quam Græci adhuc retinent) vt is qui vxorem virginem acceperat, si propter vitæ integritatem dignus Sacerdotio esse videbatur, in Sacerdotem consecrari posset: sed numquam visum fuit in Ecclesiâ sub nouo Testamento, vt is qui iam erat Sacerdos, vxorem duceret. Vnde vigesimus quintus Canon Apostolorum sic loquitur: *Ex his qui cælibes ad Clerum peruenerunt, iubemus vt Lectores tantùm atque Cantores, si velint, coniugia ineant.*

1. *Olim coniugati fiebant Sacerdotes: at Sacerdotes non fiebant coniugati, ex Canone Apostolico.*

Apud ipsos Græcos sicut olim, ita etiã modò, si coniugati Sacerdotis vxor moriatur, ipse Sacerdos secundã non ducit. Sanè Paulus à Sacerdotio repellit omnes digamos, dicens illum solum è numero coniugatorum aptum esse Sacerdotio siue Episcopatui, qui sit *vnius vxoris vir.* Decimussextus Canon Apostolorum ita habet: *Qui post Baptisma secundis nuptijs fuerit copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, neque prorsus ex numero eorum qui ministerio sacro deseruiunt.* Canon item decimusseptimus talis est: *Qui viduam, aut repudiatam, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam ex his quæ publicis spectaculis mancipatæ fuerunt, acceperit vxorem, non potest esse Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec omnino in sacrum Ordinem assumi.*

2. *Græci prohibent secundũ matrimonium Presbyteris.* 1.Tim 3. Tit.1. *Paulus bigamos à Sacerdotio repellit, & Canon Apostolicus. Primitiua Ecclesia etiam inhonestis vxoribus tactos à sacris ministerijs exclusit.*

Et quidem de eo qui coniugatus ad sacrum ministerium eligebatur, Clemens Petri Apostoli discipulus in quadam Epistolâ ita scribit: *Si post ordinationem ministro altaris contigerit propriæ vxoris cubile inuadere, sacrarij non intret limina, nec Sacrificij portitor fiat, nec altare contingat, nec aquam Sacerdotibus porrigat ad manus.* Qui Clemens in principio & calce eiusdem Epistolæ testa-

3. *Coniugatus factus Sacerdos, abstinebat ab vxore, iuxta Clementem.*

testatur, se ea quæ scribit, accepisse à Petro præceptore suo.

4. *Non concedenda Clericis incontinentibus coniugia, magis quàm maritis adulteris polygamia.*

Iustissimâ ratione Ecclesia Latina abrogauit illam consuetudinem, quâ is qui vxori alligatus erat, ad sacrum Ordinem altarisque ministerium admittebatur. Si quis obijciendo dicat, quamplures ex Clericis incontinenter viuere, ob idque permittendum esse vt ipsi matrimonia contrahant; Respondebimus: quia si Clericis, propter nonnullorum incontinentiam (quos turpitudini deditos Præpositi seuerissimè punire debent) concedenda sunt connubia, pari ratione coniugatis propter effrenatam libidinem, quâ plerique, suis coniugibus non contenti, adulteria committunt atque fornicantur, concedendæ erunt plures vxores. Sicut autem istud non licet, ita nec illud permittendum est: vtrumque indignum, vtrumque execrandum est.

CAPVT XVII.

De abstinentiâ à carnalibus voluptatibus.

1. *Abstinentia à licitis voluptatibus commodisque carnis, Deo magnopere placet.*
2. *Non quasi peccarent illis vtentes, ij quorum statui conueniunt; sed quia mortificatio magis placet Deo.*

1. *Quantum placeat Deo abstinentia à voluptatibus corporis, exemplo S. Ioannis Baptistæ & monito sancti Augustini.* Matth. 11.

ABSTINENTIAM carnalium voluptatum, quam hæretici modò parui faciunt, vel etiam irrident, præclarè defendit vita & conuersatio sancti Ioannis Baptistæ, quo maior non surrexit inter natos mulierum. De ipsâ eadem abstinentiâ beatus Augustinus in libro de Fide ad Petrum ita loquitur: *Humiles serui Christi, qui cupiunt Domino suo sine impedimento & absque animi noxiâ occupatione seruire, coniugia omnino non appetunt, & à carnibus & vino abstinent, in quantum corporis valetudo permittit.*

2. *Non quia sint illicita, sed quia perfectius est & Deo gratius si voluptatibus eiusmodi licitis abstineamus.* 1.Tim 4. Hebr.13.

Non quia peccatum est, aut coniugem habere, aut vinum carnésve percipere: nam & beatus Apostolus dicit, Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reyciendum quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Coniugium quoque in primis hominibus Deus instituit ac benedixit: propter quod ipse Apostolus ait: Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Ideoq; serui Dei in eo quòd à carnibus & à vino abstinent, non tamquam res immundas refugiunt, sed mundioris vitæ instituta sectantur: & in eo quòd coniugia non habent, non nuptiarum bonum crimen esse existimant, sed continentiam ingem bonis nuptijs meliorem esse non dubitant. Idem docens Ioannes Cantacuzenus, qui ex glorioso Romanorum Rege factus fuit humilis Monachus, in libro quem Aduersus sectam Mahometicam Græcè scripsit, sic dicit: *Qui penes nos sunt Monachi, ab omnium carnium esu abstinent, non quòd has impuras & reyciendas esse arbitrentur; sed vitam * augustiorem sequi sublimiusq; conuersari cupientes, à carnibus abstinent.* De ipsâ abstinentiâ ab esu carnium & ieiunijs, quæ ex præscripto Ecclesiæ obseruari debent, suprà in priori libro * huius Collyrij tractatum fuit.

Confirmatur ex Cantacuzeno.

* Augustam vitâ vocat, arctam & rigidam ab esu carniū abstinentiâ.

* Cap.4.

CONCLVSIO COLLYRII HÆRETICORVM.

1. *Collyrium esse oculorū hæreticorū medela.*

POSSENT sanè innumera diuinarum Scripturarum, sacrorumque Conciliorum, & veterum Theologorum, tam Græcorum quàm Latinorum, testimonia produci contra praua dogmata hæreticorum huius temporis; sed pauca illa quæ congessimus sufficere poterunt ad interiores eorum oculos sanandos, nisi desperatè cæcutiant. Hîc itaque finem Collyrio nostro imponemus, adijcientes ista pro coronide.

2. *Coronidem S. Augustinus imponit, & nonnemo alius de auctoritate S Ecclesiæ.*

Sanctus Pontifex Augustinus in libro de Verâ religione ita scribit: *Neque in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda est religio, sed apud eos solos qui Christiani Catholici vel Orthodoxi nominantur.* Alter quidam ait: *Si in scriptis piorum Patrum aliqua fortè inueneris, quæ dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ minùs consentanea esse videantur, non dubites plus fidei tribuere ipsi vniuersali Ecclesiæ (quæ columna & firmamentum veritatis est, ideóque errare nescit) quàm cuiuis etiam sanctissimo Scriptori.* Dominus noster Iesus Christus concedere dignetur, vt omnes veritatem agnoscentes, idemque sentientes, vno ore ipsum glorificemus, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen. 1.Tim.3.

COLLYRII HÆRETICORVM APPENDIX.

COLLYRII HÆRETICORVM APPENDIX.

§. I.

De Sacrificio Missæ, ex Apostolorum Canonibus, sacrisque Conciliis, & aliis.

1. *In Sacrificio Eucharistiæ nihil apponendum, nisi panis, vinum, & aqua.*
2. *In primitiuâ Ecclesia, quicumque Missæ assistebant, communicare debebant.*
3. *Diaconi non præsumant Eucharistiam Presbyteris porrigere.*
4. *Missam esse verum Sacrificium incruentum nouæ legis.*

1. *Nihil apponendum ad Sacrificiũ, nisi ex Apostolico Canone panem, vinum & aqua.*

HÆRETICIS, impiâ temeritate hoc sæculo nostro dicentibus, non fieri aliquam oblationem in Missâ, ob idque eam non esse Sacrificium, contradicunt & Canones Apostolorum, & decreta sacrorum Conciliorum, & scripta omnium Orthodoxorum Patrum. Nam tertius Canon Apostolorum vetat, ne Sacerdos altari assistens aliqua in Missâ offerat, præter illa quæ Christus offerenda instituit. Verba ipsius Canonis hæc sunt: Εἴ τις Ἐπίσκοπος ἢ Πρεσβύτερος, παρὰ τὴν τοῦ Κυρίου διάταξιν τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, προσενέγκῃ ἕτερά τινα ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, ἢ μέλι, ἢ γάλα, ἢ ἀντὶ οἴνου * σίκερα ἐπιτηδευτά, ἢ ὄρνεις, ἢ ζῶά τινα, ἢ ὄσπρια, ὡς παρὰ τὴν διάταξιν Κυρίου ποιῶν καθαιρείσθω. Id est: *Si quis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini quam de Sacrificio instituit, alia quæpiam, puta aut mel, aut lac, aut pro vino siceram confecta, aut aues, aut aliqua animalia, aut legumina ad altare obtulerit, vt qui contra ordinationem Domini faciat, deponitor.*

* Apud Clemẽtem Romanum est cap. 3. inter Canones Apostolicos, & sic habetur, σίκερα, ἤ τινα ἐπιτηδευτά, quod vertitur, *si ceram & confecta quædam.*

2. *Clerici omnes in Missis quibus assistebant, communicabant, ex Canone Apostolico.*

Octauus Canon Apostolorum, indicans consuetudinem olim fuisse in Ecclesiâ, vt hi qui Missæ intererant, sumerent Eucharistiam, sic habet: Εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, ἢ ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, προσφορᾶς γενομένης, μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω· καὶ ἐὰν εὔλογος ᾖ, συγγνώμης τυγχανέτω. Εἰ δὲ μὴ λέγοι, ἀφοριζέσθω, ὡς αἴτιος βλάβης γενόμενος τῷ λαῷ, καὶ ὑπόνοιαν ἐμποιήσας κατὰ τοῦ προσενέγκαντος. Id est: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quicumque alius ex sacro Ordine, factâ oblatione non communicauerit, caussam exponat: quæ si rationabilis fuerit, veniam consequatur. Quòd si illam non dixerit, à communione seiungitor, tamquam qui populo causa læsionis extiterit, & suspicionem iniecerit aduersus eum qui obtulit.*

3. *Non cõmunicent in Sacrificio Diaconi ante Presbyteros, nec Presbyteris Eucharistiam porrigãt, iuxta Nicenam Synodum.*

In decretis primi Concilij Niceni capite decimo octauo ita legimus: Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην Σύνοδον, ὅτι ἔν τισι τόποις καὶ πόλεσι, τοῖς Πρεσβυτέροις τὴν Εὐχαριστίαν οἱ Διάκονοι διδόασιν, ὅπερ οὔτε ὁ κανών, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. Κἀκεῖνο δὲ ἐγνωρίσθη, ὅτι ἤδη τινὲς τῶν Διακόνων καὶ πρὸ τῶν Ἐπισκόπων τῆς Εὐχαριστίας ἅπτονται. Ταῦτα οὖν ἅπαντα περιῃρέσθω. Καὶ ἐμμενέτωσαν οἱ Διάκονοι τοῖς ἰδίοις μέτροις, εἰδότες ὅτι τοῦ μὲν Ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσίν, τῶν δὲ Πρεσβυτέρων ἐλάττους τυγχάνουσι. Λαμβανέτωσαν δὲ κατὰ τὴν τάξιν τὴν Εὐχαριστίαν μετὰ τοὺς Πρεσβυτέρους, ἢ τοῦ Ἐπισκόπου διδόντος αὐτοῖς, ἢ τοῦ Πρεσβυτέρου. Hoc est: *Peruenit ad sanctum magnúmque Concilium, quòd quibusdam in locis ac ciuitatibus Diaconi Presbyteris sacram Eucharistiam porrigant: quod nec regula, nec consuetudo tradidit, vt hi qui potestatem offerendi non habent, illis qui * offerunt, Corpus Christi tradant. Illud quoque innotuit, quòd iam nonnulli Diaconi ante Episcopos ipsam Eucharistiam contingunt. Hæc igitur omnia amputentur. Diaconi suâ mensurâ contenti sint, & in eâ permaneant, scientes se & Episcoporum ministros, & Presbyteris inferiores esse. Porrò Eucharistiam secundùm ordinem post Presbyteros accipiant, aut Episcopo aut Presbytero eam illis porrigente.*

* Agit hic de offerentibus Sacrificiũ Missæ Sacerdotibus, quam potestatem Diaconi nõ habent.

Canon Ancyranus.

In decretis Concilij Ancyrani capite primo istud de Sacerdotibus, qui tempore persecutionis * sacrificauerant, sed postea rursum certamen inierant, statuitur: Τούτους ἔδοξε τῆς μὲν τιμῆς τῆς κατὰ τὴν καθέδραν μετέχειν, προσφέρειν δὲ αὐτούς, ἢ ὁμιλεῖν, ἢ ὅλως λειτουργεῖν τι τῶν ἱερατικῶν λειτουργιῶν, μὴ ἐξεῖναι. Hoc est: *Hos placuit honorem quidem sedis retinere: offerre * verò, & concionari, aut omnino aliquid sacrorum officiorum peragere, non licere.*

* Nempe qui metu mortis sacrificauerãt idolis, & lapsi erant in Idololatriam.

* Sacrum Missæ sacrificium.

4. *Missa verè vocatur & est Sacrificium Christianorum, ex variis antiquis Patribus.*

Ex prædictis liquet, Missam Sacrificium oblationemque vocari, & esse. Idipsum testatur Clemens Petri Apostoli discipulus, in Epistolâ quam scripsit de Officio Sacerdotis & Clericorum: Dionysius quoque Areopagita Pauli discipulus, in libro de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, capite tertio: & Ignatius Ioannis Euangelistæ discipulus, in Epistolâ ad Smyrnenses. In Chrysostomi Liturgiâ, & aliorum Catholicorum Græcorum scriptis, ipsa Missa frequenter dicitur ἀναίμακτος θυσία, id est, *incruentum Sacrificium.* Sic autem appellatur, non quòd in eâ Corpus Chri-

Christi sine sanguine offeratur; sed quòd nullius animalis sanguis illatâ vi effundatur, sicut in veteri lege.

§. II.

De B. Mariæ virginitate, & de Sanctis, ex Basilio.

1. *Maria semper virgo permansit.*
2. *Sanctorum innocatio vtilis & laudanda.*
3. *Reliquiæ Sanctorum honorandæ.*

1. *Perpetua virginitas Deiparæ Mariæ.* Paulò vltra mediū.

BASILIVS Magnus in Sermone de Humanâ Christi generatione, differens de virginitate Mariæ, inter cetera ait: Διὰ τὸ μὴ καταδέχεσθαι τῶν φιλοχρίστων τὴν ἀκοὴν, ὅτι ποτὲ ἐπαύσατο εἶναι παρθένος ἡ Θεοτόκος, ἐκείνας ἡγούμεθα τὰς μαρτυρίας αὐτάρκεις. Πρὸς μὲν τὸ, Ὅτι οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς, [λέγομεν] ὅτι τὸ Ἕως, πολλαχοῦ χρόνου μέν τινα δοκεῖ περιορισμὸν ὑποφαίνειν, κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν, τὸ ἀόριστον δείκνυσιν. Ὁποῖόν ἐστι τὸ ὑπὸ τοῦ Κυρίου λεχθὲν, τὸ, Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. Οὐ γὰρ δήπου μετὰ τὸν αἰῶνα τοῦτον οὐκ ἔμελλε συνεῖναι τοῖς Ἁγίοις ὁ Κύριος, ἀλλ' ἡ ἐπαγγελία τοῦ παρόντος [τὸ διηνεκὲς σημαίνει] οὐκ ἔστιν ἀποκοπὴ τοῦ μέλλοντος. Τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον φαμὲν κἀνταῦθα παρειλῆφθαι τὸ Ἕως. Ἐπειδὴ δὲ εἴρηται Πρωτότοκον, οὐ πάντως ὁ πρωτότοκος πρὸς τοὺς ἐπιγινομένους ἔχει τὴν σύγκρισιν, ἀλλ' ὁ πρῶτος διανοίγων μήτραν πρωτότοκος ὀνομάζεται. Id est: *Ne aures eorum, qui Christum diligunt, admittant, quòd Genitrix Dei aliquando desierit esse virgo, hæc testimonia sufficere putamus. Ad hoc quidem quod dicitur, Et non cognouit eam donec peperit Filium suum primogenitum, dicimus, quod hæc dictio* ἕως, *id est, Donec siue Vsque, etsi frequenter aliquem temporis terminum designare videtur, verè tamē infinitum præ se ferat. Quale est & illud quod à Domino memoratur, Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq. ad cōsummationem sæculi. Neque enim post hoc sæculum desinet Dominus esse cum Sanctis: sed promissio præsentis temporis [perpetuitatem indicat] non est futuri amputatio. Eodem modo hic accipi Donec dicimus. Quod verò dictū est, Primogenitum; Primogenitus non omnino ad succedentem prolem comparationē habet; sed is qui primùm vuluam aperit, primogenitus vocatur.*

Math. 1.

Math. 28.

2. *Cultus & innocatio Sanctorum.* In principio.

Idem Basilius laudes sanctorum quadraginta Martyrum publicâ concione percelebrans, hæc dicit: Μαρτύρων μνήμης τίς ἂν γένοιτο κόρος τῷ φιλομάρτυρι; Διότι ἡ πρὸς τοὺς ἀγαθοὺς τῶν ὁμοδούλων τιμὴ, ἀπόδειξιν ἔχει τῆς πρὸς τὸν κοινὸν Δεσπότην εὐνοίας. *Οὗτοί εἰσιν οἱ τὴν καθ' ἡμᾶς χώραν διαλαβόντες, οἱονεὶ πύργοι τινὲς συνεχεῖς, ἀσφάλειαν ἐκ τῆς τῶν ἐναντίων καταδρομῆς παρεχόμενοι. Ἄφθονος εὐεργεσία, ἡ μὴ δαπανωμένη χάρις. Ἑτοίμη βοήθεια Χριστιανοῖς, Ἐκκλησία Μαρτύρων, στρατὸς τροπαιοφόρων, χορὸς δοξολογούντων τὸν Κύριον. Ὁ θλιβόμενος ἐπ' αὐτοὺς καταφεύγει, ὁ εὐφραινόμενος ἐπ' αὐτοὺς ἀποτρέχει· ὁ μὲν, ἵνα λύσιν εὕρῃ τῶν δυσχερῶν· ὁ δὲ, ἵνα φυλαχθῇ αὐτῷ τὰ χρηστότερα. Ὦ χορὸς ἅγιος· ὦ σύνταγμα ἱερόν· ὦ συνασπισμὸς ἀρραγής· ὦ κοινοὶ φύλακες τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων· Ἀγαθοὶ κοινωνοὶ φροντίδων, δεήσεως συνεργοὶ, πρεσβευταὶ δυνατώτατοι, ἀστέρες τῆς οἰκουμένης, ἄνθη τῶν Ἐκκλησιῶν. Hoc est: *Quæ satietas prosequendi Martyrum memoriam, ei qui Martyrum amore tenetur? Nam honor in bonos conseruos collatus, indicium est beneuolentiæ erga communem Dominum. Hi sunt qui nostram obtinentes regionem, velut turres quædam validæ contra aduersariorum incursum securitatem præbent. Copiosum beneficium, gratia minimè deficiens, & præsentissimum Christianis auxilium est Ecclesia Martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Dominum. Qui premitur aliquâ angustiâ, ad hos confugit; qui latus est, ad hos procurrit: ille, vt à malis liberetur; iste, ne his quæ commoda grataq. sunt, destituatur. O sanctum chorum! ô sacrum exercitum! ô inexpugnabilem cuneum! ô communes humani generis custodes! Optimi estis curarum socij, precum suffragatores, intercessores potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum.*

*Paulò ante finem.

In fine.

3. *Pium & vtile est honorare Sanctorum Reliquias.*

Idem Basilius in Concione de beatâ Iulittâ ait: Ἡ πυρὰ περιχυθεῖσα τῆς ἁγίας τὸ σῶμα, ὥσπερ τις θάλαμος φωτεινὸς, τὴν μὲν ψυχὴν ἐπὶ τὴν οὐράνιον χώραν, καὶ τὴν πρέπουσαν αὐτῇ λῆξιν ἀνέπεμψε, τὸ δὲ τίμιον σῶμα ἀκέραιον διεσώσατο τοῖς προσήκουσιν. Ὅπερ ἐν τῷ καλλίστῳ προτεμενίσματι τῆς πόλεως κείμενον, ἁγιάζει μὲν τὸν τόπον, ἁγιάζει δὲ τοὺς εἰς αὐτὸν συνιόντας. Γῆ δὲ ἡ κατευλογηθεῖσα τῇ ἐπιδημίᾳ τῆς μακαρίας, ἐκ τῶν οἰκείων λαγόνων ὕδατος φύσιν χαριεστάτην ἀνῆκεν· ὥστε τὴν Μάρτυρα ἀντὶ μητρὸς γενομένην, οἷον τινι γάλακτι κοινῷ τιθηνεῖσθαι τοὺς ἐν τῇ πόλει. Τοῦτο καὶ ὑγιαίνουσι φυλακτήριον, καὶ τρυφῶσι σωφρόνισμα, ἡδονῆς χορηγία, καὶ ἀρρωστοῦσι παραμυθία. Hoc est: *Pyra, sanctæ mulieris corpus, veluti thalamus quidam refulgens, complexa, animam quidem in cælestem regionem, eiq. conuenientem quietem [ac sortem] transmisit; pretiosum verò corpus cognatis & affinibus seruauit integrum. Quod in pulcherrimo ciuitatis vestibulo collocatum, & locum sanctificat, & adeuntes pariter sanctos reddit. Porrò terra Beatæ huius aduentu præsentiâque benedicta,*

dicta, proprijs visceribus naturam aquæ gratissimam emisit: adeò vt ipsa Martyr mater communis effecta, eos qui in ciuitate sunt veluti lacte quopiam nutriat. Hæc aqua & valentibus, sanitatis conseruatio est, & delicatis, modestæ suppeditatio voluptatis, & ægris consolatio.

Rursum Basilius explanans Psalmum centesimum decimumquintum, super his verbis, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, scribit in hæc verba: Ὅτε ὑπὲρ Χριστοῦ ὁ θάνατος, τίμια τὰ λείψανα τῶν ὁσίων αὐτοῦ. Πρὸ τούτου ἐλέγετο, Ἐάν τις ἅψηται νεκροῦ, ἀκάθαρτος ἔσται· νῦν δὲ ὁ ἁψάμενος ὀστέων μάρτυρος, λαμβάνει τινὰ μετουσίαν ἁγιασμοῦ ἐκ τῆς τῷ σώματι παρεδρευούσης χάριτος. Id est: *Quando pro Christo mors toleratur, pretiosæ sunt Reliquiæ Sanctorum eius. Ante hoc tempus dicebatur, Si quis tetigerit mortuum, erit immundus: nunc verò qui attigerit ossa Martyris, efficitur aliquo modo sanctitatis particeps, ob gratiam quæ sacro corpori adest atque insidet.* Leuit. 21.

§. III.

De B. Mariâ & Sanctis, ex D. Ioanne Damasceno.

1. *Excellentia B. Mariæ virginis.*
2. *Sanctorum cultus Christianis vtilis & licitus.*
3. *Imaginum etiam cultus religiosus cum magno fructu vsurpatur.*

1. *Excellens Maiestas & perpetua virginitas Deiparæ. Cap. 15.*

IOANNES Damascenus libro quarto Orthodoxæ fidei, tractans de genealogiâ virginis Deiparæ, inter alia hæc dicit: Ἰωακεὶμ τὴν σεμνήν τε καὶ ἀξιέπαινον Ἄνναν πρὸς γάμον ἠγάγετο. Ἀλλ' ὥσπερ ἡ πάλαι Ἄννα στεῖρα οὖσα δι' εὐχῆς καὶ ἐπαγγελίας τὸν Σαμουὴλ ἐγέννησεν, οὕτω καὶ αὕτη διὰ λιτῆς καὶ ἐπαγγελίας πρὸς Θεὸν, τὴν Θεοτόκον κομίζεται, ἵνα κἀν τούτῳ μηδενὸς τῶν περιφανῶν καθυστερίζοιτο. Τίκτει τοιγαροῦν ἡ χάρις (τοῦτο γὰρ ἡ Ἄννα ἑρμηνεύεται) τὴν Κυρίαν· τοῦτο γὰρ τῆς Μαρίας σημαίνει τὸ ὄνομα. Κυρία γὰρ ὄντως γέγονε πάντων τῶν ποιημάτων, τοῦ Δημιουργοῦ χρηματίσασα μήτηρ. Ὥσπερ δὲ ὁ συλληφθεὶς παρθένον τὴν συλλαβοῦσαν ἐτήρησεν, οὕτω καὶ τεχθεὶς τὴν αὐτῆς παρθενίαν ἐφύλαξεν ἄτρωτον· οὐ γὰρ ἀδύνατος ἦν καὶ διὰ τῆς πύλης διελθεῖν, καὶ ταύτης μὴ παραβλάψαι τὰ σήμαντρα. Μένει τοίνυν καὶ μετὰ τόκον παρθένος ἡ ἀειπάρθενος. Πῶς γὰρ ἂν Θεὸν γεννήσασα, καὶ ἐκ τῆς τῶν παρηκολουθηκότων πείρας τὸ θαῦμα γνωρίσασα, ἀνδρὸς συνάφειαν κατεδέξατο; Ἄπαγε· οὐ σωφρονοῦντος λογισμοῦ τὰ τοιαῦτα νοεῖν. Id est: *Ioachim venerabilem & dignam laude Annam in matrimonium duxit. Sed quemadmodum vetus Anna, quæ sterilis erat, per orationem & promissionem genuit Samuelem; ita & hæc, per supplicationem atque promissionem Deo factam, profert Deiparam: vt in hoc quoque nullâ illustrium gloriosarumq; inferior haberetur. Parit ergo gratia (id enim Anna interpretatur) Dominam, quod sanè Mariæ nomen significat. Nam reuerà Domina facta est omnium creaturarum, cùm Conditoris omnium mater nuncupetur. Sicut verò qui conceptus est, eam quæ concepit seruauit virginem: sic & natus virginitatem ipsius seruauit illæsam. Neq; enim impossibile illi erat, & per portam transire, & eius signacula non lædere. Manet igitur etiam post partum virgo, quæ semper virgo est. Quomodo enim, quæ genuerat Deum, & ex consequentium experientiâ miraculum agnouerat, viri consortium admisisset? Absit hoc: non est modestæ mentis talia cogitare.* 1. Reg. 1.

2. *Laudatur cultus Sanctorum & Reliquiarum Sanctarum, ob innumeras vtilitates. Cap. 16.*

Idem Damascenus in eodem libro scribit hunc in modum: Τιμητέον τοὺς Ἁγίους, ὡς φίλους Χριστοῦ, ὡς τέκνα καὶ κληρονόμους Θεοῦ. Πηγὰς ἡμῖν σωτηρίους ὁ δεσπότης Χριστὸς τὰ τῶν Ἁγίων παρέσχετο λείψανα, πολυτρόπως τὰς εὐεργεσίας πηγάζοντα. Δι' αὐτῶν δαίμονες ἀπελαύνονται, νόσοι φυγαδεύονται, ἀσθενεῖς θεραπεύονται, τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, λεπροὶ καθαίρονται, πειρασμοὶ καὶ ἀνίαι λύονται. Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ ἐκ τοῦ Πατρὸς τῶν φώτων δι' αὐτῶν τοῖς ἀδιστάκτῳ πίστει αἰτοῦσι κάτεισι. Πόσα ἂν ἔκαμες, ἵνα προστάτην εὕρῃς θνητῷ σε βασιλεῖ προσάγοντα, καὶ ὑπὲρ σοῦ πρὸς αὐτὸν τοὺς λόγους ποιούμενον; Τοὺς οὖν προστάτας τοῦ γένους παντὸς, τοὺς τῷ Θεῷ ὑπὲρ ἡμῶν τὰς ἐντεύξεις ποιουμένους, οὐ τιμητέον; Ναὶ τιμητέον. Ναοὺς ἐγείροντες τῷ Θεῷ ἐπὶ τῷ τούτων ὀνόματι, ἐν ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς, καὶ κατανύξει, αὐτοὺς πιστοὶ θεραπεύσωμεν. Στήλας αὐτοῖς ἐγείρωμεν, ὁρωμένας τε εἰκόνας. Τὴν Θεοτόκον ὡς κυρίως καὶ ἀληθῶς Θεοῦ μητέρα τιμήσωμεν, τὸν Προφήτην Ἰωάννην ὡς πρόδρομον καὶ βαπτιστὴν, Ἀπόστολόν τε καὶ Μάρτυρα, τοὺς Ἀποστόλους ὡς ἀδελφοὺς τοῦ Κυρίου, καὶ αὐτόπτας, τοὺς Μάρτυρας ὡς στρατιώτας Χριστοῦ, καὶ τοὺς ὁσίους Πατέρας ἡμῶν τοὺς Θεοφόρους ἀσκητὰς τιμήσωμεν. Id est: *Honorare decet Sanctos, vt amicos Christi & filios atque heredes Dei. Fontes nobis salutares dominator Christus præbuit Sanctorum Reliquias, quæ multis modis beneficia scaturiunt. Per ipsos Sanctos, dæmones abiguntur, morbi effugantur, infirmi curantur, cæci vident, leprosi mundantur, tentationes mœroresq; soluuntur. Omne donum bonum à Patre luminum per eos his, qui indubitatâ fide petunt, descendit. Quantum labores vt inuenires Aduocatum, qui ad mortalem Regem te adduceret, & pro te apud illum verba faceret? Aduocati ergo totius generis, apud Deum* pro

pro nobis intercedentes non sunt honorandi? Certè honorandi. Nos fideles in nomine ipsorum templa Deo erigentes, in psalmis & hymnis, canticisq́; ac compunctione eos colamus. Statuas illis erigamus, & visibiles imagines. Deiparam, vt propriè vereq́; Dei matrem, honoremus: Prophetam Ioannem, vt præcursorem & Baptistam, * *missumq́; ac Martyrem: Apostolos, sicut fratres Domini & spectatores: Martyres, vt milites Christi: & sanctos Patres nostros, ac Deiferos exercitatores* [hos vocamus Confessores] *honoremus.*

* Apostolū Græcè vertit *missum*, quia missus à Deo, Io. 1.

3. *Sacrarum Imaginum legitimus sanctusq́; vsus: & ex eo commoda corporalia & spiritualia.* Cap. 17.

Idem Damascenus in ipso eodem libro sic scribit: Ἐπειδή τινες ἡμῖν καταμέμφονται, προσκυνοῦσί τε καὶ τιμῶσι τὴν τε τοῦ Σωτῆρος καὶ τῆς Δεσποίνης ἡμῶν εἰκόνα, ἔτι δὲ καὶ τῶν λοιπῶν Ἁγίων καὶ θεραπόντων Χριστοῦ· ἀκουέτωσαν, ὅτι (ὡς φησὶν ὁ θεηγόρος καὶ πολὺς τὰ θεῖα Βασίλειος) ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει. Τοῦ ἀοράτου, καὶ ἀσωμάτου, καὶ ἀπεριγράπτου, καὶ ἀσχηματίστου Θεοῦ τίς δύναται ποιήσασθαι μίμημα; Ἐντεῦθεν ἐν τῇ παλαιᾷ οὐκ ἦν τετριμμένη ἡ τῶν εἰκόνων χρῆσις. Ἐπεὶ δὲ ὁ Θεὸς διὰ σπλάγχνα ἐλέους αὐτοῦ κατὰ ἀλήθειαν γέγονεν ἄνθρωπος διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, καὶ διέτριψε ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη, ἐθαυματούργησεν, ἔπαθεν, ἐσταυρώθη, ἀνέστη, ἀνελήφθη, οἱ Πατέρες συνεῖδον, ὥσπερ τινὰς ἀριστείας ἐν εἰκόσι ταῦτα γράφεσθαι, εἰς ὑπόμνησιν σύντομον. Ἀμέλει πολλάκις, μὴ κατὰ νοῦν ἔχοντες τὸ τοῦ Κυρίου πάθος· τὴν εἰκόνα τῆς Χριστοῦ σταυρώσεως ἰδόντες, τοῦ σωτηρίου πάθους εἰς ὑπόμνησιν ἐλθόντες, πεσόντες προσκυνοῦμεν, οὐ τῇ ὕλῃ, ἀλλὰ τῷ εἰκονιζομένῳ. Ὥσπερ οὐδὲ τῇ ὕλῃ τοῦ Εὐαγγελίου, οὐδὲ τῇ τοῦ Σταυροῦ ὕλῃ προσκυνοῦμεν, ἀλλὰ τῷ ἐκτυπώματι. Ὡσαύτως καὶ ἐπὶ τῆς Θεομήτορος, ἡ γὰρ εἰς αὐτὴν τιμὴ, εἰς τὸν ἐξ αὐτῆς σαρκωθέντα ἀνάγεται. Ὁμοίως δὲ καὶ τὰ τῶν ἁγίων ἀνδρῶν ἀνδραγαθήματα, ἐπαλείφονται ἡμᾶς πρὸς ἀνδρείαν, καὶ ζῆλον, καὶ μίμησιν τῆς αὐτῶν ἀρετῆς, καὶ δόξαν Θεοῦ. Hoc est: *Quandoquidem nonnulli nobis exprobrant quod adoramus & honoramus Saluatoris nostri & Reginæ nostræ Deiparæ imaginem, ceterorumq́; Sanctorum ac famulorum Christi, audiant quòd (sicut ait Theologus ille, diuinißimus Basilius) imaginis honor ad exemplaris honorem transit. Inuisibilis, incorporei, incircumscriptibilis, & infigurabilis Dei repræsentationem quis facere potest? Hinc in antiquo Testamento tritus non fuit Imaginum vsus. At verò posteaquam Deus per viscera misericordiæ suæ, secundùm veritatem homo propter salutem nostram factus est, & diuersatus est in terris cum hominibus, miracula edidit, passus est, crucifixus est, resurrexit, atque assumptus est, Patribus visum fuit, vt velutiquædam præclarè gesta hæc Imaginibus repræsentarentur, ad promptam memoriam. Sanè plerumque, dum cogitatione non tenemus passionem Domini, si contingat nos inspicere imaginem crucifixionis ipsius Christi, in memoriam salutaris passionis redimus, procidentes adoramus, non quidem materiam, sed id quod imagine repræsentatur. Quemadmodum neque materiam Euangelij, neque Crucis materiam adoramus: sed quod typo figurâque expressum est. Idem & de Matris Dei imagine sentiendum est: nam honor ipsi impensus, in illum, qui ex eâ incarnatus est, reuocatur. Similiter autem & Sanctorum fortia facta roborant excitantq́; nos ad fortitudinem, & zelum, atque imitationem virtutis illorum, ac Dei gloriam.*

§. IV.

Rursum de B. Mariâ & Sanctis, ex Ioanne Cantacuzeno.

1. *B. Maria naturâ Angelis inferior, gratiâ & gloriâ eisdem superior.*
2. *Imaginum vsus nobis præstat id, quod phylacteria Iudæis præstabant; nimirum memoriam rerum diuinarum.*
3. *Excitat etiam ad imitandas Sanctorum virtutes.*

IOANNES Cantacuzenus scribens aduersus sectam Mahometicā, inter alia hæc dicit: Τὴν ἀειπαρθένον ἁγίαν Μαρίαν ἔχομεν πλάσμα Θεοῦ, καὶ δούλην Θεοῦ. Καὶ πιστεύομεν καὶ ὁμολογοῦμεν, ὅτι οὔτε ἐγεννήθη, οὔτε γεννηθῆναι μέλλει ἐξ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἄνθρωπος μέχρι τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, ὡς αὐτή. Καὶ κατὰ μὲν τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν λογιζόμεθα αὐτὴν κάτω τῶν Ἀγγέλων, ὡς ἄνθρωπον· τῇ δὲ τιμῇ καὶ τῇ ἁγιοσύνῃ ἐπάνω πάντων τῶν Ἀγγέλων ἀσυγκρίτως, ὅτι τὸν Υἱὸν καὶ Λόγον τοῦ Θεοῦ ἐγέννησε κατὰ σάρκα. Καὶ ἔχομεν αὐτὴν προστάτην πάντες καὶ βοηθόν· καὶ δέεται καὶ παρακαλεῖ διηνεκῶς ὑπὲρ τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ἐνεργεῖ καὶ πράττει θαύματα μεγάλα. Καὶ προσκυνοῦμεν αὐτὴν οὐχ ὡς Θεὸν, ἀλλ' ὡς μητέρα τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ κατὰ σάρκα. Id est: *Sanctam Mariam semper virginem, creaturam Dei esse dicimus, Deiq́; ancillam. Credimus autem & confitemur, quòd ei similis nec natus sit, nec sit nasciturus ex viro ac muliere homo aliquis, vsque ad consummationem sæculi. Et secundùm humanam quidem naturam Angelis eam inferiorem esse indicamus, tamquam hominem; honore verò & sanctimoniâ Angelos omnes incomparabiliter superare asserimus, eò quòd Filium & Verbum Dei secundùm carnem pepererit. Omnes etiam illam aduocatam & auxiliatricē agnoscimus: quæ indesinenter pro peccatoribus orat atque intercedit, editq́; & operatur miracula maxi-* 1. *B. Virgo Maria Angelos dignitate & magnitudine gratia ac gloria antecellit.*

ma

ma stupendaq́. Hanc autem adoramus & colimus, non vt Deum, sed vt matrem Filij Dei secundùm carnem.

2. *Vsus Imaginum præstat cælestium rerum recordationē.*

Idem Cantacuzenus ait: Γινώσκων ὁ Θεὸς τὸ εὐόλισθον τῶν ἀνθρώπων, ἔταξεν ἐπὶ τὸ παλαιὸν, ἵνα οἱ ἱερεῖς γράφωσι τὰ γινόμενα παρὰ τοῦ Θεοῦ θαύματα, καὶ διὰ παντὸς κρέμανται τὰ γεγραμμένα ἐν ταῖς χερσὶ τῶν ἱερέων· ἵνα καθημέραν μᾶλλον δὲ διόλου θεωροῦντες ὅτε ἱερεῖς, καὶ ὁ λαὸς, τὰ γεγραμμένα θαύματα τοῦ Θεοῦ τὰ δι᾽ αὐτοὺς γεγονότα, ἔρχονται εἰς μνήμην αὐτοῦ, καὶ ἀπονέμωσιν εὐχαριστίαν καὶ δόξαν τῷ Θεῷ, τῷ ἐλευθερώσαντι αὐτοὺς ἐκ τῆς δουλείας Φαραὼ, καὶ καταλύσαντι βασιλεῖς μεγάλους καὶ κραταιοὺς, καὶ ἔθνη ἰσχυρὰ, καὶ διδόντι τὰς πόλεις αὐτῶν τῷ λαῷ τῶν Ἰουδαίων. Ἀλλὰ δὴ καὶ τὰ ἐν τῇ ἐρήμῳ γεγονότα θαύματα εἰς αὐτούς. Καὶ ἐγένετο καθὼς ἐνετείλατο αὐτοῖς ὁ Θεός. Βλέποντες γὰρ τὰ ἐν χερσὶ τῶν ἱερέων κρεμάμενα, ἤρχοντο εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ μνήμην, καὶ ἐδίδουν εὐχαριστίαν τῷ Θεῷ. Οὕτως ἐστὶ καὶ ἐπὶ τῶν εἰκόνων· γράφουσι τὴν γέννησιν τοῦ Χριστοῦ, τὴν βάπτισιν, τὴν σταύρωσιν, τὴν ἀνάστασιν· καὶ βλέποντες τὰ πλήθη τῶν ἀνθρώπων, ἔρχονται εἰς μνήμην τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐνθυμοῦνται, ὅτι πῶς ὢν Θεὸς ὁ Χριστὸς, διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων ἀγάπην ἀνεβάλετο σάρκα, καὶ ἔπαθε σαρκὶ, καὶ ὅσα ἄλλα ἐποίησεν ὁ Θεὸς διὰ τὸν ἄνθρωπον, καὶ εὐχαριστοῦσι, καὶ μεγαλύνουσι, καὶ δοξάζουσι τὸν Θεόν. Τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τῆς εἰκόνος τῆς ἁγίας Παρθένου, τῆς γεννησάσης τὸν Υἱὸν καὶ Λόγον τοῦ Θεοῦ κατὰ σάρκα, ἀλλὰ δὴ καὶ τῶν Μαρτύρων, καὶ τῶν ἄλλων πάντων Ἁγίων. Hoc est: *Deus cognoscens humanam memoriam instabilem labilemq́ esse, præcepit in veteri Testamento, vt Sacerdotes miracula ab ipso edita describerent, eaq́ descripta semper in Sacerdotum manibus penderent: vt quotidie aßiduéq́ tam Sacerdotes quàm populus, visis miraculis Dei descriptis quæ propter illos edita fuerant, in memoriam Dei reuocarentur, Deoq́ gratiarum actionem & gloriam redderent, qui illos ex seruitute Pharaonis liberauerat, Regesq́ magnos & fortes, ac gentes robustas euerterat, quiq́ illorum vrbes populo Iudæorum tradiderat. Quin & miracula quæ illis in deserto contigerant, describi voluit Dominus. Et factum est sicut præcepit illis Deus. Videntes enim quæ in Sacerdotum manibus suspensa erant, Dei recordati sunt, & illi gratias egerunt. Eadem planè Imaginum est ratio: hæ enim depingunt Christi natiuitatem, Baptismum, crucifixionem, resurrectionem: quibus visis, turbæ hominum in Dei recordationem perueniunt, & meditari incipiunt, quomodo Christus cùm Deus esset, propter humani generis amorem carnem assumpserit, & in carne passus sit: sed & quæcumque alia Deus propter hominem fecit, memoriâ repetunt, Deoq́ gratias agunt, eum extollunt atque glorificant. Idipsum fit etiam in imagine diuæ Virginis, quæ Filium & Verbum Dei secundùm carnem peperit, inq́ Martyrum & aliorum Sanctorum omnium imaginibus.*

Idem Cantacuzenus rursum dicit: Ὥσπερ ἐπὶ τὸ παλαιὸν ἔντε τῇ Ῥώμῃ καὶ ἀλλαχόθεν ἐνήργουν ἀνδριάντας ἐν τοῖς ὀνόμασι τῶν κατὰ καιροὺς βασιλέων, ἔτι δὲ καὶ στρατηγῶν, καὶ βλέποντες τοὺς ἀνδριάντας, ἤρχοντο εἰς μνήμην τῶν κατορθωμάτων τῶν ἐχόντων τοὺς ἀνδριάντας· οὕτω καὶ ἐν ταῖς τῶν Ἁγίων εἰκόσιν ἀνάγοντες τὸν νοῦν ἡμῶν ἐπὶ τὰ πρωτότυπα, τιμῶμεν τὰς εἰκόνας ἐκείνων. Τὰς ἐν ταῖς σανίσι καὶ στήλαις εἰκόνας τιμῶντες προσκυνοῦμεν, τὰς δὲ παλαιωθείσας καὶ ἀπαλειφθείσας οὐκέτι προσκυνοῦμεν, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ ἀργὰς ἔχομεν. Τὸ αὐτό ἐστιν ἰδεῖν καὶ ἐπὶ τοῦ Σταυροῦ· ἕως ἂν ἔχῃ τὸ ξύλον τύπον τοῦ Σταυροῦ, προσκυνεῖται καὶ ἀσπάζεται παρ᾽ ἡμῶν· ἐξαλυνθέντος δὲ τύπου τοῦ Σταυροῦ, οὐ προσκυνεῖται τὸ ξύλον παρ᾽ ἡμῶν ἐπιπλέον. Hoc est: *Quemadmodum olim Romæ & alibi Regibus illius temporis Ducibusq́ exercitus statuas ponebant, quas cernentes, recordabantur egregiorum facinorum eorum quibus statuæ positæ fuerant; ita & in Sanctorum imaginibus vsuuenit: quas dum contemplamur, reducentes mentem ad illarum exemplaria, eas veneramur. Ipsas in tabulis atque columnis adhuc extantes cum honore adoramus, vetustate verò corruptas & deletas non ampliùs veneramur, sed indicamus inutiles. Idem quoq́ & in Cruce videre est: quamdiu enim lignum aliquod figuram Crucis prætulerit, adoratur, salutaturq́ à nobis; vbi verò figura Crucis interierit, vlteriùs lignum à nobis non adoratur.* 3. *Et ad imitationem Sanctorum impellit.*

§. V.

De fidelibus defunctis. Ex diuersis.

1. *Traditio orationis pro defunctis probatur ab Apostolis deriuata: Ex Damasceno,*
2. *Ex Dionysio Areopagitâ,*
3. *Ex Chrysostomo,*
4. *Ex Gregorio Nysseno,*
5. *Ex Epiphanio Cyprensium Episcopo.*

IOANNES Damascenus in Sermone de Defunctis ait: Οἱ αὐτόπται τοῦ Λόγου, οἱ τὸν τοῦ κόσμου γῦρον ζωγρήσαντες Μαθηταὶ τοῦ Σωτῆρος καὶ θεῖοι Ἀπόστολοι, ἐπὶ τῶν φρικτῶν καὶ ἀχράντων καὶ ζωοποιῶν μυστηρίων μνήμην ποιεῖσθαι τῶν πιστῶς κοιμηθέντων ἐθέσπισαν. Id est: *Discipuli illi Saluatoris & diuini Apostoli, qui ipsius Verbi spectatores fuerunt, totiusq́ mundi circulum viuum ceperunt, in tremendis atque impollutis & vitalibus mysterijs, memoriam eorum qui fideliter obdormierunt habendam edixerunt.* 1. *Oratio pro defunctis Apostolicæ traditionis est, ex sancto Damasceno.*

Idem Damascenus in eodem Sermone citat 2.

Probatur ex Dionysio Areopagita suffragium pro mortuis. tat Dionysium Areopagitam, his verbis: Ἔφη ὁ πολὺς τὰ θεῖα καὶ βαθὺς Διονύσιος ἐν τῇ περὶ τῶν κεκοιμημένων μυστικῇ θεωρίᾳ· Αἱ τῶν Ἁγίων προσευχαὶ, καὶ κατὰ τὸν τῇδε βίον, μήτιγε μετὰ θάνατον, εἰς τοὺς ἀξίους ἱερῶν εὐχῶν, ἤγουν τοὺς πιστοὺς ἐνεργοῦσι. Τὸ δὲ Μήτιγε, πάντως ἐνταῦθα μηδὲν ἕτερον ἢ τὸ, Πόσῳ γε μᾶλλον, ὑπολήπτεον. Hoc est: *Exercitatus ille & profundus in diuinis Dionysius in mysticâ consideratione, vbi de defunctis agit, dicit: Sanctorum preces etiam in vitâ istâ, nedum post mortem, prosunt his qui sacris precibus digni sunt, nempe fidelibus. Per id quod dicit, Nedum, nihil aliud intelligendum est, quàm, Quantò magis.* Damascenus ibidem plura affert testimonia ex libro quem ipse Dionysius scripsit de Ecclesiasticâ hierarchiâ.

3. *Ex sancto Chrysostomo,* In eodem Sermone idem Damascenus citans Chrysostomum dicit: Ὁ χρυσορρήμων ὄντως καὶ χρυσεπώνυμος Ἰωάννης, Οὐκ εἰκῇ, φησὶ, καὶ ὡς ἔτυχε ταῦτα νενομοθέτηται, καὶ τῇ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίᾳ ὑπὸ τῶν αὐτοῦ πανσόφων Μαθητῶν παραδέδοται, φημὶ δὲ τὸ ἐπὶ τῶν φρικτῶν μυστηρίων εὐχὴν ποιεῖσθαι τὸν Ἱερέα ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει κεκοιμημένων. Id est: *Ioannes ille, cui ab auro cognomen est (verè enim aurea verba loquitur) Non temerè, inquit, aut casu hæc à sapientissimis Dei Discipulis sancita, atque Ecclesiæ ipsius tradita fuerunt, vt Sacerdos in tremendis mysteriis preces fundat pro fidelibus defunctis.*

4. *Ex S. Gregorio Nysseno,* Paulò pòst in eodem Sermone Damascenus, allegans Gregorium Nyssenum, ait: Ὁ πάνσοφος Νυσσαέων Γρηγόριος, Οὐδὲν ἀλογίστως, φησὶ, οὐδὲ ἀκερδῶς ὑπὸ τῶν τοῦ Χριστοῦ κηρύκων καὶ Μαθητῶν παραδέδοται, καὶ ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ πανταχοῦ Ἐκκλησίᾳ διακεκράτηται· ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα ἐπωφελὲς καὶ θεάρεστον, τὸ μνήμην δηλονότι ποιεῖν ἐπὶ τῆς θείας καὶ παμφαοῦς μυσταγωγίας, τῶν ἐν ὀρθῇ τῇ πίστει κεκοιμημένων. Id est: *Sapientissimus Gregorius Nyssenus, Non, inquit, absque ratione & vtilitate à Christi prædicatoribus ac Discipulis traditum est, & in sanctâ Dei Ecclesiâ vbique vim legis obtinuit, sed res est modis omnibus vtilis, Deoq; inprimis grata, videlicet; memoriam eorum qui in rectâ fide obdormierunt, facere in diuinâ illâ lumineq; plenâ mystagogiâ.*

Epiphanius Cyprensis in libro quem aduersus hæreses scripsit, ita loquitur: Περὶ τοῦ ὀνόματα λέγειν τῶν τελευτησάντων, τί ἂν εἴη τούτου προυργιαίτερον; τί τούτου καιριώτερον; Ὠφελεῖ δὲ καὶ ἡ ὑπὲρ αὐτῶν γινομένη εὐχή. Hoc est: *De referendis nominibus eorum qui vitâ defuncti sunt, quid eâ re vtilius, quid opportunius fuerit? Prodest sanè pro ipsis facta precatio.* 5. *Ex S. Epiphanio Hæresi 56. vel 77. aduersus Aeriũ, cap. 7.*

Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio cap. 4. loquens de Sacerdote, ait: Τὸν ὑπὲρ πόλεως, τί λέγω πόλεως; πάσης μὲν οὖν τῆς οἰκουμένης πρεσβεύοντα, καὶ δεόμενον ταῖς ἁπάντων ἁμαρτίαις ἵλεων γενέσθαι τὸν Θεὸν, οὐ τῶν ζώντων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀπελθόντων, ὁποῖόν τινα εἶναι χρή; Hoc est: *Eum, qui pro ciuitate; quid dico ciuitate? imò verò pro vniuerso terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorq; est apud Deum, vt hominum omnium, non viuentium modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem quæso esse oportet?* In Liturgiâ ipsius Chrysostomi Sacerdos inter precandum sæpius meminit fidelium defunctorum. 6. *Ex sancto Chrysostomo.*

LVDO-

LVDOVICI BLOSII DEFENSIONIS VERÆ FIDEI ADVERSVS S. ECCLESIÆ CATHOLICÆ HOSTES PARS SECVNDA, SIVE FACVLA ILLVMINANDIS HÆRETICIS, ET AB ERRORE AVOCANDIS, ACCOMMODATA.

PRÆFATIO.

1. Superbia hæresum origo & fons.
2. Optimè reuincuntur consensu Patrum primitiuæ Ecclesiæ.
3. Propinquiores enim Christo, remotiores à fraude & falsitate.
4. Ex illis desumptus hic libellus Faculæ ad tenebras hæreseos pellendas.

1. Mater hæreseos superbia.

OMNIVM hæresum origo est superbia. Nam hæretici omnes maximè superbi sunt: propriam sententiam, peruersasque opiniones suas, obstinatâ insaniâ tuentur, diuinas Scripturas falsis expositionibus insolenter deprauant: sanctæ atque Apostolicæ Ecclesiæ obtemperare nolunt, & Præpositos eius elato animo despiciunt.

2. Optima ratio reducendi hæreticos, cōsensus vetustissimorum Patrum.

Conuenientissima autem ratio reuocandi illos ad sanam mentem hæc nobis videtur, vt demonstretur eis, sanctos Patres Ecclesiæ primitiuæ, qui à Christo vel Apostolis veram fidem acceperunt, & cum ipsis conuersati sunt, aut statim post eorum tempora vixerunt, sic credidisse, sicut in Ecclesiâ Romanâ atque Catholicâ modò credimus, & idem sensisse de Deo rebusque diuinis atque Ecclesiasticis,

ſiaſticis, quod ſentimus. Vbi enim hæreticis id dilucidè oſtenſum fuerit, videbunt ipſi quàm veſanis erroribus impliciti ſint.

Neque enim quemquam inter eos tam deſperatâ dementiâ laborare putamus, vt dicere audeat, eos qui à Chriſto atque Apoſtolis inſtituti in fide fuerunt, & pro eadem fide ſanguinem fuderunt, martyrioque coronati ſunt, erraſſe, ac neſciſſe quid crederent; ſe verò, & ſuorum dogmatum defenſores, veritatem tenere. 3.

3\. Nam quò fuere Chriſto propinquiores, eò minùs de fraude ſuſpecti.

Nos igitur pro Dei honore & ſalute animarum nonnulla ex ſcriptis illorum ſanctiſſimorum Patrum, qui in primitiuâ Eccleſiâ floruerunt, excerpemus, atque in hoc Libello adnotabimus, fideliter quidem, ſed raptim & tumultuariè. Vrgent enim nos preces cuiuſdam generoſæ & Deo dicatæ Virginis, quæ aliquid remedij à nobis obtinere cupit, quod mox mittat ad quoſdam cognatos ſuos hæreſi recèns infectos. Illuſtrabimus autem atque confirmabimus pleriſque in locis ipſa dicta Patrum teſtimonijs, è diuinis libris petitis. Boni conſulat Lector hæc miſcellanea, quæ à nobis ex tempore colliguntur; memineritque, veritatem, & ſanam Scripturarum ſacrarum intelligentiam, non alibi quærendam eſſe, quàm in Eccleſiâ Catholicâ, cuius eximia membra ſunt ſancti Patres quos citabimus. 4.

4\. Ideò hunc Faculæ libellum ex vetuſtiſſimis Patribus collectum accipe. Occaſio & fructus Faculæ.

CATALOGVS
SANCTISSIMORVM VETVSTISSIMORVMQ. PATRVM
QVI IN HAC FACVLA CITANTVR.
ANNVS QVO QVISQVE CLARVERIT VEL OBIERIT
IVXTA VERISSIMAM CHRONOGRAPHIAM ADNOTATVR.

Abdias, Apoſtolorum Simonis & Iudæ diſcipulus, Epiſcopus, claruit anno Domini 60.
Alexander, Papa quintus, idemq; Martyr. 120.
Anacletus, S. Petri diſcipulus, idemq; Papa tertius, & Martyr clariſſimus. 100.
Anicetus, Papa decimus, & Martyr. 150.
Athanaſius, Epiſcopus & Doctor Græcus. 330.
Auguſtinus, Epiſcopus & Doctor Latinus. 400.
Baſilius, Epiſcopus & Doctor Græcus. 370.
Canones Apoſtolorum, editi putantur circa annum à Chriſto nato 50.
Clemens, S. Petri diſcipulus & Papa ſecundus, idemq; Martyr & Doctor Græcus. 90.
Concilium Florentinum. 1439.
Concilium Nicenum II. 790.
Cornelius, Papa vigeſimus, & Martyr. 240.
Cyprianus, Epiſcopus & Martyr, Auctor Latinus. 250.
Damaſus, Papa trigeſimusſeptimus, Auctor Latinus. 370.
Dionyſius Areopagita, S. Pauli diſcipulus, Epiſcopus & Martyr, Doctor Græcus. 90.
Epiphanius, Epiſcopus, Scriptor Græcus. 370.
Euariſtus, Papa quartus, & Martyr. 110.
Euſebius Cæſarienſis, Epiſcopus Græcus. 320.
Fabianus, Papa decimusnonus, & Martyr. 230.
Gregorius Nyſſenus, Epiſcopus & Doctor Græcus. 370.
Hieronymus, Presbyter, Doctor Latinus. 390.
Hippolytus, Epiſcopus & Martyr Græcus. 210.
Hyginius, Papa octauus, idemq; Martyr. 140.
Ignatius, Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, Epiſcopus & Martyr. 90.
Innocentius I. Papa quadrageſimus. 400.
Ioannes Chryſoſtomus, Epiſcopus & Doctor Græcus. 380.
Ioannes Damaſcenus, Presbyter & Scriptor Græcus. 740.
Irenæus, Epiſcopus & Martyr, Doctor Græcus. 160.
Iuſtinus, Philoſophus & Martyr, Græcus. 140.

Marcellus, Petri Apostoli discipulus, & Martyr Romanus. 100.
Martialis, vnus ex septuaginta duobus Discipulis Christi Saluatoris. 60.
Nicephorus Callistus. 1200.
vt verò plerique volunt, 1340.
Papias, auditor Ioannis Euangelistæ. 100.
Pius, Papa nonus, ac Martyr. 140.
Simeon Metaphrastes. 670.
vel vt alij sentiunt, 1200.
Telesphorus, Papa septimus, ac Martyr. 139.
Tertullianus, Presbyter, primus eorum qui Latinè scripserunt in Ecclesiâ. 200.
Theodorus, Lector, putatur vixisse 890.
Vincentius Lirinensis, Presbyter ac Doctor Latinus. 420.
Xystus, Papa sextus, idemq; Martyr. 130.

FACVLÆ HÆRETICIS ILLVMINANDIS ACCOMMODATÆ

CAPVT I.

Ex Liturgiâ siue Missâ S. Iacobi, & alijs veterum Patrum scriptis.

1. Eucharistiam vocari Missam & Sacrificium, & in eâ panem ac vinum conuerti in Carnem & Sanguinem Christi.

2. Missam non esse nuperum inuentum, sed antiquum nouæ legis Sacrificium: idque non tantùm spirituale, verùm etiam proprij nominis.

3. Inuocatio Sanctorum.

4. Magnifica inuocatio B. Virginis.

5. Orandum esse pro fidelibus defunctis, qui sunt in Purgatorio.

6. Liturgiam hanc esse authenticam, & sancti Iacobi Apostoli.

7. Damasceni auctoritas de oratione pro defunctis, ex Chrysostomo, & Gregorio Nysseno.

8. Non omnia sunt scripta in Libris sacris, quæ credere debemus fide diuinâ.

9. Fortiter probat ex ipsis Scripturis, esse aliquas traditiones diuinas, in illis minimè scriptas.

10. Ecclesiæ auctoritatem æqualem esse Apostolicæ auctoritati in rebus fidei.

11. Noluit Deus omnia tradi scripto, vt submitteremus nos Ecclesiæ magisterio:

12. Quæ non est alia, quàm Ecclesia Romana: ipsam proinde audire debemus.

13. Sacramentum extremæ Vnctionis ex sancti Iacobi Epistolâ demonstratur.

1. *Officium Missæ vocatur Liturgia & Sacrificium.* 1. Tim. 2.

EVCHARISTIÆ Sacrificiũ, in quo, iuxta beati Pauli admonitionem, sunt precationes, *postulationes*, & *gratiarum actiones*, Corpusque Christi à legitimis Sacerdotibus cõficitur & offertur, semper appellatũ fuit à Patribus *Liturgia* vel *Missa*. Itaque in Liturgiâ Iacobi Apostoli, fratris Domini, primique Ierosolymorum Episcopi, Sacerdos Deũ Patrem ita precatur: *Spiritum tuum sanctissimum demitte nunc, Domine, in nos, & in hæc dona sancta proposita, vt superueniens, sanctâ & bonâ & gloriosâ suâ præsentiâ sanctificet, & efficiat hunc panem sanctum Corpus Christi tui, & calicem hunc pretiosum Sanguinem Christi tui.* Quæ quidem beati Iacobi verba manifestè ostendunt, panem in Corpus, & vinum in Sanguinem Christi conuerti transmutarique, contra hæreticos huius tempestatis. Nam Christus in institutione ipsius Eucharistiæ dicit apertissimè, *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, Hic est Sanguis meus qui pro multis effundetur.*

Conuersio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.

Quando hæretici aiunt, verum Corpus Christi in Eucharistiâ non contineri, & panis substantiam in substantiam carnis non conuerti, quid aliud affirmant, quàm Christum mentiri? quid aliud quàm, more canum atque porcorum, conculcant margaritas sacrosancti Mysterij? Ideò autem primi Patres Orthodoxi hoc Sacramentum appellarunt *Eucharistiam*, quia Christus εὐχαριστήσας eam confecit, vt Euangelia testantur. Etiam in initio Liturgiæ S. Iacobi Sacerdos sic orat: *Non sum dignus qui oculos obuertam huic sacræ & spirituali mensæ, in quâ vnigenitus Filius tuus & Dominus noster Iesus Christus mihi, qui peccator sum, & omnibus maculis labefactatus, mysticè proponitur in Sacrificium. Proinde hanc orationem & gratiarum actionem tibi offero, vt mihi Spiritus tuus paracletus mittatur, fortificans ac instaurans me ad hanc Missam,* &c. Porrò in fine eiusdem Liturgiæ ipse Sacerdos fundit hanc precem: *Largitus es nobis, Domine Deus, sanctificationem in perceptionem sanctissimi Corporis & pretiosi Sanguinis vnigeniti tui Domini nostri Iesu Christi: impartire nobis gratiam quoque Spiritus sancti tui boni, & conserua nos inculpabiles in fide,* &c.

Negantes Corpus Christi in Eucharistiâ faciunt mendacem in verbis suis Christum.

Matth. 26. Marc. 14. 1. Cor. 11.

Ex his verbis Apostolicis, & ex scriptis aliorum Patrum primitiuæ Ecclesiæ, quæ posteà proferemus in medium, sole clarius liquet, Missam vel Liturgiam non esse rem nouitiam atque impiam, vt profani hæretici nunc blasphemant. Est enim sanctum diuinumque Euangelicæ legis Sacrificium, institutum à Christo, qui est *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Nam in Cœnâ nouissimâ panem & vinum in Corpus & Sanguinem suum consecrauit atque obtulit, & discipulis suis, ceterisque Sacerdotibus, vt id ipsum in sui commemorationem facerent, præcepit. Tertius Ca-

2. *Missam esse verè & propriè nouæ legis Sacrificium, & quidem secundũ ordinẽ Melchisedech.*

Psal. 109. Heb. 5. & 7. Luc. 22.

Canon Apostolorũ perspicuè demonstrat, Dominum Iesum instituisse ipsum Sacrificium Eucharistiæ. Est igitur in Ecclesiâ non tantùm spirituale Sacrificium, vt hæretici garriunt, verùm etiam externum, nempe sacrosancta Liturgia, quam Christus loco omnium externorum Sacrificiorum veteris legis nobis reliquit. Spiritualia sacrificia ad omnes in vniuersum Christianos spectát, vt sunt puræ preces, humilis contritio cordis, pia mortificatio carnis, ac cetera huiusmodi, propter quæ cuncti verè fideles regale Sacerdotium & Sacerdotes in sanctâ Scripturâ appellantur: at Missæ Sacrificium ab illis dumtaxat offerri potest, qui Sacerdotes consecrati sunt. Iam cùm Ecclesia Dei nihil hoc Sacrificio sublimius habeat, dolendum sanè est, plerosque Sacerdotes nimis negligenter & irreuerenter Missam peragere. Verumtamen propter eorum vitia, neque Sacrificium neque Sacerdotium maledictis impetendum est.

Non tantùm spirituale internũ aut metaphoricum, sed verum externum & propitiatorium.

1. Pet. 2.

Apoc. 1.

3. *Cultus & inuocatio Sanctorum in antiquissimis Liturgijs apparet.*

Quòd à nobis inuocari & honorari debeant Sancti, eadem beati Iacobi Liturgia docet his verbis: *Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ matris Dei & semper virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum & iustorum: vt precibus atque intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur.* Hæc ibi. At hæretici huius temporis à satanâ instigati, dicunt, Sanctos hac vitâ defunctos non esse inuocandos aut honorandos à fidelibus. Scit enim diabolus, nos plurimùm adiuuari precibus ac meritis beatæ Dei Genitricis atque aliorum Sanctorum: ob idque inuidiâ ardens, nos tanto bono per hæreticos spoliare nititur. Ex diuinis Scripturis discimus, Deum propter Sanctos, qui vel adhuc viuunt, vel iam hinc emigrarunt, præstare beneficia mortalibus, & misericordiam gratiamque donare. Si enim Sancti, cùm adhuc corruptioni obnoxij, peregrinarentur à Domino, multùm alios suis precibus apud Deum adiuuare poterant; quantò magis id facere possunt iam à corruptione alieni, ac Deo perfectè coniuncti? Cùm sint vnum cum eo qui omnia potest, ipsi quoque aliquo modo possunt omnia, & orationes nostras cognoscũt suscipiuntque.

Si mortales orarunt pro nobis, quidni post mortẽ regnantes in cælis?

2. Mach. 15

Iudas Machabæus vidit Oniam, virum pium, qui defunctus erat, manus protendentem, & orantem pro omni populo Iudæorum: vidit & alterum ætate gloriâque admirabilem, de quo ipse Onias dixit: *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & vniuersâ sanctâ ciuitate, Ieremias Propheta Dei.* Hæc visio Iudæ secundo libro Machabæorum annotata est. Libri autem Machabæorum, licet ab hæreticis reijciantur, ab Ecclesiâ tamen habentur pro Canonicis.

Oniás & Ieremias post mortem orant pro populo Dei.

4. *Illustris laudatio & inuocatio B. Virginis, praeunte Liturgiâ S. Iacobi.*

In eadem Iacobi Liturgiâ magnificè laudatur Dei genitrix virgo Maria hoc modo: *Dignum est, vt te beatam dicamus Deiparam, modis omnibus irreprehensam, & matrem Dei nostri, honorabiliorem quàm Cherubim, & gloriosiorem quàm Seraphim, quæ sine corruptione Deum Verbum peperisti. Te verè Deiparam magnificamus. Tibi, ô plena gratiæ, vniuersa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus, quæ es templum sanctificatum, paradisus spiritalis, virginum gloria, ex quâ Deus carnem assumpsit, & puer factus est Deus noster qui est ante secula,* &c.

5. *Oratio pro defunctis, ibidem.*

Orandum esse pro fidelibus defunctis, ipsa eadem beati Iacobi Liturgia testatur, vbi Sacerdos precatur hunc in modum: *Memento Domine Deus noster Orthodoxorum & rectè de fide sentientium, ab Abel iusto, vsque in hodiernum diem. Fac eos requiescere in regione viuentium, in regno tuo, in delicijs paradisi, in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob sanctorum Patrum nostrorum: vnde exulat dolor, tristitia & gemitus: vbi præsidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget.* Itemque alio loco in eadem Liturgiâ Sacerdos orat ita: *Fac vt oblatio nostra grata & acceptabilis sit, per Spiritum sanctum sanctificata, in propitiationem peccatorum nostrorũ, & eorum quæ populus per ignorantiam admisit, & in requiem animarum eorum qui ante nos dormiunt.* Rursùm in eadem Liturgiâ Diaconus profert hæc verba: *Pro remissione peccatorum nostrorum, & propitiatione animarum nostrarum, & pro omni animâ afflictâ & vexatâ, misericordia & auxilij Dei indigente, & pro conuersione errantium, curatione infirmorum, liberatione captiuorum, requie Patrum & fratrum nostrorum, qui ante nos dormierunt, dicamus extensâ voce: Domine miserere.* Hæc ibi. Si à vero rationis iudicio non decidissent hæretici, viderent profectò, quàm rectè Ecclesia Dei oret pro fidelibus defunctis. Nam secundo Machabæorum libro (quem pro Canonico Ecclesia recipit) habentur hæc verba: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Hinc constat, esse Purgatorium. Neque enim oramus pro illis animabus quæ vel in cælo, vel in inferno sunt: sed pro illis dumtaxat, quæ adhuc purgari debent, antequam cælestem plenamque beatitudinem adipiscantur.

2. Mach. 12

6. *S. Iacobi Liturgia magna est in Ecclesiâ auctoritas.*

Prædicta beati Iacobi Liturgia semper à Catholicis magnæ fidei habita est, & in Ecclesiâ Dei magnam obtinuit auctoritatem.

Quæ quia primùm Græcè scripta fuit, complures Orthodoxi Patres Græci meminerunt eius, & eam citant in suis lucubrationibus. Basilius Magnus & Ioannes Chrysostomus suas Liturgias ad similitudinem illius conscripserunt, & multa ex eâ mutuati sunt. Denique sextum Concilium, quod Constantinopoli sub Iustiniano eius nominis secundo Imperatore in palatio regali, quod nominatur Trullus, celebratum est, dicit; illam à Iacobo Apostolo scriptam fuisse, atque ex eâ hæreticos refellit, vti liquet ex trigesimo secundo Canone illius Concilij. Quin etiam ipsa Liturgia innuit Iacobum esse auctorem. In illa enim, vbi iam conficienda est Eucharistia, habentur hæc verba: *Eâ nocte quâ tradebatur, vel potiùs seipsum tradebat* (Iesus Christus) *pro vitâ & salute mundi, accipiens panem in sanctas, immaculatas & inculpabiles manus suas, in cælum suspiciens, ac tibi Deo & Patri ostendens, gratias agens, sanctificans, frangens, dedit nobis discipulis suis & Apostolis, dicens, Accipite*, &c.

7. *Pro defunctis orationem probat Damascenus ex Patribus Græcis.* Porrò cùm hæc Liturgia Iacobi Apostoli clarissimè ostendat, orandum esse pro fidelibus defunctis, non fuerit intempestiuum hîc apponere nonnulla quæ beatus Ioannes Damascenus de hac traditione Apostolicâ scribit in Sermone quem de Defunctis edidit. Sic enim ibi loquitur: *Discipuli illi Saluatoris, & diuini Apostoli, qui ipsius Verbi spectatores fuerunt, totiusq́; mundi circulum viuum ceperunt, in tremendis atque impollutis & vitalibus mysterijs memoriam eorum, qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt.* Posteà in eodem Sermone citans beatum Ioannem Chrysostomũ, ait: *Ioannes ille, cui ab auro cognomen est (verè enim aurea verba loquitur) Non temerè, inquit, aut casu hæc à sapientissimis Dei discipulis sancita, atque Ecclesiæ ipsius tradita fuerunt, vt Sacerdos in tremendis Mysterijs preces fundat pro fidelibus defunctis.* Rursum in eodem Sermone Damascenus allegat diuum Gregorium Nyssenum his verbis: *Sapientissimus Gregorius Nyssenus ait: Non absque ratione & vtilitate à Christi prædicatoribus & discipulis traditum est, & in sanctâ Dei Ecclesiâ vbique vim legis obtinuit, sed res est modis omnibus vtilis, Deoq́; inprimis grata, videlicet memoriam eorum, qui in rectâ fide dormierunt, facere in diuinâ illâ lumineq́; plenâ mystagogiâ.* Hæc ex Damasceno. Itaque hæretici æui nostri vel modò pudore affecti sileant, qui dicunt, consuetudinem orandi pro defunctis antiquam non esse, & Patres ac Christianos Ecclesiæ primitiuæ eam non tenuisse.

Ritus Missæ quos Iacobus Apostolus litteris commendauit, expressi quidem non sunt in Scripturis Canonicis; sed multa Apostoli à Deo edocti Ecclesiæ tradiderunt, quæ in Sacris litteris expresè posita nõ sunt. Euangelium certè dicit, diuinam adorandamque Eucharistiam (quæ & Sacramentum & Sacrificium est) à Christo institutam fuisse: at quo ritu ipsum Sacrificium peragi debeat, non dicit. Quòd autem Apostoli plurima, vel potiùs innumera Ecclesiæ tradiderint, quæ in diuinis litteris non sunt expressa, Lector plenissimè cognoscere poterit ex lectione huius Libelli siue farraginis. 8. *Sacra Scriptura non omnia credenda à nobis, in sese plenè & planè continet.* Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Neque mirum videri debet, quòd Apostoli multa docuerint, quæ Scripturis diuinis comprehensa non sunt; cùm beatus Ioannes in calce libri sui Euangelici testetur, Dominum Iesum multa fecisse, quæ in Euangelio scripta non fuerunt. Ait enim: *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Sicut autem plurima fecit Iesus, de quibus Euangelia nihil narrant: ita proculdubiò multa sacratissimo ore suo protulit, quæ ibi nõ sunt adnotata. Sanè Paulus Apostolus affirmat ipsum Dominum Iesum dixisse hæc verba: *Beatius est magis dare, quàm accipere:* quæ tamen verba nusquam in libris Euangelicis legimus. Lucas etiam in initio libri Acta Apostolica continentis, refert, eumdem Christum Redemptorem nostrum post resurrectionem suam per dies quadraginta apparentem discipulis suis, locutum fuisse eis *de regno Dei*: hoc est, de beatitudine cælesti & statu atque gubernatione militantis Ecclesiæ. Atqui ex verbis, quæ tot dierum spatio locutus est, paucissima diuinis Scripturis sunt mandata. Credimus autem, Apostolos ea, quæ tunc ab ore Christi acceperant, tradidisse posteà illis, quos viuâ voce instituebãt. Eodem Actorum Apostolorum libro loquens Lucas de Paulo & Silâ ac Timotheo, ait: *Cùm pertrãsirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus qui erant Ierosolymis.* Sicut autem ciuitates illæ reuerenter susceperunt ea, quæ Ecclesia ipsis per Paulum & collegas eius proponebat; ita apud nos quoque omnia, quæ tradiderunt & statuerunt, vel dixerunt Apostoli, magnam auctoritatem habere debent, etiamsi in sacris & Canonicis libris non inueniantur expressa. Siquidem ipse Paulus scribens Thessalonicensibus, etiam traditiones non scriptas iubet seruari, his verbis: *Fratres, state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Et Christus 9. *Euidens est ex Scripturis, traditiones non scriptas concedi debere,* 1. *Ex Euangelio Ioannis.* Ioan. 21. 2. *Ex verbis Pauli.* Actor. 20. 3. *Ex Lucâ.* Actor. 1. 4. *Ex decretis Apostolicis.* Actor. 16. 5. *Ex monito Pauli.* 2. Thess. 2.

6. Ex Christi verbis. Math. 10. Christus omnibus Apostolis atque eorum successoribus dicit: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Quare ea quæ Apostoli & Ecclesia docent, pro verbo Dei habenda sunt: nec contemni vllo modo possunt, nisi ab his qui hostes Dei sunt.

10. *Auctoritas Ecclesiæ æqualis est auctoritati Apostolorum. 1. Tim. 3.* Auctoritas ipsius Ecclesiæ Catholicæ (quam Paulus columnam & firmamentum veritatis nuncupat) ingens est. Nam si credere debemus dictis Matthæi vel Ioannis qui membra sunt Ecclesiæ, quantò magis fides habenda est verbis & doctrinæ totius Ecclesiæ? Si item non ambigimus, Spiritum sanctum locutum fuisse per Apostolos; quomodo dubitare poterimus eum loqui per Ecclesiam, Apostolorum matrem? Itaque in his quæ Ecclesia approbat, & nobis suscipienda credendaq; proponit, non oportet anxiè requirere testimonium Scripturarum Canonicarum.

11. *Et vt ei nos submitteremus, noluit Deus omnia in Scripturis haberi.* Neque enim Deus voluit omnia in Scripturis apertè exprimi: vt disceremus humiliter subesse Ecclesiæ, & pateremur nos ab illâ instrui, nostrumque iudicium eius iudicio submitteremus. Satis nobis esse debet quòd ita docet & credit veritatis columna, videlicet Ecclesia Catholica atque Apostolica, quæ erroris expers est. Adeò vult Christus omnes obedire Ecclesiæ, vt in Euangelio dicat, *Matth. 18.* eum qui illam non audit, habendum esse pro Ethnico & publicano. Ipse eidem Ecclesiæ semper adest, eamque regit, *Matth. 28.* quemadmodum est pollicitus dicens: *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.*

12. *Ecclesia Romana est quam audire tenemur.* Neque alia quærenda est Ecclesia Apostolica, quam illa cui Romanus Summusque Pontifex loco Christi præsidet in terris. Hæc enim fidem atque doctrinam, quam à Christo & Apostolis Apostolorumque discipulis ac sanctis eorum successoribus accepit, in hodiernum vsque diem seruat integram. Eam verò fidem & doctrinam hic libellus non obscurè ostendit, conuincens mendacij hæreticos huius tempestatis, qui vt imperitis & incautis faciliùs imponant, dicunt se sic credere & docere, sicut Patres Deo chari in primitiuâ Ecclesiâ crediderunt atque docuerunt.

13. *S. Iacobus Sacramentum extremæ Vnctionis commendat fidelibus. Iacob. 5.* Sed quia hoc capite tractauimus potissimùm de Liturgiâ Iacobi Apostoli, adijciemus in calce etiam id quod idem Apostolus in Epistolâ suâ scribit de Sacramento extremæ Vnctionis, quod hæretici modò insolentissimâ temeritate abrogare volunt. Ait ergo: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hîc beatissimus Iacobus monet vt fiat, quod Christus circa fideles, qui periculosè ægrotant, faciendum instituit. Non quidquam suum statuit; sed illud nobis tradit, quod à Christo didicit. Diuus Innocentius, Pontifex Summus huius nominis primus, ad quem semel atque iterùm scripsit beatus Ioannes Chrysostomus, in fine Epistolæ suæ ad Decentium Eugubinum Episcopum datæ, meminit extremæ Vnctionis, & citat hunc locum Iacobi Apostoli. *Citatur ab Innocentio Papâ, & à S. Augustino.* Id ipsum facit sanctus Augustinus secundo libro de Visitatione infirmorum. Nimirum Ecclesia Catholica Sacramentum istud, quod ab initio accepit, fideliter retinet, & vsque ad consummationem sæculi retinebit, quantumcumque oblatrent inimici veritatis hæretici.

CAPVT II.

Ex scriptis sancti Martialis, & aliorum.

1. Martialis Apostolus Galliarum docet, Eucharistiam esse Sacrificium corporis Christi in altari pro salute nostrâ à Sacerdotibus oblatum.
2. Idem ex Iustino Martyre.
3. Sanctus Martialis consecrationem altaris & Basilicæ commemorat;
4. Item salutiferum signum Crucis:
5. Votum etiam virginitatis.
6. Docet, sanctas animas Deum videre ante finem sæculi.
7. Virginitatem & cælibatum præfert matrimonio.
8. Cælibatum docet Sacerdotum, quod etiam docent Canones Apostolorum;
9. Diuersos quoque gradus Ordinum sacrorum.
10. Recta fides de Trinitate à sancto Martiali.
11. Ecclesiam Dei semper prævalituram contra hæreticos, ostendit idem sanctus Martialis.
12. Sanctus Martialis interfuit Cœnæ vltimæ, comprehensioni, & ascensioni Christi.
13. Dedicauit Virgini & Apostolis Ecclesias cum cereis, lampadibus, vasisque aureis & argenteis.
14. Purgatorium ostenditur.

BEATVS Martialis Domini nostri Iesu Christi discipulus, qui cum Apostolis etiam ante passionem Dominicam conuersatus est, ac posteà à sanctissimo Apostolorum Principe Petro in Gallias ad prædicandum Euangelium missus fuit, in Epistolâ quam ad Burdegalenses scripsit, ita de Sacerdotibus & sacrâ Eucharistiâ loquitur: *Honorabatis sacerdotes qui decipiebãt vos sacrificijs suis, quæ mutis & surdis statuis offerebant, quæ nec se nec vos iuuare poterant. Nunc autem multò magis Sacerdotes Dei omnipotentis, qui vitam vobis tribuunt in calice & vino* 1. *S. Martialis Eucharistiam docet esse sacrificium verum Corporis & Sanguinis Christi. Cap. 3.*

viuo pane, honorare debetis. Et paulò pòſt de Euchariſtiæ Sacrificio, hoc eſt de Miſsâ, ſcribit hæc verba: *Sacrificium Deo creatori offertur in arâ, non homini neque Angelo.* Malach. 1. Moxq́ue ſubiungit: *Vbique offertur Deo oblatio munda, ſicut teſtatus eſt: cuius Corpus & Sanguinem in vitam æternam offerimus.* Rurſumq́ue ait: *Ipſe* (Chriſtus) *corpus habens immaculatum & ſine peccato (quia conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Mariâ virgine) in arâ crucis ipſum permiſit immolari. Quod autem Iudæi per inuidiam immolauerunt, putantes ſe nomen eius à terrâ abolere, nos causâ ſalutis noſtræ in arâ ſanctificatâ proponimus: ſcientes hoc ſolo remedio nobis vitam præſtandam, & mortem effugandam. Hæc enim ipſe Dominus noſter iuſsit nos agere in ſui commemorationem.* Attendant & expendant iſta hæretici, qui de Sacerdotio & Euchariſtiâ, Miſſæque Sacrificio malè ſentiunt. Diſcant & hinc, Chriſtum inſtituiſſe diuinum illud Sacrificium, iuſſiſſeq́ue diſcipulis ſuis vt ipſum offerrent in ſui commemorationem.

2. *Confirmatur idem ex S. Iuſtino Martyre.* Sanè Iuſtinus Philoſophus & Martyr, qui tam vicinus Apoſtolis fuit, vt Ioannem Euangeliſtam vidiſſe potuerit, in libro quodam & Dialogo à ſe edito, diſputans cum Tryphone Iudæo, affirmat cum Martiale, iſtud Euchariſtiæ Sacrificium eſſe mundam illam oblationem, de quâ Deus per Malachiam Prophetam Sacerdotibus Iudæorum Malach. 1. locutus eſt ita: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtrâ. Ab ortu enim ſolis vſque ad Occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

3. *Teſtimoniũ S. Martialis de conſecratione Baſilicæ & altaris.* De conſecratione altaris ac Baſilicæ ſancti Stephani, ipſe Martialis eodem loco ait: *Dum altaria dæmonum in puluerem redigerentur, aram ignoti Dei ad conſecrationem reſeruari iuſsimus: quâ dedicatâ in nomine Domini Dei Iſrael, & ipſius* * *teſtis Stephani,* Actor. 7. *qui pro eo à Iudæis paſſus eſt, non hominis cultum, ſed Dei in eâ frequentatis.* Hæc ibi. Ecce aram in nomine Dei & Martyris eius Stephani conſecratam. Sed modò conſecrationem templorum atque altarium irri-Leuit. 8. dent hæretici. Atqui in veteri Teſtamento, quod vmbram futurorum continebat, legimus Moyſen iuſſu Dei conſecraſſe tabernaculum teſtimonij, & altare.

* Ex Græco Martyr teſtis dicitur.

4. *Lignum Crucis ſalutiferum idem ſãctus Martialis prædicat.* Ipſi hæretici traditiones Apoſtolicas, atque adeò ipſum Crucis ſignum, quod Dei Eccleſia Sacramentis rebuſq́ue conſecrandis tam diligenter adhibet, & quo fideles omnes ſeſe aſſiduè munire debent, deſpiciunt. Ceterùm de hoc ſalutifero ſigno Martialis in eadem Epiſtolâ ſcribit in hæc verba: *Crucem Domini, in quem credidiſtis* Cap. 8. *Deum verum & Dei Filium, ſemper in mente, in ore, in ſigno tenete. Crux enim Domini armatura veſtra inuicta contra ſatanam, galea cuſtodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & angelicas inſidias peruerſæ poteſtatis ſibi propinquare nullo modo ſinens. Hoc ſolo ſigno cæleſtis victoria data eſt nobis, & per Crucem Baptiſma ſanctificatum eſt.*

Idem Martialis in Epiſtolâ ad Toloſanos 5. *Votum virginitatis emiſit ſancta Valeria S. Martiali inducente.* teſtatur, ſe ſuâ cohortatione effeciſſe, vt ſancta Valeria virginitatem Deo voueret: ſed carnales hæretici huius temporis votum caſtitatis impudentiſſimâ garrulitate vituperant. Vt autem Lector faciliùs intelligat Cap. 8. verba Martialis, quæ à nobis ſubiungentur, hiſtoriam breuiter enarrabimus. Ipſa nobilis virgo Valeria, ſponſa erat Stephani Principis Galliæ Aquitanicæ. Quam cùm ille vrgeret ad celebrandum nuptias, & videret in propoſito virginitatis animum obfirmaſſe, iratus iuſſit eam capite plecti. Paulò pòſt tamen Chriſtianam fidem ſuſcepit, & baptizatus cælibem vitam egit. Nam cùm vidiſſet, ſatellitem ſuum ſiue ſpiculatorem, qui Valeriæ caput amputauerat (eum Martialis Tyrannum appellat) ſubitò coram ſe expiraſſe, vehementer exterritus, aduocauit beatum Martialem. Qui cùm adueniſſet, & ſpiculatorem mortuum ad vitam in nomine Domini Ieſu reuocaſſet, Stephanus in Chriſtum credidit cum ſuis ſatrapis. Ait ergo Martialis: *Stephanus, qui iam cognouit veritatem Dei creatoris ſui, & baptizatus eſt à me cum tyrannis & ſatellitibus ſuis, in gratiâ Dei quotidie creſcit, noua proles germinis viui, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus vſque in finem ſæculi, per eos quos nouit & prædeſtinauit, ſibi multiplicabit ſecundùm diuitias gratiæ ſuæ. In cuius nomine, ſicut multi veſtrûm viderunt, tyrannum eius reſuſcitaui à mortuis, qui & ipſe cum ſatrapis baptizatus, à morte duplici ſubtractus eſt. Virgo autem Valeria, ſponſa Regis terreſtris, ſed meliùs ſponſa Regis cæleſtis, quæ per meam prædicationem virginitatem mentis & corporis Deo deuouerat, gladio decollata, dum vitam temporalem contempſit, æternam inuenit: & temporalem mortem pro Chriſto ſuſcipere non recuſans, æternam mortem deuicit. Hæc enim per operationem meam Spiritu ſancto repleta, magna effecta eſt in gratiâ Dei. Et ideò prudens virgo ad cæleſtia regna peruenit, & diabolum triumphauit.* Hæc Martialis de ſanctiſſimâ virgine Valeriâ.

Nonnulli hæretici etiam nunc dicunt, 6. Sanctos ante iudicij ac reſurrectionis diem *Animæ beatæ vi-* non

dent Deum ante diem iudicij, ex dictu sancti Martialis.

non ingredi cælum, & Deum non videre: sed eos confutat ipse Martialis, dum asserit beatam Valeriam peruenisse ad *regna cælestia*. Confutat illos & Paulus Apostolus, dum ait: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Profectò fieri non potest, vt is qui peruenit ad regnum cæleste, & cum Christo est, Deum non intueatur, cùm omnes qui in cælo sunt, Deum videant sicuti est. Iam olim Ecclesia Catholica clarâ voce * pronuntiauit, sanctas perfectasque animas statim post mortem corporis recipi in cælum, ac beatâ Dei visione perfrui.

Philip.1.

1.Ioan.3.

*In Concilio Florentino, anno 1439. quæstione de igne Purgatorio.

7. *Virginitas & cælibatus matrimonio præponitur, teste eodem.*

Rursum eodem loco Martialis loquitur de Stephano Principe hoc modo: *Sponsus virginis* (Valeriæ) *adeò est effectus testis passionum Christi, vt in corpore suo cælestem conuersationem iam præbeat subditis, desideria carnis suæ crucifigens, & regnum diaboli comminuens. Nec solùm Christo, cui credidit, Ecclesias per suum regnum, secundùm quod Spiritui sancto & nobis visum est, disponere & fabricare gaudet; sed antiqua templa dæmoniorum, ac spurcissima fana idolorum destruens, perfectus in fide videtur. Ipsius enim iussu idola Cadurci oppidi & Tolosana vrbis, & confinij eius, iam nuper diruta sunt. Cui etiam obedire debetis in omnibus, quia Princeps à Deo vobis est constitutus, à quo omnis potestas & paternitas in cælis & in terrâ originem & fortitudinem sumpsit. Quem Principem bonum ad hoc tantum munus perduxit germen nouellæ fidei, per quam nouus homo factus, nouo homini coniunctus est: vt pro suauitate quoque præmij futuri illectus, copulam carnalium nuptiarum deuitauerit per meam prædicationem, quatenus liberior Deo famulari possit, & multas cateruas populorum subdere fonti regenerationis. Nec ideò tamen prohibemus nubere legitimo connubio: cùm & hoc coniugium honestum concessum sit, & constitutum à Deo ab initio mundi in multiplicatione generis humani.* Atque infrà Martialis addit: *Vltra hunc gradum homini licitè concessum, viduitatem in præmio maiori constituit. Sed & tertium excellentem gradum honestatis in virginitate demonstrauit nobis perfectum, & per omnia similem Angelicæ dignitati.* Hæc ibi. Paulus etiam Apostolus apertè præfert virginitatem coniugio, dicens: *Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Ac rursum: *Qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, meliùs facit.* Hæc Paulus. Falsum igitur est, quod hæretici deblaterant, dicentes, virginitatem coniugio non præstare. O homines à recto iudicio alienissimos!

Rom.13.

Ephes.3.

1.Cor.7.

8. *Sacerdotes in primitiuâ Ecclesiâ cælibes fuisse, idem docet.*

Beatus Martialis, vir castissimus atque purissimus, laicum Principem ad seruandum cælibatum hortatus est: at hæretici & virgines Deo consecratas, & Monachos sincero Dei cultui addictos, nefandis matrimonijs nunc copulant. Qui vt faciliùs Sacerdotes Domini in sacrilegas nuptias & nassam perditionis pertrahant, aiunt, Presbyteros in primitiuâ Ecclesiâ inijsse connubia: sed hoc verum non est. Tunc quidem nonnulli, qui eximiâ probitate vel sanctitate præditi erant, etiamsi vxores haberent, promouebantur ad Sacerdotium, modò tam ipsi quàm vxores eorum digamiæ expertes essent: sed numquam sub nouâ Euangelicâque lege, is qui iam Sacerdos erat, permissus est vxorẽ ducere in Ecclesiâ Dei. Hinc Apostoli in Canonibus suis dicunt: *Innuptis, qui ad Clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiant, sed Lectores Cantoresq; tantummodò.* Et rursum: *Qui post Baptismum duabus implicitus fuit nuptijs, aut concubinam habuit, non potest esse Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex ordine Clericorum.* Itemque: *Qui viduam duxit, aut eiectam, aut meretricem, aut aliquã quæ publicis mancipata sit spectaculis, Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino de sacro Clericorum numero esse non potest.* Itidem Paulus Apostolus ostendens quisnam poterat Sacerdos fieri, ait: *Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir,* &c. De Episcopo quoque sic scribit: *Oportet Episcopum sine crimine esse, vnius vxoris virum.* Et de Diaconibus etiam dicit: *Diaconi sint vnius vxoris viri.* Hoc est, non sint digami.

Can.26.

Can.17.

Can.18.

Tit.1.

1.Tim.3.

9. *Gradus diuersi Ordinum sacrorũ ex prædictâ sancti Martialis sententiâ ostenduntur.*

Notent autem hîc hæretici nostræ tempestatis, qui gradus Ordinis sacri, deliramenta bardorum hominum esse iudicant, quàm seriò Apostoli *Episcopos*, & *Sacerdotes*, & *Diaconos*, & alios ministros Ecclesiæ exprimant. Nam cùm in veteri lege, quæ veritatis vmbram præferebat, Leuitæ & Sacerdotes, & Principes Sacerdotum fuerint, qui res sacras curarent tractarentque, & peculiare ministerium Deo impenderent: iustum profectò fuit, vt in nouâ Euangelicâque lege, quæ diuinum Eucharistiæ Sacramentum atque Sacrificium nobis exhibet, gradus illi Ordinis sacri haberentur. Enimuerò Sacerdotium secundùm ordinem Aaron figura erat Sacerdotij Christi quod est secundùm ordinem Melchisedech: & qui funguntur hoc noui Testamenti Sacerdotio,

Psal.109.

tio, sub specie panis & vini offerunt Deo verum Corpus Christi & Sanguinem. Planè Deus, qui varios spirituum Angelicorum ordines in cælo constituit, distinctos etiam Ecclesiasticæ functionis gradus in terrâ voluit esse, miram Hierarchiam vtrobique disponens. Videmus & in externâ Republicâ diuersos esse gradus eorum qui illam administrant, Deo ita ordinante.

10. *Sanctus Martialis de S. Trinitate et cõfessionē profert: Cap. 10.*

Quia verò intelleximus, quosdam etiam hisce temporibus nostris de Diuinitate mysterioque Trinitatis non rectè sentire, apponemus hîc nonnulla, quæ sanctus Martialis in ipsâ Epistolâ ad Burdegalenses de altissimo illo scribit mysterio. Ait igitur: *Sanè de mysterio Trinitatis, quam bonus & suauis Deus Rex Regum, per nostrã annuntiationem reuelare dignatus est vobis, scitote intelligentes, quia vltra omnem sensum Angelicarum potestatum & virtutum vera Diuinitas excellit, quam impossibile est etiam à spiritibus Angelicis comprehendi. Sola enim Trinitas in Diuinitate vnitatis seipsam nouit. Hæc enim ante sæcula in claritate suæ æternitatis permanebat, nihil in se diminutum, vel quod augeri posset, continens: sed vnius æternitatis, vnius voluntatis, vnius essentiæ, vnius sanctitatis, vnius puritatis, vltra omnem puritatem, vltra omnem gloriam, in charitate, in veritate, in bonitate habitauit.* Et paulò infrà: *Fratres scitote, quia Verbum in quod credidistis, Filius est, vnigenitus ante omnem substantiam, ante omne initium.* *De Verbo incarnato.* *Ipse est enim principium, quia de principio ineffabiliter genitus est. In nostro verò tempore mirabiliter ab Angelo annuntiatus, & in veritate incomprehensibili de virgine Mariâ natus est, nihil diminutus à Diuinitate maiestatis suæ: cuius nos testes sumus. Spiritus verò Dei, qui vos sanctificauit credentes in ipsum, qui Filium naturalem & sibi secundùm æternitatem coæqualem per omnia, resuscitauit tertiâ die à mortuis, non est genitus sicut Verbum: quia ipse Spiritus in diuinâ æqualitate gloriosus, processit ineffabiliter ab eo qui genuit, & ab eo quoque qui genitus est. Itaque Spiritus Domini non genitus, non factus, non creatus, sed procedens est à Patre & Verbo. Verbo autem* Psal. 32. *Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Itaque nihil discretum in Diuinitate Trinitatis sentiatis: quia nobis vnus & idem Deus, qui cuncta creauit, Pater; & vnus & idem Dominus, per quem omnia facta sunt, Filius eius Iesus Christus; & vnus idemq; Deus, Spiritus sanctus, in quo omnia subsistunt. Et hæc in personis tria diuisa, in Diuinitate vnus Deus indiuisus est.* Hæc ibi.

11. Ceterùm de hæresibus, deque firmitate Ecclesiæ Catholicæ & hæreticis, beatus Martialis mox posteà in eadem Epistolâ loquitur ita: *In nouissimis temporibus (videlicet quando in cælo cum Christo, quem Deum & hominem in terrâ adorauimus, erimus soluti à corpore, venturi verò post nos in hac terrenâ pugnâ conuersabuntur) oportet multos discedere retrò: dum Deum, qui illos creauit & vocauit, abnegare non timebunt. Et inimicus, qui nunc à cordibus vestris proiectus est, venturus est vt superseminet in populo Dei grana errorum. Sed firma Ecclesia Dei & Christi nec cadere, nec disrumpi poterit vmquam. Venient autem præsumptores absque gratiâ Dei loquentes, quorum gloria labiorum procedit ex superbiâ: similes illi, qui superbiâ cælum præsumens habitare, mox de cælo cum angelis suis sequacibus ruit in æternam voraginem. Hi docebunt aliam doctrinam, quæ aliena est à Deo, amica autem diabolo: per quam ipse spiritus erroris animas post se trahere festinabit.* *Quid Ecclesia Dei prævalitura sit contra hæresibus, docet idem Martialis. Cap. 11.* *Matth. 15.*

Iste beatissimus Martialis, qui in cœnâ nouissimâ & institutione sacræ Eucharistiæ præsens fuerat, euidenter ostendit se etiam adfuisse, cùm Christus in horto comprehenderetur; ait enim in Epistolâ ad Tolosanos: *Discipulo suo, à quo tradendum se nouerat, dulcedine suæ bonitatis (nobis trementibus & intuentibus sæuitiam eorum qui eum comprehendere venerant) osculum dedit. Qui autem eum tradidit, condiscipulus nobis erat*, &c. Et suprà in eadem Epistolâ scribit hunc in modum: *Vobis iam notum feci, & iterùm vobis notum facio, quòd Christus, postquam resurrexit de sepulchro, conuersatus est nobiscum per dies quadraginta, & conuesci nobiscum non est dedignatus*, &c. In initio quoque Epistolæ ad Burdegalenses scriptæ loquitur ita: *Resurrexit ante lucem die tertiâ de loco in quo eum sepeliri vidimus, & apparuit nobis, & lætificauit nos: testes enim sumus, quia eum ascendere in cælum vidimus.* 12. *S. Martialem vltimæ cœnæ interfuisse, & comprehensioni ac ascensioni Domini. Cap. 13.* *Cap. 3.* *Cap. 2.*

Porrò, istæ duæ præcellentes & verè Apostolicæ sancti Martialis Epistolæ ad Burdegalenses & Tolosanos, fuerunt Dei beneficio tandem post multa sæcula inuentæ Lemouicis, in Basilicâ sancti Petri Apostoli, (ibi enim sepultus fuit ipse Martialis) in arcâ saxeâ sub terrâ. *Inuentio Epistolarũ S. Martialis.*

13. Idem Martialis Euangelium in Gallijs prædicans, cùm cognouisset Petrum & Paulum Apostolos Romæ martyrio vitam hanc finiuisse, Basilicam iam à nobis commemoratam in vrbe Lemouicâ extruendam curauerat: altare laminis aureis inuestiuerat: lucernas ac lampades, quæ ante altare collucerent, ex auro purissimo posuerat: Crucem, thuribulum, & candelabra aurea *B. Virgini, & SS. Petro & Paulo Basilicam dedicauit idem Martialis.* *Cerei, lampades, vasa aurea & argentea in Ecclesijs.*

rea fieri præceperat: demumque ipsam Basilicam in honorem omnipotentis Dei ac beati Petri Apostoli, præsente Stephano Principe, solemniter consecrauerat, vt historiæ veridicæ tradunt. Dedicauit & alias Basilicas Saluatori Christo, ac beatę Marię virgini Deiparæ, sanctoque Andreæ Apostolo. Notent hîc hæretici, etiam in primitiuâ Ecclesiâ varium Basilicarum ornatum, & cereos vel lampades fuisse in vsu. Hæc & Apostolici Canones testantur, in quibus
Can. 73. ita scriptum est: *Vas aureum & argenteum sanctificatum, aut velamen linteúmve nemo ampliùs in vsus suos assumat: id enim iniquum est.* Et suprà: *Si Clericus aut laicus ceram*
Can. 71. *vel oleum ex sanctâ surripuerit Ecclesiâ, excommunicetur.* Ac rursum in initio ipso-
Can. 1. rum Canonum: *Licitum non est aliud quidpiam admouere ad altare, quàm oleum in luminaria, & incensum tempore sanctæ oblationis.* Hæc ibi. Nihil verò mirum, quòd sub nouâ lege in ædibus sacris, vbi Corpus Christi conficitur, sumitur, asseruaturque, & diuina Maiestas sanctissimè colitur atque ado-
Exod. 37. Leuit. 6. Exod. 36. & 39. ratur, talia habeantur: cùm sub lege veteri & candelabrum, & lucernæ, & perpetuus ignis, & aurea vasa, & diuersa ornamenta in domo Dei posita fuerint.

14. *Assertio Purgatorij.* Istud quoque, quod dicturi sumus, in historijs fide dignis adnotatum est. Cùm Stephanus Galliarum Princeps à Nerone euocatus venisset in Italiã, ac deinde rebus ritè gestis, & diuinissimo Petro Apostolo Romæ salutato, iam reuersus esset in Gallias, vnus è militibus eius Christianis, nomine Heribertus, Arcadij illustris viri filius, lauans se in flumine, subitò submersus atque exstinctus est. Qui die subsequenti à beato Martiale Apostolo, rogatu Stephani & Arcadij, reuocatus ad vitam, testatus est palàm esse Purgatorium, in quo animæ fidelium, quorum peccata in hac vitâ plenè remissa atque deleta non fuerint, ad certum tempus detinentur. Id enim anima eius à corpore separata certò didicerat. Atque eam ob rem posteà sæculari militiâ relictâ, sanctum Martialem secutus est. Plerique
Fundamentum Purgatorij tam ex Patribus quàm ex Scripturis. hæretici æui nostri dicunt, Purgatorium nihil aliud esse quàm vanum hominum somnium atque commentum: at nos etiam ex diuinis Scripturis eos confutare possumus, ostendereque quòd verè sit Purgatorium. Certè Christus asserens in Euangelio, ver-
Math. 12. bum dictum in Spiritum sanctum non remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro: apertè indicat aliquas culpas remitti post hanc vitam in alio sæculo. Vnde in ipsis sa-
2. Mach. 12. cris Litteris legimus, quòd *sancta & salubris sit cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Illæ autem animæ defunctorum, quæ adhuc aliquid remittendum vel purgandum habent, & pro quibus oramus, neque in cælo sunt, neque in inferno. Nam si in cælo essent, orationibus fidelium non indigerent: si verò essent in inferno, orationibus iuuari non possent. Quare omnino fateri cogimur, esse Purgatorium in quo retinentur. Etiamsi expressis sacrarum *Maximè ex Ecclesiæ auctoritate.* Scripturarum verbis Purgatorium comprobari non posset; quia tamen Ecclesia (quæ veritatis columna est) credit esse Purgatorium, nos nihil de eâ re dubitare debemus.

CAPVT III.

Ex scriptis S. Abdiæ & aliorum.

1. *Abdias Missæ Sacrificium agnoscit, & sacrum velamen virginum Deo consecratarum.*
2. *Basilicas item in honorem Sanctorum Deo dedicatas & solemniter consecratas.*
3. *Mariam virginem omnium primam votum perpetuæ virginitatis emisisse.*
4. *Ieiunium satisfactionis & pœnitentiæ causâ iniunctum. Ieiunium naturale præmittendum Communioni.*
5. *Miracula ad Sanctorum sepulchra & memorias verè fieri solita.*
6. *Venerationem item, mirificamque virtutem Reliquiarum sacrarum, & apparitiones defunctorum.*
7. *Essentiale præmium beatitudinis conferri animabus ante diem resurrectionis.*
8. *Templa non ad solam verbi prædicationem, sed ad officium etiam diuinum, & Sacrificium, & Sanctorum cultum erecta fuisse, & ibi festa celebrata.*
9. *Pretiosissima reconditoria sanctarum Reliquiarum.*
10. *Abdias hic Christum vidit adhuc in carne mortalem.*
11. *S. Andreæ Apostoli præclarum testimonium de Sacrificio quotidiano altaris.*

ABDIAS, Simonis & Iudę Apostolorum discipulus, edidit historiam Apostoli- 1. *Ex Abdiâ Sacrificium Missæ & velamen virginum.*
cam, quam Iulius Africanus vetustissimus Scriptor Latinam fecit, atque in decem libros digessit; asserens in Præfatione, ipsum Abdiam vidisse Saluatorem nostrũ Iesum Christum in carne. Hic igitur Abdias septimo libro, vbi explicuit, vti sanctus Matthæus Apostolus velamen capiti beatę Iphigeniæ virginis, compluriumque aliarum virginum, imposuit, & eas oratione ad Deum fusâ consecrauit, statim præclaram Liturgiæ Missæ (quam nunc insani fanaticique hæretici vehementer impugnant & execrantur) mentionem facit, dicens: *Cùm respondissent, Amen, & mysteria Domini celebrata ac Missam suscepisset omnis Ecclesia, retinuit se, vt iuxta altare, vbi Corpus ab eo* fue-

fuerat Christi confectum, illic martyrium Apostolicum exultaret. Itaque non multò post expansis manibus orantem, speculator, missus ab Hirtaco, à tergo punctum vnius gladij ictu feriens, Apostolum Martyrem Christi effecit.

2. *Ex eodem Ecclesiarum dedicatio in honorem Dei & Sanctorum.*

Paulò infrà Abdias ita loquitur: *Iphigenia sacratissima virgo Christi, quidquid in auro & argento ac gemmis habere potuerat, hoc totum Sacerdotibus contulit, & omni Clero, dicens: Postquam dignam Apostolo Christi fabricaueritis Ecclesiam, quidquid superfuerit, pauperibus erogabitis.* Et suprà narrat Abdias, ipsum Matthæum Apostolum reuocasse ad vitam mortuum Regis Æglippi & Reginæ Eupheniflæ filium: propter quod signum cùm multa ei dona offerrentur, iussit vt illis diuenditis, templum Domino Deo ædificaretur; quod & factum est. Scribit igitur Abdias hæc verba: *Et vocauit nomen templi Matthæus, Resurrectio, quoniam per resurrectionem occasio ædificationis extiterat. Sedit autem in Ecclesiâ illâ Matthæus annis viginti tribus, & constituit Presbyteros ac Diaconos, & per ciuitates ordinauit Episcopos, & multas construxit per loca diuersa Ecclesias.* Item in fine libri sexti loquens Abdias de Basilicâ quam Xerxes Rex beatis Apostolis Simoni & Iudæ statim post martyrium eorum exstruere cœperat, ait: *Facta est huius fabricæ ædificatio per annos tres continuos, & consummata die natalis Apostolorum, & die coronationis dedicata.* Quinto autem libro exponens, vti in Epheso Aristodemus, idolorum Pontifex, maximis miraculis permotus accesserit cum multis alijs ad Ioannem Euangelistam, atque ad pedes eius prociderit, loquitur in hunc modum: *Eos ille suscipiens, orationem cum gratiarum actione obtulit Deo, præcepitq; eis vnius hebdomadæ ieiunium: quo expleto, baptizauit eos in nomine Domini nostri Iesu Christi, Patrisq; eius omnipotentis, & illuminatoris Spiritus sancti. Qui cùm baptizati fuissent, fregerunt omnia simulacra, & fabricauerunt Basilicam in nomine sancti Ioannis, in quâ & ipse Ioannes assumptus est.* Discant hinc hæretici, templa Deo Sanctisque eius ritè dedicari, & Ecclesiæ Apostolicæ id facienti insultare atque oblatrare desinant.

3. *Deipara prima vouit virginitatē, vt asserit Abdias.*

Octauo eiusdem Abdiæ libro, Bartholomæus Apostolus instruens in fide Christianâ Polymium Regem, dicit, Mariam virginem Deiparam votum virginitatis Deo obtulisse. Ita enim ibi loquitur: *Hæc virgo* (Maria) *seruandæ virginitatis votum prima Deo omnipotenti vouit. Prima inter feminas hoc constituit in corde suo, vt diceret, Domine, offero tibi virginitatem meam; cùm hoc à nullo homine nec verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem inuitata constituisset, vt virgo pro amore Dei specialiter permaneret.* Hæretici hæc audientes erubescant; qui castitatis & continentiæ votum improbè suggillant. Nam & Iphigenia, aliæque virgines quæ à beato Matthæo velamen acceperunt, & consecratæ sunt (vt suprà dictum est) virginitatem suam Deo deuouerant.

Ceterùm tertio Abdiæ libro narratur vti Andreas Apostolus, dum Corinthi esset, orauerit Deum ac ieiunauerit pro conuersione & salute cuiusdam Nicolai senis, qui ad vltimam vsque ætatem suam libidini & scortationibus deditus fuerat: vbi verba ista legimus: *Vox de cælis delapsa est, dicens: Obtines, Andrea, pro sene. Sed sicut tu ieiunijs fatigatus es, ita & ipse studeat per ieiunium saluari. Et vocans eum, prædicauit ei Apostolus abstinentiam.* Et paulò pòst dicitur: *Nicolaus redijt ad domum suam, & omnia quæ habebat distribuit indigentibus. Ipse quoque multùm se excruciauit, ita vt per sex menses nihil aliud quàm aquam acciperet, & pane arido vesceretur. Igitur exactâ dignâ pœnitentiâ, haud ita multò pòst senex iste excessit è sæculo.* Hæc ibi. Itidem libro quinto habetur, quemadmodum Ioannes Apostolus iuuenem quemdam, qui post susceptum Baptisma princeps latronum factus fuerat, perquisierit, & inuentum ad salutarem cordis contritionem sanctasque lacrymas commouerit; atque ibi hæc verba sunt scripta: *Ad Ecclesiam eum reuocauit, & indesinenter pro eo orationes profundens, & cum ipso pariter ducens crebra ieiunia, indulgentiam à Domino expetebat.* Porrò sexto libro ista de Iacobo Apostolo (qui frater Domini dictus est) recitantur: *Vinum & siceram non bibit, sed neque animal manducauit.* Et infrà additur: *Iacebat super genua sua, orans pro populi indulgentiâ, ita vt orando callos faceret in genibus ad modum cameli, semper genua flectendo, nec vmquam ab oratione cessando.* Et libro septimo Matthæus Apostolus coram Hirtaco Rege concionem habens, inter alia dicit: *Diebus certis, siue Quadragesima, siue legitimorum ieiuniorum temporibus, ab esu carnium qui non abstinuerit, crimen incurrit. Neque verò manducare crimen est: sed incongruè manducare, peccatum est. Denique si aliquis priùs cibum carnalem accipiat, & posteà ipso die, quo iam cibo naturali refectus est, cibum spiritualem* (videlicet sacram Eucharistiam) *sumat, ex vtroque*

4. *Ieiunia imposita pœnitentibus idem tradit.*

Ieiunium naturale præmittendum Communioni.

que cibo reus criminis & inhonestatis & præsumptionis efficitur: non ideò quia manducauit, sed quia contra ordinem, & contra iustitiam, & contra regulam Dei, cibo carnali priùs refectus est. Hæc ibi. Quid ad hæc omnia dicent hæretici huius temporis, qui abstinentiam, ieiunia, pœnitentiæ laborem, atque orationis studium paruipendentes, fidem nescio quam bonis operibus minime exornatam sufficere asserunt, quique traditionibus Apostolicis, ac sanctis Ecclesiæ decretis superbè conculcatis, quouis tempore & quibuslibet diebus indiscriminatim carnibus vescuntur?

5. *Ad Sanctorum memorias seu sepulchra fieri miracula, idem docet.*

Libro quinto, postquam Abdias dixit Ioannem Apostolum sese viuum in sepulchro deposuisse, iussisseque vt operiretur à discipulis, addit hæc verba: *Protinus manna exiens de sepulchro apparuit cunctis, quam vsque hodie gignit locus iste: & fiunt virtutes, per orationes eius, frequentes. Hic ab omnibus infirmitatibus ægroti liberantur, & periculis eximuntur, & precum suarum quisque consequitur effectum.* Ex quibus verbis beati Abdiæ liquet, quàm delirent & infamiant hæretici, dicentes, Sanctos hac vitâ defunctos nihil posse, ob idque à fidelibus inuocandos non esse. Rursum ipse Abdias in fine decimi libri, loquens de corpore beati Philippi Apostoli iam defuncti, ait: *In ciuitate Hierapoli positum est sanctum corpus eius: in cuius tumulo post aliquantos annos duæ sacræ virgines filiæ eius, dextrâ leuâque sepultæ sunt. Vbi præstantur beneficia Dei, orante Apostolo, omnibus qui credunt,* &c. Etiam hinc probamus Sanctos post mortem suis orationibus nobis impetrare beneficia.

6. *Mirifica virtus Reliquiarum sanctarum ex Abdiâ.*

Idem Abdias in calce noni libri, postquam descripsit mortem beati Thomæ Apostoli, hæc verba de Mesdeo Rege subijcit: *Cùm Mesdei filius correptus esset à dæmonio, nec quisquam, qui eum sanaret, posset inueniri, successit huiusmodi Mesdeo sententia, vt diceret: Vado & aperio sepulchrum, & tollens ossa de corpore Apostoli, suspendam filio meo, & curabitur. Ascendebat igitur secundùm cogitationes suas Mesdeus ad montem: & reuelauit ei se Thomas, dicens: In viuentes non credidisti, & in mortuos credis? Sed ne timeas; miserebitur & tui Dominus Iesus, & exhibebit tibi viscera misericordiæ suæ, propter bonitatem suam. Verùm vbi ascendit Mesdeus, reserato sepulchro, ossa inuenire non potuit: quia iam pridem Reliquias sanctas quidam de fratribus rapuerant, & in vrbe Edessâ sepelierant. Ea tamen quæcumque Rex in sepulchro reperit humi vel stercoris, supra quæ iacuerant Reliquiæ Apostoli, auferens Mesdeus, & alligans filio suo, ait: Credo tibi Christe nunc, quia recessit à me ille qui hominum turbat affectus, ne ad te videndū summâ properatione contendam. Itaque vbi suspendit illa puero, statim sanatus est ex illâ horâ: & factum est gaudium magnum inter fratres super conuersione Regis ad Regem cælestem Christum Iesum Dominum nostrum.* Notanda sunt quæ hîc dicuntur de sacris Sanctorum Reliquijs, quas hæretici nunc nihili pendunt, & nullâ veneratione à fidelibus prosequendas esse garriunt. Notandum etiam, quòd Apostolus iam defunctus apparuerit Mesdeo Regi: nam hæretici huius temporis non credunt fieri huiusmodi apparitiones defunctorum, cùm tamen Euangelium apertè asserat, Moysen apparuisse Apostolis quando Christus transfiguratus est. *Apparitio defunctorum.* *Math 17.*

7. *Beatitudo animarum ante diem iudicij, teste Abdiâ.*

Paulò suprà scribens Abdias, vt ipse Thomas Apostolus fuerit sepulturæ datus, ait: *Eum cum lacrymis sepelierunt fratres in sepulchro Regio, in quo Reges priores sepulti sunt, pretiosis & plurimis amictum odoribus atque indumentis. Apparuit autem confestim Siforo & Zazani, qui recusabant in vrbem ire, & totâ die ad sepulchrum sedebant: atque illis dixit: Quid sedetis custodientes me? Ascendi, & recepi omnia quæ speraui.* Hæc ibi. Si Thomas receperat ea quæ sperauerat, vtique in cælo erat, & Deum videbat, quod plerique hæretici huius temporis negant alicui Sancto obtingere ante resurrectionis ac iudicij diem.

8. *Festa Sanctorū agnoscit Abdias, & templa ad sacrificium erecta.*

Libro septimo Abdias, enarratâ nece beati Matthæi Apostoli, scribit, Presbyteros, Diaconos, & alios Clericos cum discipulis sancti Apostoli dixisse hæc verba: *Celebremus omnes cum gaudio martyrium Apostoli.* Vnde liquet, ritè celebrari natalitia ac festa Sanctorum. Nos hîc ponemus pauca quæ Simeon Metaphrastes de beato Ioanne Euangelistâ scribit. Postquam enim enarrauit, vti ille dilectus Apostolus sese coram discipulis suis in sepulchrum effossum substrato pallio demisit, ac spiritum Deo reddidit, statim subiungit: *Hoc die, quo ista contigerunt, splendidus huic Theologo celebratur Ephesi conuentus ex omni genere & ætate, qui astrorum splendorem imitetur. Præterea in hoc sacro loco, ad quem hic cum pallio declinauit, minutus quidam puluis manat ac exoritur, cuiuis accedenti medelam ab omni morbo suppeditans. Cùm igitur in nocturnis laudibus festi ipsius, ab his qui in eo templo ministrant, tradatur cœtibus ad hoc congregatis, non exhauritur; sed quò ampliùs hauriunt, eò ampliùs manat.* Hæc ille. Notandum quòd dicit, *in nocturnis laudibus festi ipsius:* *S. Ioannis Euangelistæ sepulchrum.*

ipsius: neque enim templa ob hoc solùm erecta sunt, vt in eis verbum Dei prædicetur, & Sacramenta percipiantur (quod dicunt hæretici) sed ob id potissimùm, vt sanctum Missæ Sacrificium celebretur, & laudes Deo canantur, orationesque offerantur: quemadmodum ipse testatur dicens: Matth. 21. *Domus mea, domus orationis vocabitur.*

9. *Honor habitus sacris Reliquiis, vt narrat Abdias.* In fine sexti libri Abdias ista verba de sacris Apostolorum Simonis & Iudæ corporibus ac Reliquijs ponit: *Post tres menses misit Rex Xerxes nuntios in ciuitatem Senayr, qui corpora sanctorum Apostolorum ad suam transferrent ciuitatem, in quâ extruere cæpit Basilicam. In medio autem sarcophagum, corpora sanctorum Apostolorum portantem, ex argento puro instituit*, &c. Huiusmodi pietatem laudandam nunc damnant stolidi hæretici. *Varia exempla pro cultu Reliquiarum sanctarum.* Beatus Cornelius Summus Pontifex & Martyr, corpora Apostolorum Petri & Pauli rogatu Lucinæ, nobilissimæ Deoque deditæ matronæ, leuauit è terrâ, & in sacris congruisque locis honorificè posuit, vt ipse scripto testatus est. Simeon Metaphrastes scribens de corporibus sanctorum Apostolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei, loquitur ita: *Iustinianus assumptis Imperij sceptris, hæc sacra Apostolorum corpora thecâ argenteâ concludens, circa altare vehementi Dei amore reponit, nempe pretiosa in pretioso conditorio. Porrò communi Apostolorum nomine, templum appellatur. Ad quod sanè omnes qui conueniunt, sanctificationem participantes, spirituali implentur gaudio.* Hæc ibi. Ecclesia Catholica, ab Apostolis eorumque successoribus edocta, atque à Spiritu sancto illuminata, Sanctos qui iam regnant in cælis cum Christo, eique perfectè vniti sunt, piè ac studiosè veneratur & inuocat, eosque cohonestat festis, laudibus, templis, imaginibus, cereis, lampadibus, & alijs quibus potest modis, atque eorum sacras Reliquias exosculatur, argentoque & auro exornat, sciens id Deo gratissimum esse. Nam honor Sanctis exhibitus, exhibetur proculdubiò ei qui illos sanctificauit. Vnde & Christus eis dicit: Matth. 10. *Qui recipit vos, me recipit.* Item alio loco, quanti Sanctos faciat, ostendit his verbis: Ioan. 12. *Vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Ac rursum: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Ecclesia igitur cum Prophetâ Regio læta decantat: Psal. 138. *Mihi nimis honorificati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum.*

10. *Ætas Abdiæ. Vidit Christum.* Diximus suprà, Iulium Africanum affirmare, quòd Abdias viderit Christum: hoc ipsum expressum est etiam in sexto libro, Vitam Simonis & Iudæ Apostolorum complectente. ibi enim habentur hæc verba: *Videntes, omnes infirmitates verbo curari, cæcos illuminari, mortuos etiam suscitari in nomine Domini Iesu Christi, vniuersi populi crediderunt, destruentes templa, & Ecclesias extruentes. Ordinauêre autem Apostoli in ciuitate Babylonis Episcopum nomine Abdiam, qui cum ipsis venerat à Iudæâ, qui & ipse viderat oculis suis Dominum. Et repleta est ciuitas Ecclesiis.* Hæc ibi. Quia verò nonnulla ex ijs, quæ in historiâ Apostolicâ posita sunt, videntur desumpta ex Egesippo vel alijs, qui Abdiâ posteriores fuerunt: verisimile est, Iulium Africanum non ex solo Abdiâ decem libros illius historiæ collegisse. Credimus tamen, maiorem eiusdem historiæ partem ex scriptis Abdiæ (qui & ipse ex aliorum libellis pleraque mutuatus erat) depromptam esse. Sed etsi ea, quæ narrat Africanus, non fuissent priùs scripta ab Abdiâ, ne sic quidem paruipendi deberent, cùm idem Africanus sit auctor fide dignus, & peruetustus: nam vixit eo tempore quo florebat Origenes, vt Historici Ecclesiastici referunt.

Pium esse iudicamus hîc adiungere sanctissima aliquot verba, quæ Presbyteri & Diaconi Achaiæ narrant Andream Apostolum de Missæ Sacrificio & Eucharistiâ (antequam ad supplicij locum duceretur) dixisse. Illi enim eius passionem, quam coràm positi viderant, scripserunt. Cùm igitur Proconsul Ægeas beatissimo Andreæ persuadere niteretur, vt dijs sacrificaret, respondit Andreas: *Omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, ego omni die sacrifico. Non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum quotidie in altari crucis sacrifico, cuius Carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit, & eius Sanguinem biberit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus. Et cùm verè sacrificatus sit, & verè Carnes eius manducatæ sint à populo, & verè Sanguis eius sit haustus, tamen (vt dixi) integer permanet, & immaculatus & viuus.* Hæc sancti Andreæ verba prorsus dissipant omnes blasphemias, quibus hæretici huius tempestatis sacram Eucharistiam diuinumque Missæ Sacrificium impetunt. 11. *S. Apostoli Andreæ irrefragabile testimonium de Sacrificio Eucharistico.* Sanctus item Marcellus Petri Apostoli discipulus & Martyr Christi, describens Vitam beatissimæ virginis Petronillæ, ipsius Petri Apostolorum Principis filiæ, quam Flaccus quidam Romanus Consul, ob incredibilem eius pulchritudinem, cupiebat sibi vxorem adiungere, sed illa mori potiùs, quàm homini mortali nubere optabat, hæc inter alia dicit: *Et S. Marcelli.* *Accepto trium dierum spatio, virgo*

virgo sancta ieiunijs & orationibus occupabatur, habens sanctam virginem Feliculam collactaneam suam secum. Tertio itaque die veniens ad eam sanctus Nicomedes Presbyter, celebrauit mysteria Christi (hoc est, Missam diuinissimam) *Virgo autem sacratissima mox vt Corporis Christi Sacramentum accepit, reclinans se in lectulo, emisit spiritum.*

CAPVT IV.

Ex scriptis S. Dionysij Areopagitæ, & aliorum.

1. S. Dionysius describit cerimonias sacras à beatis Apostolis traditas;
2. Ritus item solemnes Sacrificij altaris seu Missæ;
3. Sacramenti etiam Confirmationis, & Consecrationis altarium;
4. Item consecrationem Sacramentalem ministrorum Ecclesiasticorum;
5. Monachorum quoque benedictionem, & per solemnes ritus velut inter res sacras assumptionem;
6. Solemnes præterea sepulturæ ritus, cum officio ac Sacrificio & oratione pro defunctis;
7. Baptismi etiam paruulorum traditionem.
8. S. Dionysium vidisse Apostolos, & esse illum ipsum, cuius meminit Lucas in Actis.
9 Eius martyrium in Gallijs, veneratio & miracula ad Reliquias eius facta notantur.

1. *Agnoscit cerimonias partim scripto partim traditione acceptas hac scribens S. Dionysius.* DIONYSIVS Areopagita, B. Pauli Apostoli discipulus, Martyrque inclytus, quem ipse Paulus ad Christianam fidem conuertit (vti Lucas in Actis Apostolorum testatur) in libro de Ecclesiasticâ Hierarchiâ ad Timotheum scripto, luculentissimè explicat venerabiles ritus, qui ex Apostolorum traditione illis temporibus obseruabantur in Ecclesiasticis ac sacris rebus. *Cap. 17.* In cuius libri initio ita de Apostolis, primis ducibus Sacerdotalis functionis, scribit: *Cap. 1.* *Primi illi Sacerdotalis muneris duces, cùm ex summâ supersubstantialiq́ Deitate sancti muneris plenitudinem percepissent, & idipsum deinceps proferre & propagare à diuinâ bonitate missi essent, ipsiq́ (vt qui transissent in Deum) posteros ad diuina prouehere affatim cuperent, visibilibus signis cælestia Sacramenta texerant.* Ac paulò pòst: *Summa illa & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt.* Et infrà alloquitur Timotheum his verbis: *Eminentissimam Pontificalis muneris rationem nemini tradas, præterquam æqualibus tuis, reuerendissimis Præsulibus, qui sacra tractant ac perficiunt.* Hæc Dionysius. At hæretici nunc præcellentissimum munus Pontificum & Ordinem sacerdotalem contemnunt atque conculcant. Quapropter ipsi quidem videntur esse canes & porci illi, quos Christus in Euangelio designauit, dicens: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis.* *Math. 7.*

2. *Solemnes item ritus Missæ.* *Cap. 2. & 3.* Postquam Dionysius in eodem libro pulcherrimè exposuit ritus sanctissimi Baptismatis, tractat de ritibus conficiendæ Eucharistiæ; id est, de ritibus illius cælestis Sacrificij, in quo Sacerdos iuxta institutionem Christi proferens hæc verba, *Hoc est Corpus meum, Hic est calix Sanguinis mei*, &c. *Math. 26.* ipsam sacrosanctam & augustissimam Eucharistiam conficit. Loquitur ergo Dionysius in hunc modum: *Operæ pretium est illam* (videlicet Eucharistiam) *exponere, & eius veluti corporalia lineamenta describere: tum verò vbi eam ex auctoritate Scripturæ Sacerdotaliq́ institutione didicerimus, ad illius contemplandam sacratissimam dignitatem diuino spiritu subuehi.* Et paucis interiectis addit: *Itaque Pontifex quidem, vbi orationem sanctam supra diuinum altare peregit, ex ipso incensum adolere inchoans, omnem fani ambitum circuit.* *Oratio ad altare, Thurificatio.* *Demum ad sanctum altare iterùm rediens, Psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus Ecclesiastici ordinis gradibus.* *Introitus ex Psalmis.* *Deinde ministrorum officiò lectio sanctarum Scripturarum suo ordine recitatur.* *Epistola & Euangelium.* *Porrò ministrorum alij quidem pro clausis templi foribus adstant, alij proprij aliquid muneris agunt.* *Assistentia ministrorũ.* *Qui verò ipsius ordinis præcipui sunt, vnà cum Sacerdotibus sanctum panem & benedictionis calicem sacrosanctis altaribus imponunt.* *Offertoriũ.* *Ad hæc venerandus Antistes orationem sanctissimam peragens, pacem sanctam omnibus nuntiat: & cùm se mutuò omnes salutauerint, mystica sanctorum recitatio fit.* *Salutationes & pacis precationes.* *Vbi verò manus tum Antistes, tùm Sacerdotes aquâ lauerunt,* *Ablutio.* *Pontifex ad medium diuini assistit altaris: circumstant autem soli cum Sacerdotibus electi quique ex ministrorum numero. At verò Pontifex cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima Mysteria conficit:* *Canon Missæ & Consecratio.* *& quæ antè laudauerat venerandis operta & abdita signis, in conspectum agit,* *Eleuatio.* *diuinaq́ munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum Communionem & ipse conuertitur, & reliquos vt communicent hortatur.* *Communio.* *Sumpta demum atque omnibus traditâ Communione gratias referens, finem mysterijs imponit.* *Missa est.* His verbis Dionysij euidenter confutantur hæretici temporis nostri, qui sanctissimum Missæ Sacrificium modis, quibus possunt, impugnant. Videmus certè ex hoc loco,

quàm magnificis præclarisque cærimonijs ipsa Liturgia seu Missa olim peragebatur, & Eucharistia consecrabatur ab Episcopo vel Sacerdote; neque enim aliquis alius eam conficere potest. Nemo autem consecratur Episcopus, nisi sit Sacerdos: & nullus est Sacerdos (vt idem Dionysius ait) nisi ab Episcopo ad id muneris promotus atque consecratus fuerit. Ipse Dionysius posteà luculenter exprimit, quid mysterio Eucharistico contineri credat, orans ita: *O diuinum penitus sanctumq́ mysterium, operimenta signorum tibi obducta dignanter aperiens, nobis palàm atque apertè lucesce, nostrosq́ spirituales oculos singulari claroq́ tuæ lucis fulgore imple.*

Cap. 5.

3. Vbi iam in eodem libro Dionysius disseruit de ritu quo Episcopus sanctum Chrisma siue vnguentum conficiebat atq; consecrabat; continuò addit hæc verba: *Eo vtitur ad omnem ferme Sacerdotalis officij functionem.* Et infrà: *Sacrosanctum mysterium* (Vnguenti) *quod nunc laudatur à nobis, eius ordinis atque virtutis est, vt Sacerdotalia cuncta perficiat. Atque ideò sancti præceptores nostri* (Apostoli) *istud quasi æquali ordine atque officio coniunxêre sacro Synaxeos* (siue Eucharistiæ) *mysterio.* Ac posteà: *Ei, qui sacratißimo regenerationis* (id est Baptismi) *mysterio consecratur, consummans, vnguenti inunctio aduentum Spiritus sancti largitur.* Et paulò pòst: *Hoc item sacratiùs aduerte, quòd sanctißimorum mysteriorum lex diuini altaris consecrationem castißimis infusionibus sacratißimi Vnguenti perficit.* Hæc ibi. Hæretici verò temporis nostri sacrum hoc Chrisma reijciunt, altarium ac Basilicarum consecrationi illudunt, omniaque in Ecclesiâ Dei sceleratissimè profanant. Certè in veteri lege nos hæc verba legimus: *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Sume tibi aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos, & cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta, casiæ autem quingentos siclos, in pondere sanctuarij, olei de oliuetis mensuram hin: faciesq́ vnctionis oleum sanctum, vnguentum compositum opere Vnguentarij, & vnges ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testamenti, mensamq́ cum vasis suis, candelabrum & vtensilia eius, altaria thymiamatis & holocausti, & vniuersam supellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet. Sanctificabisq́ omnia, & erunt sancta sanctorum: qui tetigerit ea, sanctificabitur. Aaron & filios eius vnges, sanctificabisq́ eos, vt sacerdotio fungantur mihi,* &c. Item alio loco: *Tulit Moyses vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili suâ. Cumq́ sanctificans aspersisset altare septem vicibus, vnxit illud, & omnia vasa eius, labrumq́ cum basi suâ sanctificauit oleo. Quod fundens super caput Aaron, vnxit eum, & consecrauit,* &c. Beatus Fabianus, decimus nonus Pontifex Romanus ac Martyr venerandus, in secundâ Epistolâ suâ quam scripsit ad omnes Episcopos Orientales, ita de Chrismate loquitur: *Dominus Iesus, postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit pedes eorum (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisq́ reliquerunt) Chrisma conficere docuit. Ipsa enim lauatio pedum nostrum sanctificat Baptismum, quando sancti Chrismatis vnctione perficitur & confirmatur,* &c.

Ad hæc Cõfirmationis Sacramentum, seu Chrismatis ad conferendum Spiritum sanctum.

Cap. 4.

Consecratio altarium per sacri olei inunctionem.

Exod. 30.

Leuit. 8.

Fabiani de sacro Chrismate sententia.

Ioan. 13.

Posteà in illo ipso libro Dionysius describens ritus, qui iuxta Apostolorum doctrinam seruabantur in consecratione Pontificum siue Episcoporum, & Sacerdotum atque ministrorum, ait: *Præsul, vbi sacrandus offertur, vtroque genu posito ante altare, habet supra caput Euangelia à Deo tradita, manumq́ Pontificis: atque hoc modo à consecrante Pontifice castißimis imprecationibus consummatur. Sacerdos verò coram sancto altari ponens vtrumque genu, in capite habet Pontificis dexteram: & in hunc modum à sacrante Præsule, sanctißimus inuocationibus consecratur. At verò* * *minister altero tantùm coram sanctis altaribus posito genu, sacrantis se Pontificis dexteram in capite præfert, atque ab eo perficitur precationibus ad eam rem accommodatis. Cuilibet autem ipsorum à benedicente Pontifice, signum Crucis imprimitur,* &c. Heu! quantâ dementiâ nunc deprauati sunt hæretici, qui sacrum Ordinem in Ecclesiâ Dei euertere nituntur, & profano ore dicunt, nihil esse discriminis inter eos qui Sacris initiati sunt, & laicos. Beatus Paulus Apostolus scribens ipsi Timotheo Episcopo, cui Dionysius librum suum de Ecclesiasticâ hierarchiâ dedicauit, hæc verba de consecratione iamiam commemoratâ ac manus impositione dicit: *Manus citò nemini imposueris.* Si seriò considerarent hæretici, quàm solemnes cærimonias Deus etiam sub veteri lege (quæ vmbram figurasque exhibebat) obseruari voluerit in consecratione Aaron Sacerdotis, & filiorum eius ac Leuitarum; non irriderent consecrationem Sacerdotum nouæ Euangelicæque legis, qui adorandam Eucharistiam conficiunt & tractant, sacrasque functiones obeunt; non insultarẽt consecrationi ministrorum Ecclesiæ sanctæ, sed eam laudarent atque honore prosequerentur.

4. Ordinatio sacrorum ministrorũ altaris, ex S. Dionysio. Cap. 5.

* Diaconus Græcè, minister Latinè dicitur; sub quo est Hypodiaconus, aut Subdiaconus, ac si dicas subminister.

1. Tim. 5.

Exod. 20.

Num. 8.

De

5\. *Monachi temporibus Apostolorũ consecrabãtur, vt ex S. Dionysio discitur.* Cap. 6. * Diuisibilia vocat sæculares curas, quæ à Deo diuidunt.

De ritibus quibus Monachus consecrabatur, ipse sacer Dionysius in eodem Hierarchiæ Ecclesiasticæ libro ita inter alia loquitur: *Sacerdos ad eum accedens, interrogat primùm an renuntiet diuisibilibus* * *omnibus: deinde exponit illi perfectissimam vitam. Vbi verò ille omnia intentè promiserit, consignans eum Crucis signo, Sacerdos tondet, trinas diuinæ Beatitudinis personas inclamans, exutumq́ veste omni, aliam induit; & cum sanctis alijs qui adstant viris ipsum salutans, diuinorum mysteriorum participem facit.* Et paulò suprà de ipsis Monachis sic scribit idem Dionysius: *Sancti præceptores nostri* (scilicet Apostoli) *diuinis eos appellationibus sunt prosecuti, partim Therapeutas* (id est cultores) *à sincero Dei famulatu atque cultu, partim Monachos, ab indiuiduâ & singulari vitâ appellantes.* Ex his Dionysij verbis liquet, Monachatum non esse nouitium institutum, vt modò garriunt hæretici. Quin etiam sub veteri lege fuerunt Nazaræi, qui se voto emisso consecrabant Deo, vt in libro Numerorum habetur. Qui vult pleniùs cognoscere conuersationem & mores virorum ac feminarum, qui in primitiuâ Ecclesiâ sese monasticæ vitæ addicebant, legat librum Philonis (is etiam tempore Apostolorum vixit) de Vitâ contemplatrice, siue de Supplicibus: ex quo nonnulla deprompserunt, atque in suis historijs posuerunt Eusebius Cæsariensis & Nicephorus Callistus.

Num. 6.

Monachos Philo agnouit.

6\. *Sepultura fideliũ cum Sacrificio, psalmodiâ & oratione pro animabus fidelium mortuorũ, S. Dionysio nota fuit.* Cap. 7.

Porrò de cærimonijs, & ritibus, quibus exequiæ fidelis defuncti celebrabantur, Dionysius in prædicto Hierarchię Ecclesiasticę libro loquitur hunc in modum: *Sumentes defunctum ad Pontificem ducunt, quasi coronis donandum sacris. Hunc ille libenter suscipit, atque peragit quæ diuino instituto fiunt super eos qui sanctè quiescunt. Coacto sancto cœtu venerandus Antistes, (si quidem Sacerdotalis ordinis fuerat qui obdormiuit) ante sanctum altare inclinans eum, orationem ad Deum inchoat & gratiarum actionem: si autem honestissimis Monachis aut sanctæ plebi insertus erat, ipsum ad venerandum sacrarium ante Sacerdotum reclinat ingressum; deinde precem cum gratiarum actione peragit Præsul. Deinceps verò ministri verissima de nostrâ resurrectione promissa, quæ diuinis inserta sunt eloquijs, recitantes, consentanea tantumdemq́ valentia canunt Psalmorũ cantica. Posteà accedens venerabilis Præsul, precem super defuncto sacratissimam peragit; & post orationem ipse quoque Pontifex defunctum salutat, & post illum qui adstant omnes. Vbi verò cuncti consalutauerunt, super defuncto fundit oleum Pontifex: & oratione pro omnibus* (defunctis) *factâ, honesto in loco ponit corpus cum æqualibus alijs corporibus sanctis.* Et posteà addit idem Dionysius: *Precatur oratio illa* (Pontificis) *diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq́ in luce statuat & regione viuorum, in sinibus Abrahæ, Isaac & Iacob, in loco vnde aufugit dolor & tristitia & gemitus.* Itemq́ue infrà, *Quænam*, inquit, *de huiusmodi prece, quam super defuncto peragit Præsul, ex diuinis ducibus nostris* (videlicet Apostolis) *traditio peruenit ad nos, operæpretium est vt dicamus*, &c. Quid ad ista Dionysij verba respondebunt seducti & seductores hæretici, qui passim clamitant, non esse orandum pro fidelibus defunctis?

7\. *Traditio de Baptismo paruulorum ex Dionysio.* Cap. 7.

In fine eiusdem libri Dionysius dicit, pueros & infantes admitti ad Baptismum ex Apostolorum traditione. Sed modò quidam vecordes homines asserere audent, quòd pueri non debeant baptizari, quodq́; consuetudo eos baptizandi primùm cœperit tempore Nicolai Papæ huius nominis Primi. Quòd si hæretici ætatis nostræ, depositâ superbiâ, seriò legerent ea quæ toto libro de Hierarchiâ Ecclesiasticâ scribit Dionysius; proculdubiò abijcerent hæresim, & idem cum Ecclesiâ Catholicâ sentirent. Ibi discerent, non solùm illa esse veneratione digna, quæ in Canonicis expressa sunt libris; sed etiam illa, quæ ex Apostolorum sanctorumque Patrum traditione nobis sine scripto commendata sunt.

8\. *Dionysius hic est Areopagita ille, de quo in Actibus Apostolorum.* Cap. 17.

Verùm ne quis imperitus putet, præclarum hunc virum non vidisse Apostolos, & non esse illum Dionysium, cuius mentionem Lucas in Actis Apostolorum facit, adhuc vnum ex monumentis ipsius proferemus testimonium, quo conuincemus eum non solùm vidisse Apostolos, sed etiam interfuisse sanctæ obdormitioni beatissimæ Deiparæ virginis Mariæ. Nam in libro de Diuinis nominibus, alloquens sanctum Timotheum cui scribit, hæc dicit: (Cap. 3.) *Apud ipsos diuino spiritu plenos Pontifices nostros* (Apostolos) *cùm & nos, vt nosti, & plerique ex sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quod Auctorem vitæ Deumq́* * *ceperat, conuenissemus (aderat autem & frater domini Iacobus, & Petrus supremum decus antiquissimumq́ Theologorum columen) post contuitum placuit vt*, &c. Ipse idem Dionysius edidit aliquot Epistolas insignes, inter quas vna scripta est ad S. Ioannem Apostolum & Euangelistam. Si quispiam de his ambigit, legat Georgium Pachymeram, & Maximum Monachum, eximios

* B.V. Maria corpus Christi in corpore suo materno velut in hospicio excepit.

Vindices & assertores Operum Dionysiacorum.

 mios

HÆRETICORVM. mios vetustosque eiusdem Dionysij commentatores: legat etiam encomium quod Michaël Syngellus Presbyter Ierosolymitanus in ipsum Areopagitam edidit: legat item Nicephorum Callistum secundo libro Historiæ Ecclesiasticæ: videat & quid Suidas in suis Collectaneis de hoc Dionysio & eius lucubrationibus, ac phrasi eminentissimâ, styloque singulari scribat. Qui quidem stylus plenus admirandæ maiestatis in omnibus illius libris atque Epistolis idem est, & vbique clarissimè ostendit, quàm auctor sit diuinus. In Epistolâ ad Polycarpum dicit se cum Apollophane in Ægypto apud Heliopolim fuisse, quando tempore passionis Dominicæ sol obscuratus est. Citant hunc Dionysium Areopagitam in suis scriptis Origenes, Athanasius, Agatho Summus Pontifex, & alij Patres antiqui. Nonnulli parum cordati parumque Catholici Scriptores, quibus traditiones Apostolicæ & sancta Ecclesiæ Dei instituta ac cæremoniæ displicebant, temerè & impudenter asserunt, istum † Dionysium non esse auctorem eorum librorum, quos tam Græci quàm Latini Patres Orthodoxi semper illi absque aliquâ dubitatione attribuerunt: sed ad huiusmodi hominum vanissimas obiectiones atque calumnias iam abundè respondit Godefridus Tilmannus Carthusianus, vir egregiè doctus, in Præfatione quã præfixit Paraphrasi Georgij Pachymeræ, in decem Epistolas ipsius Areopagitæ, à se Latio donatæ.

Stylus eius maiestate plenissimus.

Vidit eclipsim solis in passione Domini.

9\. Passionem eiusdem Dionysij Græcè conscriptam, Ioachimus Perionius Latinè reddidit. In quâ vbi narratum est, vt ipse Dionysius in Gallias à beato Clemente Summo Pontifice missus, tandem pro fide Christianâ glorioso martyrio mortem deuicerit, & vt Catulla nobilis femina Rustici & Eleutherij sociorum Dionysij sacra corpora capitibus truncata astutè surripuerit, ne in flumen ab impijs deijcerentur, hæc verba adiuncta sunt: *Eam* (scilicet Catullam) *credimus beatorum Martyrum ossa seruasse prudenti consilio, vt quæ eis digna fuerit, atque illorum precibus verè in fide progressus fecerit. Christianorum autem multitudo, quæ erat quasi ciuitas, doctrinâ beatorum Martyrum conuersâ, omni operâ & studio, vt poterat, cum precibus magnâq; cupiditate supra beata corpora sanctorum Martyrum templum ædificauit.* Et paulò pòst miracula, quæ in eo loco per sanctos Martyres eduntur, expressa sunt his verbis: *Aegrotis salutem, claudis incessum, cæcis lumen, surdis auditum, & mutis sermonem Martyres dantes, immundosq; spiritus qui in corporibus insident exagitantes, assiduè remedia afferunt. Nos quoque, etsi deserti & indigni, faciamus vt in illorum meritis sit nobis auxilium & præsidium constitutum.* Hæc ibi. Mirum sanè est, hæreticos huius temporis ista de Sanctis legentes non pudefieri: nam & hinc cognoscere possunt, quàm stultè atque impiè asserant ipsos Sanctos post mortem nihil posse, eosque à fidelibus non esse inuocandos aut honorandos.

Passio & martyrium S. Dionysij in Galliâ, cum miraculis ad eius memoriam.

† Post Blosium satis superque emerserunt illustres sanè vindices Operum S. Dionysij, atque adeò rerum ad eius vitam, mortem & sacras Reliquias spectantium; quos si Lector videre desiderat, inueniet in Disputatione Apologeticâ, quam Operibus S. Dionysij à sese editis & illustratis præfixit R. P. Petrus Lanssclius.

CAPVT V.

Ex scriptis S. Ignatij & aliorum.

1. *S. Ignatius clarissimis verbis docet varietatem sacrorum Ordinum in Ecclesiâ, & Sacrificium quotidianum altaris;*
2. *Obedientiam præstandam Episcopis, etiam ab ipsis Regibus & Imperatoribus;*
3. *Obseruationem dierum Festorum, & ieiunij Quadragesimalis;*
4. *Traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas.*
5. *Auctor fuit cantus Ecclesiastici, qui alternatim per choros celebratur in Ecclesiâ.*
6. *Testimoniũ S. Polycarpi de Epistolis S. Ignatij.*
7. *Martyrium & veneratio Reliquiarum B. Ignatij.*
8. *Item S. Polycarpi.*

FERVENS ille & verè ignitus Martyr Dei Ignatius, sancti Ioannis Apostoli discipulus, qui post Euodium Ecclesiam Antiochenam rexit (Euodius enim à beato Petro Apostolo, Romam contendente, Episcopus ibi constitutus fuerat) in Epistolâ suâ ad Ephesios ita loquitur de obedientiâ Præpositis Ecclesiæ præstandâ, & de cælesti pane Eucharistiæ: *Præeunte ac deducente vos Paracleto, obedite Episcopo atque Presbyterorum cætui indiuulso animo, vnum panem frangentes, quod est medicamentum immortalitatis, antidotum ne moriamini, sed viuatis in Deo per Iesum Christum.* Item in Epistolâ scriptâ ad Romanos ait: *Non mihi placet cibus corruptionis, neque voluptates vitæ huius. Panem Dei volo, panem cælestem, panem vitæ, quod est caro Christi Filij Dei, qui natus est tandem de semine Dauid & Abrahæ.* Et in Epistolâ ad Philadelphienses, *Vnâ*, inquit, *fide, vnâ prædicatione, & vnâ Eucharistiâ vtamini.* Ac paulò pòst: *Vnus ingenitus Deus & Pater: & vnus vnigenitus Filius, Deus Verbum & homo, & vnus Paracletus, Spiritus veritatis: vna quoque prædicatio, & fides vna, & Baptisma vnum, & vna Ecclesia, quam fundauerunt sancti Apostoli ab extremis mundi ad extrema in Sanguine Christi, sudoribus ac laboribus proprijs.* In Epistolâ quoque quam

1\. *S. Ignatius Ioannis Euangelistæ auditor.*

Eius clarissima confessio de varietate Sanctorum Ordinum, & sacrificio altaris.

FACVLA HÆRETICORVM.

quam ad Smyrnenses misit, meminit Sacrificij Eucharistici siue Missæ his verbis: *Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque offerre, neque Sacrificium immolare.* Et paulo infrà, postquam dixit Episcopum principem Sacerdotum, Dei quidem per principatum, Christi verò per Sacerdotium imaginem ferre, subiungit: *Nihil in Ecclesiâ maius Episcopo sacra Deo faciente pro totius mundi salute: neque Regi compar est quis in Principibus, pacem & æquitatem subditis procuranti. Qui honorat Episcopum, à Deo honorabitur; vt itidem qui inhonorat eum, à Deo punietur. Si enim qui contra Reges insurgit, punitione meritò dignus erit, vtpote qui tranquillitatem & pacem communem dissoluat; quantò grauius supplicium meretur, qui sine Episcopo quidquam facere tentat, concordiam distrahit, & bonum ordinem confundit? Sacerdotium enim est omnium bonorum in hominibus summa, in quod qui desæuierit, non hominem inhonorat, sed Deum & Christum Iesum.* Hæc ibi. Constat igitur, hæreticos spiritu prorsus satanico agi, qui & in Eucharistiam, & in Sacrificium, & in Episcopatum, & in Sadotium nouæ legis blasphemias congerunt, aliamque fidem tenent ac docent, quàm tenet Ecclesia Catholica. De Episcopo qui pro salute aliorum sacrificare debet, etiam Apostolus loquitur dicens:

Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.*

Heb. 8. Ac rursum: *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur.*

2. *Episcopis obedire debent omnes, etiam ipsi Reges & Imperatores, vt docet S. Ignatius.*

Ipse idem Ignatius in Epistolâ quam scripsit ad Ephesios, adhuc de Episcopo, Sacerdotibus, & Diaconis verba facit hoc modo: *Studete, dilectissimi, esse subiecti Episcopo, & Presbyteris, & Diaconis: qui enim his subditus est, Christo, qui eos largitus est, obedit: qui autem non obedit eis, non obedit Christo Iesu. Qui non obedit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum: temerarius enim & contentiosus est superbus, qui non obedit superioribus.* (Luc. 10. Ioan. 3.) Notent & ista hæretici huius tempestatis, qui Episcopos ac Sacerdotes superbissimè despiciunt. Rursum in Epistolâ ad Philadelphienses ait Ignatius: *Principes obedite Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris sacrorum præfectis: Presbyteri, Diaconi & reliquus Clerus, vnà cum omni populo, & militibus, & Principibus, & Cæsare, Episcopo: Episcopus Christo, sicut Christus Patri.* Ecce quàm apertè hic ostendit Ignatius diuersos in ordine Ecclesiastico esse gradus, dignitate & potestate distinctos, quod hæretici impudenter negât. In Epistolâ quoq; Heroni Diacono scripta, pulchrè declarat, Diaconum non eadem posse quæ possunt Episcopi ac Sacerdotes, scribens ita: *Nihil sine Episcopis agas, Sacerdotes enim sunt, tu verò minister Sacerdotum. Illi baptizant, Sacra faciunt, ordinant, manus imponunt: tu verò eis ministras, vt Ierosolymis S. Stephanus Iacobo & Presbyteris.* Ipsos gradus Ecclesiasticos, qui infra Episcopum sunt, enumerat in fine Epistolæ ad Antiochenos datæ, his verbis: *Saluto sanctum Presbyterorum cœtum: saluto sacros Diaconos: saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, laborantes, Exorcistas, Confessores.* Ibi etiam addit Ignatius hanc salutationem: *Saluto custodes sanctarum portarum Diaconissas: saluto Christi susceptrices virgines, quibus fruar in Domino: saluto populum Dei à minimo vsque ad maximum.*

Enumerat omnes Ordines Sacramentales.

Diaconissas item & Sanctimoniales.

3. *Festorum dierum obseruantiam & ieiunium Quadragesimæ, Hebdomadam Passionis, & alia eiusmodi agnoscit idem.*

In Epistolâ verò quam scripsit ad Philippenses, ait: *Dies festos ne inhonoretis. Quadragesimam ne pro nihilo habeatis: imitationem enim continet Dominicæ conuersationis. Hebdomadam post diem passionis ne despiciatis: quartâ & sextâ Feriâ ieiunate.* (Matth. 4.) Libet hîc adijcere vnum Canonem Apostolorum omnino conuenientem cum prædictis verbis B. Ignatij, sic enim habet: (Can. 69.) *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor, sacram Quadragesimam Paschæ, vel quartam Feriam aut Parasceuen non ieiunauerit, deponitor, nisi corporis imbecillitate impediatur: si laicus sit, Communione priuator.* Vtinam hæc aure cordis attentè exciperent superbi atque inobedientes hæretici, qui neque dies festos, neque sanctam Quadragesimam, neque alia Ecclesiæ ieiunia seruare volunt, sed ea omnia contemnunt. Si (vt ipsi somniant) nullum festum, præter diem Dominicam, tunc fuisset receptum, non diceret Ignatius, *Dies festos ne inhonoretis*: sed diceret, Diem Dominicum ne inhonoretis. Proculdubiò dies Natiuitatis Christi, & Epiphaniæ, aliaque festa tunc celebrabantur. Quod autem Apostoli & Ignatius scribunt de ieiunio quartæ ac sextæ Feriæ, nunc Ecclesia non obseruat. Ipsa enim pro temporum causarumque conditione iustissimè nonnunquam relaxat aut variat ea decreta quæ ad consuetudines ritusque externos spectant, sed fidem numquam immutat. Porrò ieiunium Quadragesimæ nonnulli magnæ auctoritatis Patres dicunt fuisse à Christo institutum. Certè Ignatius ostendit illud debere à Christianis seruari ad exem-

exemplum Christi, quod seruandum Apostoli præceperunt.

4\. *Traditionũ Apostolicarum & Ecclesiasticarum custodia, ex eodē.*

Idem Ignatius in Epistolâ quam misit ad Magnesianos, scribit ita de dogmatibus siue traditionibus Apostolicis: *Date operam, vt in Christi Domini & Apostolorum dogmatibus confirmemini.* Et in Epistolâ ad Philadelphienses ait: *Audiui quosdam dicentes, Nisi in archiuis Euangelij inuenero, non credam. Talibus autem ego dico, quòd mihi archiua Iesus Christus est, cui non obedire, manifesta pernicies est. Durum contra stimulum calcitrare, durum Christo diffidere, durum abrogare prædicationem Apostolorum.* (*Act. 9.*) In Epistolâ quoque ad suos Antiochenos datâ, *Adhortor*, inquit, *vos, attendere doctrinæ Apostolorum, & legi Prophetisq́; credere.* (*Cap 19.*) Nicephorus etiam Callistus tertio libro Historiæ suæ, secutus pænè de verbo ad verbum Eusebium Cæsariensem, loquitur de beato Ignatio hunc in modum: *Ab omnibus celebratus Ignatius, Romam vt ibi leonibus esca obijceretur, si fidem Christi non abiuraret, missus est: & Asiam cum firmâ militum custodiâ vinctus peragrans, Ecclesiasq́; oppidatim adiens, sermonibus familiaribus & cohortationibus confirmabat. Et quoniam tunc primùm hæreses paulatim liberiùs se proferre auderent, admonebat vt sibi ab eis cauerent, doctrinæq́; Apostolicarum traditionum constanter insisterent.* Hæc Nicephorus. (*Euseb. l. 3. c. 39. Encomium S. Ignatij.*) Idem monet Paulus Apostolus, dum ait: *Fratres, state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* (*2. Thess. 2.*) Itaque fideles omnes non solùm ea quæ in diuinis Litteris sunt expressa, verùm etiam illa quæ nobis sermone fuerunt tradita, diligenter obseruare debent.

Iterùm de Traditionibus ex Papiâ.

Vnde & Papias Hierapolitanus, quem Irenæus dicit Ioannis Apostoli auditorem fuisse, in Procemio librorum quibus verba Dominica explanauit, ita (teste Nicephoro) loquitur: (*Niceph. lib. 3. c. 20. Euseb. lib. 3. c. 39.*) *Non grauabor, quæcumque à Presbyteris rectè didici, & rectè memini, exponere. Minimè enim ijs sum delectatus qui multa dicerent, sed qui vera docerent: neque qui aliena, sed qui à Domino, & ab eis quibus cum ipsâ veritate consuetudo fuit, tradita de fide præcepta commemorarent. Quòd si aliquando aliquis Presbyterorum sectator adueniret, eorum ipsorum requirebam sermones, quid scilicet Andreas, quid Petrus dixisset, quid Thomas, aut Philippus, aut Simon, aut Iacobus, aut quid Ioannes, aut Matthæus, aut quid alius quispiam Domini discipulorum, aut quid etiam Aristion, & Ioannes Presbyter, & ipsi discipuli Domini dicant. Non enim tantum me libris adiuuari, quantum viuâ & præsenti voce, arbitratus sum.* Hic certè Papias affirmat, se diligenter requisisse ea quæ sine scripto ab Apostolis & discipulis Domini dicta traditaque fuerant: at plerique hæretici modò talia contemnunt atque repudiant.

5\. *Auctor cantus Ecclesiastici Ignatius.*

Rursum Nicephorus decimo tertio Historiæ Ecclesiasticæ libro meminit beati Ignatij, scribens ita: *Morem antiphonorum carminum Ecclesia antiquitus iam inde ab Apostolis accepit. Diuinum namque Ignatium, qui cum Apostolis plurimo tempore vixit, cùm per ecstasim animi consternatus esset, visionem nouam vidisse ferunt, sanctos scilicet Angelos alternis & sibi inuicem respondentibus carminibus sanctam Trinitatem hymnis & laudibus vehentes. Et ipse primus hanc concinendi formam Antiochenorum Ecclesiæ dedit. Vnde quasi à fonte in alias Ecclesias Dei omnes, eiusmodi consuetudo propagata est.* Id ipsum ante Nicephorum scripsit Socrates Constantinopolitanus. Itaque cantus Ecclesiasticus, quem nunc suggillant hæretici, & antiquus est, & Deo acceptus.

6\. *Epistola S. Ignatij à S. Polycarpo habent testimonium.*

Sanctus Polycarpus Smyrnensis Episcopus & Martyr insuperabilis, (qui & ipse vnà cum Ignatio fuit discipulus beati Ioannis Euangelistæ) scribens ad Philippenses, ita de Epistolis eiusdem Ignatij loquitur: *Epistolas Ignatij ab eo ad nos missas, & alias item quas nobiscum habuimus, ita vt iussistis ad vos misimus. Quæ quidem litteris hisce nostris sunt adiunctæ; quibus multùm adiuuari poteritis: complectuntur enim fidem, & patientiam, & ædificationem quæ ad Christum Dominum nostrum refertur.* Hæc verba quibus Polycarpus approbat & laudat Epistolas Ignatij, Nicephorus atque Eusebius referunt in suis Historijs. Et Irenæus tertio libro suo Aduersus hæreses multùm commendat illam Epistolam quam Polycarpus ad Philippenses scripsit. (*Cap. 3.*)

7\. *S. Ignatij passio & Reliquiarũ eius veneratio.*

De martyrio & sacris Reliquijs ipsius Ignatij, Nicephorus tertio Historiæ suæ libro ita scribit: *Cùm Romæ varia tormenta pertulisset Ignatius, neque quidquam de constanti decentiâ suâ sententiâ remisisset, postremò in medio theatro duobus leonibus obiectus, martyrio est defunctus. Et carnes quidem eius atque ossa teneriora bestiæ deuorarunt: quæcumque autem firmiora reliqua fuêre, multo deinceps tempore Româ Antiochiam sunt perlata.* (*Cap. 19.*) Item libro decimo quarto loquens Nicephorus de Theodosio Augusto, ait: *Reliquias Ignatij cum magnifico apparatu Antiochiam reduxit,* (*Cap. 44.*)

& in

& in eo loco, quod Cæmeterium vocatur, veneratione magnâ reposuit, & templum ingens, dæmonibus olim dicatum, in sacrosanctum fanum mutatum, diuino Martyri consecrauit: vbi etiam quolibet anno publicè & magnificè festus dies est actus. Hæc Nicephorus.

8. *S. Polycarpi mors & sepultura cultus. Euseb. lib. 4. c. 15.* Ecclesia verò Smyrnensis, quam rexerat beatus Polycarpus, scripsit Epistolam ad Ecclesias Ponti de martyrio eiusdem Polycarpi, sicuti Eusebius & Nicephorus testantur. In quâ quidem Epistolâ hæc verba inter alia adnotata sunt: *Martyres tamquam discipulos Domini diligimus & veneramur.* Et paulò pòst de sanctis Reliquijs ipsius Polycarpi, qui igne martyrium compleuerat, eadem Epistola loquitur ita: *Nos ambusta ossa pretiosissimis gemmis chariora, & omni auro probatiora per ignem facta collegimus, ac (sicut conueniebat) ex more condidimus. Quo in loco etiam nunc, præstante Domino, solemnes agimus celebresq; conuentus, maximè in die passionis eius.* Hæc ibi. Audiant ista hæretici, qui Reliquias Sanctorum venerandas esse negant, & festis eorum detrahunt.

CAPVT VI.

Ex scriptis sancti Clementis & aliorum.

1. *S. Clemens à B. Petro Romæ constituto factus eius successor, docet vnum debuisse in Ecclesiâ fieri Summum Pontificem, cui ceteri parerent.*
2. *Sacramentalis & auricularis confessio peccatorum Sacerdotibus facienda est, iuxta sanctum Clementem.*
3. *Vigiliæ, ieiunia, opera misericordiæ, oratio pro defunctis.*
4. *Symbolum fidei ab Apostolis promulgatum.*
5. *Hierarchia Ecclesiæ per Pontifices, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, &c. disposita.*
6. *Quâ reuerentiâ asseruandum Corpus Christi in Ecclesijs.*
7. *Vasa item, & vela, palla, & reliqua vtensilia Ecclesiæ.*
8. *Vestimenta Ecclesiasticorum diuersa à vestibus laicorum ostenduntur à S. Clemente.*
9. *Cur similia scribat Clemens ad Iacobum Apostolum.*
10. *Omnes populi & Principes obedire debent Episcopis:*
11. *Omnis enim Episcopus vicarius Christi est.*
12. *Ritus Baptismi, & Confirmationis, non nisi ex traditione.*
13. *Sacrificium Missæ in loco tantùm per Episcopum consecrato offerendum.*
14. *Merita bonorum operum ad salutem esse necessaria.*
15. *Sacramentum Confirmationis à solis Episcopis confertur.*
16. *Scriptura sacra difficiles, nec à quolibet exponendæ.*
17. *Auctoritas Epistolarum sancti Clementis; & locus in quintâ eius Epistolâ à Nicolaitis corruptus.*
18. *Martyrium & sepulchrum S. Clementis in medio mari, & miracula ad ipsum facta.*

CLEMENS beati Petri Apostoli discipulus, atque eiusdem in Primatu Ecclesiæ successor, & Martyr gloriosus, (cuius scripta meritò à nobis citanda erant † ante scripta Ignatij & Dionysij) in primâ suâ Epistolâ, quam ad Iacobum Apostolum fratrem Domini scripsit, ita de sancto Petro & de se ipso loquitur: *Hic ipse Petrus, qui pro immensâ charitate, quam erga omnes homines gerebat, palàm cum omni fiduciâ (aduersante etiam tyranno huius mundi) bonum prædicare non destitit: & Regem omnium seculorum per orbem terræ, & vsque ad ipsius Romanæ vrbis huius notitiam, vt ipsa etiam saluaretur, inuexit: hic, inquam, pro pietate pati volens, præsentem vitam finiuit. In ipsis autem diebus, quibus vitæ finem sibi imminere præsensit, in conuentu fratrum positus, apprehensâ manu meâ repentè consurgens, in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: Audite me fratres & conserui mei: quoniam, vt edoctus sum ab eo qui me misit, Domino & magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat, Clementem hunc Episcopum vobis ordino; cui soli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram trado. Qui mihi ab initio vsque in finem comes indiuiduus fuit, & per hoc veritatem totius meæ prædicationis agnouit. Qui in omnibus tentationibus meis socius extitit, fideliter perseuerans. Quem præ ceteris expertus sum Deum colentem, homines diligentem, castum, discendi studijs deditum, sobrium, benignum, iustum, patientem, & scientem ferre nonnullorum (etiam ex his qui in verbo Dei instituuntur) iniurias. Propter quod ipsi trado à Domino mihi traditam potestatem ligandi atque soluendi: vt de omnibus quibuscumque decreuerit in terris, hoc decretum sit & in cælis. Ligabit enim quod oportet ligari, & soluet quod expedit solui, tamquam qui ad liquidum Ecclesiæ regulam nouerit. Ipsum ergo audite, scientes, quia quicumque contristauerit doctorem veritatis, peccat in Christum, & Patrem omnium exacerbat Deum, vnde & vitâ carebit. Hæc eo dicente, ego procidens ad pedes eius, rogabam, excusans me, & declinans honorem cathedræ vel potestatem. At ille respondens, Pro* hoc,

1. S. Clemens à B. Petro successor ordinatus Romanæ Sedis primatûs Romanæ Ecclesiæ docet.

Matth. 16.

† Non est quòd meritò miretur quisquam, ordinem non seruari in citatione sanctorum Patrum; quia Blosius iam antè præfatus est, sese hæc tumultuariè congessisse, ad vsum, non ad splendorem attendendo: & hanc suam scriptionem contra hæreticos, farraginem vocauit.

hoc, inquit, ne me rogaueris; hoc enim fieri statutum est mihi, & eò magis quò te excusas, quia hac cathedra eum, qui cupit illam & audacter expetit, non requirit, sed ornatum moribus, & in verbis eruditum, &c. Ista autem de se narrat Clemens non ad sui iactationem atque ostentationem, sed purè ad Dei honorem, & quia res ita exposcebat, ac beatus Petrus ei præceperat, vt posteà in eadem Epistolâ testatur. Porrò hæretici, qui Summum Pontificem spernunt, & eius auctoritatem nihili pendunt, notent hîc ea quæ Petrus Apostolus de Clemente successore suo dicit. Quòd si sub veteri lege Deus voluit aliquem esse Summum Sacerdotem, cui alij obtemperare debebant; profectò sub nouâ lege non debuit in Ecclesiâ Dei deesse Summus Pontifex, cui omnes obedirent. Hæc autem verba in Deuteronomio de eo qui Summo Sacerdoti recusat parère, scripta sunt: *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel: cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbiâ*. Hæc ibi. Si non esset vnus Summus Pontifex in Ecclesiâ, citò omnia in eâ perturbarentur confunderenturque. Ipse igitur pro vicario Christi habendus est, etiamsi non rectè viueret: nam & Cæsarem vel Regem peruersè viuentem agnoscimus Regem esse, cùm Paulus dicat, non esse potestatem, nisi à Deo, & eum qui potestati resistit, Deo resistere. Beatus Cyprianus Martyr scribens ad sanctum Cornelium, ait: *Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.*

Necesse est vnum esse in Ecclesiâ Summum Pontificem vicarium Christi in terris.

Deut. 17.

Rom. 13.

2. Dum in eadem Epistolâ Clemens prosequitur salutaria monita, quibus beatus Petrus instituebat eos qui tunc præsentes aderant, inter alia adducens ea quæ ipse Petrus de Sacramentali confessione (quam hæretici modò tantopere auersantur) dicebat, scribit hunc in modum: *Si fortè alicuius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his, quæ superiùs memorauimus, latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc ei qui præest, vt ab ipso per verbum Dei & consilium salubre curetur; quò possit integrâ fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia peruenire*. Et infrà in eadem Epistolâ, *Instruebat*, inquit, *vnumquemque, actus vitæ suæ omni horâ custodire, & in omni loco Deum respicere, se firmiter scire, cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Domini manifestare*. Hæc ibi. Quæ quidem verba clarè dicunt, nos peccata nostra, etiamsi cogitatione tantùm admissa sint, debere confiteri, non solùm Deo, verùm etiam coram Sacerdote. Beatus Cyprianus Martyr quinto Sermone de Lapsis, pulchrè admodum scribit de hac sanctâ Exomologesi, quæ coram Sacerdote fieri debet. Certe Christus dicit Sacerdotibus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*. Sicut autem his verbis dat Sacerdotibus potestatem remittendi peccata; ita etiam eisdem verbis peccatorem obligat vt confiteatur Sacerdoti peccata sua. Si enim, vt peccata sint remissa, absolutio Sacerdotalis necessaria est, proculdubiò etiam necessaria est peccatorum confessio: nam Sacerdos soluere non potest peccata, quæ sibi per confessionem detecta non fuerint. Notanda item sunt verba Apostoli* suprà commemorata, quibus ait, nos non solâ fide (vt hæretici persuadere volunt) sed integrâ fide ac bonis operibus effugere pœnas inferni, & consequi præmia vitæ æternæ.

Confessio peccatorum Sacerdoti facienda, ex doctrinâ Clementinâ, à S. Petro traditâ;

Et ex S. Cypriano.

Ioan. 20.

* Beati Petri, vt iam iam referebat S. Clemens.

3. Et paulò pòst Clemens adhuc loquens de monitis beati Petri, ait: *Docebat ieiunium & Vigilias sanctas amare, pauperes recreare, nudos vestire, infirmos visitare, sitientes potare, mortuos sepelire, & diligenter eorum exequias peragere, pro eisq; orare & eleëmosynas dare*. Cùm beatus Petrus Apostolus ista docuerit, nullo modo audiendi sunt hæretici, qui fidelium defunctorum exequias vituperant, docentque non esse orandum pro illis.

Bona opera, & oratio pro fidelium animabus ex eadem doctrinâ.

4. Nonnulli hæretici, licet dicant se credere vera esse ea quæ Symbolo Apostolico comprehensa sunt, dubitare tamen videntur, vtrùm Apostoli Symbolum illud ediderint, cùm Scripturæ Canonicæ nusquam id tradant. Sed Ecclesia Catholica de eâ re nihil ambigit. Nam & Clemens in illâ primâ suâ Epistolâ ad Iacobum fratrem Domini scriptâ ait: *Fides & dilectio, totius bonitatis est fundamentum. Sine fide enim placere Deo nemo poterit. Christo itaque resurgente, & ascendente in cælum, misso sancto Spiritu, collatâ Apostolis scientiâ linguarum, ipsi Apostoli adhuc in vnum positi, Symbolum, quod fidelis nunc tenet Ecclesia (vnusquisque quod sensit dicendo) condiderunt: vt discedentes ab inuicem, hanc regulam per omnes gentes prædicarent*. Hæc ibi. In ipso Symbolo Apostolico ista verba inter alia habentur: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*. Miror autem quâ fronte hæretici dicant

Symbolum fidei reuerà ab Apostolis confectum.

Heb. 11.

dicant se hoc credere, cùm non eamdem cum Ecclesiâ Catholicâ fidem & doctrinam amplectantur, nec ipsi Ecclesiæ obtemperare velint.

5. *Decentissima hierarchia Ecclesiæ docetur à S. Clemente.* Matth. 10. Post pauca Clemens loquens de Petro Apostolo, itemque de seipso, scribit ita: *Episcopos per singulas ciuitates, quibus ille non miserat, perdoctos & prudentes sicut serpentes, simplicesq́; sicut columbas (iuxta Domini præceptionem) nobis mittere præcepit. Quod etiam facere inchoauimus, & (Domino opem ferente) facturi sumus. Vos autem per vestras diœceses Episcopos sacrate & mittite: quia nos ad alias partes (quod idem iussit) agere curabimus. Aliquos verò ad Gallias Hispaniasq́; mittemus, & quosdam ad Germaniam & Italiam, atque ad reliquas gentes dirigere cupimus.* Hæc Clementis verba aperte coarguunt insaniam hæreticorum huius æui, qui Ecclesiasticæ Episcoporum consecrationi impudenter detrahunt. Postquam autem Clemens ibidem exposuit, in quibus vrbibus sanctus Petrus dixerat ponendos esse Primates, siue Patriarchas & Archiepiscopos, subiungit ista verba: *In singulis reliquis ciuitatibus, singulos, & non binos vel ternos aut plures Episcopos constitui præcepit, qui non Primatum aut Archiepiscoporum, aut Metropolitanorū nomine, (quia matres* ciuitatum non tenent) sed Episcoporū tantùm vocabulo potirentur: quoniam nec inter Apostolos par institutio fuit, sed vnus omnibus præfuit. Hoc tamen prouidendum statuit, ne in villis aut castellis vel modicis ciuitatibus constituerentur Episcopi, ne vile nomen eorū fieret. Episcopos ergo vicem Apostolorum gerere, Dominum docuisse dicebat: & reliquorum discipulorum vicem tenere debere Presbyteros insinuabat,* &c. Etiam hinc discant hæretici huius temporis, Christum aliqua docuisse, quæ in Scripturis Canonicis expressa non sunt. Neque enim in illis vsquam legimus quòd Christus docuerit Episcopos vicem Apostolorum, & Sacerdotes vicem aliorum discipulorum gerere.

* Metropolis enim mater ciuitatum est.

6. *Corpus Domini in Ecclesiâ reuerenter custodiendum docet sanctus Clemens.* In initio secundæ Epistolæ, quam idem Clemens scripsit ad Iacobum fratrem Domini, ostenditur, quæ reuerentia & diligentia seruari debeat circa sacram Eucharistiam. ibi enim ista verba legimus: *Tribus ordinibus commissa sunt Sacramenta diuinorum secretorum, id est, Presbytero, Diacono, & † ministro, qui cum timore reliquias fragmentorum Corporis Dominici custodire debent, ne qua putredo in Sacrario inueniatur, ne dum negligenter quidquam agitur, portioni Corporis Dominici grauis inferatur iniuria.*

† Subdiacono, qui & Diacono & Presbytero seruire debet, & solet.

Et paulò pòst ipse Clemens ait: *De vasis sanè sacris ita agendum est. Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: quoniam non debent ea quæ in sanctuario fuerint, malè tractari, sed incendio vniuersa tradantur. Cineres quoque eorum in Baptisteriū inferantur, vbi nullus transitū habeat: aut in parietem aut in fossas pauimentorum mittantur, ne introëuntium inquinentur pedibus. Pallas & vela quæ in ministerio Sanctuarij sordidata fuerint, Diaconus cum humilibus ministris lauent: non eijcientes è Sanctuario velamina Dominicæ mensæ: ne fortè puluis Dominici Corporis malè decidat. De velis ianuarum cura sit Ostiariis ex admonitione maiorum, ne quis negligens aut ignarus, ad velum ianuæ domus Domini manus inconditè tergat, sed statim coërcitus discat omnis homo, quia velum atrij domus Domini sanctum est. Si fortè quispiam Presbyter vel Diaconus Sacrarij sindonem aut velum subtracta vendiderit, Iudæ Iscariotis similis æstimabitur. Calicem ad præferendum Sanguinem Domini adaptatum, cum omni munditiâ* minister præparet, ne non benè lotus Calix, Diacono offerenti cedat in peccatum. Ad hunc modum cum omni honestate cuncta quæ suprà exposuimus debent impleri. Tales ad ministerium eligantur Clerici, qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare.* Hæc ibi. At huiusmodi omnia risui habent hæretici nostræ ætatis. 7. *Sacra vasa & vtensilia Ecclesiæ, ad vsum Sacrificij Missæ.*

* Hoc etiā nunc est Subdiaconi munus.

Ipsa item vestimenta sacra quibus Sacerdotes & ministri in diuinis Officijs vtuntur, reijciunt atque conspuunt hæretici; cùm tamen etiam sub veteri lege Sacerdotes peculiaribus sacrisque vestibus induti Deo ministrauerint. Quas quidem vestes Deus iubet fieri in Exodo capite vigesimo octauo, & subsequenti capite Moysi dicit: *Indues Aaron vestimentis suis, id est, lineâ & tunicâ, & superhumerali & rationali, quod constringes balteo. Et pones tiaram in capite eius, & laminam sanctam super tiaram, & oleum vnctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur. Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingesq́; balteo, Aaron scilicet & liberos eius, & impones eis mitras: eruntq́; Sacerdotes mihi religione perpetuâ.* Et capite quadragesimo rursum Dominus ait Moysi: *Applicabis Aaron & filios eius ad fores tabernaculi, & lotos aquâ indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi, & vnctio eorum in Sacerdotium sempiternum proficiat.* 8. *Clericorum habitus distinctus à veste laicorum.* Exod. 29. Exod. 40.

9. *Quare ad Iacobum Apostolum hæc scribit S. Clemens.* Tandem in fine Epistolæ idem Clemens ista verba adijcit: *Hæc præcepta à sancto Petro Apostolo accepi, & tibi, frater charissime,* insi-

insinuare curaui, vt seruari omnia præcipias sine maculâ. Si quis verò audierit te, vtilis erit minister Iesu Christi: qui autem non audierit te, ipse sibi damnationem accipiet. Porrò scribens hoc modo Clemens ad Iacobum Apostolum, non se doctorem eius arroganter constituit (sicuti quidam inconsideratus Scriptor putat) sed illa quæ à Petro didicerat, humiliter exponit, quemadmodum & Petrus ipsi iusserat, & Iacobus cupiebat: vt eos, qui cum Iacobo erant, omnemq; Ecclesiam tamquam vicarius Christi officium locumque Summi Pontificis obtinens, instruat.

10.
Clerus & populus omnis, & Principes ipsi debent Episcopo obedire.

Rursum ipse Clemens in tertiâ Epistolâ suâ quam scribit ad Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ac reliquos Clericos & ad cunctos Principes, omnesque fideles, loquitur de obedientiâ Episcopis exhibendâ in hunc modum: *Si vobis Episcopis non obedierint omnes Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi, & reliqui Clerici, omnesq; Principes, tam maioris ordinis, quàm inferioris, atque reliqui populi, tribus & linguæ non obtemperauerint, non solùm infames, sed & extorres à regno Dei & consortio fidelium, atque à liminibus sanctæ Ecclesiæ alieni erunt. Nam vestrum est eos instruere, eorum est vobis obedire, vt Deo, cuius legatione fungimini, dicente Domino: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Et qui vos recipit; me recipit. Et qui me recipit, recipit eum qui me misit. Nihil enim iniustius vel inhonestius est, quàm filios patribus rebelles, aut Clericos vel laicos Doctoribus, seu discipulos Magistris inobedientes vel proteruos existere.* Et infrà in eadem Epistolâ, *Quicumque*, inquit, *obediunt Episcopis suis, videntur quidem aliquam gratiam conferre Deo: qui autem eis non obediunt, indubitanter rei & reprobi existunt.* Hic aures arrigant hæretici, qui Præpositis Ecclesiæ obtemperare nolunt.

Luc.10.

11.
Episcopi omnes sunt vicarij Christi, in suâ quisque Ecclesiâ.
Exod.19.

Rursus in hac ipsâ Epistolâ Clemens scribit ita: *Primus Pontifex Aaron chrismate compositionis perunctus, princeps populi fuit,* &c. Ac paulò pòst, *Omnis*, inquit, *Pontifex sacro Chrismate perunctus, & in ciuitate constitutus, Scripturis sacris eruditus, charus & pretiosus hominibus esse debet. Quem quasi Christi locum tenentem, honorare omnes debent, eiq; seruire, & obedientes ad salutem suam fideliter existere, scientes quòd siue honor, siue iniuria quæ ei defertur, in Christum redundat, & à Christo in Deum.* Hæc ibi. Hæretici nostræ tempestatis; discentes hinc Episcopos ritè in Ecclesiâ perungi Chrismate, desinant id irridere.

12.
Vnctio, & pleraque alia Baptismi ceremonia, ex solâ traditione habentur.

Posteà Clemens loquitur de Baptismo in hunc modum: *Baptizetur vnusquisque in aquis perennibus, nomine trinæ Beatitudinis inuocato super se, perunctus primò Oleo per orationem sanctificato; vt ita demum per hæc consecratus, possit percipere locum cum sanctis.* Sed hæretici nunc sacram vnctionem, vt pleraque alia in Baptismo, temerè atque impiè reijciunt. Diuinus quoque Dionysius Areopagita in libro suo de Ecclesiasticâ hierarchiâ, explicans ritus Baptismi, dicit eum, qui initiatur, vngi sacro Oleo, antequam trinâ in aquas immersione cum trinæ Beatitudinis inuocatione abluatur, & eumdem ita baptizatum sancto Chrismate signari: id quod etiam nunc obseruat Ecclesia Dei. Et Basilius Magnus in libro quem de Spiritu sancto scripsit, docens, quòd Ecclesia multa ex traditione Apostolorum acceperit, quæ nusquam in Scripturis Canonicis sunt adnotata, postquam locutus est de signo Crucis, de cõuersione nostri ad Orientem dum precamur atque adoramus (nam & ferè omnes sacræ Basilicæ ad Orientem spectant) & de Liturgiâ vel mysterio Eucharistico, vbi plura dicimus quàm Euangelium & Paulus commemoret, addit hæc verba: * *Consecramus aquam Baptismatis, & Oleum vnctionis, præterea ipsum qui Baptismum accipit. sed ex quibus scriptis? Nonne à tacitâ secretâque traditione? Ipsam porrò Olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, vnde est traditum? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo, veluti renuntiare satanæ & angelis eius, ex quâ Scripturâ habemus? Nonne ex priuatâ & arcanâ hac traditione? Nonne ex doctrinâ, quam Patres nostri in silentio (quod curiosos & otiosos submouet) seruarunt?*

Cap.2.
Clementi concinit Dionysius & Basilius.

Cap.27.

* Videant Nouatores antiquas ex Basilio Baptismi cæremonias per solam traditionem.

13.
Missa non dicatur nisi in loco per Episcopum consecrato.

In eadem Epistolâ sanctus Clemens de Sacrificio Missæ ait: *Hîc* (id est, in præsenti vitâ) *positos, oportet nos agnoscere voluntatem Dei. Quoniam in alijs locis sacrificare & Missas celebrare non licet, nisi in quibus Episcopus proprius iusserit, & eo loco qui ab Episcopo regulariter ordinato (tenente videlicet ciuitatem) consecratus fuerit. Hæc Apostoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus, vobisq; & omnibus absque reprehensione tenere mandamus.* Dei & Ecclesiæ hostes hæretici, qui sanctum Missæ Sacrificium abominantur, diligenter expendant ea quæ Clemens hîc dicit: simulque discant templa debere consecrari ab Episcopo.

14.
Bonorum operum merita salutaria.

Post prædicta verba mox Clemens subiungit: *Vnaquæque res tempus suum habet & locum. Operum hîc locus est: tempus verò*

† meri-

† *meritorum, est sæculum futurum. Ne ergo impediamur, ordinem locorum ac temporum permutantes; primò quæ sit Dei iustitia requiramus, & tamquam iter acturi, abundanti viatico, scilicet bonis operibus repleamur, quò possimus ad regnum Dei tamquam ad vrbem maximam peruenire.* Hæc ibi. Ergo sola fides non sufficit ad salutem: sed etiam bona opera requiruntur. Nam & Iacobus
Iacob. 2. Apostolus dicit: *Fides, si non habeat opera, mortua est.* Nota etiam, beatum Clementem præclaram facere mentionem meritorum, contra hæreticos huius tempestatis.

15. *A solis Episcopis conferri Sacramentũ Confirmationis.* In calce quartæ Epistolæ scribit de Sacramento Baptismi, & Sacramento Confirmationis, in hæc verba: *Omnibus festinandum est, sine morâ renasci Deo (per Baptismum) & demum consignari ab Episcopo, id est, septiformem gratiam Spiritus sancti percipere, quia exitus vitæ vniuscuiusque incertus est. Cùm autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi Spiritus gratiâ ab Episcopo, vt memoratum est, confirmatus (quia aliter perfectus esse Christianus nequaquã poterit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuriâ aut*
Non debet ab vllo fideli negligi. *voluntate remanserit, vt à beato Petro accepimus, & vt ceteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt) demum ex operibus bonis ostendat in se similitudinem eius qui eum genuit, Patris.* Hæc ibi. Insaniunt igitur hæretici huius æui nostri, qui Sacramentum Confirmationis repudiant, & per illud gratiâ homini dari negant. Nam & in Actis Apostolorum legimus, Petrum & Ioannem missos à ceteris Apostolis fuisse in Samariam ad eos qui verbum Dei receperant, ac baptizati fuerant, vt hi per illorum orationem & manuum impositionem consignationemque confirmarentur, & Spiritum sanctum acciperent, vbi hæc verba ha-
Actor. 8. bentur: *Miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*
Idem docet post Clementem Innocentius. Innocentius doctus sanctusque Pontifex Romanus, qui florebat circa annum Domini quadringentesimum octauum, in Epistolâ quam scripsit ad Decentium Eugubinum Episcopum, inter alia loquitur ita: *Pontificibus solis deberi, vt vel consignent* (baptizatos) *vel Paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum & Ioannem esse directos vt iam baptizatis traderent Spiritum sanctum.* Moxque subiungit Innocentius, quòd licet Presbyteri absente vel præsente Episcopo, dum baptizant, possint baptizatos vngere Chrismate; frontem tamen sacro Oleo signare, sit Episcoporum dumtaxat, cùm tradunt Spiritum sanctum.

Item in quintâ epistolâ suâ idem Clemens verba faciens de diuinis Scripturis ait: 16. *Difficultas & obscuritas sacræ Scripturæ, ex S. Clemente & S. Petro.* *Diligenter obseruandum est, vt lex Dei cùm legitur, non secundùm proprij ingenij intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque præsumpserit: sed hoc fieri non debet. Oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à maioribus secundùm veritatem sibi traditam seruauit. Vnde consilium dantes, vestram prudentiam hortamur, vt ab Apostolicis regulis non recedatis: sed communem vitam ducentes, & Scripturas sacras rectè intelligentes, quæ Domino vouistis, adimplere satagatis.* Prædictis verbis Clemen- *Ex traditione Ecclesiæ exponi debet*
tis adiungimus consimilia verba beati Petri Apostoli in secundâ Epistolâ suâ dicentis:
Charissimus frater noster Paulus secundùm 2. Pet. 3.
datam sibi sapientiam scripsit vobis sicut & in omnibus Epistolis, loquens de his: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur, fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis à propriâ firmitate. Si hæc Petri & Clementis verba hæretici æui nostri ritè attenderent, non ita impudenter assererent, diuinas Scripturas nihil habere obscuritatis, ob idque passim à quibusuis hominibus posse tractari & exponi, nec illis tam insolenter abuterẽtur ad tuẽda sua peruersa dogmata. Monet autem *Vota Deo reddenda.* Clemens eos ad quos scribit, vt ea quæ Domino vouerunt, adimplere satagant, sicuti etiam Propheta dicit: *Vouete, & reddite* Psal. 75.
Domino Deo vestro. Sed nunc nonnulli hæretici vota Monastica quæ Deo semel obtulerunt, sacrilegâ horrendâque impietate infringunt ac violant, & vt alij idem faciant, hortantur.

Epistolæ beati Clementis positæ sunt in 17. *Quanta sit auctoritas Epistolarum S. Clementis.*
initio voluminis sacrorum Conciliorum. Quibus Epistolis multum auctoritatis tribuunt Summi Pontifices, Anacletus, Euaristus, & Alexander, qui ex ordine Clementem subsecuti sunt. Illas namque ipsi ac plerique alij Pontifices honorificè citant, & earum verbis vtuntur in suis Epistolis. Sed dolendum

† Non quia merendi tempus est in alterâ vitâ, sed quia meritis per opera in vitâ hac tunc debita persoluuntur præmia.

Quintæ sanctæ Epistola ab hæreticis corrupta.

dolendum profectò est, quintam eiusdem Clementis Epistolam, quæ de communi vitâ tractat, fœdissimè à nescio quo hæretico conspurcatam fuisse. Postquam enim in eius exordio Clemens dixit, communem vitam necessariam esse his qui Deo irreprehensibiliter militare, & vitam Apostolorum eorumque discipulorum imitari cupiunt; mox addita sunt verba ista: *Communis enim vsus omnium quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit; sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius aliud, & sic inter mortales facta diuisio est. Denique Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse, ait communia debere esse amicorum omnia. In omnibus autem sunt sine dubio & coniuges. Et sicut non potest,* inquit, *diuidi aër, neque splendor solis, ita nec reliqua, quæ communiter in hoc mundo omnibus data sunt ad habendum, diuidi debere, sed habenda esse communia.* Hæc ibi. Quæ quidem verba, docentia vxores communes debere esse, ab improbo aliquo Nicolaitâ hîc inserta fuerunt. Sed cùm sint detestabilia, & à mente sancti Clementis, atque à Christianâ religione aliena, repudiari; & ex illo loco expungi debent. Ea autem habentur decimo libro Recognitionum ipsius Clementis, è Græcâ linguâ in Latinam à Rufino Torano versarum, non procul ab initio. Ibi enim pater Clementis, sacro Baptismate nondum regeneratus, recitans opiniones Philosophorum, Græcorum atque gentilium, inter alia profert etiam verba illa absurdissima. Et ea hæreticus quispiam illic in quintam Clementis Epistolam (vt dictum est) transtulit. Hoc ideò commemorauimus, ne quis legens illam vtilissimam Epistolam, putet virum castissimum atque sanctissimum aliquid ineptum aut turpe in eâ scribere voluisse. Nam quòd ipse castitatem vsque ad vitæ suæ finem coluerit, testatur sanctus Ignatius in epistolâ ad Philadelphienses datâ, scribens hunc in modum: *Virgines solum Christum præ oculis habete, & eius Patrem in precibus vestris, à Spiritu illuminatæ. Vtinam fruar vestrâ sanctitate, sicut Eliæ, sicut Iesu Naue, sicut Melchisedech, Elisei, Ieremiæ, Ioannis Baptistæ, dilecti illius discipuli, sicut Timothei, Titi, Euodij, Clementis, qui in castitate de vitâ exierunt.*

Vnde corruptela illa in hanc Epistolã transposita.

Refutatur ex castitate S. Clementis, teste S. Ignatio.

Passio sancti Clementis, & mirabile sepulchrũ in fundo maris sicco à Deo extructum.

18. In ipsius Clementis Vitâ Græcè scriptâ, (quam Ioachimus Perionius Latinam fecit) narratum est, vti idem Clemens, dijs sacrificare recusans, à Traiano Imperatore fuerit relegatus in exilium trans Pontum apud Chersonem. Vbi etiam tandem ab Aufidiano Duce in profundum maris præcipitatus est, anchorâ ad collum eius religatâ. Cumque Cornelius & Phœbus illius discipuli, vnà cum aliorum Christianorum multitudine in littore orarent, vt Deus ostenderet ipsis Martyris sui corpus; mare mox discessit ad stadia circiter viginti. Itaque illi ingressi, inuenerunt in mari saxum, sapientiâ atque prouidentiâ Dei paratum, quod templi speciem præseferebat, atque in eo corpus Martyris cum dignitate ab Angelis collocatum. Diuinitus autem admoniti sunt Cornelius & Phœbus, ne sacrum corpus, quod ibi præclarè repositum erat, transferrent. Quibus etiam reuelatum est, fore vt quotannis eo tempore quo Martyr ex hac vitâ excesserat, mare septem continuis diebus cursum suum cohiberet, ijsque, qui accedere vellent, transitum, vsque ad ipsum corpus concederet; id quod & singulis annis accidit. Postquam igitur in beati Clementis Vitâ omnia illa quæ diximus narrata sunt, ista verba subiunguntur: *Cùm hac ita essent, & Christianorum omnium, qui Chersonem incolebant, ad diem festum miraculi, concursus fieret; ibi etiam Deus miraculum edidit superioribus † mirabilius.* Aduertant hîc hæretici, quàm stupendis miraculis Deus cohonestet Sanctos suos, simulque considerent quàm stultè ac temerè festis Sanctorum aduersentur. De maximis illis miraculis ad corpus beati Clementis à Deo editis, etiam Nicephorus Callistus in tertio Historiæ suæ libro mentionem facit. Cap. 8.

† Mirabilius istud miraculum etiam narrat Simeon Metaphrastes ex S. Ephræm Martyre & Episcopo. Nempe annis sequentibus, cùm mare quotannis sacro S. Clementis die in se recurrens, solito more, sepulchrum venerationi peregrinorum siccum in fundo ostendisset, puerum à parentibus eò deductum, vt ad sacras Reliquias filij sui vitam ac fortunas commendarent: parentibus abeuntibus puerum ad sacram thecam remansisse, & refluente aquâ absorptum, toto anno, in fundo vixisse, donec anno sequenti parentes in eumdem locum reuersi, filiolum sanum & incolumem inuenerunt; qui se toto illo anno à S. Martyre nutritum & seruatum asserebat.

CAPVT VII.

Ex scriptis sancti Anacleti, & aliorum.

1. *S. Anacletus à B. Petro Presbyter ordinatus: Eucharistiam vocat corpus Christi.*
2. *Pontifices & Sacerdotes veteris Testamenti gessisse figuram Episcoporum & Presbyterorum nouæ legis.*
3. *Episcopi locum habent Apostolorum; Presbyteri verò 72. discipulorum.*
4. *Primatus Ecclesiæ Romanæ probatur ex veteri & nouo Testamento.*
5. *S. Aniceti testimonium de Epistolis S. Anacleti.*
6. *Item S. Ignatij de S. Anacleto, & quòd Diaconus B. Petri fuerit.*

7. Vnde orta diversitas tanta in recensione Cleti, Clementis, & Anacleti in successione sedis Pontificiæ post sanctum Petrum.

1. *S. Anacletus Eucharistiam vocat Corpus Domini.* BEATISSIMVS Martyr Anacletus, sancti Clementis in summo Pontificatu successor, in secundâ Epistolâ suâ ad Episcopos Italiæ scriptâ, ponit hæc verba: *Prout Dominus tribuit, & vt à beato Petro principe Apostolorum sumus instructi, (à quo & Presbyter sum ordinatus) scribere vobis, sicut petistis, non denegauimus.* Non multò pòst Anacletus appellat Eucharistiam *Corpus Christi*, sicuti reuerà est. Ait enim: *Accusatio eorum* (scilicet Sacerdotum) *super quâ nos consulere voluistis, non nisi ab idoneis & probatissimis viris, qui & suspicionibus & sceleribus careant, fieri debet: quia Dominus sacri Corporis sui tractatores à vilibus & reprobis ac non idoneis personis infamari noluit, nec calumniari permisit.*

2. *Pontifices & Sacerdotes synagoga, præfigurabant Episcopos & Presbyteros Euangelicos.* In eadem Epistolâ Anacletus scribit ita de Sacerdotibus ac Sacerdotio: *Non propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam, Presbyteri* (id est seniores) *nominantur. Initium sacerdotij fuit Aaron, licet Melchisedech prior obtulerit Sacrificium,* Genes. 14. *& post hunc Abraham, Isaac & Iacob.* Genes. 22. Genes. 26. Genes. 33. *Sed hi spontaneâ voluntate, non sacerdotali auctoritate ista fecerunt. Ceterùm Aaron primus in lege Sacerdotale nomen accepit, primusq; Pontificali stolâ indutus, victimas obtulit, iubente Domino ac loquente ad Moysen:* Exod. 29. *Accipe Aaron & filios eius, & applicabis eos ad ostium tabernaculi testimonij. Cumq; laueris patrem cum filiis aquâ, indues Aaron vestimentis suis*, &c. Anacletus deinde subiungit: *Quo loco contemplari oportet, Aaron Summum Sacerdotem, id est, Episcopum fuisse; porrò filios eius Presbyterorum demonstrasse figuram.* Ac paulò pòst, *In nouo*, inquit, *Testamento, post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo: quia ipsi primò Pontificatus in Ecclesia datus est.* *Petrus primus Episcopus, & princeps Apostolorum.* Matth. 16. *Hic ligandi atque soluendi potestatem primus accepit à Domino, primusq; ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Ceteri verò Apostoli, cum eodem, pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumq; principem suum esse voluerunt: qui etiam iubente Domino in toto orbe dispersi, Euangelium prædicauerunt. In locum eorum successerunt Episcopi.* Et paucis interiectis, *Electi*, inquit, *sunt ab eis septuaginta discipuli quorum typum gerunt Presbyteri, atque in eorum locum sunt constituti in Ecclesiâ.* Hîc ostendit Anacletus, qui à Petro Apostolo institutus fuerat, Sacerdotes veteris Testamenti gessisse figuram Sacerdotum noui Testamenti: at hæretici nunc, horrendâ & plus quàm diabolicâ temeritate, volunt abrogare Sacerdotium legis Euangelicæ.

Ipse idem Anacletus in exordio tertiæ Epistolæ suæ, quam ad omnes Episcopos & Sacerdotes scribit, rursum affirmat se à sancto Petro Apostolorum principe Presbyterum fuisse ordinatum. 3. *Succedunt Apostolis Episcopi: septuaginta discipulis Presbyteri.* Ibique paulò pòst ait: *De Primatibus, charissimi, super quibus me quidam vestrûm consuluerunt, & Apostolicæ auctoritatis (quâ, licet indigni, Domino dispensante fungimur) decretum postulauerunt, aut si esse deberent, aut non: quantum hactenus de his à beato Petro Apostolo, & à reliquis Apostolis, atque à beato Clemente, nostro sancto prædecessore & Martyre, nouimus statutum, denegare vobis minimè possumus. Et quis est, qui quærentibus fratribus denegare possit dubitationes vel necessitates eorum? Sacerdotum, fratres, ordo bipartitus est: & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari. Scitis autem, à Domino Apostolos esse electos & constitutos, & posteà per diuersas Prouincias ad prædicandum dispersos. Cùm verò messis cœpisset crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adiumentum, septuaginta eligi præcepit discipulos. Episcopi verò Apostolorum, Presbyteri quoque septuaginta discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in castellis aut modicis ciuitatibus debent constitui, sed Presbyteri per castella & modicas ciuitates atque villas debent ab Episcopis ordinari & poni: singuli tamen per singulos titulos suos.* *Episcopi vrbibus, Presbyteri villis aut castellis præficiuntur.* *Et Episcopus non ab vno, sed à pluribus debet Episcopis ordinari: & (vt dictum est) non ad modicam ciuitatem (ne vilescat nomen Episcopi) sed ad honorabilem vrbem titulandus ac denominandus est. Presbyter verò ad quemcumque locum vel Ecclesiam in eo constitutam est præficiendus, in eâ diebus vitæ suæ duraturus*, &c. In Epistolâ ad Episcopos Italiæ scriptâ Anacletus, sicut à beato Petro instructus fuerat, dicit illos Pontifices, qui Episcopos consecrant, debere eis manus cum sanctis Euangelijs imponere, & more Apostolorum ac Moysis, capita eorum sacrâ Vnctione vngere: *quia*, inquit, † *omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto Chrismati est permixta.* Attendant hæc hæretici, qui ordinationem consecrationemque Sacerdotum & Episcoporum in Eccle-

† Ecce solemnem ab Apostolorum temporibus Episcoporum consecrationem, cui tanto clamore Nouatores sese opponunt.

siâ Catholicâ, ex institutione Domini fieri solitam, derident.

4. *Ecclesia Romana primatus, ex S. Anacleto.*

In eadem Epistolâ ipse Anacletus de primatu Romanæ Ecclesiæ (quam hæretici superbissimè contemnunt, & odio atque maledictis insectantur) scribit in hunc modum: *Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis, super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est: sicut ipse beato Petro Apostolo dixit:* (Matth. 16.) *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum: & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælo. Adhibita est etiam societas in eadem Romanâ vrbe beatissimi Apostoli Pauli, vasis electionis: qui vno die, vnoq́; tempore, gloriosâ morte cum Petro sub Principe Nerone decertans, coronatus est: & ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt, alijsq́; omnibus vrbibus totius mundi, eam suâ præsentiâ atque venerando triumpho prætulerunt.* Et paulò infrà idem Anacletus ait: (*Petrus reliquis præerat Apostolis.*) *Inter beatos Apostolos quædam fuit discretio: & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se id ipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis.* Rursumque infrà addit Anacletus: *Si quæ causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad huius sanctæ Sedis apicem eas, quasi ad caput, referte, vt Apostolico terminentur iudicio: quia sic Dominum velle, ab eoq́; ita constitutum esse, antedictis testimoniis declaratur. Hæc verò Apostolica Sedes, cardo & caput (vt prætactum est) omnium Ecclesiarum à Domino, & non ab alio est constituta. Et sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ Sedis auctoritate, omnes Ecclesiæ Domino disponente reguntur.* Hæc ibi.

(*Probatur primatus ex Scripturâ, Antiquâ.* Deut. 17.) Itidem in veteri lege difficilia quæque ad Summum Sacerdotem & eius consiliarios atque administros referri debebant. Sic enim in Deuteronomio loquitur Deus: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, & causam & causam, & iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum quem elegerit Deus tuus, veniesq́; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit eo tempore, quæresq́; ab eis: qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: sequêris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad sinistram.*

(*Nouâ.*) Porrò, quòd Christus beatum Petrum rectorem & caput Ecclesiæ suæ constituerit, etiam ex his quæ modò subiungemus, manifestum est. Ipse Dominus Iesus post resurrectionem suam, antequam abiret ascenderetque in cælum, eidem Petro (cùm Ioannes & Iacobus frater eius ac Thomas præsentes adessent) specialiter dixit hæc verba: *Pasce agnos meos, Pasce oues meas.* (Ioan. 21.) Vbi Græcè sic scriptum est, Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. id est, more pastoris atque opilionis rege oues meas. Quasi diceret: Ego, Petre, in cælum me recipio; tu tamquam vicarius meus primatum tenens, guberna Ecclesiam meam, & pro eâ sedulam curam gere. In initio Psalmi septuagesimi noni illud ipsum verbum positú est, vbi dicitur: Ὁ ποιμαίνων τὸν Ἰσραὴλ πρόσχες. *Qui regis Israel intende.* (Cap. 20.) Lucas etiam in Actis Apostolorum vtitur eodem verbo, vbi inducit Paulum inter alia dicentem: Προσέχετε ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο Ἐπισκόπους, ποιμαίνειν τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Hoc est: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Certe quidam Scriptores Græci Regem appellant †ποιμένα, eò quòd pastoris ritu regat vel regere debeat populum. Et Petrus Apostolus constitutus est supremus Ecclesiæ pastor atque gubernator in terris. Quare qui ipsius Petri legitimum successorem, videlicet Romanum Summumque Pontificem, negat esse, sub Christo, caput totius Ecclesiæ militantis, & sese Apostolicæ Sedi (cui omnes Catholici reuerentiam propter Christum semper habuerunt) adiungere atque subijcere non vult, is proculdubiò ordinationi Dei resistit, & alienus ab Ecclesiâ est. (Rom. 13.) Desertor, infamis & profanus dici debet: quia reliquit domum Dei, reliquit antiquam illam & nobilem omnibusque conspicuam ciuitatem, quæ super montem Christum posita, & super petram Apostolicam ædificata est: extra quam nullus Deo placere potest. (Matth. 5. Matt. 16.)

5. *Epistolas S. Anacleti laudat sanctus Anicetus.*

Anicetus Martyr & decimus Pontifex Romanus, citat Anacletum in Epistolâ suâ ad Episcopos Galliæ missâ, his verbis: *De ordinationibus Episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, olim in sancti prædecessoris nostri Anacleti ordinationibus quædam iam decreta reperimus. Scimus enim, beatissimum Iacobum, qui dicebatur Iustus, qui etiam secundùm carnem frater Domini*

† Homerus creberrimè Regem vocat ποιμένα λαῶν, id est, Pastorem populorum.

nun-

nuncupatus est, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis, Ierosolymorum Episcopum esse ordinatum, &c. Habentur hæc in Epistolâ Anacleti ad Episcopos Italiæ scripta.

6. Ipsum sanctissimum virum Anacletum aliquando Diaconum Petri Apostoli fuisse, indicat sanctus Ignatius in Epistolâ ad Trallianos datâ, vbi ait: *Veneramini Episcopum vestrum sicut Christum, vt nobis beati præceperunt Apostoli. Qui sine Episcopo, & Presbyteris, & Diaconibus aliquid agit, pollutâ est conscientiâ, & est infideli deterior. Quid enim est Episcopus, nisi qui principatum omnem & potestatem supra omnes obtinet (vt obtinere homo potest) qui est, pro viribus, Christi Dei imitator? Quid verò Presbyteri, nisi collegium sacrum, consiliarij & confessores Episcopi? Quid item Diaconi, nisi imitatores Angelicarum virtutum, ei ministrantes ministerium purum & immaculatum: vt sanctus Stephanus, beato Iacobo: Timotheus ac Linus, Paulo: & Anacletus atque Clemens, Petro? Qui his inobediens fuerit, atheus & impius omnino erit, Christum improbans, & eius ordinationem imminuens.*

Anacletum Petri Diaconi fuisse asserit S. Ignatius.

7. In Epistolâ eiusdem Ignatij ad Mariam quamdam pietati deditam ac sanctam scriptâ, Anacletus apertè dicitur præcessisse Clementem in summo Pontificatu. Ibi enim ita scriptum est etiam in codice Græco: *Cùm Romæ esses apud beatum Papam Anacletum, cui nunc successit beatissimus Clemens Petri & Pauli auditor*, &c. Sed fortasse nomina fuerunt olim transposita: ita vt loco Clementis positus sit Anacletus, & loco Anacleti Clemens. Atque hinc factum esse reor, vt & Irenæus, & Eusebius Cæsariensis, & Nicephorus Callistus, & alij, in suis scriptis asserant Clementem successisse Anacleto. Nisi potiùs dicendum sit, vbi Anacletus præcedit Clementem, positum esse Anacletum pro Cleto. Cuius quidem Cleti nullam mentionem prædicti Scriptores facere videntur, quem tamen multi Historici post Linum ante Clementem administrasse Romanum Episcopatum dicunt, viuente adhuc beato Petro Apostolo. Iam si in Irenæo, Eusebio, & Nicephoro Cletus pro Anacleto intelligendus est, omnino Anacletus ab eis omissus erit. Verùm cùm Summi Pontifices illis temporibus non admodum diu permitterentur viuere, sed citò propter fidem Christianam raperentur ad mortem atque martyrium: nihil mirum, si in eorum vel ordine enarrando, vel nominibus exprimendis error aliquis esse potuerit. Nicephorus secundo Historiæ suæ libro capite trigesimo quinto, indicare videtur, Linum & Anacletum administrasse Episcopatum Romanum, cùm Petrus Apostolus viueret. Dicit enim, ipsum Petrum claues Ecclesiæ primùm quidem Lino, deinde Anacleto, & post hos tertiò (ad mortem vadens) sapientissimo Clementi commisisse: additque posteà hæc verba: *Ipse Clemens se à Petro in obitu eius electum dicere, & à Petro secundum numerare videtur.* Alexander quoque Martyr, & quintus Pontifex Summus, in Epistolâ suâ ad omnes Orthodoxos, apertè dicit Clementem Petro successisse. Idem affirmant complures alij Pontifices in suis Epistolis. Tertullianus etiam loquens de illis quos Apostoli constituerunt in Ecclesijs Episcopos, *Smyrneorum*, inquit, *Ecclesia Polycarpum à Ioanne collocatum refert, & Romana Ecclesia Clementem à Petro ordinatum edit.* Hæc ille. Cùm Nicephorus & alij dicant, Petrum post primum suum in vrbem Romam aduentum adhuc peregrinationes suscepisse, ac postremò Romam reuersum esse; verisimile est, Linum & Cletum, absente Petro, Episcopatum Romanum administrasse. Sanè quòd Clemens Anacletum in Pontificatu præcesserit, ipsemet Anacletus in Epistolâ ad Episcopos & Sacerdotes omnes datâ manifestissimè ostendit, vti suprà videre licet.

Dissertatio de causis varietatis in recensendâ successione Cleti, Clementis, & Anacleti ad Pontificatum Romanum.

Iren. lib. 3. c. 3. Euseb. lib. 3. c. 14. Niceph. l. 2. c. 35.

In libro Præscriptionum.

Lib. 2. c. 35.

CAPVT VIII.

Ex scriptis complurium sanctorum Pontificum.

1. *Consecratio Basilicarum & altarium.*
2. *Primatus Ecclesiæ Romanæ.*
3. *Missæ Sacrificium propitiatorium pro peccatis.*
4. *Benedictio aquæ, rerumque aliarum vsibus hominum applicandarum.*
5. *Vasa sacra à sacris ministris tractanda.*
6. *Ieiunium Quadragesimæ. Hora celebrandi Missam.*
7. *Ligna Ecclesiæ profanis vsibus applicari non possunt; Monasterijs possunt.*
8. *Pascha die Dominico celebrandum. Roma caput omnium Ecclesiarum.*
9. *Prædia Ecclesiastica à laicis non inuadenda.*
10. *Velatio Virginum. Officium diuinum in natalitijs Sanctorum.*
11. *Si stilla Sanguinis Domini de calice ceciderit, quid fiet.*
12. *Clericorũ rasura, habitusq́; à populari distinctus.*
13. *Si Sacerdos non poterit inchoatum Sacrum explere, ab alio compleatur.*

EVARISTVS Martyr præclarus Anacleto in summo Pontificatu successit. Hic decretum edidit de consecratione Basilicarum hisce verbis: *Omnes Basilicæ cum Missâ semper debent consecrari; altaria verò placuit non* 1.

De ritu consecrandi Ecclesias & altaria, ex Euaristo.

solùm vnctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari. Si verò altaria non fuerint lapidea, ad celebranda diuina Officia non consecrentur. Hæc Euaristus. Hæretici moliuntur quidem sanctas consecrationes ac reliquas traditiones Apostolicas piosque ritus Ecclesiasticos abrogare; sed frustrà in Dei Ecclesiam (quæ est firmissima *veritatis columna*) effrenes impetus faciunt.

1.Tim.3.

2. Alexander Euaristi successor & Martyr Christi inuictus, in Epistolâ suâ, quam scripsit ad omnes Orthodoxos, ita de primatu & auctoritate Romanæ Ecclesiæ loquitur: *Relatum est ad huius sanctæ & Apostolicæ Sedis apicem (cui summarum dispositiones causarum & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi capiti; ipso dicente principi Apostolorum Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam) quòd quidam æmuli Christi, eiusq́; sanctæ Ecclesiæ insidiatores, Sacerdotes Dei ad iudices publicos accusare præsumant, &c.*

De primatu Romani Pontificis, ex Alexandro.

Matth.16.

3. In eadem Epistolâ ipse Alexander de Missæ Sacrificio disserit in hunc modum: *In Sacramentorum oblationibus quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, vt eius (cuius Corpus & Sanguis conficitur) passio celebretur, ita vt repulsis opinionibus superstitionum, panis tantùm & vinum aquâ permixtum, in Sacrificio offeratur. Non debet enim (vt à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum; quia vtrumque ex latere eius in passione suâ profluxisse legitur. Ipsa verò veritas nos instruit, calicem & panem in Sacramento offerre, quando ait: Accepit Iesus panem, & benedixit, deditq́; discipulis suis, dicens: Accipite & manducate, hoc est enim Corpus meum quod pro vobis tradetur. Similiter postquam cænauit, accepit calicem, deditq́; discipulis suis, dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes, quia hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum. Crimina enim atque peccata, oblatis his Domino Sacrificijs, delentur. Idcircò & passio eius in his commemoranda est quâ redempti sumus, & sæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus hostijs delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in Sacrificijs maius esse potest, quàm Corpus & Sanguis Christi. Nec vlla oblatio hac potior est: sed hæc omnes præcellit. Quæ purâ conscientiâ Domino offerenda est, & purâ mente sumenda, atque ab omnibus veneranda.*

Missam esse Sacrificium propitiatorium, ex eodem.

Luc. 22. 1.Cor.11. Matth.26.

Ceterùm de benedictione & consecratione Aquæ lustralis (quam profani hæretici nunc risu & cachinnis prosequuntur) idem beatissimus Alexander eodem loco verba ista mox subiungit: *Aquam sale conspersam populis benedicimus, vt eâ cuncti aspersi sanctificentur ac purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus sanguine populum sanctificabat ac mundabat, multò magis aqua sale aspersa, diuinisq́; precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat & expurgat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à * phantasmatis versutiis homines defendit. Nam si tactu fimbriæ vestimenti Saluatoris saluatos infirmos esse non dubitamus, quantò magis virtute sacrorum eius verborum diuinitus sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas? His ergo & alijs instructi documentis, vota singulorum Domini Sacerdotes respicite, & in virtute Spiritus sancti, diuinis precibus per ministerium vobis diuinitus collatum, perficere curate. Elementa quoque, tam ea quæ prædiximus, quàm cetera diuinis apta vsibus, & humanis necessaria infirmitatibus, sacrate.* 4.

De Aquâ benedictâ idem Alexander scribit.

Leuit.16. Heb.9.

* Alij legũt, phantasmaticis versutijs.

Matth.19.

Xystus Martyr venerabilis, qui post Alexandrum functionem Pontificiam suscepit, in secundâ Epistolâ suâ scribit de vasis sacris hoc modo: *Cognoscat vestra sapientia, charissimi fratres, quia in hac sanctâ Sede Apostolicâ à nobis & reliquis Episcopis, ceterisq́; Domini Sacerdotibus statutum est, vt sacra vasa non ab alijs, quàm à sacratis Dominoq́; dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valdè est, vt sacra Domini vasa quæcumque sint, humanis vsibus seruiant, aut ab alijs quàm à Domino famulantibus, eiq́; dicatis tractentur viris.* Hæc ibi. Quàm iustè de sacris vasis istud fuerit statutum, indicat nobis religio quæ circa talia etiam in veteri lege seruabatur. Certè Baltassar Rex Babylonis, cùm vasis cultui veri Dei consecratis, in profano conuiuio vsus fuisset, diuinam vltionem repentè sensit, vt in Daniele habetur. In fine illius Epistolæ Xystus ait: *Nos, fratres, nullum perdere volumus, sed ipse se perdit, qui piè considerata auertit, & qui Apostolorum & huius sanctæ Sedis decreta libenter violat.* 5.

De sacris vasis reuerenter tractandis Xystus sententiam dicit.

Dan.5.

Telesphorus Xysti successor & Martyr gloriosus, in Epistolâ suâ disserit de ieiunio ante Pascha, deque celebratione Missarum, hunc in modum: *Credimus, sanctam fidem vestram in Apostolorum eruditione fundatam, hanc tenere, & hanc populis vniuersis exponere, quæ videlicet à constitutis* 6.

De Quadragesimâ, ex Telesphoro.

tutis Apostolorum eorumq́ successorum nullâ ratione dissentit, per quos iustum est ceteros erudiri. Quapropter cognoscite à nobis, & à cunctis Episcopis in hac sanctâ & Apostolicâ Sede congregatis statutum esse, vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha, omnes Clerici in sortem Domini vocati, à carne ieiunent. Et paulò pòst: *Has ergo septem hebdomadas omnes Clerici à carne & delicijs ieiunent, & hymnis & vigilijs atque orationibus Domino inhærere die nocteq́ studeant. Nocte verò sanctâ Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent, & Hymnum Angelicum in eis solemniter decantent, quoniam in eadem nocte ab Angelo pastoribus nuntiatus est.* Item infrà: *Reliquis temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ, cùm & eâdem horâ Dominus crucifixus sit, & super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legatur. Ab Episcopis autem idem Angelicus Hymnus pro tempore & loco in Missarum solemnijs celebrandus est, atque solemniter recitandus.* Moxque addit Telesphorus: *Ipsi qui proprio ore Corpus Domini conficiunt, ab omnibus sunt audiendi.*

Certa hora celebrandi Missam, ex eodem.

7\. *Res Ecclesiæ profanis vsibus applicari non debent, teste Hygino.*

Hyginus Martyr Telesphoro successit. Is promulgauit decretum huiusmodi: *Omnes Basilicæ cum Missâ debent semper consecrari, & Ecclesiæ destructæ. Ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud corpus iungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus. In laicorum verò opera non debent admitti.* Ex his Hygini verbis constat, fuisse tunc Monasteria.

8\. *Festum Paschatis in Dominicâ & non in die plenilunij celebrandum, ex Pio.*

Pius Martyr post Hyginum Romanam Ecclesiam rexit. Hic in Epistolâ ad vniuersos Christi fideles scriptâ, loquitur de solemnitate Paschæ, & capite Ecclesiæ, hoc modo: *Nosse vos volumus, quòd Pascha die Dominicâ annuis solemnitatibus sit celebrandum. Istis enim temporibus Hermas Doctor fidei & Scripturarum effulsit inter nos. Et licet nos idem Pascha prædictâ die celebremus, quia tamen quidam inde dubitauerunt, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ Angelus Domini in habitu pastoris apparuit, & præcepit ei, vt Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur. Vnde & nos Apostolicâ auctoritate instruimus omnes eadem seruare debere, quia nos eadem seruamus: nec debetis à capite quoquo modo dissidere.* Et paulò pòst: *Christus est caput omnis principatus & potestatis: qui & hanc sanctam Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput esse præcepit, ipso dicente principi Apostolorum Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* &c.

Hermæ visio.

Papa Romanus caput Ecclesiæ.

Matth. 16.

9\. *De prædiis Ecclesiæ non alienandis, ex eodem Pio.*

Et in Epistolâ ad Italos datâ, ipse Pius de prædijs Ecclesiasticis, quæ plerisque in locis nunc hæretici diripiunt, scribit ita: *Prædia diuinis vsibus tradita, quidam humanis applicant vsibus, & Domino Deo (cui tradita sunt) ea subtrahunt, vt suis vsibus inseruiant. Quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia vsibus secretorum cælestium dicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quispiam præsumpserit, sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus iudicetur. Ipsos autem qui hoc agunt, Clericos & Domini Sacerdotes persequi, eosq́ infamare audiuimus, vt malum super malum addant, & deteriores fiant: non intelligentes quòd Ecclesia Domini in Sacerdotibus consistit, & crescit in templum Dei. Et sicut qui Ecclesiam Dei vastat, & eius prædia & donaria expoliat & inuadit, fit sacrilegus: sic & ille qui eius Sacerdotes insequitur, sacrilegij reus existit, & sacrilegus iudicatur.*

Ecclesia in Sacerdotibus consistit, à quibus & eorum bonis inuadendis cauendum.

10\. *De Sanctimonialium velo sacro, teste eodem Pio.*

Idem Pius de velatione siue consecratione virginum ait: *Virgines non velentur ante vigintiquinque annos ætatis, nisi fortè necessitate periclitantes pudicitiæ virginalis. Et non sunt consecrandæ nisi in Epiphaniâ, & in Albis Paschæ, & in Apostolorum Natalitijs, nisi causâ mortis vrgente.* Hæretici temporis nostri, qui nullum festum præter diem Dominicam seruare volunt, aduertant hîc exprimi etiam Epiphaniam, & Natalitia Apostolorum. Certè sanctus Fabianus, vndecimus ab isto Pio Pontifex Summus, & Martyr præclarus, in initio primæ Epistolæ suæ sic scribit: *Septem Diaconos in vrbe Romanâ per septem regiones ciuitatis, sicut à Patribus accepimus, habemus; qui per singulas hebdomadas & Dominicos dies, atque festiuitatum solemnia cum Subdiaconibus, & Acolythis, ac sequacium ordinum ministris, iniuncta sibi obseruant ministeria, & parati omni horâ sunt ad diuinum Officium peragendum.*

Festi dies Sanctorum, ex Fabiano.

11\. *Pius docet quid agetur, si ceciderit stilla de sacro Calice.*

Etiam de Sanguine Domini Pius hoc decretum nobis reliquit: *Si per negligentiam aliquid de Sanguine Domini stillauerit in terram, linguâ lambatur, tabula radatur. Si non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus* [a] *corrodatur, & igne consumatur, & cinis intra altare recondatur. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam: & linteamina quæ stilla tetigerit, tribus vicibus minister abluat, calice subterposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.*

[a] Aliter, corradatur.

12\. *De habitu & tonsurâ Clericorum docet nos Anicetus.*

Anicetus Martyr post Pium Ecclesiæ Dei præfuit: sub quo beatus Polycarpus adhuc superstes Romam venit (vt Irenæus, & Euse-

Eusebius atque Nicephorus referunt) propter quæstionem quæ de Paschate inciderat. Hic Anicetus in Epistolâ, quam ad Galliæ Episcopos scripsit, ita de comâ Clericorum loquitur: *Prohibete, fratres, per vniuersas regionum vestrarum Ecclesias, & curate, vt Clerici (qui laicis & simplicibus, virtutis, honestatis, pudicitiæ & grauitatis exemplar esse debent, ac seipsos tamquam signum purioris vitæ, rudioribus ad imitationem prudenter exhibere) iuxta Apostolum, comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant; quia sicut discreti † debent esse in conuersatione, ita & in tonsurâ & omni habitu discreti debent apparere.*

13. *Missam ab vno Sacerdote inchoatam & non finitam, alius Sacerdos perficiat, vt indicat Soter.*

Soter Martyr Aniceto in administratione sanctæ Ecclesiæ successit. Is de Missæ Sacrificio sic constituit: *Censuimus conuenire, vt cùm à Sacerdotibus Missarum tempore sacra mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat quilibet euentus, quo cœptum nequeat expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero, vt consecrationem expleat officij cœpti.* Et infrà, *Nullus*, inquit, *post cibum potumq́ sine quodlibet minimum sumptum Missas facere, nullusq́ absque patentis molestiæ prouentu minister vel Sacerdos, cùm cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere.*

Missa ab omnino ieiunis facienda.

† Id est segregati à laicis Clerici debent habere signa à laicis distinctiua.

CAPVT IX.

Ex scriptis sanctorum Irenæi, Iustini, & Hippolyti in primitiuâ Ecclesiâ.

1. *Clarissima doctrina Irenæi de Sacrificio Missæ.*
2. *Et de primatu Ecclesiæ Romanæ.*
3. *Item de obseruandis traditionibus.*
4. *Sancti Iustini locus de libero arbitrio.*
5. *De ieiunijs pro remissione peccatorum.*
6. *De ritu Missæ, & de transsubstantiatione.*
7. *Sancti Hippolyti prædictio de temporibus Lutheranorum.*
8. *De Missâ, Monachatu, Virginitate.*

1. *Ætas sancti Irenæi, & doctrina de venerabili Sacramento, & Sacrificio Missæ.*

CVM Soter vitâ defunctus esset, beatus Eleutherus Ecclesiam regendam suscepit. Irenæus autem Martyr clarissimus, sancti Polycarpi quondam auditor, vixit sub Aniceto & Sotere atque etiam Eleuthero Pontificibus. Nam quòd suo tempore Eleutherus fuerit Pontifex, ipse indicat tertio Aduersus hæreses libro, vbi recenset ex ordine Pontifices Romanos. (Cap. 3.) Ita enim scribit: *Cùm Aniceto successisset Soter, nunc duodecimo ab Apostolis loco Episcopatum habet Eleutherus.* Hic igitur Irenæus quarto libro Aduersus hæreses loquitur de Eucharistiæ oblatione in hunc modum: *Dominus discipulis suis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum, qui ex substantiâ panis est, accepit, & gratias egit, dicens, Hoc est Corpus meum: & calicem similiter, qui est ex eâ creaturâ quæ secundùm nos est, suum Sanguinem confessus est: & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo. De quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignauit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris: quoniam ab ortu solis vsque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum.* (Cap. 32. Matth. 26. Malach. 1.) Et paulò pòst addit Irenæus: *Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in vniuerso mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei.* (Cap. 34.) Hæretici, qui blasphemias in nouam noui Testamenti oblationem, hoc est, in Eucharistiæ Missæque Sacrificium impio ore euomunt, & negant Christum illam oblationem instituisse ac docuisse, expendant diligenter prædicta Irenæi verba: expendant item verba Martialis quæ suprà citauimus, & verba tertij Canonis Apostolici. Certum planè est, Apostolos à Christo didicisse, & Ecclesiam ab Apostolis accepisse præcellentissimam istam nouæ legis oblationem. Ceterùm post initium libri quinti Irenæus ait: *Quando & mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis & Corporis Christi.*

2. *Ecclesia Romana à Petro & Paulo fundata, vt Irenæus docet.* Cap. 5.

Libro tertio ipse idem Irenæus magnificè Ecclesiam Romanam commendat, scribens ita: *Maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ traditionem, quam habet ab Apostolis, & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes: confundimus omnes eos qui quoquo modo vel per sui complacentiam prauam, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, aliter quàm oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt vbique fideles: in quâ semper conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.*

Caput est omnium Ecclesiarum Romana.

3. Cap. 3. *Successio Pontificum & traditio*

Et paulò pòst, enumeratis Pontificibus Romanis, ait Irenæus: *Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesiâ traditio*

Ecclesiarũ est Irenæo certissima veritatis nota in re fidei, contra Nouatores nuper natos.

traditio peruenit vsque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, vnam & eamdem viuificatricem fidem esse quæ in Ecclesiâ ab Apostolis vsque nunc sit conseruata & tradita in veritate. Et Polycarpus non solùm ab Apostolis edoctus & conuersatus cum multis ex his qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asiâ, in eâ, quæ est Smyrnis, Ecclesiâ constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in primâ nostrâ ætate (multum enim perseuerauit, & valdè senex gloriosissimè & nobilissimè martyrium faciens, exiuit de hac vitâ.) Hic docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesia tradidit, & ea sola sunt vera. Et posteà Irenæus scribit ita: *Non oportet quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesiâ sumere: cùm Apostoli quasi in depositorium diues plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis; vt omnis quicumque velit, sumat ex eâ potum vitæ. Hæc enim est vitæ introitus: omnes reliqui fures sunt & latrones. Propter quod oportet deuitare quidem illos: quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magnâ diligentiâ diligere, & traditionem veritatis apprehendere. Quid enim? Si de aliquâ modicâ quæstione disceptatio esset, nónne oportet in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nónne oportebat ordinem sequi traditionis quam tradiderunt his quibus committebant Ecclesias?* Notent hæc hæretici, qui Apostolorum sanctorumque Patrum traditiones contemnunt, & nihil esse certæ fidei dicunt, nisi sit expresè positum in Canonicis Scripturis.

Ecclesia repositorium veritatis. Ioan. 10.

Ecclesia, etiam sine vllâ Scripturâ, audiatur.

4\. *Assertio liberi arbitrij, ex Iustino Martyre.*

Iustinus Philosophus & Martyr floruit non multò ante Irenæum. Is in secundâ Apologiâ suâ pro Christianis, de libertate arbitrij, quam homini inesse plerique hæretici modò impudentissimè negant, sic loquitur: *Pœnas & præmia pro dignitate operum cuique reddi, verum est & compertum ex Prophetarum oraculis. Alioqui si fato regerentur omnia, nihil omnino relictum esset in nostrâ potestate. Nam si fatali lege alius bonus esset, alius malus; nec laudem ille, nec hic mereretur vituperium. Et nisi homines arbitrio possint turpia fugere, honesta sectari, extra culpam erunt quidquid etiam agant.* Et paulò pòst, *Hominem*, inquit, *longè aliâ conditione creauit Deus, quàm quadrupedes discernendi eligendiq́ facultate carentes. Alioqui nullam laudem mereri potuisset, si non sponte virtutem prætulisset vitio; neque si malus fuisset, pœnam merebatur. Didicimus autem hæc à sancto prophetico spiritu, quo afflatus Moyses narrat Deum sic locutum homini recèns à se ficto:* * *Ecce ante faciem tuam bonum & malum: tu bonum eligito. Item Isaias alius Propheta ex personâ Patris Dominiq́ omnium Dei, sic loquitur: Lauamini, mundi estote, auferte malitias ab animabus vestris; discite bonum facere. Si volueritis, & meam vocem audieritis, bona terræ comedetis: quòd si non audieritis, deuorabit vos gladius, nam os Domini locutum est. Quod autem dicit, Deuorabit vos gladius, non cædem minatur contumacibus; sed Dei gladius est ignis, cuius pabulum sunt malorum operum patratores.* Hæc ibi. Profectò hæresis illa, quâ homines insani impugnant libertatem arbitrij nobis à Deo præstitam, & vitam nostram omnem coactam esse dicunt, perniciosissima est: cùm sit totius impietatis atque iniquitatis fomentum. In libro Iesu filij Sirach, hoc est, in Ecclesiastico (quem hæretici quidem reijciunt, sed Ecclesia Dei inter Scripturas Canonicas nunc numerat) leguntur hæc verba: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.*

* Hæc accepta ex Ecclesiastici cap. 15. alludunt ad verba quæ Moyses Geneseos cap. 1 & 4. refert de libero arbitrio.

Isai. 1.

Eccli. 15.

In illâ eâdem Apologiâ de precibus & ieiunijs quæ ante Baptismum peragi solebant, Iustinus scribit ita: *Quotquot persuasi credunt hæc, quæ docemus, vera esse, & ad eum modum viuere pollicentur; ante omnia discunt precibus & ieiunijs petere à Deo præteritorum peccatorum veniam, nobis vnà preces ieiuniaq́ iungentibus. Deinde ad aquam à nobis ducuntur, & renascuntur modo renascendi quo & nos renati sumus. Nam in nomine Patris omnium, Dominiq́ Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti, in aquâ tunc lauantur. Dixit enim ipse Christus: Nisi renati fueritis, non intrabitis in regnum cælorum.* Ioan. 3.

5\. *Ieiunia satisfactoria pro peccatis agnoscit Iustinus.*

In fine eiusdem Apologiæ Iustinus de ritu Missæ scribit hæc verba: *Omnes qui in oppidis vel agris commorantur, vnum in locum conueniunt, Commentariáque Apostolorum vel Prophetarum scripta leguntur, quamdiu res patitur. Deinde vbi is qui legit destitit, is qui præest admonet & hortatur, vt ea quæ lecta sunt bona imitemur. Tum surgimus omnes, & comprecamur, conclusisq́ precibus nostris, panis vinúmque & aqua afferuntur: tumq́ is qui primum locum tenet, preces gratiarumq́ actionem*

6\. *Conuentus fidelium ad Missam audiendam, ex eodem. Obseruandi ritus Missæ, ex Iustino, quales nunc ferè in vsu.*

nem pro virili mittit, populusq; acclamat dicens, Amen; & ijs quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, vnusquisque participat. Ac paulò suprà: *Cibus ille vocatur à nobis Eucharistia: cuius participium nulli omnino fas est permittere, nisi credenti doctrinam nostram veram esse, & iam lauacro regenerationis in remissionem peccatorum loto: & ita vescitur, vt Christus tradidit. Non enim vt quemuis panem, neque vt quemuis potum ista accipimus: sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus est Iesus Christus Saluator noster, & carnem & sanguinem pro nostrâ salute assumpsit, ita quoque per preces verbi illius, cibum, ex quo sanguis & caro nostra per imitationem aluntur, cùm benedictus fuerit, ipsius Iesu Christi incarnati Carnem & Sanguinem didicimus esse. Apostoli enim in suis Commentarijs, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt sibi mandatum esse, Iesum, cùm sumpsisset panem, & gratias egisset, dixisse, Hoc facite in meam commemorationem, Hoc est Corpus meum: atque itidem cùm calicem sumpsisset, actis gratijs dixisse, Hic est Sanguis meus.* Hæc Iustinus.

Transsubstantiationis mysterium.

Matth.26. Marc.14. Luc.22.

7\. Hippolytus Martyr non multis annis Irenæo posterior fuit. Hic in Oratione quam de Consummatione mundi & Antichristo edidit, loquitur hunc in modum: *Templa diuina domorum instar erunt: locis omnibus euersiones fient Ecclesiarum.* Et paulò pòst: *Tunc exurgent falsi prophetæ, falsiq; Apostoli, homines impostores. Pastores fient quasi lupi, Monachi expetent quæ sunt mundi*, &c. Ex his quoque verbis beati Hippolyti cognoscant huius temporis hæretici, Monachatum esse antiquissimum. In eadem Oratione Hippolytus scribit ita: *Lugebunt Ecclesiæ luctum magnum: quia nec oblatio nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus: sed Ecclesiarum ædes sacræ tugurij instar erunt, pretiosumq; Corpus & Sanguis Christi non extabit in diebus illis. Liturgia extinguetur, Psalmorum decantatio cessabit.* Notandum est, quod gloriosus Martyr hîc dicit de pretioso Corpore & Sanguine Domini Iesu, & de Liturgiâ siue Missâ. Nam si tempore Antichristi Liturgia abolebitur, profectò præcursores Antichristi sunt, qui modò eam moliuntur abrogare.

S. Hippolyti vaticinium de perditis Lutheri temporibus.

8\. Et infrà Hippolytus inducit Dominum, inuitantem Sanctos cuiuscumque ordinis ad possidendum regnum cæleste, atque inter alia dicentem: *Venite Pontifices, qui purè mihi Sacrificium die nocteq; obtulistis, ac pretiosum Corpus & Sanguinem meum immolastis quotidie. Venite Sancti, in montibus, in speluncis & cauernis terræ exercuistis vos, qui per continentiam, preces, & virginitatem seruistis nomini meo. Venite adolescentulæ, quæ thalamum meum exoptastis, nec præter me sponsum alium dilexistis, quæ per martyrium & pietatis exercitationem mihi immortali atque incorruptibili sponso copulatæ estis*, &c. Quid dicitis ad ista, ô hæretici cæci atque miserrimi? Sed redite ad cor, redite; atque Ecclesiæ Dei vos tandem aliquando reddite.

Eiusdem de Missâ, Monachatu, & virginitate iudicium.

CAPVT X.

Conclusio Faculæ per argumenta generalia controuersiarum Fidei.

1\. *Eadem est fides Ecclesiæ Romanæ hodiernæ, quæ fuit primitiuæ: sine quâ nullus saluabitur; in quâ fuere omnes Patres & Doctores antiqui.*

2\. *Hæretici non habent pro se Scripturam, sed prauum Scripturæ sensum ab ipsismet confictum: rectum enim sensum Scripturæ, à solâ Ecclesiâ accipimus.*

3\. *Exemplaris probatio, quòd Scripturæ sint hæreticis in laqueum, circa traditiones, ieiunia, & alia, tam olim quàm modernis temporibus.*

4\. *Multa rectè docet & præcipit Ecclesia, quæ non sunt in Scripturis expressa: sunt tamen illis consentanea.*

5\. *Sufficiunt Scripturæ ad salutem; quia præcipua quædam continent, & reliqua ab Ecclesiâ accipienda ostendunt.*

6\. *Quàm sit absurdum præferre opinionem Nouatorum auctoritati Patrum antiquissimorum.*

7\. *Propter aliquorum vitia non debemus discedere ab Ecclesiæ gremio.*

8\. *Oratio pro seductis.*

Ex his quæ hactenus in medium protulimus, satis liquet, sanctos Patres in primitiuâ Ecclesiâ eamdem tenuisse fidem quam modò in Ecclesiâ Catholicâ tenemus, & idem sensisse de Deo rebusque diuinis atque Ecclesiasticis, quod nunc sentimus. Quod cùm ita sit, perpendant illi qui aliam fidem & doctrinam profitentur, quàm à veritate aberrent, quamque malè sacras Litteras intelligant. Non est quòd sibi blandiantur, putantes se esse Ecclesiam, vel in Ecclesiâ Dei. Non sunt in Ecclesiâ. Si enim in eâ essent, non dissiderent tam arroganter in fide & doctrinâ à sanctissimis Martyribus & Patribus, qui præclarissima Ecclesiæ membra sunt. Nos quidem potuissemus adhuc alia non pauca ex scriptis antiquorum Patrum adducere: sed ista sufficere iudicamus, ad reuocandum saltem aliquos ex discipulis Sectariorum huius nostræ 1.

Hodie eadem per omnia credit Ecclesia Romana, quæ primitiua tradidit & credidit.

ſtræ tempeſtatis ad matrem Eccleſiam Apoſtolicam: niſi ipſi peruicaci animo in hæreſi vel ſchiſmate permanere, ac ſeipſos ſponte in gehennam præcipitare velint. Neceſſe enim eſt eos omnes in æternum inferni ignem corruere, qui opinionem aliquam Eccleſiæ Catholicæ contrariam ſuperbâ obſtinatione retinent, atque ita ab Eccleſiæ vnitate ſeparati moriuntur, quamlibet etiam iuſtè alioqui viuere videantur. Si qui hæretici plura cupiunt cognoſcere quàm adnotauimus, legant ex integro libros eorum Auctorum qui à nobis citati ſunt, itemque ſacra Concilia quæ legitimè congregata atque celebrata fuerunt in Eccleſiâ: legant Epiſtolas ſanctorum Sacerdotum qui poſt Soterem ſibi inuicem in ſummo Pontificatu ſucceſſerunt: legant lucubrationes Cypriani, Athanaſij, Baſilij, Gregorij Nazianzeni, Gregorij Nyſſeni, Ioannis Chryſoſtomi, Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, Leonis, Gregorij Romani, Bernardi, & aliorum Orthodoxorum Scriptorum, quorum doctrina mirificè illuſtrat Eccleſiam Dei: ex his enim pleniſſimè diſcent, quid credere, & quomodo diuinas Scripturas intelligere debeant. In libris etiam Tertulliani, qui temporibus Apoſtolorum vicinus fuit, & ſtatim poſt Irenæum vixit, inuenient non pauca de ritibus Baptiſmi, de ſacrâ Vnctione, de manuum impoſitione, de reuerentiâ Sacerdotibus exhibendâ, de felici Eccleſiâ Romanâ, in quam Apoſtoli Petrus & Paulus vnà cum ſanguine omnem doctrinam ſuam profuderunt, de exomologeſi ſiue confeſſione delictorum, de pœnitentiæ labore, de ieiunijs, de vero Corpore & Sanguine Chriſti in Euchariſtiâ, de oratione quæ fit pro fidelibus defunctis, de ſignaculo Crucis quod ferè vbique exprimimus, de varijs traditionibus non ſcriptis, &c. In libris quoque Clementis Alexandrini, qui non multò poſt Tertullianum floruit, & in lucubrationibus Origenis diſcipuli eius, plurima inuenient aduerſus hæreſes huius temporis.

Extra Eccleſiam verã hodiernam, nemo poteſt ſaluari.

Omnes omnino Patres in hac eadẽ Eccleſiâ & fide fuerunt per annos mille quingentos & ampliùs.

2\. At videmus nunc multos hæreticos eò veſaniæ proceſſiſſe, vt nihil pro firmo & rato recipere velint, niſi ſit expreſsè adnotatum in Scripturis Canonicis, quas tamen Scripturas perperàm intelligunt atque interpretantur. Quòd ſi Catholicus quiſpiam eis verba ipſarum diuinarum Scripturarum proponat, mox verò illarum ſenſu (quem ſancti Martyres & Orthodoxi Patres approbant) repudiato, prauum ſenſum à ſe confictum obijciunt, eumque pertinaciſſimè defendunt. Deus enim ita condidit Scripturas ſacras, vt ſuperbis hæreticis, qui intellectum ſuum iudicio Eccleſiæ Apoſtolicæ ſubmittere nolunt, ſint in laqueum. Vnde Pſalmiſta de eis loquens ait: *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Iactant verò ſeſe, & gloriantur vaniſſimè. Nos, inquiunt, purum Dei verbum amplectimur, nos intra limites verbi Dei conſiſtimus, nos verbum Dei & Euangelium Chriſti ſincerè annuntiamus. Putant id ſolum eſſe verbum Dei, quod ſacris Litteris comprehenſum eſt: ſed falluntur omnino. Nam verbum Dei eſt, quidquid loquitur Deus, ſiue id ſcriptum ſit, ſiue non ſcriptum. Cùm Deus loqueretur primo parenti noſtro Adæ, cùm loqueretur Noë & Abrahæ, nondum quidquam de veteri Teſtamento ſcriptum erat, & iam à Patribus illis verbum Dei audiebatur. Cùm etiam Simeon iuſtus reſponſum accepiſſet à Spiritu ſancto, ſe non viſurum mortem niſi priùs videret Chriſtum Domini, verbum Dei audierat quod ſcriptum non erat. Si hodie quoque Deus alicui ſancto homini per reuelationem *verbum abſconditum & venas* arcani *ſuſurrij* ſui aperiret, huiuſmodi homo verbum Dei proculdubiò ſuſciperet, etiamſi illud nuſquam in diuinis Litteris expreſſum eſſet. Et cùm Apoſtoli ſtatim poſt deſcenſum Spiritus ſancti verbum Dei veritatemque Euangelicam prædicarent, necdum Euangelium erat conſcriptum. Quid? Num ideò tunc non fuit adhibẽda fides Eccleſiæ, quia quod ipſa per Apoſtolos prædicabat, non erat in diuinas Litteras relatum? Certè auctoritas ipſius Eccleſiæ non pendet ex Scripturis. Imò verò Scripturas non ſciremus eſſe diuinas, nec eas pro diuinis haberemus, niſi Eccleſia illas pro talibus habendas eſſe decerneret. Hæc illuminatur & regitur à Spiritu ſancto, qui ei docenti adeſt, ſicut Prophetis & Euangeliſtis ſcribentibus adfuit. Atque ob id beatus Paulus eam appellat columnam & firmamentum veritatis: nam in his quæ ad fidem & bonos mores pertinent, errare neſcit. Vox illius, vox Chriſti eſt: quia illa corpus, iſte caput eſt. Qui illam audit, Chriſtum audit: & qui illam audire non vult, Chriſtum quoque audire recuſat. Itaq; ea quæ docet aut præcipit Eccleſia, nos pro verbo Dei habere prompteque ſuſcipere debemus: neque neceſſe eſt vt illa aliquo expreſſo Scripturarum teſtimonio comprobentur. Penes Eccleſiam ius eſt pronuntiandi non ſolùm quænam Scripturæ pro Canonicis habendæ ſint, verùm etiam quo ſenſu intelligi debeant. Nam niſi hanc auctoritatem obtineret Eccleſia, leues & maligni quique homines abijce-

Senſũ Scripturæ à ſe confictũ pro ipſâ Scripturâ amplexantur hæretici.

Eſtq; hæc hæreticis cauſa ruinæ & perditionis.

Pſal. 10.

Verbũ Dei non eſt ſola Scriptura, ſed etiam traditio nõ ſcripta; cùm ante Moyſis tempora nulla ſcriptura nota aut nata fuerit.

Iob. 4.

Verbũ Dei, eiuſq; vera intelligentia, à ſolâ Eccleſiâ accipitur.

1. Tim. 3.

Luc. 10.

Alioquin nihil eſſet certi in doctrinâ fidei.

ijcerent è Canone quas vellent diuinarum Scripturarum partes, & eas pro suo arbitrio absurdis expositionibus deprauarent. Iste sic, ille aliter, rursumque alius aliter contra veritatem eas intelligere vellet: atque hinc innumeræ hæreses emergerent, nihilque certum esset apud Christianos.

3. *Scripturæ sunt hæreticis in laqueum positæ;* Ioan.14. *tum veteribus,* Matth.1.

Diximus, ipsas diuinas Litteras hæreticis esse in laqueum: & profectò ita est. Nam Arrius hæreticus audiens Christum in Euangelio dicentem, ***Pater maior me est***, illaqueatus asseruit, Filium Dei non esse Patri consubstantialem & æqualem. Itidem impurus Heluidius legens in Matthæo Euangelistâ hæc verba de Ioseph & Mariâ matre Domini, ***Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum***, laqueo irretitus dixit, Mariam non permansisse virginem. Similiter hæretici huius tempestatis vbique in Scripturis inuoluuntur laqueis. Et vt, exempli gratiâ, hîc aliquid proferamus, miserè admodum illaqueantur istis Christi verbis: ***Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me: sine causâ autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*** Licet enim Dominus Iesus non reprehendat pias Apostolorum aliorumque Patrum traditiones, sed eas traditiones, quæ ad cultum honoremque diuinum nihil conducunt, & legi Dei aduersantur: superbi tamen hæretici, arreptâ hinc occasione, æquissima Ecclesiæ decreta, si in Scripturis Canonicis expressa non inuenerint, tamquam superfluas vanasque hominum traditiones respuunt. Et quia legunt in Euangelio, Christum illud quoque dixisse, ***Non quod in os intrat coinquinat hominem***; irrident quidquid de ieiunijs & abstinentiâ à quibusdam cibis Ecclesia à Deo illuminata statuit. Nolunt adstringi ad ieiunandum certis diebus: & sancto præcepto contempto, vescuntur carnibus pro suâ libidine, etiam in sacrâ Quadragesimâ. Ad hunc modum verbis Euangelicis illaqueati, Ethnicè magis quàm Christianè viuunt. Eos autem non cibi genus, sed inobedientiæ scelus polluit. Nam bonus est cibus quem creauit Deus: sed si vetitus fuerit, iam non sumitur sine culpâ: sicuti bonus erat fructus quem in paradiso prohibuerat Deus, ex eo tamen non sine graui peccato Adam comedit.

tum recentioribus: Matth.15. *circa doctrinā traditionum;* *circa ieiunia.* Matth.15.

4. *Quomodo illaqueant se hæretici circa dogmata & mandata Ecclesiæ.* Matt.18.

Certum verò est, eum qui Ecclesiæ obedire non vult, Christo non obedire. Et de huiusmodi homine ipse Christus ait: ***Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*** Et etiam per Samuelem Prophetam Deus ita loquitur: ***Quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.*** 1.Reg.15. Quibus verbis Saul arguitur ac profanus abiectusque declaratur, propterea quòd non obedierat dictis Samuelis, qui iuxta Dei voluntatem ei denuntiauerat, vt disperderet prorsusque deleret Amalecitas. Atqui Saul poterat more hæreticorum dicere Samueli: Nusquam in diuinis Scripturis expressum lego, quod nomine Dei iussisti: non Deum sed te mihi loquentem audiui. Paulus item affirmat, Rom.13. eos qui Præpositis vel Potestatibus à Deo ordinatis resistunt, Deo resistere, ac damnationem sibi acquirere. Rursum hæretici legentes hæc verba Pauli, ***Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit:*** Galat.1. legentes & ista Ioannis in fine Apocalypseos, ***Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto:*** Apoc.22. legentes item in Deuteronomio, ***Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo***; Deut.4. obijciunt illa omnia Romanæ atque Catholicæ Ecclesiæ, & eam accusant execrandæ impietatis, propterea quòd recipit ac statuit multa quæ in diuinis Litteris non sunt expressa. Sed huiusmodi obiectiones mera sunt deliramenta. Romana enim atque Apostolica Ecclesia non aliud Euangelium, neque aliam fidem aut doctrinam annuntiat, quàm à Christo & Apostolis Apostolorumque discipulis ac sanctis eorum successoribus accepit: sed ipsi hæretici aliam omnino fidem & doctrinam superbè prædicant, vti totus hic libellus clarissime ostendit, ob idque sunt hæretici, & veritatis inimici, & impietatis rei, & æternæ damnationi proximi. Numquam item Romana & Catholica Ecclesia Scripturas sacras augendo, diminuendo, immutando vel perperàm interpretando corrupit, quod hæretici facere solent. Quin potiùs libros omnes Canonicos maximâ fidelitate integros semper conseruat, & eorum verba diuina (vti à Spiritu sancto edocta est) sanè intelligit, eisque summam auctoritatem tribuit; sed adulterinas hæreticorum expositiones constanter reprobat. Interdum sanè pro causis emergentibus variat pia quædam decreta, & vt tempus exposcit, nonnulla Patrum statuta abrogat: at præceptiones diuinarum Scripturarum numquam immutat.

Romana Ecclesia eamdem fidem annunciat, quam ab Apostolis accepit: hæretici aliam & nouam atque à se excogitatam.

Romana Ecclesia Scripturā sacrā canonicam nō auget, minuit, corrumpit; quod est proprium hæreseos facinus.

5. *Ecclesia docet semper conformia Scripturæ quæ remittit nos in dubiis ad ipsam Ecclesiam.*

Rectissimè verò pleraque recipit & docet, quæ licet in ipsis Scripturis Canonicis minimè sint expressa, eis tamen non sunt contraria, sed maximè consentanea. Nam, sicut à nobis alibi suprà * fuit dictum, Deus non

* Cap. 1. Faculæ & alibi.

non omnia in sacris Litteris exprimi voluit, vt disceremus Ecclesiæ subesse, atque eius institutionibus & præceptis obtemperare. Certè Ioannes scribit, Christum passioni vicinum dixisse discipulis suis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quo in loco Christus loquitur proculdubiò de his, quæ postea ordinanda ac statuenda erant in Ecclesia. Palàm autem est, non omnia illa in Voluminibus sacris esse expressa, quæ tunc Christus testabatur se adhuc habere dicenda. Verùm de illis post resurrectionem suam per dies quadraginta disseruisse credendus est: dicente beato Lucâ, quòd loquebatur discipulis suis *de regno Dei*, hoc est, de gloriâ cælestis Ierusalem, & statu militantis Ecclesiæ, quæ toto orbe erat dilatanda. Ceterùm Apostoli, accepto Spiritu sancto, pleniùs didicerunt atque intellexerunt (iuxta prædictionem Christi) *omnem veritatem:* quam etiam Ecclesiæ tradiderunt. Atque hinc est, quòd plurima, vel potiùs innumera, ab Apostolis Ecclesia accepit, quæ in libris noui Testamenti expressa non inueniuntur. Et certè fides habenda est ipsi Ecclesiæ, quæ est *columna veritatis,* & cum quâ Spiritus sanctus manet in æternum. Nam & hoc Christus ei promisit dicens: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Ecclesia igitur docetur atque gubernatur à Spiritu veritatis: & nihil præcipit nisi secundùm voluntatem eiusdem Spiritus, cuius præsentiâ numquam fuit destituta, neque destituetur vmquam. At hæretici clamitant, ea quæ in Scripturis Canonicis habentur, Christianis sufficere. Sufficiunt planè. Imo verò humilibus verisque Christianis sufficere possunt vel hæc paucula verba, quæ Christus Præpositis Ecclesiæ dicit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* aut ista, quibus subiectos alloquitur: *Quæcumque dixerint vobis* (Præpositi ac Pastores) *seruate, & facite.* His namque verbis admonemur parêre Ecclesiæ, etiamsi quod illa præcipit, non sit expressè positum in Biblijs sacris. Neque enim Christus ait, Si ea, quæ Pastores & Præpositi Ecclesiæ vobis dicunt, inueneritis expressa in diuinis Scripturis, seruate illa & facite, sin minùs, nolite facere: sed ait, *Quæcumque dixerint vobis, seruate & facite.* Qui obedientiam Christianorum redigere volunt ad ea sola quæ in Canonicis Scripturis expressa sunt, alios obediendi fines & terminos nobis constituunt, quàm Christus constituit: quod vtique non facerent, si Catholici essent, & Christum potiùs quàm diabolum audirent.

Ioan. 16. — Actor. 1. — Ioan. 16. — *Ecclesia perpetuò regitur ab assistentiâ Spiritus sancti.* — 1. Tim. 3. — Ioan. 14. — *Sufficit humilibus Scriptura: quia dat Ecclesiam magistram.* — Luc. 10. — Matth. 23.

6\. Heu! quàm infelices sunt, qui matrem Ecclesiam deserunt, & hæresibus se implicant! Quanta, quæso, dementia est, nouam impiamque Lutheri, Melanchthonis, Zvvinglij, Caluini, vel aliorum Sectariorum doctrinam, præferre doctrinæ eorum qui veram fidem ab ore Christi aut Apostolorum susceperunt, eamque posteris fideliter tradiderunt, quæ etiam per successiones multarum generationum ad nos vsque peruenit! Et quis verè pius possit continere lacrymas, videns modò tot animas passim hæresum veneno correptas perire? videns homines tam stolidos esse, vt præclarâ illâ & antiquâ rectâque fide relictâ, Sectariorum praua dogmata, insulsasque opiniones nuper excogitatas aut resuscitatas, promptissimis animis amplectantur? Profectò fides Romanæ Apostolicæque Ecclesiæ, quam Deus innumeris miraculis comprobauit, quæque tot iam sæculis inuiolata permansit, tam certa atque indubitata est, vt si millies mori possemus, toties vtique pro illa retinendâ ac tuendâ libenter mortem oppetere deberemus. Ea numquam extinguetur, dicente Domino ad Petrum Ecclesiæ caput & principem: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Nauis Ecclesiæ potest quidem fluctibus hæresum concuti, sed mergi non potest. Quantumuis prematur, numquam tamen opprimetur Ecclesia.

Insaniunt, qui Nouatorum indicia sanctis Patribus præferunt. — Luc. 22.

7\. Verùm hæretici videntes plurimos abusus esse, & multos etiam è numero Pastorum non rectè viuere in Ecclesiâ Romanâ atque Catholicâ, detestantur illam, & ab eâ sese separant, eique subesse nolunt. Sed eos meminisse oportet, Ecclesiam Dei esse sagenam illam Euangelicam, quæ malos pisces cum bonis, durante hac mortali vitâ, continet: esse itidem aream illam, in qua reiectaneæ & olim exurendæ paleæ electissimis granis permixtæ sunt. Optandum verò & orandum, ac modis omnibus adnitendum est, vt tollantur abusus, & reformentur mores in Ecclesiâ Dei. Attamen ipsa eadem Ecclesia Apostolica, propter malos Catholicos, quos gremio suo continet, non desinit esse *columna & firmamentum veritatis.* Quemadmodum autem sæculi Regibus & Principibus, ea quæ iusta sunt præcipientibus, necesse est subijci & obtemperare, etiamsi ipsi alioqui improbi sint & flagitiosi: ita etiam Præpositis Ecclesiæ honesta & rationabilia iubentibus oportet obedire, etiamsi non benè viuant. De talibus enim Dominus loquens in Euangelio

Non est discedendum ex Ecclesiâ, tametsi in eâ nonnulli scelerate viuunt. — Matth. 13. — Matth. 3. — Luc. 3. — 1. Tim. 3. — *Etiam malis Præpositis est obediendum.*

Matth.23. Ephes.1.

lio ait subditis: *Quæcumque dixerint vobis, seruate & facite, secundùm opera verò eorum nolite facere.* Sanè qui manet diuisus ac separatus ab Ecclesiâ Catholicâ, quæ est corpus Christi mysticum, separatus item à Christo capite est.

8. *Pia profeßionis oratio.*

Benignissimus Deus noster concedat, vt depulsâ errorum caligine, omnes agnoscamus veritatem, quam Apostoli Apostolorumque discipuli, & eorum successores, alijque Orthodoxi Patres nobis commendauerunt: præstet, inquam, Dominus, vt veritati constanter ac firmiter adhæreamus, & vitam degamus verè Christianam, atque ita tandem æternam beatitudinem consequamur. Amen.

FACVLÆ APPENDIX.

§. I.

DE SACRA EVCHARISTIA.

Vesanus error hæreticorum, & sincera fides Catholicorum ostenditur.

1. *Hæretici in doctrinâ Eucharistiæ apertè contradicunt Christo.*
2. *Corpus Christi simul est in cælo & in Sacramento.*
3. *Nouatores Capharnaitis similes.*
4. *Spiritualis manducatio apud hæreticos excludit præsentiam Christi à Sacramento: apud Catholicos includit; significat enim dignam, & incruentam Sacramenti masticationem, per quam sumitur & manducatur verum Christi Corpus.*
5. *Caro Christi in Eucharistiâ vocatur diuina & spiritualis; non secundùm substantiam, sed propter exhibitionis modum, qui magis videtur esse spiritualis quàm corporalis.*
6. *Ipse modus loquendi Scripturarum, indicat Christi realem præsentiam in Eucharistiâ per transsubstantiationem, vt loquitur Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. & can. 2.*
7. *Eucharistia vocatur panis: tum quia panis erat ante consecrationem; tum quia pascit animum, & oraliter manducatur. Sic vocatur signum, & figura, quia sub speciebus latet Christus, eiusque gratia.*
8. *Eucharistia totum hominem vnit Christo.*
9. *Dissensio hæreticorum inter se, circa Eucharistiam, firmat fidem Catholicorum de illâ.*

1. *Doctrina Nouatorũ de Eucharistiâ contradicit verbis Christi Domini clarissimis.* Luc.22. Marc.14.

COR Christiani & Catholici hominis ingenti horrore concutitur, totumque contremiscit, quando penitiùs considerat errorem & blasphemias hæreticorum huius temporis circa sacratissimam Eucharistiam. Nam Dominus quidem Iesus apertissimè dicit, *Hoc est enim Corpus meum quod pro vobis datur, Hic est Sanguis meus qui pro multis effundetur:* at illi impudenti sacrilegoque ore contradicentes, Non est, inquiunt, verum Corpus & verus Sanguis Christi in Eucharistiâ: non transmutatur panis in Carnem, nec vinum in Sanguinem Domini, sed manet substantia panis & vini. O impietatem detestabilem! Certè Apostoli & eorum discipuli, omnesque Christi Martyres, & sancti atque Orthodoxi Patres semper firmissimè crediderunt, panem conuerti in Corpus, & vinum in Sanguinem Christi, atque in Eucharistiâ remanere non substantiam, sed tantùm species & qualitates panis & vini. Hanc fidem, quam ab ore Domini Iesu acceperunt, palàm docuerunt, & etiam in suis scriptis adnotatam reliquerunt.

2. *Christus simul in cælo & in Sacramento realiter & corporaliter.*

Sed hæretici arrogantes ac cæci falsas interpretationes comminiscuntur, quibus manifestissimam veritatem impugnent. Modis omnibus nituntur incautos à sinceritate veræ fidei auertere. Corpus Christi, aiunt, est in cælo, non hîc in terrâ. Credere nolunt illud esse etiam in Eucharistiâ; quia quomodo id fieri possit, non comprehendunt. Atqui hoc mysterium, quod omnipotenti virtute Dei fit, incomprehensibile est. Omnino verum Corpus Christi & in cælo integrum est, & nihilominùs in terris integrum Eucharistiâ continetur. Nam & quando ipse Dominus in Cœnâ tradebat idem verum Corpus suum discipulis suis, vtique illud & integrum sedebat iuxta Discipulos, & etiam integrum à singulis Discipulis sumebatur. Neque recedit à cælo, vt sit in Sacramento: sed in cælo manet, & in Sacramento est. Si nemo intellectu consequi potest, vti Dominus quinque panibus hordeaceis quinque millia hominum satiauerit, & superfuerint duodecim cophini fragmentorum: magna profectò temeritas est, velle rationibus humanis inuestigare, quomodo Corpus Christi quod in cælo est, possit esse etiam in terrâ, vbicumque sacra est Eucharistia. Simplici & firmâ fide hîc est opus. Nam fidei oculus sub exiguâ panis specie attendit verum Corpus Christi, attendit totum Christum verum Deum & verum hominem. Itaque non quomodo caro Christi ibi sit, inquirendum: sed quòd supra naturam virtute Dei ibi esse possit & verè sit, credendum est. Neque enim mentitur Veritas quæ dicit, *Hoc est Corpus meum.* Ipse cui nihil impossibile est; & qui virgam Moysis vertit in colubrum: ac rursus ex colubro virgam fecit, quique in Cana Galilææ aquam mutauit in vinum: nobis in Sacramento panem conuertit in Corpus,

Fide non argumentis mysteria Christi capiuntur. Ioan.6.

Matth.26. Exod.4. Ioan.2.

conuertit in Corpus, & vinum in Sanguinem suum. O ingens summeque venerandum miraculum!

3. *Noui Capharnaitæ sunt moderni Sacramentarij hæretici.* Ioan. 6.

Cùm Christus corã Capharnaitis loqueretur de manducatione carnis suę, illi fidem non adhibebant verbis eius (ipsis hodie similes sunt vecordes hæretici:) dicebãt enim: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Somniabant Christum velle dare carnem suam frustatim conscissam, & more aliarum carnium, coctam vel crudam. At Catholici ab huiusmodi absurdâ cogitatione prorsus alieni sunt: agnoscentes, verum diuinumque Corpus Christi in Eucharistiâ adesse mysticè, & modo arcano sensibusque minimè exposito.

4. *Spiritualis præsentia aut manducatio Corporis Christi iuxta mentem Catholicorũ explicatur.*

Si quispiam Auctor Catholicus dicat, quòd gloriosa & spiritualis caro Domini Iesu ibi spiritualiter adsit, nihil tamen per has dictiones *spiritualis* & *spiritualiter* diminuit de veritate ipsius carnis Dominicæ, & verâ eius præsentiâ: sed hæretici per illas dictiones veram Carnem Christi à Sacramento Eucharistico excludere volunt. Catholici prorsus confitentur verum Corpus Domini esse in Eucharistiâ substantialiter & corporaliter. Ecce, quia sine horrore nõ potuissemus Carnem Christi manducare, & Sanguinem eius bibere in formâ carnis & sanguinis; pius ac dulcis Dominus seipsum nobis dare voluit sub specie panis & vini. O ineffabilem bonitatem atque charitatem! Forma & qualitates Corporis Christi gratiâ & virtute Dei mirabiliter occultantur, ne horrori nobis sint: apparent verò ac sentiuntur species & qualitates panis ac vini, quæ sensibus nostris conueniunt & gratæ sunt. Nos certè in hoc sacro conuiuio accipimus, & in viscera nostra traijcimus illam ipsam veram carnem, quam Maria virgo peperit, & quæ pependit in cruce, quæque nunc sedet ad dexteram Patris in cælo: sed alio modo Christus eam exhibet in Sacramento, quàm olim fuit in cruce. Verùm vt ad salutem nobis prosit sacramentalis manducatio carnis Dominicæ, debemus eam sumere non ore tantùm, sed etiam spiritu siue spiritualiter per fidem ac sanctum desiderium. Catholici & pij homines interdum hoc Sacramentum cum fructu maximo sumunt, etiamsi spiritualiter dumtaxat illud accipiant, videlicet desiderio & fide, sincerâque animi deuotione. Hæretici iactant se hoc modo Corpus Christi vtilissimè manducare: sed falluntur. Neque enim fieri potest, vt ipsi carnem Domini spiritualiter vtiliterque edant, cùm veram fidem minimè habeant, & eam Eucharistiæ manducationem, quæ à Christo instituta est, vnà cum incruento incontaminatoque Missæ Sacrificio, sceleratè abrogent atq; abijciant. Et ideò in illâ cœnâ suâ panem nudum edentes, nihil omnino spiritualis fructus consequuntur, quantauis fide & intentione cogitationem suam ad passionem Christi pro mundo in cruce oblati referant.

Quòd autem Patres dicunt, diuinam & spiritualem carnem in sacrosanctis Mysterijs manducandam dari aliam ab eâ quæ crucifixa est, intelligunt aliam exhibitionis modo, non substantiâ. Planè vera & viua caro in Eucharistiâ est: nam panis (vt dictum est) verè mutatur in verum Corpus Christi. Fit ita: quia Deus vult ita, Deus ita instituit. Verbum Domini quo id fit, omnipotens est; modus autem quo fit, inscrutabilis est. O hæretici ingrati: vt quid Dei benignitatem atque beneficentiam non agnoscitis? vt quid adhuc increduli estis? 5.

Quo sensu caro Christi in Sacramento vocatur diuina aut etiã spiritualis.

Si verum Corpus & verus Sanguis Christi Eucharistiâ non contineretur, cur, quæso, Apostolus Paulus de eâ loquens, hæc terribilia verba diceret: *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini?* Et rursum, *Qui manducat*, inquit, *& bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Si item in Eucharistiâ maneret substantia panis & vini; quare, obsecro, tam manifestè Christus diceret, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus?* quare non vnus tantùm sed tres Euangelistæ, atque etiam Paulus Apostolus illa ipsa verba sic repeterent? quare & sanctus Iacobus Apostolus in Liturgiâ suâ precaretur, vt Spiritus sanctus superueniens, propositum panem efficeret Corpus Christi, & vinum Sanguinem eius? Enimuerò si panis fit Corpus Christi & vinum Sanguis Christi, necesse est vt nec panis nec vinum maneat: necesse est vt substantia panis in substantiam Carnis, & vini substantia in substantiam Sanguinis transmutetur. Possemus infinitam multitudinem Orthodoxorum Patrum citare, qui expressis verbis itidem dicunt, panem in Carnem & vinum in Sanguinem Christi conuerti in Eucharistiâ: sed hîc prolixitas à nobis vitanda est. Apostolica atque Catholica Ecclesia (quæ *columna & firmamentum veritatis est*, & in fide errare non potest) indubitanter credit semperque credidit, Sacerdote verba consecrationis ritè proferente, transmutationem atque transubstantiationem illam virtute Spiritus sancti fieri. 6.

Verba Scripturæ ad litteram ostendũt realem præsentiam Corporis Christi per mutationem substantiæ panis & vini in Carnem & Sanguinẽ Domini, quæ vocatur & est Transsubstantiatio. 1. Cor. 11. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. 1. Tim. 3.

Quamuis autem Paulus Apostolus, alijque Patres Catholici ipsam Eucharistiam in- 7.

APPENDIX.

Eucharistia vocatur quandoque panis, quia est verus cibus, & antè fuit panis quàm transsubstantiaretur.

interdum nuncupent *panem*, non tamen panis substantia intelligenda est. Ideò verò appellatur panis, quia ex pane conficitur, ac speciem qualitatesque panis retinet, vel quia æternæ vitæ substantiam ministrat. Mos item sacræ Scripturæ est, vt vocet panem, id quod manducatur. Vnde & manna in Psalmo appellatur panis, vbi dicitur: *Pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis.* Quando etiam Patres de Eucharistiâ differentes vtuntur his vocabulis, *figura, signum, imago, antitypon*, nullo modo per huiusmodi nomina imminuere quidquam volunt de veritate corporalis præsentiæ Christi in Eucharistiâ (vt hæretici ganniunt) sed indicant Corpus Domini Iesu ibi obuelatum atque abditum exhiberi. Nam ijdem Patres clarissimis verbis confitentur, verum Corpus Christi verè & corporaliter in hoc Sacramento adesse. Cùm enim idem Sacramentum constet signo & re signatâ, fieri nequit, vt res signata ibi non adsit. Species visibilis, signum est: Corpus & Sanguis Domini, res est signata. Ergo Eucharistia secundùm visibilem speciem dicitur symbolum & figura, at secundùm latentem substantiam veritas est & Caro Christi vera, verusque Sanguis. Dicunt item Patres, ipsam Eucharistiam, quâ vera quidem sed inuisibilis Caro Domini continetur, esse signum & imaginem visibilis corporis quod in cruce passum est. Atque ita Carnis veritas in Eucharistiâ exhibita, quæ ipsam carnem Domini non ostendit, in† suâ formâ, haud absurdè figura appellatur: sicut & rectè nominatur Sacramentum Corporis Christi. Similiter dum idem verum Corpus Christi specie panis obuelatum sumimus ac manducamus, hoc ipsum dicitur etiam imago & figura futuræ veritatis, quæ olim exhibebitur in cælo, cùm iam Christum Iesum Deum & hominem sine aliquo velamento contemplabimur, eique beatè ac perfectè vniemur. Quapropter Ecclesia perceptis mysterijs orat, vt quod nunc per speciem gerimus, post hanc vitam in veritate capiamus. Isto Sacramento Eucharistico significatur etiam corpus Christi mysticum, videlicet Ecclesia. Nam beati Pauli verba sunt hæc: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes* enim *de vno pane participamus.* Sanè sicut ex multis granis vnus panis conficitur, ita multi fideles vnam Ecclesiam constituunt. Illi Patres, qui dicunt Eucharistiam non esse figuram Corporis Christi, sed ipsum Corpus eius, intelligunt figuram illam quæ corporalem præsentiam veritatis excludit, eique opponitur; non illam quæ præsenti in Sacramento veritati subseruit. Hoc sensu panis in altari positus à nonnullis ante consecrationem dicitur antitypon Corporis Christi; nam figura solùm est. Nullus Orthodoxorum Patrum vmquam dixit, Eucharistiam esse tantùm figuram vel signum veri Corporis Domini Iesu, quod blasphemi hæretici nunc dicunt: sed omnes Catholici semper confessi sunt & crediderunt (vt sæpiùs iam à nobis repetitum est) verum Corpus Christi Eucharistiâ contineri, & panis viníque substantiam in Carnis & Sanguinis substantiam conuerti. Meritò igitur inclytus Martyr Clemens B. Petri Apostoli discipulus, in quadam Epistolâ sollicitè admodum ex doctrinâ Præceptoris sui admonet, vt reliquiæ fragmentorum Corporis Dominici à ministris altaris cum timore custodiantur, ne qua putredo inueniatur, & ne puluis ipsius Corporis Dominici malè decidat, atque ita grauis iniuria Corpori Christi inferatur.

Psal. 77.

Quando Eucharistia vocatur figura aut signum, intellige sub Sacramento esse veram rem illo signo figuratam vel signatam.

Est etiam figura & imago gloriæ futuræ, in quâ videbimus eum reuelatum & facie ad faciem sicuti est. Est etiam signum vnitatis fidelium.

1. Cor. 10.

Nullus Patrum dicit Eucharistiã esse meram figuram cũ exclusione veræ & corporalis præsentiæ Christi.

8. Profectò qui se Christianum dicit, & tamen renuit venerari atque adorare sacram Eucharistiam, in quâ verissimè & diuinitas & humanitas Christi adest; is ipsis Paganis atque Ethnicis deterior est. Quisquis vmquam post eamdem Eucharistiam institutam Christum ex animo dilexit, ingentem tam præcellenti Sacramento reuerentiam & honorem impendit. O Sacramentum votis omnibus expetendum, quod salutem animæ & corporis adfert! Panis & cibus communis alit quidem corporaliter & secundùm naturam: at iste cælestis vereque supersubstantialis panis, ista diuina esca alit spiritualiter & secundùm gratiam. Reuerà hæc spiritualis alimonia præstat homini quod Christus dixit: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Ac rursum: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Itaque Sacramentum hoc excellenter totum hominem cum Christo vnit, eumque concorporalem (vt ita loquar) Christi efficit, ac meritorum illius participem reddit.

Eucharistiæ participatione totus homo vnitur Christo, & fit vnum quodãmodò cum illo.

Ioan. 6.

9. Hæretici huius tempestatis plurimum inter se diffident de Eucharistia: hoc ipso euidenter ostendentes, se à veritate, quæ vna est, procul aberrare. Depugnant & digladiantur acriter, dum suam quisque prauam opinionem rectiorem iudicat, eamque pertinaciter tueri vult. Hinc Lutherus hæresiarcha scriptis inuehitur in Zvvinglium hæreticum, & Zvvinglius in Lutherum, iti-

Bellum hæreticorum de Eucharistiâ, est pax Ecclesiæ: quia tanta dissensio illorum inter se circa Eucharistiam firmat vnitatem & veritatem fidei Ecclesiæ de illâ.

† Externâ videlicet, sicut inter suos in vitâ Christus corporaliter visibilis ambulauit.

itidem VVestphalus hæreticus calamo persequitur Caluinum hæreticum, & Caluinus VVestphalum. Possumus hodie numerare plusquam viginti sectas de fide & doctrinâ inter se fœdissimè discordantes. In hoc autem concordes sunt hæretici omnes, vt Ecclesiam Catholicam & Apostolicam (quam ipsi Papisticam appellant) hostilibus indefessisque animis oppugnent. Atqui Cant.6. hæc dicta ab eis Papistica, est illa vna columba & sponsa Dei, quæ dissensiones & schismata in his quæ fidei sunt, nescit. Nam veram fidem, quam ab Apostolis Apostolorumque successoribus accepit, integram ad hunc vsque diem seruauit, & vsque ad consummationem mundi seruabit. Extra hanc Gen.7. Dei Ecclesiam (cuius typum arca Noë gessit) nulla est salus. Qui in eâ non est, vt diluuio absorptus pereat necesse est.

§. II.

DE SACRIS IMAGINIBVS.

Pius, antiquus & laudabilis Imaginum vsus docetur.

1. *Veneratio Imaginum, & inuocatio Sanctorum, traditio est Apostolica.*
2. *Imago Christo viuenti in terris posita ab Hæmorrhoissa.*
3. *Virginis viuentis Imago picta à D. Lucâ.*
4. *Christi viuentis Imago, quam ipsemet Abagaro Edessæ Toparchæ misit.*
5. *Imago Crucifixi passa in Berytho.*
6. *Ab Apostolis vsque ad Constantinum Magnum semper fuit sacer vsus Imaginum.*
7. *Deus in veteri Lege idola prohibuit, non Imagines.*
8. *Verba quædam contra sacras Imagines, hæreticâ manu assuta S. Epiphanio.*
9. *Ecclesiæ iudicium, lapis Lydius veritatis index.*
10. *Maledicta hæreticorum in Pontifices, quorum vita non præiudicant veritati.*
11. *Concilium Eliberitanum quo sensu vetuerit sacras Imagines.*
12. *Honor imagini delatus, præcipuè exhibetur prototypo.*
13. *Traditionum non scriptarũ summa auctoritas.*

1. *Apostolica traditio de inuocatione Sanctorũ, & cultu Imaginum.* PATRES Orthodoxi affirmant, sacrarum Imaginum vsum ac veneratione (quam hæretici modò detestantur) ex traditione Apostolorum ad nos descendisse. Verba beati Basilij Magni in secundo Concilio Niceno citata sic habent: *Suscipio sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, qui pro me apud Deum supplicant: quò per illorum intercessionem propitius mihi sit Deus noster benignissimus, & remissione peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ob causam & historias imaginum illorum honoro & palàm adoro. Hoc enim nobis traditum à sanctis Apostolis non est prohibendum, sed in omnibus Ecclesiis nostris eorum historias erigimus.* Hæc Basilius.

Nos pauca de hac re dicturi, inprimis adnotabimus ea quæ Historici fide digni scripserunt de venerabilibus Imaginibus tempore Apostolorum formatis & expressis. Igitur Eusebius Cæsariensis & Nicephorus Callistus referunt, mulierem illam quæ sanguinis profluuio laborans, ex contactu fimbriæ vestimenti Domini Iesu (vt in Euangelio legimus) sanitatem receperat, præclaram imaginem ex ære erexisse, quæ figuram Christi benefactoris sui præferebat: vt hac ratione pium affectum, quem erga Dominum Iesum gerebat, declararet. Aiunt item, ad huius imaginis pedes herbam nasci solitam, quæ cùm ad fimbriam vsque vestis æreæ pertigisset, aduersus omne genus morborum præsentissimum erat remedium. Hæc illi in suis Historijs narrant. Quòd si displiceret Deo vsus sanctarum Imaginum, profectò non fuisset illic editum tam celebre miraculum. Porrò mulier illa ciuis erat vrbis Cæsareæ, vbi pro foribus domus eius imago iam commemorata adhuc conspiciebatur tempore prædicti Eusebij Cæsariensis Episcopi, vt ipse in Historiâ suâ testatur. Posteà verò cùm Iulianus Imperator apostata odio Christi ardens, eamdem Dominicam imaginem deiecisset, & in eius locum suam statuisset, ignis de repente è cælo delapsus, ipsam Iuliani statuam dirupit, atque in faciem prostrauit, quemadmodum decimo libro Historiæ suæ narrat Nicephorus, secutus narrationem Socratis Constantinopolitani.

(Margin: 2. *Imago Christi adhuc viuentis magnis illustrata miraculis.* Euseb li.7. cap.4. Niceph. lib.6. c.15. Matth.9. — Cap 30.)

Et sexto libro loquens ipse Nicephorus de Imaginibus quæ viuentibus adhuc Apostolis pictæ fuerant, sentit cum Eusebio, & scribit in hunc modum: *Etiam sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ipsiusque adeo Christi, & quæ eum supra naturæ captum genuit Virginis-matris, coloribus adumbratas imagines plurimas, ad hunc vsque diem conseruatas esse nouimus. Ac Lucas quidem Apostolus, primus ipsas accuratè manibus suis depinxit.* Hæc ibi. At secundo libro postquam hoc ipsum Nicephorus dixit, mox adiungit hæc verba: *Vnde in omnem deinde habitabilem orbem tam venerandum & pretiosum opus est illatum.* Prætereà decimoquinto Historiæ suæ libro, narrans vti sancta virgo Pulcheria soror Theodosij Augusti, tria magnifica templa Deiparæ virgini ex ipsis fundamentis Constantinopoli erexit, mentionem facit venerandæ Imaginis eiusdem virginis Mariæ, ab ipso beatissimo Lucâ depictæ, atque ita loquitur: *Vnum*

(Margin: 3. *Imago Deiparæ à diuo Lucâ delineata: vt & sanctorum Apostolorum.* Cap.16. — Cap.43. — Cap.14. & lib.14.c.6.)

Vnum templum est in Chalcoprateio siue fabrorum foro, Sacri tumuli nomen habens: in quo zonam Dei Genitricis veluti thesaurum (Pulcheria) *deposuit: & vt in eo quarto quoque hebdomadis die peruigilium & supplicatio ad lucernas & lampades fieret, constituit: quam & ipsa pedes frequentare solita erat. Secundum templum Viæ ducum est, vbi Verbi Matris imaginem dedicauit, quam diuus Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, illâ adhuc viuente, & tabulam ipsam vidente, gratiámque adeò illi formæ suæ immittente. Hæc imago primùm in eo loco, qui Tribunal dicitur, fuit, vbi ea quæ nunc quoque fiunt, miracula peracta sunt. Porrò in templo isto, vt tertio quoque septimanæ die peruigilium itidem & supplicatio perageretur, curauit: quod ad hunc vsque diem seruatur. Tertium autem templum pulchritudine & omnis generis materiá incredibiliter ornatum, Verbi Matri consecrauit, cui Blachernæ cognomen est*, &c.

4. Idem Nicephorus secundo Historiæ suæ libro asserit, Christum transmisisse sacram vultus sui imaginem, in lineum textum impressam, * Augaro Edessenorum Principi, qui vehementi eius desiderio tenebatur. Id ipsum scribit beatus Ioannes Damascenus libro quarto de Orthodoxâ fide. Et quidem Nicephorus, vbi locutus est de Augaro Toparchâ, dicit etiam Regem Persarum ex feruenti fidei desiderio misisse pictorem in Palæstinam, & per hunc imaginem Christi ac matris eius virginis Mariæ accepisse. Atque hæc ex archiuis antiquisque librorum monumentis desumpta esse, Nicephorus testatur. Theodorus quidam Lector & Græcus Scriptor, mox in initio primi libri Collectaneorum suorum, quibus historiam rerum Ecclesiasticarum summatim perstringit, meminit etiam Imaginis virginis Deiparæ, quam sanctus Lucas depinxit. Nam de Eudociâ Imperatrice, quæ Ierosolymis erat, loquitur in hæc verba: *Eudocia imaginem Matris Christi, quam Lucas Apostolus pinxerat, Pulcheriæ misit.*

Cap.7. Imago Christi ab ipso missa ad Abagarum Edessæ Principem. Cap.17.
*Hunc alij vocât Abagarum: at Eusebius in quodam fragmento vocat Agbarum.

5. Beatus quoque Athanasius edidit libellum de quadam Imagine Domini Iesu, quæ in Berytho vrbe Syriæ à Iudæis cæsa, confixa, ac vulneribus confossa, maximam sanguinis abundantiam profudit. Eam imaginem Nicodemus, qui ad Iesum nocte venerat, Gamalieli, beati Pauli quondam præceptori, Ierosolymis tradiderat: Gamaliel porrò Iacobo Apostolo Ierosolymorum primo Episcopo, & Iacobus Simeoni successori suo illam reliquerat. Sed biennio antequam Ierosolyma à Romanis euerteretur, pij Christiani eamdem imaginem transtulerunt in Syriam, vt Athanasius in memorato libello scribit. Præterea Alexander Imperator, ille erga Christianos maximè beneuolus (cuius matri Mammææ Origenes familiarissimus fuit) in domestico Sacello suo habuit imagines Abrahæ Patriarchæ & Christi Saluatoris, sicuti Scriptores Historici narrant.

Imago Christi olim à Nicodemo accepta, post à Iudæis transfixa Beryti, copiosè sanguinē emisit.

Vsum sanctarum Imaginum à tempore Apostolorum vsque ad Constantinum Magnum Imperatorem semper receptum laudatumque fuisse in Ecclesiâ Dei, hoc etiam arguit, quòd ipse Constantinus iam à paganismo conuersus ad Christianam fidem, plurimas Basilicas à se magnificè extructas, Imaginibus sanctis cohonestabat. Sanè in eâ Basilicâ, quæ de eius nomine Constantiniana dicta est, non solùm vasa aurea & altaria argentea, verùm etiam effigiem Saluatoris, atque imagines duodecim Apostolorum, ex argento purissimo posuit, vt narrat Damasus describens Vitam beati Siluestri. Cùm tunc, idololatriâ abolitâ, & persecutione cessante, pax reddita esset Ecclesiæ, maiori studio passim Oratoria Christianorum Imaginibus Iesu Christi & matris eius virginis Mariæ, atque aliorum Sanctorum exornabantur. Vnde eximij illi Patres Orthodoxi qui mox secuti sunt, videlicet Basilius Magnus, Gregorius Nyssenus, Hieronymus, Ambrosius atque alij, in suis scriptis, sanctarum Imaginum honorificè meminerunt. Et posteà in secundo Concilio Niceno cùm fusissimè de illis disputatum fuisset, Ecclesia expresso decreto approbauit earum vsum, & iconomachos damnauit. 6.

Cultus Imaginum ab Apostolis traditus, Constantini temporibus maximè floruit.

Hæretici huius æui nostri venerationem ipsarum Imaginum sacrarum non verentur appellare idololatriam. Dicunt, earum vsum aduersari Scripturis diuinis: sed falluntur, & Scripturas non rectè intelligunt. Prohibuit quidem Deus in veteri Lege, ne Iudæi idola & effigies haberent, propterea quòd erant maximè propensi ad idololatriam: at vbi nullum erat idololatriæ periculum, non solùm permisit, verùm etiam præcepit fieri Imagines. Vnde Moyses iussu eius curauit vt sculperentur Cherubim, collocarenturque in Propitiatorio. Vecordes hæretici, quidquid in Voluminibus sacris & Orthodoxorum Patrum scriptis inueniunt dictum aduersus idola atque idololatras, id in sanctas Imagines & in Catholicos, qui eas asseruant ac venerantur, insulsissimè detorquent. Huiusmodi sententias vndique corradunt, & superbè admodum Catholicis objiciunt. Nam quia vident ipsos Catholicos 7.

Idola, non imagines prohibuit Deus in lege Moysis. Exod. 21. Exod. 25. Exod. 37.

cos copiosè ac dilucidè rectam Ecclesiæ fidem atque doctrinam dictis vetustissimorum Patrum comprobare ac tueri conantur nonnulli ex eis similiter prauam fidem suam & absurda dogmata ab antiquitate commendare, verbisque Patrum confirmare: sed hoc infideliter prorsus faciunt, ac proinde nihil agunt. Siquidem auctoritates quas adducunt, non eâ mente, neque eo sensu citant, quo à Patribus scriptæ sunt: sed peruertunt atque corrumpunt illas, ac plerumque mentiuntur impudentissimè. Quam eorum impiam fraudem prudens & doctus quisque facilè deprehendit, dum studiosè exquirit & examinat in libris Patrum locos ab eis citatos.

8. *Latinis Epistola S. Epiphanij falsò assuta per Iconomachos, fraude ipsis consueta.*

Acerrimè verò, ad euersionem sacrarum Imaginum, solent Catholicis obijcere etiam aliquot verba quæ in Lucubrationibus sancti Epiphanij leguntur. Verùm beatus Ioannes Damascenus in libris suis Apologeticis aduersus criminatores sanctarum Imaginum, itemque alij Patres pronuntiauerunt, verba illa ibi ab hæreticis fuisse inserta. Certè Basilius Magnus præcessit Epiphanium, & in verbis suis, quæ suprà posuimus, apertè indicat, consuetudinem suo tempore fuisse, vt Sanctorum Imagines in omnibus Ecclesijs erigerentur. Quomodo ergo Epiphanius paulò pòst secutus, vituperasset vsum sacrarum Imaginum in omnibus Ecclesiis receptum? Prætereà ipse Epiphanius scripsit diligentissimè aduersus hæreses ac praua dogmata sui temporis: & tamen nusquam ibi damnat vsum Imaginum. Quòd si iudicasset eum apud Christianos non esse licitum, profectò hoc declarasset in libris, quibus hæreses & absurdas opiniones notat confutatque.

9. *Infallibile veritatis iudicium ab Ecclesiæ magisterio expectandum.*

Sed etsi verba, quæ in Lucubrationibus eius contra sacras Imagines inueniuntur, fuissent pio zelo ab eo scripta; non tamen debent pro ratis ac firmis recipi, cùm à doctrinâ Ecclesiæ Catholicæ discrepent. Vniuersalis enim Ecclesia, quæ est *columna veritatis*, & errare nescit, semper audienda est, potiùs quàm vnus vel duo aut plures etiam sanctissimi Doctores. Hoc persuasissimum habeat, quisquis hæreticorum tendiculas & errores omnes feliciter effugere vult. Quemadmodum enim negotiatores solent aurum Lydio lapidi atterere, quò cognoscant, vtrùm germanum sit, an adulterinum; ita Christianus homo doctrinam quamlibet ad columnam illam veritatis applicare adiungereque debet, vt exploratum habeat, verane sit an falsa. Quocircà si viderit aliquod dogma non concordare cum doctrinâ Romanæ Catholicæque Ecclesiæ, quam Spiritus veritatis illuminat ac regit, mox illud relinquat atque repudiet.

1. Tim. 3.

10. *Non praiudicant veritati opprobria quæ hæretici in Pontifices iaciunt, & in sanctam Ecclesiam.*

At hæretici Romanam atque Apostolicam Ecclesiam contemnunt, eamque modis omnibus in odium adducere nituntur. Et vt hoc faciliùs citiùsque efficiant, maleuolè diuulgant atque exaggerant quorumdam Romanorum Pontificum vitia: reticentes interim virtutes eorum Pontificum, qui integerrimè sanctissimeque vixerunt. Omni pudore abiecto insolentissimè conferunt maledicta in Sedem Apostolicam & Summum Sacerdotem: cùm tamen omnis potestas sit à Deo, & Scriptura clamet, *Principi populi tui non maledices.* Nos quidem non negamus, Papam posse pessimè viuendo in æternum perire: attamen propter eius peccata Ecclesia, cui præest, non destituitur gubernatione Spiritus sancti, nec desinit esse Ecclesia: neque propterea Sedes Apostolica perdit suam auctoritatem. Planè Christus voluit vt sui loco hîc in terris toti Ecclesiæ præsideret Pontifex. Oblatrent hæretici quantum ipsis libet, necesse est vt ita fiat. Sed his omissis, redeamus ad sanctas Imagines.

Rom. 13. Exod. 22. Act. 23.

11. *De Concilij Elibertini vel Eliberitani in Hispaniâ decreto.*

Qui venerationem earum suggillant, illud quoque Catholicis obijciunt, quòd trigesimosexto Canone Concilij Elibertini inhibitum fuit, ne scilicet picturæ fierent in templo seu Ecclesiâ. Sed & ista obiectio futilis est. Nam iustè profectò hoc tunc vetuit Elibertina Synodus, quam nonnulli putant paulò ante tempora Constantini Augusti celebratam fuisse. Congregata autem fuit in Hispaniâ, vbi paganismus & idololatria plurimùm adhuc vigebat: nam id complures Canones eiusdem Synodi apertè indicant. Canon quadragesimus primus dicit ita: *Admonere placuit fideles, vt quantum possunt prohibeant, ne idola in domibus suis habeant. Si verò vim metuunt seruorum, vel seipsos puros conseruent. Si non fecerint, alieni ab Ecclesiâ habeantur.* Hæc ibi. Sanè ipsum Concilium Elibertinum fuit particulare siue Prouinciale, in quo pauci Episcopi aderant: at secundum Concilium Nicenum, quod sanciuit, sacras Imagines retinendas & honorandas esse à fidelibus, fuit Generale atque Oecumenicum. Auctoritas autem Concilij Generalis ritè celebrati indubitanter præferenda est auctoritati cuiusuis Concilij particularis. Non fuerit intempestiuum hîc obiter adnotare, quòd Concilia Generalia legitimè congregata, licet ex hominibus constent qui errare possunt, quia tamen repræsentant vniuersam Ecclesiam, quam Spiritus sanctus numquam errare sinit, erroris expertia sunt. Sed

Concilij Niceni secundi decretum pro cultu sacrarum Imaginum.

particularia Concilia possunt errare: & dum errant, corriguntur per Generalia. Concilia tamen plenaria quæ præcesserunt nonnumquam emendantur posterioribus Concilijs plenarijs, non quidem quoad fidem, sed quoad illa quæ ad regimen Ecclesiasticum, vitamque Clericorum, & ad consuetudines ac ritus spectant. Talia enim in Concilijs Generalibus pro temporum, locorum ac personarum conditione atque qualitate, absque præiudicio fidei variantur: nam in fide, & in his quæ saluti nostræ necessaria sunt, nulla fit mutatio. Non est igitur quòd hæretici glorientur de suis obiectionibus, quoniam friuolæ sunt.

12. *Prototypon præcipuè honoratur in imagine.* Ecclesia optimam traditionem, quam ab Apostolis & eorum successoribus accepit, diligenter retinet; sciens, sinceram sanctarum Imaginum venerationem, & nobis admodum vtilem, & Deo gratam esse. Nam in huiusmodi veneratione non in materiâ & coloribus honorem constituimus: sed cogitationem atque intentionem animi referimus ad prototypa, & sanctos beatosque Dei amicos in cælo cum Domino regnantes, quorum effigies contemplamur.

13. *Magna est auctoritas traditionũ, quamuis scripta non sint.* Cap. 17. Libet hîc adijcere vnam aut alteram sententiam Basilij Magni de traditionibus non scriptis. Is enim in libro quem de Spiritu sancto edidit, loquitur in hunc modum: *Dogmata quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus è doctrinâ scripto proditâ, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem: nec his contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint Iura Ecclesiastica.* Et postquam ipse Basilius multa ibi commemorauit, quæ non ex Scripturâ aliquâ Canonicâ, sed ex secretâ traditione habemus, adiungit hæc verba: *Deficiet me dies, si Ecclesiæ mysteria citra scriptum tradita pergam recensere.*

§. III.

DE HÆRESIBVS ET HÆRETICIS.

Dicta Patrum lectu dignissima proferuntur.

1. *Hæretici Nouatores contra totius Ecclesiæ receptissimum consensum docent.*
2. *Antiquitatis doctrina contra eos est firmissimè retinenda.*
3. *Etiam diabolus pro se citauit Scripturas.*
4. *Traditio igitur constanter seruanda.*
5. *Inconstantia & dissensio hæreticorum; vnitas & consensus Catholicorum certa nota est.*
6. *Cum hæreticis nullatenus communicandum.*
7. *Solo traditionis pondere pugnandum contra hæreticos.*
8. *Ecclesiarum Apostolicarum traditio de rebus fidei ab omnibus custodienda.*
9. *Extra Ecclesiam Catholicam salus nulla,*
10. *In quâ boni sunt permixti malis, rectè tamen credentibus, sed peruersè viuentibus.*

BEATISSIMVS Paulus Apostolus priorem Epistolam quam ad Timotheum scripsit, ita concludit: *O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* 1. *Hæreticos esse Nouatores.* 1. Tim. 6.

Vincentius Lirinensis, vetustus & pius Scriptor, disputans aduersus hæreses, loquitur de prædictis Pauli verbis hunc in modum: *Profanas*, inquit, *vocum nouitates, id est, dogmatum, rerum, sententiarum nouitates, quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contrariæ. Quæ si recipiantur, necesse est vt fides beatorum Patrum aut totâ aut certè magnâ ex parte violetur, necesse est vt omnes omnium ætatum fideles, omnes Sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes Clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tanta Confessorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot insulæ, tot Prouinciæ, Reges, gentes, regna, nationes, totus postremò iam penè terrarum orbis, per Catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuntietur. Profanas, inquit, vocum nouitates deuita: quas recipere atque sectari, numquam Catholicorum, semper verò hæreticorum fuit.* *Etiam contra omnem venerabilẽ Antiquitatem, teste Vincentio Lirinensi.*

Et paucis interiectis ait idem Vincentius: *Cunctis euidenter perspicueque monstratur, hoc apud omnes ferè hæreticos quasi solemne esse atque legitimum, vt semper profanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientiæ, à fide naufragent. Contrà verò Catholicorum hoc ferè proprium, deposita sanctorum Patrum & commissa seruare, damnare profanas nouitates, sicut prædixit & iterùm dixit Apostolus: Si quis annuntiauerit præterquam quod acceptum est, anathema sit.* Galat. 1.

2. *Firmiter retinenda Antiquitatis traditio, ad repellendum omnes hæreticorũ nouitates, ex Alexandro Papâ, & Epiphanio.* Diuus Alexander, quintus à Petro Apostolo Pontifex Romanus, & Martyr, in Epistolâ quam scripsit ad omnes Orthodoxos, ait: *Scriptum est, Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. Terminos indubitanter transgreditur, qui statuta Patrum postponit atque confundit. Peruênit namque ad conscientiam Apostolicæ Sedis, quòd nonnulli sunt tam stolidi, qui Dominica præcepta, & Apostolorum eorumque successorum statuta minimè obseruant*, &c. Prou. 22.

D. Epi-

D. Epiphanius secundo libro Contra hæreses, *Termini*, inquit, *nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & Scriptura sacra, & successiones doctrinæ: & vndequaque veritas Dei munita est. Nemo ergo decipiatur nouis fabulis.*

3. *Scripturas solas etiam diabolus citauit, vt testatur S. Hieronymus.* Matth. 4.

D. Hieronymus scribens aduersus Luciferianos, ait: *In illâ Ecclesiâ permanendum est, quæ ab Apostolis fundata vsque in hunc diem durat. Neque sibi blandiantur* (hæretici) *si de Scripturarum capitulis videntur sibi id confirmare quod dicunt: cùm & diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, & Scripturæ non in legendo, sed in intelligendo consistant.*

4. *Seruanda traditiones iuxta mentem S. Basilij & sancti Athanasij.*

D. Basilius in suâ ad Antiochenam Ecclesiam Epistolâ, *Nos*, inquit, *mentis nostræ germina tradere non audemus, ne humana commenta existimentur esse verba religionis: sed quæ à sanctis Patribus edocti sumus, ea interrogantibus annuntiamus.*

Idem Basilius contra hæreticos Sabellianos & Arrium: *Te pacatum reddat traditio. Dominus ita docuit, Patres obseruauerunt, confirmauerunt Martyres. Sufficiat dicere: Sic edoctus sum.*

D. Athanasius ad Epictetum Episcopum Corinthiorum: *Hoc solummodò respondere ad talia & dicere sufficit, quòd ista non sunt Catholicæ Ecclesiæ, neque ista Patres nostri senserunt.*

5. *Hæreticorũ nota dissensio, Catholicorũ verò vnitas, ex Athanasij & Irenæi doctrinâ.* Iacob 1.

Idem Athanasius in decretis Synodi Ephesinæ: *Homines sunt, vt dixit Iacobus Apostolus, duplici animo, & instabiles in omnibus vijs suis, nec eamdem habentes sententiam, sed nunc in hanc, nunc in illam sese vertentes: & nunc quidem probantes quod dicunt, mox verò vituperantes quod antè laudauerunt. Hoc verò veros Doctores arguit, si eadem inter sese profiteantur, neque diuersa sentiant, vel inter se vel à suis maioribus dissidentes. Etenim qui hunc in modum affecti non sunt, improbi potiùs quàm veri Doctores dicendi sunt.*

D. Irenæus quinto Aduersus hæreses libro: *Vbique Ecclesia prædicat veritatem: at qui relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum Presbyterorum arguunt; non contemplantes quantò pluris sit idiota religiosus, à blasphemo & impudente sophistâ. Tales autem sunt omnes hæretici, qui se plus aliquid præter veritatem inuenire putant: variè & multipliciter, & imbecille facientes iter, de eisdem non semper easdem sententias habentes. Fugere igitur oportet sententias ipsorum, confugere autem ad Ecclesiam, & eius sinu educari, & Dominicis Scripturis erudiri.*

6. *Nullã cum hæreticis communicationem habendam, docet Irenæus.* Cap. 3.

Idem Irenæus libro tertio: *Polycarpus vir multò maioris auctoritatis & fidelioris veritatis est testis, quàm Valentinus & Marcion, & reliqui qui sunt peruersæ doctrinæ. Is enim est, qui sub Aniceto cùm aduenisset in vrbem* (Romam) *multos ex his, quos prædiximus hæreticos, conuertit in Ecclesiam Dei: vnam & solam hanc veritatem annuntians ab Apostolis percepisse se, quam & Ecclesiæ tradidit. Et sunt qui audierunt eum dicentem, quoniam Ioannes Domini discipulus in Epheso iens lauari, cùm vidisset intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens quòd timeat ne balneum concidat, cùm intus esset Cerinthus inimicus veritatis. Et ipse Polycarpus, Marcioni aliquando occurrenti sibi, & dicenti, Cognosce nos, respondit: Cognosco te primogenitum satanæ. Tantum Apostoli & eorum discipuli habuerunt timorem, vt neque verbo tenus communicarent alicui eorum qui adulterauerant veritatem, quemadmodum & Paulus ait: Hæreticum hominem post vnam correptionem deuita: sciens quoniam peruersus est qui est talis, & à semetipso damnatus.* Tit. 3.

7. *Traditio sola hæreticos profligare potest, auctore Irenæo.*

Rursum Irenæus scribens Florino hæretico, qui aduersus veritatem inauditis figmentis insaniebat, ita (teste Eusebio Cæsariensi) loquitur: † *Hæc dogmata, Florine, quæ asseris, confidenter dico, quia non sunt sanæ sententiæ. Hæc dogmata non sunt consona Ecclesiasticæ fidei. Hæc dogmata ne illi quidem, qui de Ecclesiâ pulsi sunt hæretici, potuerunt aliquando commentari. Hæc dogmata impietatem docent. Hæc dogmata sancti illi Presbyteri, qui ante nos fuerunt, numquam protulere; illi qui & Apostolos viderant, quos & tu nosti. Vidi enim te, dum adhuc puer essem, in Asiâ apud Polycarpum, tunc quidem præclarè agentem, dum adhuc esses in aulâ, & studentem placere Polycarpo. Multò enim magis mihi illius temporis rerum gestarum inhæret memoria, quàm præsentis: quia ea quæ à pueris discimus, cùm animâ ipsâ coalescunt & adhærent ei. Vnde etiam locum ipsum tibi dicere possum, in quo sedens disputabat sanctus Polycarpus, & incessum illius, & vultum, ac totius vitæ modum, ac corporis formam. Sed & orationes quas habebat ad populum, & conuersationem quæ fuerat ei cum Ioanne (sicut ipse narrare solitus erat) & cum ceteris, qui ipsum Dominum viderant: & quomodo dicta eorum, & item ipsius Domini (quæ illi ex eo audierant) recitabat, item quæ de virtutibus & doctrinis eius dicebat: quo-*

† De his verbis Reu. P. F. Francisci Feuardentius num. 72 super caput 1. libri 1. S. Irenæi aduersus hæreses, citat Eusebium lib 5. Historiæ cap. 19.

modo denique omnia à spectatoribus ipsis Verbi accepta & Scripturis consonantia memoriter referre solitus erat. Quæ tunc ego pro misericordiâ Dei, quam mihi donare dignatus est, attentiùs & studiosiùs audiens, describebam, non in chartis, sed in corde meo: quæ etiam nunc per gratiam Dei fideliter custodio, & mecum ipse sine intermissione rumino. Deum ego testor, & in conspectu eius affirmo, quia si quid tale audiuisset beatus & Apostolicus vir Polycarpus, exclamasset statim, & aures suas obturasset, ac sicut moris erat ei, dixisset: Deus bone! in quæ tempora me reseruasti, vt hæc audiam? Nónne etiam ipsum continuò locum fugisset, in quo sedens vel stans huiuscemodi verba audisset?

8. *Auctoritas traditionis ab Ecclesiis Apostolicis deriuata, à Tertulliano demonstratur, & à Fabiano atque Augustino.*

Tertullianus in libro de Præscriptionibus aduersus hæreticos: *Christus Apostolos misit ad prædicandum, quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, hîc præscribam non aliter probari debere, nisi per Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, eis prædicando tam viuâ (quod aiunt) voce, quàm per Epistolas posteà. Si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum, & Christi, & Dei.*

D. Fabianus Pontifex Summus & Martyr in primâ suâ Epistolâ: *Cauete ab omnibus, qui aliam fidem & doctrinam tenent, quàm Apostoli & successores eorum tenuerunt, & docuerunt: ne (quod absit) post eos abeuntes, in laqueum satanæ cadatis, & compedibus eius detineamini.*

D. Augustinus in libro de Verâ religione: *Neque in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda est Religio: sed apud eos solos, qui Christiani Catholici vel Orthodoxi nominantur.*

9. *Non est salus extra Ecclesiam Catholicam, teste Augustino.*

Idem Augustinus (vel, vt alijs placet, Fulgentius) in libello de Fide ad Petrum: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum siue schismaticum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleëmosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari.*

Ipse Augustinus quarto libro de Baptismo aduersus Donatistas: *Constituamus aliquem castum, continentem, non auarum, non idolis seruientem, hospitalem, indigentibus ministrantem, non cuiquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, sobrium, frugalem, sed hæreticum: nulli vtique dubium, eum propter hoc solum quòd hæreticus est, regnum Dei non esse possessurum.*

Quidam pius Scriptor: *Paulus Apostolus Ecclesiam dicit esse corpus Christi. In hoc corpore mystico sunt membra sana, sunt & vlcerosa: quia in Ecclesiâ Dei, quamdiu exsilij huius peregrinatio durat, sunt non solùm boni, verùm etiam mali, rectam Catholicamq́ fidem retinentes. Vnde ipsa Ecclesia in Euangelio assimilatur sagenæ congreganti bonos pisces & malos: comparatur item areæ habenti triticum & paleas. Quòd si vlcerosa membra Ecclesiæ permanserint insanabilia, vbi mors aduenerit, præcidentur à corpore, tamquam infructuosi atque aridi palmites à vite, & mittentur in ignem. Ceterùm illi, qui per hæreses & schismata separant se ab Ecclesiâ, sunt pisces mali qui diruperunt sagenam, & exierunt foras: sunt paleæ leues, quas ventus superbiæ extra aream expulit: sunt membra emortua, iam à corpore resecta. Ipsi dicunt Catholicos malè viuere: & attendentes grandem palearum aceruum in areâ Dominicâ, putant ibi grana non esse. Non enim vident, vel potiùs videre nolunt bonos in Ecclesiâ, cùm tamen in eâ plurimi sint boni: sed hi tamquam triticum inter paleas latent, atque à paleis se premi patiuntur, donec Deus ipsos in horreum suum congreget. At illi qui quasi paleæ instabiles ex areâ euolarunt, non sibi placeant de externâ morum honestate, si quam habent: non arbitrentur se rectè valere, membra quæ corpus reliquerunt. Enimuerò minùs desperatur salus eorum membrorum, quæ sanie quidem diffluunt, sed corpori adhuc cohærent; quàm illorum membrorum, quæ integritatem præ se ferunt, sed à corpore disiuncta sunt. Hæreticus etiamsi multis operibus bonis abundare videatur, perditus tamen est: quia cùm sit membrum à corpore Christi reuulsum atque amputatum, vitam gratiæ à capite Christo non recipit. Etiamsi ornatus admodum atque elegans sit in verbis, & scientiam fidemq́ magnam habeat, & omnes facultates suas in cibos pauperum distribuat, & corpus suum pro fide quam tenet incendio tradat: nihil tamen ei prosunt illa omnia, quia veram charitatem non habet. Fieri enim nequit, vt verâ charitate præditus sit, cùm verâ humilitate careat, & vnitatem Ecclesiæ scindat. Grauissimus Dei hostis est, & salutem nullo modo consequi potest, nisi depositâ ac repudiatâ hæresi,*

10. *In Ecclesiâ sunt boni sunt mali; quod aliquoties iam ex Blosio iisdê argumentis ostensum.* Ephes. 1. Matth. 13. Lucæ 3. Matth. 3.

resi, sese vnitati Ecclesiæ adiungat, & fidem Catholicam amplectatur. Nam si humilis factus, ceruices suas ad pedes matris Ecclesiæ demiserit, & piè exercuerit atque coluerit ea quæ Ecclesia Dei exercet ac colit, iam rectè viuendo salutis erit.

DEO GLORIA.

HÆC *facula faciem primitiuæ Ecclesiæ vtcumque ostendens, collecta fuit anno Domini millesimo quingentesimo † sexagesimo primo, mense Octobri: quæ licet in modum farraginis confusa esse videatur, prodesse tamen poterit hæreticis, si ipsi illam diligenter legere atque expendere voluerint.*

† Obserua, Lector, Faculam à R. D. Blosio scriptam annis quinque ante sacrilegam in Belgicis Ecclesijs iconomachiam, cuius Chronologia est litteraria in verbis sacris 1. Machabæorum 3. *SanCta sVa ConCVLCata sVnt & ContaMInata.* Quòd autem tam validis argumentis, tam appositis Patrum sententijs, in exordio hæreseωn pro Defensione fidei pugnauit Blosius, magnopere mirandum & prædicandum est.

EXPOSTVLATIO IESV CHRISTI DE INGRATITVDINE PHILOCÆNOPOLEOS;

Cuius Gubernatores nouam prauamque doctrinam amant, & fauent nouatoribus hæreticis.

1. *Querela de leuitate permittentium & amplexantium hæreticorum prædicationem.*
2. *Nec vita moraliter bona, nec magna scientia, nec mors ipsa pro sectis suis tolerata, prodest hæreticis ad salutem.*
3. *Contra eos qui tolerant hæreticorum prædicationem.*
4. *Hæretici non annuntiant purum Dei verbum, sed deprauatum: neque fidem primitiuæ Ecclesiæ, sed aliam ex diametro ei contrariam.*
5. *Non solùm Scriptura Canonica, verùm etiam traditiones diuinæ, sunt verbum Dei, & regula fidei.*
6. *Verissimum est, Scripturas sufficere ad salutem, sed humilibus tantùm, & obedientibus; quibus ostenditur esse magistram & ducem salutis Ecclesiam, etiam absque vllis sacris scriptis.*
7. *Extra Ecclesiam positus, eique non obediens, extra spem salutis est. Ecclesiæ sub Christo caput est Pontifex Romanus.*
8. *Hæretici nouatores, nec sunt Ecclesia, nec intra Ecclesiam.*
9. *Apostrophe ad fideles, maximè Ecclesiasticos & Religiosos, vt vitam moresque emendent.*

AVDITE *cæli, & auribus percipe terra.* Videte omnes qui diligitis veritatem, & obstupescite; considerate, & æstimate, quanta sit ingratitudo Philocænopoleos, quanta negligentia & infidelitas Gubernatorum eius. Ego illos enutriui & exaltaui; optauique vt vrbs illa priscum pietatis decorem seruaret: sed nunc vera Religio cultusque mihi gratus, magnâ ex parte in eâ collapsus atque extinctus est. Ibi enim hæretici sinuntur passim errores disseminare, & animas, pro quibus sanguinem meum fudi, perimere. Ibi vecordes viri ac feminæ relinquunt fidem antiquam, fidem veram atque certissimam, quam Apostoli mei, & eorum discipuli, ac Martyres Orthodoxique Patres omnes tenuerunt: relinquunt & abijciunt illam, vt nouam impiamque hæreticorum doctrinam amplectantur. 1. Isa. 1. *Leuitas eorũ qui fauẽt hæreticorũ nouitati; seu qui Philocænopolin, id est Amantem nouitatem ciuitatem ædificant.*

Sed væ ipsis hæreticis! qui more aprorum agrestium deuastant vineam meam, & inæstimabile damnum inferunt terrestri familiæ meæ. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Hi membra sunt diaboli, quæ sese à corpore meo mystico præciderunt, & iam vitâ gratiæ destituta marcescunt. Non est quod sibi blandiantur de externâ morum honestate, & sermonis elegantiâ. Etiamsi linguis Angelorum loquantur, etiamsi scientiam & fidem magnã habeant, etiamsi facultates suas in cibos pauperum distribuant, etiamsi iustè admodum viuere videantur, etiamsi corpora sua pro cariosâ fide, quam tenent, incendio tradant; perditi tamen sunt, quia charitatem non habent. Fieri enim nequit, vt charitate sint præditi, cùm superbiâ atque arrogantiâ elati inflatique obedire nolint Ecclesiæ, & vnitatem eius scindant. Sunt hostes mei grauissimi: sunt impietatis rei, & æternæ damnationi proximi. 2. *Nec bona vita, nec magna scientia prodest hæreticis ad salutem.* Isa. 1. 1. Cor. 13.

O imprudentes ciuitatis Gubernatores! quis vos ita fascinauit, vt permitteretis illos veritatem impugnare, & liberè prædicare aliam fidem, quàm tradita fuit olim à sanctissimis Patribus, atque à clarissimis verisque Senatoribus & à fideli populo seruata? Catholici ac pij omnes, qui nunc in memoratâ vrbe habitant, dolent, gemunt, suspi- 3. Gal. 3. *Hæreticorũ prædicationẽ ab impijs sectarum ministris factam, nefas est admittere aut tolerare.*

suspirant & lugent, cernentes omnia ab hæreticis euerti atque profanari in Ecclesiâ meâ. Ecce iam infernus aperuit dilatauitque os suum absque termino; & ad eum innumeræ animæ, hęresum veneno obrutæ, quotidie descendunt. Vos, ô Gubernatores, vos estis præcipua causa horum ingentium malorum. A vobis ego requiram perditionem tam multarum animarum. Vos pœnas luetis æternas: nisi citò modis omnibus impedieritis improbos pestilentissimorum hominum conatus. Quid? Adeóne stolidi estis, vt eis inepte gannientibus, & noua absurdaque dogmata in medium proferentibus, credatis? Debebatis vel centies (si fieri posset) emori, potiùs quàm illos audiendo veram Apostolicamque fidem, plurimis miraculis & Martyrum meorum sanguine comprobatam, relinquere vel mutare.

Isa. 5.

4. Illi nituntur vos abducere ac pertrahere secum in gehennam, & eos sequimini? Dicunt se purum verbum Dei annuntiare, sed non est ita. Annuntiant enim verbum Dei prauis à se expositionibus adulteratum & corruptum. Ecclesia mea Catholica, omnes electi mei à Spiritu sancto illuminati, semper intellexerunt Scripturas sacras sicut intelligi debent: sed isti superbi & arrogantes nunc eas aliter prorsus interpretari volunt: vnde & horrendis errorum tenebris inuoluuntur. Asserunt se tenere, alijsque proponere fidem & doctrinam primitiuæ Ecclesiæ: at Patres ipsius Ecclesiæ primitiuæ in libellis quos scripserunt, apertè conuincunt eos mendacij. Legite Euangelium, & alios codices noui Testamenti, legite Liturgiam Iacobi Apostoli mei, legite Epistolas Martialis discipuli mei, legite scripta Abdiæ, Clemētis, Dionysij Areopagitæ, Ignatij, Polycarpi, & aliorum Patrum ac Martyrum, qui ab Apostolis meis rectam fidem susceperunt, & cum eis multo tempore conuersati sunt: legite, inquam, horum scripta, & perspicuè cognoscetis, fidem ac doctrinam primitiuæ Ecclesiæ ex diametro pugnare cum fide & doctrinâ, quam peruersi isti Nouatores ac populi seductores profitentur: videbitis, venerandos illos primitiuæ Ecclesiæ Patres sic credidisse & sensisse de verâ præsentiâ Corporis mei in Sacramento Eucharistiæ, de præcellentissimo Missæ Sacrificio, de discrimine inter Sacerdotes & laicos, de diuersis gradibus Ordinis sacri, de inuocatione Sanctorum mihi placitâ, de vtilissimâ oratione quæ fit pro fidelibus defunctis, deque alijs diuinis atque Ecclesiasticis rebus, sicut modò Ecclesia mea Catholica credit & sentit. Iam si Sancti illi in primitiuâ Ecclesiâ rectè crediderunt (eos autem rectè credidisse omnes, qui emotæ mentis non sunt, confiteri coguntur) palàm est, nouæ fidei nouorumque dogmatum cultores non rectè credere.

Neque enim prædicant verbum Dei purum ac putum, vt falsò iactitant:

Nec fidem primitiuæ Ecclesiæ.

Sed sectas ex diametro oppositas.

Aiunt etiam vesani & dementes isti, nihil, præter Scripturam Canonicam (quâ ipsi perperàm intellectâ insolentissimè abutuntur) pro certo esse recipiendum: sed Patres primitiuæ Ecclesiæ, in libris à se editis clarissimè ostendunt falsum hoc esse. Ipsum quoque Euangelium narrat, me, passione imminente, indicasse discipulis meis, quòd adhuc multa haberem eis dicenda, quæ tunc portare non poterant. Ceterùm posteaquam resurrexi à mortuis, opportunùs eis locutus sum de regno Dei, siue de statu Ecclesiæ meæ in vniuersum orbem dilatandæ. Itaque Apostoli mei plurima post resurrectionem meam ex me didicerunt, plurima Spiritu veritatis illustrati acceperunt atque fidelibus tradiderunt, quæ non sunt expressa in sacris Biblijs: & idem Spiritus sanctus etiam nunc docet atque gubernat Ecclesiam. Ego nolui omnia exprimi in diuinis Litteris, vt disceretis humiliter obedire ipsi Ecclesiæ, & pateremini vos ab illâ instrui, *quæ est* (teste Apostolo meo Paulo) *columna & firmamentum veritatis,* & cum quâ veritatis Spiritus (sicut ei promisi) manet in æternum, ob idque errare nescit in his quæ sunt fidei. 5.

Verbū Dei etiam traditionibus non scriptis continetur.

Ioan. 16. *Act. 1.* *1. Tim. 3.* *Ioan. 14.*

Abundè tamen sufficiunt omnibus Scripturæ Canonicæ. Imò verò humilibus verisque seruis, & ancillis meis sufficere possunt hæc paucula verba, quæ Præpositis & Pastoribus Ecclesiæ dixi: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Vel ista, quibus subiectos, vt eisdem Præpositis in omnibus obtemperent, admonui: *Quæcumque dixerint vobis, seruate & facite.* Ecclesia Spiritum meum pro doctore & ductore habens, nihil præcipit quod non conueniat: quare semper ei obediendum est. Certè de eo qui Ecclesiæ præceptis recusat parere, dixi iam olim & adhuc dico: *Si Ecclesiam non audierit, sit vobis sicut ethnicus & publicanus.* Per Samuelem quoque Prophetam sic locutus sum: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Quæ quidem verba sunt diligenter admodum expendenda. 6.

Sufficiunt Scripturæ audire volentibus Ecclesiam, ad quam Scripturæ ipsæ nos remittunt.

Luc. 10. *Matth. 23.* *Matth. 18.* *1. Reg. 15.*

Vos ciuitatis Gubernatores debueratis curare, vt abusus, qui sunt in Ecclesiâ meâ, tollerentur, & recta fides maneret: sed ipsam fidem quam per Apostolos aliosque seruos meos toto orbe propagaueram, peruertistis, Ecclesiæque vnitatem discidistis; & ab eâ vosipsos separastis. Scitote verò, quia qui 7.

Qui est extra Ecclesiā, est extra statum salutis acquirendæ.

qui se ab Ecclesiâ disiungit, is à me quoque disiunctus est: ego enim sum caput Ecclesiæ, & ipsa corpus meum est. Volui autem ei præesse vice meâ Pontificem in terris, legitimum Petri Apostoli mei successorem. Dixi enim Petro illi beatissimo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam:* iussiq; ei specialiter vt pasceret & more opilionis regeret oues meas: iussi, inquam, vt ipse & successores eius gubernarent Ecclesiam meam. Id ita esse hæretici quidem negant, & Romanam atque Catholicam Ecclesiam contemnunt, Papisticamque appellant: verumtamen hæc vera & vnica Ecclesia mea est, licet in eâ multi mali bonis permixti sint, durante hac vitâ. Est enim area continens triticum & paleas, vt Euangelium testatur. Habet illud corpus meum membra sana, habet & vlcerosa per fidem Catholicam ipsi cohærentia, donec in morte (si insanabilia permanserint) separentur à corpore. Ergo illa quæ Romanum Pontificem pro capite suo & Vicario meo agnoscit, illa quæ rectam fidem à principio susceptam numquam deseruit nec mutauit, mea est Ecclesia. In hac solâ quærenda est sana sacrarum Scripturarum intelligentia: & nemo extra hanc salutem consequitur, sicut nullus extra arcam Noë diluuium euasit. Hæc est antiqua illa & nobilis omnibusque conspicua ciuitas super montem, hoc est, super me posita, & super petram illam à me confirmatam ædificata, in quâ qui non commoratur, mihi placere nequit.

Ephes. 1. Ecclesiæ caput est Papa Romanus.
Matth. 16. Ioan. 21.
Luc. 3. Matth. 3.
Genes. 7.
Matth. 5. Matth. 16.

8. Nullo modo putetis, superbos Nouatores huius tempestatis esse Ecclesiam, quantumuis ipsi dicant & glorientur se id esse. Non sunt Ecclesia, nec in Ecclesiâ: sed sunt infructuosa & inutilia sarmenta, à fertili illâ vite resecta, & mox in ignem (si ad ipsam Ecclesiam humiliter non redierint) mittenda. Horum enim recens ac peruersa fides atque doctrina omnino contraria est fidei & doctrinæ, quam à temporibus Apostolorum in hunc vsque diem tenuit Ecclesia mea. Fugite igitur eos tamquam veritatis inimicos, & satanæ ministros. Quòd si eis fauere, & impia eorum dogmata amplecti non desieritis, proculdubiò vnà cum ipsis in æternum peribitis.

Nouatores, nec sunt Ecclesia, nec Ecclesiæ membra. Ioan. 15.

9. Et vos qui Catholicam fidem in Ecclesiâ meâ retinere videmini, sed vitam iniquam Christianisque prorsus indignam agitis, corrigite peruersos mores vestros. Vos Sacerdotes, vos Monachi, vos feminæ & virgines Deo dicatæ atque consecratæ, perpendite diligenter quantam puritatem & sanctimoniam à vobis exigat sacer Ordo vester, atque eminens professio vestra. O rem execrandam! Siquidem plerique vestrûm suis enormibus peccatis & sceleribus, suâ incontinenti ac dissolutâ vitâ me grauiter offendunt, & ad iram prouocant. Nonnulli Sacerdotes, omni timore atque pudore abiecto, volutantur in cœno vitiorum. Liturgiam illam diuinissimam, & sanctissimum Sacrificium sine reuerentiâ peragunt. Mundissimum Corpus meum contaminatis manibus tractant, pollutoque ore sumunt. Verbis & operibus fœdis alios scandalizant, atque ita viuunt, vt & mei & propriæ salutis penitus obliti esse videantur. Hi profectò à Præpositis seuerissimè coërceri atque puniri deberent. Nam & me exacerbant, & hæreticis magnam occasionem præbent despiciendi sacratissimam Missam, & congerendi maledicta in Ecclesiam meam. Solent enim ipsi hæretici attendere paleas in areâ meâ magis quàm triticum: solent curiosè inspicere malos Sacerdotes & malos Monachos in Ecclesiâ. Nam bonos non vident, vel potiùs videre nolunt: quia & Sacerdotes, & Monachos, & ipsum Sacerdotium atque Monachatum oderunt auersanturque. Vos igitur Clerici atque laici omnes, qui intra parietes domus meæ estis, qui Ecclesiam non reliquistis, studete benè viuere, vt maledica hæreticorum ora obmutescere faciatis. Ego sanè his qui ex animo sese corrigent, beatitudinem cælestem donabo: eos verò qui in peccatis perseuerabunt, sempiternis inferni incendijs tradam. Hæc dicere me compulit ingens amor, quo salutem vestram desidero. Gratia mea cum omnibus vobis.

Epilogus Iesu Christi, & exhortatio ad emendationem vitæ in Ecclesiâ sanctâ Catholicâ.

ANNOTATIO AD EXPOSTVLATIONEM CHRISTI.

PHILOCÆNOPOLIS, Latinè dicitur Ciuitas amans & cupida nouitatis: quod quidem vocabulum nunc conuenit pluribus vrbibus, quæ nouis absurdisque hæreticorum dogmatibus delectantur. 1.

Philocænopolis quæ vrbs, & vbi sita.

Si quis vult plenissimè cognoscere veritatem eorum quæ in hac Expostulatione dicta sunt, potest legere libellum nostrum sic inscriptum, *Facula, illuminandis, & ab errore auocandis hæreticis accommodata.* In eo enim libello plurima congesta sunt testimonia, deprompta ex Biblijs sacris, & lucubrationibus sanctorum Patrum ac Martyrum primitiuæ Ecclesiæ: videlicet ex Liturgiâ Iacobi 2.

Hæc Expostulatio est compendiū Faculæ; in quâ facem præferunt ad veram Ecclesiam clarissimæ Patrum sententiæ.

cobi Apostoli, ex scriptis Martialis, Abdiæ, Dionysij Areopagitæ, Ignatij, Polycarpi, Clementis, Anacleti, Euaristi, Alexandri, Xysti, Telesphori, Hygini, Pij, Aniceti, Soteris, Irenæi, Iustini, Hippolyti, & aliorum.

3. *Elogia quorundam Patrum in Facula citatorum ex primitiua & Apostolica Ecclesia.*

Porrò Martialis discipulus fuit Domini nostri Iesu Christi, qui præsens erat, cùm ipse Christus in vltimâ Cœnâ institueret sacrosanctam Eucharistiam, & cùm in horto comprehenderetur, cumque ascenderet in cælum, vt in Epistolis suis manifestè testatur. Abdias etiam Christum vidit in carne. Dionysius Martyr, fuit discipulus sancti Pauli. Ignatius & Polycarpus Martyres, fuerunt discipuli sancti Ioannis. Clemens itidem Martyr, discipulus fuit sancti Petri Apostolorum Principis, atque eius successor in Summo Pontificatu. Clementi successit Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Alexander, Alexandro Xystus, Xysto Telesphorus, Telesphoro Hyginus, Hygino Pius, Pio Anicetus, Aniceto Soter. Qui etiam omnes Pontifices pro fide Catholicâ sanguinem fuderunt. Irenæus Martyr vixit tempore Soteris: fuerat autem in adolescentiâ suâ auditor & discipulus Polycarpi. Iustinus Martyr floruit paulò ante Irenæum, & Hippolytus paulò post Irenæum. Itaque ex prædictâ Faculâ clarissimè liquet, primitiuam Ecclesiam idem sensisse de Deo, rebusque diuinis & Ecclesiasticis, quod modò Romana atque Catholica Ecclesia sentit.

4. *Hæreticorum cæca & demens obstinatio.*

O igitur dementissimam hæreticorum superbiam atque arrogantiam, qui à primitiuâ præsentique Ecclesiâ, à solidâ firmâque veritatis columnâ tam impudenter in fide ac doctrinâ dissentiunt! ipsi densissimis tenebris circumfusi, tantum à veritate distant, quantum terra à cælo disiuncta est: & tamen, vt imperitis imponant, se eximiè illuminatos, se veritatis assertores, se Euangelicos & puri verbi Dei prædicatores dicunt. Deus eos ad sanam mentem, sanctamque humilitatem reuocare dignetur. Amen.

LV-

LVDOVICI BLOSII DEFENSIONIS VERÆ FIDEI

ADVERSVS S. ECCLESIÆ CATHOLICÆ HOSTES PARS TERTIA,

SIVE AD NOBILEM MATRONAM COGNATAM SVAM AB HÆRETICIS SEDVCTAM EPISTOLA,

GALLICE TVNC SCRIPTA, LATINE NVNC REDDITA.

PERIOCHA EPISTOLÆ.

1. *Occasio scribendi.*
2. *Monet cognatam sanctæ educationis.*
3. *Lucem hæreticorum esse meras tenebras.*
4. *Doctrinam Ecclesiæ antiquissimam ab Apostolis acceptam: hæreticorum verò hesternam tantùm.*
5. *In Ecclesiâ tantùm Catholicâ Scripturas rectè intelligi:*
6. *Hæreticos autem ipsis illaqueari.*
7. *Obedire Ecclesiæ, est Deo obedire*
8. *Hæreticos non sequi Christum humilem, sed diabolum auctorem inobedientiæ & superbiæ.*
9. *Innumeros esse in Ecclesiâ, qui Zelum habent Dei & animarum.*
10. *Cultus Imaginum non est idololatricus,*
11. *Nec à Deo prohibitus;*
12. *Sed valdè conueniens fidelibus,*
13. *Ipso Luthero fatente,*
14. *Et Concilijs approbantibus.*
15. *Blasphemum est cultum Eucharistiæ vocare idololatricum.*
16. *Qui ita sentiunt aut loquuntur, pagani sunt potiùs quàm Christiani.*
17. *Hortatur ad resipiscentiam.*

1. *Occasio huius Epistolæ.* IAMDVDVM ad te, cognata mea, litteras dedi per iuuenem quemdam, qui in Italiam proficiscebatur: sed quia in reditu dixit se neutiquam te reperisse Geneuæ, vbi te fore existimabat, nescio an illas acceperis. Posteà verò ostensa mihi fuit Epistola, quâ ad Dominam Barbansoniam, veterem educatricem tuam, destinasti: in quâ nimirum Epistolâ scribis, te illud vnum dumtaxat dolere, quòd seriùs in Prouinciâ illam, in quâ nunc moraris, adueneris; vbi dicis vitam agi honestissimam, purum Dei verbum annuntiari, & admoneri quemlibet vt secundùm illud viuat, & non secundùm inuentiones hominum, qui nihil docent quod inseruiat gloriæ Dei, sed omnia propter lucrum, cum ingenti animarum detrimento ob idololatriam, quâ quotidie committere coguntur, &c. Ecce tibi, si benè memini, summam, imò ipsamet verba magnâ ex parte tuæ Epistolæ: quæ propterea occasionem mihi ministrauit, denuò ad te scribendi, & litteras hasce iteratas mittendi, loco responsionis ad supradicta verba tuis in litteris comprehensa.

Obsecro te autem, cognata mea, velis mihi condonare, si liberiùs loquar, & absque dissimulatione dicam tibi, quæ iudicaui dictu necessaria. Desiderium summum tuæ salutis, quo afficior, ad hoc me cogit. O si benè memoriæ & intellectui tuo impressisses pulcherrimas admonitiones, quas sæpiùs ex ore Dominæ Barbansoniæ audiuisti: 2. *Monet seductam pristinæ educationis.*

 præ-

præsertim verò defunctæ Dominæ matris tuæ! Si conata fuisses illarum Catholicam vitam sequi, numquam loquereris ea quæ nunc loqueris, numquam ibi morareris, vbi nunc moraris.

3. *Lux hæreticorum tenebræ densissimæ.* Dicis, illud tibi dumtaxat dolendum videri, quod serius ad illam Prouinciam veneris in quâ nunc habitas: hoc est, ad illam formam vitæ atque doctrinæ, quam nunc sectaris. Heu! quis absq; tristibus gemitibus talia verba ab ore tuo audiat! Nimiùm falleris: lutum pro auro amplecteris, & tenebras pro luce dilaudas. Deus ex benignissimâ gratiâ suâ dignetur tibi verum lumen infundere.

4. *Doctrina Ecclesiæ ab Apostolis manifestè deriuata.* Certè doctrina, quam nos amplectimur, recepta & custodita fuit in Ecclesiâ Catholicâ iam inde ab Ascensione Domini nostri, & à temporibus Apostolorum, vsque ad præsentem diem: quod manifestum est, potestque facilè probari, tam ex Scripturis ipsorum Apostolorum, quàm ex scriptis, quæ reliquerunt ipsorum discipuli, & eorum qui ipsis deinceps in Ecclesiâ successerunt & scripserunt; & ex cunctis Concilijs, quæ in eadem fuerũt celebrata. At doctrina, quam vos sectamini, excogitata & excitata primùm triginta dumtaxat ab hinc annis fuit, nimirum ex quo Lutherus, Carolostadius, Oecolampadius, Zvvinglius, Melanchthõ, Bucerus, Bullingerus, Brentius, alijque similis farinæ hæretici, cœperunt Germaniam corrumpere. *Hæreses nouæ & recenter excogitata.* Quòd si doctrina, quam nos obseruamus, quamque Ecclesia Catholica tot iam sæculis obseruauit, non esset bona; dereliquisset in errore Dominus noster Ecclesiam suam per mille quingentos & quadraginta annos; quod directè contradicit promissioni ipsius Domini in Euangelio factæ, quando Ecclesiæ suæ, membrisque ipsius, iam ex hoc mundo ad cælum ascensurus dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* (Matth. 28.) Sed impossibile est Dei promissionem non esse veracem & certam: quare etiam necessariò credendum, doctrinam Ecclesiæ Catholicæ (quam nos tenemus) sanctam esse. Et, si illa sancta est, vestra doctrina, quæ ipsi contraria est, necessariò mala est, Deoque odibilis.

5. *Vera intelligentia Scripturæ, in solâ Ecclesiâ Catholicâ.* Affirmas prætereà, vestros non nisi purum Dei verbum prædicare. At ego respondeo, ipsos certissimè verbum Dei corrumpere, nec intelligere, aut exponere sacram Scripturam, sicut illa intelligi debet & exponi. In solâ Ecclesiâ Catholicâ, quæ semper fuit, semperque erit à Spiritu sancto gubernata, (propter quam causam sanctus Paulus eam appellat columnam & firmamentum veritatis) (1.Tim. 3.) in illâ solâ Ecclesiâ existit vera Scripturarum intelligentia. Hæc vera intelligentia non est nec vmquam fuit, nec erit vmquam in synagogis superbientium hæreticorum, qui doctrinam Ecclesiæ Catholicæ aduersantem docent, atque ita se ab eius vnitate separant. Dominus noster ita sacram Scripturam disposuit, vt hæretici, hominesque interiùs corrupti, illâ capiantur veluti laqueo; quod iusto iudicio permittit Deus. Vnde Spiritus sanctus benè per Psalmistam hæc verba protulit: *Pluet super peccatores laqueos.* (Psal. 10.)

Sufficiet hîc vnum exemplum apponere, propter nostri temporis hæreticos. 6. *Hæretici non intelligunt, sed illaqueantur Scripturis.* Videmus quomodo illaqueati sint in eo, quod legunt in Euangelio, *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Nam ex occasione huius sententiæ probare nituntur, nullum esse peccatum si quis Ferijs sextis, aliisve diebus ab Ecclesiâ prohibitis, carnes manducet. (Matth. 15.) Nec intelligunt, non esse carnem quæ coinquinat hominem, sed inobedientiam. Nam si esca carnium non fuisset illis diebus vetita, sine offensâ posset quis vesci illâ; quando autem prohibetur, obedire oportet. Peccatum quod patrarunt Adam & Eua vetitum fructum comedentes, ad oculum (vt loquuntur) nobis hoc clarissimè demonstrat.

Quod verò subiungis de inuentionibus hominum, in eo satis declaras, quam de nobis hîc degentibus opinionem nutrias: 7. *Obedire Ecclesiæ, non est obedire hominibus, sed Deo.* nempe nos viuere secundùm inuentiones hominum, quia obtemperamus Ecclesiæ Catholicæ mandatis. Appellas ordinationes Catholicæ Ecclesiæ, inuentiones hominũ; easque nullius auctoritatis esse iudicas: sed vehementer erras. Si liceret omnes ordinationes hominum reijcere; licitum etiam foret eas reijcere, quas nobis scripto reliquerunt S. Petrus, S. Paulus, S. Ioannes, alijque Apostoli; homines enim illi fuerunt. Ecclesia nihil instituit, nihil præcipit à ratione alienum: illius præceptis & statutis obedire oportet, etiam quando in sacrâ Scripturâ non essent expressa, æquè ac si in eadem expressa forent. Quidquid enim ipsa præcipit, firmiter est in Euangelio fundatũ, vbi Iesus Christus illi ait, & eis, qui Superiores constituũtur in illâ, sic loquitur: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* (Luc. 10.) Imò vult Dominus noster etiam malis Superioribus non mala præcipientibus, nos obedire, quãdo ait: *Omnia quæcumque dixerint vobis, seruate & facite: secundũ opera verò eorum nolite facere.* (Matth. 23.) Quãdo igitur obedimus Ecclesiæ, & Superioribus nostris, Deo obedimus: tu autem, & vestri, qui eidem Ecclesiæ Catholicæ non vultis obedire, Deo rebelles estis.

Mi-

8. *Haeretici sequuntur diabolum inobedientiae auctorem.*

Miseret me cæcitatis vestræ. Putatis sequi vos Iesum Christum; cùm reuerà sequamini auctorem arrogantiæ & inobedientiæ. Dic, obsecro, quando profertis ore vel corde verba ista, Quare præcipitur in Ecclesiâ, ne quis Ferijs sextis & Sabbatinis vescatur carnibus; nónne illum sequimini, qui primis parentibus nostris olim dixerat, *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis de omni ligno paradisi?* (Gen. 3.) Iesus Christus humilitatis & obedientiæ magister est: dicit enim: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* (Matth. 11.) Et iterùm: *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam.* (Ioan. 6.) Et Propheta Samuel satis clarè in verbo Dei loquitur: *Melior est obedientia, quàm victima.* (1. Reg. 15.)

9. *Plurimi in Ecclesiâ zelum habent Dei & animarum.*

Addis rursus, existimare te, nostros homines nihil docere ad gloriam Dei, sed ad lucrum priuatum dumtaxat, in damnum publicum animarum, propter idololatrias quas cogimur cõmittere, &c. Miratus sum equidem hoc iudicium tuum contra tuam ipsius conscientiam prolatum. Neque enim potes ignorare, quamuis apud nos aliqui fortè inueniantur prædicatores non omnino tales quales esse deberent, esse tamen quamplurimos optimę & sanctissimæ vitæ, qui verè & ex animo quærant gloriam Dei & salutem animarum.

10. *Sanctorum & Imaginũ cultus bonus est, & non est idololatricus.*

Quantum verò ad idololatrias, quarum inijcis mentionem, nescio sanè quid velis: imò mihi persuadeo, te neutiquã intelligere quid dicas. Si asseris, idololatriæ reos nos esse, quia in Ecclesijs nostris imagines retinemus Sanctorum, ijsque honorem deferimus, longissimè abes à veritate. Neq; enim nos eas tamquam Deos adoramus, neque venerationem ad Imagines dumtaxat referimus, sed per eas ad ipsos, quos Imagines nobis repræsentant, ad Sanctos nimirum gloriosos iam in cælis cum Deo regnantes: quod certè pium est factum, placensq; tam Deo, quàm Ciuibus eius in paradiso.

11. *Imagines nõ vetantur in lege veteri.* Exod. 20. Deut. 4.

Quod enim Dominus Deus in Exodo ac Deuteronomio prohibuit, ne faciant similitudinem quamcumque vllius rei, quæ sit in cælo, terrâ, aut mari: hoc ideò prohibuit, ne populus Israëliticus, pronus ad eas idololatrias quas viderat & didicerat in Ægypto, leuiter inde occasionem arriperet, ad idola redeundi. Prohibitionem illam hoc modo intelligi debere, manifestum est: quoniam Deus in Exodo, priùs quàm istam prohibitionem pronuntiaret, dixit: *Non habebis Deos alienos coram me*, & immediatè subiungit prohibitionem, quâ vetat facere aut habere imagines in eum finem, vt ipsasquasi Deos adorent, sicut fecerunt, & adhuc faciunt infideles. Intentio autem, & scopus Scripturæ non est, omnino & simpliciter vsum Imaginum prohibere: siquidem Deus ipse præcepit Moysi duo Cherubim ex auro facere, quæ ponerentur ad vtrumque latus Propitiatorij; (Exod. 25.) idemque Moyses ex præcepto Domini fecit serpentem æneum, & exaltauit eum in deserto in conspectu totius populi. (Num. 21. Ioan. 3.)

12. *In Ecclesiâ Dei laudabiliter ponuntur.*

Verum quidem est, nos Deum adorare debere *in spiritu & veritate:* (Ioan. 4.) sed & verum est, vt hoc faciliùs possimus facere, sæpè nobis magno adiumento esse Imaginum sacrarum intuitum. Conuenientissimum enim est, vt oculis nostris repræsentetur Iesus Christus in formâ humanâ, quam propter nos homines assumere dignatus est, quam insuper euexit ad dexterã Dei Patris, quamque numquam in æternum dimittet. Sic & sancti humanâ specie figurantur, in quâ hîc aliquando Deo seruierunt. Si licuit Salomoni facere ęneas similitudines duodecim leonum in throno, (3. Reg. 10.) duodecimque boum in templo, (3. Reg. 7.) quod ad Dei creatoris honorẽ deuotè construxit: quare nunc pariter non licebit nobis figuras duodecim Apostolorum exprimere, quos illi duodecim boues designabant?

13. *Etiam Luthero non displicent.*

Lutherus ipse hoc quodammodò benè considerauit, qui (tametsi prima fuerit origo & fons hæresum nunc in mundo grassantium) asserit nihilominùs & sustinet, Imagines Christi & Sanctorum in Ecclesijs esse retinendas; earumq; vsum nullo modo esse contra intentionem sacræ Scripturæ; imò licitum esse atque vtilem populo Christiano. Quin propterea sectatorem discipulumque suum Carolostadium (qui abolere & eijcere Imagines ex Ecclesijs nitebatur) ex prouinciâ Saxoniæ eijciendum expellendumque curauit.

14. *Sed & Conciliis generalibus approbantur.*

Imaginum sanè approbatio & vsus in Ecclesiâ, ab omni antiquitate stabilitur contra hæreticos plurimis Concilijs: vt in Concilio Niceno II. & in alio Concilio Constantinopolitano, & in tribus Concilijs Lateranensibus. Et certè Ecclesia sanctam hanc deuotamq; consuetudinem Imagines & Sanctos venerandi ab ipsis Apostolis Christi accepit.

15. *Cultum Eucharistiae vocare idololatriam, est aperta blasphemia.*

Si verò per idololatriam intelligis (vt & plerique vestrûm solent) nos ideò idololatras esse, quia sanctissimam Hostiam pretiosi Corporis Domini nostri Iesu Christi adoramus: tam apertæ, horrendæ, detestabilique blasphemiæ nolo responsionẽ dare. Oporteret etiam prolixum sermonem instituere, vt res ista declararetur. Hoc solum dicam: ipsa Redemptoris nostri verba abundè satis fidem nostram de hoc dignissimo Sacramento vndique confirmare. Quia Sal-

Math. 26. uator superbenedictus in Euangelio de isto dicit Sacramento, *Hoc est Corpus meum*; &, *Hic est Sanguis meus*.

16. *Qui Eucharistiam negant, ethnici sunt potius quà Christiani.* Qui huic mysterio plusquam cælesti credere nolunt, plusquam ethnici sunt. Verbo Domini mundus hic de nihilo est creatus: éstne igitur incredibile, quòd eodem verbo panis in Carnem, & vinũ in Sanguinem Iesu Christi inuisibiliter transsubstãtietur? Deus
Psal. 134. omnipotens est, *omnia, quæcumque voluit, fecit in cælo & in terrâ*. O! qualem erga nos amorem demonstrauit, inęstimabilem hunc Eucharistiæ thesaurum nobis relinquens! Heu! quàm enormis est ingratitudo, tantum amorem non agnoscere! Nimiùm certè execrabilis iniuria, tam pretiosum donum vilipendere. Sed vt prolixitatem fu-
17. *Exhortatio ad cognatã, vt velit redire ad sanctam matrem Ecclesiam Romanam.* giam, hîc finio.

Nunc ergo, cognata mea, recogita, quæso, quibus inuoluta sis erroribus: recogita quanto in periculo æternæ salutis detinearis. Deseruisti nobilem domum cælestis Patris tui, Ecclesiam nempe Catholicam, extra quam salua fieri non potes: illa siquidem est arca Gen. 7.
Noë, in quâ quisquis non comprehenditur, necessariò interibit, & absorbebitur aquis diluuij. Pater ille tuus cælestis te reuocat: si volueris reuerti, ostendet tibi thesauros misericordiæ suæ, ostendet tibi dulcedinem suę benignitatis. Reuertere igitur, antequam te mors intercipiat. O quanto gaudio exultabunt omnia Catholicorum corda, si te viderint ad sanctam Ecclesiam matrem nostram reuerti! Recuperabis hoc pacto honorem tuum apud Deum & apud homines: imò non recuperabis solùm, verùm etiam & valdè augebis. Spero ego, nec vmquam consentiam vt desperem tuum ad nos reditum, quem ex toto corde desidero. Nouit hoc Creator meus, quem humiliter deprecor, cognata mea, vt suam tibi gratiam velit largiri. Lætijs.

Tuus ex animo cognatus

LVDOVICVS DE BLOIS,

humilis Abbas Lætiensis.

IN-

INDEX ET ORDO OPERVM, LIBRORVM SINGVLORVM ET CAPITVM, LVDOVICI BLOSII.

OPERVM SECTIO PRIMA. PAGINA I.

PARADISVS ANIMAE FIDELIS, Partibus quatuor distinctus.

I. Canon vitæ spiritualis.

II. Cimeliarchion piarum Precularum.

III. Medulla Psalmodiæ sacræ.

IV. Officium Horarum de Iesv & Maria.

SECTIO SECVNDA.

PAGINA CI.

PSYCHAGOGIA siue ANIMAE RECREATIO, Libris quatuor distincta, collecta ex varijs Tractatibus D. AVRELII AVGVSTINI & GREGORII MAGNI Papæ, cum APPENDICE ex alijs.

Item COMPARATIO REGIS & MONACHI, Libellus ex Græco S. IOANNIS CHRYSOSTOMI à D. LVDOVICO BLOSIO Latinè redditus.

CAP.

SECTIO TERTIA.

PAGINA CCXIX.

Sacellvm animae fidelis, Partibus tribus distinctum.

I. Tabella spiritualis, continens breuem Institutionem vitæ Christianæ, expeditisšimamq; rationem perueniendi ad sincerum amorem Dei.

II. Preculæ admodum piæ, quibus anima fidelis in vitæ sanctitate & Dei amore plurimùm crescere confirmarique poterit.

III. Dicta quorumdam Patrum verè aurea, ex quorum diligenti lectione anima humilis ineffabilem vtilitatem consequetur.

SECTIO QVARTA.
PAGINA CCLXXXV.

§. V.

SECTIO QVINTA.

PAG. CCCLIII.

BREVIS REGVLA & EXERCITIA QVOTIDIANA Tyronis spiritualis.

§. IV.

SECTIO SEXTA.

PAGINA CCC.LXIX.

Consolatio pvsillanimivm, ex scriptis Sanctorum, & Paraclesis divina, ex sacris Litteris deprompta.

Cap.

SECTIO SEPTIMA.

PAG. CCCC.XIX.

MARGARITVM SPIRITVALE, Partibus sex distinctum.

I. De Incarnatione & vitâ Domini IESV: ex D. Ioanne Thaulero & D. Ioanne Rusbrochio.

II. Epitome Vitae IESV CHRISTI, ex quatuor Euangelistis concinnata; cum Appendice ex Actis Apostolorum.

III. Dominicae Passionis Explicatio admodum praeclara, ferè tota desumpta ex pijssimis Exercitijs D. Ioãnis Thauleri: cum Appendice de immenso Dei Amore in Incarnatione, Passione, & Eucharistiâ.

IV. Farrago vtilissimarum Institutionum, ex scriptis potissimùm D. Ioannis Rusbrochij decerptarum.

V. Articuli Vitae CHRISTI, amplam meditandi materiam paucis verbis subministrantes.

VI. Diuini Amoris Igniariolum, cum Exercitiolis varijs piarum Precationum.

CAP.

§.VII.

SECTIO OCTAVA, PAGINA D.XLIX.

SECTIO NONA.

PAGINA DCXLIX.

INSTRVCTIO VITAE ASCETICAE, Partibus tribus distincta.

I. Speculum Monachorum, hactenus sub DACRYANI Abbatis nomine euulgatum.

II. Enchiridion paruulorum. Libri duo: cum Precatiunculis & Doxologijs ad Deum & Deiparam.

III. Septem Exercitia, vel Meditationes, Religiosis maximè Tyronibus accommodatæ, quibus homo in timore Dei, & bonâ sanctâque vitâ citò stabiliri potest.

Do-

SECTIO DECIMA.
PAG. DCCXXXVII.

DEFENSIO VERAE FIDEI aduersus S. Ecclesiæ Catholicę hostes, Partibus tribus distincta.

I. Collyrium hæreticorum. Libri duo, cum Appendice de Sacrificio Missæ, de B. Virgine MARIA, & Sanctis, ac de Fidelibus defunctis, collectâ ex Canonibus Apostolorum, sacris Concilijs, & SS. Patribus Græcis.

II. Facula illuminandis & ab errore auocandis hęreticis accommodata; cum Appendice de Eucharistiâ, sacris Imaginibus, & de Hæresibus atq; hęreticis: cui Expostulatio IESV CHRISTI subiungitur de ingratitudine Philoxænopoleos.

III. Epistola ad nobilem Matronam ab hæreticis seductam.

IN-

INDEX CONCIONATORIVS.

Dominica III. Adventvs.
Ioannis 1.

DOMINICA IV. ADVENTVS. *Lucæ* 3.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI. *Lucæ* 2.

Dominica I. post Epiphaniam.
Lucæ 2.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.
Matth. 8. Lucæ 8.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.
Matth. 13.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.
Matth. 13. Lucæ 13.

Anima

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ. *Matth.* 20.

DOMINICA SEXAGESIMÆ. *Lucæ* 8.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ. *Lucæ* 18.

DOMINICA PALMARVM.
Matth. 21. *Lucæ* 19.

DOMINICA IN ALBIS.
Ioannis 20.

DOMINICA II. POST PASCHA.
Ioannis 20.

putare falsa esse quæ fortè dicuntur, quàm citò dictis fidem adhibere. Si aliquorum cura tibi commissa est, vigila: & quamuis aliquando metuas ne ibi malum lateat vbi malum non est; numquam tamen fixâ mente suspiceris ibi malum esse, vbi vtrùm malum lateat, incertus es. 30,a,b

A iudicijs temerarijs & suspicionibus sinistris abstine: neque enim tibi licet iudicare, & ex leuibus signis malum firmiter æstimare de corde alterius, quod tibi incognitum est. 124,b

PERSPICIES EIICERE FESTVCAM. Multi in tenebris vitæ præsentis, dum superiora de se exempla exhibent, astrorum more nobis desuper lucent: sed quantalibet coruscatione operis fulgeant, quantolibet se igne compunctionis accendant, nimirum constat, quia dum corruptibili adhuc carne grauati sunt, æternum lumen, sicut est, videre nequaquam possunt. Vnde fit vt & foris exempla lucis præbeant, & tamen intus vsque ad fixæ visionis certitudinem, pressi noctis caligine, non ascendant. Ita fit vt mens proficiens ad virtutem iustitiæ, suâ melius infirmitate roboretur: & inde veriùs in bonis luceat, vnde etiam eam nolentem parua reprehensibilia humiliter obscurant. 171,b. 172,a. Vide v. *Imperfectio, Fragilitas.*

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN, INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Lucæ 14.

FECIT COENAM MAGNAM. Inuitati ad cœnam opimam, non prandent. Si putatis, fratres, aliquid tale habituros nos in illâ patriâ ad quam nos exhortatur tuba cælestis, & propterea vos à præsentibus abstinetis, vt illic talia copiosiùs recipiatis; sic estis quomodo illi qui ieiunant propter epulas maiores, & continent se pro maiori incontinentiâ. Nolite ergo sic. Ad aliquid vos ineffabile præparate: mundate cor ab omnibus affectionibus vestris terrenis & sæcularibus. Deus erit cibus noster, qui & reficiet, & non deficiet. 151,b. 152,a

In refectione difficilè tenetur mensura. 106,b

Sobrietas Religiosorum. 214,a. 510,b

Vt multi filij ad hereditatem sempiternam adoptaremini, Sanguis vnici pro vobis effusus est. Si vobis ex terrenâ fragilitate viluistis, ex pretio vestro vos appendite: quid manducetis, quid bibatis, quo subscribamini, tamen dignè cogitate. 118,a

Spiritualem & salutarem escam Corporis ac Sanguinis Iesu Christi gustans fidelis anima, guttur habet vt vinum bonum. Hoc enim vinum sanctè potum, dolores omnes animi sedat atque componit, ebrietatem omnem rerum caducarum tollit, cor exhilarat atque confirmat, omnesque morbos internos facillimè sanat ac curat; estque æternæ vitæ salutaris vnda, fons, & origo. Rectis corde hæc lætissima esca: cælestis panis, supersubstantialisque: & salutaris potus, diuinam refectionem adfert. Ineffabile & cæleste côuiuium est, Angelorum choris optabile. Si sapimus, adnitemur per hunc verum panem Christo Iesu honestate vitæ & morum integritate semper hærere. 203,a. Vide v. *SS. Eucharistia.*

VOCAVIT MVLTOS. Magna est manus eius qui vos vocauit. Vocauit: inuocetur. Dicatur illi: Vocasti nos, vocamus te: ecce audiuimus vocantem, audi te inuocantes. Perduc quò promisisti, perfice quod inchoasti: noli deserere munera tua: noli deserere agrum tuum: germina tua intrent in horreum tuum. Abundant tempestates in mundo: sed maior est qui fecit mundum. Abundant tentationes, sed non deficit, qui in illo spem ponit in quo defectus nullus est. 151,a

Vocationes variæ in Ecclesiâ. Ferculum Salomonis ex variis partibus constructum. 195,b. 196,a

VILLAM EMI, &c. Qui desiderat Sponsum Christum Iesum quærendo inuenire, inuentum possidere, possidendo frui, debet se (quamdiu viuit in hac valle miseriarum) abstrahere ab omni cupiditate rerum humanarum; nihil nisi necessarium humanæ vitæ (idque bono modo & iusto) appetere ac velle; honores fugere, diuitias aspernari, curiositates hominum & rerum caducarum euitare, & (quoad fieri potest) in meditatione futuræ vitæ & despectione præsentis commorari. 203,a,b

Vilescunt piæ animæ omnia, præter Deû. 136,b. Vide v. *Mundus, Vanitas, Diuitiæ, Superbia.*

EXI IN VIAS ET SEPES. De nullius salute desperes. Peccata etiam grauissima fiduciam tibi non auferant. 108,b. 226,a. Vide v. *Misericordia, Spes, Benignitas.*

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Lucæ 15.

ERANT APPROPINQVANTES PVBLICANI ET PECCATORES AD IESVM, VT AVDIRENT ILLVM. Verè pœnitentes cogitent Dei misericordiam. Aduocatum habent Christum. Pœnitentia etiam maximos peccatores in morte sanat; periculosè tamen differtur. 4,b. 5,a. 34,b

Pœnitentiæ exercitia moderare. 23,b

Pedes suos Sponsa lauit, cùm præterita vitæ suæ errata correxit, quotidieque commemorando quæ deliquerit, assiduis lacrymis se purgat, suspirat ac gemit, doletque vehementer se contra legem Domini dissolutè ambulasse, turpia concupijsse, inhonesta atque iniusta peregisse, nihil boni, nihil sancti à se factum esse. Studet mundari pœnitentiâ, vt immaculata aliquando Sponso appareat, eique vitâ moribusque placeat in animi honesti quiete atque otio. 201,b. Vide v. *Conuersio, Benignitas, Verbum Dei.*

MVRMVRABANT PHARISÆI. Inuidentiæ pestis numquam animum tuum te consentiente subeat: nam si inuides, non diligis; si non diligis, non es ex Deo. Si gaudes de aliorum bono, illorum merita tua efficientur, & de alienis coronaberis tamquam de proprijs. 30,b. 31,a

VADIT AD ILLAM QVÆ PERIERAT. Christus factus passibilis, qui semper est immutabilis, vt nos à sempiternâ morte redimeret. 201,a. Vide v. *Incarnatio, Bonitas Dei, Corpus.*

IMPONIT IN HVMEROS. Mirum quòd homo à cælesti patriâ exigentibus meritis longè damnatus, non solùm ad statum conditionis reducitur, sed etiam gloriosiùs exaltatur: vt qui paradisum perdidit, cælum recipiat; & non solùm hunc debiti sui reatus non teneat, sed huic post culpam dona cumulatiùs excrescant: vt ille con-

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.
Lucæ 5.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.
Matth. 5. Lucæ 11.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.
Marci 8. Ioan. 6.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN. *Matth. 7. Lucæ 6.*

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN. *Lucæ 16.*

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN. *Lucæ 19.*

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN. *Lucæ* 17.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN. *Matth.6. Lucæ* 12.

Qvid

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN. *Matth. 9.*

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN. *Matth. 22. Luca 14.*

MVL-

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN. *Ioannis* 4.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN. *Matth.* 18.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN. *Matth.* 22. *Luca* 20.

Sunt

In festo ascensionis Domini.
Marci 16.

In festo Pentecostes.
Ioannis 14.

IN FESTO SS. TRINITATIS.
Matth. 28.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.
Ioan. 6.

IN FESTIS B. VIRGINIS MARIÆ.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Æter-

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

quo-

optimè

quo-

cam

Con-

D.

eorum

E.

eius

eius

est

L.

omnes

Oran-

P.

fre-

in

Pri-

Remor-

S. Ste-

V.

FINIS.


LABORE ET
CONS
TANTIA
C.I.